DIDACI NISSENI



TOMVS II

An: 1669 die 19 Junii SS Rex Michael
eligitur in Regem Poloniae
An 1670 19 Junii ab eodem Rege in hac Ecclesia
primus lapis Ecclesiae impositus solennissime

# VITA ABRAHÆ, ET POLITICVS COELI,

Ex mysticis actionibus & moribus Sacrorum Patriarcharum

ISAAC & IACOB

EXSCVLPTVS.

AVTORE

Rmo. Dno. P. DIDACO NISSENO ORDINIS SANCTI BASILII MAGNI ABBATE.

Tomus Tertius.

INTERPRETE LATINO

Rdo. P. F. IOANNE FREYLINCK REIMBACENSI, ORD. PRÆD. SS. THEOL. MAGISTRO.

Cum Indice copioso.

Opus Verbi Dei Concionatoribus percommodum.

Cum Priuilegio S. R. M. Pol. & Suec.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typographum,
Anno Iubilæi Magni M. DC. L.



*Illustrissimo & Reuerendissimo Domino*

# D. GEORGIO TYSZKIEWICZ

Dei & Sedis Apostolicæ gratiâ

## EPISCOPO VILNENSI,

Regni Poloniæ

## AMPLISSIMO SENATORI,

Felicitatem Perennem.



HEroum generosos animos auro fusos esse, diuinus alicubi Plato edisserit, Illustrissime & Reuerendissime PRÆSVL. Num forsan? quòd, vt auri; sic optimi in orbe Herois, summa raritas. Rarum enim & portento simile inter mortales semper fuit, hominem & genere & bonitate alijs antecellere: cùm in summa fortuna licentiæ ventis non abripi, haud humanum. Et profectò si Deum, quia summè bonum necesse est esse; non nisi vnicum esse posse, euincit ratio. Sic inter eos, qui vt natalitiorum splendore, ita potestate diuinitati proximi habentur: rarissimi omninò, qui simul optimi. Non aberrabo (vt opinor) si ad magna

magna natum Tuæ Celſitudinis animum, ex puriſſimo auro elaboratum dixero. Quem antiquiſſimâ Proſapiâ ortum, & Religio & virtus, pulchriùs; quàm: ſolis radij, terræ mineralia expoliuêre. Quæ enim pulchra & præclara in alijs ſparſa ac diuiſa eſſe videntur, ea in Te vno, felici complexione natura copulauit. Non igitur in conſpectum Illuſtriſſimæ Celſitudinis Tuæ, licuit quidpiam niſi aureum proferre: (ſi fides magno Stagyritæ) Simile ſimili optimè conuenire. Quòd ſi rectè fabulantur Poëtæ, aurum cum ſapientia cæpiſſe ſimul: cùm enim Minerua Dea Sapientiæ naſceretur de capite Iouis, tunc imbrem aureis guttis, in terram ſtillaſſe ferunt, ex eiuſdem cerebro. Dùm ego Tertium Opus DIDACI NISSENI, Illuſtriſſimæ Tuæ dexteræ porrigo, aureum credo recognoſcet: quia, profundiſſimâ cultum ſapientiâ. Ea verò me cauſa impulit, vt Opus hoc ad ſplendorem & augmentum Eccleſiæ pertinens, Tuæ Celſitudini dicarem, quòd ſuâ ſollicitudine & vigilantiâ, Græcam fidem, magna ex parte ad veram religionem reſuſcitatam eſſe ſciam. Proinde NISSENVM affero, iure Taumaturgum noſtri ſæculi, qui cùm innumera feciſſet miracula, ſeipſo nihil mirabilius facere potuit, quàm, vt mortuus corpore, calamo inter viuentes perennaret. Aut certè vnum è numero ſeptem Græciæ Sapientum, qui dignus fatis viſus, cuius erudito ſtylo, tota in orbe loquatur Eccleſia. Quo nemo arcana ſcripturæ altiùs penetrauit: nemo ſacri dogmata Euangelij ſanctiùs habuit: nemo abditos Doctorum Eccleſiæ ſenſus, & implicatos conceptus, ſubtiliùs euoluit, luculentiùs expreſſit. Cùm in id & ſacris & prophanis theſauris ex æquo diues eſſet NISSENVS. Quid enim ipſi

imper-

imperuium? secreta Principum obsidet, sana & profana imiscet. Haud ab aureo Chrysosthomo, aut facundo Hieronymo, aut mellifluo Bernardo, aut arguto Basilio, degener filius. Verùm si Mercurius Iouis mandato, scientias in terram deferens, non omnibus promiscuas fecit, sed præcipuis, & optimæ indolis viris. Profectò & tàm nobile Opus, & me partiri haud decuit, quàm inter Summos Ecclesiæ Sanctæ Præsules, & Regni Senatores. Sic enim magna magnos, diuina sacros, erudita Sapientes decent. Cuius Tertius Tomus, Tuam Celsitudinem sibi Patronum quærit, qui religione & in Deum pietate, plurimùm apud omnes vales. Quis enim non videt præclaras Tuas dotes, non solùm in nostra regione, sed tota ferè in Europa, veluti lumen quoddam elucere. Nec quenquam esse, qui religiosior; qui bonis Ecclesiæ administrandis & optimè collocandis sanctior; qui in tanto dignitatis fastigio, demissior; qui in summa sapientia profundior; qui deniq; vigilantior existat. Vt omnes Te, ceu vnicum Religionis & Sapientiæ Phœnicem suspiciant, & admirentur. Velim hic insignem aliquem, scribendi adesse artificem, qui rem pro sui merito tractaret: & quæ à Te in hac primaria dignitate, multa cum laude, summaq; admiratione geruntur, veluti in tabula, coloribus suis depingeret. Sed cùm ad tam præclara facinora exæquanda, mei animi facultates sint impares, ego imitabor Timantem, quodq; calamo exprimere non possum, velo obtegam. Non tamen hic silentio dissimulandum, quod obscurari non potest, sed inerudito etiam sermone explicandum. Quòd Sanctissimus in terris Christi Vicarius VRBANVS VIII. Pontifex Maximus, videns Te in Ecclesia Dei ciuem esse meritissimum, voluerit

luerit in Senatum ſuorum Cardinalium adſcribere, niſi ſumma Tua modeſtia, tantum honorem vltrò refugiſſet. Nouerat hoc alter orbis vniuerſi terror, & ipſo maior Alexandro Magno, inuictiſſimus VLADISLAVS IV. Regni noſtri fortunatiſſimus REX, & clementiſſimus ſubditorum Parens, dùm Tuam Celſitudinem Torrunenſi Colloquio, cum diſſidentibus à fide, præfici curauerit. Vbi vel prouiſis prudenter, vel actis conſtanter, vel reſponſis cauta illa Tui animi virtus, & recondita doctrina explorata, omnes in ſui admirationem ita rapuit, vt & clariſſimâ, & vnâ omnium voce, vbicunq; gentium prædicata ſit. Spem igitur mihi non mediocrem facit, magna Tuæ humanitatis, religionis, & ſapientiæ opinio, quæ iam per omnium ora percrebuit; non ingratum fore munus hoc Tuæ Celſitudini. Nam quid magis congruè potuit fieri, quàm dùm Abbas ad Præſulem, Concionator ad Antiſtitem, Sacri Ordinis Diui Baſilij Magni propagator, ad Paſtorem vigilantiſſimum, quo inuigilante magna pars Græci ritus, ad Chriſti ouile redijt, Doctor ad eruditum Euangelicæ veritatis, ſcriptor, ad doctrinæ Patronum & Chriſtianæ libertatis defenſorem, venit. Quem vbi Illuſtriſſima Celſitudo Tua innatâ humanitate receperit, facilè in aliorum obtutus prodibit, & cum Illuſtriſſimo Nomine Patroni ſui, in recenti ſemper poſterorum memoria perennabit.

*Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ*
*Celſitudinis Tuæ*

humillimus ſeruus

LVCAS KVPISZ
S. R. M. Typographus.

STV.

# STVDIOSO, ET AMICO LECTORI
## Interpres S. P.

NISSENI *Tomum Tertium, & postremum eorum, quos videre hactenùs licuit, tandem aliquando fero. Fortè Conciones de Sanctis expectabas. Vita magni* ABRAHÆ *est, &* POLITICVS COELORVM, *quod nunc dono. Nec tamen tua te omninò fefellit opinio. Si enim hæc assiduè, attentèq; perlegeris, & relegeris, plurima passim inuenies, à quibus dilaudare Sanctos possis. Nihil est in tota vita* ABRAHÆ, *quod ad commendationem posterorum illius Sanctorum verti non possit, nihil in vtraq; parte* POLITICI COELORVM *ad similitudinem morum* ISAAC, & IACOB *effigiati, ex quo difficilè sit encomia Sanctorum texere. Sola temporis penuria fecit, vt ego non facerem Indicem Sermonum de Sanctis, quod alioquin non magno labore potuissem. Nam quæ hic Tomus versat, sunt pleraq; fragmenta argumentorum, quæ alij anteriores tractârunt, adeò promptum mihi fuisset transferre hæc ad laudes Beatorum, sicut priora transtuli. Tuæ ergo hoc industriæ relinquo interim, donec mihi per occupationes alias liceat non solùm ex his* NISSENI *Tomis, verùm etiam ex varijs aliorum tam Hispanis, quàm Italis Autoribus, meis item nonnullis manuscriptis Latinis, & Germanicis Concionibus copiosum Indicem, & iustum volumen adornare. Nolo autem hæc quantulocunq; viliora putes cæteris, quòd fragmenta dixi eorum, quæ alibi tractata. Nam quod hæc* NISSENVS *in Tomis superioribus omisit, studio breuitatis fecit, non quià reijcula arbitratus fuerit, quæ de subtilitate, & vtilita-*

*te certare cum anterioribus possunt. Fragmenta erant, quæ Christo à saturatis quinq; millibus hominum reliqua, & panibus tamē ipsis, quibus superfuerunt, oppidò plura, tantùm abest, vt minus aliquid habuerint illa, vel habeant hæc* NISSENI, *ex eo, quòd fuerint, aut sint fragmenta. Deniq; beatus ille,* qui potest colligere, quæ etiam doctis supersint, *inquit S. Ambrosius lib. 6. in cap. 9. Lucæ. Annotaui ad calces singulorum ferè Capitum, quæ de simili, vel eodem argumento in prioribus Tomis tractantur, vt è plurimis conceptibus eos, quos tibi magis aptos, gratosq; putaueris, possis deligere, & de re vna copiosè disserere. Stylo vsus sum, quo in prioribus, neq; squalido, aut putido, neq; affectatè polítulo, ampulloso, fucato. Sensum autoris, quantùm ingenio, & calamo assequi potui, exprimere studio, quod si minùs, quàm volui, effeci, corripi, & corrigi, & castigari non defugio. De verbis singulis ex Hispano in Latinum transferendis non laboraui, non solùm quià rusticum est (quod habet S. Hieronymus in mea ad Tomum primum Præfatione) verbum ex verbo reddere, verùm etiā quià non pauca sparsim phrasi Poëticâ velut comicè describuntur, quæ ego neq; criminari, neq; imitari, & simili verborum formulâ reponere Latinè volui, eò quòd* sermo *Dei,* & prædicatio *Apostolica* non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute Dei, & ostensione spiritus *sint posita, vt ferè aiebat S. Paulus 1. Corinth. 2. 4. Vale amice Lector, & filius Abrahæ, Politicusq; cœlorum esse stude.*

Fr. IOANNES FREYLINCK
Ord. Præd.

*LIBER*

# LIBER PRIMVS VITÆ ABRAHAM.

## Interpres Lectori S. P.



*Brahæ vitam, & pleraq; ab illo domi, forisque, publicè, ac priuatim gesta, duodecim Libris Nissenus exequitur. Librum vnumquemlibet epitome claudit, in qua partem historiæ, quæ per aliquot capita prolixiùs tractata fuit, compendiariò perstringit. Hæc ego breuiaria meditatò prætermisi. Primùm, quia Author ipse tantundem fecit in vtraq; parte Politici cœlorum, qui vitam Isaaci, & Iacobi is simili stylo explicat. Tum quia passim in manibus sunt & Interpretes, & Annalium Scriptores, Torniellus, Salianus, & alij, tum veteres, tum recentiores, ex quibus huiusmodi summaria excerpere quisq; possit. Deniq; importuna eorum vota, qui Tertium hunc Tomum diu, ac vehementer expetiuerunt, & angustiæ temporis coëgerunt breuiare laborem, & præterire, quæ neq; operi præcipuo quidquam ornamenti, neq; emolumenti aliquid tibi detrahunt. Ita vale, & hunc moralem Abrahamicæ vitæ tractatum in vsum morum, ac vitæ tuæ studiosè converte.*

### CAPVT I.

*Nulla felicior iactura, quàm quæ pro Deo toleratur, & fortunatissimum damnum est, quod pro illo sustinemus, qui omnia multò & meliora, & ampliora, cumulatioraq; reddit.*



Vàm sunt felicia pro Deo tolerata dispendia! Quàm fortunatus, & beatus ille homo, quisquis fidenti, & generoso animo pro honore, & gloria Domini contemnere caduca, & fluxa huius mortalis vitæ bona nouit! Hac enim religiosâ solertiâ, & nobili technâ profectum animæ suæ, rerumque omnium incrementum certò, ac securè, magnoque compendio curat.

Apostolus, & prædicator Gentium longum texens catalogum rerum ab illis antiquæ legis veteribus Patribus præclarè gestarum, cùm scribendo ad insignia ab inclyto, & inuicto Israelitici populi duce edita facinora deuolutus esset, hæc de illo aiebat: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*; Heb 11. 24. 25. 26.

Habemus hîc Moysen tam magnanimum, & generosum, vt pro gloria Domini vniuersas Ægypti contemnat pompas, & omnem pro Deo mundanam fastoso calcet vestigio maiestatem, & renuntiet solio regio, & omnem fictitiam aspernetur consanguinitatem, mauelitque esse verus, & humilis Christi seruus, quàm rex, seu filiæ regiæ putatitius filius. Quid

iam faciet Deus, vt iſtam remuneret humilitatem, & tantam exaltet ſubmiſſionem? Quâ mercede compenſabit iſtam excelſitatem animi, quâ Moyſes maluit pro Deo cum ſuis haberi deſpicabilis, quàm apud profanos Ægyptios in alto throno ſub caduco ſedere ſublimis? Fortean regem faciet, qui pro illo rex eſſe recuſauit? Parum id videtur ad morem Dei ſolennem, quo permagnificè non magna etiam remunerare conſueuit officia ſibi exhibita, neque ſatis dignum eſſet tam heroici facti præmium, inquit ferè Sacer Mediolanenſium Archiepiſcopus Ambroſius. Quænam ergo par erit illi operi merces? Ea, vt Moyſes fiat deus, qui pro Deo rex eſſe renuit, atque hinc mundus intelligat, quàm felix ſit, quàm fortunatus, & prudens, qui ex amore Dei parua diſpendia lubens, gaudenſque patitur, quia hoc faciens magna lucratur. *Fugiendo potentiam potentior factus eſt, factus eſt enim in Deum regi Pharaonis. Rex erat Pharao, ſed deus non erat, Moyſes factus eſt illi Deus*, inquit ille Octon. 8. in Pſal. 118. v. 1. Quàm benè locauit ſua Moyſes, quando coronam regiam ſpreuit! deitatis enim quæſtum eâ ratione fecit, cui Deus ipſe dixit: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*; Exod. 7. 1. Videretur namque Deus nō ſatisfacere ſuæ indolis generoſitati, & liberalitati pectoris, niſi in deitatis ſublimitatem extolleret eum, qui ipſius ergo eò ſe demiſerat, vt repudiato regno humilem inter humiles tribules ſuos viuere vitam, quàm imperare inter ſuperbos Ægyptios mallet.

Abibat à charis Diſcipulis ſuis Chriſtus remigrans in cœlum, & Patris ſui æterni dexteram repetens. Atque illi *omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu, & fratribus eius*; Act. 1. 14. quorum pertinacem, ſed piam, & ſacram expectandi conſtantiam ex eo etiam arbitrari licet, quod *erant omnes pariter in eodem loco*, ibid. c. 2. v. 2. quando Spiritus Sanctus deſcendebat in forma ignis, imminebatque ſingulorum capitibus, & replebat eos tantâ gratiâ, vt vario idiomate loqui inciperent, prout ille volebat, qui tam inſignito linguarum dono eos ornârat: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*; ibid. v. 3.

Primus Venetorum Patriarcha Sanctus Laurentius Iuſtinianus lib. de diſcipl. & perfect. monaſticæ conuerſationis c. 15. ait: *Poſtquam in ſilentio orationi vacare cœperunt, Spiritus Sanctus ſuper illos deſcendit abundè, omniumque linguarum ſcientiam ipſis tribuere dignatus eſt.* In his Sanctiſſimi Patriarchæ verbis illud diligenter conſiderandum, quod ait, *Poſtquam in ſilentio orationi vacare cœperunt.* Quid ex illo vix incepto ſilentio, & linguæ vſu tantiſper ſuſpenſo ſecutum fuit? Quid? Illud, quod *Spiritus Sanctus omnium linguarum ſcientiam ipſis tribuere dignatus eſt.* Et quoniam ob ipſius amorem ad breue tempus loqui ſuâ linguâ intermiſerunt, omnium linguarum peritiam illis inuicem dedit, vt omnium nationum idiomate pro concione vtentes in admirationem, & ſtuporem adducerent auditores. Quis vidit ſilentium prolixiùs remuneratum? Quis taciturnitatem cumulatiore gloriâ coronatam? Felix ergo, qui vel pauca pro Deo relinquit, quandoquidem ingens illi de paruo naſcitur fructus.

Poſtquam ſuperus Opifex excitauit è terræ puluere fictilem illam è luto effigiem, eamque ſpiritu ſuo animauit, & ad imaginem, ac ſimilitudinem ſuam formauit, cogitare cœpit, non eſſe bonum, quod abſque ſocia vitæ vitam duceret ſolitariam inter voluptuoſos iucundæ illius manſionis amœnitates, in quas ex campo Damaſceno ſuæ primæ conditionis loco translatus fuit. Itaque ex ipſius latere ſumere decreuit conſortem, quæ illi adeſſet, vxorem, quæ illum laute haberet, & indulgenter, amanterque oblectaret. Quamobrem *tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem*; Geneſ. 2. 21. 22. Iacebat Adam alto ſomno demerſus, videnſque Dominus eſſe illam peropportunam ſuo propoſito occaſionem, exemit è dormientis latere coſtam, atque in eius vicem repoſuit carnem, & ex tali coſta ſumptuoſiſſimum ædificium, mulierem dico, fabricauit.

Sanctus Petrus Damianus in Serm. de Sancta Columba Virg. & Martyr. qui eſt 66. obſeruauit, ſacrum hiſtoricum perattentum fuiſſe in huius rei commemoratione, in cuius narratione minus ſtudij, & curæ ponere potuiſſe videtur. Obſeruatio Cardinalis ſic habet: *Scriptura cùm dixit, Tulit vnam de coſtis eius, mox addidit, Et repleuit carnem pro ea.* Notandum, quod huc præcipuè ibat animus diuini ſcriptoris, vt mulieris formationem, locumque illius natalem recenſeret. Is erat latus mariti. Quæ cùm ita ſint, cur præcipuo relicto acceſſarium ſtatim deſcribere cœpit, & *mox addidit, Et repleuit carnem pro ea?* Duo in re vna notare iubet Eminentiſſimus Cardinalis, nempè quod & extemplò ſoluit Deus accepta, & acceptis meliora repoſuit, durum os molli carne compenſans: *Os tulit, & carnem reddidit*; inquit ille. Hinc æſtimare poſſumus Dei in-

remune-

remunerando largitatem, quæ tanta est, vt Moyses, cùm describere creationem Euæ institueret, auocare calamum ab ea narratione, quæ principalis erat, & hoc ante commemorare debuerit, quod quæ ad constructionem primæ mulieris è viri latere accepta fuerunt, illa cumulatè, & magno cum fænore sint reposita: *Mox addidit, Et repleuit carnem pro ea.* Quàm feliciter ergo sua reponunt, qui ea pro Deo relinquunt! Quàm fortunati, qui Domino illi operam, remque suam omnem locant, cuius ea est prolixitas, & munificentia, vt pro osse sibi dato carnem reddat, viliaque officiola remuneratione copiosâ compenset!

Huc procul dubio respexit Propheta Euangelicus, quando ex ore illius magni Domini ait: *Scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis, pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum*; Isa. 60. 17. tanquam dixisset: Esto animosus, mi homo, & ingenij mei liberalitatem tandem agnosce. De me hoc tibi persuade, quòd sum tuus Deus, & sospitator, pro cuius obseruantia si respueris æs, ferrum, lignum lapides, ego tibi pro ære aurum, argentum pro ferro, pro lignis æs, ferrum pro lapidibus reponam. Quænam maiora incrementa & emolumenta velis?

Sed quid alia procul inde accersimus causæ nostræ suffragia, qui locupletissimum testem domi habemus nostrum Patriarcham? Pro felicibus suæ erga illum beneuolentiæ auspicijs, & amoris singularis ostensione præcepit ei Dominus, vt se voluntario, ac perpetuo à patria, domo, cognatis exilio accingeret, inquiens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*; Genes. 12. 1. Ecce hic Patriarcham nostrum supero decreto, & Dei iussione constrictum, vt patrium solum cum ignota terra commutet, & ab omnibus suis quacunque necessitudine coniunctis aliò commigret. Videamus nunc remunerationem, examinemus mercedem. Audite illam quàm promptam, & subitam! *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*; ibid. v. 2. 3.

Sancti Ioannes Chrysostomus, & Ambrosius, Hugo Cardinalis, Oleaster, Pererius, & alij plures notant hîc magnam Dei liberalitatem, qui Abrahamum pro vna domo, quam relinquit, donat innumeris domibus, & pro vno patre, cui renuntiat, facit tot filiorum gloriosum patrem, & pro vna patria, à qua exulat, dominum amplissimarum regionum constituit. Sanctus Ambrosius lib. 2. de Abraham c. 3. ait: *Quia propter Deum contempsit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia.* Et doctissimus Pererius v. 2. in c. 12. Genes: *Compara, quæ Abraham Dei iussu dereliquit, cum ijs, quæ daturum se illi promisit, & videbis, quàm liberaliter, & quàm cumulatè remuneratus sit eum Dominus.* Et eruditus Oleaster: *Expende hic, quid lucri sit, aut perdere, aut periculo aliquid propter Deum exponere.* Hæc ille in annot. mor. in c. 12. Gen. Hinc omnes agnoscant, quàm liberalem, & prolixum Dominum habeant, quàm promptum, & expeditum ad referendas mutuas vices, qui tam diuite mercede compensat, quantulumcunque sit, quod pro illo quis erogat.

*Vide Periocham V. Dominicæ II. in Aduentu To. 2. pag. 346. c. 2. o. & finem illius Periochæ.*

## C A P V T II.

*Tametsi Deus perdatur, vt res alia quælibet, vix tamen reperiri potest ibi, vbi perditus fuit.*

PRæcipiebat Deus Abrahæ, vt natale solum suum verteret, inquiens: *Egredere de terra tua*; Genes. 12. 1. At quid incommodare illi sua patria poterat, quò minùs Deo seruiret, & placeret, vt tam seuerè ab ea emigrare iussus fuerit? Respondent magnus Pater, & Doctor Sanctus Basilius, Philo Iudæus, Procopius Strabo, & alij, causam tam grauis iussionis eam fuisse, quòd terra Chaldæorum (in qua tunc suum Sanctus Patriarcha noster habebat domicilium) idololatrarum patria, multis erroribus cœcata, & fœdis superstitionibus contaminata, denique talis esset, in qua excidere à Deo, illumque perdere, facilè erat. Vt ergo Deum absque tanto perdendi eius periculo reperiret, præcepit illi emigrare ab ea terra, vt nos tali exemplo instrueret, quomodo Deum, quem perdidimus, inuenire debeamus, ac doceret, contra illum, ac res alias perditas reperiri debere. Perdidit illa de Euangelio drachmam, nec alibi, quàm domi suæ requisiuit, quæ alibi non fuisse sciebat. Ita res aliæ ibi reperiri solent, vbi fuerunt amissæ. Cum Deo aliter res habet. Nam si illum per nostram infelicitatem perdidimus, non vbi perdidimus, sed contrario in loco requirere debemus.

Fugit Ionas à Deo, putansque euadere posse præceptum, quo iussus fuerat supremum excidium denuntiare vrbi Niniuitanæ, vitijs magis, quàm hominibus confertæ, inscendit nauem, deditque vela ventis. Vix à terra mouerat, & in altum prouectus fue-

rat, quando sæuissima tempestas oriri cœpit. Cùmque omnes exploratum haberent, ipsius culpâ istos irati maris fluctus concitatos, abiectus in mare immanis piscis ventre fugitiuus Propheta hospes insolens exceptus, ex nouo diuersorio lararium fecit: *Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis*; Ionæ 2. 2.

Quis non hic animaduertit, quàm contumax, & refractarius Ionas in terra erat, quàm obsequens & humilis in mari? Cùm esset in terra, *surrexit, vt fugeret in Tharsis à facie Domini*, Ionæ 1. 3. suâque repugnantiâ, & iniunctæ prædicationis deuitatione, offendit Regem supremum. Reiectus ex vtero ceti in terram, iterumq; in Niniuen ire iussus, humiliter obtemperans *surrexit, & abijt in Niniuen iuxta verbum Domini*; ibid. c. 3. v. 3. dictoque obediens promptè morem gessit præcepto.

S. Ambrosius lib. 5. Hexæm. c. 11. ait: *Emendauit aqua, quem terrena deflexerant, psallebat in vtero ceti, qui mærebat in terris.* Notandum id, quod Ionæ accidit, ex quo & moribus nostris documentum, & propositæ sententiæ fulcimentum mutuari possumus. Perdidit Ionas Deum in terra, in qua peruicax fuit, & fugam, obtemperare recusans, inijt. Quid remedij? Relinquendusné in terra erat, vt perditum Dominum reperiret? Nequaquàm. Descendat potius in mare, ibi Deum inuenturus, cum quo contra euenit, ac cum rebus alijs: Tametsi enim hæ maiorem partem ibi reperiantur, vbi fuerunt amissæ, Deus tamen vix ibi reperietur, vbi perditur, quem Ionas in mari inuenit, cùm perdidisset in terra: *Emendauit aqua, quem terrena deflexerant, psallebat in vtero ceti, qui mærebat in terris.*

Multi consulunt, ac suadent, vt qui vinum quod acescere incipit, curare velit, aliò transferat. De hac re sic habet Cass. Dion. Vticensis lib. 7. de agricult. c. 12. *Quidam vina, quæ permutantur, in vasa recens picata transfundunt, & in aliam domum transferunt*; qui enim non in aliam cellam traducit, non aufert illius vitium, sed auget. Itaque quod in vno loco deprauatur, & corrumpitur, hic in altero quærenda curatur: *Si enim à caliditate læsa sunt, in refrigerantes locos deponunt; si verò ab humiditate, & frigiditate in calidos, & siccos locos transferunt.* Hæc ille iterum. Possumus hæc transferre in rem nostram. Vini corrupti curatio posita est in mutatione loci, sic vt omninò pereat, nisi in cellam transferatur meliorem: Ita cùm homo alicubi Deũ perdidit, quia ibi in morbum lethalem incidit, consanescetné, aut erit medicina illi curando salutaris, si in eodem loco, in quo mortaliter laborare cœpit, Deumque perdidit, relinquatur? Minimè omnium, sed qui illam animam saluam cupiunt, *in aliam domum transferunt*. Non est medicina magis præsentanea; nec remedium efficacius, quàm mutare locum, & procul inde discedere, vbi te inuaserit ægritudo, vbi languor occupauerit, sic enim habebit infirmus spem recuperandæ bonæ valetudinis, & reperiendi Dei certam. Qui enim ibi rursum inuenire putat, vbi perdidit, is consilij inopiâ laborat, & nimiùm præsidit.

Perdiderat Sponsa charum suum Sponsum, cùmque illius acerbè ferret absentiam, impatiens doloris, & solicita de tam pretiosi thesauri amissione, indagare illum cœpit, inquiens: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea*; Cant. 3. 1. Obtinuitné illius diligentia? Aut feliciter illi suum studium cecidit? Non profectò. Tametsi testes alios nullos huc accersas, Sponsa ipsa fatetur, vano labore illum quæsijsse, dicens: *Quæsiui illum & non inueni*; ibid.

Quærere possumus, quamobrem Sponsa reperire non potuerit Sponsum, quem tam cupidè, & anxiè requisiuit, cùm Deus facilè apparere soleat ijs, à quibus solicitè indagatur. Si Hugonem Cardinalem, Petrum Berchorium, Hieronymum Lauretum, Antonium Ricciardum, & Pierium Valerianum interroges, quid in sacris literis sibi velit lectus, qui est locus requietis, & somni, statim occurret, quid superiori quæsito respondeas. De lecto autem aiunt illi, quòd in scripturis *voluptatis, & delitiarum est symbolum*. Quòd ergo Sponsa quæsijsse Sponsum in lecto, sed non reperisse dixit, hoc fecit, vt nos suo malo sapere, & esse cautiores doceret. Perditur Deus in otio, & vsu intemperante præsentium delitiarum, & studio corporearum voluptatum, si in eodem lecto, & otio illum requiras, non facis, quo reperias, sed quò magis, magisque amittas, qui enim Deum perditum requirit, non ibi inuenit, vbi perdidit. Quàm benè hoc dixit Ioannes Cluniacensis To. 2. serm. 64. cùm ait: *In lecto quærit Sponsa dilectum, sed non inuenit; quia si perditur in lecto voluptatis, inueniendus est in asperitate doloris.* Nam vt S. Ambrosius in Psal. 118. Octon. 11. habet: *Nunquam malum malo corrigitur, neque vulnus curatur vulnere, sed exasperatur.* Vulnerare, vt sanes, nullus sanæ medicinæ aphorismus docet, neque curari, sed ægriùs habere vult, qui sauciat, vt sauciata membra curet. Inaniter ergo inter delitias Deus quæritur, inter quas perditus fuit.

Piæ

Piæ hospiti Eliæ sublatus morte filius fuit, quem illa tenerè amabat. Cùm in domum eius diuertisset Propheta, expostulabat cum illo afflicta mulier, inquiens: *Quid mihi, & tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* 3. Reg. 17. 18. Cùm ille hos tam amaros eiulatus mœstæ viduæ audiuisset, petijt ab illa defunctum filium, *tulitq; eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit supra lectum suum*; ibid. v. 19 vbi cùm nonnulla, quæ sacer textus non dissimulat, fecisset, obtinuit à Deo vitæ authore, vt in vitam defunctus rediret, & *reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit*, ibid. v. 22.

Quis non expendat mysticas Prophetæ actiones, quas adhibuit, vt mortuo vita rediret? Quid sibi velit, quod è blando matris sinu sublatus puer, & duro Prophetæ lecto impositus fuit, cùm omnipotens Dei brachium, vt illud operaretur miraculum, talibus cæremonijs obstrictum non esset? Quid nos ergo tali re docere diuinus spiritus voluit?

Respondet insignis interpres Gaspar Sanctius in 3. Reg 17. v.19. num.39. *Moritur sanè puer in materno sinu, inter delitias nimirum; quas maternus comparat affectus, & plus iusto indulgentia profusior, excitatur autem in duro lectulo; quò non voluptatis blanda, sed pœnitentiæ durus rigor intrauit. Quod consilium in spirituali suscitatione seruandum, vt qui in molliori vitæ genere mortem incurrit anima, idem vitam à seueriore viuendi ratione pœnitendo quærat, neque enim vita eo in loco inuenitur, vbi mors regnat.* Si ergo Deus in lustris, ganeis, popinis amissus fuit, brutus error est putare, quod ibi reperietur. Si in domo lusus perditus fuit, stultum est arbitrari, quòd ibi rursùm occurret quærenti. Deus enim non est similis rerum aliarum, quæ ibi plerumque inueniuntur, vbi exciderunt, ille verò contrario modo, ac perditus fuit, requiri debet.

## CAPVT III.

*Qui vult satisfacere officio suo, debet attendere non quid alij agant, sed quid ipse facere teneatur.*

PRæcipiebat Dominus magno Patriarchæ nostro, vt è patria, omnique vitæ suauiùs agendæ commoditate demigraret, inquiens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*; Genes. 12. 1. quod ex interpretatione Guilielmi Papinij, & Hameri, & Petri Blesensis, & Ioannis Landspergij tale fuit, ac si dixisset: *Egredere tu, & nihil cures de alijs*, vide tu non quid alij faciant, sed quid te agere oporteat, tu obtempera, & tace & relinque alios, non enim ad te spectat cura emigrationis aliorum, sed studium, & solicitudo benè perficiendæ tuæ. Hoc enim quisq; agere debet, vt quæ illi ex officio non incumbunt, non curet, vt curet sua, neque moueatur factis aliorum, quò minùs suo muneri faciat satis.

Totum mundum vna obscœna libido, & fœda Venus olim obtinuerat. Offensus scelerum turpitudine Dominus decreuit illum vnà etiam aquarum inundatione extinguere, solum autem Noe, filiosque eius, & vxores conseruandæ, & propagandæ posteritati sospitare. Quare mysticam, & amplissimam nauem adornare iubebat, in qua homines, brutæ animantes, & aues, tanquam in portatili domo, quælibet pro suæ conditionis necessitate degerent, & iram illius effugerent. Iussio Domini talis erat: *Fac tibi arcam de lignis lauigatis*, Genes. 6. 14.

Aquila Doctorum Sanctus Augustinus q. 5. in Genes. To. 4. percunctatur, vtrum à Noe, filijsq; illius tribus intra centum annos perfici potuerit arcæ illud tam vastum ædificium, quod eo consilio construebatur, vt tam frequentium, ac variorum hospitum esset diuersorium? Respondet autem, si fortè ipse cum suis tantum opus intra sæculum proximum absoluere non potuerit, non mirandum quod alios operæ nouæ, & prodigiosæ socios fabros adhibuerit. At verò ij nonne riserint Noe, & magni illius Patriarchæ filios talis operis fabricatione occupatos? Occurrit huic quæstioni iterùm, dicens: *Operis sui mercede acceptâ non curauerunt vtrum eam Noe sapienter, an verò inaniter fabricaret.* Quærebat Noe operis sui fabros, qui constitutum nauis ædificium construerent, ijsque suum manu pretium, & laboris mercedem pro tempore dependebat, qui sui domini consilium, prudensné, an vanum, atque inane esset, non discutiebant: Ad operarios namque, quibus suum stipendium dinumeratur, spectat perficere, non examinare opus, quod curare debent, vt illi proinde tanquam cordati studuerint absoluendo, non expendendo suo labori. Sic quisquis amat sapiens videri, debet suum officium exequi, in actus aliorum, obligationesque non inquirere.

Imperitorum, & inertium proprium est attendere quid alij agant, atque illorum factis sua inumbrare. Sic enim dicitur Eccl. 32. 21. *Peccator homo vitabit correptionem, & secundùm voluntatem suam inueniet comparationem*; velut dixisset: Proteruus

peccator fugiet obiurgationem, atque vt prorsùm effugiat, pertinaciamque suam prosequatur, mille aliunde conquiret exempla, quibus se excuset, & plurimos casus, quibus defendat. Verùm hæc illi parùm proderunt. Nam vt S. Hieronymus apud Henric. Culens. in sententijs Hieron. ex epist. 36. ait, *culpam numerus peccantium non minuit, & in personis, non rebus est accusatio.* Non me aliorum culpæ inculpatum, neque innoxium noxæ plurimorum faciunt, neque reatum meum reorum multitudo leuat, non enim in rebus, sed in personis malum positum est, neque homines ab aliorum factis sibi accersere excusationem, sed proprij officij munus attendere debent.

In illa tam trita, quàm mystica talentorum parabola inueniemus huius veritatis comprobationem. Habet ea parobola, quod Domino quidam, cuius negotiationi vnum talentum traditum fuerat, dixit. *Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas, vbi non sparsisti, & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est*; Matth. 25. 24. 25.

Quid piger ille, & oscitabundus famulus primis suis verbis dicere voluit, quibus Dominum nimiæ ergà domesticos austeritatis insimulauit? S. Bruno serm. 6. de Confessor. To. 3. ait, quod ille voluit, id eiusmodi esse, ac si dixisset: *Cogitaui mecum in corde meo abscondere eloquia tua, ne si in vanum pecuniam tuam expenderem, & verba tua non obedientibus nuntiarem, mihi quidem labor solummodo esset, alijs verò maior inde pœna fuisset, quod iam vlteriùs excusationem habere non possent, vtpote illi, qui & scirent, & intelligerent voluntatem Domini sui.* Causa ergo, ob quam ille talentum suum abscondit, hoc est, pro ingenij sui facultate prædicare noluit, ea fuit, quod se nequicquam daturum voces, ideòq; duo mala secutura vidit, quorum primum esset labor illius frustraneus, alterum auscultatio auditorum infructuosa, quibus Domini voluntatem proinde non indicauit, ne si illi non obtemperarent (quod futurum timebat) grauiùs luerent, & purgare suam negligentiam omninò non possent. Fuitné verò admissa illa excusatio? Fuitné in libris rationum ratio ista probata? Minimè omnium. Tametsi enim verum fuisset, quod socors ille, & iners famulus affirmabat, non propterea tamen prædicationis officium intermittere debuit, quòd alij attendere nollent, quisque enim rem suam curare debet, & non quid alij facturi sint, attendere. Nam vt S Ioannes Chrysostomus homil. 29. ad Pop. Antioch. aiebat, *aquarum vena, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes, quamuis hauriat nemo, scatebras emittunt.* Aliud est aquarum scaturigo, & effluxus, aliud earundem è fontibus haustus. Fontes ergo, quod sui muneris est, fundunt libenter, ac liberaliter aquam, neque cogitant vtrum alij eas in suum vsum transferant, necne. Sic omnes viri cordati, & prudentes debent officium suum explere, & relinquere alios, qui Deo rationem dabunt, si muneris sui partes prætermittant.

Propheta regius cùm se pertinacibus, crudelibusque hostibus circumdatum, & suarum virium imbecillitatem, per quam euadere difficilè posset, cogitaret, inuictam Domini dextram humiliter implorauit, reuerenterq; illum adorans, ita cum lachrymis precabatur: *Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me*; Psalm. 7. 2.

Sanctus Ioannes Chrysostomus in huius tam demissæ obsecrationis commentatione positus monebat animaduertere, quod illa non ab humili tantùm, verùm etiam prudente precatore fusa est. *Vide Dauidis sapientiam*, inquit ille *Cùm dixisset*, Domine Deus meus in te speraui, *non dixit, Puni hostem, tolle de medio inimicum, sed quod suum est, tantùm quærit, & dicit*, Saluum me fac, *hoc est, ne permittas vt malè patiar ab omnibus persequentibus me, & libera me.* Quid ergo Sanctus Dauid egit? *Quod suum est tantùm quærit*, suum negotium curare studuit, vt suæ vitæ sospitatem impetraret, laborauit, hostium suorum causis non se ingessit. At si Chrysostomus dicit, *Vide sapientiam*, ego aio, *Imitare sapientiam* tanti magistri, & disce ab illo, non curare quid alij facere debeant, neque esse curiosus, aut malitiosus, sed officio tuo studiosè vacare, & esse, qui debes.

*Vide To. 2. pag. 202. c. 1. o. Periocham V. Dominica XIII. post Pentecosten, vbi hoc argumentum pluribus tractatur.*

## CAPVT IV.

*Cùm Deus præcipit, quæ ipsi sunt grata, id facit, quia nobis sunt commoda, ille namq; tam absolutus est Dominus, vt nunquam mandet, quòd famulatu nostro egeat, sed quòd nos amet.*

VErsamur hucusque in egressu Abrahæ, tanquam egredi ab illo non possimus. Sed multorum arrogantium institutioni necessarium est huius Capituli antidotum, vt superborum capitibus sit pro cinere, quo illorum tumor curetur. Dicebat Domi-

bus nostro Patriarchæ, *Egredere;* Notandum ex Lyrano, Abulensi, Caietano, Oleastro, Honcala, quod illa Domini iussio ex originali lingua Hebræa, sic verti potest: *Vade tibi de terra tua;* in quæ Lyra, & Caietanus: *Significatur quod ad ipsius Abrahæ vtilitatem præcipitur egressus de terra sua.* Nihil Domini rebus ex egressione Abrahæ accedebat, nihil ad iubentis magnificentiam, aut amplitudinem maiorem faciebat Patriarchæ emigratio. Ipse ex se omnipotens, immensus, vnicus, & absolutus rerum omnium Dominus est. *Nihil Deus iubet, quod sibi prosit, sed illi, cui iubet, ideò verus est Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget,* inquit Sanctus August. in lib. sentent. ex illo excerptarum num. 39. To. 3. Demittat vela quisquis ille inflatus, deponat cornua omnis superbus, & notet, quod cùm Deus aliquid mandat, tota præcepti vtilitas ad eum, cui mandatur, redundat, vt propterea sit *verus Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget.*

Felix huius Capitis auspicium præbeat nobis, qui & obsignauit præteritum, Propheta regius. Is cùm de ijs ageret, qui bono ingenio sibi à Deo concesso rectè vti nôrunt, aiebat: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum;* Psal. 110. 10. quæ ex Euthymij, Hugonis Cardinalis, & Incogniti expositione talem habent sensum, ac si dictum fuisset: Bonitas intellectus non in eo solùm posita est, quod quis intelligit leges, & præcepta Dei (quanquam & illud non sit exiguum misericordiæ beneficium) verùm etiam opere seruat, quæ animo cognouit seruanda. Cuinam verò vtilitatem adfert custodia legum, quas custodiendas intelligimus? *Omnibus facientibus,* qui speculationi praxin coniungunt. Nihilné verò inde commodi obuenit Deo? Prorsùm nihil. Mox enim subdit Propheta, inquiens: *Laudatio eius manet in sæculum sæculi,* ac si dixisset: Tametsi homo non vtatur ad laudem Dei intellectu, quem ab ipso accepit, tametsi ex rustica ingratitudine debiti cultus tributa illi pendere negligat, an propterea ille magnus Dominus, & Supremus Monarcha esse desinet? Nequaquam, quia *laudatio eius manet in sæculum sæculi,* illeque & sibi sufficit, & sua sibi gloria est, ac magnitudo. Dicat nobis hæc Theodoretus: *Congruenter & hoc appofuit,* Laudatio eius manet in sæculum sæculi, *edocens virtutis studiosum fructum hinc reportare, quandoquidem Deus, licet nemo ipsum laudibus prosequi vellet, sempiternum; & perennem habet hymnum.*

In horto agebat Christus inter mortales angores (quos Sacri illius Historici referunt) comitatus tribus Discipulorum charissimis, quorum somnolentiam siue ex negligentia, siue ex tristitia natam cùm semel, & iterùm amanter increpasset, demùm illis quietem indulgere visus aiebat: *Dormite iam, & requiescite;* Matth. 26. 45.

Quare tunc denique illis somnum, & quietem capere non solùm permittebat, sed & suadebat? An ideò forsan, quòd hostes à sanguinario proposito suo iam destitissent; vt propterea in aurem, quod aiunt, vtramq; securi dormitare potuerint Apostoli? Non sanè, quia Dominus ipse ibidem aiebat: *Ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum;* tanquam dixisset: Liberas nunc somno habenas permittite, quando perfidiosus præ foribus est discipulus ductor sceleratorum satellitũ, qui cum vario armorum apparatu veniunt, vt me tumultuariè per vim hinc abripiant, & vinctum, velut infamis latro sim, ad tribunal pertrahant. Ergoné tunc dormirent Discipuli, quando illorum opitulatione magis indigebat Magister? Tunc somno se traderent, quando vigiles hostes arma capiebant? Cur tunc illos dormire iusserit? Respondet Theophylactus: *Ostendens, quòd opus non habeat illorum subsidio, quando traditur, dicit illis, Dormite nunc, & requiescite.* Indicare ergo voluit, quàm magnus Dominus, & Monarcha esset, quàm inuicto brachio, quàm nihil indigus auxilio alieno, propterea ijs, quos in extremis angustijs habebat præsentes, dicebat, vt dormirent, & conquiescerent, ex quo intelligerent, nihil illi ope cuiusquam opus esse, vt se aduersùs omnia pericula defenderet.

Ad fastigium eduxit cœlestis architectus admirabile hoc mundi ædificium, & post absolutam vastæ, sumptuosæque huius structuræ fabricam, *requieuit die septimo ab omni opere, quod patrárat,* vt ait Sacer Scriptor Genes. 2. 2.

Non me fugit, quantum lucubrationis attulerit exigua hæc sententiola Doctissimis Interpretibus, quorum hæc est communis quæstio, quomodo rectè intelligi queat, quòd Deus feriari ab opere dicatur, cuius prouida vigilantia semper in opere versatur earum rerum, quas necessitas creaturarum requirit, neque studium ijs benefaciendi vnquam intermittit.

Prætereo hic varias aliorum doctas quidem, sed præsenti causæ minùs commodas expositiones, Salomon Hispaniarum Alphonsus Tostatus aptè in rem nostram interpretatus, acutè monet, quòd Moyses non dixit, *Requieuit in opere suo,* sed *Requieuit ab opere suo,* & sic exponit: *Requieuit ab opere suo, id est, requieuit in seipso, non indigens suo opere,*

*cùm sit in se perfectè beatus, & perfectè delectabilis,*
*vt ait Aristoteles: & ideò dicitur, Requieuit ab ope-*
*re suo, id est, licet ista opera magna, & mirabilia*
*Deus creasset, tamen non habuit gaudium suum in eis,*
*id est, præter ea, vel sine eis in seipso requieuit. Non*
*enim est magis beatus, vel perfectus Deus, postquam*
*mundum creauit, quàm antequam creasset.* Ab ope-
re ergo, non in opere suo quieuisse Dominus fer-
tur, quamuis enim admirabile sit huius tam amplæ
structuræ artificium, nihil tamen inde voluptatis
haurit, qui in seipso habet omnem beatitudinem, &
quidquid oblectare potest, estque in seipso perfectis-
simus, & gloriosissimus, & à nulla re alia dependens
sustentat omnia, *in se perfectè beatus, & perfectè de-*
*lectabilis*, domi suæ ita omnibus abundans, vt rem
quampiam aliundè mutuari opus non habeat.

Coronemus hoc argumentum verbis Prophetæ
regij, quæ de formosissimo hominum hominis & Dei
Filio, cùm decentissimam illius formam, & venustis-
simam totius corporis structuram considerasset, di-
xit, inquiens: *Speciosus formâ præ filijs hominum,*
*diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te*
*Deus in æternum*; Psal. 44. 3. velut dixisset: Quan-
ta in vultu elegantia, quanta in membrorum com-
positione concinnitas! quanta in verbis suauitas!
Faciunt hæc, vt nihil mirer, quod diuinus Pater tu-
us tantâ benedictionum copiâ te cumulauit. Age
ergò, & *accingere gladio tuo super femur tuum poten-*
*tissime*, ibid. v. 4.

Multa ponderatu digna sunt in his paucis verbis
*Accingere gladio tuo*, quibus Dauid venturum Mes-
siam rogabat, vt ipse gladio se cingeret. At nonné
satius fuisset, ac honorificentius, seruis demandare
hanc operam, vt ipsi, immensum suum Dominum
gladio accingerent, & armis alijs vestirent? Quid
ergò Rex Propheta rogat, vt ipse suo se gladio ac-
cingat? Mysterium subest: Quod vt intelligas, no-
ta quod Propheta videtur ad veterem allusisse con-
suetudinem, quâ cingere gladium Imperatores, Re-
ges, Principes, Duces, & alij militaris ordinis viri
solebant, de qua P. Martinus de Roa To. 2. singular.
lib. 3. c. 13. Xiphilinus, Cassiodorus lib. 8. epist. 13.
Petrus Gregor. lib. 43. syntagm. c. 14. Lipsius,
Faber, Plinius iunior, & alij agunt. Olim ergo Im-
perator, cùm regni administrationem susciperet,
ipse se cingebat gladio, vt eâ cæremoniâ indicaret,
se esse absolutum regem, & dominum, qui alios cin-
geret, ex quo intelligerent, quòd ab ipso depende-
rent. Propterea Deus apud Isaiam de superbo Re-
ge Cyro querebatur, inquiens: *Accinxi te* gladio,
*& non cognouisti me*; Isa. 45. 5. velut dixisset: Co-
gitare debueras, rex arrogans, quòd à me gladio
cinctus es, vt debitam mihi obseruantiam, & subie-
ctionem deferres, & testatum faceres, quod *ego Do-*
*minus*, & *extra me non est Deus*. Itaque quod quis
seipsum cingit gladio, id inditio est, illum esse abso-
lutum dominum. Quare & Hispani Nostri Reges
superioribus sæculis seipsos cingebant gladijs, vt si-
gnificarent, quod ab alio terreno rege nullo depen-
derent, vt refert Ambrosius de Morales To. 3. lib.
13. c. 2. Et R. P. Didacus de Murillo tract. 2. de
præstantia vrbis Cæsaraugustanæ c. 4. ex vetustis
Regum Aragoniæ iuribus hæc producit: *Que por*
*entender, que ningun otro. Rei terrenal no aya poder*
*sobre el, cinnase el mismo su espada, que es assemblante*
*de cruz*; hoc est: Vt omnes intelligant, quod nul-
lus alius rex terrenus habeat potestatem in illum
superiorem, ipse se cingat gladio, qui est similis cru-
ci. Quod ergo Dauid Verbo æterno æterni Patris
Filio aiebat, vt se gladio suo accingeret, hoc tale fu-
it, ac si dixisset, ipsum non indigere cingi ab alio, se-
que in illo maiestatem, imperiumque omne agno-
scere, vt omnes doceret, ipsum esse Regem regum,
& Imperatorem imperatorum, qui & seipsum cin-
geret, & alios tanquam inferiores, & subditos suos,
quorum omnis vita ab ipsius auxiliaribus manibus
penderet. Accipiat hinc sapiens, colligat opulen-
tus, intelligat rex, animaduertant omnes, quod o-
mnes sunt subiecti magno illi Domino, vt qui est
fons omnis gratiæ, immensum mare, inexhaustus
oceanus omnis boni, cùm cæteri homines sint exigui
riuuli, ac minutulæ guttulæ.

*Tilesius hoc argumentum tractat 1. p. Politici cæ-*
*lorum lib. 7. c. 4. & To. 1. Periochâ 2. Sabbati post*
*Dominicam 2. Quadrag. pag. 206. a.*

## CAPVT V.

*Vt aliquem consummatum, & perfectum pro-*
*nunties, satis est quod obedientem esse scias, vbi enim*
*obedientia regnat, nulla abesse virtus potest.*

VIX imposuerat Dominus Abrahæ præceptum
egrediendi de terra sua, quando ille opere,
quod iussus fuerat, expleuit, de quo Sanctus Moyses
ista: *Egressus est Abraham, sicut præceperat ei Domi-*
*nus*; Genes. 12. Magna obedientia! Ab hac magni
huius Patriarchæ laudes exorsus est Sanctus Paulus,
inquiens: *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in*
*locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem*;
Heb. 11. 8. Vt ergo facilem inueniret fidem, cùm
virtutes

virtutes Abrahæ reliquas prædicaret, ab obedientia illum commendandum ante omnia putauit, cui enim obedientiæ promptæ opinionem conciliamus, eidem virtutum omnium existimationem simul conflamus. Quid enim virtutis ab obediente non expectes? quid gratiæ non speres?

Duodennis Filius Dei postquam in templo à Parentibus inuentus fuit, *descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis*; Lucæ 2. 51. Abijt ergo cum vera Matre sua MARIA, & putatiuo patre Ioseph Redemptor mundi, omnisque illius occupatio erat viuere ex illorum voluntate, & arbitrio, *Et erat subditus illis*.

Beatissimus Papa Sanctus Gregorius in caten. aur. Doctoris Angelici in illa Euangelistæ verba sic disserit: *Totam intermediam Christi vitam, quæ est inter ostensionem ætatis, & tempus baptismatis, velut immunem alicuius famosi, & publici miraculi, & doctrinæ Euangelista sub vno verbo colligit, dicens, Et erat subditus illis.* Cùm vero Dominus interea plurima egerit digna memoratu, cur Sacer Historicus eorum narrationem prætermisit? Non omnino prætermisit, sed mystico compendio vsus, plurima paruis complexus est, cùm ait: *Et erat subditus illis*; quod perinde fuit, ac si dixisset: *Sub vno verbo omnia*, quæcunque de nostro Redemptore dici possunt, *collegi*, cùm subditum fuisse affirmaui: Nam qui alium à prompta, perfectaq; obedientia commendauit, omnia dixit, quæcunque dici possunt, vt omnibus alijs affluere virtutibus credatur.

Venit quondam fugitiuus Dauid in Nobe ad Abimelech sacerdotem, qui simul ac illum vidit, admirabundus ait: Quid ego te ita solùm, incomitatumque video? Respondit Dauid: *Rex præcepit mihi sermonem*, 1. Reg. 21. 2. negotiumque commisit, quod vt est admodùm graue, ita vult esse tectum, & secretum. Illud verò te scire velim, quod valde famelicus huc venio, quare si vel quinque panes, vel aliud quidpiam esculentorum in promptu habes, necessitati meæ fac subuenias. Respondit sacerdos, nihil ad manum habere, nisi panes sanctos quos dare non possit, nisi eorum, qui sumpturi illum erant, puritatem ante examinasset. Itaque aiebat: *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* ibidem v. 4.

Abulensis sciscitatur, quamobrem Abimelech sacerdos dederit Dauidi panes propositionis sanctos, cùm facilè posset illum aliò mittere, vbi profanos ad leuandam suam esuriem, perficiendamque reliquam viam acciperet panes?

Respondet q. 8. in 1. Regum c. 21 *Vidit eius magnam velocitatem ex mandato regis, ideò non misit ad aliam domum pro pane, sed credidit obseruationem præcepti regalis sufficientem esse causam ad hoc, quod posset dare Dauid de cibis sanctificatis.* Quod ergo tam obtemperantem præcepto regis, tamque expeditè, & celeriter iussa eius exequi vidit, id satis arbitratus fuit, vt ei sacros panes statim offerret, quos alioquin profanus nemo cõtingere poterat. Qui enim perfectè obediens est, adeòque virtutibus omnibus esse excultus creditur, illi nullus est panis vetitus, nullus prohibitus cibus, sed omnibus vesci licitum est, quantumuis ipsi Deo sint consecrata, & deputata. Et notandum hic, quod sacerdos Abimelech de sola militum Dauidicorum puritate inquisiuit, dicens: *Si mundi sunt pueri?* De ipso autem Dauide nihil tale interrogauit. Quare hoc? Nonné de eisdem panibus comesturus erat Dauid, neque priuilegium aliquod habebat, ob quod posset absque cordis munditia ex ijs sumere? Vidit Abimelech percelerem Dauidis obedientiam, ideòque illum non examinauit, sciens non posse non valde esse sanctum, qui tam promptè esset obediens, ac propterea absque vlteriori indagine statim illi dedit panem sanctum, nam in vna perfecta obedientia omnes aliæ virtutes velut in compendio inclusæ videntur: *Credidit obseruationem præcepti regalis sufficientem causam esse ad hoc, quod posset dare Dauidi de cibis sanctificatis.*

Graui edicto Redemptor mundi apud Matthæum diuites mundanos perculit, dicens, faciliùs posse camelum transire per foramen acus, quàm opulentos intrare in regnum cœlorum. Audierunt hæc cum stupore Discipuli, conterritiq; dixerunt: *Quis ergo poterit saluus esse?* Matth. 19. 25. Respondit Dominus, apud homines hoc impossibile esse, apud Deum autem omnia possibilia. Tunc dixit Simon Petrus ad illum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* ibid. v. 27.

S. Hieronymus in commentatione horum beati Petri verborum positus exclamabat: *Grandis fiducia!* Quando cæteris Apostolis erigit comas, mentumque & cor, & omnes artus tremor concutit natus de terribili sententia, quam Christus contra diuites pronuntiauit, ita vt dicerent: *Quis ergo poterit saluus esse?* Solus Simon Petrus audacter, animosèque, & intrepidè ait ad Christum, non solùm de se benè fisus, sed etiam de alijs securus, sibi videri edictum illud ad se, collegasque suos non pertinere, eo quod pauperes essent, & omnibus renuntiassent, adeòq; certam sperarent saluationem. Qui factum, quod

quod cùm alij Apoſtoli contremiſcebant, ſolus Petrus fidenter Chriſto loquebatur, dicebatque, certam ſibi, ſocijſque ſuis promittere beatitudinem?

Reſpondet S. Petrus Damianus, monetque animaduertere, quis ille ſit, qui loquitur. *Dixi, Simon Petrus.* Simon ex interpretatione S. Hieronymi, venerabilis Bedæ, Nicolai, Lyrani, & Santis Pagnini idem eſt, quòd *obediens*. At ſi obediens loquebatur, quid mirum, quod confidenter præſumebat, & humiliter gloriabatur, quando alij angebantur animis, & trepidabant? Qui enim perfectè obediens eſt: Ille tutò cum Ieſu, ſiue Saluatore loqui poteſt; nemo enim certiùs, quàm verus obediens, poſſe ſperare ſalutem videtur.

Audiamus S. Petrum Damianum, cuius hæc ſunt ex ſerm. de S. Benedicto, qui eſt 9. *Dixit Simon Petrus ad Ieſum. Amica prorsùs confabulatio Simonis ad Ieſum, & ſermo omni oratorio flore venuſtior, dignuſq; Simon, qui cum Saluatore pleniùs proloquatur. Simon namq; obediens, Ieſus Saluator. Loquitur ergò obedientia cum ſalute, quia ſolis obedientibus æterna ſalus hæreditario iure debetur.* Quoſnam maiores expectare ab obedientia fructus poſſis, quæ ſola ſuauiter, & amanter, & confidenter, cum ſalute, & ſaluatore, quantum alius nemo, confabulatur? Neminem æquè confertũ virtutibus, ac perfectum obedientem exiſtimare poſſumus, in quo omnes cumulari videntur.

Videns cœleſtis Præcurſor propiùs ad ſe accedere Solem, cuius ipſe aurora erat, plenus gaudio, & lætitiâ ſucclamabat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*; Ioan. 1. 29.

Non exiguam difficultatem habet ſtatuere, de quo peccato S. Ioannes loquatur. Nam cùm in mundo tot ſint peccata, qui auferri debeant, tot maculæ, quæ poſtulent eradi, nimis parcè de agno Dei locutus Ioannes videtur, cùm de illo ait, quòd *tollit peccatum mundi*, in quo affluentiſſima eſt ſcelerum colluuies, quæ exhauriri, petat, & aboleri. Sed quoniam de vno tantùm per agnum Dei auferendo peccato loquitur, qualenam illud eſſe dicemus?

Magnus Bulgarorum Archiepiſcopus Theophylactus in c. 1. Ioannis de hac re ſic ait: *Forſaſſis autem quia inobediens fuit homo Deo, & in varias affectiones incidit, peccatum mundi inobedientia fuit, quam è medio abſtulit Dominus, factus obediens vſque ad mortem, & contrarium contrario ſanans.* Nonné videtis vnam inobedientiam à S. Ioanne vocari peccatum mundi? Tale autem hoc videtur, quale ſi dixiſſet, præter inobedientiam nullum eſſe vitium in mundo, nec virtutem aliquam præter obedientiam. Cùm quis eſt inobediens, illum omnibus contaminatum eſſe flagitijs præſumere poſſumus. In ſolo inobedientiæ peccato peccata omnia videntur incluſa, vnde & Ioannes, cùm indicare vellet, quòd Chriſtus auferret omnia peccata, ait, tollere inobedientiam: *Ecce qui tollit peccatum mundi.* Ergo è contrario de illo, qui eſt verè obediens, affirmare, vt videtur, poſſumus, omnibus ornatum eſſe gratijs, & virtutibus: De obediente namque omnia bona credere, & cogitare, quidquid de integerrimo, & ſanctiſſimo poſſumus.

*De obedientia virtute, vide To. 1. Indicem rerum verbo*, Obedientia.

## CAPVT VI.

*Solent homines plerumq; feruenter ingredi viam virtutis, & facile intepeſcere animis, & cæptum deſerere iter.*

DVæ perſonæ primariæ, & illuſtres comitatæ ſunt obedientem Patriarcham, nempè Sara illius vxor, & Loth conſobrinus: *Iuit cum eo Loth*; Gen. 12. 4. Abraham, Loth, & Saram tulit Thare pater Abrahæ de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, vt habes Geneſ. 11. v. 31. verùm Thare, cùm veniſſet vſque Haran, habitauit ibi, & vſque in Chanaan Abrahamum proſecutus non fuit: feruenter exire cœpit, ſed mox fractus laboribus itineris in via ſubſtitit, & ſedem fixit. S. Thomas ad finem ſui commentarij in c. 11. Gen. ait, tametſi non ſatis exploratum ſit, quamobrem Thare, qui petere terram Chanaan cœperit, per viam in Haran conquieuit, myſticè tamen factum, vt ſignificaretur aliquid, quod multis accidit, *qui per viam religionis, aut pœnitentiæ de terra ſua exeunt, ſed ad terminum viæ non perueniunt, immò in via remanent, quaſi in termino finali eſſent.* Hoc malo omnes plerumque laboramus, vt ſtrenuè incipiamus, & ſtatim deficiamus. Fortunatiſſima verò eſſent, noſtra ſtudia, & feliciſſimi conatus, ſi tanto ſtudio perſequeremur viam ſanctitatis, quanto eam ordimur, & inchoamus.

Cùm cœleſtis Magiſter celebrem illam pro concione narraret parabolam impigri agricolæ, qui in quatuor diuerſis partibus ſeminauit ſemen ſuum, aiebat, quòd vna ſola illius labori, & expectationi reſponderit, inquiens: Dum ſeminat, *alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum*; Matthæi 13. 8.

Ioannes

Ioannés Cluniacenſis To.3. ſerm.47. in hanc rem illud monet: *Vide quomodo illa terra, etſi bona, incipiens à centeſimo, defecit in trigeſimo.* Bonam terram ipſe Saluator noſter quandam vocat, quæ cùm initiò copioſiſſimum fructum dediſſet, paulatim ita de ſua fertilitate remiſit, vt vix triceſimum redderet, quæ centeſimum proferre ſolita erat: *Incipiens à centeſimo, deficit in trigeſimo.* Docemur eâ re, quòd paſſim fieri videmus, quod multi multo cum zelore ſtrenuè incipiunt, & paulatim intepeſcunt, ac languent ſpiritu, & de feruente profectus ſtudio remittunt.

Non intempeſtiuum veniet, quod de noſtro Patriarcha inferiùs narrat hiſtoria, quam in computatione annorum vitæ illius ſingulari cum myſterio proſequitur Moyſes, inquiens: *Poſtquàm nonaginta, & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus, dixitq́; ad eum, Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus;* Gen. 17. 1.

Notanda eſt hìc iſtorum poſtremorum verborum lectio hebræa, quæ ſic habet: *Moue te, fac te ambulare.* Videtur ſubeſſe metaphora ſumpta ab homine, qui tendit ad aliud, in cuius felici confectione, ſeu conſecutione vita ipſius ſit poſita, ſed tam impeditè, tardè, negligenter itineratur, vt vix ſe mouere videatur. Hunc ſi quis amicus ſtudioſus felicitatis illius videat, ſocium ei ſe adiungit, pigritiamque ipſius arguit, & increpat tarditatem, & iubet accelerare gradum, & ſeipſum incitare, & quo pede, quoue feruore cœpit, pergere. Tale quidpiam eſt, quod Deus ad amicum ſuum Abraham ait: *Moue te, fac te ambulare,* accelera gradum, cura vt velociùs progrediaris: Videris enim remiſiſſe de profectionis contentione, alacritate, & feſtinatione, & concidiſſe animo per viam. Intepuiſſe autem Abrahamum videtur non obſcurè colligi ex eo, quòd ſacer Hiſtoricus monet, & Procopius notat. Moyſes ait: *Poſtquàm nonaginta, & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus.* Apparuerat illi proximè antehæc, (quod cap. 16. præcedente narratur) quando numerabat vitæ octoginta ſex annos, & natus fuit Iſmael. Tredecim igitur anni abierunt inter illam, & hanc apparitionem, quibus nihil memoratu dignum de illo refertur, non quòd hiſtoriæ Scriptor ex oſcitantia quidpiam præmiſerit, ſed quoniam Abraham in via virtutis langueſcere fortè cœperit, cui proinde apparuit Dominus, ſtimuloſque admouit, vt eum excitaret, dicens: *Ambula coram me,* vrge teipſum, & impelle, videris enim obtorpuiſſe per viam, & moroſiùs pergere, quàm initiò cœperas. Procopij annotamentum hoc eſt: *Aut apparuit nondum irreprehenſibili, aut vt tali, cui neceſſe eſſet operari ſemper id, quod eſt inculpabile, qui ſemper foret irreprehenſibilis.* Apparuit ergo Deus rursùm Abrahæ poſt decimum tertium, quem dixi, annum, vt ſignificaret, quòd ille etiamnum nonnulla haberet emendanda, & corrigenda, aut quòd neceſſum eſſet illum ſemper operari, & conari, quò inculpabilis per omnia eſſet. Habet enim neſcio quid aſperitatis, & accliuitatis iter virtutum, quo ſtrenuiſſimorum viatorum animos ſtatim percellere, & frangere ſolet, eorum etiam, qui cum ingenti ſpiritu, & impetu ſe in viam dederunt, ſic vt etiam Abrahæ, illi tam diuiti gratiarum, & virtutum, admouere calcaria diuinæ exhortationis debuerint, vt acueretur illius progrediendi ſtudium, & non deficeret animo per viam.

Ibat quondam Sponſa tam concitis pedibus, vt ſuaui admiratione perfunderet non ſolùm terræ habitatores, verùm etiam cœlorum Palatinos, vt certatim vtrique (ex ſententia melliflui Bernardi, Hailgrini Cardinalis, Abbatis ſancti Pantaleonis Woluer, & aliorum) non ſine magno ſtupore exclamarent: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol;* Cant. 6. 9.

Matthæus Cantacucenus ex rege monachus Baſilianus, Vincentius Richardus illius interpres, & alij, quos iam dixi, aiunt: *Admirantium eſt iſta vox.* Sed vnde iſta naſci admiratio potuit, vnde tam nouum videri illis, quod Sponſa lentis ſenſim incrementis augeſcere, & luce paulatim maiore ſplendere cœpit, ac primùm quidem vt aurora obſcurè micare, deinde vt Luna rutilare ampliùs, demùm vt Sol radijs ſuis mundum totum implere? Hoccine, tanquàm nouum ſit, & inauditum, in ſtuporem adducere potuit homines pariter, ac Angelos? Potuit. Imò ſi contra egiſſet, atque vt Sol primùm ſplendicare cœpiſſet, dein verò vt aurora pauculâ luce ſcintillaſſet, nihil mirum feciſſet, quia hoc fit communiter, & paſſim ab omnibus, vt cum feruore bonum opus ſuſcipiant, & mox cum tepore, & torpore dimittant. Luctuoſum, ac miſerandum, quàm vulgare Chriſtianorum penè omnium vitium. At ſi quæ anima progrediatur quaſi aurora conſurgens, taciti ſque, & continuis profectibus eò perueniat, vt Solis inſtar fulgeat, illa admirabundorum hominum, & Angelorum voces meretur, digna, cui ſuperi, atque inferi occlament: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur!* &c. digna, quam velut ſingulare quoddam prodigium attoniti prædicent, & in cœlum laudibus vehant.

Odorum quorundam plerique Chriſtiani ſunt ſimiles,

miles, eorumque fragrantiæ, de quibus Theophrastes de cauſ. plantar. lib. 6. cap. 25. ſic ait: *Odores plurimi ſynceriores mane ſentiuntur, die creſcente minùs, meridie minimè.* Sic multos videas primulò ſuſceptæ bonæ operationis diluculo vehementer ardere, paulatim verò intepeſcere, demùm etiam prorsùs conglatiare, & male dimittere, quod benè cœperant.

Hoc Propheta regius de Hebræis dixit, inquiens: *Quemadmodùm Patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum*, Pſal. 77. 57. hoc eſt, non degenerârunt improbi illi, & perfidi à maioribus ſuis, ſed pro eorum more, & praui arcus ſolenni ad malitiam ſunt conuerſi. Quid voluit ijs verbis indicare Propheta?

S. Bruno ſic exponit illum verſum Dauidicum: *Arcus prauus cùm prius intenditur, aliquantulùm eiicit, poſtea verò paulatim remittendo ex toto deficit. Sic & ipſe prius in præceptis Dei valde intenſi, & aliquantulùm operati, paulatim remittendo ex toto defecerunt.* Vitioſus arcus cùm iaculum vnum, alterumue eiecit, prorsùm diſſoluitur, vt nullus ſit illius deinceps ad exploſionem vſus: Sic & Hebræi olim, & hodie Chriſtiani plurimi ſunt, fueruntque arcus praui, qui cùm initiò eſſent firmi, & validi, poſtea fiunt laxi, & ignaui, & oſcitabundi, ac remiſſi. Quantâ ſæpè aſperitate macerant aliqui carnes ſuas inter prima virtutis rudimenta! quàm acriter mortificant ſuas paſſiones! quàm crebrò adeunt Sacramenta! quàm ſunt obſeruantes ſilentij! quàm amantes latebrarum, & receſſus! At quàm citò hæc omnia intercidunt! quàm facilè deſiſtunt! Communis hæc multorum eſt infelicitas: *Prius in præceptis Dei valde intenſi, & aliquantulùm operati, paulatim remittendo ex toto deficiunt.*

*Cohæret cum his Periocha V. Dominica in Sexageſima To. 2. pag. 499. a. o.*

## CAPVT VII.

*Perpetuæ quietis, & immortalis beatitudinis laurus non eſt fortiter incipientibus curſum virtutis, ſed conſtanter, & ſtrenuè abſoluentibus penſum bonæ operationis conſtituta.*

VOlo intelligant multi ſuum errorem & animaduertant, parum vtilitatis illis allaturum, quod cœperint benè viuere, & agere, niſi inchoata perſequantur, & abſoluant virtutum ſtudia. Corona enim gloriæ non datur incipientibus (ſi enim id fieret, fieret ſaluus penè omnis Chriſtianus) ſed his, qui bonæ vitæ curriculum feliciter abſoluunt. Ac propterea ſolius Saræ & Lothi fit peculiaris mentio, quia non ſolùm inchoârunt iter, quod ferebat in Chanaan, ſicut Thare, & alij quidam, verùm etiam perfecerunt, vt nos docerent, perſeuerare conſtantes in operum bonorum exercitatione, & famulatu Dei debere eos, qui æterna præmia expectant.

Dilaudat cœleſtis Magiſter fidum quendam & officio ſuo probè functum œconomum, inquiens: *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* Lucæ 12. 24. Prou. & integri diſpenſatoris partes in multis hæ ſunt, vt domeſticicis annonam, & quæcunque victus requirit humanus, tempeſtiuè miniſtret. Subdit autem ſtatim Diuinus Magiſter: *Beatus ille ſeruus quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit ita facientem*; ibid. v. 43.

Notauit in modo loquendi Chriſti Cardinalis Caietanus, quod non eum, quem ſic aliquando feciſſe, ſed quem ita facere tunc inuenerit, cùm Dominus illius venerit, beatum fore affirmauit. *Beatus ille ſeruus, inquit, quem inuenerit ſic facien tem, non quod ita fecerit, ſed quod ita perſeueret faciendo.* Beatus non quia in bonis actibus diu vixit, ſed quia his immortuus fuit. Itaque parum proderit homini Chriſtiano, quod tanquàm ſtrenuus miles in palæſtra virtutum contra paſſiones ſuas fortiter dimicare cœpit, bellumque ſanguinolentum omnibus animæ ſuæ hoſtibus indixit, ſi mox vt ignauus cedat, & tanquàm meticuloſus fugiat. Perſeuerare conſtanter, pugnare pertinaciter debet, vt labor illius ſit fructuoſus, & defatigatio ſuam obtineat coronam.

Dubitatio quædam circa ea, quæ de S. Petro paulò ſuperiùs diximus, diſſoluenda nobis reliqua eſt, & myſterium, quod enudemus. Audiſtis, quàm fidenter Chriſtum Petrus & adierit, & his verbis appellârit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Matth. 19. 27. Audiſtis, verborum illorum talem eſſe ſenſum: Si tam difficilè in cœlum peruenient, qui mundanis opibus abundant, nobis ſecurum, certumque promittere poſſumus in beatitudinem ingreſſum, qui pro tuo amore, & debita in te obſeruantia abdicauimus à nobis & quæ habeamus, & quæ habere poteramus. At videamus, quis hoc dicat. Quis? *Simon Petrus ad Ieſum*, obedientia ad ſalutem, hoc enim Simon, hoc Ieſus ſignificat. *Loquitur ergo obedientia cum ſalute, quia ſolis obedientibus æterna ſalus hæreditario iure debetur*, inquit ſanctus Petrus Damianus ſerm. 9. qui eſt de S. Benedicto. Hæc omnia iam dicta ſunt ſupra c. 5.

Sed hîc iam alia nobis quæſtio naſcitur, ea nimirum,

rum, quid mysterij habeat, quod Simoni Petrus adiungitur, quando obedientia cum salute, hoc est, Simon cum Iesu locutus fertur? Non satis erat dixisse. Dixit Simon ad Iesum? Non erat satis, inquit præclarè S. Petrus Damianus. Tametsi enim Simoni, hoc est, obedienti iure sit debita salus æterna, debet tamen comitem habere Petrum, qui significat petrã; vt sit nobis documento, quod ille solùm obediens lauro in cœlis immortali coronabitur, cuius obedientia pro basi habet petram, siue rupẽ, sic vt neque nutet, neque vacillet, sed religiosa cum pertinacia, & gloriosa contumacia in finem vsq; pergit. Verba, quibus sanctissimus Cardinalis ea expressit, sic habent: *Solis obedientibus æterna salus hereditario iure debetur, si tamen ibi sit Petrus, id est, si obedientia non vacillet, aut titubet, sed fundata sit suprà firmam petram.*

Benè congruit cum his, quod sacrum oraculum memorat de his, quæ Moyses in circuitu aræ posuit, quam ad pedem montis erexit, *Mane consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel*; Exod. 24. 4. Per hos titulos debent intelligi petræ, quare & Oleaster sic transfert ex Hebræo: *Et duodecim statuas iuxta duodecim tribus Israel.* Duodecim ergo lapideas statuas erexit, vt quælibet earum vnam Israelitarum tribum repræsentaret. Sed quo mysterio tunc, cùm populus ad audiendum promulgationem diuinarum legum confluxit, erecta sunt saxa, quæ repræsentarent eos, qui leges illas obseruaturi, & opere expleturi erant?

Respondet S. Cyrillus Alexandrinus hom. 2. de fest. Paschalibus, inquiens: *Vt intelligamus, debere nos Deo semper affixos esse.* Mysticâ ergo illa cæremoniâ significatum fuit, debere eos tanquàm firmos lapides, & duras cautes, & insuperabiles scopulos, & inuicta, immobiliaq; saxa esse, qui optatum fructum, quem diuinorum mandatorum obseruantia parere solet, consequi volunt. Qui namque vt petra perdurat, & vt scopulus firmiter persistit, ille solus laurum quietis æternæ, & felicitatis perpetuæ coronam obtinet: *Vt intelligamus, debere nos Deo semper affixos esse.*

Vt de verbis nostris quisque arbitrari posset, quis nos magister instituisset, quis pater aduocasset, & erudijsset, iubebat non aliâ ad affirmandum, negandúmque aliquid loquendi formulâ vti, quàm vt diceremus, hoc ita habere, hoc secùs habere. *Sit sermo vester, Est, est, Non, non, quod autem his abundantius est, à malo est*, aiebat Matth. 5. 37. Habet enim, nescio quid illud veritas, vt neque testium approbatione ad sui commendationem, neque verborum ambitu, aut apparatu rationum egeat. Luculenta est, nuda, & aperta est, non requirens exaggerationes, quibus obscuratur, non hyperboles vestitum, quo tegitur, & oculis eripitur.

Mellifluus Bernardus ait: Accipite me, auditores, aliam doctrinam vobis traditurum, quæ videatur superiori doctrinæ Magistri cœlestis repugnare. Nonné ille dixit, sermonem nostrum non debere esse alium, quàm vt dicamus, hoc ita esse, vel non esse, quod affirmare volumus, vel negare? *Sit sermo vester, est, est, non, non.* Ego verò producam quædam, in quibus hoc agere non debeamus, si volumus talis magistri reapse esse discipuli, & talis Patris gloriam consequi. Quibus ergo in rebus, dic nobis sacer Doctor, non debemus committere, vt sermo noster sit, *est, est, non, non?* In operibus. Nam si, quod in verbis obseruari debet, obseruetur in operibus, non consequemur beatitudinem filiorum Dei. In verbis nonnunquàm conuenit dicere, *Est*, aliquando refert dicere, *Non*, vt huic rei nulla certa, firma, & stabilis præscribi regula possit. Poteſtné verò in exercitatione virtutum, in vsu, & studio bonorum operum esse *Est, est, Non, non?* Non potest sanè, inquit Bernardus, semper autem esse debet, *Est, est*, semper enim benè agere debemus nunquàm auocandæ ab opere bono manus, si laurum beatitudinis æternam consequi volumus. Corona enim perseueranti promissa, non constituta incipienti.

Audiamus dulcem Abbatem suis verbis hæc dicentem: *Studete perseuerantiæ, quæ sola virtutum coronatur. Non mutetatur apud vos. Est, & Non, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Vos quoque in eandem imaginem transformamini à claritate in claritatem, curantes omni vigilantiâ, & ipsi non inueniri leues, instabiles, fluctuantes.* Qui dicit semel, *Est*, & posthæc *Non*, errat, qui nunc iacet, nunc exurgit, & nunquàm in eodem permanet, nunquàm etiam perueniet in gloriam.

Ex his intelligemus aliquod S. Petri Damiani acutè dictum. Suadet Eminentissimus Cardinalis, vt firmiter, animoséque perduremus in itinere virtutum, vt perennis quietis palmam consequamur, & concludit exhortationem his verbis: *Vitæ modum, quem semel arripueris, perseueranter tene, constanter exequere, ne scenicâ, quod absit, à temetipso vertigine videaris discrepare.* Hæc ille To. 3. Opusc. 15. c. 27. Difficilia verba! Quid autem voluit sibi vir sanctus, cum

cùm ait, *Ne scenicâ à temetipso vertigine videaris discrepare?* Quid est vertigo scenica? Ego dicam. Prodit in scenam histrio, vt personam amantis, Principis, Capitanei, Imperatoris referat. Repræsentat ille amantis blanditias, Principis potentiam, Capitanei fortitudinem, Imperatoris maiestatem. Et quid posthæc? Statim à scena ad suum hominis vulgaris statum redit. Facilè est cernere, hunc neque Capitaneum esse, neque Principem, neque Imperatorem, quia regijs tam subitò depositis insignibus non alia, quàm quilibet è vulgo, veste vtitur. Dicit nunc Damianus: Persta firmus, & animosus in felici virtutum via, quam semel tenere cœpisti, *ne scenicâ à temetipso videaris vertigine discrepare*, ne videaris velut in scena repræsentare aliquamdiu personam hominis pij, pœnitentis, humilis, religiosi, liberalis in egenos, continentis, & casti, denique verò exeas, quà intrâras, virtutisque, & pœnitentiæ, & religiositatis, & liberalitatis, & continentiæ, & castitatis vestitum abijcias. Nihil feceris, si ita feceris, neque optatum laborum tuorum fructum consequeris. Vt obtineas, quod expetis, non debes esse histrionicus Christianus, sed in vno sanctæ vitæ proposito vsque ad extremum vitæ spiritum constanter perdurare.

Fortè aliud quid voluit magnus Cardinalis, quod cum Bernardi sententia superiori admodùm congruat, cùm iubet curare, ne scenicâ quis videatur à semetipso vertigine discrepare. Quid agitur in comœdia, quid in scena, siue theatro? Nullus locus crebriores habet vicissitudines, & mutationes, nullus tam varias laruas, quàm contabulatio scenica. Qui pridie sanctum referebat, is postridie latronem viarum repræsentat, qui heri personatus erat amasius, ille hodie pastorem agit. Quælibet dies habet suas speciales figuras. Dicit nunc S. Petrus Damianus: Si vis consequi, mi frater, beatitudinem, si Deo æternùm frui, *vitæ modum, quem semel arripueris, perseueranter tene, constanter exequere*, vnam tantùm boni, & religiosi hominis personam repræsenta, vnum semper bonum, & impigrum Dei seruum referre stude, cuius vnicum, perpetuumq; studium sit, colere virtutem, & mandata Dominica obseruare, & hisce operibus vsq; ad supremam vitæ periodum immorari.

Hunc in finem creauit Deus hominem, & posuit illum in theatro huius mundi, vt repræsentationi det operam. At quemnam repræsentabit? Deum ipsum. Hoc Dominus affirmasse videtur, quando de homine creando deliberans aiebat: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; Gen. 1. 26. Qui Imperatorem repræsentat, ille imaginem, similitudinem, figuram illius referre dicitur. Idem dicit supremus conditor, & benefactor, cùm ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, vt imaginem, & similitudinem nostram repræsentet. At quomodo id rectè, ac decenter perficiet?

S. Ambrosius hoc dicet, qui Deuteronomium audire iubet, illudque legere, quod ibi dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus vnus est*; Deut. 6. 4. Quid voluit Dominus ijs verbis indicare? Respondet sacer Doctor, id voluisse, vt velut ipse semper vnus est, ita semper vnus sit, qui illum sic vult repræsentare in terris, vt comprehendere, & consequi possit in cœlis. Quare sic concludit: *Ad similitudinem Domini vnus est, atq; idem, non hodie sobrius, cras ebriosus, hodie pacificus, crastinâ die litigiosus.* Hæc ille Epist. 1. To. 5. Qui hodiernum diem inesus transmittit, cras cibis se infarcit superfluis: Qui hodie est pœnitens, cras laxus: Qui heri modestus, hodie dissolutus, ille imaginem Dei non repræsentat. Verùm qui in colenda castitate, in obseruantia temperantiæ, in studio virtutum semper vnus est, ille benè refert similitudinem eius, ad cuius imaginem est factus, eoque æternùm fruetur. Soli enim perseuerantiæ decreta est palma, & constituta laurus. Quare rectè dicebat Bernardus: *Stude perseuerantiæ, quæ sola virtutum coronatur, non inuenitur apud vos Est, & Non, vt sitis filij Patris vestri.*

Huc ibant regis Prophetæ oculi, quando aiebat: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ; Ps. 64. 12.

Beatissimus Papa S. Gregorius Mag. lib. 4 Moral. cap. 18. de his verbis sic habet: *Quasi corona anni benedicetur, cùm finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur, dies verò huius anni sunt singulæ quæque virtutes.* Sed quid est, quod mensibus, non hebdomadibus, non diebus, non horis, sed anno tantùm benedicetur? *Benedices corona anni.* Cùm annum hunc dies virtutum faciant (*Dies verò huius anni sunt singulæ quæque virtutes*) cur non eisdem præmium addicitur, sed soli anno corona promittitur? Causa ea est, quòd tametsi singulæ virtutes suam habebunt remunerationem, eam tamen absq; perseuerantia consequi non possumus, idcircò anno promittuntur benedictiones, quia ille est finis pugnæ, terminus laboris, exitus vigiliarum, clausula defatigationum: Nam fuisse pium, & virtutis studiosum vno mense, fuisse vnâ hebdomade sanctum, vnâ horâ castum, humilem, probum, parùm proderit, nisi in finem vsque vitæ versemur in illis. Itaq; an-

nus, & finis benedictionem habebit, non mensis, non hebdomas, non dies, non hora, quia solus ille saluus erit, qui in finem anni, seu vitæ perseuerauerit.

Inter eas aues, quarum esus Iudæis olim vetitus erat, fuit etiam miluus. De qua re sic habes Leuit. 11. v. 13. 14. *Hæc sunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis, aquilam, & gryphem, miluum, & vulturem.* Neque hic solùm, verùm etiam Deut. 14. ab eodem miluo abstinere sunt iussi. Ex quo videre licet, quanta sit huius prohibitionis grauitas.

Quæri potest, quàm ob causam Dominus hanc à sua domo abiecerit auem, & quænam sint illius proprietates exosæ Deo, quas euitare debeàmus, vt nos gratos habeat.

Dicat hoc Petrus Berchorius, qui in suo reductorio morali lib. 7. cap. 48. n. 10. sic habet: *Secundùm Aristotelem est quoddam genus milui, quod in iuuentute volat ad aliquas aues, sed tandem in medio vitæ dimittit volatum, & circa cadauera intendit, sed tandem dum senescit, nonnisi vermes comedit, & finaliter fame moritur.* Et paulò superiùs dixerat: *Quantò plùs vixerit, tantò magis degenerem se ostendit.* Miluus spurio, & ignauo animo auis, cùm tenerioribus annis prædam audacter, ferociterq; agat, adultiore, & robustiore ætate ita remittit spiritus, vt vix mortua vnguibus, & rostro appetere animalia ausit, & senex pusillulos penè timeat vermiculos, demùm verò etiam præ socordia, & conquirendi cibi negligentia etiam mortem sibi ex inedia accersere, tanquàm oscitantia, & inertia cum annis apud illum augescat, qui *quantò plùs vixerit, tantò magis degenerem se ostendit,* quantumque crescit eius vita, tantùm minuitur animus. Quæ tam ignaua, meticulosa, & pusillanimis est auis, quæ quò plùs viuit, plùs degenerat, quæ minuitur spiritu, cùm incrementa facit annorum, non ea inferatur domui Dei, hæc *vitanda sunt vobis,* tanquàm & illi plurimùm exosa, & nobis valdè noxia. Debemus enim ingenium habere indoli huius auis contrarium, sic vt paribus profectibus, vita, & annis augescat, & meritis, & processioris ætatis sit etiam prouectior spiritus: & consummatæ sanctitatis termino tunc simus propinquiores, cùm morti, quæ est vitæ clausula, viciniores. Parùm enim referet ardenter cœpisse, si non animosè cursum perficiat.

Propheta regius aiebat: *Custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo;* Psal. 17. 22. Putauitne hoc satis esse, quòd præceptorum dominicorum diligens obseruator fuerat, nec improbè ab illo desciuerat? Nequaquàm, sic enim statim subdit: *Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea;* ibid. v. 24. Incognito hoc tale est, quasi dicat: *Dixi superiùs, quod de præterito* custodiui, *nunc autem dico, quòd perseuerabo, quia* ero immaculatus cum eo. Nam in domo, & aula huius magni regis non satis est seruijsse, sed vsque in momentũ vitæ supremum seruire necessum est, corona enim illi, qui vsque in finem pugnauerit, seruatur.

*Habet nonnullam cum his affinitatem c. 5. Polit. cal. partis 2. lib. 1. cuius calcem vide.*

## CAPVT VIII.

### *Vt amoris febrem explores, arteriam memoriæ tenta.*

QVamprimùm inclytus Patriarcha noster aduenit in Sichem, excitauit Domino aram, cultumque illum, & reuerentiam debitam obtulit. Inde in Bethel profectus *ædificauit quoq; ibi altare Domino;* Gen. 12. 8. tanquàm supremo benefactori, & communi vniuersitatis Domino.

Notârunt hîc sancti Ioannes Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyranus, & alij Interpretes singularem diligentiam sacri Patriarchæ, & ingens illius studium excitandi altaria Domino, vbicunq; sua tentoria fixisset. Quòd tam frequentem habeat Dei memoriam, id inditio erat, quàm ardenter illum amaret, vt proinde crebra recordatio alicuius sit argumentum enixioris erga ipsum amoris. Ardor certè amoris, vehementiaque illius non aliunde meliùs, quàm de memoria æstimari potest, & crebra recordatio ardentem indicat dilectionem.

Discesserat Sponsus à dilecta sua Sponsa. Inquirebat hæc illum solicitè, & anxiè. Et quoniam ij, qui cupidè aliquid indagant, & reperire auidè optant, in omnibus, quæ interim obuia habent, spem boni successus sibi imaginantur, aiebat illa mulieribus Ierosolymitanis: *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo;* Cant. 5. 8. Aperit Sponsa suam infirmitatem, detegit ægritudinem, amore languere, laborare febri dilectionis fatetur. Quid verò egerunt illæ Ierosolymorum filiæ, vt ægritudinem eius certò intelligerent? Quod medici apud infirmos solent, memoriæque arteriam pertentârunt, vt inde periclitarentur febrem amoris. Itaque sic eam appellabant: *Qualis est dilectus tuus?* ibid. v. 9. lineamenta

amenta nobis describi illius, quem sic demoreris, vnde illum arbitrari possumus.

Importuna videtur hæc interrogatio. Dixerat Sponsa filiabus Ierosolymitis, vt Sponso, si fortè in illum inciderent, nuntia sui ergà illum vehementissimi amoris ferrent: Itaque tanquàm vrbanæ, & comes dicere debuerunt, velle gratificari, & iussa eius studiosè perficere. Quid ergo fuit, quod de vultu, & habitu, & lineamentis Sponsi eam examinârunt?

Respondet Hugo Cardinalis, filias Ierosolymitanas potissimùm voluisse explorare amorem Sponsæ, & quod interrogârunt, id ferè huiusmodi fuisse: *Dicis te amore languere, nunc vt comperiamus si verè langueas, dic nobis, qualis ex dilecto est tibi dilectus?* Nonné ipsa fateris, quod Sponsum tuum efflictim diligas, ac depereas? Nos dicti tui nunc periculum faciemus. Os, oculos, vultum, formam corporis, morumq; illius qualitates nobis recense, quasi si memoriâ tenere videberis, facies vt illius amore languere, quod aiebas, credamus. Nimirùm de memoriæ pulsu febrem amoris arbitrari debemus.

Scribebat Apostolus Philippensibus, vtque illorum captaret beneuolentiam, his verbis suam ordiebatur epistolam: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis*; Philipp. 1, 3. 4.

Primasius Vticensis in expositione horum verborum ait, Apostolo hîc propositum fuisse, Philippensibus suum ergà illos amorem singularem indicare, & quàm illos penitissimo cordi affixos haberet, significare. Vnde verò colligitur, voluisse id hoc loco sanctum Paulum, vbi charitatis mentionem nullam facit? Quo argumento ergo Pauli erga Philippenses charitatem euinceremus? Vide quid dicat Apostolus, inquit Primasius, & ex verbis illius arbitrari amorem, quem diximus, facilè arbitraberis. Quid enim ait Paulus? *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri*, inquit. Iugem habebat eorum memoriam, nulla vnquàm erat illorum apud Paulum obliuio, quod magno inditio est, plurimùm eos amasse. Multùm enim recordatur, qui multùm amat. Duobus verbis hoc expressit Primasius; *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis. Ostendit circa eos dilectionem suam, pro quibus semper exorat.*

Cùm de memoria ago, occurrit memoriæ quædam Magni Basilij obseruatio. Inuitabat Propheta regius homines ad laudandum immensam supremi, & pientissimi Domini nostri maiestatem, iustisque, qui præcepta illius sacra obseruabant, aiebat: *Psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius*; Psal. 29. 5.

Sancti Basilij in hæc verba annotatio sic habet: *Non dicit, Confitemini sanctitati eius, sed memoriæ sanctitatis eius.* S. Paulus 1. ad Thess. 4, v. 3. ait, sanctificationem hominis nasci ex voluntate Dei, inquiens: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Vult ergo nos sanctos, & illá eius voluntate efficimur sancti. Quomodo ergo Propheta tribuit memoriæ, quod Apostolus voluntati? Causa ea est, quod memoria ex voluntate nascitur, recordarique aliquem, & amare in amoris Philosophia idem est. Itaque Propheta, vt diceret, Deum habuisse voluntatem sanctificandi iustos, ait, habuisse memoriam illorum, ac proinde iubet confiteri memoriæ, gratiasque agere memoriæ, per quam in cognitionem propensæ voluntatis Dei venire poterant, vt intelligerent, non parùm amari ab eo, qui multam illorum haberet memoriam. Vbi non est voluntas, ibi otiosa est memoria, vbi autem viget pulsus memoriæ, ibi ardet charitas, & flagrat febri amoris voluntas.

In parabola satoris Euangelici habemus, ex quatuor partibus seminis tres perijsse, vnius verò iacturam ex eo profectám esse, quòd iuxtà viam proiectum, & vel à prætereuntibus protritum, vel deuoratū ab auibus fuerit. Hac de re B. Lucas 8. 5. Sic ait; *Dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.* Hanc parabolæ partem Magister cœlestis sic exposuit: *Qui autem secùs viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant*; ibid. v. 12. Quòd infelices illi damnationem incurrunt, id fit non solùm studio dæmonis, sed etiam permissione Dei, quæ inscrutabilitati iudiciorum eius est reseruata. Vt verò permissio illa suum sortiatur effectum, etiam illud facit, quod *volucres cæli comederunt illud.* Quid sibi vult ista seminis in cor auditorum delapsi, & ab auibus comesti narratio?

Glossa Angelica sic exponit: *Comederunt illud, vt nec in memoria mens teneat, quod opere exercere neglexit.* Quod ergo permittente Deo de cordibus auditorum dæmon sustulisse fertur, id eiusmodi est, ac si diceretur, ademisse illis memoriam eorum, quæ ex ore prædicatorum acceperant, & moribus exprimere prætermiserant. Hoccine verò est magnum supplicium? Grauisné illa ira Dei? Grauissima, & quâ terribilior cogitari alia nulla possit: *Vt nec in memoria mens teneat.* Nam perfundere animam obliuione,

bliuione, est saluationem illius desperare. Quomodo enim potest ea amare, quæ nunquam recordatur? Quomodo potest obseruare Dei præcepta, & concionatorum pia monita, cui nulla est eorum memoria? Facilè diligit, qui benè meminit: At cui nulla memoria, illi bona voluntas esse non potest.

Hanc doctrinam confirmat humilis quædam, ac demissa pœnitentis, & lachrymabundi Cantoris confessio, quando finem facturus prolixi cum Deo colloquij, Psalmum 118. his verbis obsignat: *Erraui sicut ouis, quæ perijt, quære seruum tuum*; v. 176. Alij transferunt: *Viuifica seruum tuum*, qui tametsi peccando mortaliter, lethaliter laborare cœperit, spem tamen recuperandæ sanitatis habet. Quid verò illud erigebat animum Dauidi, vt consanescere posse fideret? Respondet ille: Certam habeo valetudinis per te recuperandæ expectationem, *quia mandata tua non sum oblitus*, viuit sana apud me infirmum tuorum præceptorum recordatio, quod beato Ambrosio perinde fuit, ac si dixisset: *Veni ergo Domine, quia etsi erraui, tamen mandata tua non sum oblitus, spem medicinæ reseruo*, esse malâ voluntate erga illum non potero, cuius bonam habeo memoriam. Nam qui recordatur, is vel amat, vel optat diligere. At vbi memoria esse desinit, bona voluntas diu superesse non potest: quantùm enim recordatur homo, tantùm diligit, paribusque defectibus memoria, & amor imminuuntur.

Quapropter S. Gregorius Nazianzenus, vt explicaret quanto amore erga Magnum Basilium flagraret, hæc ad illum suauissima verba epist. 9. aerem scribebat: *Equidem ipse te magis, quàm spiro, idque solum viuo, quod tecum sum vel coram, vel absens per animi simulachrum*; velut pluribus dixisset: Noli putare, mi Basili, quòd animo meo eripiaris, cùm subtraheris oculis, & si velis scire, quàm sit propensa mea in te voluntas, ex memoria, quam tui crebram habeo, amorem meum æstimare potes: nam vt aere corpora viuunt, sic me recordatio tui pascit, quin *te magis, quàm aere spiro*, mihique omnis vita in eo posita est, quòd præsentem te auidis oculis vsurpo, vel memoriâ tui internos animi obtutus oblecto: vbi enim memoria regnat, bona etiam voluntas imperat.

Euangelicus Propheta vidit Dominum in solio excelso, & eleuato, supraque illud par Seraphinorum, qui alternis vocibus laudes illius decantabant.

Quærunt Expositores, quinam illi diuinarum laudum concentores Seraphim fuerint? S. Bernardus de verbis, & B. Petrus Damian. serm. 52. aiunt, Seraphinorum altero fuisse Angelorum, altero naturam humanam adumbratam. Cardinalis Damiani verba sic habent: *Duo Seraphim Angelum, & hominem accipe, qui incendentes, vel ardentes dicuntur.* Nec errabis, si hominem Seraphini nomine dones: Nam si Seraphim idem est, quod ardens, siue inflammatus, quisquis Dei amore accensus flagrat, meritò Seraphim vocari potest.

At videamus, quomodo duo Seraphim, homo, inquam, & Angelus flagrent. S. Petrus Damianus ait: Ille ardet præsentiâ, hic memoriâ. Angelus illius formosi Solis radijs semper infunditur, atque inde illius in Deum amor exardescit. At quomodo homo inflammatur? Memoriâ Dei. *Hic ardet memoriâ.* Verùm aberrâsse à verò S. Damianus, & sic dicere debuisse videtur: *Hic ardet voluntate*, quam inuadere amoris flamma solet. Cur ergo memoriæ adscribit, quod tribuere voluntati debuit? Causa est, quòd ambo in idem recidunt. Nam si ex frequenti memoria euincitur inflammatio voluntatis, cùm ait, ardere memoriâ, idem est ac flagrare voluntate dicat.

Hinc potest intelligere seruus Dei, vtrum illum amet, mimirùm si frequenter illum cogitet, quem enim frequenter recordatur, illum feruenter diligit anima, & crebra Domini recordatio signum est flagrantis erga illum charitatis.

## CAPVT IX.

*Non debemus ab omni, quod fortuitò accidere potest, timere periculum, magna enim cordis ignauia, & pusilli animi inertia est censere in periculis, quidquid putatur periculosum.*

MVlta in periculis pusillanimitas, & vana imaginatio nostra numerat, quæ nulla sunt. Conuenit multùm cum hyperbole imaginatio nostra in eo, quod ex pygmæis gigantes, & ex gutta mare facit. Vt ergo in periculis, quæ verè talia sunt, recenseas, non ad timoris trutinam, sed ad veritatis libram ea expendas, necessum est.

Tale quidpiam consulebat Marchioni Rainerio S. Petrus Damianus. lib. 7. epist. 17. inquiens: *Noli tibi, dilectissime, quæ fingi, vel excogitari possunt, aduersa proponere, noli diuersorũ casuum muliebriter infortunia formidare.* Quàm benè dictum illud, *Noli diuersorum casuum muliebriter infortunia formidare!* Quàm est meticulosa, quàm pauida mulier! Quàm pauculo ex terreri potest! Vmbra, & si quid fortè per quietem nocturnam occurrit, formidinem illi

illi adfert, tam est tenero sensu, tam exiguo, & imbecillo animo sexus. Monet ergo suum Marchionem Rainerium S. Petrus Damianus, non agere muliebriter, non metuere omnia, non credere cuiuis imaginationi, non omni cogitatione frangi: Vt enim temerarium est in pericula certa, & notoria se conijcere; sic ignauia est commentitia discrimina timere.

Inuenit quondam David Saulem, exercitumque eius somno alto sopitum, & arreptâ occasione clam propiùs accedens, tulit hastam infensi regis, & scyphum aquæ, qui erat ad caput eius. *Cùmque transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum, & ad Abner*; 1. Reg. 26. 13. 24. oscitantiamque illorum, & incuriam increpauit, qui regis sui tam negligentes custodes fuissent.

Abulensis q. 16. in hoc cap. ait: *Quæret aliquis, an peccauerit Dauid dicendo hæc?* Ratio enim aliqua esse videtur, ob quam peccauerit. Nam cùm illas dedit voces, periculum captiuitatis sibi excitauit, & cùm nulla esset causa hoc faciendi, Deum tentasse videtur. Certè securior fuisset, longiusque ab omni discrimine abfuisset, si à clamore abstinuisset, silenterque abijsset.

Satisfacit huic argumento Mag. Doctor ad hunc modum. *Dicendum, quod verum est, tamen non est, euitandum omne periculum, nisi quod verisimile est, alia enim quanquàm possibilia sunt, pericula non vocantur. Dauid autem posuerat se in tali loco, in quo verisimiliter non poterat periclitari, ideò quanquàm esset possibile aliquod malum ei euenire propter clamorem illum, tamen periculum non vocatur.* Si in periculis recensendum esset, quidquid sinistrum accidere forsan potest, perpetuo in metu viuere necessum esset. Hoc ergo solùm timendum, quod prudentia formidandum consulit.

Propterea iure meritissimo obiurgat mellifluus Bernardus multos delicatulos, qui cùm nullum vnquàm ex ieiunio damnũ acceperint, aiunt tamen, ieiunare non posse, ne stomacho, & capiti abstinentia nocumentum adferat, & somnum adimat, & valetudini incommodet: *Delicata nimis medicina, priùs alligari, quàm vulnerari, emplastrum adhiberi, vbi casura non est.* Si quis pharmacopolæ domum præteriens peteret sibi dari, quæcunque plagæ curandæ sunt necessaria, eò quòd ad conflictum pergeret, & instructus ab omnibus esse vellet, quæ improuisus casus fortè exigere posset, palam est quod eiusmodi hominem pharmacopola rideret, & illis S. Bernardi verbis exagitaret, *delicata nimis medicina*, muliebris mollities, & ignaua teneritudo est, & superuacanea anticipatio remedium quærere vulneri, quod nondum acceperis, curam ægritudini, quam solùm timeas. Illud tantùm formidare decet malum, quòd recta ratio metuere suadet.

Cùm S. Ioannes narrare institueret curationem, quam omnipotens Magister adhibuerat illi per annos triginta & octo paralytico, qui tam longo tempore iuxtà piscinam expectârat suæ molestæ, & pertinacis infirmitatis leuamen, prodigiosam priùs virtutem memorat, quam Deus illius piscinæ aquis communicauerat, quæ talis erat, vt *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fieret, à quacunque detinebatur infirmitate*; Ioannis 5. 4. Erat ibi multitudo magna languentium, aridorum, cœcorum, claudorum, ex quibus ille solus consanescebat ab omni sua quacunque ægritudine, qui primus omnium in piscinæ Probaticæ aquam ab Angelo concitatam incidebat.

Hæris Cardinalis Caietanus in eo, quod Euangelista dicit: *A quacunque detinebatur infirmitate*, curabatur, qui primus in aquas descendebat. *Non à debitate, sed à morbo describitur sanatio.* Si quod leue malum alicui accidisset, si exiguam quampiam offensiunculam valetudo illius passa esset, si nonnihil languere stomacho cœpisset, & mori ex tantilla infirmitatula timuisset, statimne apud illam piscinam suo quali quali malo curationem expetebat? Negat Caietanus, eò quod illæ ab Angelo motæ aquæ (vt Euangelista monet) non mollicellorum quibuscunque debilitatiunculis, sed grauium, & diuturnorum morborum sanationi dedicatæ fuerint. *Non à debitate, sed à morbo describitur sanatio.* Si quis fortè ob leuem iniuriolam alteri irrogatam in iudicium pertrahatur, non proinde mortem timere debet, qui nihil morte piandum egit.

Ingressus Christus quandam Iudæorum synagogam, inuenit hominem, qui habebat manum aridam, interrogatusque à præsentibus Iudæis fuit, vtrum sabbatis curare liceret. Percunctatio autem illa eò ibat, vt profanatorum dierum à Deo consecratorum reum pronuntiarent, si illis diebus licitè curari ægrum posse affirmaret.

Magnus Tostatus (qui nullam dissimulat difficultatem, quam non diluat, nullam præterit periodum, quam non excutiat) permotus istorũ Iudæorũ interrogatione quærit, an illi populo fas fuerit curare homines Sabbatis, quibus diebus ex præscripto legis ab omni seruili opere vacabant. Respondet verò

q. 37.

q. 37. in c. 12. Matth. in hunc modum: *Sciendum quod curatio medicorum aut est ad conseruandam sanitatem, vel ad curandam ægritudinem. Ad conseruandam sanitatem non licebat sabbato aliquid agere, quia talis diligentia non est omninò necessaria, eò quod si aliquando omittatur, non peribit homo illicò, nec ad pereundum disponitur, & ideò potest omitti.* Nimis magna est illius ignauia, qui certam statim ex dubia valetudine mortem timet, adeò medicum inclamat, inconditisque & tumultuarijs vociferationibus domum implet, & familiam omnem perturbat. Verùm timere periculum, quod mortem minatur, & ad prudentiæ regulas moderari metum, & discrimini euitando studere, laude dignum est, & consultum.

Secundùm hæc excusari debet noster Patriarcha, quod terram, in qua habitabat, propter ingentem famis necessitatem, reliquit, & in Ægyptum abijt. *Facta est fames in terra, descenditq; Abram in Ægyptum, prævaluerat enim fames in terra*, Gen. 12. 10. Non statim ac sensit plagam famis discessionem parauit, sed cùm res ita exulceratæ iam essent, vt nisi tentare Deum vellet, manere diutiùs non posset.

Ita monent plerumque hoc loco Interpretes, ex quibus Ludouicus Istella hæc dixit, quæ dissimulare noluit: *Prævaluerat enim fames in terra. Non igitur quacunque cælorum penuriâ motus, sed vrgentissimâ, cùm magnam famem haberet, ita vt secundum rectum iudicium ipsum compelleret inde recedere, & ad proximiorem regionem, in qua esset victus commodior occasio, pertransire. Vnde in Hebræo CHEBET, HARAAB, id est, multum grandis, potensque fames significatur.*

Hæc doctrina illis commoda est, qui pœnitentiæ opera suscipiunt, aut vitæ religiosæ iter ingrediuntur. Non debent ij, quouis statim malo frangi, non cadere animo ob quamcumque infirmitatem, aut difficultatem, non mortem, non morbum grauiorem leuiter timere, hos enim metus dæmon nobis inijcere, aut ignauia nostra incutere solet.

## CAPVT X.

### *Nisi voluntas suauiter operetur, actionum illius bonus euentus expectari non potest.*

PErelegans erat Sara, vidensq; Abraham, quod Ægyptij statim illius appetituri essent venustatem cum suæ vitæ manifesto periculo. Vt hoc præuerteret discrimen, rogabat vxorem, vt sororem se diceret, si fortè ab Ægyptijs, quænam esset, interrogaretur, verebatur enim, ne vitam sibi adimerent, si coniugem esse intelligerent, vt frui illâ liberiùs possent. Inter barbaros enim illos, vt notant Lyranus, Abulensis, Homala, Istella, Pererius, & alij, adulterium homicidio grauius habebatur. Verba Abrahæ, quibus Saram rogabat, sic habent: *Dic obsecro te, quod soror mea sis*; Gen. 12. 13. Monent hic Expositores annotare comitatem, & vrbanitatem, quâ cum vxori suæ locutus est Abraham, non imperans ei, sed rogans: *Obsecro te.* Factum prudenter, quod illam blandis verbis suauiter adducere voluit, vt beneuolenter, & magnâ voluntate faceret, quod ille humaniter obsecrabat. Quamdiu enim quis non sponte, ac voluntate agit, passim impingit, & titulet, offensiculaq; vbique inuenit. E contrà cùm hilariter, lætanterq; & cum voluptate facit, omnia illi videntur facilia & neq; mons est, quem non exæquet, neq; difficultas, quam non conculcet, ac proterat.

Permotus Dominus acerbis Israelitarum gemitibus, voluit eos ab iniqua oppressione, quam sub tyrannica superbi Pharaonis potestate patiebantur, liberare. Quamobrem aduocans Moysen inquiebat: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto.* Exod. 3. 10. Quam difficile fuerit hoc munus, quàm ardua prouincia, id ex eo conijcere licet, quod Moyses statim impedimenta obiectabat, seque oneri tanto imparem protestabatur, dicens: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* ibid. v. 11.

Vidit Isaias Dominum in sublimi throno, audiuitq; dicentem: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Isa. 6. 8. Quis nostrâ ad populum legatione fungetur? Vix ea verba Propheta euangelicis auribus hauserat, quando promptè, alacriterq;, & audacter respondit: *Ecce ego, mitte me*, paratum ire, quocunq; tua iussa destinauerint.

Magnus Pater Basilius miratur, quamobrem Dominus Moysi præcipiendum putauerit, vt oratoris officium susciperet, Isaiæ verò liberum relitoris officium susciperet, Isaiæ verò liberum reliquerit, an concionandi onus admittere vellet, cùm ait: *Quem mittam, aut quis ibit nobis?* Cùm ibi coram adesset Isaias, poterat ei Deus imperare, vt prædicandi prouinciam acceptaret. Quid ergò illius voluntatem ante explorare voluit? Aut cur Moysen magis, quàm Isaiam præcepto cogere ad officium voluit?

Respondet Sanctus Basilius in c. 6. Isaiæ: *Moysi ministerium proponitur ad nuntiandum res parum amanas, immò permolestas, quo circà illi quidem mandatum*

*datum præscribitur, huic autem famulatus obeunda legationis in potestate relinquitur, propterea quod nos homines sic naturâ comparati sumus, vt quæ semel volentes exequenda proposita elegerimus, quamlibet molesta fuerint, tamen eam operosam molestiam deuoramus, ac perpetimur.* Pernouerat Dominus ingenium Moysis, quod tale esset, vt munia publica, odiosa in primis, & onerosa, plurimùm defugeret, & quiduis prætexeret, quò deuitare illa posset. Quare necessarium fuit, seriò, ac grauiter illi mandare, vt legationis periculosæ difficili oneri humeros accommodaret. Videns autem quod Isaias prædicandi cupidus esset, omnemq; animosè, ac facilè superaret difficultatem, superuacaneum putauit hoc illi præcipere, satis esse, si tantùm communiter proponeret, ipsiusq; arbitratui rem hanc permitteret, habet enim hoc indoles nostra, vt promptè prosiliamus ad ea, quæ nobis placent, quæq; volentes, ac lubentes agimus.

Multùm satis habent illa in Magni Basilij verbis extrema: *Operosam molestiam deuoramus, ac perpetimur.* Quando quis auidè comedit, tametsi cibus non sit lautus, quod sapit palato! Quando æger quispiam est cupidus bonæ valetudinis, quod hilariter sumit potionem quantumuis amaram, & insipidam! Tanquam nectar haurit pharmacum, quod absq; nausea fastidiosi stomachi alius vix cogitare possit. Hoc ipsum fit in omnibus negotijs, quæcunq; homo suscipit. Nam si voluptati est opus, quod aggreditur, omnia, quæ obesse cœptis possunt, conculcat, & facilè superat, perficiendiq; illius & modum & tempus, & opportunitatem inuenit.

Ex his accepit argumentum Parens eloquentiæ, quo filium suum Marcum ad finem suorum librorum officijs exhortabatur, ne difficultatem prætexeret in his, quæ illi facienda præscripserat, sed hoc sibi persuasum haberet, quòd exiguo negotio perficere omnia posset, si promptè modò obtemperare benè monenti vellet. lib. 3. offic. sect. 124. de hac re sic habet: *Quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues his temporibus quantum poteris, poteris autem quantũ voles.* Quàm benè dictũ illud, *Poteris quantum voles!* Nam reuerà vt homo difficilimum quoduis possit, illud solùm faciet, quod velit: si enim velit, nihil est, quod non possit.

Prædicandi verbi diuini officium, vt ex quo animarum salus plurimùm dependeret, dilectissimo discipulo suo Timotheo Sanctus Paulus vehementer commendabat, inquiens: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè* 2. Timoth. 4.2.

Quodnam illud opportunum, & importunum, quod ad prædicandum vti iussus fuit Timotheus? Respondet Primasius Vticensis in eiusdem loci commentario: *Opportunum & libenter audienti, importunum inuito.* Quid tam consuetum, quàm quod non oblectet orator sacer, qui non libenter auditur, tametsi exquisitissima disertissimè dicat? At si quis semel auditoribus placere cœpit Ecclesiastes, quanto cum plausu verba eius excipiuntur! quàm magnificè celebrantur quæcunq; dicit! Omnia hæc nascuntur ex propensa, vel repugnante voluntate, quâ auditores vel auidis, vel fastidiosis auribus hauriunt verba prædicantium, & vel suauiter combibunt, vel morosè respuunt, quod ab Ecclesiaste dicitur, estq; *opportunum libenter audienti, importunum inuito.* Tantundem fit in omni re alia.

Sanctus Ambrosius quærit, quid causæ sit, cur grues, cùm è regione vna in aliam demigrant, & per noctem conquiescere necessum habent, tam sollicitam exactamq; exercent custodiam, vt nulla vnquàm, cui excubandi munus demandatum, obdormijsse per oscitantiam visa fuerit, ex quo & factum, vt illæ aues perpetuæ vigilantiæ, illustre hieroglyphicum esse meruerint? Tam peruigiles in castris non inuenias homines, qui cùm per ingentia sæpè pericula, & certas capitis pœnas esse insomnes debeant, per inertiam condormiscunt.

Respondet autem Sanctissimus Doctor: *Ideò nulla desertio, quia deuotio naturalis, ideò tuta custodia, quia voluntas libera.* Hæc ille lib. 5. Hexam. c. 15. Causa ergò, quòd grus, quæ excubias agit, non deserit suam stationem, nec discedit à specula, cùm aliæ dormiunt, quanquàm facilè posset diffugere, ea est, quia lubentes vigilant, volentibus autem omnia sunt facilia: *Ideoq; nulla desertio, quia deuotio naturalis, ideò tuta custodia, quia voluntas libera.* Quod autem homines sæpè dormiunt, etiam cùm somnolentiæ atrocia sunt constituta supplicia, id fit, quia inuiti, & repugnante animo vigilandi officium suscipiunt. Homo enim vehementer eò propendet, vt pro sua voluntate quæque agat, & diligenter faciat, quæ facit libenter, vt neque pœnarum comminationibus adduci queat, vt manum alacriter admoueat operi, à quo animus abhorret.

Audite verba Ambrosij. *Proponitur pœna desidiæ, & tamen plerumq; obrepit incuria, non seruantur excubiæ. Necessitas enim, quæ inuito imponit obsequium,*

*quium*, *affert plerumq; fastidium. Nihil est enim tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias inuitus.* Nulla tam leuis sarcina est, nulla tam exigua difficultas, nullum tam paruum pondus, quod non turris, rupes, mons videatur ei, qui repugnanter tolerat, vt econtrà nullus est scopulus, nullum tam ingens saxum, quod non aristâ, vel plumâ leuius reputet, qui volens portat: *Nihil est tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias inuitus.*

Ita sentit etiam Magnus Basilius, cuius est istud ex homil. in Psal. 1. *Ita natura comparatum videmus, vt vix tantillum duret, quod inuitus didiceris, cùm contrà id nescio quo pacto memoriæ insideat, quod cùm peramœnâ quadam oblectatione, & gratiâ irrepit, atq; illabitur animo.*

*Persuadere autem quis possit inuito!* exclamat S. Pacianus Epist. 1. Quis demosthenes Græcus, quis latinus Tullius, quis Chrysostomus Christianus ad credendum adducere queat eum, qui non libenter auscultat? At qui cum voluptate attendit, & vacuas cupidè præbet aures, quàm leuiter permoueri quouis sinit? quàm subitò conuincitur! quàm facilè occupatur! Nam vt paulò ante ex Primasio dixi: *opportunum est libenter audienti, importunum inuito.* Da mihi hominem facilem, beneuolentem, addictum, quàm gratè, ac promptè ille admittit, quidquid illi dicas! Omnia consultè, prudenter, opportunè dicta interprætatur. At si morosus sit, aut tetricus, vel certè non illi arrideat, quod facere iubetur, quàm toruis oculis præcipientem spectat! quàm repugnante animo intempestiuam, vt vocare solet, iussionem excipit! quàm stomachosè inconsulta, vt dicere amat, monita fastidit, & aspernatur!

Hinc factum, vt sacer Rauennatum Archiepiscopus Petrus Chrysologus serm. 125. diceret: *Quis est, qui timeat volens? Quis est, qui amet nolens?* Si quid tuâ sponte enixè velis, à nullo absterreri periculo sinis, quò minùs illud persequaris, nullus te frangit, qui eam in rem collocandus. At qui per vim ad aliquid cogitur, onerosa illi omnia, & intollerabilia videntur. *Quis est, qui timeat volens? Quis est, qui amet nolens?* Vbi prompta voluntas, ibi nulla difficultas, vbi inuitus animus, ibi remissæ, & languidæ torpent manus.

*Vide Periocham secundam Dominicæ 3. post Epiphaniam Tom. 2. Pag. 422. a. o. & calcem illius.*

---

# LIBER II. VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Quando splendor est suspectus, & apparatus magnificentia dubia, non est vana curiositas explorare ea: conuenit enim scire, ex quo quisq; viuat, & splendeat.*

Redijt sacer Patriarcha ex Ægypto plurimùm collocupletatus, & affluens pretiosis donis. *Erat diues valde in possessione auri, & argenti*, inquit Sanctus Moyses Gen. 13. 2. Qui tam opulentum Abraham videat, dubitare possit, vnde tanta illi auri, & argenti copia. Vt huic occurreretur difficultati, & nemini suspecta esset tam subita opum affluentia, suprà monuimus, quòd Rex Pharao varijs illum donis cumulauit, gregibusq; mulis, & familiâ copiosâ donauit, ex quibus venditis tantam vim auri, & argenti conflare potuit, & ob id fortè voluit, quòd faciliùs per viam ferre poterat pecuniam, quàm conducere greges, & familiam. Hinc ergo Abraham illud suum argentum, & aurum, vt notârunt Lyranus, Abulensis, Istella, Pererius, & alij, ne cui dubia esset ea tam repentina Patriarchæ opulentia. Quando apparatus subitus, & insolens magnificentia possunt generare suspitionem, conuenit examinare illa, tunc enim non erit curiositas vana, si fuerit intentio bona.

Inaudito miraculo dedit Christus visum cæco, qui ab vtero matris in tenebris vixerat. Vicini, quique illum compitatim mendicantem viderant, admirabantur illud tam rarum miraculum, cui tamen nonnulli tam nihil fidei tribuebant, vt alium potiùs mendiculi illius similem, quam mendiculum ipsum visu donatum crederent, atq; ideircò illi, qui curati fuerant, dicerent: *Quomodo aperti sunt tibi oculi?* Ioan. 9. 10. Qui respondit: *Ille homo, qui dicitur IESVS, lutum fecit, & vnxit oculos meos*; ibid. v. 11.

v. 11. iuſſitq́; ire ad natatoriam Siloe, & lauare, iuique, & laui, & vidi. Quanquàm hoc ille tam apertè affirmaret, nihilominùs abductus à Phariſæis, & varijs modis examinatus fuit.

Ioannes Cluniacenſis ſer. 62. Tom. 4. quærit, vtrum illa Phariſæorum de miraculo dubitantium inquiſitio excuſari aliquo modo poſſit. Reſpondet autem in hunc modum: *Si recta eſſet intentio, excuſabiles eſſent, maximè cùm à ſeculo non eſſet auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati, cum talibus circumſtantijs.* Indagare rei nunquàm auditæ veritatem, expendere miracula, quæ multas ſecum farant repugnantias, non ſolùm à culpa abeſt, verùm etiam nonnunquàm eſt neceſſarium. Tantundem affirmare poſſumus de quibusdam hominum non ſanctorum domeſticis miraculis. Si quem videas ſumptuoſa excitantem ædificia, magnificum oſtentare apparatum, multum præferre ſplendoris, & vnde illa proueniant, ignoret, abſq; malitiæ nota indagare poteris originem, dum non ſit modò ſiniſtra intentio.

Magnus ille rerum naturalium hiſtoricus Plinius, cùm differere de rebus terræ admirabilibus & miraculis illis quotidianis inſtitueret, aiebat, facere initium ab eo velle, quod ſibi miriſſimum viſum ſemper fuerit, inquiens: *Et quoniam à miraculis, rerũ cæpimus, ſequemur eorum ordinem, in quibus vel maximum eſt, aliquid naſci, aut viuere ſine vlla radice.* Plinio igitur hoc prodigiorum portentoſiſſimum, portentorum prodigioſiſſimum viſum fuit, quod alicui vita conſtare poſſet, cui nulla radix: *In miraculis vel maximum eſt, aliquid naſci, aut viuere ſine vlla radice.* Hoc magnum illum philoſophum maximè ſolicitauit, & obſtupefecit. Cur ergò ij, quibus hoc ex officio incumbit, non diligenter inquirant in miracula, quæ fiunt in republica, eorum, qui neq; radices, hoc eſt, bona ſtabilia, nec mobilia habent, & epulantur tamen ſplendidiùs, & veſtiunt pretioſiùs, & viuunt profuſiùs ac magnificentiùs, quàm alij opulentiſſimi, & maximè locupletes? Ingens hoc miraculum, & quantum ego æſtimo, *vel maximum eſt, aliquid naſci aut viuere ſine vlla radice.*

Multis dubitationem attulit ſenſus verborum, quæ Sanctus Euangeliſta Matthæus, cùm de caſtiſſimo Virginis caſtiſſimæ ſponſo loqueretur, dixit, inquiens: *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum;* Matth. 1. 25. Prætereamus hîc ſacrilegi Heluidij, ſequaciumq; illius blaſphemiam, & inquiramus quid pij, & Catholici ſenſus talibus verbis ſubſit.

Gloſſa Ordinaria, & Angelicus Doctor in 4. Sentent. apud Raulinum ſerm. 6. de Concept. Tom 1. aiunt, cœlorum Reginæ honeſtum vultum, quo tempore intrà vterum ſuum Solem iuſtitiæ habebat, tam multo lumine ſplendicaſſe, tam magnis radiaſſe ſplendoribus, vt Ioſeph illum arbitrari oculis non potuerit, donec edita in lucem luce mundi ad natiuam formam, priſtinamq; venuſtatem facies rediret, & hoc eſſe, quod dicitur Ioſeph non cognouiſſe eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum. Verba Gloſſæ ſic habent: *Ita relucebat vultus eius, dum erat à Spiritu Sancto impregnata, quod non poterat eam Ioſeph aſpicere.* Lumen ergò, quo venuſtiſſimæ reginæ vultus radiabat, perſtringebat oculos Ioſephtis, vt videre illam, ſiue vt Euangeliſta loquitur, cognoſcere non poſſet.

Magnus Pariſienſium cancellarius Ioannes Gerſon in ſuo Ioſeph ait: *Quid mirum, ſi ſic vultus eius relucebat, quæ in ventre, Solem gerebat?* Facilè eſt huius tam ſplendidi vultus cauſam inuenire, neq; mirũ quod eius radiabat facies, cuius vterus Sole plenus erat. Verùm quòd illa reginæ inſtar fulgeat, cui nullus ager, non cenſus, non prouentus, non aliqua fortunæ bona, id miraculum eſt, difficile quidem cognitu, dignum tamen indagatione.

Nuntium deorum à ſummo Ioue Carthaginem, vbi miſerè iactatus Æneas tunc commodè morabatur, ablegatum princeps Poëtarum deſcribit, vtq́ue eius promptitudinem, celeritatemq́ue delinearet, aiebat:

*Volat ille per aëra magnum*
*Remigio alarum.* Æneid. lib. 1.

Videtur hîc calumniam incurrere poſſe Virgilius, tanquàm ſuperuacaneis verbis, rem narrârit, cui hoc ſemper maximè curæ fuit, ne otioſè aliquid diceret. Volare Mercurius per ampla illa aëris ſpatia ſine remigio alarum non potuit. Cùm ergo dixerat, volaſſe per aërem, pleonaſmus, & inanis redundantia videtur, quod adiungit, alis ad volatum eſſe vſum.

Donatus purgat à calumnia Poëtarum maximum, aitq́;, non ſolùm ſuperfluis verbis non oneraſſe orationem, verùm etiam neceſſariò dicere debuiſſe, quod Mercurius ad volandum alas adhibuit. Reddo illius verba. *Volat ille per aëra magnum, atq́; vt eſſet fides, volaſſe per aëra magnum, addidit, remigio alarum, aliter enim è cœli partibus miſſus ad terras venire non poſſet, niſi remigio alarum adiutus, non enim per inane aëris pedibus ire potuit.* Quoniam dubium aliquibus eſſe poterat, quomodo inde è

cœli

cœli fastigio Carthaginem peruenerit Mercurius, vt hanc anteuerteret obiectionem, ait alarum vehiculo descendisse. Ita necessarium est præuenire semper difficultates, quæ occurrere possunt. Dicere namq; de aliquo, volare, idq; sine alis, est miraculum, quod difficilè tum intelligi, tum persuaderi queat. Videre quempiam, qui in sublimem cathedram absq; alis scientiæ euolet, sellamq; doctoralem inuadat, quam meliùs validis humeris quàm sufficiente literaturâ sustinere possit, miraculum est, quod humani ingenij uires assequi nequeant, quale & illud, quòd pedum episcopale sæpè inuadunt, qui ne pastorale quidem apud pecudes gerere sunt idonei, & animarum curam suscipiunt, ne animalium quidem curæ apti.

Aliud quoddam miraculum vexauit ingenium Theophrasti, de quo ille lib. 6. de causis plantar. c. 15. ita: *Mirum, florum quorundam odorem suauissimum reddere, quorum nulla pars alia benè olet, quod in Violis, risisq; patet.* Quàm spinosum, & intractabile, & informe lignum caudex rosarum! flos verò ipse quàm gratum exhalat odorem! Quis non miretur tam odoriferi floris tam rudia esse virgulta? Sic videas mulieres, quarum sic vestitus digulat? Sic videas mulieres, quarum sic vestitus digues, & plurimus ex gemmis splendor, & odor, qualis magnarum dominarum, at si truncum, ramos, radices aspicias, *pars nulla benè olet*, nam parentes sunt tenues, genus obscurum, & mendicum, cognati egentes, & nullo numero. Perspicuum est, quod hæc adferre admirationem debeant. Certè quod tales talibus rebus affluant, quas nec dote à maritis, nec iure hæreditario à parentibus, nec dono gratuito à consanguineis acceperint, portentum est, & apparatus meritò suspectus. Expendere autem eiusmodi miracula, prætenta examinare, perscrutari prodigia valde conueniens fuerit. Quando enim magnificentia est suspecta, consultum est diligenter inquirere, quâ ex re quisq; splendeat.

*Vide Periocham sextam Dominica in Ramis Palmarum Tom. 1. pag. 457. o. quæ in simili argumento versatur.*

## CAPVT II.

*Tam mortaliter infensæ sibi sunt opulentia & concordia, vt vbi illa imperat, hæc viuere non possit.*

Mittebat cœlestis Magister Discipulos suos ad prædicandum, amplam potestatem illis concedens in spiritus immundos, in omnes ægritudines, ipsamq; adeò mortis tyrannidem. Addebat autem: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in Zonis vestris*; Matth. 10. 9. nec quicquam eorum, quæ humanam, terrenamq; affluentiam, & possessionem oleant. Austera videtur hæc præceptio. Quid verò incommodi adferre poterat, quòd peragraturi regiones exterras viaticum sibi ad vsum itineris, omnemque euentum, qui varius in longis, ignotisq; peregrinationibus esse solet, pararent? Cur superus Magister tam grauiter omnem Discipulis suis auri, argenti, numorumq; prouisionem interdicit?

Respondet S. Ambrosius lib. de Ioseph. c. 13. *Dominus IESVS mittens ad Euangelizandum Discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, vt incentiualitis, & instrumenta eriperet vltionis.* Diuitiæ huius vitæ, & pax tam sunt mutuò infensæ, tamque implacabili odio dissident, vt ne apud viros Apostolicos quidem eosq; in ipsius Iesu Christi schola etiam egentes conciliari possint, ac propterea Dominus necessarium duxerit omne Apostolis adimere aurum, vt pax apud eos constare, & animorum concordia seruari posset: *Misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, vt incentiualis, & instrumenta tolleret vltionis.*

Magnâ exaggeratione ad hanc rem amplificandam magnus Cordubensium Philosophus Seneca vsus fuit, qui lib. de tranquil. vitæ. c. 8. sic ait de humanis diuitijs: *Transeamus ad patrimonia, maximam ærumnarum humanarum materiam. Nam si omnia alia, quibus angimur, compares, mortes, ægrotationes, metus, desideria, cum ijs, quæ nobis mala pecunia nostra exhibet, hæc pars multùm prægrauabit.* Congere omnes calamitates, quæcunq; aliunde nobis obueniunt, & confer cum ijs, quæ à diuitiarum præsentium cupiditate nascuntur, tum tibi certò persuasum habe, quòd hæc pars multum prægrauabit. Vnde enim orta sunt bella, vnde dissidia animorum æterna, nisi ab illa insaciabili siti habendi, & occupandi possessiones alienas?

Commodè in rem præsentem exponit quidam doctus modernus illud tam celebratum, & tritum Iob. cap. 7. v. 1. *Militia est vita hominis super terram*; tanquàm hoc dicere Sanctissimus Patiens voluerit, non ob aliud militare homines, quàm vt terras suas alij, alijs per vim, & manu armatâ eripiant. Bellorum certè hodiernorum pars bona inde nascitur, quòd hic illud regnum ad se iure pertinere contendit, ille hunc Ducatum, hanc Prouinciam, hæc vectigalia ad se spectare, & ab inuasore iniustè detineri

detineri asseuerat: *Militia est vita hominis super terram*, & multi vitæ partem magnam in armis agunt, quibus vilem terram appetunt, & occupant, si possunt. Itaq; si diuitiarum terrenarum ambitio de terra tolleretur, vix ea bellum aliquod videret.

Præcipiebat Deus patriarchæ nostro Abrahæ, vt sibi vaccam, capram, arietem, singula trium annorum, turturem prætereà, & columbam sacrificio offerret: *Qui tollens vniuersa hæc diuisit per medium, aues autem non diuisit*; Gen. 15. 10.

Quid mysterij habere potest, quòd Abraham animalia cætera diuisit, *aues autem non diuisit?* Vt in cognitionem veniamus secreti in hoc sacrificio inclusi, notandum, quòd animalia terrestria, hoc est, quæ calcant terram, sunt symbolum hominum, qui animos suos addixerunt possessionibus, & diuitijs, nec aliud agunt, quàm vt eas lucrifacere, & comparare possint. Sic aiunt Petrus Berchorius, Lauretus, Ricciardus, Ioannes de S. Geminiano. Aues autem sunt hieroglyphica virorum apostolicorum, qui renuntiârunt patrimonijs, & omni mundanæ opulentiæ. Quare & cœlestis Magister noster, vt bonorum huius vitæ cupiditatem nobis adimeret, ad aues nos remisit, iussitq; ab eis discere, non anxiè quærere sæculares opum facultates, inquiens: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit ea*; Matth. 6. 26.

Accedamus nunc ad mysterium. Vaccam, capram, arietem, animalia terræ, symbola hominum, opum terrenarum copijs inhærentium, *diuisit* Abraham *per medium*; *aues autem*, quæ non sunt solicitæ metere, & congregare in horrea, & adumbrant viros apostolicos, *non diuisit*, vt significaret, diuisiones, discordias, rixas, contentiones, pugnas apud eos semper gliscere, & vigere, qui volunt opulescere, & velut brutæ pecudes quædam omnem ex rebus terrenis captant voluptatem. Aues non fuerunt diuisæ, quoniam qui rerum terrenarum ponderibus decussis nudi vt nubes volant, & mundo superiores mundana omnia contemnunt, apud eos viuit pax, concordia, vnanimitas.

Omnia hæc sunt Hugonis, qui in cap. 15. Gen. sic habet: *Animalia diuiduntur, quia inter malos semper sunt iurgia, & discordiæ, quia vbi quilibet quærit quod suum est, non potest esse vnitas, aues autem non diuiduntur, quia boni semper seruant vnitatem in vinculo pacis.*

Vnus quidam è multis, qui Christum dicentem audiebant, conuenit illum, dixitque: *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*; Luc. 12. 13.

S. Petrus Chrysologus in horum verborum pertractatione positus ait, non esse mirum, quòd rerum temporalium facultates iam obtentæ generent mile controuersias, lites, corrixationes, cùm etiam nondum acquisitæ varias excitent simultates, & adferant molestias, vt qui opulescere cupit, ante sit ærumnarum, quàm opum copijs diues. Ecce hic nondum marsupio intulerat pecuniam, nondum adierat hæreditatem, nondum possidere cœperat, quæ à parentibus relicta, & iam vrgebat diuisionem, litemq; intentabat: *Diuidat mecum.*

Verba illius in hanc rem ex serm. 162. sunt ista: *Hæreditas mundana ante posteris infert iurgia, quàm conferat censum, antequàm diuidat facultates, scindit hæredes, antequàm debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat, & mittit in partes. Proinde non est hæreditas ista, sed pugna, & hæc nouerca filiorum est, non facultas.* Quid elegantius dici potuit, aut excogitari! At si terrenæ facultates etiam nondum occupatæ adferunt inquietem, & diffidia, non magnum est, quòd magnas discordias pariant suis dominis, postquàm in eorum potestatem venerunt.

S. Patriarcha noster, & consobrinus illius, Loth, simul ac diuites facti sunt, iurgare cœperunt. Tanta est huius mali contagio, vt neq; his tam probis viris parcere potuerit. Abundabant gregum copijs, iamq; *non poterat eos capere terra, vt habitarent simul, erat quippè substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter*, Gen. 13. 6. *Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abrachæ, & Loth* ibid. v. 7. Certum erat, contentiones diu abesse non posse, & diffidia, vbi tanta erat gregum, opumq; copia. Ita notârunt omnes interpretes, Lyranus, Caietanus, Oleaster, Istella, Cornelius, Honcala. Verùm pro omnibus vnus, qui omnium instar sit (ità Chrysostomum subindicaui) loquatur. cuius sunt ista: *Aucta sunt Armenta, multiplicati greges, affluxerunt diuitiæ multæ, & statim dissinditur concordia. Anteà erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa, & contentio. Vbi enim* meum, & tuum, *illic omne litium genus, & contentionis occasio, vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia.* Consoletur itaq; se paupertas, in qua tanquàm in suo centro conquiescit pax, viuit concordia. quæ est patrimoniorum, quæ homines habere possint, opulentissimum, nam vbi pax abest, quid ibi boni aut voluptatis alicuius expectari possit.

CAPVT

## CAPVT III.

*Litigare tam misera res est, vt regni iacturam in felicitate numerare quis possit, si per eam fiat, vt non conflictetur iudicijs.*

CVm S. Patriarcha noster præuideret lites, quæ secuturæ essent, nisi citum malo adferretur remedium, aiebat ad consobrinum suum: *Ne quæso sit iurgium inter me, & te, inter pastores meos, & pastores tuos;* Gen. 13. v. 8. dilige potiùs terræ partem, quam maximè voles, atq; in ea felix viue, ego in ea, quam tu reliqueris, habitabo. Omnes interpretes laudant prudentiam, & discretionem pacifici patriarchæ, qui vt ne incideret in lites, tam facilè, ac humaniter cum suo conuenit consobrino. Quia reuerà tam infelix, & molesta res est litigare, vt leuiùs sit iacturam omnium bonorum, quæcunq; mundus habet, sustinere, quàm conflictari iudicijs.

Christus Redemptor noster ait: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo.* Loquitur hic Dominus de quodam, qui iudicio contendit cum alio. Quare meritò notes, quàm grauiter commendet, vt cui controuersia est cùm altero, eam ante cum illo componat, quàm ad tribunal veniat: *Esto consentiens citò*, nec vllam defuge conditionem, tametsi onerosam, dum per eam modò euitare litem possis: Quantumuis enim feliciter tua tibi, post longas concertationes, causa cadat, plus lucraberis, si deserta lite perdas, quàm si diu contendens quæstum aliquem facias. Lucrorum quippè lucrosissimum est, euasisse tædia, fastidia, pœnales dubiorum euentuum expectationes, odia, obtrectationes, & innumeras animi afflictationes, quibus obnoxij sunt, qui conflictantur iudicijs, nec in bonis numerari merentur bona, quæ per tot mala tardè, & ægrè, & sæpè malè parantur.

In hac consideratione erat Sidonius Apollinaris, cùm de Eutropia sancta, & nobili matrona aiebat, illustriorem triumphum putasse, cedere controuersiæ, & rebus suis, quam pro ijs lite contendere. lib. 6. epist. 2. sic ille habet: *Sancta Eutropia victoriam computat, si vel post damna non litiget.* Itaq; si damna resarcienda sunt contentionibus iudiciarijs, satius est illa pati, quàm ad eum modum euitare, & felicius cadere causâ, quàm diu litigare.

Saluator mundi cùm de ratione, per quam ducere vitam quietam, & tranquillam possemus, ageret, inquiebat: *Ego autem dico vobis non resistere malo. Et qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium;* Matth. 5. 39. 40.

Sancti Augustinus, & Gregorius Magnus, Hugo Cardinalis, & Iansenius aiunt, quod Dominus consuluit non resistere malo, id eiusmodi esse, ac si dixisset: Si iudicio quicquam tecum contendere de tuis fortunæ bonis volet, ne obsistas liti, quin pallium ante etiam offer, quàm auferre tunicam incipiat. Hoc est non resistere, nam resistere & postulatis se opponere, & contrà allegare, probare dicere.

Sed notandum illud, quod Eutymius ait: *Chrysostomus malum, diabolum intelligit.* Itaq; si ex sententia quorundam malum, cui non resistere Dominus suadet, est lis iudicaria, aut cacodæmon, vt volunt alij, ex communi vtrorumq; opinione efficietur, vt lis, & diabolus vnum, idemq; sint. Quod non aio, tanquam vel iustas lites damnem, vel negem licitum esse res suas iudicio secundùm rectam rationem, & conscientiam persequi, sed quià plerumque lites omnes etiam æquissimæ, tot sunt coniunctæ fastidijs, animi anxietatibus, molestijs, vt nemo sit, qui non fateatur laboriosissimam, & ingratissimam rem esse litigare.

Nisi ita esset, quamobrem controuersia iudicaria vocaretur *negotium* siue *negans otium*, vt exponit S. Isidorus? Vt enim quis litiget, & quiescat, fieri non potest.

Busonius ex Stobæo apud Tufum in c. 8. Eccles. v. 4. refert: Delphis hæc tria consilia literis aureis fuisse descripta: *Nosce teipsum, Ne nimium cupias, Æris alieni, atq; litis miseriam fac effugias.* Compendiaria, sed commoda vitæ humanæ institutio, quæ iubet litis miseriam effugere, calamitosius enim nihil esse potest quam litigare.

Et nemo miretur, quòd litem tot incommodorum, & solicitudinum, & miseriarum parentem faciam, nam & sacræ scripturæ idem est lis, quod bellum, pugna, certamen. Quod enim Ecclesiasticus c. 8. v. 1. ait: *Non litiges cum homine potente,* hoc Palacius, & Iansenius transferunt, *Ne pugnes,* & Vatablus vertit, *Ne concertes.* Et non absq; mysterio communem calami appellationem habent, & arma, *quibus Orientis populi bellum conficiunt*, vt est apud Plinium lib. 16. & instrumenta, quibus grammatici, siue scribæ publici causas controuersias conscribunt. Nam vt lites maiorem partem dependent à calamo scribarum, idemq; est lis, quod bellum, sic etiam meritò eodem calami nomine donantur, sagittæ, aliaq; arma, & pennæ scriptoriæ, quantam

enim stragem militum corporibus arma in pugnis, tantam rebus & facultatibus litigantium adferunt pennæ scribarum in iudicijs.

Congruet cum his, quod S. Damianus ait, qui in serm. de resurrectione loquens de Aduocatis dicit: *Gloriosæ vocis confisi munimine lapsa erigunt, fatigata reparant, nec minùs prouident humano generi, quàm si clypeis, & thoracibus sese, patriamq; defendant.*

Nonné animaduertitis in his, quod ait, ab Aduocatis non secùs prouideri humano generi, ac *si clypeis, thoracibusq; sese, patriamq; defendant*? Scuto, loricâq; armatum pingit Aduocatum. Quonam id genus hominum ire solet? An ad bellum? Nequaquam, sed ad tribunal. Quid ergo armatus vadit? Quià pugnaturus. Tam bellum enim est, quod apud tribunalia agitur, quàm quòd ruri geritur. Ergò si res ærumnosissima est bellum, & litigare est pugnare, quænam maior miseria esse possit, quàm eorum, qui iudicio contendunt? Quæ autem maior felicitas, quàm illius calamitatis esse expertem?

Itaq; litem varijs nominibus censet Martialis, & nunc amaram, nunc tetricam, nunc funestam, aut molestam vocat. Et lib. 10. Epigram. 47. ita seipsum appellat:

*Vitam quæ faciunt beatiorem,*
*Iucundissime Martialis, hæc sunt,*
*Res non parta labore, sed relicta,*
*Lis nunquàm, toga rara, mens quieta.*

*Lis nunquam*, inquit, nam vnius diei lis sat est perturbandæ integri sæculi quieti, & tranquillitati.

Quidnam aliud tam ardenter amant, & appetunt homines, quàm regnare? Quid æquè gratum habent, ac imperare? Iuuenias nihilominùs quempiam, qui regnare nolit, si absq; lite, & diffidijs non possit. Dauid ille est, ad quem irâ inflammatus aduersus Isboseth, qui parti Israelis maiori inperabat, misit Abner legatos cum hoc nuntio: *Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuersum Israel*; 2. Reg. 3. 12. Acceptam habuit Dauid pactionem, & respondit: *Optimè, ego faciam tecum amicitias*; ibid. v. 13.

Quærit Abulensis, cur Dauid hac primùm occasione suscepit totius regni gubernationem, cùm diu ante Domini iussu vnctus, & rex omnium Israelitarum designatus esset, & ad Isboseth iure non spectaret pars regni, quamcunque ille eatenus obtinuerat?

Respondet, regnum totum ex Dei ordinatione pridem ad Dauidem fuisse deuolutum, *passum tamen Isboseth esse regem, ne repeteret regnum per bellum.* Necessum autem fuisset primum lite reposcere regnum, dein verò si illa nihil obtineret, armis illud persequi, & inuadere, eò quod populus adhuc nescius esset iuris, quo ad Dauidem spectaret imperium. Litigandum ergo erat, vt vulgò ius illud innotesceret, & post verborum concertationem manibus causa definienda. Vt his tam grauibus litium, concertationum, & plurimorum tædiorum sumptibus parceret, reliquit regnum Isboseth. Quanquam enim res sit gratissima, & expetitissima regnare, si tamen aliter, quàm per amaras, acerbasque lites, illa obtineri nequit, maior felicitas est carere regno, quàm contendere iudicare, beatiùsq; est non imperare, quàm litigare.

## CAPVT IV.

*Bonum est cedere nonnunquàm de suo honore, & iure, vt ne pax dissoluatur, & rumpatur concordia.*

QVanquàm S. Patriarcha noster maior natu patruus esset, ad pacem tamen consobrinum iuniorem inuitauit, cùm ratio postulare videretur, vt ab illo potiùs inuitaretur. *Ne quæso sit iurgium inter me & te*, aiebat Gen. 13. 8. per me tibi, consobrine, licet, quidquid libet, do optionem terræ, sit tua, quæcunq; magis arridebit, tantùm vt pax apud nos integra constet. Omnes post Sanctum Ioannem Chrysostomum Expositores notant hîc insignem Venerabilis senis comitatem, & vrbanitatem, qui vt pacis, & consanguineæ necessitudinis amabilissimum nodum non solueret, nullam habuit ætatis suæ maioris, nullam caniciei, nullam existimationis rationem. Tali exemplo docentur omnes, quamtumuis magni, & elati, cedere iuri suo, & honori, si bonũ pacis ita procurari, aut cõseruari queat.

Quid durius, & fortius ferro? *Ferrum comminuit, & domat omnia*, inquiebat S. Daniel. c. 2. v. 4. Ferro bellum geritur, & omnis pax sciditur. Nihilominus ferrum ferro nectitur, & copulatur. At quomodo? Si in ignem coniectum liquetur, nisi enim natiuam suam duritiem demittat, iungi alteri non potest. De hac re sic inquit S. Gregorius Magnus in Pastorali l. 3. *Nec ferrum ferro coniungitur, si non vtrinq; ignis adustione liquetur. Durum molli non adhæret, nisi priùs eius duritia mollescat.* Vt ergo ferrum de sua congenita duritie remittit, quò cohærere alteri possit: Ita de asperitate, & intractabilitate, & existimatione decedere debet homo, vt coniungi animis, & per pacem coire cum alijs queat.

queat. *Nec ferrum ferro coniungitur, si non vtrimq; ignis exustione liquetur.*

Nouit Deus suo honori cedere, quando conuenit, & authoritatem suam seponere, vt hominibus gratificetur, eorumque imbecillitati se accommodet. Cur ergo homo non tantundem cum hominibus sui similibus agat?

Quando Deus misit Samuelem in Bethlehem, vt quendam de filijs Isai vngeret in Regem, respondit illi dicens: *Quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me*, 1. Reg 16. 2. Cui Dominus: In promptu est remedium, quo malum à te omne prohibeam. *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices, Ad immolandum Domino veni*; ibid.

Cùm Deus optimè nosset, quòd Saul nihil mali esset illaturus Samueli, cur non absolutè iussit, vt securi animi esset, nec quidquam metueret, sed illâ simulatione certum illum de sua salute nihil lædenda reddere voluit?

Respondet Abulensis in c. 4. Exodi: *Licet Deus sciret, quòd Saul non occideret Samuelem, tamen vt contentaret eum, dedit ei quendam palliatum modum, scilicet vt tolleret vitulum de armento, & diceret, se venisse ad immolandum Domino.* Vtique non latebat Dominum, quòd Samuel à Saule inoffensus abiturus esset. At neque hoc ignorabat, quòd maiore cum securitate ad explendum officium suum abiturus Propheta esset, si specie immolaturi tectus discederet. Et quamuis authoritate suâ vti, & absolutè imperare poterat, vt vnius iussionis tantùm rationem haberet, incunctanterque & intrepidè, quò destinatus fuerat, pergeret: Nihilominùs cessit de sua authoritate, & velut renuntiauit suo iuri, vt inualidum Samuelis animum accommodatè ad illius imbecillitatem magis, quàm ad suæ maiestatis magnitudinem confirmaret, *Vt contentaret illum*, vt gratificaretur illi, expeditioremque, & alacriorem ad iniunctæ operæ executionem eum redderet. Deum, qui cùm sit absolutus Monarcha, de sua maiestate cedere & existimatione remittere nouit, decet imitari, quando id res, & necessitas aliqua postulat.

Aristoteles in suis problematibus sect. 25. q. 9. interrogat, *cur aer, qui luce crassior est, solida valeat permeare, lux ipsa non possit.* Mirum certè videtur, quòd subtiliori luci non pateat aditus, vbi spissiori aeri patet. Quid causæ sit? *An quia lux per directum tantùm fertur*, & pro sui splendoris dignitate, & maiestate nescit de via cedere, aut torquere iter? Inde fit, vt quò peruenit aer, penetrare lux non possit. *At aer impedimento nullo arcetur, quoniam quà transit, tendere è directo non soleat.* Aer locum sæpè inuenit, vbi luci negatur introitus, & via obstruitur, ille quippè nouit se flectere, torquere, accommodare, & *quà transit, tendere è directo non solet.* Sic qui nouit conquiescere, curuare ad obsequium ceruicem, flectere ad reuerentiam poplites, inclinare ad gratiam caput, ille in impeditissima, & obturatissima loca insinuare se potest. Qui de suo iure perdere, de sua grauitate remittere, descendere de celsitudine, de existimatione scit cedere, ille facilè quacunque ingreditur, & componit omnia. At qui per directum semper, quemadmodum lux, vult tendere, der allezeit / vnd iedesmahl gerad will durchgehen / nec de suo honore, ac iure aliquid aliquando cedere, difficilè obtinebit, quod cupit, ægrè perficiet, quod optat.

Aeris conditionem imitabatur Apostolus, vt omnes lucraretur, & liberum haberet ad omnes introitum *omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*, aiebat ille 1. Corinth. 9. 22. Prouehementissimo desiderio acquirendi Deo animas ad omniũ ingenia se Sanctus Apostolus accommoda bat. Quam in rem S. Ioannes Chrysostomus homil. 5. de laud. Pauli sic habet: *Erat quidem varius semp er, ac multiplex, non vtique dissimulatione mutabilis, sed faciens omnia, quæ prædicationis, salutisq; hominum necessitas poposcisset.* Iucundum erat videre Paulum in theatro huius mundi varias repræsentantem personas, nihil quidem fictè agentem, sed nihil etiam prætermittentem, eorum quæ concionatorij officij munus, & salus animarum requirerent. Hoc debet facere, qui vult feliciter negotiari, vt cùm vnus sit, multiplicem se præstet, deque suo honore cedat, si ita conueniat. Nec magnum est, ab alijs fieri, quod Deus ipse, Apostolusque illius, quando ex vsu fuit, fecerunt.

Sanctus Petrus 1. epist. c. 2. v. 5. loquens ad Catholicos, qui ad Christum tanquam ad lapidem viuum accedebant, aiebat: *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum*; velut apertiùs dixisset: Scire vos volo, quod spiritualis, & mystica domus ex omnibus vobis construenda est, in qua ex omni genere homines erunt, diuites, pauperes, magni, parui, sacerdotes, & sæculares. Quàm elegans methaphora! quàm commoda rei propositæ! *Tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis.* Ad excitandam domum comportantur lapides, vtque ædificium perdurabile fiat, & concinna structura, non

non relinquuntur integri laqides; ſed cæduntur, poliuntur, & cuilibet aliquid adimitur, ſicque aptè cohærent, diuturnaque, & elegans fabrica inde conficitur, & quò maius, eò plus ex illo aufertur, & ſi quodlibet illorum ſuam vellet ſeruare integritaté, nunquam ædificium ex ijs exurgeret. Ita Sanctus Petrus ait, vt ſpiritualis domus Eccleſiæ fabricetur; perpetuaque myſtica, & pulchra hæc ſtructura duret, neceſſum eſſe, vt ſpirituales lapides, qui ad eius fabricam adhibentur, aliquid ſibi adimi patiantur, quando res ità poſtulet. Nam ſi quiſque ſuam authoritatem integram manere, & de ſua exiſtimatione, & dignitate nihil cedere velit, non educetur ad faſtigium ſtructura, nec aptè collocari in domo Dei poterit, qui ſe non inſtar lapidis cædi, expoliri, & elaborari ſinat.

Huc facit, quod Ælianus lib. 4. de var. hiſtor. c. 4. narrat de duobus amicis adoleſcentibus, qui ad Leopretium Simonidis patrem venerunt, eumque interrogârunt, *quomodo durare maximè in mutuo amore poſſent.* Ardenter alterutrum amabant; cupiebantque eam intimæ familiaritatis conſuetudinem annis vitæ exæquare, eaque propterea Simonide doceri cupiebant, quomodo id perficere commodè poſſent. Reſpondit ille, voti certò compotes futuros, *Si alter alterius ira cederet, neq; iracundiæ iracundè obſiſtere conaretur*; velut dixiſſet: *Si cùm vnus irâ fuerit accenſus, alter non ſimiliter inflammabitur, ſi cùm vnus furere cœperit, alter diſſimulauerit, vt non æquè ſuccenſeat, ſi defectus veſtros viciſſim toleraueritis, & de honore, & exiſtimatione veſtra mutuò ceſſeritis, nodum amicitiæ veſtræ ſola mors ſoluet, neceſſitudinemq; veſtram tumulus excipiet, qui corpora. Ad hunc modum conſeruantur amicitiæ, & extinguuntur inimicitiæ, cùm quiſque ex ſua parte aliquid perdit, & de ſua grauitate remittit, & de ſua exiſtimatione cedit.

*Affinia ſunt his, quæ Periochâ II. Feria III. poſt Domin. III. in Quadrag. To. 1. pag. 242. o. tractantur.*

## CAPVT V.

*Primordijs mali ſtatim occurrendum eſt, vt in herba radicitùs ſuccidatur, nam ſi creſcere ſines, ita inualeſcit, vt conſuetudo neceſſitatem pariat.*

CVM prudens Patriarcha ſecum reputaret malum, quod paulatim gliſceret, dicebat conſobrino ſuo: *Ne quæſo ſit iurgium inter me & te*; Geneſ. 13, 8. opprimamus ſtatim flammam, quæ paulatim exoritur, extinguamus incendium, antequam eas vires ſumat, vt per noſtras extingui ampliùs non poſſit. In hac conſideratione fuerunt pleriq; Interpretum; quos mihi videre licuit, præſertim Abulenſis, & Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, qui in dicti c. 13. expoſitione bis hoc ipſum monet. *Ac primò quidem ait: Attende, quomodo ſtatim in initio tentat reſtinguere incendium, quod erupturum erat.* Et inferiùs: *Vidiſti virtutem iuſti excellentem, quomodo radicem malitiæ, ne germinare quidem permiſit, ſed ſtatim cùm iam orireturr, funditus exſecuit, & aboleuit.* Eo exemplo nos docuit, ſimul vt pullulare incipiunt, ſtirpitùs ſuccidenda eſſe mala, ne ſi augeſcere permittantur, validiora fiant, quàm vt à nobis euelli, vel detruncari queant. Et quanquam hæc generaliter de omnibus malis intelligi poſſint, cùm tamen peccati malum pernitiabilius ſit, & eradicari præ omnibus debeat, de illo in hoc Capitulo agemus, oſtendemuſque & quàm vtilis, ac momentoſa ſit hæc doctrina, & quàm tyrannica poteſtas culpæ mortalis, quæ ſemel dominari animæ cœperit.

Differebat quondam Chriſtus cum inuidis hoſtibus ſuis, qui ſe inſolentiſſimè iactabant de nobilitate, & libertate, quam cum proſapia inde ab Abrahamo patre ſuo traxiſſent, detegebatque illis ſuum errorem, dicens, primariam, ac præcipuam nobilitatem non in ſucceſſione libertatis hæreditaria poſitam eſſe, ſed in puritate à ſceleribus, & immunitate à culpis, omnemque qui mortaliter peccaret, miſerrimum eſſe, mancipiumque fieri non qualiſcunque domini, ſed peccati à ſe perpetrati, quodq; ipſe fecerit: *Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*; Ioan. 8. 34.

Cardinalis Caietanus interpretatur hunc locum aptiſſimè in rem præſentem, dicens: *Peccatum remanens dominatur in animo, trahendo ad aliud peccatum, tantâ, & tali efficaciâ, vt oporteat hominem ſubiectum peccato, niſi pœniteat denuò peccare.* Seruus ergo peccati dicitur, qui fuit perpetrator, nam cùm peccatum arcem animæ ſemel occupauit, inq; ſuam poteſtatem redegit, tam tyrannicè illam tractat, iactat, raptat, & pro ſua libidine vexat, tantaque vi exagitat, vt penè cogat; (arbitrij tamen libertate ſaluâ) redire ad vomitum, niſi flagitia ſuperiora per pœnitentiam damnet: *Vt oporteat hominem ſubiectum peccato, niſi pœniteat, denuò peccare.* Hinc accipimus quanti referat cito remedio tempeſtiuè occurrere malis, & curare, ne peccatum imperium animæ obtineat, ſub cuius tyrannide tametſi liberè peccet, ſic tamen ad noua ſcelera committen-

da

da vrgetur, & impellitur, vt videatur magis coactè, quàm sponte delinquere.

Agar Patriarchæ nostri ancilla cùm se ex domino suo grauidam cerneret, atque ex tam inclyto viro concepisse cogitaret, cœpit animo magis, quàm vtero intumescere, & heram suam Saram arrogans, & superba aspernari. Iniquè accepit illa sui contemptum, deque iniuria quam ab ancilla materfamilias acceperat, apud maritum expostulauit, qui vt querimonias illius sopiret, eiulatumque sisteret, aiebat illi: *Ecce ancilla in manu tua est, vtere eâ vt libet;* Genes. 16. 6. velut dixisset: Non corrixemur nos, charissima vxor, heri domestici propter improbam famulam, Agar tibi à seruilibus officijs est, habe illam pro tuo arbitratu, & illius meritis, plecte superbiam, obtunde tumorem, comprime fastum.

Factum post hæc, vt Sara videret Ismaelem ludentem cum filio suo Isaac, tantamque concepit ex illo pessimo ludo animi indignationem, vt diceret marito suo: *Ejice ancillam, & filium eius*, Genes. 21. 10. nec enim me, ancillamque, & filium eius ferre domus vna hæc ampliùs potest, perpetuâ intra ædes tempestate iactaberis, nec me vnquam pacatam habebis, nisi illos, quos dixi, hinc exturbes, & procul abire iubeas. Audiuit lamenta coniugis Abraham, & *durè accepit hoc pro filio suo*, vt ait sacer textus ibid. v. 11. quod Oleaster vertit: *Malum visum est verbum valde*, & acerba postulatio, quod filium domo exigi, atque in exilium protrudi à patre volebat.

Nonné aduertitis, quod Abraham, quando Sara Agarem ancillam etiamnum prægnantem tam durè afflictauit, vt fugâ leuandas putârit molestias, quas ferre diutiùs non poterat, tacuit, dissimulauit, nec vllum sensum doloris ostendit, sed exilij sententiam patienter tolerauit: Nunc verò expulsioni Ismaelis tam enixè obsistit, & tam durum putauit, illum à se auelli, vt concoquere non posset discessionem? Quid est, quod primâ vice tam æquanimiter tulit filij Ismaelis exturbationem, posteriore verò tam *durè accepit*? Cur ibi non difficilè comprobauit sententiam exilij, hic appellauit ab expulsione? Dicam vobis. Primâ occasione nondum gauisus fuerat Ismaele, nondum oculis vsurpauerat intra matris aluum adhuc latitantem, nondum paternis amplexibus blandum pignus strinxerat: Iam verò adoleuerat Ismaël, iam annos aliquot tenerâ illius consuetudine vsus, quid caro, & sanguis essent, expertus fuerat, iam in cor patris penitissimum charus filius immigrauerat, propterea *durè accepit*, durum quippè est, euellere amorem, qui profundas radices egerit, auellere à se mutuò eos, qui diuturnâ, & arctâ necessitudine coaluerint, extirpare affectum, qui semel in animi recessus abstrusiores se immerserit, & arcem pectoris obtinuerit.

Ad eundem modum de peccato, & culpa ratiocinari possumus. Quamdiu peccatum recens in anima conceptum etiamnum est tenerum, & paucos dies numerat, facilè euellitur, & expellitur. Verùm postquam dominari cœpit, & inualescere, si exturbare velis, *durè accipiet*, arduum opus erit, illud eradicare, moueri hospitio vix vllis viribus sinet. Itaque quando semel per nostram oscitantiam introijt, diu tolerari non debet, vt exsecari faciliùs queat.

Peccauit Protoparens, liberum brachium in vetitam arborem inurbanè extendens. Offensus Dominus illâ rusticitate, sed misericordiæ suæ non immemor venit, vt malefacti rationes ab eo exposceret, causamque violatæ obedientiæ, & inconcessæ comestionis acciperet: *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius*; Genes. 3. 8. Dabat lenes voces beneuolus Dominus, vt in semitam reuocaret errabundos, at illi culpæ recens cômissæ conscientiâ subpudefacti, & Iudicis offensam veriti in latebras sese abdiderunt.

Sed quonam illa spectat temporis circumstantia, quod *ad auram post meridiem* venisse Dominus describitur? Videtur enim ad rem non multùm facere, quod à meridie venit, aut non tanti momenti esse, vt speciatim annotari meruerit? At cùm fateri debeamus, non posse esse otiosam illam temporis designationem, indagemus quid ea sibi velit.

S. Ioannes Chrysostomus vult, magno mysterio factum, quod Dominus statim à prandio venit obiurgatum primos transgressores, & increpandum eorum inobedientiam, *vt discas Domini benignitatem*, & misericordiam singularem. Indené verò arbitrari possumus Domini erga Adamum indulgentiam, & lenitatem? Possumus, inquit Chrysostomus homil. 17. in Genes. idque *quod ne modicum quidem distulit, sed mox vt vidit quod factum erat, & vlceris magnitudinem, ad opitulandum festinauit, at ne vlcus grassando fieret incurabile vulnus. Idcircò vt praeueniat, accelerat, & velociter crescenti vlceri adest, & pro sua bonitate, neque ad paruum tempus à cura sua illum destitutum reliquit.* Ardentissimè cupiebat Dominus à culpa liberare hominem, quem ad imaginem & similitudinem suam non diu ante effinxerat. Itaque statim ac illum tam miserâ prolapsione corruisse,

corruisse, tam lethali vulnere sauciatum vidit, accurrit, vt iacentem erigeret, & recentem plagam sanaret. Hanc ille festinandi, hanc sacer historicus notandi causam habuit, quod secundùm meridiem, mox à perpetrato scelere indulgens pater, mox ab accepto vulnere sedulus, & citus medicus adfuit, vt quam Protoplasti vix incurrerant ægritudinem, extemplò curaret, & depelleret, atque hinc tu *disceres Domini benignitatem*. Fuit ea ingens, & incomparabilis misericordia, tam citò suam opem obtulisse miseris: Nam procrastinare medicationem tam noxium est, vt non solùm periculosas, sed etiam incurabiles faciat plagas.

Deplorauit hoc in suis lamentationibus Ieremias Propheta, quando loquens de primarijs sui populi viris, sub nomine, & metaphora portarum vrbis Ierosolymitanæ loquens, aiebat: *Omnes portæ eius destructæ sunt*; Thren. 1. 4. Fueruntné portæ istæ instauratæ? Redieruntné ad studia vitæ sanctioris peccatores in illis portis adumbrati? Non sanè. Infra enim, cùm de eisdem sub eadem metaphora loquitur, subdit: *Defixæ sunt in terra portæ eius*; Thren. 2. 9.

Sanctus Paschasius Radbertus lib. 2. in Lament. Ierem. lit. Thet subnotauit statum istorum peccatorum, & causam, ob quam difficilè curetur, cuius sanationi non statim studetur. *De quibus iam suprà planxerat, quod destructæ essent, nunc aliquid magis dolet, quia defixæ sunt in terra, quod enim defixum est, non facilè mouetur.* Facilè reponi potuissent portæ, cùm primùm deiectæ, at postquam semel ruderibus obrutæ, & intra ruinas sepultæ fuerunt, oppidò laboriosior fuit earum restitutio: Sic promptiùs exurgit peccator, qui statim à lapsu erigitur; at si cœno altiùs immergatur, & longiore peccandi vsu infigatur in limo profundo, quanquam fieri possit, vt eruatur, impossibile tamen videtur: *Quod enim infixum est, non facilè mouetur.*

Erat Christus in horto Gethsemani cum suis discipulis Petro, Iacobo, Ioanne, secedensque ad partem paulò retrusiorem æterno Patri suo preces obtulit, reuersusque ab oratione inuenit eos dormientes, quos suauiter reprehendens his verbis amanter appellauit: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*; Matth. 26. 41. subest his verbis difficultas.

Theophylactus ea sic exponit: *Non iubet nos sine tentatione esse, nam tentationes nos coronant, sed ne à tentatione absorbeamur, & intremus in ventrem eius, quasi bestiæ cuiusdam.* At si vnius peccati mortalis tentationi succumbere, perinde est, ac intrare in ventrem eius, quasi bestiæ cuiusdam, quid erit pluribus flagitijs dare manus, & à multis sceleribus deuorari sinere? Consultum ergo est imitari nostrum Patriarcham, qui *statim in initio tentauit restinguere incendium, quod erupturum erat, contentionem sedauit, radicem malitiæ ne germinare quidem permisit, sed statim, cùm iam oriretur, funditùs exsecuit, & aboleuit.*

*Vide lib. 1. partis 2. Polit. Cæl. c. 5. & Periocham Quartam Domin. V. post Pentecosten To. 2. pag. 131. o. & quæ ad finem eius Periochæ adnotauit.*

## CAPVT VI.

*Pretiosissima gemma est liberum nostrum arbitrium, quæ tametsi gratuitò à Domino donetur, magno tamen nobis constare solet.*

VT amputaret Sanctus Patriarcha noster rixas, & succideret pullulantes contentiones, dedit consobrino suo optionem liberam deligendi sibi terram, quam vellet. Acceptauit ille oblatam gratiam, & *elegit sibi regionem circa Iordanem*, quam sibi magis commodam fore putauit, incidítque in Sodomam, *& habitauit in Sodomis*; Genes. 13. 12.

Omnes Expositores monent hic factum aduertere damnum ex proprio arbitrio natum, cuius electionem Loth secutus in varias incidit calamitates, captiuusque adductus, & omnibus opum suarum facultatibus nudatus fuit. Auertat Deus, ne arbitrij nostri sententiam leuiter sequamur, quod tametsi pretiosa margarita sit, & nobile naturæ nostræ ornamentum, plerumque magno nobis constare solet. Hoc enim & plerasque, & plurimas nobis ærumnas parit, quod voluntati nostræ nimis procliuiter obtemperamus, aut pertinaciùs, quàm par est, inhæremus.

Grauioris momenti, & ponderis maioris legationem nullam vidit mundus eâ, quam Iudæi miserunt Ierosolymis ad Ioannem, vt intelligerent, num ipse esset verus Messias. Legationis illius dignitatem etiam inde conijcere licet, quòd eam obierunt Sacerdotes, & Leuitæ. Sic enim habes Ioan. 1. 19. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu quis es?* Magis seria, & grauis, vt dixi, quàm hæc nulla esse potest, quæ ad cognitionem veri Dei, & Redemptoris mundi dirigebatur, quia vt Christus ipse apud eundem Ioannem c. 17. v. 3. ad Patrem aiebat, *hæc est vita æterna, vt cognoscant, te solum verum Deum, & quem misisti*

*misisti Iesum Christum.* Quanquam hæc ita habeant, oratores tamen, qui Iudæorum mandata præferebant, non solùm consecuti non sunt, quod primores Ierosolymitani optabant, verùm etiam exasperati animis fuerunt aduersùs Ioannem, nec aliud, quàm confusionem, ex sua legatione retulerunt.

Hic iam possumus indagare, quamobrem tam sinistrum, insperatumq; effectum sortita fuerit commissio, quæ vitam æternam, nec leuius aliquid, concernebat, vt per quam de illius vitæ authore, & mundi reparatore certiores fieri cupiebant. Vnde factum ergo, quod illi tanto in negotio hallucinati fuerunt?

Cardinalis Caietanus ingenij sui acumine hanc nobis submouebit difficultatem. Legati hoc habebant mandatum, vt interrogarét Ioannem, *Tu quis es?* Sciscitabantur illi initiò, quod iussi fuerant, cumq; Ioannes ad ipsorum gustum non responderet, percunctabantur denuò, nisi obiurgasse dicere malis, & inquiebant: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Ioan. 1. 25. Monet Caietanus notare, quod Euangelista, cùm narrasset, exposita fuisse Ioanni à Legatis nuntia, quæ habebant, mox subdidit: *Et interrogauerunt eum.* Cur hoc adijciendum putauit? Respondet: *Addidit hoc Euangelista, vt intelligeremus, quod non ex commißione mittendum, sed ex proprio sensu subiunctam interrogationem fecerunt. Commissum enim erat eis, vt interrogarent eum, Tu quis es? non vt arguerent eum de baptismo.* Ecce hic vnam è multis infructuosæ, infelicisque legationis causam, quod non ex eorum voluntate, à quibus missi fuerant, sed ex sua sententia instituerunt inquisitionem, limitesque commissionis, & iurisdictionis sibi concessæ sunt prætergressi, quibus demandatum erat, *vt interrogarent Ioannem, Tu quis es? non vt arguerent eum de baptismo.* Hinc intelligere possumus, quanta intelligere possumus, quanta incommoda oriantur ex libero arbitrio, si nos ab illo abripi sinamus, sensumque illius leuiter sequamur: Nam Ierosolymitæ in cognitionem veri Messiæ, ex qua salus eorum æterna pendebat, peruenire non potuerunt, eò quòd eorum legati proprium sensum secuti, suæ voluntatis consilio nimiùm tribuerunt, & obtemperârunt.

Richardus de S. Victore obseruauit, quod cùm Hebræi haberent duo genera Principum, à quibus gubernabantur, puta Iudices, & Reges, ex his soli Iudices fuerunt appellati eorum saluatores. Iudicum c. 3. v. 9. *clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos.* Richardus ait, *In libro Iudicum, Hebræorum saluatores non reges nominantur, sed iudices.* Cur tam inclytum, & gloriosum nomen Saluatorum potiùs Iudicibus, quàm Regibus concessum fuit, quod hoc magis decuisse videtur?

Respondet ille in Psal. 98. To. 2. *Quia regum est pro voluntatis arbitrio, quod placuerit, imperare, Iudicum autem officium est, leges nosse, causas examinare.* Reges quidquid libet constituunt, destituunt, imperant, vetant, ordinant, abrogant, & suam voluntatem plurimùm pro lege habent: Iudicibus autem lex regula est voluntatis, atque ex præscripto aliorum, non suo arbitratu, quæ sui officij sunt, faciunt. Hinc videbimus, eam ob causam Iudicibus concessam esse honorificam Saluatorum appellationem, non Regibus, vt documento nobis esset, quod neque se, neque alios, nisi miraculo fiat, saluabit, quæ pro more Regum amat facere suam voluntaté, illum verò & se, & alios saluare posse, qui alienæ facilè concedit sententiæ, suamque voluntatem iudicio submittit aliorum.

Indicauimus iam supra, quod Loth, quia ex sua sententia elegerat Sodomam, captus in bello fuit, de quo posthac sermo recurret. Intellexit Abraham infelicitatem sui consobrini, collectoque extemplò milite, derepente irruit in hostem, remque omnem tam prosperè confecit, vt & illum liberârit, & res eiusdem omnes, quæcunque ablatæ fuerant, recuperârit. Celebris fuit victoria, triumphus memorabilis. Redijt Sanctus Patriarcha cum nepote libero onustus spolijs, & opulentus, ijsque transactis apparuit ei Dominus, inquiens: *Noli timere Abram, ego protector tuus sum*; Genes. 15. 1.

Mouet hoc loco omnes Expositores, quam ob causam tunc talia verba ad Abraham dixerit. Nam per id tempus Abraham triumphârat, diuitem prædam egerat, amplissima spolia retulerat, exiguaque trecentorum, & octodecim militum manu, reges plures fudit, aut fugauit. Quid necessum fuit hunc per illos dies erigere, & ne timeret, exhortari? Sed quoniam Deus illum bono esse animo, & nihil metuere iussit, certum est timore laborasse, & in pauore fuisse, quem ille suæ protectionis, & auxilij pollicitatione confirmandum putauit. Vnde verò timor ille nasci potuit?

Paulus Burgensis in addit. ad c. 15. Genes. de hac quæstione ita pronuntiat. *Timebat, ne fortè excessisset in persecutione illorum regum, & deuastatione eorum. Non enim legitur, quod hoc fecisset ex iusso diuino, & ideò timuit, ne fortè in illo actu peccasset.*

Sanctum

Sanctum opus fuit, quod consobrinum suum ab hostium potestate ereptum in libertatem asseruit. Strenuum facinus fuit, quòd tam barbaros & infestos Reges repulit, compescuit, & pro meritis mactauit. Verùm quod hæc ex propria sententia fecerat, id illi tam molestum iniecit scrupulum, tamque grauem incussit timorem, & tremorem, vt Deus illi se conspicuum facere, & adimere pauorem, ac dicere debuerit, *Noli timere*. Ita semper nobis suspecta esse debent, & metum afferre, quæcunque nostri arbitratus ductu, & voluntatis propriæ consilio agimus, quanquam bona sint, ac pia.

Non dimittamus Loth liberum, priusquàm hoc Capitulum absoluamus, cui aliquid euenisse sacer textus narrat, quo rem istam obsignabimus. Cùm Deo constitutum esset, incendio infames illas, & nefandas absumere ciuitates, in quarum vnâ Loth degebat, præcepit illi Angelus, festinanter se proripere ex obscœna Sodoma, & montem petere, inquiens: *In monte saluum te fac*; Genes. 19. 17. Econtra ille rogare Angelum cœpit, vt illâ iussione supersederet, facultatemque concederet, vt in paruam quandam propiùs absitam ciuitatem se recipere posset. Voti compos factus cùm illum locum ingressus non se satis tutò ibi degere posse putaret, *ascendit de Segor*. (hoc nomen paruæ illi ciuitati & *mansit in monte*, ibid. v. 30.) in quo proprias incestauit filias.

Glossa interlinearis ait: *Mansit in monte, in quem prius monente Domino ascendere noluit*, atque ibi tunc illud nunquam aliâs auditum flagitium perpetrauit.

Hugo Cardinalis in c. 19. Genes. inquit: *Nota. Consilio Angeli diuertit Loth in Segor, nolens ascendere montem, modò consilio proprio ascendit, & cadit in peccatum.* Hinc accipimus, quod quibus rebus meremur, quando eas vt ex Dei iussu profectas promptè, libenterque facimus, iisque pernitiem nostram operamur, quoties illis ex nostro arbitratu magis, quàm Dei imperio vacamus. Loth *proprio consilio ascendit in montem.* Et quid ex tali ascensu secutum? Vt caderet, & caderet in peccatum. Agite ergo, & pro vestræ voluntatis sententia omnia facite, & videre quid vobis eueniet. Vtamini ducatu proprij arbitrij, & videbitis quid lucri referatis.

*Quàm pernitiabilis sit homini propria voluntas, vide in 1. To. in Indice rerum verbo* Voluntas. *Habes etiam nonnihil de hac re in 1. parte Polit. Cœl. lib. 7. 6.*

## CAPVT VII.

*Ne proteruus peccator prætendat ignorantiam, Deus submittit illi pia monita, vt omnes intelligant, iustas esse pœnas, quas ab eo exigit.*

ALij affirmant, *Loth habitauit in Sodomis*, id ex peculiari Dei prouidentia factum, quod illum probaret, iustam esse vltionem illam horribilem, & stupendam, quam post hæc de Sodomitis sumpturus erat, nec quisquam aliquid haberet, quo supplicium istud calumniari posset. Sodomæ ergo Loth domicilium fixit, vt suis bonæ vitæ exemplis, & sacris monitis conciues suos ad morum emendationem prouocaret, qui cùm se ab illo permoueri ad frugem meliorem non permiserunt, nihil habuerunt, quo Dei vindictam culparent. In hac cogitatione fuerunt plures Interpretum, ex quorum sententia Cornelius à Lapide in c. 13. Gen. sic ait: *Permisit Deus Loth decipi in sua electione* (quò regionem Iordanis, partemq; amœniorem sibi adoptauit) *vt suo bono exemplo, & conuersatione Sodomitas ad odium peccatorum, & virtutis amorem excitaret*, vt si illius exemplo non fierent meliores, de pœnis posthæc sibi irrogatis queri iustè non possent.

S. Matthæus Euangelista describit cœlestem nostrum Magistrum à solicitudine, & diligentia prædicandi Euangelium regni cœlorum, & à pietate, quâ omnium ægritudinum genera curabat, dicens: *Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem*; Matth. 9. 35. Cur tam solicitè, & studiosè prædicabat in omnibus locis? cur omnes, sanabat ægritudines?

Respondet Euthymius: *Circumibat ciuitates omnes, & vicos Iudæorum, ne quis eorum dicere posset, ad nos non venit.* Omnibus viam salutis ostendit, omnibus viam quæ in cœlum fert, monstrauit, omnibus beneficia sanitatis contulit, omnes ægros bonæ valetudini restituit, vt omnes illum verum Messiam de tot, tantisq; miraculis arbitrari possent, & si non crederent, suo vitio id adscriberent, & si quâ propter incredulitatem pœnâ mulctarentur, iure queri non possent.

Propterea dicit Spiritus sanctus Prou. 1. 20. 21. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua.*

S. Paschasius in c. 4. Matth. ait: *In summis, excelsisque*

*celsisque verticibus super vias, in medijs semitis stans iuxta portas ciuitatis, vt vbiq; audiatur, & nullus insipientium de ignorantia excusetur.* Si rex sanctiores pragmaticas in solis palatij profundioribus fornicibus promulgari iuberet, impunes essent earum transgressores: Verùm vt nemo ignorantiam prætexat, & se dolo circumuentum queratur, proclamari in publicis, & patentibus locis curat, idque vt ad notitiam omnium perueniant. Ad hunc modum *sapientia clamitat in capite turbarum, in foribus portarum vrbis profert verba sua, vt vbiq; audiatur, & nullus insipientium de ignorantia excusetur.* Non clamitat sapientia in deserto, & recessu cœlorum, quò hominum auditus pertingere non potest, sed in frequente foro, in publicis compitis, in conuentibus hominum copiosioribus edicta sua proclamat, vt nemo se purgare queat de prætermissione, aut ignorantiam prætendere.

Ad patientissimum Magistrum perfidiosissimus discipulus venit, vt osculum ei fictæ, & proditoriæ pacis daret, taliq; inditio illum sanguinarijs lupis, Iudæis dico, denotaret, qui innocentem sanguinem illius diu intolerantissimè sitierant, & manus illi inijcere violentas pridem inhiantissimè cupierant. Executus fuit infamis Iudas sacrilegum suum consilium, & mansuetissimus Magister, cùm illum fulmine percutere, & exanimare posset, blandis verbis, quibus emolliretur, sic appellabat: *Iuda osculo Filium hominis tradis!* Lucæ 22. 48. velut dixisset: Habetné hoc bona lex discipuli, vt Magistrum tuum osculo mentitæ pacis prodas, & quod est signum amicitiæ, id inditium facias perfidiæ? Quod tam suauiter allocutus illum fuit, hoc fecit, vt durum efferatissimorum viscerum eius gelu solueret. Sed cur illum huius rei gratiâ suo nomine appellauit, dicens: *Iuda, osculo Filium hominis tradis!*

S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 13. respondet: *Hoc ad ipsum dixit, admonens eum per ipsius appellationem, Iudas enim vocatur confessio.* Quanquàm Iudas in flagranti crimine versabatur, scelusq; tam atrox, & immane perpetrabat, quod in nullo alio tribunali condonationem obtinuisset, vt tamen videret, nullum esse crimen, quatumuis graue, & enorme, cui negaretur venia in tribunali Dei, dummodò peccasse doleat, malèfactaq; sua ipse per confessionem exponat, & damnet, nominis proprij commemoratione illum sceleris sui admonuit, & Iudam, quod est confessio, vocauit, vt confiteretur peccatum suum, aut deinceps nihil haberet, quo istam prætermissæ confessionis oscitantiam inumbrare posset, vt cui Dominus ipse, quem prodebat, suggerebat, quomodo illius suæ noxæ gratiam impetrare posset, si resipiscere vellet.

Mandabat Deus Abrahæ, & in illo omnibus secuturis Hebræis, vt circumciderentur, dicens: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum;* Gen. 17. 12. 13. Sed quomodo in fœdus æternum, cùm dudum abrogata fuerit circumcisio? Hanc facilè soluunt quæstionem Interpretes. Mihi hîc interrogare in mentem venit, cur tali signo Dominus notatos voluerit Hebræos, sic vt illo carere nemo posset, nisi qui carere vitâ vellet.

Respondet S. Ioannes Chrysostomus homil. 39. in Genesin: *Cùm Deus sciret imperfectas, & prauas eorũ mentes futuras, signum circumcisionis quasi frænum quoddam imposuit, ad indomitos eorum animos cohibendos, vt ne Gentibus commiscerentur. Ideò dato eis perpetuo memoriali iniecit eis circumcisionis signum quasi vinculum quoddam.* Nouerat Deus peruersam illius populi indolem, nouerat quàm impotenti libidine turpium carnis voluptatum laborarent Hebræi, nouerat quanto impetu in obscænos inconcessæ Veneris actus, & mulierum extranearum complexus ruerent. Eapropter circumcisionis notam eis imposuit, vt procaci appetitui esset pro fræno, liberis cogitationibus pro compedibus, desidi obliuioni pro monumento, & nihil obtendere possent, quo lubricæ carnis suæ petulantem lasciuiam tegerent, vel excusarent. Tam vigilanter, & solicitè Dominus suas pœnas hominibus probare, iusteque, & certo iudicio factas ostendere solet.

*Simile argumentum alibi sæpè, ac fusè tractatur. Vide Periocham II. Dominicæ IX. post Pentecosten To. 2. pag. 160. b. o. & alia loca ad finem illius Periochæ subnotata.*

## CAPVT VIII.

**Communis morbus est, vt sua officia curent negligentiùs, qui diligentiùs debent.**

ELegit Loth terram Sodomæ, quòd fertilior esset, & abundantior, *irrigabaturque sicut paradisus Domini,* vt ait beatus Moyses Gen. 13. 10. *Homines autem Sodomitæ* in terra illa optima *pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis;* ibid. v. 13. Quis cogitare potuisset, quod ibi tam inuerecundè, consceleratèque videretur, vbi Deo pro tam frugiferi soli, tamque vberis, & opulentæ terræ concessione plurimæ, & maximæ gratiæ agi debebant? Quis dicis!

dicis! Quicunque peruersum mundi ingenium nouit, & morem agendi illius familiarem, qui hoc habet, vt plerumque magis ingrati sint Deo, qui magis illi obnoxij, & deuincti, & minùs soluat, qui plus debet.

Famâ prodigiosæ, & nullis sæculis auditæ macerationis, & austeritatis inter natos mulierum maximi excitatus Iudæorum populus tanto numero concurrebat, vt hominibus vicos, pagos, oppida, quidem vacuaret, impleret verò eremum, & solitudines ex vrbibus, vrbes ex solitudinibus faceret. Nemo domum redibat, quem non obstupefecisset inimitabilis vitæ, quam Ioannes ibi ducebat, & duræ pœnitentiæ, quàm faciebat, aspectus. Compungebantur animis, quotquot illum vsurpabant oculis, & qui curiosi aduenerant, pœnitentes vitæ superioris malæ, & ad saniorem, ac sanctiorem obfirmati discedebant. *Et interrogabant eum turba*; Lucæ 3. 10. homines de vulgo, quid facerent, quàm tenere vitæ rationem deberent. *Venerunt autem & publicani*, ibid. v. 12. homines de nulla re magis, quàm de sordida auaritia, & improbitate noti, quæsiueruntque vulneratis conscientijs suis medicinam. Ipsi adeò milites (quo dici maius nihil potest) humiliter, ac submissè tanquàm oraculum cœleste sciscitabantur Ioannem, quomodo sui officij partes rectè exequi deberent: *Interrogabant autem eum & milites*; ibid. v. 14. Vide hic fæcem Reipublicæ, & sentinam vitiorum! Vide extremos populi, qui suis malis remedium, suis infirmitatibus curationem, non quæsiti à Ioanne quærunt.

Vide nunc etiam, quid præterea dicat Euangelista: *Herodes autem tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcere*, ibid. v. 19. 20. Postquàm hæc compendiariò indicasset, S. Lucas, redijt ad cœptam de Ioanne in deserto, & Christo ab illo baptizato historiam.

Quærit Theophylactus, quam ob causam Lucas huic narrationi interseruit, commemorationem atrocis sceleris Herodiani, qui Ioannem primùm carceri, post hæc etiam neci addixerit. Quid sibi vult hoc assumentum, & tam anticipata relatio istius flagitij posterioribus diebus perpetrati?

Respondet Magnus Bulgarorum Archiepiscopus: *Meritò interserit hoc loco Euangelista de Herode, quasi in hunc modum dicens. Turba quidem talia de Ioanne sentiebat, Herodes autem cùm reprehenderetur ab eo, etiam ad omnia facinora adiecit, vt includeret eum in carcere. Narrat itaq; hæc, miserum illum, & ærumnosum indicans, quandoquidem talia ausus fuerat, turbâ tantam opinionem habente de Ioanne.* Hæc ille. Interiecit ergo hanc Lucas facinoris Herodiani narratiunculam, velut dixisset. Videte commune mundi vitium! videte officij sui negligentiores, qui studiosissimè, & exactissimè accurare debebant! Quando vulgus hominum Ioannem reuerenter obseruat, rex indignè contemnit, quem Publicanus de suæ salutis negotijs consulit, Herodes vincit, stringit, & in carcerem conijcit, quem miles colit, & timet, tetrarcha capitis damnat, & obtruncat.

Ibat seruus domus Abrahæ senior, vt Isaaco vxorem quæreret, instructus ab omnibus, quæ res illa requirebat, & benè doctus, quibus conditionibus pacisci nuptias deberet. Cùm iam non procul abesset à ciuitate Nachor (quæ est in Mesopotamia), verbis paucis, sed votis ardentibus Deum ita precatus fuit: *Puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac*; Gen. 24. 14.

S. Ioannes Chrysostomus plurimâ dignam admiratione putauit talem Eliezer serui solertiam, & precationem, qui cùm tanti ponderis rem, Sponsam, dico, Domini sui filio indagatum, & procuratum ibat, eam tanto Patriarchâ dignam arbitratus fuerit coniugem, quæ cantharo onerata fonte ad hauriendam aquam peteret. Si domicellam designasset, quæ famulorum turbam post se duceret, cuius ceruicem monilia prægrauarent, cuius è digitis, totoque corpore radiarent gemmæ, cuius splendidus vestitus intuentium oculos perstringeret, aptiorem Isaaco vxorem denotasset; aquatrix puella parùm decere videtur talem maritum. Immò verò hæc quàm maximè decuit, inquit Os aureum. Nuptiarum enim conciliator, & pronubus morum honestatem, & vitæ integritatem requirebat in puella, quam Sponsam quærebat, cùmque hæc plerumque faciliùs reperiantur apud vulgares, & mediocris fortunæ homines, qui paucioribus nominibus tenentur esse studiosi virtutis, propterea dixerit Eliezer: Citiùs credidero esse virtute, ac pietate præditam, quæ hydriam humero baiulat, quàm quæ margaritam in pectore gestat.

Accipite Chrysostomum, qui in hom. de vxoribus ducendis in Append. To. 6. sic habet: *Cui dixero, Præbe hydriam tuam, vt bibam. Quid ais, bone vir, adeòne vilem hero tuo quæris coniugem, aquatricem! Etiam, inquit. Missus enim sum, non pecuniosam,*

*sā, aut formosā, sed moribus ingenuis præditā quærere. Multæ sæpè ex istis aquatricibus in solidū virtutē possident, aliæ contra in magnificis desidentes ædibus ignauissimæ sunt, & deterrimæ.* O Deus, quantus sæpè amor, & cultus Dei est in culinis, quantum diabolicæ imitationis in stratis, & peristromatis!

Cœcus quidam iuxtà viam sedebat, per quam transibat Redemptor noster, & Magister; cùmq; ille famam miraculorum Christi ante percepisset, & nunc transire intelligeret, magnis vocibus succlamabat: *Iesu Fili Dauid, miserere mei*; Lucæ 18. 38. non stagnet ergà me vnum pietas tua, quæ in omnes redundat. Multa Christum cingebat turba, ex quibus *qui præibant, increpabant eum, vt taceret*; ibid. v. 39.

Notandum, quod cùm plurimos & à tergo, & ob oculos haberet Dominus comites, soli priores obiurgârunt cœcum, *& qui præibant, increpabant eum.* Hi, qui in Christi societate positi præeunt alijs, adumbrant eos, qui in domo illius alijs officio, & dignitate præstant, quales sunt Sacerdotes, & Religiosi, & alij eiusmodi. Hi sunt primi, qui alios increpare solent, ac dicere: Quò tanta pœnitentia? Quò tam frequens Sacramentorum vsus? Quò tam crebra exomologesis, & peccatorum confessio? Quò ista hominum fuga, & vita tam solitaria? Quò illud triste, ac luctuosum vitæ genus! & ad hunc modum alia. Itaq; magis algere videmus eos, qui ardentiùs flagrare debebant, & impedimentum adferri pietati ab eis, à quibus promouenda fuerat. Hæc est magni Ecclesiastæ Ioannis Osorij obseruatio, qui in serm. Domin. Quinquages. sic dicebat: *Qui præeuntes Christum comitantur, impedirent cœcum clamantem ad Christum, aliquando enim & ipsi Sacerdotes dicunt, vt quid tanta Sacramentorum, & orationum frequentia?*

Quærit aliquid Theophrastus, quod videtur otiosum, quarumnam arborum sit prolixior vita, earumné, quæ incultis in eremis, rudibusque campis sunt plantatæ, an verò quæ in hortis positæ stercorātur, rigantur, magnâque hortulani industriâ, & omni studio coluntur. Videor vos audire respondentes, quod eius arboris sit diuturnior duratio, quæ intrà hortum constituta stercoratur crebriùs, rigatur crebriùs, curatur diligentiùs, id nemini dubium esse posse. Theophrastus autem vos falli, & longæuiores domesticis, atque vrbanis esse Syluestres, & agrestes affirmat. Verba eius ex l. 4. de causis plant. c. 1. sunt hæc: *Culta celeriùs, quàm inculta senescūt, & ad summum vrbana, quàm syluestria.* Et mox subiungit: *Quanquàm absurdum fortassè appareat, si quæ magis coluntur, celeriùs occidunt.* Tale quid in mundo communiter accidit, vt nimirùm maiora scandala ex se præbeant, qui sanctitate præstare, & excitare ad probitatem alios debeant. Fidem, charitatem, timorem, & reuerentiam Dei maiorem apud homines rusticos, agrestes, & syluestres plerumque reperias. Pauperes sua debita fideliùs soluunt, ægriùs, ac tardiùs magnates, & locupletes, qui ferè amant esse, & mori in ære alieno, nescio an etiam gloriæ ducant debita multa contrahere, nulla luere. Hi sunt, qui templa turbare, virginum pudicitiam pertentare, inferre flagitium coniugatis, & suâ turpi viuendi licentiâ, & libertate alios plurimùm offendere soleant. *Quanquàm absurdum fortassè appareat, si quæ magis coluntur, celeriùs occidunt.* Sunt tamen Principes, Magnates, alijque nobiles, qui studeant gratificari, & seruire Deo, & quantùm dignitate stabtus, tantùm sanctitate vitæ antecellere, optimoque exemplo alijs ad pietatem præire.

## CAPVT IX.

*Omnia bona, & mala ad vnum gratiæ bonum, & culpæ malum reuocantur, præter hæc enim non est aliud vel malum, quod timeas, vel bonum, quod expetas.*

AVdistis plurimùm commendari patriam Sodomitarum à fertilitate, opulentia, amœnitate, & ab eo, quod *vniuersa irrigabatur, sicut paradisus Domini*, tanquàm cum primo illo voluptatis loco certare de iucunditate, & abundantia posset. Ac patria quidem talis erat, *homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis, inquit sacer Historicus* Genes. 13. 13. tanquàm dixisset: Parùm illis proderat vbertas patrij soli, & bonorum temporalium incredibilis affluentia, quibus maxima opulentia deerat, Dei scilicet gratia. Nam si rem benè expendas, inuenies, præter Dei gratiam non esse aliud bonum, nec malum aliud præter culpam. Omnibus enim abundat, qui omnibus est nudatus, dum sit modò amicus Dei. Sic inter cæterarum rerum copiam inopissimus est, qui Deo inuisus, eiusq; gratiâ destitutus.

Nocte cœnæ, cùm orationem ad æternum Patrem suum pro salute Discipulorum Christus funderet, sic ad illum aiebat: Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo; Iob. 17. 15.

De hoc malo communiter affirmant omnes, esse peccatum. Ita sancti Augustinus, & Chrysostomus, Euthy-

Euthymius, Theophylactus. At si Christus optauit Discipulos suos seruari à peccato, cur hoc perspicuis verbis non petijt? Cur dixit: *Rogo, vt serues eos à malo*, cùm dicere posset, *rogo, vt obserues eos à peccato?* Fecit hoc, vt intelligeremus, nullum esse malum, nisi peccatum, sicut nullum est bonum, nisi gratia.

Ærumnæ, aduersitates, persecutiones, infirmitates, sitis, fames tam non sunt mala ijs, qui sunt in gratia Dei, vt potiùs sint bona, & occasio incrementi gratiæ. Propterea dicebat S. Ioannes Chrysost. in hom. de Abraham, To. 1. *In rem nostram sunt tentationes.* Quantum afflictionum, cruciatuum, calamitatum huius vitæ habet Iustus, tantùm habet auri, argenti, & gloriæ cœlestis, omnia in illius vtilitatem, & honorem cedunt. Maiestas autem, & potentia, bona valetudo, venustas, opulentia, & cætera fortunæ bona coniuncta cum peccato tam non sunt bona, vt etiam maiorem damnationem adferant illi, qui ea habet. Ergo non est aliud bonum, præter gratiam, nec aliud malum, præter peccatum.

Audiamus hanc in rem etiam Caietanum, qui in superiora Domini verba sic disserit: *Non dicit*, vt serues eos *à tribulationibus, ab odijs, à persecutionibus*, sed à malo, *hoc est, vt serues eos, ne aliquid proueniat eis in malum, quod est æternæ separationis à Deo.*

Postquàm tres reges Magi adorauerant maiestatem infantis Dei, cuius thronus erat præsepe, admoniti per quietem fuerunt, ne reuerterentur ad Herodem, de quo S. Matthæus c. 2. v. 12. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.*

Expendendum hoc mandatum, quod habuerunt sancti Reges. Videtur enim illis aliquid declarari debuisse, quibus vnum prohitum fuit. Iubebantur non reuerti ad Herodem, permittebantur redire ad sua. Via ergo necessariò ijs demonstranda fuit, perquam redirent, nam illi, vt parùm versati in illa patria fuerant, ita rectum iter, quod ad sua se reciperent, tam facilè reperire non poterant, maximè cùm stella prælucere viam iam desierat. Qui factum, quod quibus tam solicitè imperatum, ne redirent ad Herodem, non est consequenter indicata via, per quam declinare illum deberent?

Percunctemur quid rei Herodes in hoc negotio repræsentauerit. S. Bruno in serm. de Epiph. Dom. To. 3. respondet: *Herodes iste diabolus est, Herodes iste peccatum est.* Dæmonium, & peius illo peccatum Herodes referebat. Dictum ergo fuit sanctis Regibus, non esse necessarium indicare eis viam, dummodò non irent ad Herodem, nec aliud quoduis iter illis incommodum, aut parùm felix cadere posse, nec enim aliud est malum iter, quàm quod ad peccandum ducit. Propterea de illo, qui peccat, dicimus. *Anda malos passos*, malis passibus pergit, nullus enim est sinister passus, nisi quo ad offendendum Deum mouemur, reliqui omnes sunt boni.

S. Bruno istum his verbis absoluit conceptum: *Vna via prohibetur, cætera bonæ sunt. Redire ad Herodem malum est, hanc viam fugiamus, hæc via non ducit nos ad patriam. Herodes iste diabolus est, Herodes iste peccatum est, omnis via, quæ ducit ad ipsum, mala est.*

Notandus in his sancti Brunonis verbis ordo, quo disponit res, quas ab Herode repræsentatas affirmat. Vt in scenis vnus duas personas gerere sæpè solet, sic Herodes dæmonem, peccatumq; retulit. Cùm ergo dixisset, *Herodes iste diabolus est*, tanquàm parùm dixisse putasset, statim addidit, *Herodes iste peccatum est*, seu venenum gratiæ. Et benè putauit parùm dixisse, quia neque diabolus, neque omnes simul inferorum copiæ, nec quicunq; alij hostes nobis quidquam adferre incommodi possunt, nisi cum illis peccatum in nostram perniciem conspiret.

Eapropter S. Paulus omnes creaturas prouocabat, illasque & omnes vitæ huius ærumnas glorianter appellabat, dicens: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Rom. 8. 35. Nihil horum. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, ibid. v. 38. 39. Ioannes Cluniacensis serm. 67. To. 2. ait: *Omnia prouocauit, & de solo peccato tacuit.* Cùm pro animi sui magnitudine omnia prouocare Paulus ausus fuerit, solùm peccatum lacessere timuit. Alia enim omnia non habent eas vires, vt auellere quemquam ab amicitia Dei queant, vnum, solumq; peccatum obliterare, abolere, extinguere eam momento potest. Itaq; solum etiam peccatum est malum, cætera bona esse possunt, si cum gratia Dei sint coniuncta.

Non intempestiuè huc veniet responsum, quod cœlestis Magister dedit illis miseræ adulteræ in flagranti crimine deprehensæ delatoribus. Christus velut dissimulabat audiuisse accusationem obscœni criminis. Cùm verò Scribæ, & Sacerdotes persequi

ream, & vrgere iustitiam pergerent, respondit pius, & sapiens Dominus: *Qui sine peccato est Vestrûm, primus in illam lapidem mittat*; Ioann. 8. 7. Cùm Moyses, vt vultis, lapidari iusserit mulieres, quæ debitam, promissamque maritis non seruant fidem, si quis ex vobis sceleris est purus, is hanc, quam ream facitis, primus appetat saxis, & in lege promulgatam sententiam exequatur.

Gelasius Papa decr. de abrogand. Lupercalib. apud August. Maon. select. histor. c. 119. obseruauit in his supremi iudicis verbis, quod *non ait, si quis Vestrûm non similiter adulter est, sed si quis sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* Non ab adulterio tantùm, verùm & ab omni alio peccato volebat eos mundos, vt nemo cogitaret, solam mœchiam esse, quæ lapidibus plecti, solam libidinem obscœnam, quæ subitò castigari, solum turpem concubitum, qui deplorari debeat; sed hoc sibi quisque persuasum habeat, quod vnumquodlibet peccatum, qualecunq; illud sit, est suprema hominis infelicitas, & deploratissima illius calamitas. Nulla enim aduersitas, miseria nulla, nullus dolor esse, aut excogitari potest, quod mali nomen mereatur, si cum peccato componatur.

Nam vt Ecclesia in Quadragesimali quadam oratione canit, *tunc nulla nobis nocebit aduersitas si nulla dominetur iniquitas.* Mala cætera, quæcunque hoc nomine censentur, non habent quidquam contagionis, ærumnæ non habent virus, non habent toxicum dolores, quo inficiant, & interficiant, nisi peccatum illis suum venenum affundat.

In ea epistola, quam Apostolus ad Hebræos dedit, cùm docere vellet, vnde accersere nobis solatium inter ærumnas, & robur ad fortiter perferenda aduersa debeamus, iubebat attentis oculis Christum Magistrum, & Ducem nostrum arbitrari, qui omnia cruciatuum, & dolorum genera expertus fuerit, atq; idcircò non miserari non possit eos, qui rebus afflictantur aduersis. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*; Heb. 4. 15.

Hic locus multas dubio procul patitur difficultates. Nam quantum verba Apostoli sonant, videtur ille dicere, quod Christus solùm apparenter tentatus fuit: *Tentatum pro similitudine*; quodque illius tormenta fuerunt magis picta, quàm vera. Sed cùm fidei certum dogma habeat, Apostolusque ipse doceat, quod Christus reapse, non imaginariè, verè, non apparenter passus est, quomodo verba eius rectè accipiemus? Verus illorum sensus facilis est, & obuius. Nonne dicit S. Paulus, Christum fuisse tentatum, vexatum, passum *absque peccato?* Certum est. Quod ergo dicit, tale est: Non aio ego, Christum non fuisse verè tentatum, afflictum, cruciatum, passum, hoc dicere volo, tantam esse peccati malitiam, vt omnes miseriæ, cruciatus, dolores, si cum illo conferantur, magis picti, quàm veri videantur, vt propterea Christus, quia absque peccato fuit, magis pro similitudine tentatus, quàm reapse, & apparenter potiùs, quàm verè passus fuerit, quamuis inexplicabiles cruciatus tulerit. Granditer, & magnificè amplificauit Apostolus malitiam peccati, quæ tanta sit, vt dolorum, & crucitatuum nomen non mereantur quantiuis illi dolores, & cruciatus, à quibus absit peccatum.

S. Bruno serm. 8. Natiu. To. 3. ait: *Superflua, & nociua sola peccata sunt.* Grauiter dictum illud, *superflua sola peccata sunt.* Superfluum vocatur id, quod nulli vsui est, ex quo nihil vtile fieri possit. Solùm ergò peccatum superfluum est, ex illo enim nihil nisi malum, & noxium hauriri potest. Cætera mala superflua dici nequeunt, nam *diligentibus Deũ* (vt S. Paulus Rom. 8. 28. habet) *omnia cooperantur in bonum*, etiam illa, quæ mundus in malis non benè censet. Ingeniosa charitas & alchimiæ sanctioris perita solerter ex ferro ærumnarum producit aurum ad conficiendam coronam gloriæ, & tanquàm sedula apis ex omnibus legit mel, non ex suaui rosmarino solùm, verùm ex amariore genista etiam. Ex omnibus meritorum lucra facit seruus Dei. Ergo si omnia mala, quæ coniunctam habent gratiam Dei, conuertuntur in bona, nullum aliud malum erit præter peccatum, quod omnia bona sic peruertit, vt conuertat in mala.

*Vide in secunda parte Politici lib. 9. cap. 1. Vbi similem funem torquet.*



# LIBER III.
# VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Tam iustum, & sanctum opus est subsidium ferre regibus inter angustias positis, vt ex altari accipere debeas, quo illorum necessitatem leues, si aliud desit, quo opitulari queas.*



Vanquàm repugnet meæ professioni, debeo, falcem meam in messem mittere alienam, barbari enim quidam, & gentiles reges cogunt quodammodò vel paucis breuiter tractare quædam ad politicam gubernationem pertinentia. Quod subditi suo Regi, & legitimo domino subueniant, id tam consentaneum est rationi, & iustitiæ, vt secundùm omnia iura sit illis succurrendum, quandocunq; illorum necessitas, & res angustæ opem postulant. Absq; tali enim subsidio neque regna conseruari, nec defendi ciuitates possunt. Sic ait Imperator Iustinianus apud Petrum Gregor. lib. 3. de Rep. c. 1. *Impossibile est, vt sacris tributis non illatis alioquin Respublica conseruetur.* Vocat ea tributa Imperator sacra, quia quod subditi homines Regibus suis suarum facultatum ope subueniant, quando eorum necessitas hoc exigat, id cum sacra lege Dei valdè congruit.

Et quid de hominibus dico subditis? Etiam sensu destitutæ creaturæ, quantum videtur, tenentur miserari suum Principem, & Dominum, quando illum in afflictione, & angustia positum vident, sic vt commoueantur dolore illius, cuius rebus exulceratis remedium ferre non possunt. Nuntiata fuit Dauidi infelix mors sui amici Ionathæ, & patris illius Saulis, cæterorumq; Principum & magnatum Israelitici populi: Acerbo cum mœrore accepit, tam elegantem florem sanguinario Martis ferro succisum emarcuisse, iustâq; irâ inflammatus, ad montes Gelboë se conuertens ait: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos, nec sint agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo*; 2. Reg. 1. 21. Peccatio fuit, aut imprecatio fuit, vt sterilitate damnarentur montes illi, in quibus tam deploranda strages edita fuerat. Sed quid peccauerant orbi sensibus montes, vt tam vehementer eis succenseret, tantumque malum optaret Propheta Sanctus?

S. Ambrosius lib. 3. de Offic. c. 9. ait, tantam fuisse illorum verborum energiam, & efficacitatem, vt ex eo momento montes illi omnibus sui viroris ornamentis nudati, perpetuoq; squalidi, & horridi, atq; inculti manserint. *Aruerunt montes*, inquit ille, *prophetico maledicto, & diuina vis sententiam maledictionis impleuit. Itaq; pro regia necis spectaculo pœnam elementa soluerunt.* At quid mali egerũt montes, vt Dauid quidem maledicto eos feriret, Deus verò ariditate, & sterilitate mulctaret, tanquàm consortes fuissẽt necis, quæ Sauli, exercituiq; illius illata fuit? *Pro regia necis spectaculo pœnam elementa soluerunt.* Spectatores aderant montes, quando Saul Rex, & Dominus illorum occumbebat, & quanquàm absq; sensibus essent, videntur nihilominùs sensum aliquem doloris, & miserationis demonstrare debuisse. Quoniam verò nihil tale fecerunt, meritò emarcuerunt, & in suo virore sepulti iustas pœnas pro neglecto debitæ pietatis officio soluerunt. Tam arctis enim omnium iurium, & legum nexibus adstringuntur subditi ad opitulandum suis regibus inter angustias laborantibus, vt ne montes quidem, ac cæteræ absq; sensibus creaturæ liberæ ab hac obligatione videantur.

Quemlibet vel mediocriter prudentem mouebit, quid causæ sit tam sanguinolentæ occidionis, quâ Deus occidit suum populum, postquàm Arca ex terra idololatrarum Philistinorum relata fuit. De illa nece sic ait sacer historicus 1. Reg. 6. 19. *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Horribilis strages, quâ quinquaginta millia hominum momento vno extincta fuerunt! Quî factum, quod Dominus ità desæuijt in populum suum tunc, cùm pro reddita Arca lætari omnes, & exultare gaudio debuisse videntur? Attulit laborem non qualemcunque ingenijs interpretum statuere, quid causæ fuerit, quod Dominus tantâ cæde plebem Betsamiticam mactauit. Quidquid illi hanc in rem dixerunt, id ego veneror. Verùm Theodoreti commentationem hac vice amplector, & sequor, quæ alibi à nobis commemorata, huc non minùs aptè,

aptè, quàm illic cadit: *Populus fuit castigatus* (inquit ille q. 14. in lib. 1. Reg.) *Vt qui noluerit pro arca adire pericula.* Arcam testamenti interceperant Philisthæi. Erat illa dux Israëlitarum, quibus ad bella præibat, & in omni ancipiti conflictu subsidium ferebat. Apud illum Deus sua oracula fundebat, & in rebus dubijs responsa dabat. Cùm hanc tam venerabilem, & sospitatricem Arcam in potestatem ethnicorum redactam indignè dehonestari, & sacrilegè profanari cernerent, non laborabant, vt eam à captiuitate, & probris, quæ ab illis propudiosis hominibus accipiebat, vindicarent, cùm ea occasione pro illius libertate, ac redemptione facultates, existimationem, sanguinem, vitam offerre debuissent, nec vlli studio parcere, aut labori. Et quoniam prætermiserunt quod fidorum subditorum & gratorum seruorum erat, otiosam illis vitam iratus Deus ademit? Nam si imperatorẽ suũ milites, si regẽ suũ subditi, si dominũ serui contumeliosè haberi, & laborare necessitate videãt, neq; fortunas, honorẽ, vitã adeò, si opus fuerit, pro illius salute discrimini exponant id tam iniquæ accipit Deus, vt illam turpitudinis maculam non alio, quàm inofficiosorum eorum sanguine diluere posse videatur, qui opitulari Principibus suis neglexerunt. Regibus, & a ijs dominis ope indigentibus ita subuenire subditi omnibus suis & viribus, & rebus debent, vt neque vitæ suæ parcant si eam pro illorum sospitatione profundere sit necessum.

Vt hoc testatum demus, necessarium est rememorare hîc aliquid, quod & suprà attigimus. Dictum ibi, venisse Dauidem in Nobe ad Abimelech sacerdotem, eiq;, cùm aduentum illius solitarium cum stupore admiratus fuisset, dixisse: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, nemo sciat rem propter quam missus es à me*; 1. Reg. 21. 2. Secretum ex rege habeo tam secretum, vt detegere nemini ausim, & cùm graue sit negotium regium, ingens quoq; est necessitas panis, quâ laboro, quare te quæso, vt mihi de annona prouideas. Grata erit ipsi etiam regi tua humanitas, & prolixitas, cui non qualecunq; officium præstiteris, si mihi officijs illius occupato remedium famis ministraueris. Respondit Abimelech: *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum*, eumq; aræ, siue mensæ propositionis impositum, ibid. v. 4. *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem*, ibid. v. 6. Itané verò panis sanctus, & Deo sacer ex ipso altari auferri debuit, vt cuidam regis nuntio daretur? Debuit. Putabat sacerdos Dauidem vera dixisse, & momentosum negotium regis habere, quod curatum iret. Cùm ergo ita existimaret, necessitatemq; nuncij regij videret, non dubitauit ex ipso altari accipere, quo illi subueniret. Quando enim res ita postulant, & regum causis afflictis aliunde ferri subsidium non potest, ex Aris sacris accipi potest, quo eorum necessitas leuetur. Indicat hoc Abulensis q. 8. in c. 21. lib. 1. Reg. Dicens: *Vidit eius magnam velocitatem ex mandato regis, ideò non misit ad aliam domum pro pane, sed credidit obseruationem præcepti regalis sufficere ad hoc, quod posset dare Dauid de cibis sanctificatis.*

Hanc ob causam arbitrantur quidam Interpretum iustum fuisse bellum quatuor regum contrà quinq; Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, & Balæ reges. Hi quinq; reges *Duodecim annis seruierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo*, Gen. 14. 4. multiq; affirmant, ideò defecisse, ne tributa illi penderent, quæ cùm iusta essent, iniustum esse bellum non potuit, quo repetebantur. Quando autem iure teneantur subditi suorum regũ necessitatibus occurrere, tributisq; & vectigalibus, rebusq; omnibus eos, cùm res postulat, iuuare, id satis iam probatum dedimus.

## CAPVT II.

*Reges debent plurimùm attendere conseruationi suorum subditorum, cùm in quolibet eorum perdito vitæ partem perdat, deq; salute sua periclitetur, cùm regum salus, & vita in subditis sit posita.*

DE Chodorlahomor, qui potissimum illos quinque reges bello appetebat, solùm refert sacer textus apparatum cæterorum regum, quos fœderatos habebat, quanquam etiam intelligi debeat de rebus cæteris ad prælium conficiendum necessarijs, vt sunt equi, arma, commeatus, tentoria, & cætera victus humani adminicula. Hominum autem, quos sub signis habebat, sola sit mentio, vt sit documento regibus, quo in pretio habere debeant milites suos stipendiarios, quorum virtute, & pugnandi ardore sua regna stabiliunt, & salua conseruant.

Debent cogitare reges quanquàm Deum cœli in terra repræsentant, longè alium esse suum, ac illius principatum, longè alium suum, ac illius imperium, de quo Propheta Isaias ait: *Factus est Principatus super humerum eius*; Isai. 9. 6. Deus athlas est, qui orbem vniuersum, cœlorumq;, & terræ imperium suis humeris sustentat. Quid voluit significare Propheta Euangelicus, cùm inusitato loquendi more

more principatum ſuper humerum naſcituri in carne Filij Dei fore prædixit? Quis vidit picturam mundani alicuius regis ſua regnā ſubiectis humeris ferentis? Turpis æmulatio principatus illius ſuperni, aut fœda aſſentatio impudentium palponum fuerit, ſi quis regem mortalem ſic aliquando vel effigiauit, vel delineauit. Quid ergo ſibi vult illud Iſaiæ, *Factus eſt principatus ſuper humerum eius?*

Varia habeo ex multis Expoſitoribus reſponſa, quæ alibi commoda venient. Præſenti cauſæ ſeruit, quod Nicetas Sancti Gregorij Nazianzeni illuſtris ſcholiaſtes in orat. eius 19. ait, vbi ita: *Principatum habet in humero ſuo, non ſicut cæteri reges, qui habent principatum ſuum non in humero ſuo, ſed in militibus, ducibus, & alijs rebus.* Deus nullis vel ſuppetijs, vel ſubſidijs alijs eget, quibus maieſtatem imperiumq; ſuum ſuffulciat, ille ſibi, ſuæque magnificentiæ ſuſtentandæ ſufficit. & hoc eſt principatum habere ſuper humeros. Verùm cæteri ex hominibus reges non poſſunt ſe ſuſtentare ſuis humeris, niſi ſuffulciantur à militibus, ducibus bellorum, amicis ſapientibus, locupletibus, quorum hi conſilio, illi gladio; hi ſalubribus monitis, illi ſubſidijs pecuniarijs, omnes omnibus, quibus poſſunt, modis opitulentur: Ii enim ſunt baſis monarchiæ, vita principatuum, columnæ regnorum, fulcra imperiorum. Debent ergo reges vigilanter proſpicere ſubditis ſuis, in quibus vita, ſaluſque eorum eſt poſita.

Sub aquilæ metaphora dicet id nobis propheta Ezechiel, qui iuſſu hæc ſcripta reliquit: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri*: Ezech. 17. 3. LXX. Interpretes apud Theodoretum ſic tranſtulerunt iſta: *Aquila magna magnis alis prædita, longâ extenſione, plena vnguium.* Hæc aquila, ex eodem Theodoreto, fuit Rex Nabuchodonoſor, cuius exercitus aquilam robore, & volocitate referebat, eamq; diuerſarum nationum populis tanquàm varijs plumis ornatam, & plenam vnguium. De aquila ex Plinio, Bartholomæo, Anglico, Ioanne de S. Geminiano, Vincentio Beluacenſi, Petro Berchorio, & alijs autoribus, & experientiâ teſte reliquis omnibus locupletiore ſcimus, robur ſuum, vireſq; omnes in vnguibus poſita habere, quibus pro gladio, & ſcuto vtitur, ſeſeque defendit, & offendit aduerſarios. Quinam ſunt huius aquilæ vngues, in quibus virtus illius, potentiaq; omnis eſt poſita?

Reſpondet Theodoretus: *Vngues Regis ſunt milites, qui celeres ſunt, atq; validi ad percutiendum, & feræ inſtar dilaniandum eos, qui contradicere conantur.* Militibus tanquàm vnguibus rex quilibet defendit ſe, offendit alios. Quod ergo ſine vnguibus aquila, hoc abſq; milite, & ſubditis Princeps.

Solus Deus ſine milite eſt Dominus exercituum, & conflictuum. Euicimus hoc iam ex Iſaia, ſed vt magis confirmemus, neceſſum erit recurrere ad illam Bethſemitarum ſuperiori capite commemoratam cædem, & quærere, quamobrem Dominus tot millia hominum vnâ occidione extinxerit, poſtquàm ex Philiſtinorum poteſtate Arca libera redijt. Sacer textus quidem ait, cæſos tot homines fuiſſe, *eò quod vidiſſent Arcam Domini*, 1. Reg. 6. 19. Sed quid hoc flagitij fuit, vt pro ſolo Arcæ liberiore intuitu pœnas tam graues darent?

Reſpondet Abulenſis: *Arca Dei à Principio inter ipſos fuerat aliquid nimis honorabile, quia tamen ducta fuerat à Philiſthinis, & manſerat in terra ipſorum, fortè iam non crederetur tanto digna honore.* Summa fuit ante Iſrelitarum ergà Arcam reuerentia, ſic ut propiùs eam adire non auderent. Cùm verò in terra hoſtili pluſculos menſes captiua hæſitaſſet, de magnificentia ſua, exiſtimationeq; & ſplendore decidiſſe illam ſunt arbitrati, vt propterea illis maieſtas eius vileſcere, & fieri deſpicabilis cœperit, ex quo & factum, vt eam irreuerenter nudare, & prælicenter impudentibus luſtrare oculis auſi fuerint. Vt ergò intelligerent, nihil eius poteſtati, & magnitudini deceſſiſſe, ſed virtutem veterem ſemper conſeruaſſe integram, tam ſanguinolentam ſtragem intrà breuiſſimum tempus Dominus edidit, vt vel inde acciperent, inter amicos, & inimicos manſiſſe ſemper eandem. Super humeros ſuos ſuum habet principatum, quem nec augent amici, nec debilitant hoſtes, neque confirmant, neq; hi frangunt, aut extenuant. Ipſe namq; eſt Rex Deus, & non rex homo. Regis hominis potentiam imminuit paucitas ſubditorum, numeroſa verò copia timorem contrarijs adfert. Rex homo ſine hominibus more humano ſe tueri non poteſt. Magnoperè ergo curare Reges debent, vt benè ſit ſubditis, quià maieſtatis ſuæ conſeruatio ex illorum ſalute pendet.

Inter Diſcipulos Chriſti Beniamin illius Ioannes ait, ſecutam fuiſſe Dominum maximam hominum variorum multitudinem, neque vno tamen omnes conſilio comitatos. Subijt ille tunc in montem, atque ibi cum diſcipulis conſedit, ſublatiſque oculis cùm vidiſſet tam frequentem hominum conuentum, ac neceſſitatem famis, quam patiabantur, con-

uerſus

uersus ad Philippum dixit: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6. 5. vnde victum cateruæ tam copiosæ, annonamque necessariam accersemus?

Omnes Expositores statim inquirunt, cur diuinus Magister vnius Philippi consilium potiùs, quàm alterius cuiusuis Apostolorum exquisierit. Cur non consuluit Petrum. Cur Ioannem suum dilectissimum præterijt? Cur Iacobum non interrogauit, quem cum prioribus ad consilia secretiora adhibere alioquin solebat? Cur de re tantilla cum his non communicauit, quod aliorum factorum suorum grauissimorum conscios esse voluit?

Multi hîc multa dicunt, ad rem autem præsentem S. Cyrillus lib. 3. in Ioan. c. 13. & Theophilactus. Cyrillus inquit: *Vt rudiorem rogat.* Et Theophilactus: *Quià maiore indigebat eruditione.* At si consilium Dominus requirebat, cur id à rudiore, & eruditionis magis indigo expetebat? Consultatio cùm prudentioribus, cum sapientioribus, cum his, qui magis versati sunt in studio rerum, quæ dubitationem adferunt, instituitur. Quid ergò Christus rudiorem rogat?

Fecit hoc, vt indicaret, quidnam inter ipsum, & Reges alios interesset. Cæteri Reges, Principes, Domini, vt rectè agere possint, agendi consilia à sapientioribus, & prudentioribus, & magis expertis postulant. Verùm Dominus multò aliter egit. Nam ille siquidem interrogauit, hoc fecit, vt instrueret, neq; consilium consilio alio petijt, quàm vt daret? Propterea consilium poposcit ab imprudentiore, & consuluit minùs gnarum, *Ipse enim sciebat, quid esset facturus*, quod monet Euangelista ibidem v. 6. Ille sibi est consiliarius, ille ipsissima Sapientia, & potentia, qui alijs vires, scientiam, & prudentiam agendi ministrat.

Reges, & Principes terræ ij sunt, qui egent consilio alieno, & mendicare debent lucem, ad cuius splendorem rectè instituere suam gubernandi rationem possint. Tacita, sed vetus fuit sæpè multorum interrogatio, cur Imperatores, & Reges tam ingentem hominum turbam habeant ab officijs aulicis, quorum alij bello rectè gerendo, paci conciliandæ alij attendant, in quibus Auditores, Quæstores, Prætores, Præsidentes, Archiguberni, Architalassi, Magistri vigiliarum, Metatores castrorum, Capitanei, Vexilliferi, alij sine numero. Cui respondet Rex Alonsus Partida, 12. Tit. 1. apud Salazar de Mendoza delas dignidades seglares lib. 3. c. 23. his exoletis verbis: *Et Enperador, e el Rei, maguer que sean grandes sennores, no pueden facer cada vno dellos mas que vnome, porque fue menester, que obiesse en su Corte omes onrados, que los siruiessen, ide quien se gouernassen las gentes, e touiessen lugares aquellas cosas, que ellos ouiessen de ver por mandado dellos*; quæ latinè sic habent: *Imperatores, & Reges quanquam magni sint domini, plus tamen quàm homo vnus, facere illorum nemo potest. Propterea necessum fuit, vt in eorum aulis multi essent viri honorati, qui illis obseruirent, & gubernarent subditos, & tempus haberent, excutiendi, pensandiq; ea, quæ ex mandato illorum videre debent.* In theatro alicuius Imperij Rex vnus, quantumuis sapiens, & potens, plùs quàm vnam personam repræsentare non potest. Nam cùm Imperator, seu Rex homo sit, habet vires valde tenues, potestatemq; perimbecillam. Videant ergò Principes, & domini terræ, quàm sollicitè, & studiosè prouidere debeant suis subditis, à quibus illorum potentia, stabilitas, maiestas, & magnificentia, post Deum, pendet, quibusq; oppressis, aut extinctis, facilè fit Principatus, Regna, Imperia subuerti, atq; interire.

Quàm opportunâ metaphorâ hanc ipsam rem Dominus per Ezechielem indicauit? Loquitur apud illum de rege quodam, aitq; esse illum vineæ cultæ, fertilisq; similem, dicens: *Ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, vt irrigaret eam de areolis germinis sui*; Ezech. 17. 7. Theodoretus vertit hæc ita: *Et ecce vitis, hæc implicata ad eam, & radices eius ad ipsam, & ramos suos extendit ei, vt putares eam cum gleba à radice plantationis suæ in campum pulchrum.* Vinea hoc loco est symbolum istius regis, *glebam autem appellauit populum*, inquit Theodoretus. Si quis vineam ædificare extrà humum, aut locum terrâ omni vacuum vellet, is vel insignem stultitiam suam proderet, vel ingens miraculum expeteret. Omnis enim vineæ viror, vigor, virtusq; ex humo illi venit, ex cuius liberalitate tota eius elegantia, opimitas, venustasq; nascitur. Quod ergo rex viti, populus glebæ, seu terræ comparatur, id eiusmodi est, ac si diceretur, eum Regem, qui se absq; subditis aut conseruari securum, aut dilatare gloriam suam posse putet, vel rem temerariam tentare, vel miraculum expectare. Quanquàm enim verum sit, quod subditis dux, & Imperator, aut Rex opus est, non inde fit, Regem non egere subditis.

Appositè huc veniet, quod Plato Epist. 1. ad Dionysium tyrannum his verbis scripsit: *Meminisse autem*

*autem te volò, tragicos plurimos, cùm tyrannum aliquem pereuntem inducunt, huiuſmodi illi voces attribuere, HEV MISER, PEREO NVLLIS FVLTVS AMICIS. Auri verò defectu pereuntem. Aliquem nullus vnquam finxit Poetarum.* Dionyſius Siciliæ tyrannus præmodùm arrogans, & inſolens erat, præfidebatq; plurimùm ſuæ opulentiæ, & affluentiæ auri, & argenti. Habebat ſimul ſubditos quàm oppreſſos, tam ſibi infenſos. Scribebat illi Plato, conſulebatq; videre quid ageret, & magis ſtudere amicis quàm diuitijs comparandis, ardentiùſque amare ſubditos, quàm numos, ac theſauros, vel ob id, quod veteres tragici affirmare ſolerent, hanc eſſe demùm regum, ad interitum rebus eorum inclinantibus, querimoniam, *Heu miſer, pereo nullis fultus amicis*, pereo, nullas habens amicorum ſubditorumq; columnas, quibus nitar. Abundet quantumuis Rex auro, atq; argento, ſi deſtitutus eſt ab amicis, & ſubditis, euerti illum, & cadere de ſtatu ſuo, prorſumq; extingui neceſſum eſt. Interitum regum Poëtæ non inopiæ auri, ſed amicorum, ſubditorumq; paucitati adſcribebant.

Sic & Spiritus Sanctus ait Prouerb. 14. 28. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Magnus Parœmiarum Salomonicarum interpres in ea verba ſic diſſerit: *Præceptum iſtud Regibus tradit Salomon, quibus ſuadet ergà multitudinem beneuolos, beneficos, & benignos eſſe, nam eorum ſalus, robur, & imperium in fide ſubditorum ſitum eſt.* Hæc Salazar. Commendat regum ſapientiſſimus regibus alijs ſuæ vitæ, & ſalutis curam, quam conſeruare hac medicinâ poſſint, ſi ſubditorum ergà ſe reuerentiam, & beneuolentiam ſuâ beneficentiâ, facilitate, prolixitate conſeruent, quorum frequentiâ roboratur eorum imperium, & dignitas ſeruatur.

Ad hunc ſenſum locutus eſt S. Gregorius Nazianzenus orat. 4. vocans milites neruos Romani imperij, quando Iouiniano Imperatori ſic ſcripſit: *Totus in eo erat, vt exercitum ſeruaret, neruosq; Romanis relinqueret*; in quæ verba Elias Cretenſis ſic diſſerit: *Romanorum neruos milites intelligit Gregorius, propterea quod vt animantibus in neruis, & oſſibus, ſic etiam Romana Reſpublica in militibus robur ſitum eſſet.* Meritò magnus Theologus milites vocat neruos Imperij; vt enim neruis inciſis ſæuiſſimus leo, & ferociſſimus taurus remittunt ſpiritus, roburq; eorum debilitatur, ita populis extenuatis, vel extinctis, Imperatorum, ac Regum potentia ſimul extenuatur, vel extinguitur.

Cum his congruit, quod de Ptolomæo Epiphane refert S. Hieronymus in c. 9. Danielis. Fuit ille à militibus interfectus, eò quod proditoriè mortem Seleuco machinatus fuerit. Dum hanc illi necem adornaret, interrogareturq; *tantas res moliens vbi haberet pecuniam, reſpondit ſibi amicos eſſe diuitias*, tanquàm cædem illam ſtruere cœperit non opulentiæ, ſed neceſſariorum, & familiarium ſuorum fiduciâ, quorum virtute rem tantam facilè perficere poſſe putauerit. Et reuerà Regibus grandia molientibus multi ſunt magis commodi, & vtiles, quàm amici, & ſubditi. Hi ſunt veri illorum theſauri, & diuitiæ inprimis neceſſariæ. Tametſi enim pecunijs quoq; rerum ſuarum partem plerumque magnam conficiant, vita tamen eorum, & ſalus, & poteſtas in ſubditis præcipuè eſt poſita.

## CAPVT III.

*Tributa moderata ſunt conceſſa, quæ idcircò Deus etiam miraculis comprobauit, prægrandia & nimis grauia ſtragem Rebuſpublicis, ruinam Imperijs, interitum regnis adferunt, ſuntq; multorum aliorum molorum ſeminaria.*

ALij Expoſitores hanc ob cauſam perduelles factos quinq; illos reges volunt, quod Chodorlahomor immoderatis tributis illos prægrauauerit, ideòq; excuſſiſſe intolerabile ſeruitutis iugum, & ſubtraxiſſe humeros oneri, quod ferre non poſſent: *Duodecim annis ſeruierant Chodorlahomor; & tertiodecimo anno receſſerunt ab eo*; Gen. 14. 4. Talis defectio, nec aliud quidquam conſequi poterat iniquum, & plus æquo graue vectigal. Quod regibus pendantur tributa, id rationi, ac iuſtitiæ conſentaneum eſſe diximus, è re tamen Principum eſt, vt talia imponant, quæ ſolui à ſubiectis populis queant: Nam cùm illorum ſalus, & vita in ſubditis ſit poſita, non debet hos intollerabilibus opprimere portorijs, ne ſe regno ſubtrahant, ſed onerare moderatis, vt perdurare, Principeſq; ſuos conſeruare queant.

Quando tributa ſunt moderata, ea ſecum ferunt ab æquitate commendationem, vt Deus miraculum voluerit facere, quo illa comprobaret. Petebat Chriſtus Capharnaum cum Diſcipulis ſuis, iamque aduenerat ad eam ciuitatem, quando vectigalium exactores adierunt Petrum, & interrogarunt: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* Matth. 17. 23. Poſt hæc cùm in domum quandam diuertiſſent, præuenit Dominus Petrum, oſtenditq; illi ſe vecti-

galem

galem non esse, aut tributarium, ac dixit nihilominus: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te;* ibid. v. 26.

Tributum videtur fuisse, quod illi exposcebant, vt monent sancti Hieronymus, & Augustinus, & alij. Quamuis Christus non esset obnoxius debito huius tributi, quod tamen quià sponte suâ pendere voluit, ex suis paratis numerare potuit, nec enim tam inane omne illius ærariolum fuerit, vt vel didrachma vnicum non haberet reliquum. Cur ergo tam patente miraculo potiùs parare, quàm ex suis numerare pecuniam voluit, quâ vectigal, quod non tenebatur, solueret?

Abulensis q. 81. in c. 17. Matth. respondet: *Christus ante hoc nunquam soluerat didrachma*, nunquàm dependerat tributum, & quod nunc exigebatur, tam exiguum, moderatumq; erat, vt solùm duodecim besses faceret, quo aliud minus vectigal vix esse posset. Vt ergo omnes intelligerent, æquum esse leuia huiusmodi, raraq;, & moderata soluere tributa, miraculo conquirere voluit pecuniam, quo ea non solùm solueret, sed etiam comprobaret, alijsque commendaret. Si crebrò illi molesti fuissent, si quotidie tributa noua, portoriaq;, & subsidia insolita importunè exegissent, cupiditatisq; magis fuisset, quàm necessitatis, quod postulassent, fortè miracula in supplicia vertisset, & flagello, non prodigio erga eos vsus fuisset. Vult enim Dominus (qui omnium incrementa enixè cupit) subditos fidos, & viuos, fidelitas autem, ac vita eorum per noua tributa, & prægrandia vectigalia in periculum adduci, ac perire solent.

Diximus suprà, agrestes, & syluestres arbores longæuiores esse, quàm hortenses, & vrbanas. Hic causam, quàm ibi prætermisi, reddam, cur illarum sit prolixior vita, quàm harum, cùm domesticæ ob crebram, continuamq; culturam debere durabiliores esse videantur.

Theophrastus de caus. plant. lib. 4. c. 1. causam hanc reddit: *Cultura non vires auget, sed partum fructuum, qui arbores necat.* Nimia cura arborum, quas ad manum habemus, facit vt fructus maiore copiâ edant, indeq; extenuentur, & citiùs exarescant, atq; emoriantur. Syluestres parùm fructuum producunt, ob id vitam in annos longiores producunt. Quo studio fit, vt arbor aliqua fertilitatem priorem posteriore superet, eodem efficitur, vt non diu ille vita superet, deceditque ætati, quod accedit fœcunditati.

De quo idem Theophrastus ista: *Quæ plura, quàm soleant, pepererunt, sæpè intereunt.* Quod in animalibus, & plantis, idem in Rebuspublicis accidit: Vt enim arbores, quæ nimio studio velut coguntur, vt poma solito plura edant, exhaustis ante tempus viribus exarescunt, succoq; & vitâ destituuntur; sic Respublicæ, à quibus nimia extorquentur tributa, opprimuntur, exhauriuntur, intereunt.

Alexander Magnus in magnam penuriam ex continuis bellis adductus, consuluit suos, vnde remedium petere necessitati, vnde sumptus recuperare posset. Quidam ex his, quos à consilijs habebat, recipiebant se ad illud Medicis tam vsitatum (minue sanguinem, & vacua corpus) suadebantque emungere populos, deglubere subditos, & nouis tributis eos onerare, ex quibus vim pecuniæ ingentem breui accepturus, & egestatis damna facilè instauraturus esset. Tunc Rex, vt est apud Erasmum centur. 3. adag. & Simancam l. 9. de Rep. c. 24. n. 8. cum stomacho dixit: *Olitorem odi, qui herbas radicitùs excidit*; velut pluribus dixisset: Apagete cum isto perniciabili, & exitiabili consilio, quale ipse mihi facilè comminisci poteram, si perditum meum imperium volebam. At hortulanus ego sum, hortus regnum, subditi plantæ, non debeo ergo has stirpitùs extrahere, quia execror, ac detestor hortulanos, quicunque hoc faciunt, radicitusq; euellunt arbusta, ex quorum fructibus victum, prouentumq; suum omnem expectare, & capere debent. Bonus hortulanus facultatem habet sumendi alimoniam ex fructibus, sed non extirpandi plantam, quæ illos amanter præbet.

S. Bonauentura Doctor Seraphicus de process. religion. ait: *Terra fertilis, si diu inculta fuerit, syluescit, si nimis cogitur fructificare, fit macra, si medium teneas, fertilis perseuerat.* Itaq; vt non sterilescat, sed perduret eius fœcunditas, consultum est, mediocritatem ergà illam seruare, & neque nimiùm percolere, neque prorsùm incuratam, neglectamq; relinquere. Sic Princeps, qui vult seruare suos subditos, eorumq; terras, non debet immodicis prægrauare tributis, alioquin exhauriet, vt nullos ex eis deinceps capere census possit.

Sint pro fulcimento huius doctrinæ verba Regis Theodorici præclara, & memorabilia, quæ apud Cassiodorum lib. 4. epist. 38. sic habent: *Cùm omnes Reip. partes æquabiliter desideremus augeri, cremen-ta tamen fiscalium tributorum iustissimo sunt pensan-*

*da iudicio, quia seruientium imminutio est huius illationis accessio, quantumq́; pars illa proficit, tantum se ab aqua firmitate subducit*; ac si apertiùs dixisset: Cùm illud semper ardentissimè cupierimus, vt omnia Reip. nostræ membra iustis profectis augescant, idcircò volumus exactissimam, & æquissimam haberi vectigalium, ac tributorum rationem. Nisi enim ita fiat, sed fisco nostro quidquid auaritiæ cupiditas suggesserit, inferatur, subditos inopes copiæ nostræ facient, immò ad egestatem dilabemur, vnde opulescere putabamus.

Vt persuaderet Theodoricus, quod suadebat, subiunxit dicens: *Ne augmento suo tumens summa deficiat, incipiatq́; magis deesse, quia immaniter visa est accreuisse.* O verba! digna, quæ literis aureis scripta sint, atque exposita oculis omnium regum, qui suos subditos saluos, & regna stabilia esse cupiunt. Verborum illorum hic est sensus: Quàm seriò, ac grauiter possum, veto immoderatas omnes, & enormes tributorum impositiones, ne fraudem patiar sumptuosissimam, & malum damnosissimum experiar: Fiet enim, vt viribus potestatis, & opum copijs extenuer, ac deficiam, quando vtrisque regnum meum auxisse, & amplificasse putabo. Nam cùm diuitiæ meæ non sint aliæ, quàm quas mihi subditi mei tributarij pensitant, postquam exhausero, & vacuauero rebus suis omnibus, quomodo me, imperiumque meum stabile conseruare potero? Animaduertant hîc Reges, Regem esse, qui talia scribat; cogitent Principes Principis esse hanc doctrinam, quæ propter suum authorem & minimè suspecta, & maximè venerabilis esse debet. Et palam est, vergere in interitum, & non posse non perire Reges, quicunque iniquis extorsionibus subditos suos exinaniunt.

Iratus, & offensus Dominus Assur, has illi minas terribiles, ac stupendas per Isaiam intentat: *Cadet Assur gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij, & iuuenes eius vectigales erunt*; Isa. 31. 8.

Doctissimus Forerius ait, hæc postrema verba ex Hebræo sic transferri posse: *Iuuenes eius liquefient.* Hæc autem versio mox attulit difficultatem illi erudito interpreti, & dubitationem, quid affinitatis habeant vectigalia, & liquefactiones, vt de quibus Hebræus dixit, quod liquefient, hos Vulgata nostra affirmet futuros vectigales. Occurrit tamen illi, magnum sacræ linguæ mysterium esse, quod eodem vocabulo vectigalia significet, & liquefactionem. Sensum hac de re suum ita exprimit: *Quare autem tributum liquefactio dicatur, nescio planè, nisi fortè significauerit author linguæ sanctæ tributis resolui animorum vires, atque corda liquefieri, seu etiam facultates diminui.* Vt ergo regna colliquescant, diffluant, dissipentur, nullâ re citiùs efficitur, quàm vectigalium enormium impositione, nec pestis alia tam est exitiabilis corporibus, quàm perniciosa imperijs onera tributorum intolerabilia, quibus prægrauantur, & opprimuntur populi.

Quàm opportuna huc veniet quædam magni Philonis Iudæi doctrina! Propositum illi erat erudire, & bonis præceptionibus bonum instituere regem, aitque illum debere prudentis agricolæ similem esse: Voluit autem etiam gnauum, atque industrium agricolam informare, dicitque debere illum curare, vt prudentem Regem imitetur. Ad Agricolas conuersus, eorum siticulosam cupiditatem his verbis perstringit: *Vos cùm ex eodem fundo colligatis ex vere hordeum, atque triticum, in æstate fructus, arborem duplici cum tributo grauatam opprimitis, fieri non potest quin exhaustus deficiat, quemadmodum athleta, cui respirare non datur, ac vires colligere, vt certamen redintegret.* Hæc ille in lib. de creat. Princip. Auarus agricola, cui eadem tellus per æstatem triticum, siliginem, hordeum, auenam, fructus per autumnum profert, si arbores anno vno bis pomiferas velit, exsuccam hac ratione, sterilemque terram efficit, vt non sit post hæc ferendo, non secùs ac deficere animo necesse est pugilem, cui obtritas reficiendi vires otium non conceditur, vt ad nouum conflictum sese præparet. Vt ergo fundo sua vbertas, sua fœcunditas telluri maneat integra, quid facto opus? Illud, vt non plus ab ea exigas, quàm pendere queat, sed hoc tantum illi vectigal imponas, quod commodè soluere possit. Hoc ipsum rex cum suis subditis facere debet, inquit Philo, talemque doctrinam sequi, si vult illos perdurabiles, & sospites, & saluos, vt non prægrauet tributis, non oneret supra facultatem vires vectigalibus, ac portorijs. Nam si limites excedat, intra paucos dies & regno carebit, & subditis.

Describit Cassiodorus eleganter ardens prodigium Vesuuij montis, quem suæ flammæ illustrem, & celebrem Orbi strages fecerunt. Ructat ille perpetuas flammas, ignesque continuò vomit, nonnunquam aërem fumi sui atrore infuscat, & obscurat, diemque tam dubium reddit, vt nescias an Sol cursu incitatiore aufugerit, noctique ante tempus cesserit, sulphureos globos exspirandi finem nullum ardentia illius viscera faciunt. Denique velut arcus tensus flammantia spicula in vicinas valles semper iacit,

cit, & qualis fulminaris machina, aut pulueris bellici lebetes pilas ignitas explodit. Quæ cùm secum reputaret Cassiodorus lib. 4. epist. 4. aiebat: *Et tot sæculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur*; velut dixisset: Quæ antea de Vesuuio dixi, plurimùm admiror, sed illud me attonitum reddit, quod hactenùs perdurat, neque iam pridem consumptus est, & exinanitus, qui cineres, ignes, flammas, incendij globos tantâ copiâ tam longis annis iam profudit: *Tot sæculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur.* Admirabile prodigium! Miraculum inauditum, & quo aliud maius, vt videtur, nullum esse possit, montis, qui tam diu, tamq; continuè fundit, neque effunditur, aut euacuatur. Tale miraculum in solo Campaniæ Vesuuio, & Ætnâ Siciliæ videre licet. Nam putare, quod Respub. patria, regio, quæ *erogationibus tantis expenditur*, tributaque ex alijs alia soluit, perdurare possit, error est manifestus.

Sic enim habet Philo, vbi supra: *Qui plura tributa conatur imponere subditis*, non *facit officium Principis, sed auari, & pugnantis cum natura legibus.* Et reuera contra omnes leges facit, qui subdito grauiora pondera imponit, quàm ferre possit. Et Princeps, qui non vult huic inhærere doctrinæ, ille suum nolens deplorabit damnum, & quando pernitiem sibi ex auaritia notam curare cupiet, non poterit.

Inter multas leges, quas Dominus populo suo dedit, hæc vna fuit: *Non seres Vineam tuam altero semine*; Deut. 22. 9.

Quid causæ fuerit, quod Dominus nulla in vineis plantari arbusta, nec seri alio semine terram voluit, quæ consita vitibus erat, sed vini solos, neque alios prouentus ab ea exigi?

Respondet Plato Alexandrinus, Philo, inquam, Iudæus in eodem lib. de creat. Princip. Dominum hoc præcepisse non tam vinearum causâ, quàm vt Principes, quomodo se erga subditos suos habere deberent, dissimulanter moneret. Qui vult, quod eadem terra vinum, oleum, triticum, poma, aliosq; tales fructus eodem tempore ferat, palam est illum procurare stragem eius terræ, & vastitatem. Quæ enim tam onerosis pensionibus grauatur, quæ tam intolerabilibus tributis defatigatur, eius vires hebetari, & extenuari, & extingui necessum est, sic vt deinceps per omnia inutilis efficiatur. Hac ergo lege tacitè monentur Principes, cæterique Domini, vt si conseruari suos subditos volunt, immoderatis vectigalibus non obruant. Petere autem hodie aliquod donatiuum, cras exigere aliud, & quotidie nouos aliorum tributorum exigendorum titulos comminisci, seu prætextus excogitare, quid hoc aliud est, quàm subditorum stragem, & consequenter regnorum exitium, interitumque moliri?

Cùm sacrum Oraculum præclara inuicti Dauidis facinora narrare instituerat, hoc inter illustriora recenset, quod *tulit Dauid frænum tributi de manu Philisthijm*; 2. Reg. 8. 1. Vectigalem seruitutem sub barbara potestate, & arrogante tyrannide idololatrarum Philisthinorum patiebantur Israëlitæ annis iam pluribus, Rex autem Dauid cupidus felicitatis suorum subditorum, redemit eos validè ab illa tam probrosa, & terribili oppressione. Sed premamus nomen, quo sacer textus tributa vocat. *Tulit frænum tributi*, inquit. Frænum appellauit immoderata tributa: Nam vt fræno equus regitur, & à sessore retineri, & quamcunq; in partem flecti potest; sic Princeps tributo subigit subditos, cogitque quiduis illud & dare, & facere.

Ita sentit magnus Abulensis q. 3. in c. 8. lib. 2. Reg. vbi sic habet: *Vocatur frænum tributi, quia sicut frænum est, quo tenetur iumentum, & cogitur ad diuersa, ita populus cogitur sub eo, cui tributum præstat?*

Litera originalis Hebræa talis est: *Abstulit stimulum maiorem*, quo fodicabantur miseri Israëlitæ. Itaque tributa immoderata & frænum sunt, & stimuli, monenturque mysticis illis nominibus Principes videre, quomodo regant suos subditos, quomodo fræno, & stimulo rectè vtantur. Sit licet mansuetissima, & morigerissima bestia, si tamen nimiùm corripias habenas, aut validiùs impressis calcaribus vrgeas, facies vt subsultet, & calcibus feriat, si onere viribus maiore graues, & si immoderatè illam exagites, deijcies eam, & oppresso iumento viam non conficies. Tale quidpiam, & eo plura expectari ex immodica oppressione possunt. Facilis est applicatio. Videant Principes quomodo vtantur stimulo, quomodo moderentur frænum, quæ vectigalia subditis imponant. Si supra vires illos exagitent, plusque ab eis exigant, quàm per suam inopiam pendere queant, fortè fiet, vt nimiâ seruitute grauati resiliant, aut calces elidant, cùm & bestiæ tantundem faciant, prorsùmque succumbant, cùm plura, quàm possint, cogentur facere. At bestias quidem opprimit onus, homines verò erigit excitatque, sed ad defectionem, motus, seditiones, perduelliones.

Memorabile illud, quod Regi Roboamo cum suo populo accidit, dissimulare hîc non possum. Suc-

cessit ille patri suo Salomoni in regno, cùmque imperij gubernationem iam suscipere vellet, populus, qui in Sichem coierat, eum obsecrauit, vt pondera intolerabilium tributorum minueret, quæ patris auaritia miseris illorum ceruicibus iniecisset. Visum fuit nouo Regi graue, ac momentosum negotium, ac propterea tridui moras petijt, vt interim maturè causam dispicere posset. Communicauit ergo de re cum patris sui conciliarijs, qui vt erant iudicio, & ætate prouecti, sic quod optimum factu erat, consulebant, sed ille horum saluberrimis monitis postpositis, secutus est sententiam, quibuscum inter delitias nutritus fuerat, quæ sic habebat: *Pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum, pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cadam vos scorpionibus*; 3. Reg. 12. 11. Nicolaus Lyranus ait: *Est scorpio genus flagelli durissimi*, quod in summitate habet glandes plumbeas, aut ferreas, quibus carnem cruciabiliter affligat, vt Scorpius caudâ extremâ ferit.

Videamus quid arrogans, & insipiens Roboam sanguinariâ illâ suâ grauioris, & intolerabilioris iugi comminatione obtinuit. Nihil certè aliud, quàm quod ex duodecim tribubus decem perdidit. Sic enim dicebant, qui tam inopinatum responsum acceperant: *Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam Dauid*; ibid. v. 16. quod tale fuit, ac si dixissent verbis alijs: Valeat domus Dauid, nos alium nobis Regem, moderatoremque quæremus, Regem, qui tot, tamque enormia tributa minatur, nemo ferre potest, nemo sequi, & inuare potest. Hic est fructus, qui colligitur ex impositione intolerabilium vectigalium. Nimis enim extenuati, & exinaniti exhausti, & iniquè oppressi subditi quid non facient? quid non tentabunt? quid non machinabuntur?

Inter humiles illas, & dulces querimonias, quas Sanctissimus Iob Domino, & supremo benefactori suo daturus erat, etiam hanc fore aiebat: *Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita iudices*; Iob. 10. 2. Translatio horum verborum ex Græcis ita habet: *Noli me docere impium esse*. At quomodo hoc accidere potest? Deus neminem docet esse malum, cùmq; sit fons, & origo veritatis, & sanctitatis, viam malitiæ, & perditionis nemini ostendit. Quâ paraphrasi ergo Græci suam in bonum sensum interpretabuntur translationem? Eâ quæ apud Olympiodorum, aliosque talis est: *Ne me despice languore confectum, ne fortè grauiore aliquâ tristitiâ obrutus impiam aliquam vocem emittam*. Insignis huius libri interpres Pineda in c. 10. Iob. 1. v. 2. n. 2. Græcorum illam translationem sic reddidit suâ vernaculâ: *Nome ensennes à ser descomedido con tanto apurarme*, hoc est, vide ne dum me minimum opprimis, licentiùs quid agere, aut liberiùs loqui erudias. Reuera enim sic exhauriri patientia hominis longanissimi, sic exagitari eius tolerantia potest, vt in verba erumpat, quæ nunquam alias cogitasset. Potest subditos suos sic affligere Princeps, sic exinanire portorijs, grauare tributis, opprimere impositis vectigalibus, vt nisi ad consilia se conuertant, quæ alioquin illis in mentem non venissent. Propterea necessarium est multam hac in re adhibere cautionem, & moderationem, quia periculosissima est, maioresque strages & ruinas minatur.

De illo tributo, quod Publicani apud Matthæum ex Sancto Petro quærentes aiebant, *Magister vester non soluit didrachma?* Matth. 17. 23. sic dicit Abulensis q. 81. in c. 17. Matth. *Drachma interdum significat quæstionem*. Neque caret mysterio, quod quæstio, & tributum habent commune drachmæ nomen. Nam reuera plurimæ sæpè, ac grauissimæ quæstiones, controuersiæ, tumultuationes, seditiones ex tributis oriri solent. Drachma sex bessium, vt diximus, tributum est. Et si tantillum vectigal magnorum motuum causa esse solet, immoderata, & prægrandia, enormiaque tributa quas non secum ferent turbationes?

## CAPVT IV.

*Qui volunt dimicare vt viri, debent parum habere cum mulieribus commertij, castra enim non casta citò procliuiterq́; sequitur interitus, & ruina.*

Concurrerunt bello quatuor Reges cum quinque, & hi succubuerunt in prælio. *Itaque Rex Sodomorum, & Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunt que ibi*; Genes. 14. 10. De his Regibus nonnulli aiunt, fuisse tum ipsos, tum eorum milites turpi libidini plurimùm deditos, ideòque aduerso Marte pugnasse. Philo Iudæus de his ita habet: *In fœminas insaniendo corrumpebant alienos thalamos*. Qui hanc sinistri conflictus causam fuisse putant, simul monent, quantoperè curare debeant penes quos est armorum suprema potestas, vt castè, honestèque agant milites. Nullum enim est vitium, quod plus extenuet, ac debilitet vires, quàm obscœnum illecebrosæ carnis flagitium. Nam sicut illi apud Oseã c. 9. v. 10. *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*;

*xerunt:* Ita viri plerique fœminarum ardentiores amatores effœminantur, masculusq; eorum animus in mollitiem, ignauiam, inertiamque degenerat muliebrem.

Lucius Florus lib. 2. c. 4. quærit, cur ij, qui Alpes habitant (ij sunt Galli) in primulo conflictu strenuè, ferociterque in hostem inuehuntur, cùm autem feruere pugna incipit, remittunt spiritus, & languescunt animis. *Furia Francesa*, siue furor Gallicus prouerbio dicitur eorum dimicandi modus, qui initiò pugnaciter pugnant, paulò post timidi cedunt, & cadunt. *Experimento deprehensum est*, inquit ille, *quod sicut primus impetus eis maior, quàm virorum est, ita sequens minor, quàm fœminarum.* Quid ita? Respondet: *Alpina corpora humenti cælo educata habent quiddam simile cum niuibus suis, quæ mox vt caluere pugnâ, statim in sudorem eunt, & leui motu quasi sole laxantur.* Quod animi ardor facilè intepescit his, qui iuxta Alpes degunt, id fit, quod niuium, inter quas nascuntur, & educantur, qualitates contrahant, simulq; & incalescere dimicando, & solui incipiant, non secùs ac niues à quouis calore Solis colliquescunt. Sic milites, qui obscœnam vitam sectantur, & inconcessæ turpium mulierum libidini se tradunt, earundem conditionem participant, & effœminantur, & pro illarum imitatione fiunt ignaui, & meticulosi, & pusillanimes.

S. Paulus Apostolus loquens de victorijs, & triumphis strenuorum illorum veteris testamenti Imperatorum, aiebat: *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*; Heb. 11. 34.

Primasius Vticensis in expositione illorum verborum sic ait: *Castra dicuntur à castrando, eò quòd ibi castretur libido, non est enim mos militaris, vt pergentes in prælium, vxores, aut fœminas alias secum ducant*, quod hæ martiam duritiem emollire, & fortia militum pectora suis blanditijs debilitare soleant. Subiungit mox Primasius: *Duo quondam Principes terra cum comitatu vxorum perrexerunt in bellum, Darius videlicet, atque Antonius, sed vterque inibi corruit. Darius quidem superatus est ab Alexandro, Antonius verò ab Octauiano Augusto.* Vide quantum infelicitatis adferre castris mulieres soleant, quanquam sint vxores propriæ! Vincere potuissent Darius, & Antonius, si seipsos ante superare, & coniuges tantisper à se abdicare voluissent. Nunc verò cùm tam mulierosi essent, vt habere illas comites etiam ad bellum vellent, facilè fuit Alexandro, & Octauiano Augusto effœminatos homines armis, & animis masculis conficere.

Hoc sine dubio voluit docta significare Antiquitas, quando pinxit Martem, & Venerem Vulcani vxorem furtiuo adulterio turpem operam dantes, quos Vulcanus deprehensos retibus ferreis concluserit, & vinculis illaqueârit, de quo Rauisius Textor ex Ouidio, & alij, quos hic commemorare otiosum. Vnde Martianus Vulcanum finxerunt claudum. Capella sic de illo ait: *Quidam etiam faber claudus venit*; & Thomas Radinus: *Vulcanus vltrò, citroq; discurrit claudicans.* Martem bellorum deum commenti sunt, & Venerem improbæ libidinis supremã matrem. Pleni sunt his fabulis libri, atque vtinam prorsùs ignoti, vel apud inferos cum suis authoribus sepulti. Quod autem ferocem Martem blandis impudicæ Veneris complexibus vacantem à claudo Vulcano irretitum, & constrictum finxerunt, id fecerunt, vt indicarent, eum, qui Venerem consectetur, non magno labore, vel studio, & exiguis viribus superari posse, quando claudus quidam, & impeditis pedibus Vulcanus Martem alioquin bellipotentem, & impauidum, cùm in vagam libidinem effusum vidit, tam facilè irretiuit, quàm leuiter capere muscam araneus solet.

Cùm Pharao augescere numerò populum Hebræorum cerneret, timere sibi de illis cœpit, eosq; quibus potuit modis vexare, affictare, opprimere. Eapropter ad palatinos suos aiebat: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est*; Exod. 1. 9. quin igitur omnia agimus, vt extinguere eos possimus, à quibus paulò post delebimur, nisi certò malo tempestiuè occurramus.

Dubium est, vnde arbitrari rex Pharao potuerit, robustiorem, valentioremque Ægyptijs futurum populum Hebræorum, cùm nunquam armis eatenùs concurrissent, nec lacertorum, aut virium periculum mutuò fecissent. Quid ergo illud maioris roboris existimationem Israëlitis apud Pharaonem conflauit?

Respondet Abulensis: *Potest intelligi, quod viri Hebræorum fortiores erant, quàm Ægyptij, & hoc, quia Ægyptij sunt valde luxuriosi, quod corporis magnitudinem tollit, & vires eneruat.* Hinc ergo coniectare cœpit Pharao, Hebræos Ægyptijs futuros potentiores, quod hi Veneris magis quàm Martis castra consectarentur, illi continentiores per id tempus essent. Cùm verò salax Venus militum suorum vires obterere, & plurimùm extenuare soleat, facilè fuit Pharaoni diuinare, quòd casti Hebræi pariter numero, & viribus augescerent, & impuri Ægyptij paulatim ab ijs nõ magno negotio subigi possẽt.

Quo-

Onosiander cùm persequitur partes,quas supremi armorum moderatoris officium requirit, illum felicem exercitus ductorem fore putat,qui sit castus. Sic enim habet in Strateg. c. 1. n. 1. & 2. *Sobrium opto, siue siccum, vt in arduis negotijs parandis, putandisq; peruigilet.* Gracilis ergo, tenuisque imperator belli, vt quidem habet sententia Onosiandri, præstat opimo, homo enim crassus, & pinguis curâ suæ cuticulæ facilè impeditur, & satis impedit alios. Sobrium tamen, & castum ante omnia optat Onosiander. Meritò illud. Nam cùm in bono capite salus totius exercitus sit posita,si castrorum supremus Gubernator non sit valde castus, superatu facilis erit, illoq; subacto etiam alij leuiter corruent.

Ælianus de Atheniensibus affirmat, in omnem carnis vehementer propendisse lasciuiam, corporisque delitias, ac turpes voluptates percupidè consectatos fuisse. Partem autem illam elogiorum sic cōcludit: *Et huiusmodi cùm essent, tamen è prælio Marochomo victores discesserunt.* Vbi Ælianus in raris miraculis, & nunquam auditis prodigijs recensuisse videtur, quod homines tam effusi in Venerem vel semel de hoste aliquo triumphârunt. Facilè namq; succumbit armis exercitus, qui dat manus lasciuis mulieribus.

## CAPVT V.

*Si hominis mulierosi tam esset inuictum animi, & corporis robur, quàm est valida, & inexpugnabilis libido, fortior illo nemo esset, sed cùm cætera vitia carceres quidam sint, carnis lasciuia infernus est.*

MIrum est,quàm potenter cor humanum obscœnæ libidinis nefaria passio subigat, & quàm validè miseram huc, illucque raptet voluntatem. Videre hoc licuit in Sodomitis, finitimisque populis, & eorum regibus, qui tametsi bello turpiter fusi, dissipatique probrosissimè essent, & ab irato Deo tam grauiter mulctati, post accepta damna, & depensas pœnas *effœminatum morbum*, vt loquitur Philo Iudæus lib. de Abraham, *sibi conciliauerunt insanabilem.* Qui alio quouis morbo vitij alterius laborat, remedium sibi facilè promittere potest: At qui in hanc turpis lasciuiæ ægritudinem, eius desperari salus potest,nisi Deus omnipotens specialissimo auxilio illi subueniat.

In Rationali Aaronici Sacerdotis erant duodecim lapides, & in eis insculpta nomina duodecim tribuum. *In primo autem versu erat lapis Sardius,* Exod. 28. 17. inque illo lapide cælatum nomen Ruben. Lapis Sardius *ignis habet speciem*, inquit Plinius lib. 37. c. 7. Doctus Ribera notauit aptè cadere in Ruben hunc lapidem præferentem ignis speciem, eò quòd ille turpis concupiscentiæ ardore inflammatus patris sui concubinæ flagitium intulerit. Verba eruditi autoris sunt ista: *Conuenit hoc Ruben, qui priùs igne libidinis incensus, ad patris concubinam accessit.*

De hoc lapide Plinius vbi supra hoc singulare tradit, quod *inter translucentes lapides nullus tardiùs suffuso humore hebetatur, quàm Sardius.* Aptum ergo hominis libidinosi est hieroglyphicum: Nam vt aliorum vitiorum aciem obtundas, non magno labore effeceris; verùm hæc lasciua passio *tardiùs hebetatur*, vixque perdit colorem, & calorem huius inordinati appetitus, qui semel illo inflammatus fuerit. Hominis luxuriæ dediti fœda concupiscentia nunquam obtorpescit,& præclarissimum facinus est, eum, qui talis sit, ex passionis suæ inferno eruere.

Sanctus Cyprianus,aut quisquis alius autor Tractatus de cœna, quam Rex quidam Ioël Canæ in Galilæa in regione Orientis apparauerit, ponit multos veteris, ac noui Testamenti fuisse ad illam inuitatos, interq; eos fuisse quoque Redemptorem nostrum Christum, & quemque habuisse id pro sede, quo dignitas illius, felicitasque maior repræsentata fuerit. Sedit ergo *Petrus super cathedram, Samson super columnam, Zachæus super arborem, IESVS super puteum.* Trophæum Petri est cathedra,ex qua docuit, gloria Samsonis columnæ templi, quas conuellens ingentem Philisthinorum multitudinem oppressit, Zachæi arbor, ex qua vocatus à Christo fuit, vt illum hospitio exciperet. Ad hunc modum penè omnes noui, ac veteris Testamenti viros, ac mulieres ad cœnam cum suis peculiaribus insignibus Sanctus Cyprianus adducit.

Sed notandus est locus, in quo Christum sedisse affirmat. *IESVS super puteum*, ait, illum scilicet, iuxta quem Samaritanam conuertit. At si propriū thronum Christo constituere volebat, quisnam gloriosior esse poterat grabato illius Paralytici, quem ab ægritudine, quâ triginta & octo annis laborârat, curauit, & sic persanauit, vt lectum, à quo tam diu portatus fuerat, portare ipse posset? Aut quid magnificentius sepulchro Lazari, quem in vitam quarto post mortem die reuocauit? Neque hæc tantùm, sed etiam alia loca sunt, quæ dextræ Christi infinitam virtutem indicare poterant. Quamobrem ergo Cyprianus sedem puteo illo digniorem non inuenit.

uenit. *IESVS super puteum.* Putauit Sanctus Doctor, conuersione Samaritanæ iuxta puteum nullum magnificentius, nullum illustrius, aut gloriosius Christi facinus commemorare posse. Nam cùm nullum vitium profundiores in anima radices agat, quàm luxuria, & Samaritanam hoc lethali malo laborantem Dominus sanauerit, visum est illustri Africano gloriosius fuisse, quòd eo lasciuiæ incurabili morbo ægrotantem curauit, quàm quòd Paralyticum tam longiturnâ infirmitate leuauit, aut quatriduanum Lazarum redanimauit. Non ergo in grabato Paralytici, non in sepulchro Lazari, non etiam in feretro adolescentis Naimitici, sed in puteo, iuxta quem Samaritanam ab obscœnæ vitæ consuetudine abduxit gloriosissimè, & ad grauissimam magnificentiæ, & omnipotentiæ suæ contestationem sedere Christus debuit.

Sanctus Ephrœm Syrus in exhortat. Spirit. ait: *Quandocunque concupiscentia in animum sese insinuauit, mox ipsum cogitatione circumdat, & obsidet, & salutis ingressum præcludit.* Inferno ergo similis est illa turpis lasciuiæ passio. Nam quem semel tyrannicæ suæ potestati subiecit, ei spem omnem libertatis adimere videtur, nec modum relinquere, quo tam crudelem dominum, tam potentem tyrannum euadere possit.

Huc sine dubio allusit Sanctus Augustinus apud Salazar Prou. 2. v. 29. n. 165. quando hoc fœdum vitium vocat *æterni ignis æmulum.* Dicitur autem obscœna libido ignis æterni æmula, quia vt ille ignis, quem semel occupauit, adurit, nec exurit, vehementi suo ardore affligit, nec consumit, mortali cruciatu immortaliter torquet, nec effugi vnquam potest: Sic lasciuiæ flamma, quem semel corripuit, eius intimum pectus, & penitissimas medullas depascitur, videturque inferni quidam ignis esse, absque spe remedij namque relinquit eum, quem semel subegit, ac prostrauit.

Præclarè hoc dixit Salonius Viennensis in expositione mystica Prouerbiorum Salomonis, vbi habet ista: *Qui verba meretricis libenter audit, & oscula eius delectabiliter suscipit, quasi ianuam pulsat inferni.* Qui mellea blandiloquentulæ lupæ verba auidis auribus cum voluptate excipit, suauiaque admittit, & labra labris hilariter permittit, væ misero illi. Quamobrem verò? Quia *quasi ianuam pulsat inferni*, inferorumque fores sibi aperiri postulat, qui cum scortis consuescit, aut turpi libidinis vitio se tradit, quod nihilo mitius est inferno: Nam vt nullam habet portam, quâ egrediatur, qui inferno semel est inclusus; ita qui se Venereæ concupiscentiæ mancipauit, videtur omnis euadendi spes ablata.

Satis perspicuè hoc Spiritus Sanctus in Prouerbijs dixit, vbi cùm meritoriam mulierem, quæ incautum adolescentem verborum suorum lenocinijs circumuentum ad lasciuum amorem inflammasset, subdebat: *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ*; Prou. 2. 19. Num perperam ageremus, si adamantinæ portæ caliginosi illius inferorum barathri hæc verba inscriberemus: *OMNES, QVI INGREDIVNTVR AD EAM, NON REVERTENTVR?* Minimè erraremus. Nam *in inferno*, vt Ecclesia in Officio Defunctorum ait, *nulla est redemptio.* Nunquam exit, qui eò semel ingreditur, & cùm sit velut papyracea porta intranti, exire cupienti adamantina est. Hoc ipsum Spiritus Sanctus dicit de fraudulentæ lupæ domo, cui incautus adolescens suam submisit, & addixit voluntatem: *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur.* Infernus quidam est ille spurcæ libidinis affectus, cui si quis semel se tradiderit, velut impossibile est illum euadere, & quasi miraculum sit, si fortè ab eo liberetur. Ergo benè diximus, quod cætera vitia carceres quidam sunt, turpis libido verò infernus.

Huc respexit Propheta Oseas quando ad quosdam perditos, & cœcos peccatores ait: *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum*; Ose. 5. 4. hoc est: Nemo hisce consceleratis hominibus prædicet, nemo vitæ sanioris studia suadeat, quia nihil apud eos efficiet, sed oleum, & operam perdet. At quisnam ille, Propheta Sancte, morbus, quem tam incurabilem nobis describis? *Spiritus fornicationis in medio eorum*, lasciuiâ carnis laborant, ex lue Venerea decumbunt. Si ea ex re ægrotant, facilè est intelligere, quod dixisti, facilè credere, quod ne cogitabunt quidem reuerti ad Deum. Nam luxuriâ diffluere, & mortem oppetere, videntur idē esse: Cùm enim cætera peccata spem aliquam desistendi ab illis relinquunt, intemperans libido ita cor illaqueat, ita irretit animam, ita voluntatem capit, & constringit, vt non videatur relinquere portam, quâ euadere possit, nec spem aliquam recuperandæ sanitatis.

Commodum his veniet, quod Herodi cum increpatione Baptistæ euenit. Dicebat illi ardens Præcursor: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*; Marci 6. 18. velut pluribus dixisset: Vide rex, miram, ac miseram rem, quæ per hos dies agitur. Peccatum tuum tanta scandala generat, tot offendicula parit, vt

vt in remotiore solitudine, in qua ego degebam, nihil aliud commurmurent, quàm quod à te fieri audierunt. Habere turpe cum illa commertium, quæ sit germani fratris tui coniux, quàm sit alienum à persona regia, quàm enorme flagitium, & inauditum scelus, non tu nescis. Profuitné quidquam ista correptio? Efficaxné medicina fuit? Habuitné effectum tam salutaris admonitio? Nihil profuit, nihil effecit obiurgatio. Bruto enim Ioannes loquebatur, aut homini quidem, sed tali, quem lasciui amoris vinum à mente abduxerat, & in truncum deformârat.

De quo Sanctus Andreas Cretensis apud Lippomanum in vit. SS. To. 1. orat. de decollat. Præcursoris ita: *Et ille quidem à ratione aliena voluntariæ congressionis obrutus delitijs neque se potuit erigere, neque aspexit ad lucem veritatis, sed mansit grauatus crapulâ libidinis*; velut dixisset: Noli mirari, quod monita Sancti Ioannis apud Herodem nihil effecerunt. Nam vt mortuum nemo alloqui, nemo mouere potest, vt surgat, quantisuis vocibus quis eum inclamet, nisi cœli miraculo aliquo singulari fiat, atque vt homini, cui vinum rationis vsum ademit, nemo persuadere sanum aliquid valet: sic cùm Herodes esset confectus præferuido luxuriæ vino, iaceretque in tumulo libidinis sepultus, velut in deserto voces Ioannes tunc dabat, quando illum à turpi, & incesta consuetudine sua dehortabatur. Nam vt est frustraneus labor, velle aliquid persuadere ebrio, & loqui defuncto, sic & vana opera est, quæ ad reuocandum ab obscœnis studijs suis libidinosum vertitur. Hinc æstimate, quanta sit vis huius crudelis, & tyrannicæ passionis.

Sanauit Christus miraculo seruum Centurionis, atque vt Dei beneuolentiæ proprium est, gratias priores posterioribus superare (nam diuina beneficia semper gradibus ascendunt, inquit Pelagius Papa epist. 1.) sic Dominus ab illo famulo curato transiuit in Naim ad resuscitandum defunctum filium vnicum mœstissimæ matris viduæ. Propterea Lucas, cùm serui istius curati miraculum narrasset, ita subiungit: *Et factum est, deinceps ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim*; Lucæ 7. 11. velut dixisset: Vt ex more pio prodigæ liberalitatis suæ ageret, à miraculo curati ægri, tanquam à gradu inferiore, perrexit ad gradum altiorem, ad prodigium defuncti in vitam reuocati, cui cùm dixisset, *Adolescens tibi dico, surge*, statim *resedit, qui erat mortuus*; ibid. v. 14. 15. Hîc iam videbatur Dominus in supremũ miraculorum gradum ascendisse, sed altior reliquus erat, in quem subiret, inquit Euangelista. Potestné aliquid magnificentius esse, quàm curare infirmum, redanimare mortuum? Potest. Subijcit enim post hæc: *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*; ibid. v. 37. tanquam dixisset: Oppidò grandius miraculum vobis narrabo. Qualenam illud? Conuersionem referam mulieris lasciuæ, quæ contemnens omnem vanum, & malè vsitatum ornatum, oblita mundum, eiusq; vanitates calcans, animo toto compuncta, & lachrymabunda currit ad sacros Redemptoris nostri pedes. Vbi hoc tacitè insinuare Euangelista videtur, tam ingens miraculum esse conuersionem hominis libidinosi, vt minùs existimari possit, curasse ægrum desperatum, atque in vitam reuocasse mortuum, quàm ad castam mentem reduxisse hominem carnis inquinamentis deditum. Nam & Euangelista, postquam sanatum ægrum, & resuscitatum mortuum recensuisset, demũm narrat conuersionem peccatricis, quæ obscœnis corporis flagitijs assueuerat. Hinc arbitrari licet, quàm potenter tyrannica hæc passio pectus expugnet, cuius expulsio sit maius miraculum, quàm curatio moribundi, & resuscitatio defuncti.

*Meliora, & grauiora sunt, quæ in simile argumentum congessit To. 1. Periochâ VII. Feria VI. post Dominicam III. Quadrag. pag.* 280. o.

## CAPVT VI.

*Hominem se quis probare commodè potest, si miseretur miserum, & patienti compatiatur, quod nisi faciat, irrationalis potiùs, quàm intellectu præditus homo putabitur.*

CVM Rege Sodomorum, & alijs, Loth etiam captus cum omnibus suis fuit. Simulac id intellexit pius eius patruus, *numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est vsq; Dan*; Genes. 14. 14. vt consobrinum suum è potestate sanguinariorum hostium vindicaret, non quietis suæ, non sanguinis, non vitæ, nec rei cuiusquam alterius rationem habuit, quam non libenter periculo exponeret, vt liberare cognatum suum posset. Qui fratrem, aut proximum suum inter angustias positum videt, neque iuuat, ille ab homine degenerat, occasionemque præbet, vt obbrutuisse, & plusquàm fera putari possit.

Apparuit Deus Moysi, modumque præscripsit, quo educere populum Israeliticum à proterui, & obstinati Pharaonis tyrannica seruitute deberet. Cùm admisisset Moyses iniunctum officium, redijt

ad

ad Iethro socerum suum, vt vale illi diceret. *Dixit autem Dominus ad Moysen in Madian, Vade, & reuertere in Ægyptum;* Exod. 4. 19.

Sed cùm Moyses discessionem à socero iam pararet, dicens, *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum*, iamque ab illo talibus verbis dimissus esset, *Vade in pace*, ibid. v. 18. quid est, quod Dominus illum denuò conuenit, & ad reditum tam vehementer vrsit, qui per seipsum omnia solicitè facere videbatur, vt subitò redire in Ægyptum posset?

Respondet Abulensis ferè in hunc modum: Cùm Moyses secum abducturus esset vxorem, liberos, omnemque familiam, *Voluit eum Iethro quiescere aliquibus diebus, cum eis celebrando grandia festa, & quando Deus vidit Moysen in his aliqualiter morantem, admonuit eum iterùm in Ægyptum redire.* Aduersari enim rationi, & repugnare debitis mutuæ necessitudinis officijs videbatur, quod Moyses vino, & epulis vacaret, quando fratres illius sub duro seruitutis, & captiuitatis iugo ingemiscebant, quod ille inter suauia pocula, & lauta fercula gaudio exultaret, quando cognati ferreis catenis prægrauati suspirabant, & plorabant, quod ille difflueret risu, quando hi lamentis se conficiebant. Qui videt fratrem suum inter ærumnas, & angustias iacentem, neque statim eum subleuat, cùm possit, ille non rationalis homo est, sed fera bestia.

Redijt in vitam Christus, & apparuit Mariæ Magdalenæ, quæ sacrum illius cadauer solicita perquirebat. Apparuit autem ei lineamenta præferens hortulani. Postquam personam suam, detractâ laruâ sacræ Pœnitenti detexisset, voluit illa diuinos eius pedes affusa in terram deuotis manibus appetere, sed prohibita his verbis fuit: *Nolli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meũ, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum;* Ioan. 20. 17.

Delassauit, fateor, horum verborum sensus ingenium sæpè, verùm doctissimi Patris Riberæ commentarius me refocillauit, desideriumque meum expleuit, qui illa in rem præsentem commodè, & sic exponit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, id est, tempus tibi restabit tangendi, & colloquendi, adhuc enim sum in terra, nec ascendi in cœlum. Ideò noli nunc morari, sed gaudio, quo frueris, fac vt fruantur Apostoli, nec enim fas est, te in summo gaudio esse, illos in dolore iacere.* Arbitrabatur Magdalena Christum extemplò rediturum in cœlum, & ne illam optatissimam occasionem elabi pateretur, volebat sacrosanctorum pedum illius tactu, & suauissimorum verborum auditu, quamdiu per tempus posset, se oblectare. At verò Christus videns illam labantem, & ad pedes vergentem, ait illi: Fac abstineas manus, nondum enim in cœlum redeo, itaque tempus tibi reliquum erit, vt quod nunc vis, posthæc possis, cursu autem perge ad fratres meos, & anastasin meam, celebremq; de triumphata morte victoriam nuntia, eisq; euangelijs ex mea nece subtristes reuela, & exhilara. Vitio enim tibi dabitur, si tu hîc omnibus lætitijs incedas, cùm illi ibi in luctu, & mœrore squaleant: *Neque enim fas est, te in summo gaudio esse, illos in dolore iacere.* Insigniti enim cuiusdam flagitij genus est, fratri in afflictione posito non succurrere, cùm possis.

Æneas ex Poëtarum commentis filius Veneris, frater Cupidinis fuit. Carthaginem ille quondam tempestate iactatus, & naufragus venit, cuius ærumnas miserata diua mater, vt beneuolentiam reginæ Didonis illi conciliaret, Cupidini persuasit, vt aureo spiculo pectus reginæ configeret, vt Æneæ amore vulnerata, ipsum humanè exciperet, & magnificè haberet. Vt verò Cupidinem morigerum, & causæ suæ fauentem haberet, sic eum appellabat lib. 1. Æneid.

*Ad te confugio, & supplex tua numina posco,*
*Frater vt Æneas pelago tuus omnia circùm*
*Litora iacteturque odijs Iunonis iniquæ.*

*Nota tibi.* Quod hîc ait, tale est: Nosti, fili mi, sæuas tempestates, quibus Æneam fratrem tuum per illud concitatum mare implacabile Iunonis odium iactauit. Nosti illius infelicitatem, scis quàm magnis modis miserum illum iniquior fortuna fecit.

Notauit in his Donatus admirabile artificium deæ Veneris, quo Cupidinem, vt sibi, quam cupiebat, operam nauaret, permouere voluit. Quanquam Æneas filius suus esset, id tamen appellationis astuta mater apud Cupidinem dissimulabat, hoc verò commemorabat, quod frater ipsius esset, atque vt vehementiùs eum vrgeret, etiam hoc narrabat, quod ille probè sciret, quæcunque frater Æneas per summam iniuriam passus esset: *Nota tibi.* Cur verò, vt persuaderet Cupidini, fratris magis, quàm filij nomine apud illum vsa Venus fuit?

Respondet Donatus, inquiens: *Hic noluit filium dicere, sed quod faciebat ad causam,* Frater, *inquit,* tuus. *Quod fuit sine dubio honestum, & pium, vt frater pro fratre laboraret, vel maximè in causa salutis. His addidit,* Nota tibi. *Maximum enim crimen eius esset, si fratris aduersa nesciret.* Vt ergo Cupidinem obsequen-

obſequentem haberet in cauſa Æneæ, fratrem ipſius illum nominat, vt fraternitatis commemoratione non ſolùm adduceret, verùm etiam quodammodò cogeret patrocinium illius ſuſcipere. Grande namque piaculum eſt illius, qui fratri neceſſitate laboranti non fert opem, cùm poteſt. Vt autem aliunde acriùs etiam illum exſtimularet, addidit, non neſcire calamitates, quibus vexatus frater fuerit, atque etiamnum affligetur; *maximum enim crimen eius eſſet, ſi fratris aduerſa neſciret.* Quod ſi ita eſt, quantum nefas fuerit, non præbere manum auxiliarem fratri, cujus ærumnas & ſcias, & depellere poſſis?

Conabatur Pilatus modis omnibus (quibus id fieri poſſe putabat) mitigare furioſam rabiem, & emollire ſaxeos animos infenſiſſimorum hoſtium Redemptoris noſtri. Atque vt atrox illud, internecinumque odium Iudæorum placaret, & durum gelu ſolueret, ſanguine, & vulneribus opertum oculis eorum expoſuit, dicens: *Ecce homo;* Ioan. 19. 5. qui communem vobiſcum habet naturam humanam, & effigiem.

Sanctus Laurentius Iuſtinianus in lib. de triumphali Chriſti agone c. 15. ait: *Obijciens illis viſibilem formam deſpicabilem, plurimùmque deformem, nihil de diuinitatis excellentia, nihil de innocentia vitæ, nihil de collatis virtutibus recolens, ait, Ecce homo.* Vt rigentem glaciem contumacium, & truculentorum pectorum illorum ſolueret, putabat facere poſſe, ſi perſuaderet modò, vt eum hominem cogitarent. Poterat ad cicurandam eorum ferociam prædicare vitam ab illo innocenter actam, patrata miracula, beneficia inſignita plurimis præſtita. Hæc omnia tamen prætermiſit, & hoc ſolùm memorauit, quod homo eſſet; vt miſerarentur illum, quem tam miſeris modis conſputum, laniatum, dehoneſtatum videbant. Quis enim homo (niſi fortè deſierit eſſe, quod natus eſt) videre poſſit alium hominem, ſuum naturæ ſimilitudine fratrem, in neceſſitate, & anguſtijs poſitum, vt non compatiatur ei, & ſuccurrat, & ærumnarum pondera adimat? Nam *homo hominis*, vt adagium habet, *Deus* eſſe debet; vt velut Dei proprium eſt ſubuenire afflictis, ita & homo homini laboranti auxilio ſit, & ſubſidio.

Sedet animo hæſitatio circa Moyſen, & quædam Sancti Pauli de illo verba, in quibus non pauca, quæ multam mereantur conſiderationem. *Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem;* inquit ille Heb. 11. 24. 25.

In his illud habet difficultatem, quod Moyſes dicitur noluiſſe, *temporalis peccati habere iucunditatem.* Quid enim temporalis peccati ea in re fuit? An quod Moyſes filius filiæ Pharaonis audire tolerauit? An quod in palatio vitam egit? Sed nihil hîc ſceleris vides. Nam Ioſeph, Daniel, alijque in aulis Regum barbarorum, & idololatrarum ſine flagitij nota & abſque ſubuerſionis periculo cum Dei auxilio vixerunt. Quale ergo peccatum fuit, quod vt euitaret Moyſes, aulam Pharaonis fugiendam putauit?

Reſpondet Primaſius Vticenſis: *Peccatum deputauit, ſi maneret in aula regis lætitiâ temporali fruens, ſuoſque fratres in tribulatione relinqueret, non affligi, inquam, cum alijs peccatum putauit.* In peccatis numerabat, non quod aulicam in aulâ vitam viueret (id enim ſine piaculo fieri poterat) ſed quod ſibi magno vitio dandum cogitauit, ſi ipſe delitijs, epuliſque vacaret, cùm fratres illius cum tam intolerabili ſeruitute, cum tam acerbis ærumnis, & funeſtis calamitatibus confligerent: *Non affligi cum alijs peccatum putauit.* Perindignum eſt homine, non offerre, cùm poſſit, manum fratri, vt eum à miſeria, quæ afflictum habet, leuet, & non generosè illi opitulari.

*Vide hanc rem diligentiùs elaboratam, & elegantiùs pertractatam To. 1. Periocha VI. Feria VI. poſt Dominicam I. Quadrag. pag. 124.*

## CAPVT VII.

*Quoniam & nos vel aliquando labimur, vel caſui obnoxij ſumus, plurimùm congruit cum noſtræ caducæ fragilitate, vt lapſorum miſerorum piá commiſeratione moueamur.*

Evaſit ex conflictu, in quo illi quinque reges ſtragem acceperant, *Et nuntiauit Abram Hebræo* (Gen. 14. 13.) quod conſobrinus eius Loth captus, vinctuſque abductus eſſet. Ruperti Abbatis obſeruatio habet, quod Abraham hîc primùm *Hebræus* appellatus fuit: *Hebræus* ex notatione ſancti Hieronymi, idem eſt quod *peregrinus*, qui non habet conſtantem in hac vita ſedem. Quid cauſæ, quod Abrahæ, quo tempore nuntia victi, & vincti cognati accepit, nomen Hebræi, ſiue peregrini, & inconſtantis, & caduci datum fuit? *Nuntiauit Abram Hebræo.* Factum id, vt propriæ fragilitatis admonitus, faciliùs inflecteretur ad compatiendum alienæ, vtque etiam nos hinc diſceremus miſerari lapſos, dum recogitamus, quod fortunatiſſimus quiſque, quia caducus,

& fragilis homo est, vel iam aliquando corruit, vel casui expositus est. Est hæc hominum cordatorum, & prudentium consideratio.

Quàm benè hoc dixit S. Ambrosius in Psal. 118. Octon. 18. his verbis: *Qui habet intellectum, ipse est verè pius, intelligit enim humanæ lubricum fragilitatis, & citò ignoscit erranti. Intelligit commune nobis datum naturæ, vsusque consortium, & ideò pauperibus tanquam debitum soluit, non inficiatur tanquàm indebitum. Intelligit vices esse calamitatum, & ideò tanquam naufragijs mundi istius portu quodam suæ humanitatis occurrit.* Qui bono intellectu præditus, idem benignus est miserator. Nam qui ingenio valet, ille facilè videt & conditionis nostræ commertium, & fortunæ volubilitatem, ac multiplicem vicissitudinem, per quam fiat, vt sæpè ad incitas redigatur, qui antehæc opulentus erat, cùmq; humanarum calamitatum varios casus secum reputat, manu lapsum, ægrum, & ærumnosum sinu, portu suæ beneficentiæ naufragum exceptat. Qui iacentem videns non condolescit, non miseratur prostratum, ille rationis inopiâ laborat, & abundat stultitiâ. Omnes quippè ruinæ obnoxij sumus, & eisdem, quibus fratres nostri, miserijs expositi.

Insignem Romani à Gallis victoriam obtinuerunt, ducesque copiarum suarum habuerunt Domitium Oenobardum, & Fabium Maximum. Quid autem voluptatis tam feliciter confecta pugna Romanis attulerit, id Lucius Florus lib. 3. cap. 2. his expressit: *Quantum victoriæ gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod & ipsis, quibus dimicauerant, locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa fixere.* Hoccine verò inditium insolentis Romanorum lætitiæ fuit? Fuit, inquit Florus, *nunquàm enim populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobrauit.* Erat magna illius populi prudentia, quæ faciebat, vt subactis bello hostibus non obijcerent suam ignominiam, cogitabant nimirùm sibi postridie accidere posse, quod aduersarijs pridie euenisset.

Imperabat Deus Sauli, vt ferro, ac flammâ vastaret Amalec, & neque regi, neque infimo plebeio, nec homini, neque pecudi parceret, sed vno incendio omnia absumeret, communemque cinerum cumulum ex ijs faceret. Petijt Saul ciuitatem Amalec, cuius rex erat Agag, cùmque hunc primò obtruncare deberet, fuit hic primus, quem sospitauit, cæteris gladio cæsis: *Et pepercit Saul Agag*; 1. Reg. 15. 9.

Multis dubitare in mentem venit, quâ re commotus fuerit Saul, vt solum ex omnibus Agag regem seruauerit viuum, cùm perimendi illius tam graue, arctumque haberet præceptum.

Plurimæ possunt fuisse intermissæ occidionis rationes, apta tamen causæ præsenti ea est, quam Abulensis q. 17. in illud caput his verbis tradit: *Saul cùm esset rex, videns regem, qui etiam in eadem dignitate erat, in qua Saul, ad tantam venisse calamitatem, compassus est illi, cernens mobilitatem regiæ felicitatis, & eripuit eum à morte.* Contra iussionem Domini factum malè fuit, quòd regem illum seruauit incolumem, cogitatus tamen ille de volubilitate fortunæ, & inconstantia felicitatis regiæ ex se alioquin bonus fuisset, & ad excitandam miserationem commodus, & efficax. Quando enim rex triumphator pede premit coronas regum, quos subegit, debet cogitare, & animaduertere, posse mutari vices, & fieri, vt qui nunc est arrogans victor, posthæc fiat miser compeditus, & captiuus, & ludibrium eius, quem ante ignominiosè, & probrosè habuit.

Præclarè in hanc rem dixit Seneca l. de tranquill. vitæ, c. 11. vbi ista: *Quod regnum est, cui non sit parata ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis ista interuallis diuisa, sed horæ momentum interest inter solium, & aliena genua. Scito ergò omnem conditionem versatilem esse, & quidquid in vllum incurrit, posse in te quoque incurrere.*

In Persis hoc obseruauit, & commendauit sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 4. quod tametsi barbari essent, & insolentes, victoriarum tamen gloriâ stultè elatos non fuisse: *Hoc enim apud eos in more positum est, vt animi moderationem in prosperitate adhibeant.* Quantumuis enim rudis, & barbarus quispiam sit, hoc tamen facilè intelligit, quod in alios peruenit, ad se quoque redundare posse. Nam vt Publius tragicus aiebat, *cuiuis accidere potest, quod cuiquam potest.* Tam communes omnibus sunt infelicitates, & ærumnæ, vt illis nullæ alicubi sint clausæ fores, itaque quod vni occurrit, hoc obuenire omnibus potest. Nemo ergo excluditur à numero eorum, qui miserari alios, & lapsis condolescere debent.

Volo huc adducere lepidum aliquod Cassanei dictum, qui ait neminem obtrectare Medicis debere, eò quòd nemo non aliqualis medicus sit. Verba illius ex catalogo gloriæ mundi p. 11. consíderat. 48. sic habent: *Cum sit ars omnibus communis, illam omnes laudare debent, ne seipsos, illam deprimendo vituperent. Maximè qui passi interdum fuerint aliquam infirmitatem, si postmodum conualescant, infinita consilia dant.* Quis est, qui infinita dolori dentium mitigando, calculis expellendis, alijsque malis curandis

curandis salutaria nôrit remedia? At si quem à graui semel consanescere ægritudine contigit, Deus bone, quantam ille, quamque variam iactare medicinarum experientiam, & peritiam solet! At si medicina commendari ab omnibus debet, quoniam omnes sunt medici, etiam calamitates debent omnibus esse timori, nec quisquam est, qui non debeat & formidare ærumnas, & miserijs compati alienis, omnes enim eisdem legibus subiecti, eisdem casibus expositi sumus.

Ii etiam, qui stant post lapsum, quanquàm ruinæ obnoxij ampliùs non essent, debent lapsis compati vel hoc nomine, quod ipsi olim quoque ceciderunt.

Propheta regius S. Dauid vaticinatur futuros quosdam in Ecclesia Dei, qui serò ad meliorem vitam se recipiant, atque ex his à Domino deligendos multos euangelicæ legis prædicatores: *Conuertentur ad vesperam*, ait de his Psal. 58. 15. *& famem salutis alienæ patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem, si verò non fuerint saturati*, ibid. v. 16. si viderint apud quosdam tardè operari verbi salutaris medicinam, *murmurabunt*, & dicent, *quoniam quis audiuit?* ibid. v. 8. quænam illa plurimorum inertia, quis languor, & torpor auditorum, qui se tam ægrè ad emendatioris vitæ consuetudinem adduci sinunt? Qui hæc, taliaque murmurabant, nonné serò, & ad vesperam sunt conuersi? nonné tardè sapere cœperunt? quid ergo queruntur de alijs, qui seriùs conuertuntur? Cur non compatiuntur illis, quorum ipsi errore ante laborârunt?

Respondet S. Augustinus in illius Psalmi enarratione: *Excidit illis, quòd ad vesperam conuersi sunt.* Quando murmurabant de his, qui tardè conuertebantur, procul dubio prorsùm obliti erant, quòd ipsi quoque serò resipuerunt, nam si se lapsos recordati essent, ea memoria permouisset illos ad miserandum alios, qui in similem culpam ceciderunt.

S. Paulus Apostolus discipulo suo Tito consulit, vt non sit peccatum, quod non corrigat, nec vitium, quod non reprehendat, subditos autem inprimis doceat esse dicto obedientes, & modestos, & *omnem ostendentes mansuetudinem ad omnem hominem*, Tit. 3. 2. Vt eam mansuetudinem Titus quoque inter increpandum obseruaret, subdit Paulus: *Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes.* Quàm prudens ratio! inquit Primasius, *Quia nos tales fuimus, debemus eorum insipientiam ferre patienter.* Si sunt insipientes, si cœci, si increduli, nos similes eorum fuimus. Itaque benignè, suauiterque obiurgare alios debemus, vt enim lapsorum miseratione moueamur, illud facere potest, ac debet, quod ipsi quoque lapsi sumus.

## CAPVT VIII.

*Nunquam Dominus in hac vita portam misericordiæ ita claudit claue iustitiæ, vt non aliquam misericordiæ, & pietati rimam relinquat.*

QVanquàm captus, & abductus fuit Loth, (cui hæc infelicitas accidit, quod inter homines tam contaminatos habitare voluit, vt existimant Oleaster, & Istella) non defuit tamen nuntius, qui patruo captiuitatem consobrini significaret: *Ecce vnus, qui euaserat, nuntiauit Abram*; Gen. 14. 13. per quem in libertatem assertus fuit. Ex quo intelligimus immensam Dei benignitatem, & infinitam clementiã, qui quantumuis irascatur, & grauiter succenseat, nunquàm claue iustitiæ ita prorsùs occludit fores misericordiæ, vt non aliquam rimam relinquat misericordiæ.

Dum Christus redemptor noster Discipulos suos institueret prædicatores Euangelicos, præter multa, quæ ab eis cœlestis illius, & sacri Ministerij functione obseruari voluit, hoc vnum erat: *In quamcunque ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite, Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos*; Lucæ 10. 10. 11. Iussit nihilominùs post illa superiora hoc simul statim addere: *Tamen hoc scitote, quia appropinquauit regnum Dei*, tamque vicinum est, vt illud intrà domorum nostrarum portas habeamus.

Expendendum hîc illud, quod Cardinalis Caietanus subiectis verbis annotauit: *Benignus Dominus non vult, obstante repulsâ, priuare eos notitiâ eius, quod repellunt, vult eis manifestari materiam, quæ erat illis prædicanda, vt vel sic resipiscant.* Præcepit quidem dulcis, & mansuetus Dominus, vt Discipuli sancto zelo, & iustâ irâ inflammati puluerem in oculos incuterent eis, qui prædicationem contumaciter refutarent, nihilominùs portam clementiæ non omninò clausit claue rigoris, sed rimam pietatis reliquit, dicens, appropinquare regnum Dei, vt tam suauibus, & optatis nouis exhilararentur, & emollirentur, & ad amplectendam vitam euangelicam permouerentur. Blanda Domini indoles, & ingenij suauitas hoc apud illum efficit, vt inter maximam iræ, furorisque sui austeritatem semper aliquod nobis suæ pietatis, & clementiæ signum relinquat.

Propheta Daniel narrat, anno tertio regni Ioakim regis Iuda venisse Nabuchodonosorem regem Babylo-

Babylonis Ierosolymam, & obsedisse eam, & traditum ab irato Domino in manus illius regem Ioakim, cum parte vasorum domus Dei, de quibus Dan. 1. v. 2. ista: *Et asportauit ea in terram Sennaar, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui.*

S. Hieronymus hæsit in consideratione indignationis Domini, quæ tanta fuerit, vt sacra vasa, quibus fideles ad ipsius cultum, reuerentiamque vtebantur; ab impio Nabuchodonosore profanari permitteret. Sed velim animaduertatis, inquit Hieronymus, quod *partem vasorum domus Dei* tantùm sustulit, nec tam amplam à Domino potestatem habuit, vt diripere omnia posset. *Animaduertendum, quòd rex Babylonis non potuerit vniuersa Dei vasa transferre, & in idolio, quod sibi finxerat, collocare, sed partem vasorum domus Dei.* Hæc ille. Hinc possumus accipere, quòd tametsi iustè iratus Deus nonnunquàm concedat, vt inimici nostri partem vasorum sacrorum animæ nostræ deprædentur, sed vt omnia depeculentur, non permittit, semper nobis aliqua pignora relinquens, vnde consolationem haurire, & occasionem reuertendi ad gratiam, amicitiamque illius captare possumus. Cùm quis ludo dat operam, quamdiu non perdidit omnia, spem habet non solùm recuperandi sua, verùm etiam lucrandi aliena: Sic quamuis indignabundus Deus permittat, vt aliqua suæ animæ monilia perdat, pius Dominus tamen ex sua misericordia, & clementia facit, vt aliquid spiritualium opum, & ornamentorum maneat reliquum, per quod non amissa solùm, verùm & plura, quàm habuerat, cum auxiliaris gratiæ Dei auxilio lucrifaciat.

Dicebat populo suo Dominus per suum Prophetam Isaiam c. 1. v. 16. 17. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum. Discite benefacere, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Subdit autem statim: *Venite, arguite me*; ibid. v. 18. aut sicut S. Ioannes Chrysostomus legit: *Venite, disputemus*, præstolor vos ego hic in palæstra, multam habens iurgandi vobiscum cupiditatem.

Obseruauit diuinus Chrysostomus in verbis Domini, quod & prouocauit illos ad disputandum, & modum simul indicauit, quo facere posset, vt non vincerentur ab ipso: *Discite*, inquiens, *benefacere, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Nam si quis ad supremum Dei tribunal pergat habens & cor muncum, & egenos, quibus opitulatus fuerit, & pupillos, quibus patrocinatus, & viduas, quas tutatus, non habebit Dominus gladium, quo illum feriat, sed manus, quibus remuneret. Si quis irâ vehementer accensus alium ad conflictum euocaret, illique aperiret technas, quibus inter dimicandum vti vellet, is magis illum seruare viuũ cuperet, quàm interimere, cùm enim cogitatum suum illi detegit, modum, quo se defendat, ostendit. Tantundem facit Deus. Dicit ille populo suo: *Venite, disputemus*, concertemus. Non acceptare pugnam non poterant. Argumenta, & arma, quibus Dominus pugnaturus est, sunt oppressiones orphanorum, afflictiones viduarum, vexationes pauperum, & alia id genus peccata. Priusquàm verò pugnam ineat, præcipit illis esse pios in viduas, pupillos, pauperes. At quæ hæc, mi Domine, pugnandi ratio? Dimicare instituis, & modum, quem obseruaturus es, tecum pugnaturis declaras! Hîc videas, inquit Chrysostomus, qualis sit indignatio irati Dei, qui cùm ad certamen prouocat, rationem aduersarijs, quâ se defendant, indicat. *Venite, disputemus, dicit Dominus* (verba sunt Chrysostomi ex hom. de ieiunio To. 1.) *non enim nos ad disputandum, hoc est, ad iudicium, vbi de causa nostra tractandum, vult nudos venire. Ante enim, quàm diceret, Venite, & disputemus, docuit quid loqui, vel agere oporteat, & ita ad iudicium venire.*

Quàm admirabilia verba illa, *vbi disputandum est, non vult nos nudos venire.* Quando quis habet hostẽ, cum quo est dimicaturus, semper studet venire benè armatus, & si intelligeret aduersarium suum venire nudum ab omnibus armis, non posset non plurimùm gaudere, propter spem victoriæ de imparato aduersario faciliùs impetrandæ. Videte nunc, quàm parùm cupiat Deus vincere, quando iratus cupit pugnare, qui his, cum quibus est conflicturus, mandat parare ad certamen galeam, scuta loricam (quæ sunt opera pietatis, & charitatis) ne sub horam certaminis nudos reperiens feriatè inuadat, atque occidat. *Vbi disputandum est, non vult nos nudos venire*, & quando magis iratus nos prouocat ad duellum, simul quomodo defendere debeamus, ostendit. Nunquàm ita planè occludit fores misericordiæ, vt aliquam iram ex incuria relinquat apertam, vt per illam ad implorandum illius clementiam nos insinuemus.

Cùm videret hic Dominus plusquàm stultam illorum arrogantissimorum hominum temeritatem, qui vt aduersùs omnem illius iram se præmunirent, turrim excitare cœperunt, cuius supremus apex esset proximus in cœlum gradus. Horum vanam, & superbam machinationem impediuit confusione linguarum,

guarum, per quam factum est, vt operarij mutuò intelligere non possent, adeò cœptam constructionem intermittere deberent. *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui;* aiebat Dominus Gen. 11. 7.

Cardinalis Caietanus ait, quanquàm Dominus arrogantium illorum linguas confuderit, tamen *non tam exacto rigore intelligendum esse, non audisse vnumquemque proximum suum, vt non relicti fuerint duo communicantes in sermone.* Igitur vel duo aliqui mutuò intelligere, & viciſſim consolari se potuerunt. austeritas nempè Dei non est tanta, vt non rimulam aliquam, per quam ad misericordiam ipsius sit aditus, relinquat.

*Simile argumentum permultis in locis tractat. Vide parte 1. Polit. l. 2. c. 8. & l. 8. c. 3. & parte 2. l. 5. c. 8. & quæ vbique ad finem Capitum adscripta.*

## CAPVT IX.

*Nomen Dei tam est venerabile, & ineffabile, vt qui per illud iurare velit, tantâ præparatione quodammodò egeat, quantâ probatione opus habet, qui eundem Dominum in diuiniſſimo Altaris sacramento sumpturus.*

IVit Abraham, vt liberaret suum consobrinum, tamque feliciter pugnauit, vt & ipsum vindicaret, & fortunas illius omnes recuperaret, & plurimis opulentis spolijs onustus rediret. Reuertenti è pugna occurrit rex Salem Melchisedech sacerdos Dei altiſſimi cum pane, & vino, magnumque in modum benedixit Abrahæ, qui omnium, quæ referebat è prælio, decimas illi offerebat. Rex autem Sodomorum solum populum suum sibi reddi petebat, cætera vt sibi Abraham haberet, & retineret, rogabat, cui ille respondebat: *Leuo manum meam ad Dominum excelsum possessorem cœli, & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt;* Gen. 14. 22. 23.

Quòd Abraham leuauit manum, cæremonia iurandi fuit, vt monent Abulensis, Oleaster, Pererius, Cornelius, Honcala, Nauarrinus in schediasmat Sacro-profanis lib. 8. cap. 7. Itaque vt fidem inueniret, & seriò, & candidè, expectoraliterque loqui crederetur, iuramentum interposuit, vt vult Pererius, cuius sunt ista: Crediderim eum iurasse, vt se id non per iocum, aut per quandam animi vanitatem, & iactantiam, sed verè, seriò, sincerè, & ex animo loqui ostenderet. Cum maxima attentione, & nonnisi magnâ fidei sibi conciliandæ necessitate coactus iurauit, vt eâ nos actione doceret, quanta cum reuerentia, & cautione nomen Domini ad iurandum adhibere debeamus. Doctrina hæc præmodùm vtilis est miseræ huic, & calamitosæ, flagitiosæque ætati, quæ leuiſſimè, & impudentiſſimè ad iurandum, & peierandū prosilit, cum insigni diuiniſſimi nominis illius contemptu, quod Angeli reuerentiſſimè adorant, & dæmones subiectiſſimè confitentur.

Hæc doctrina, vt dixi, sine dubio est summè necessaria. S. Ioannes Chrysostomus enim, cùm decem chordas pulsandas, hoc est, decem præcepta Domini exponenda suscepisset, aiebat: *Nos vnam chordam pulsauimus per totam Quadragesimam; dum legem vobis de iureiurando recitamus.* Hæc ille in hom. de decem millib. debit. Itaque per omnes Quadragesimæ dies hanc vnam ex decem chordis, solamque plectro linguæ suæ pro concione pulsauit, *Non periurabis in nomine meo;* Leuit. 19. 12. Videte annon sit vtilis, & momentosa, quando S. Ioannes Chrysostomus quadraginta continuis diebus nihil aliud egit, quàm vt auditoribus suis reuerentiam augustiſſimo Dei nomini debitam inculcaret.

Philo in l. de decalogo propterea vult, vt qui iurare debet, *sit cunctator, & procrastinator, si fortè differendo poſsit euitare, ne iuret.* Qui debito vult se non exsoluere, sed quouis alio potiùs modo liberare, ille creditorem verbis pascit, & lactat, dilationemq; ex die in diem tam diu petit, ac reposcit, donec illum exigendi pertæsum faciat, seque vel sic exoneret. Hâc industriâ curare debemus, si poſſumus, vt non iuremus, cunctando nimirùm, & procrastinando, quantùm fieri potest, vt à petendo desistat, qui iuramentum postulat. Satis ostendit hîc Philo, quanta attentio necessaria sit ei, qui per sanctiſſimum Dei nomen iurare cogitat, vel cogitur.

Sed meliùs hoc docuit S. Paulus, qui vas electionis à Domino speciali studio elaboratus fuit, vt nomen illius per mundū circumferret, in quo S. Augustinus aliquid obseruauit diligentiſſimâ considerationе dignum, & sic habet: *Iurauit ipse Apostolus in epistolis suis, & non inuenitur iurasse nisi scribens, vbi consideratio cautior non habet linguam præcipitem.* Hæc ille in lib. de mendac. ad Consent. To. 4. Lege apostolicorum Actorum librum, plurima inuenies à Paulo dicta, iurasse aliquando inter dicendum non reperies. In epistolis autem non vnum tantùm illius iuramentum offendes. Quid est, quod scibens iurabat, loquens non iurabat? Considerabat ille, quàm præceps lingua, quàm prona esset ad lapsum, quàm

lubrica, & incitata ad casum, idcircò loquens iurare formidabat, quod scribens non metuebat, quia manus stupor, & calami scriptoris tarditas moram adferunt, vt pennâ attentiùs exarari verba, quàm linguâ promi possint. Si Paulus (de quo Dominus ipse dicebat, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Regibus, & Gentibus, & filijs Israel*; Act. 9. 15.) quem cœlum innumeris gratiæ ornamentis excoluerat, non fuit ausus ore suo vsurpare nomen Domini, eò quod linguæ timeret præcipitantiam, quis alius hæc audiens non contremiscet, pertimescetq; per sanctissimum illud nomen iurare, quando is, qui huic nomini per orbem ferendo deputatus fuit, ita verebatur iurare, vt lubricâ linguâ hoc facere omninò vereretur, & vix cunctabundo calamo auderet?

Peropportunum veniet, quod eruditissimus Nouarinus Veronensis refert fecisse olim populi Hebræi iudices, quando iuramentum ab aliquo accipiebant. Huic, vt ille ait, in memoriam reuocabant id, quod tunc euenisse, cùm illud decalogi, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, Exodi 20.7. promulgaretur, tanquàm certam traditionem habent. Et quid accidit, cùm hoc tam necessarium, & momentosum præceptum propositum fuit? *Totum orbem in illa hora tremuisse* ferunt. Hæc ille in Schediasmat. lib. 8. cap. 6. num. 31. Itaque cùm hæc populo Moyses ex legis tabulis legeret: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*; non fuit scopulus, qui non moueretur, & nutaret, non mons, qui non concuteretur, non rupes, quæ non ruinam minaretur, poli, & columnæ orbis terrarum collabascebant, & tota hæc mundi structura in casum propendebat. At si tunc, cùm promulgabatur lex, quæ vanè iurare vetabat, totus expauefactus contremuit mundus, & gelidus timor creaturas omnes occupauit, quid erit, cùm vanè iuratur, perfideque, & sacrilegè blasphematur? Quid mirum, quod Paulus tantoperè deuitârit iuramentum, cui tantum potest subesse periculum?

Discrimen quocum iuramenta coniuncta esse solent, satis indicârunt Veteres, aqud quos *iusiurandum deum Pallidum dictum* Seruius in l. 1. Georgic. Virg. affirmat. Sed cur hoc nomine illud numen docta donauit antiquitas? Respondet ille: *Quia iurantes trepidatione pallescunt*, & toto corpore madent frigore, sudore, quem exprimit consideratio periculi, cui se exponunt, si non vt decet, iurant. Tam horribile est iurare per sacrosanctum nomen Dei.

Hæc causa sit, ob quam S. Gregorius Nazianzenus, cùm piacularibus salutaris fontis aquis ablutus fuit, perpetuam iurandi abstinentiam sibijpsi indixit, de quo Gregorius Presbyter in illius vita sic habet: *Primùm diuino baptismo tingitur, legemq; sibi indicit, nunquàm iurandi, quamdiu in hac vita versaretur, quod etiam ad extremum vsque diem seruauit.* O quàm benè de iurandi periculo magnus Theologus sentiebat! O quàm exactè obseruabat præceptum magistri sui Dei, sciens quanto discrimini se offerret, quisquis indignè, per augustissimum nomen illius iuraret?

In horum consideratione versabatur S. Ioannes Chrysostomus apud Philippum Diez in locis communibus verbo *Iuramentum*, quando aiebat: *Non ita gemo, & deploro, quospiam in vijs iugulatos audiens, sicut gemo, & lachrymis prosequor, & horresco, cùm video, quempiam prope mensam, scilicet Altare, venientem, & manus imponentem, & euangelijs iurantem attactis.* Videbat nimirum sanctissimus Doctor, in quod periculum se conijceret, si quis non ritè iuraret.

Nam vt rectè, decenterque quis iuret, videtur eâ præparatione opus habere, quæ apud illos requiritur, qui sanctissimum Altaris sacramentum sunt accepturi. Id cæremoniæ indicasse videntur, quibus olim ad iurandum vtebantur. Cornelius Papa apud Gratianum in decreto sic aiebat: *Honestum videtur, vt qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate, & timore Dei, & vt pueri ante annos quatuordecim non cogantur iurare.*

Quò spectat illa tam varia, & diligens præparatio, vt qui iurare deberet, inesus esset, atque impotus, & ætate maturus, & singulari cum honestate, ac magno Dei timore accederet?

Respondet Reuerendissimus Episcopus Monopolitanus Ioannes Lopez To. 4. epist. de Sanct. in serm. de Circumcisione: *Vt assumendum nomen Dei docerent eâ reuerentiâ, quâ sacra communio* accipitur. Et magnus quidam Ordinis Seraphici Scriptor, & Ecclesiastes: *Quasi ad sacrosanctum Altaris sacramentum, sic ad iuramentum accedebatur.* Diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum nonnisi à ieiunijs, idque pro debitissima reuerentia, præcipitur, & nec ab ijs quidem, nisi ante se multo cum timore solicitè probauerint. Ad eundem modum volebant olim eum comparatum, qui iuraturus erat, vt inditio esset, quàm timidè iurare oporteret, quandoquidem ad iurandum eadem requirebantur, quæ ad communicandum.

Non incommodum huc veniet, quod sacer textus memorat, quando narrat, quod Abimelech, Ochozath, & Phicol venerunt ad Isaac, vt fœdus cum illo inirent. Instruxit illis Isaac magnificum conuiuium, cùmque postridie diluxisset, *surgentes manè iurauerunt sibi mutuò*, Gen. 26. 31. Cur sub primam diei creperam tam multò manè iurârunt? Cur non aliam horam opportuniorem expectârunt?

Respondent Abulensis, & Nicolaus Lyranus: *Manè surgentes iurauerunt, scilicet saliuâ ieiunâ, propter reuerentiam iuramenti.* Etiam rudibus illis sæculis, vbi non erat tanta magnitudinis diuinæ agnitio, tantus habebatur honor iuramento, vt nisi *ieiunâ saliuâ* iurare non auderent. Erat ergo tunc ea obseruantia ergà iuramentum, quæ nunc ergà Eucharistiæ sacramentum. Nam ore nomen Dei vsurpare, videtur idem esse, quod corpus illius è sacra mensa suscipere.

S. Paulus 1. Corinth. 12. v. 3. aiebat: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto*; quod ex interpretatione doctissimi Cardinalis Silicei lib. de nomine IESVS cap. 2. tale est, ac si dixisset: *Solus ille dicere potest IESVS, qui probabiliter cognouerit Spiritum sanctum in se esse. Dixerat enim alibi idem Apostolus loquens de pane diuino: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Hoc autem videtur sentire Paulus, cùm ab aliquo sumitur proferendum hoc nomen IESVS, vt antequàm proferat pro re aliqua impetranda, quæ vires naturæ excedat, probet seipsum, hoc est probabiliter credat se esse in gratia.* At si tantâ præparatione opus habet, qui dulcissimum IESV nomen solùm est pronuntiaturus, quanto studio se probare, & explorare debet, qui per idem sacrosanctum nomen est iuraturus?

# LIBER IV.

# VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Qui fauentioris fortunæ beneuolentiâ sublimem felicitatis gradum tenent, ij pluribus & maioribus auxiliorum copijs opus habent, quàm illi, quos grauior calamitas oppressos, & humi afflictos tenet.*



Contrà communem errore capti mundi sententententiam nunc calamo veraci agere incipiam. Quantùm inuidetur homini felici, & fortunato, cui propitiæ fortunæ placidus Zephirus leni aspiritu, sublanditur? Quàm paucis inuidiosus est, qui ærumnis deiectus humi iacet! Sed vtrumque malè fieri & veritas sentit, & experientia docet, ad quarum lucem perspicuè videbimus, nihil infelicius esse homine, cui omnia ad voluntatem fluunt, nihil fortunatius eo, quem fortuna iniquior infelicitat, inopemque, & mendicum facit. Nimirùm pauper vix habet, quod timeat, qui verò rebus secundis vtitur, semper debet metuere.

Concionabatur quondam Toleti S. Ildephonsus illius vrbis Archiepiscopus in die, quo virginum intemeratissima, reginarum maxima, matrum felicissima, & suprema solennissimo plausu festiuissimè celebrari solet. Et quoniam eâ gloriosissimorum eiusmodi festorum occasione beneficia gratiarum ampliora faciliùs impetrari solent, monebat beatus antistes, & pastor suos auditores, secum implorare augustissimam cœlorum Imperatricem, vt quo die regina Angelorum primùm inaugurata esset liberaliore manu, & pleniore sinu, quæcunque & omnibus, & singulis necessaria sciret, inde ex Deo affunderet, à quo thesaurorum omnium cœlestium claues haberet, & omnipotente prece obtinere omnia posset. Hoc ante inprimis *oremus*, aiebat ille serm. 6. de Assumptione, *vt in prosperis sit protectrix*, validissimoque suo præsidio nos tueatur, cum fortuna nobis arridet, & ex sententia cuncta eueniunt.

Videtur non benè monuisse illustrissimus Doctor, sed ita potiùs dicere debuisse: Obsecremus Angelorum Dominam, vt nobis inter angustias, & aduersitatum necessitates laborantibus subueniat. Quid ergo est, quòd magis rogandam illam Cœlituum reginam putauit, vt temporali felicitate affluentibus auxilio esset, atque subsidio? *Oremus, vt in prosperis sit protectrix.* Fecit hoc vir sanctus, vtpotè perspectam habens rerum mundanarum conditionem, quod sciret quibus tempestatibus iactari, quibus concuti fluctibus, quãtis obnoxij periculis esse soleant hi, quibuscum prosperè agitur: Sciebat item

quâ ſerenitate, & tranquillitate frueretur pauper; ac proinde quamuis ad omnem vitæ conditionem neceſſaria eſt opitulatio Mariæ, magis tamen eam requirere viſum eſt tempus proſperum, quod illud grauioribus iactationibus, & acrioribus incurſionibus ſit expoſitum. Videte quid ſecum ferant temporales felicitates, quas continui hoſtes, & metus varij ſemper obſident.

In principio mundi, quando creauit Deus cœlum, & terram, *Spiritus Dei* ( vt habet ſacer Scriptor Gen. 1. v. 2. ) *ferebatur ſuper aquas*. S. Baſilius magnus, Barcepha, Oleaſter, & Hebraizantes aiunt, poſſe illa verba ſic transferri: *Spiritus Dei incubabat aquis*, ad modum, quo aues ouis inſidere, eaque calore ſuo animare, & excludendi fœtus gratiâ conſouere ſolent, vt ferè exponunt Interpretes.

At cùm eâ occaſione mentio fiat duorum elementorum, nimirùm aquæ, & terræ, cur non ſimiliter terræ, ac aquis incubaſſe Spiritus Dei fertur?

Priuſquàm huic reſpondeamus quæſtioni, inquirendum eſt, quidnam typicè duo illa elementa referant. Aquæ, ex ſententia Petri Berchorij, Pierij, Valeriani, Antonij, Ricciardi, & Laureti, ſunt hieroglyphica diuitiarum mundanarum, & felicitatis terrenæ. Adſtipulatur his Pſalmiſta regius, cùm ait: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*; Pſal 61. 11. Alia litera habet: *Diuitiæ ſi fluant*, ſi aquarum more decurrerint, nolitè, eas cataractis cordis veſtri incluſas tenere. Terra verò, ex eorundem autorum opinatione, eſt ſymbolum hominis infimi, & abiecti, vnde & filium terræ nuncupare conſueuimus, quem extremo è vulgo vnum eſſe dicere volumus. In principio mundi aqua occupabat omnia, *terra autem erat inanis, & vacua*, ibid. egens, & ſqualida. Vt ergò indicaretur nobis, quàm ſit periculoſus ſtatus hominum fortunatorum, quàm ſecurus pauperum, & egenorum ab ipſis mundi primordijs hanc veritatem Dominus indicare voluit, & ſignificare, quòd tametſi omnibus neceſſarius ſit Spiritus ſanctus, opulentos tamen in aquis adumbratos, quique omnibus affluunt, cumprimis egere illius fomento, & adiumento, vt qui grauioribus caſibus, & periculis maioribus ſint expoſiti.

Petrus Berchorius ex autoritate Phiſiologi memorabile hoc de turturibus narrat in ſuo Reduct. morali lib. 7. cap. 70. v. 10. *Quando volant verſus Aquilonem non habent rectorem: E conuerſo verò, ſi ab Aquilone verſus Auſtrum volauerint, tunc habent rectorem, quem ſequuntur*. Mira proprietas! Quid Auſter, quid Aquilo ſignificat? S. Gregorius Nyſſenus, Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitanus, Aponius in expoſitione illius Cant. 4. 16. *Surge Aquilo, & veni Auſter*, aiunt, Aquilone propter vehementes illius flatus, ſignificari aduerſitates, Auſtro verò, propter illius placidum aſpiritum, denotari ſæculi huius proſperitates. Quod ergo turtures tunc viæ ducem habent, quando Auſtrum petunt, qui eſt ſignum felicitatis, & abſque moderatore præuio ad Aquilonem, calamitatum ſymbolum, pergunt, eo naturæ myſterio docemur, quod duce, & directore plurimùm opus habent, quicunque opibus, & omni felicitate abundant, eò quòd varijs, & magnis ſint obſeſſi periculis, eos verò qui ad Aquilonem contendunt, ærumnis, & miſerijs laborant, gubernatore non egere, pauper enim abſque periculo ſemper itineratur, egenum nemo vel inuadit, vel perſequitur, nec quiſquam inuidet infelici, ac mendico.

Audiamus Petrum Berchorium, cuius ſunt iſta: *Sic illi, qui in Aquilone, id eſt, in frigore aduerſitatis habitant, non egent rectore, quia vexatio dat intellectum. Vnde in illo ſtare poteſt homo, & ſe ſufficienter regere per ſeipſum. Sed illi, qui ad Auſtrum mundanæ proſperitatis anhelant, rectore prouido indigent, qui ipſos regat, & manu teneat.*

Propterea magnus ille Theologus S. Gregorius Nazianzenus Orat. 14. aiebat: *Profectò facilius eſſe videtur aduerſam fortunam ferre, quàm ſecundam conſeruare.*

Baptizatus in Iordane Chriſtus fuit, cùmq; è ſacris vndis aſcenderet, aperti ſunt cœli, Spiritus S. in columbæ ſpecie deſcendit, ſimulque vox Patris intonuit, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; Matth. 3. 17. Erant cum eodem Domino in ſummo Thabore tres Diſcipulorum chariſſimi, perfruebantur inexplicabili animi voluptate natâ ex intuitu illuſtris gloriæ diuini ſui Magiſtri, quando Petrus extrà chorum ſaltare, & imprudenter aliquid loqui cœpit, ſed verba illius ſonora Patris æterni vox intercepit, quæ de nube iterùm ſucclamabat, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; Matth. 17. 5. quàm cùm audirent *Diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde*; ibid. v. 6.

S. Ioannes Chryſoſtomus, & Euthymius percunctantur aliquid, quod apud Euthymium ſic habet: *Atqui priùs in Iordane vox facta eſt huiuſmodi, & nullus quidquam tale paſſus eſt. Quomodo ergo nunc hi prociderunt in faciem ſuam?* Cur magis ſolo affuſi fuerunt, qui eandem vocem in Thabor, quàm qui apud

pud Iordanem audiuerunt? Ex discrimine loci, in quo vtriq; auditores erant, coniectant causam Doctores, quos dixi. Qui in Thabor Patris æterni verba audiebant, editissimo in loco erant, *duxit* enim *illos* Dominus *in montem excelsum*, Matth. 17. 1. Qui apud Iordanem audiebant, in loco plano, & humili erant. Illi ergo in Thabor timuerunt, inquit Euthymius, quia altitudo magna erat, illi apud Iordanem nihil formidârunt, *quia erant in plano*. Qui sublimem gradum tenent, qui in excelso gratiæ, vel dignitatis loco sunt positi, ad omnem vocem tremunt, nunquàm securi degunt, nihil mali eis accidit, à quo non deijciantur. At qui humili in loco agit, qui abiectus inter ærumnas viuit, hunc nihil perturbat, nihil exterret, non voces, non tempestates, non tonitrua, non fulmina expauefaciunt.

In hanc rem S. Anselmus apud Guilielmum Eborensem To. 1. verbo *Felicitas* sic ait: *Felicitas sæculi ventus est contrarius*. Elegans dictum! Quando nullus per mare ventus obsistit, quàm hilares cursum suum nautæ conficiunt! quàm securi dormiunt! At cùm ventus exurgit contrarius, maximè validior, quantùm pertimescunt, quantùm expauescunt animis, quantis curarum fluctibus concutiuntur miseri vectores, & nauigantes! Aduersitas est mare tranquillum, pacatum, sedatum: Verùm prosperitas, & vitæ huius felicitas *ventus est contrarius*, nam qui gratiâ apud Principes, & opum copiâ in mundo valet, mare cordis illius semper fremit, sæuit, continuisque perturbationum, ac solicitudinum fluctibus concitatur, omnesque suspectos habet, ac timet.

Habemus huius rei exemplum in nostro Patriarcha, cui à deuictis gloriosè hostibus, & spolijs opulentis reportatis apparuit Dominus, & dixit: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*; Gen. 15. 1. Poteratne verò, cùm è prælio triumphator, & spoliorum diues reuertebatur, quidquam vereri? Immò verò propterea vel maximè poterat pertimescere, quod à pugna feliciter confecta, & opulentus redibat, inquiunt Nicolaus Lyranus, Abulensis, & alij. Nullus enim status maioribus est obnoxius periculis, nullus tam crebris subiectus timoribus, quàm hominum fortunatorum, quibus omnia ex sententia eueniunt.

*Quæ parte 2. Politici lib. 7. cap. 1. tractantur, cognata sunt argumento huius capitis. Videsis.*

❧(*)☙

## CAPVT II.

*Quod de prosperitate humana dictum, idem de gratia Dei affirmari potest, qui enim beneuolentissimum habet Deum, excidere ex gratia illius potest, vt proinde minùs sapiat, qui nimis præfidit.*

OMnes iusti, & sancti perpetuo in metu viuunt, dum in hac vita degunt, quando secum reputant, quod gratiæ Dei census est temporarius, non hæreditarius, & perpetuus, & quod beneficia Dei sunt bona mobilia, non fixa, & perdurabilia, eáq; propter vt inconstantes timent, vt fragiles tremunt, non desperantes de bonitate Dei, sed de sua imbecillitate meticulosi.

Prolixum catalogum texit Propheta regius spiritualium ornamentorum hominis iusti, qui Dei voluntati per omnia morem gerere studuerit, eorumque commemoratione exorditur sacros, & dulces hymnos suos, inquiens: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*; Psal. 1. 1.

Magnus Basilius ambigit de sensu horum verborum, quæritque an fortè hæc elogia, quæ laudibus alicuius iusti consecrantur, sint funebris sermo pro defuncti alicuius honore supremo dictus. Et respondet sanctus Doctor, se in ea esse opinione, quod ad mortuos magis, quam viuos, verba ea spectent. Vnde id colligi, & probari poterit? Ex nostra fragilitate, & miseria, & ex eo quod Rex musicus ait, *Beatus vir, qui non abijt*, non permisit abripi peruerso improborum consilio. Duobus, vt aiunt, verbis nos monuit, sanctus rex, vt nemo securitatem sibi in hac vita promittat, nec enim quisquam tam est perfectus, & consummatus, qui non sit prolapsionis periculo expositus, *Beatus vir, qui non abijt, inquit*. Cum alterius vitæ hominibus loquitur, præsentis enim vitæ hominum nullus dici beatus, nec de quoquam affirmari potest, quòd non consensit, nemo quippè est, qui non sit casui obnoxius, quamdiu in carne viuit, vt proinde minùs sapiens sit, qui nimis est securus.

Audiamus Basilium, *Beatus vir, qui non abijt, Non dixit*, Qui non abit, *sed* Non abijt *in consilio impiorum, nondum enim ille qui in vita est, beatus est, prædicandus, ob exitum incertum, sed qui vices, suæ functionis, & vocationis semel absoluerit, vitamque fine certo clauserit, hic iam beatus dici tutò potest.*

Habeo locum Scripturæ, qui prout à sancto Ambrosio legitur, & exponitur, conceptum nobis quàm acutum,

acutum, tam commodum subministrabit. *Dixit Dominus ad Abraham, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, Gen. 12. 1. *Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus*, ibid. v. 3. vbi Ambrosiana versio sic habet: *Egressus est Abraham, sicut locutus est ei Dominus*. Annotamentum sancti Doctoris in hæc illud est, quod aliter loquitur Scriptura, cùm iussum exire Abrahamum narrat, aliter cùm obtemperasse illum iussioni recenset. Primùm sic refert: *Dixit Dominus ad Abraham*. Dicere significat, vt ille monet, quandam iussionis seueritatem, estque verbum forense, cuius energiam Ambrosius, vt peritissimus iuris, pernouerat. Posteriùs sic memorat: *Et abijt, sicut locutus est ei Dominus*. Differit nunc in vtraq; horum lib. 2. de Abraham cap. 2. ita: *suprà habes, exi, dixisse Deum, in quo apertum imperium iubentis expressum. Hic habes quemadmodum locutus est illi Deus. Quasi quidam confabulationis affectus comprehenditur. Ante factum igitur Deus DICIT quasi obnoxio, post factum LOQVITVR* quasi amico. Quid est, quod *ante factum loquitur quasi obnoxio*, & tanquàm non satis fidens, priusquàm sua iussa videat expleta? Vide quem comitem habuerit Abraham, inquit Ambrosius, quando ibat expletum iussionem Domini Moyses, ait: *Et exiuit cum eo Loth*, ibidem v. 4. *hoc est, declinatio, id enim nominis significat interpretatio*. Sic Ambrosius ibid. At si Abrahamum comitabatur Loth, hoc est, declinatio, fragilitas, inconstantia, quid mirum, aut magnum, quod tanquàm obnoxio locutus est, priusquàm præceptum expleuerat, velut non satis fideret expleturum? Quamdiu enim homo in hac vita viuit, circumferens suam fragilitatem, nemo certò sibi quidquam de illo promittere potest, priusquàm iniunctum opus perfecerit. Et quanquàm Deus facilè præuiderit, quid facturus Abraham esset, voluit tamen illi ante absolutum sibi demandatum munus velut obstricto loqui, vt nos securitatem ante expletam iussionem nobis nunquàm promitteremus? *Ante factum loquitur quasi obnoxio, post factum quasi amico.*

Ieiunauit Christus in deserto quadraginta diebus, totidemque noctibus, *& accedens tentator*, obtulit ei lapides vertendos in panem, sed nequicquam. Posthæc *assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi*; Matth. 4. 5. suasitque, sed non persuasit, vt inde se deijceret. Denique adduxit illum in præcelsum montem, ostensisque eo ex loco omnibus mundi regnis, idololatriam illi consulere cœpit, inquiens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*; ibidem v. 9.

S. Paschasius ait: *Et hoc magis tremendum, quod neque virtus impleta, neque sanctitas approbata, neque locus Domino dedicatus, cohibuit hostem à congressu*. Quanquàm dæmon semel, iterùmque inaniter tentasset, & succubuisset, Christique sanctitas, & consummatissima, & testatissima esset, & palæstra, in qua cum illo pugnârat, Deo sacra, nihil horum tamen efficere potuit, vt ille dubitaret posse obtinere à Christo victoriam. Vt enim videbat, eum carne humanâ vestitum, existimauit maiora pondera habituram ipsius infirmitatem ad illum superandum, quàm sanctitatem loci ad eum defendendum. Quamdiu carne mortali circumdati sumus, neq; sanctitati nimiùm tribuere, neque loco fidere debemus, vbiq; enim sunt pericula, vbique quod metuamus. Non se eremicola in suo recensu, & latebris, non religiosus in suo monasterio, non intrà septa monialis securam putet, quando dæmon existimauit, Christum, quò minùs vinci posset, nihil vel ab eremo, vel à virtute, & explorata sanctitate subsidijs habiturum: *Neque sanctitas approbata, neque locus Domino dedicatus cohibuit hostem à congressu*. Quoad fragilitate nostrâ laboramus, non est locus, qui defendat, neq; asylum, quod tutos præstet, nisi Deus gratiæ suæ scuto nos protegat.

Admirabiliter in hanc sententiam dixit Faustus Rhegiensis epist. 1. Tomo 3. Biblioth. Vet. PP. *Homo viuens, & sapiens, & iustus dici potest, vita autem, & iustitia dici non potest, quia ità ijs induitur, vt aliquoties exuatur. Quod homini datum est, Deo insitum est*. Quod homo habet per participationem, id per naturam habet Deus. Virtus, & sanctitas est homini vestimentum mutuatitium, qui vt indumento vtitur, sic & facilè nudatur alieno.

Atque vt homo conscius suæ fragilitatis non facilè sibi promittat securitatem, prosequitur dicta Faustus inquiens: *Homo, verbi gratiâ, deauratus est, Deus aurum est, in quo hoc est potentia, & gloria, quod natura*. Notoria est differentia inaurati, & auri, Inauratum facilè obscuratur, & squalet, auro nunquàm suus decedit fulgor. Tale quoque est discrimen inter sanctitatem Dei, & hominis Dei sanctitas est purum, putum aurum, sanctitas per essentiam, indefectibilis, æterna: Verùm *homo deauratus est*, & sanctitas illius deaurata, quæ breui offuscari, vel interire potest. Itaq; securũ se nõ putet, sed timeat õnis homo.

Sic fecit noster Patriarcha, quem post obtentam illam tam insignem victoriam consolatus fuit Dominus,

minus, dicens: *Noli timere.* De hoc timore quidam affirmant, cum Abrahæ domi suæ, in animo suo, atque inde natum, quod vereretur, ne aliqua vana gloria sibi de crebri illa victoria obrepsisset. Vt enim homo erat, sic fieri potuisse putauit, quòd inanis quædam gloriola incauto animo furtiuè sese insinuasset. Vt ergo pacatiore esset animo, iussit illum non metuere, sibi enim non displicere, sed pergrata esse, quæcunque fecisset. Hoc est, quod omnes cordati, & prudentes agere debent, vt non præfidant in hac vita, non promittant sibi securitatem, quamdiu enim hic mortales viuimus, diu abesse à periculo non possumus.

*Quàm facilè sit excidere gratiâ Dei, Vide Tom. I. Periocha V. Feria II. post Domin. V. Quadrag. pag. 392. o. Quàm nihil securitatis nobis in hac Vita promittere possimus, Vide eodem Tom. I. Periocha I. Feria II. post Dom. IV. Quadragesima, pag. 310. o. & Periocham V. eiusdem Feriæ, pag. 318. o. Vbi & habes, cur Deus Abrahamum post obtentam Victoriam consolandum putauerit.*

## CAPVT III.

*Anima, quæ Deum habet, omnia habet.*

POstquàm Deus cor Abrahæ ad tranquillitatem depulso metu reduxerat, aiebat: *Ego protector tuus sum*; velut dixisset: Si te pauperiorem, egentioremque ob id putas, quod pugnæ spolia reliquisti alijs, erras, nam cùm à tua parte habeas, qui tuus sum tutor, protector, defensor, non habes quod ampliùs desideres, ego enim sum omne bonum, ego saturitas cordium humanorum, ego expletio omnium desideriorum, & leuamen cunctarum anxietatum. Felix proinde anima, quæ Deum habet, vt cum quo omnia habeat.

Postquàm contumax ille, & obstinatus Hebræorum populus Deo vero debitum adorationis cultum in vitulum cœco, turpissimo, & indignissimo sacrilegio transtulisset, cùm vellet Moyses iustam de tanto scelere sumere vindictam, hæc magno animo aiebat: *Si quis est Domini, iungatur mihi*; Exod. 32. 26. hîc de honore Dei summi, probrosissimaque eius iniuria vlciscenda agitur, quicunque sibi honori ducit, honorem Dei sui tutari, is mecum paribus armis contumeliam eius vindicatum veniat. Vix ea inaudierant filij Leui, quando magno ausu, & ardore accesserunt ad strenuum ducem suum, vt peruicacium illorum sanguine fœdas diuinæ existimationi illatas maculas diluerent. Dicebat autem Leuitis illis Dominus: *Occidat Vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum*; ibid. v. 27. sic vt nulli deferant, nemini parcant. *Feceruntque filij Leui iuxtà sermonem Moysi*; ibid. v. 28. contrucidàruntque vno die propè viginti tria millia hominum, in quibus erant fratres, amici, proximi.

Quæro hîc. Quid sibi vult, quod Deus huic cædi perficiendæ Leuitas potiùs, quàm alios ex reliquis tribubus deligendos putauit? Itané Leuita fundere sanguinem, & neque patri, neque cognato, aut amico parcere debuit! Cur non tribui Iuda tam pugnaci, & robustæ, & strenuæ, ac doctæ ad bellum hæc strages demandata fuit?

S. Ambrosius Annotat. in Exod. To. I. ait: *Sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus.* Leuitæ Deo specialiter consecrati, præter illum aliam non habebant hæreditatem. Hisce imperatum fuit, vt ferro parentes, fratres, cognatos, familiares intimos obtruncarent: Nam cùm omnia habeat, qui Deum habet, & Leuitæ haberent Deum, propterea non dubitàrunt necem inferre parentibus, fratribus, & quibusque coniunctissimis, nam in vno Deo parentes, fratres, amici, & quæcunque desiderari possunt, habentur: *Nesciunt suis parcere, qui nihil suum nôrunt, quoniam sanctis omnia Deus*; inquit rursùm Ambrosius.

Consolabatur Seneca Polibium in quadam calamitate positum, atque vt illum ad fortiter tolerandas suas ærumnas erigeret, hæc ad ipsum, præter alia scribebat: *Adijce nunc, quod cùm semper prædices, chariorem tibi spiritu tuo Cæsarem esse, fas tibi non est, saluo Cæsare, de fortuna queri. Hoc incolumi salui tibi sunt tui, nihil perdidisti, non tantum siccos oculos tuos esse, sed etiam lætos oportet. In hoc tibi omnia sunt. Aduersùs felicitatem tuam parùm gratus es, si tibi quidquam, hoc saluo, flere permittis.* Hæc ille in lib. de consolat. ad Polib. cap. 26. ex quibus sua mutuatus B. Ambrosius videtur. Si illo in mortali, & iam dudum defuncto Cæsare omnia Polibius (vt quidem Seneca affirmabat) habuit, quantò magis, qui verum, cœlestemque Cæsarem in anima habet, dicere potest, ac debet: *In hoc tibi sunt omnia, quoniam sanctis omnia Deus est.* Itaque parum refert amittere omnia, dum non pendatur Deus.

Quàmprimùm mundi lux mundo nata est, ingens beatorum spirituum exercitus in Bethlehem apparuit, & recens nato Saluatori laudes cantare cœpit. Atque vt nouum ex recens edito Saluatore gaudium ampliùs diffunderetur, pastoribus custodiæ gregis sui inuigilantibus optatissimum iam tunc nati Sospitatoris nuntium aperuit, neque hoc tantùm, verùm

etiam

etiam quod illum in præsepi positum, & pannis inuolutum reperturi essent addidit, vt his signis confirmati indubitantiore fide crederent, quæ audierant. Cùm illi hæc euangelia audissent, hilares, ac gaudibundi compellabant mutuò: *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis*; Lucæ 2. 15.

Mellifluus Bernardus serm. de Natiuit. Domini verbulo vnico aliquid suo ingenio dignum indicauit, inquiens: *Transeamus vsque Bethlehem, sed non pertranseamus.* Nam cùm in Bethlehem esset Redemptor mundi, qui est verus Deus, nemo pertransire aliò, nemo aliud quærere, aut appetere præterea vel poterat, vel dicebat. Qui enim Deum reperit, omnia inuenit, quæcunque desiderari queunt.

Dicat hoc S. ille Senecio Simeon, de quo beatus Lucas ait, venisse ad templum, quo tempore beatissima Dei Parens Maria, & sanctissimus illius Sponsus Ioseph æterni Patris, & Virginis Matris Filium adducebant, vt illum secundùm legem (quæ tamen illum minimè concernebat) offerrent, eumq; vlnis suis reuerentissimè excepisse, & Patri æterno æternas pro tam ingenti beneficio egisse gratias, à quo sic felicitatus in hac infelici via esset, vt auidissimis brachijs stringere, & ardentissimo pectori suauissimè apprimere mereretur, quo se beatos omnium superiorum sæculorum homines putassent, si tantùm oculis procul inde vsurpare, aut libare potuissent.

Decrepitus erat, & capulo proximus venerabilis hic Simeon, adeò facilè crediderim, baculo nixũ venisse, quod hoc sit commune incuruæ senectæ, & titubantium, & longæuitate pedum subsidium, & sufsulcimentum.

Dicit nunc Stephanus Cantuariensis apud Godefridum Tilmannum in Allegor. Biblior. ad cap. 10. Tobiæ: *Puto quod cùm Simeon spiritu venisset in templum, & hunc baculum, scilicet Christum suscepisset in manibus, baculum senibus familiarem vel obliuioni tradidit, vel abiecit.* Et meritò illud, tanquàm dixisset: Cùm omnia habeat, qui habet Deum, quorsum mihi baculus, qui Deum verbo sustentantem omnia? *Baculum senibus familiarem vel obliuioni tradidit, vel abiecit?*

Angelus quidam Eliæ 3. Reg. 19. 11. dicebat: *Egredere, & sta in monte coram Domino.* Dum ille ibi staret, transijt spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras, & aiebat Elias: *Non in spiritu Dominus.* Validum illum flatum secuta est commotio, ex commotione natus ignis, & neque in commotione, neque in igne Dominus. *Post ignem sibilus auræ tenuis* audiri cœpit; ibid. v. 14. Simul hunc sibilum auribus hausit Elias, & *operuit vultum suum pallio*; ibid. v. 13. Quid hoc rei dicam, quod Elias inter horrisoni venti fremitus, inter fragores commotionis, quæ montium fundamenta concutiebat, inter ignis strepitus stat intrepidus, neque obnubit faciem, & ad vnum tenuis auræ sibilum texit vultum! Quæ causa: Ea, quod in illo auræ tenuis blando sibilo adueniebat Dominus, quem cùm vidisset, *operuit vultum suum*, oculi enim qui viderunt Deum, non habent quod posthac videre, aut appetere possint.

Cùm audisset Pilatus, quod Christus ad potestatem Herodis pertineret, remisit eum ad Herodem, vt vel sic iudicium causæ Christi à sese remoueret. Viso Christo plurimùm gauisus fuit Herodes, perdiu enim illum videre cupierat, propter stupenda miracula, quæ ab illo facta certis, & crebris nuntijs cùm accepisset, *sperabat signum aliquod videre ab eo fieri*; Lucæ 23. 8.

Simon de Cassia insimulat Herodem imprudentiæ, quam plurimùm patefecerit, cùm signum à Domino petijt. Gaudium certè illius inordinatum fuit, & stulta lætitia. Sed quid insipientiæ habet, quod Herodes à Christo signum aliquod expectauit, aut fieri miraculum videre optauit?

Respondet ille lib. 13. in Euangelia: *Signatum ante se habebat Herodes, ad quod multa signa in vetere testamento fuerunt ante monstrata, in quod si fidei luce aspexisset, vero gaudio fuisset omninò perfusus, nec signum videre à Christo tentasset, duntaxat signato contentus.* Nam cui Deus præsto est, quid illi necessum est plura quærere miracula, in quo bona omnia sunt inclusa?

## CAPVT IV.

*Artificiosa Rhethorices industria est, dissimulare quid res quæpiam sit, vt sic tacitâ exaggeratione magis amplificetur.*

POstquàm plurima Dominus Abrahæ & beneuolenter, amanterq; locutus, & magnificè pollicitus fuerat, demùm promissiones suas talibus verbis obsignat: *Ero merces tua magnanimus*; Gen. 15. 1. Notant hic Interpretes, quod Dominus nullâ comparatione declarauit remunerationem, quam Abrahæ promittebat, qui tamen facilè inuenire potuisset, quo explicatum daret præmiũ, quod illi constitutũ habebat. Sed monet simul de industria prætermissam à Domino mercedis comparationem, vt hinc

maiorem

maiorem illi conflaret admirationem, & amplitudinem. Habet enim ingeniosus quidam Rhethorices canon, vt res quædam nec conferantur cum alijs, nec prorsùm explicentur, vt hac ratione maior illis existimatio adferatur. Sanctus Isidorus Pelusiota ait, non esse præstantiorem modũ amplificandi aliquid, quàm si nos verbis destitui affirmemus, quibus id eloquamur. Si enim dicendo nos illud assequi posse arbitremur, iam de magnitudine illius, existimatione detrahimus: *Si enim dici posset, magnum non esset.* Magnitudinis ergo existimationem hoc illi conciliare potest, si tanquàm dici, & verbis explicari possit, tacitum prætereatur.

Propheta Daniel cùm in expositione cuiusdã mystici somnij esset, aiebat, vidisse quatuor bestias ascendentes è mari diuersas inter se, ex quibus prima fuerit quasi leæna, & habuerat alas aquilæ, secunda similis vrso iusso comedere carnes plurimas, tertia quasi pardus auis instar alata, quarta denique *terribilis, atq; mirabilis, & fortis nimis*, Daniel 7. 7. In his quatuor bestijs præfigurata fuerunt quatuor orbis præcipua, Babiloniorum in leæna, Persarum in vrso, Macedonum sub Alexandro Magno in pardo, Romanorum in quarta, quod regnum cæteris diuturnius fuit, & sanguinem humanum, maiore copiâ fudit. Hæc omnia notoria sunt, & indubitata: Sed hoc notatione indiget, quod cùm S. Daniel repererit bestias feroces, quibus adumbraret strages, & damna, quæ cæteræ monarchiæ edituræ essent, & posthæc ediderunt, quartum regnum Romanorum sine comparatione reliquit, quod tamen rebus humanis exitium incomparabiliter maius attulit, quàm alia priora imperia. Quid est, quod Babilonios cum leæna, cum vrso Persas, Macedonas cum pardo contulit sacer vates, & aptam Romanis comparationem non inuenit, aut si inuenit, non expressit, cùm tamen hæc, vt quæ reliquis truculentior, sanguinolentiorq; fuerit, eam multò ampliùs requisiuisse videatur?

Noua hæc res iam olim etiam sancto Hieronymo accidit, qui in suis commentarijs in Danielem sic habet: *Satis miror, quod cùm supra leænam, & vrsum, & pardum in tribus regnis posuerit, Romanum nulli bestiæ comparârit.* Sed cùm Prophetæ deesse comparationes non possent, quare non expressit rem, cui Romanorum conferret imperium?

Respondet Doctor maximus: *Vt formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, vt quidquid ferocius cogitauerimus in bestijs, hoc Romanos intelligamus.* Quod cæteris regnis certam apposuit comparationem, Romanis nullam, hoc fecit, vt Romanorum insatiabilem nocendi cupiditatem magis amplificaret, quam cùm nullius feræ atrocitate declarare potuit, omnibus feris ferociores fuisse indicauit. *Vt formidolosiorem faceret bestiam*, quacum Romanos comparauit, *vocabulum tacuit*, vt quisq; pro suo arbitratu, quàm posset crudelissimam sibi imaginaretur bestiam, in eaque Romanorum agrestem immanitatem, ac diritatem, inspiceret. Sic res, quas non comparamus, altiùs extollimus, & ampliùs exaggeramus, cùm dicimus, quod edicere eas non possumus.

Quando Æneas ad inferos (vt Poëtæ fingunt) Sibillâ comitatus descendit, varia illi tormentorum genera, quibus malefici, sceleratique homines ibi cruciabantur, ostendit. Prolixum esset, ea hîc referre. Vt autem compendium laboris faceret, & vetulæ Phœbi sacerdoti verbis paucissimis innumera Orcitum flagitia, tùm supplicia indicaret, sic rem absoluit:

*Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,*
*Ferrea vox, omneis scelerum comprendere formas,*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possem.*
Æneid. lib. 6.

Videtur hîc Poëta parùm rethoricè egisse, vt qui cùm pro aliorum eruditione potuisset verbis multis percensere, & sigillatim enumerare pœnas, quas infelices illi, & æternùm miseri remiges in illo inferorum, & sulphuris semper ardentis stagno dependunt, vt qui eas legerent, omni sanctæ vitæ studio fugitarent, deuitasse videtur prolixioris narrationis molestiam, & viri boni, qui non sibi solùm, sed etiam alijs natus est, officium prætermisit, neq; rhetorices tantùm iam præcepta susq; deq; habuit. Sed cùm princeps Poëtarum oscitantiùs egisse in re tanta non potuerit, quid illum permouerit, vt scelerum, pœnarumq; tantam partem præteriret?

Occurrit quæsito huic Tiberius Claudius Donatus in suo commentario dicens, meditatò factum, quòd parcior in recensendis inferorum flagitijs, & supplicijs Poëta fuit, & plurima dissimulauit, quià *ampliùs supplicia incerta metuuntur. Plùs enim fecit timere, & minùs peccare metuentem, eòque res reddit, vt viuatur rectiùs, cùm infinitè ponitur.* Non inertia ergò, sed industria fuit, quod non omnes istius æternæ carnificinæ pœnas enumerando recensuit, vt formidabiliora essent incerta, certò tamen constituta, & illi loco vsitata supplicia. Dubia, & quæ non declarantur, maiorem semper homini me-

ctum injiciunt, & quæ inexplicata relinquuntur, maiorem inde accipiunt existimationem.

Cupiebat Propheta regius ad amorem Dei omnes accendere, atq; vt nemo esset, quem non sic inflammaret, vt vehementissimè, & ambitiosissimè cuperet Domino seruire, & gratificari, amabilissimam illius suauitatem & consuetudinem, ità describit, vt languentissimum, torpentissimumq; cuiusuis animum ad illius concupiscentiam excitare posset, inquiens: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* psal. 30. 20. At quænam illa, Propheta Sancte, tam magna, & multiplex dulcedo Domini? Et si ille cupit eâ magnâ multitudine suæ dulcedinis hos perfundere cupit, à quibus timetur, cur abscondit? *Quam abscondisti.* Cur tectam seruat, & non magis aperit, & exponit?

Doctus quidam modernus Didacus Aluares in c. 36. Isaiæ respondet: *Ideò absconditur, vt aptiùs declaretur.* Magnitudo alicuius rei tunc magis amplificatur, quando in silentij sepulchro absconditur. Et propterea quæ sit illa multa magnitudo dulcedinis Domini tacetur, vt ineffabilitas existimationem infinitatis illi conciliet. Ergo non est exiguum artificium rhetorices, tacere quid sit res aliqua, vt hinc maior æstimetur. Hanc ob causam noluit Dominus comparatione aliquâ explicare magnitudinem præmij, quod Abrahæ pollicebatur, vt absque comparatione maiorem haberet existimationem.

## CAPVT V.

*Sanctum aliquem pronuntiare propter primum virtutis actum, nimis præpropera pietas est, & eum, qui semel malè egerit, perditum peccatorem existimare, præceps impietas.*

QVàm facilè in sanctis, vel damnatis alios recenset vulgus hominum, leue in vno, impium in altero! Ob vnum virtutis opus in cœlum extollit illius authorem, ob vnum peccatum ad inferos damnat, quem illud perpetrasse videt. Sed qui prudenter vult agere, neq; beatum pronuntiare, neq; damnare quenquam tam citò debet.

Nota est rabida solicitudo perfidiosi discipuli Iudæ in qua erat, cùm Magistri sui proditionem machinabatur, & occasionem adornabat, quâ illum in manus hostium suorum traderet, quos cum ob finem in hortum Gethsemani ducebat, de quo Sanctus Ioannes c. 18. 2. *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum*, in quo reperturus esset Christum. Vnde verò compertum habebat, quod in illo Gethsemani horto inuenturus esset Dominum? *Quià frequenter Iesus conuenerat illuc cum Discipulis suis;* inquit Euangelista ibidem. Bonum argumentum habuit, quo illi persuasum fuit, quòd ibi reperturus esset Christum. Si semel tantum ibi vidisset, ac propterea inuenturum putasset, non bona fuisset coniectura. Sic nimia præcipitantia est, arbitrari quempiam frequentare Sacramenta, & templa solitum, ob id tantùm, quod semel in templo sacro communicantem, & orantem videris.

Hugo Cardinalis in c. 18. Ioannis ait: *Scit diabolus, quod boni properant ad paradisum. Sed vnde scit? Ex hoc, quod boni frequenter visitant cœlum, scit quod cœlestes sunt.* At cùm vnum aliquod bonum opus à quopiam fieri videt, pronuntiatné ob id sanctum, qui hoc facit? Nequanquam. Quem crebrò adire Sacramenta, continuò versari in operibus pœnitentiæ, quem iugiter nauare operam exercitijs spiritualibus, pertinaciter insistere benè cœptis, perseueranter inhærere bonis propositis cernit, hunc in cœlum tendere existimat: *Ex hoc, quod boni frequenter visitant cælum, scit quod cœlestes sunt.* Qui autem semel in hiatum parietis inuolare videt, non illicò putat habere ibi suum nidum, si sapiat: Verùm si crebrò ibi diuertere, frequenterq; per diem ad illum locum recurrere, eundi redeundiq;, eò nullum finem facere videas, mox dicis: Auis illa habet ibi suum nidum, perennis illius ad eum locum recursus hoc loquitur. Tantundem facit diabolus. Si quem semel vacantem orationi videat, non propterea statim dicit: Conuersatio illius hominis in cœlo est. At si sæpè cœlo supplices tendere manus, sæpè ardentia sursùm iacere suspiria, Deum semper, nec aliud illum loqui audiat, tum ait: Hic suum in cœlo nidum habet. Quià vt Hugo dicebat, *ex hoc, quod boni frequenter visitant cælum, scit quod cœlestes sunt.* Est ille multiscius, cùmq; nouerit quanto cum strepitu inchoare pia exercitia, & quàm leuiter ea intermittere soleamus, non vult nos æstimare bonos, donec videat perseuerantes. Magna quippè leuitas videtur, perfectum statim quenquam pronuntiare, qui ne rudis quidem tyronis nomen meretur.

Postquàm Christus prædicauit sublimissimum altaris Sacramentum, quod est dulcissimum nectar, & suauissima animarum ambrosia, offendit plurimos illius sermo, vt S. Ioannes narrat. Vidit hoc Dominus, & cum stomacho interrogauit Discipulos suos,

ſuos, nũ & ipſi vellẽt abire, quemadmodùm alij ſcandalizati diſceſſerant. Cui cùm humiliter reſpondiſſet Petrus, ſubiecit Dominus: *Nonnè ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt?* Ioan. 6. 71.

Cardinalis Caietanus expendit modum loquendi, quo Chriſtus Iudam in diabolum degeneraſſe affirmat, idque in illius verbis ſpecialiter obſeruauit, quòd *non dicit* erat, *aut* fuit, *ſed* eſt diabolus, *vt intelligamus crimen præſens non in vno actu, ſed in vſu. Calumniator enim, ſeu delator* (hoc eſt diabolus) *non poteſt propriè dici, qui ſemel tantùm calumniatur, aut defert, ſed qui in vſum ducit calumniari, ſeu deferre.* Nota ob vnam criminationem, ſed propter diuturnam calumniandi conſuetudinem perditus peccator, & ex homine diabolus dictus eſt Iudas. Contrà omnem enim benè iudicandi rationem eſt, peſſimum æſtimare illum, qui ſemel tantùm malè egerit. Si virum, mulieremq; ſemel familiariter colloquentes videas, indene confirmatam eſſe inter eos amicitiam conijcies? Minimè. Si etiam crebriùs conuerſentur, ne hoc quidem ſatis debet eſſe, vt turpi conſuetudine coaluiſſe iudices.

In illa apud Sanctum Paulum Apoſtolum enumeratione illuſtrium, & magnanimorum veteris teſtamenti virorum, quorum inuicta dextra reliquit multa dicenda famæ, ſcribenda calamo, imitanda robuſtis, habemus etiam iſta: *Fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum*; Heb. 11. 34.

Primaſius Vticenſis in expoſitione horum verborum ait: *Caſtra verterunt exterorum, id eſt, in fugam frequenter coëgerunt.* Vt Apoſtolus inſuperabilem illorum in bello animum delaudaret, ait: hoſtiles exercitus fudiſſe, ſtatimq; aduertit Primaſius, hoc ità accipiendum, quod non ſemel, & iterùm, ſed crebrò hoc fecerint: *In fugam frequenter coëgerunt.* Nam robuſtum præliatorem, ſtrenuum ducem, validum, & præpotentem militem vocare eum, qui vnam ſolùm obtinuerit victoriam, eſt præproperè plauſus excitare, & prudentem proclamare eum, qui ſemel rectè aliquid egerit, nimis acceleratum iudicium eſt. Sæpè hic rectè agat, frequenter ille triumphet, & ſi alter prudentis titulum, appellationem fortis alter merebitur. Præcipitat ſententiam, qui ex vna actione aliquem celebrem pronuntiat.

Iuſſus à Patre Ioſeph ibat inuiſum ſuos fratres, & viſum quomodo haberent, quiduè agerent. Conſpexerunt illum procul inde fratres, & mutuò coniurati aiebant: *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum*; Gen. 37. 19. 20.

Angelicus Doctor inuenit in his verbis inuidiam, & cæcam paſſionem illorum fratrum, qui dicebant, *Ecce ſomniator venit.* Cur enim ſomniatorem illum nominabant, quem bis tantùm ſomniaſſe, & ſemel quidem venerabundos manipulos, ſecundò verò Solem, Lunam, Stellas per quietem vidiſſe ſcriptura memorat? *Cùm ſomniator ſonet frequentiam, quaſi habitum, quomodo ex ſolis duobus ſomnijs vocant, ipſum ſomniatorem?*

Reſpondet S. Thomas, *quòd mens inuida etiam pauca exaggerat quaſi multa, & continua.* Somniatoris nomen in illum ſolùm aptè cadit, qui diu, ac multùm aſſueuerit ſomniare. Quòd ergo eodem nomine illi donarunt fratrem ſuum Ioſephtem, qui bis tantùm ſomniauerat, inuidiam ſuam prodiderunt, qui ſi tunc compotes rationis ſuæ fuiſſent, ſomniatorem propter duo ſomnia, non appellaſſent. Annè in malis concionatoribus numerandus, qui bis minùs feliciter concionatus fuit? Nequaquàm. Ex primulis actibus neq; optimus, neq; peſſimus quiſquam æſtimari debet.

Contrà Innocentiam concilium inierunt miniſtri malitiæ, cùmq; ventilarent incommoda, quæ commodis ipſorum vita illius adferrent, exprobrauit illis ſuam inſcitiam Caiphas, & ait: *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*; Ioan. 11. 50. velut dixiſſet: Faceſſite hinc, ſtulti, & fatui, & parùm gnari politices, & materiæ ſtatuum. Nonnè conuenit, vnius interitu omnes reliquos à morte ſeruari? Hæc vera prophetia fuit. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quod IESVS moriturus erat pro gente*; ibid. v. 51.

Cùm Euangeliſta de Caipha apertè affirmet, quòd *prophetauit*, quæri poteſt, cur non inſeratur numero prophetarum aliorum, vt quemadmodùm dicimus, propheta Iſaias, propheta Oſeas, propheta Daniel, propheta Dauid, propheta Ioël, etiam dicamus, propheta Caiphas?

Satisfacit quæſito Theophilactus, dicens: inter varias cauſas, ob quas abſolutè vocari propheta Caiphas non poſſit, hanc eſſe, quod ſemel tantùm prophetauit, cæteros verò id nomen promereri, quià & ſæpè, & multa ſunt vaticinati: *Non autem continuò ſi quis prophetat, propheta dicitur, ſicut neq; omnis, qui medicinam parat, medicus, neq; iuſtus iuſtum quiddam faciens*, inquit ille. Sic propter vnum opus non ſtatim vel contrà aliquem, vel pro illo pronuntiare debemus.

Rex

Rex Israel, & rex Iuda Iosaphat fœderati voluerũt bello appetere inimicos nominis Dei. Cùmq; rex Israel conuocasset propè quadringentos Prophetas falsos (tanta est, tamq; obuia malorum abundantia!) interrogauit regem Israël, annon Domini propheta quispiam esset, per quem diuinum oraculum de belli euentu exquiri posset. Respondit ille, reliquum esse vnum Michæam, sed hominem tetricum, qui nihil gratum, optatumque vnquàm, sed omnia odiosa vaticinetur, *Ego odi eum*, inquiens, *quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* 3. Reg. 22. 8. In his verbis illud, *Prophetat*, ex notatione cuiusdam doctissimi moderni, *idem est, ac prophetare solet.* Plurimæ vices fuerint, quibus Michæas regi Israël insperata prophetauit. At si rex fortè non tenuit numeros, ego cùm ad calculos vices illas reuocaui, plus vnâ vaticinatum inopinata non inueni. Legat historiam, qui per otium potest, & reperiet, semel tantùm prophetasse Michæam. At si semel tantùm, quæ non placebant, regi prædixit, cur dixit Rex, *Non prophetat mihi bonum, sed malum, quod idem est, ac prophetare solet?* Itané vna actio axistimationem cuiquam conflare potest, qualem multæ? Non est hoc consentaneum rationi. Dicemusné rectè imperitum belli ducem, qui vnam semel perdidit victoriam? Aut rerum suarum decoctorem, qui semel ludo indulsit? Aut intolerabilem, qui semel proteruiter vociferatus fuit? Aut leuiculam mulierem, quæ semel plusculum deblaterârit? Aut blasphemum, qui semel iurauerit? Aut libidinosum, qui semel liberioribus oculis fœminam aspexerit? Aut alterum Sanctum Onuphrium, qui semel corpus suum flagris verberârit? Aut anachoretam, qui per vnum diem domi se continuerit: Aut Sanctum, qui semel mensam Domini Sacrosanctam adijt? Aut Carthusianum, qui vnam horam tacens exegit? Nec tam leuiter hi probari, nec damnari alij tam facilè debent, vt enim est deuotio, quæ citò interit, ità sunt passiones, quæ subitò intercidunt.

Vtriusque rei documentum habemus præsens. Promittebat Deus nostro Patriarchæ nobilem posteritatem, quod cùm narrasset Moyses, statim adiecit: *Credidit Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam*; Gen. 15. 6.

S. Ioannes Chrysostomus, Lyranus, Abulensis, Oleaster, Istella, & alij plures plurimùm admirantur, quod sacer historicus nunc affirmat de Abrahamo, fidem habuisse Deo, *Credidit Abraham Deo.* Nonné Deus Abrahæ sæpè hoc ipsum promiserat, & Abraham diuinæ pollicitationi crediderat? Res certa est, & indubitata. Quid ergo nunc tam peculiarem facit fidei illius mentionem sacer textus, diuinumq; nostrum Patriarcham inclyto credentis titulo condecorare incipit? hoc facit, vt nos doceret ob prima opera bona admirari, & extollere quenquam, cùm Patriarcham nostrum non statim à fide commendare Moyses voluit, postquàm semel, & iterùm credidit, quàm & tunc eam laudem benè promeritus fuerit. Quando integritatem alicuius longo experimento varijs occasionibus perspeximus, tunc de illo magnificè & sentire, & loqui possumus.

Promittebat Dominus Abrahæ, posterisque eius terram, in qua stabat, inquiens: Non poteris eius possessionem statim inire, quià *necdum completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsq; ad præsens tempus*; Gen. 15. 16. Occupabant regionem illam Amorrhæi, & nationes aliæ, sed flagitia eorum nondùm tanta erant, vt meriti essent exturbari hæreditate sua, & Hebræi eam inuadere possent. Pius Dominus non statim ethnicos illos homines, fortunasq; illorum euertit, sed expectauit, donec merita illorum mala hoc postularent, docere nos volens eo exemplo, vt non præcipitanter contrà proximos nostros pronuntiemus, neq; in perditè sceleratis eos facilè, ac leuiter numeremus, quos etiam leniter, ac mansuetè iudicare debemus, cùm multa perpetrasse scimus.

*Parte 2. Politici l. 2. c. 3. idem argumentum tractat.*

## CAPVT VI.

*Cùm Princeps debet & amori esse, & timori, etiam debet facere, ob quæ & ametur, & timeatur.*

VT felix sit Reipublicæ gubernatio, debet illa, ex communi Politices peritorum sententia, vt stabilis consistat, niti his duobus polis, nempè pietate, & iustitiâ, clementiâ, & rigore, timore, & amore. Proinde vigilans Princeps non tantùm debet facere, ob quæ ametur, sed etiam ob quæ timeatur. Austeritas enim sæpè multùm facit ad felicem euentum eorum, quæ Principes fieri cupiunt.

Traiecerunt mare Discipuli Domini, oblitique sunt panes ad victum necessarios secum ferre. Abeuntibus dicebat Christus; *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum*; Matth. 16. 6. Cùm hæc illi audirent, cogitare aliud cœperunt,

perunt, ac dicere, *Quià panes non accepimus*, ibid. v. 7. ac si apertiùs dixissent: Quonam iure ille Magistri nostri de canendo illorum hominum fermento hortatus, nisi vt obliuionem nostram increparet, qui annonam accipere recordati non sumus? Tunc ille indignatus ait: *Quid cogitatis intrà vos modicæ fidei, quià panes non habetis?* ibid. v. 8. tanquàm pluribus dixisset: O perpusillæ & fidei, & memoriæ homines! Esto, panes nullos habeatis, non recordamini miraculi quinq; illorum panum, quibus hominum quinq; millia cùm saturassem, tanta fuit reliquorum fragmentorum copia, vt duodecim cophini vix ea caperent, & cuiq; vestrum vnus plenus cophinus obueniret? Tam leuiterné etiam illud alterum prodigium excidit septem panum, quibus quatuor millium hominum famem leuaui, & reliquiarum, quæ superfuerunt? Vt video, non intelligitis, quòd de pane materiato locutus non fui, quando à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum cauere iussi.

Videamus quidnam ista seuerior, & stomachosa obiurgatio profuerit, & quo fructu Dominus Discipulos suos verbis durioribus perstrinxerit. Sanctus Matthæus ait: *Tunc intellexerunt, quia non dixerat cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum*; ibid. v. 12.

Euthymius in commentario illorum verborum inquit: *Vidisti præmissam increpationem? Vide etiam fructum eius. Excitauit enim mentem illorum, quæ dormitebat, & intellexerunt.* Actum hìc ex more eorum, qui stertentes expergefacere magnis vocibus solent. Intellectus Discipulorum quodam velut somno sopitus iacebat, cui Dominus asperioris obiurgationis voces dedit, vt euigilaret, qui & acrioris reprehensione experrectus, & sibi redditus, & ænigma fermenti assecutus fuit.

Quid hinc accipimus? Illud ex Euthymio, quod *non oportet vbiq; mitem esse præceptorem, sed quandoq; asperum fieri.* Non semper plus satis blandi, faciles, & indulgentes debent esse Præsides, sed nonnunquàm etiam caperatam frontem exhibere, & vultum asseuerare, & verba felle tingere, vt ità sibi timorem, obseruantiamque maiorem concilient: Nam qui merum mel, aut butyrum volunt esse, ij deuorantur à subditis.

Voluit Dominus, vt Elias esset terror regis Achab, & pauor totius regni illius. Quo tempore ergo propheta ille populo sui copiam facere, & exhibere se cœpit, adijt regem Achab, & sic appellauit: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxtà oris mei verba*; 3. Reg. 17. 1.

Quid est, quod Elias cùm se primùm oculis vulgi permittit, tam asperum, tetricumq; se exhibet, & non tam verba, quàm flammas, aut fulmina ore promit?

S. Gregorius Nissenus in Orat. de laudibus Magni Basilij ait: *Cùm Elias populo exhibitus esset, primùm flagello famis Israelem ad sanitatem reducit, veluti scutica quadam eiusmodi plagâ, atq; pœnâ insolentiam populi, ac petulantiam incessens.* Elias ergo cùm primùm in conspectum hominum se dedit, ante omnia populum comminatione famis perculit, perqueterrefecit, vt effusam eius licentiam quodam velut lupato esuriei compesceret, & cicuraret. Homines enim peruicaces duriore flagello coërcendi sunt, & in officio continendi. Et ad conciliandum Superiori metum, ac reuerentiam multùm sæpè iuuat asperitas, & supercilium, & stomachus.

Exijt quondam Dominus Bethaniâ famelicus, cùmq; vidisset à longè ficulneam, adijt eam, vt inde acciperet, quò esuriei subueniret, sed præter folia nihil in ea reperiens, ait: *Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet*; Marci 11. 14. Simul hæc dixit, *& arefacta est continuò ficulnea*; Matth. 21. 19.

Quærunt Expositores, quid mouere Christum potuerit, vt tam acri maledicto ficulneam perstringeret, & miraculo arefaceret.

Vnus è plurimis respondet Theophilactus in c. 11. Marci. *Quoniam sæpè Christus miracula fecit, benefaciendo hominibus, non viderant autem Discipuli potentiam eius, si quem vellet affligere, eius gratiâ hic vult ostendere Discipulis, quod & affligere, & se cruci fixuros in vno momẽto perdere potuisset, si voluisset; ideò in arbore insensata ostendit virtutem suam.* Viderant Discipuli à Christo sanatos ægros, redanimatos mortuos, pastos famelicos, & his similia edita miracula, quæ clementiam illius, benignitatemq; demonstrabant. Conueniebat autem vt & alia viderent illius prodigia, quibus terribilitatem suam, seueritatemq; proderet, vt intelligerent, posse etiam adimere vitam, & momento si vellet, extinguere omnes, quotquot illi manus violentas, necemq; allaturi essent. Idcircò potentiæ suæ ostentationem in ficulnea fecit. Necessarium enim quandoq; est, vt austeriorem Principem subditi videant, vt timeant, expeditèque mandatis eius obtemperent.

Et si vultis scire, quanti referat, nonnunquàm re-

gidiusculè agere, & asperiùs appellare subditos, notate quæ dicam. Proximus morti autor vitæ cùm spiritum suum æterno suo Patri traderere vellet, animam simul, & magnam vocem edidit, de quo sanctus Matthæus c. 27. v. 50. sic habet: *Iesus autem iterùm clamans voce magnâ emisit spiritum.* Quid autem magnam illam vociferationem est consecutum? *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsq; deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt*; ibid. 51. 52.

Nonné videtis, quanti intersit Superioris, dare voces, & horribilibus personare, ac detonare clamoribus! inquit Origenes: *Magna facta sunt ex eo, quod magnâ voce clamauerit Iesus*; inquit ille apud Sanctum Thomam in cat. aur. in c. 27. Matth. Sub expirantem vitam elatiore voce succlamauit Dominus, & velum scissum est, & saxa dissilierunt, & terra contremuit, & sepulchra hiare, & prodire tumulis viui, qui mortui fuerant cœperunt. Quando subditus velut mortuus est, quando durus vt saxum, immobilis vt terra ad officia sui regis, faciat rex quod Christus rex regum, det magnam vocem, ostendat animum, & bilem, & adducat supercilium, & contractâ fronte seueritudinem indicet, & videbit magna fieri, mortuos scilicet animari, terras moueri, & volare saxa: *Magna facta sunt ex eo, quod magnâ voce clamauit Iesus.*

Aristoteles in Problematibus sect. 11. n. 94. quærit, *quamobrem lux, quæ tennior, ac velocior, & deductior est, corpora penetrare densa non potest, strepitus autem potest.*

Respondet Philosophorum princeps, causam eam esse, quòd lux (vt diximus iam superiùs lib. 2. c. 4.) in directum tendit, neq; torquet viam, strepitus autem flectere iter, atq; ità vbique sentiri potest. Tantundem sciscitari possemus, ac quærere, vnde fiat, quod multi Principes, quià pro conditione, & assimulatione lucis sunt blandi, suaues, & nimis faciles ergà suos subditos, tam parum boni apud eos efficiant, cùm è contrà alij, qui perstrepunt minacijs, & terrent verbis asperioribus, plurimùm promoueant? Hoc fit, quòd homines magis ducantur timore, quàm amore, faciliùsq; ad animos eorum penetrat strepitus indignationis, quàm lux suauis dilectionis. Plurimùm ergo vtile est Principi, nonnunquàm irasci, & seueriùs aliquid statuere in subditos.

Quâ gratiâ nobis iram iustam, & sanctam natura inoleuit, & inseruit, si eam exerere nunquàm licet? inquit S. Ioannes Chrysost. homil. 3. de laud. Pauli Tom. 3. vbi habet ista: *Quod si omninò huiusmodi vti non oportet affectu, etiam cùm tempus exposcit, frustra nobis videtur ingenitus. Sed profectò non frustra, quem certè prouidus nobis creator inseruit, vt dormientes animas, atq; resolutas ab inertia, ac desidia suscitaret.*

Addit autem statim aliquid S. Doctor percommodum rei præsenti, inquiens: *Quasi gladio aciem, ita mentis nostræ iræ acumen imposuit, vt eo, cùm oportet, vtamur.* Quàm vtilis Principibus, & omnibus Superioribus doctrina! Quàm bonum Confessarijs monitum! Vt cùm ad pedes eorum accidit peccator obscœnus & contumax, durus, & reluctabundus, validum pectus, & intrepidum, zeloq; accensum animum illi ostendat, quisquis enim ad pedes Cofessariorum in genua se submittit, quantumuis alioquin sublimis sit, illis inferior est, vt proinde contrà illum audacter nudare ferrum, & perstringere gladium, animosiùsque agere debeant, ut hoc peruicatiæ, & obstinatinonis magnitudo requiret.

Quando Christus venit, vt filium viduæ à mortuis suscitaret, aiebat ad illum: *Adolescens tibi dico surge*; Lucæ 7. 14. At quando redanimare Lazarum voluit, *voce magnâ clamauit, Lazare veni foras*; Ioan. 11. 43. Cùm ad vitam reuocat adolescentem, nullas dedisse voces legitur: Verùm cùm Lazarum à somno excitat, altùm succlamasse fertur. Quamobrem istud? Adolescens recens è viuis excesserat, *Ecce enim defunctus efferebatur*; Lucæ 7. 12. nondum possessionem tumuli acceperat, & sic illius resuscitationem, vt ad modum nostrum ea de re loquar, parùm requirebatur. At Lazarus tam diu iam in sepulchro iacuerat, vt putorem exhalaret intollerabilem, & soror quædam illius diceret. *Domine iam fœtet, quatriduanus est enim*; Ioan. 11. 39. atq; ideò illius redanimatio maiores spiritus, & acriores, vehementioresq; voces exposcere videbatur. Et quamuis Dominus eadem facilitate vtrumque viuificare potuit, alterum tamen leni appellatione, alterum acri vociferatione excitare voluit, vt doceret Confessarios, non eodem modo ergà peccatores in his duobus defunctis præfiguratos habere se debeant, sed aliter agere cum recens lapso, aliter cum diuculè defuncto. Paulò ante mortui pœnitentis conuersio non habet opus magnis vocibus, siue duris increpationibus: Verùm quando occurrit Lazarus malè olens inueteratus in peccatis, flagitio-

rum cœno immerſus, lapide contumaciæ in ſepulchro improbitatis ſuæ tectus, tunc animoſitate opus eſt, tunc ſtringendus mucro, tunc acuenda pia indignatio, tunc vox extollenda, vt ſqualidus ille, ac horridus Lazarus educatur è tumulo: *Quaſi enim gladio aciem, ita menti noſtræ ira acumen impoſuit, vt eo, cùm oportet, vtamur.* Hunc in finem natura facultatem iraſcibilem homini indidit, vt eam pro neceſſitate exerat. Sic & omnis Superior ſubinde ſtomachari & poteſt, & debet, cùm res poſtulat, vt ſpiritus illius, & animoſitas innoteſcant, intelligantq; ſubditi, ineſſe illi ſuam bilem, quam feruet occaſioni, quæcunq; illam exquirat. Hæc vna è multis cauſa eſt, quare Dominus tempore ſacrificij, quod illius iuſſu offerebat, poſt occaſum ſolis Patriarcham noſtrum caligine tenebroſâ, & oſtenſione tunc clibani fumantis, tum lampadis ardentis exterrere voluerit, atq; ità exterruit, vt ſopor irrueret ſuper eum, & horror magnus, & tenebroſus inuaderet eum, volens nimirum ſignificare, ſe vt pium, ac blandum, ſic & iuſtum eſſe, atq; terribilem. Vſq; ad illud tempus ſolâ pietate, ſuauitate, manſuetudine, liberalitate ergà illum vſus fuerat, iamq; poſteritatis numeroſiſſimæ & glorioſiſſimæ ſpem illi fecerat, iam ſe illius protectorem, & remuneratorem ampliſſimum fore promiſerat, iam ingentium benedictionum cumulos illi pollicitus fuerat: Vt ergo Abraham cognoſceret, Deum habere, quo terreat, ſuccendat, adurat, vel vt habet, quo exhilaret foueat, refrigeret, conſoletur, blandumq;, & rigidum, lenem, & auſterum, benignum & aſperum eſſe, quemadmodùm pro ſuauitate amatur, ità pro aſperitudine timeatur. Eodem exemplo Principes, & omnes vniuerſim ſuperiores docere voluit, vt ex omnibus aliquid habeant, nonnihil iuſtitiæ, nonnihil pietatis, nonnihil dulcedinis, & mellis, nonnihil acoris & fellis, vt velut amantur, ſic & metuantur, conuenit enim, vt non diligantur ſolùm, verùm etiam timeantur.

*Non procul ab his vadit c. 7. libri 1. part. 2. Politici cælorum. Propiùs tamen ad hæc accedit Pericha 4. Dominicæ XIX. post Pentecoſten. Tom. 2. pag. 268. a. o. & quæ ad finem illius ſubnotata.*

## CAPVT VII.

*Probroſiſſima homini victoria eſt, quam de illo dæmon reportat, vt qui ſe hoſtis tam imbecillis manibus proſterni ſinat.*

OBtulit Patriarcha noſter ſacrificium, quod Deus illi imperauerat, hoc eſt, vaccam, capram, arietem triennes, turturem & columbam, cùmque animalia illa diuiſiſſet per medium, *deſcenderunt volucres ſuper cadauera*, Gen. 15. 11. Quales fuerint illæ aues non exponit ſacer textus, adeò nec facilè eſt definire aut affirmare. Multi aiunt fuiſſe muſcas, & hoc Ludouico Iſtellæ viſum probabile. In ſenſu allegorico, vt volunt Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyranus, Guilielmus Papinius, Ioannes Ferus, & alij, *volucres deſcendentes ſunt dæmones*, quod Hugo illis verbis adſtruit. Muſcæ ergo ſunt hoſtes, quos habemus. Muſcarum autem ſimiles ſunt dæmones non tantùm tentandi importunitate, & pertinaciâ, ſed etiam debilitate, & infirmitate: Quià vt muſca quolibet leui manus, vel rei alterius motu abigitur; ità & dæmon ſolo crucis vno digito expreſſo ſigno fugatur. Ingens ergo probrum, & turpis ignominia, ſuperari à muſca. Oſtendamus imbecillitatem huius inimici, ſi enim ſuperuacaneum erit dicere, quantum dedecus ſit, tali hoſti cedere, & ſuccumbere.

Familiare eſt ſacræ ſcripturæ, draconis nomine donare capitalem inimicum noſtrum, & noſtræ felicitatis communem, infenſiſſimumq; hoſtem. Sic illum appellat Propheta regius multis in locis. Sic vocant Prophetæ alij. Sic & S. Ioannes in ſua Apoc. c. 12. v. 3. vbi ab illo nominatur *draco magnus rufus*. Loquitur autem ad literam de diabolo, vt ſentiunt Aretas, Rupertus, Hugo Cardinalis, Lyranus, Cœlius Pannonius, & alij: *Ecce draco magnus rufus*, exclamat Beatiſſimus Euangeliſta, velut dixiſſet: Videte hic mortales veſtrum malignum inimicum, draconem, inquam, magnum & rufum, vt de infami colore perfidioſũ, inſidioſũ, veterato riũ, & proditorium eius ingenium agnoſcatis. Draconem magnum vocat. Si draco magnus eſt, ergo non magnum, nec probroſum, quod homo illi ſuccumbat, & magis pertimeſcendus propter vaſtam, & formidabilem ſui corporis molem, quàm contemnendus propter exiguitatem, & imbecillitatem. Ergo mutandus videtur capituli titulus, neque ignauiæ arguendus homo, qui draconi cedat, verùm potiùs admonendus, vt illum timeat, & fugiat, cuius ne nomen quidem ſine horrore auditur. Verùm ſi apud naturalis hiſtoriæ ſcriptores indagare volumus, quæ ſit fortitudo draconis, quidue de illius robore ij ſentiant, inueniemus iurè, ac meritò à nobis dictum, quòd hic fatalis animarum inimicus technis valet, non viribus, & ſpecie terrere poteſt exteriori, per vim autem deijcere neminem poteſt.

Petrus Gilius in ſuis Acceſſionibus ad Æliani lib.

lib. 9. c. 17. de dracone hæc ait: *Ad infligendũ vulnus, & si valdè irascitur, parùm efficax existit, neq; eius plaga doloris sensum habet, sed exigua est, & similis ei, quam facit mus.* Tametsi hæc bestia, cùm efferatur, flammas per oculos emittat, quibus vehementer perterrefacere possit, attamen cùm nocere vult, & sauciare, tam languidè, & imbecilliter ferit, vt non plus offensionis inferat, quàm ridiculus musculus aliquis soleat: *Plaga eius exigua est, & similis ei, quam facit mus.* Qui tam leuiter ferit, qui tam debiliter vulnerat, vt plagam absq; vllo sensu doloris inferat, ille certè talis hostis est, vt parùm curari, ac timeri debeat. Quod ergo illius manibus deijcimur, id nostra inbecillitate magis fit, quàm illius fortitudine.

Scio dicetis mihi: Et vbi est illud Sancti Petri tam tritum, ac decantatum: *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret?* 1. Pet. 5. 8. Si diabolus est leo, qui præ ferocia terribiliter rugit, quis illum non formidet? Quis? Ille, qui in Apostoli verbis diligenter notat, quòd tanquam leo rugiens circumit. Ego hinc illud colligo, quòd tametsi technas illius, & præstigias subuereri possumus, vngues tamen illius, viresq; formidare non debeamus, nam aliud est minaci voce terrere, aliud opere nocere, aliud vim, periculumq; denuntiare, aliud inferre, aliud simulatio nocendi, aliud vera incommodandi potestas, non enim omnes ferè, quæ rugitu territant, vnguibus etiam laniant, nec omnes venti aquas ferunt.

Magnus Baptista de seipso aiebat: *Ego vox clamantis in deserto*; Ioan 1. 23. Nihilominùs apud Matth. c. 3. v. 11. dicebat: *Qui post me venturus est, fortior me est*, quasi dixisset, Christus, qui me tempore secuturus est, virium robore præcedet. Sed quomodo hæc cohærent cum illo Isaiæ, quod de venturo in carne humana Redemptore dicebat c. 42. v. 2. *Non audietur vox eius foris*, tam silenter scilicet loquetur, tamq; tenues, & exiles voces dabit, vt & qui propiùs absunt, vix haurire auribus poterunt. Si Ioannes vox est, quæ tota vastissimæ eremi spatia implet, terribiliterq; insonat, & perstrepit, quid est, quod se inferiorem, imbecilliorem q; illo dicit, qui ex Isaiæ vaticinio, tantâ fuit vocis exilitate, vt penè omnem auditum fugeret? *Qui post me venturus est, fortior me est.* Respondet S. Petrus Chrysologus ser. 137. ex persona Præcursoris: *Quia in me terror est, in illo sententia.* Non in vocibus, sed in manibus, non in clamoribus, sed in lacertis & animo, robur positum est. Iam Ioannes vox erat, Christus, quanquam exilem vocem, multiplicem tamen manum habet, ac propterea ille huius fortitudini cedebat, imparemque se fatebatur, qui solis clamoribus terrere poterat, cùm Christus reapse potenter id faceret. Itaque robur non in vociferatione, sed in operibus, & executione consistit.

Nam vt Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. apologorum, c. 16. ait, *expertus miles tubam bellicam non pauescit, sed gladium, & eruditus Philosophus nubes tonitruum non veretur, sed fulgur. Quid enim est clamor, nisi pectoris euacuati, & oris sonus effusus? Nempè vacua magis sonant, ventosaq; concrepant. Quapropter, charissime, qui clamoribus vtitur, à sapiente minimè timetur.*

Si ergo capitalis hostis noster nonnisi rugitu, & vocibus perstrepit, *tanquam leo rugiens*, quis illum formidet, aut terreat? *Qui clamoribus vtitur, à sapiente minimè timetur.* Prudentem, & cordatum non voces terrent, sed vires, non sonus clamorum, sed virtus manuum. Inertissimus ergo, & stolidus, nimisq; ignauus est, quem soli rugitus leonis infernalis expauefaciunt.

Cùm in regionem Gerasenorum veniret Christus, vixque è naui descenderat, quando illi occurrit ærumnosissimus homo à pessimo dæmone, eoque præferoci, vt videbatur, occupatus, cui dixit Dominus: *Exi spiritus immunde ab homine*; Marci 5. 8. apagete hinc, & dimitte virum, quem tam miseris modis cruciabilissimè iam dudum vexasti.

Animaduertendum hic nomen, quod Christus dat dæmoni, qui arreptitium illum diu, multùmq; afflictârat, inquiens: *Exi spiritus immunde.* Vni soli dæmoni loquitur, quem cùm interrogasset quomodo vocaretur, respondit: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus*; ibid. v. 9. Sex mille, sexcenti, sexaginta sex dæmones facilè erant vnius hominis hospites, tali enim numero constabat legio militiæ Romanæ, vt affirmant Guilielmus Esteuechius in Vegetium, Lipsius, & alij. At si copiosum erat examen dæmoniorum in illo homine, quid est, quod Christus, velut vnus tantùm ibi fuisset, ait, *Exi immunde spiritus?*

Respondet Euthymius: *Multis dæmonibus imperat, quasi vnus esset, propter ipsorum imbecillitatem.* Quanquam tam multi essent dæmones, sic tamen illos habet, ac si vnus solus esset. Iam angustis enim limitibus est circumscripta eorum potentia, quanquam plurimi essent, tam imbecilles eorum vires, tametsi sex mille, sexcenti, sexaginta sex essent, vt omnes simul vix pro vno illi essent.

Gloria-

Gloriabantur iactanter Iudæi prosapiâ, & genere illustris Patriarchæ Abrahæ, & Deo patre, cùmque malis operibus suis huic gloriationi suæ plurimùm derogarent, aiebat illis Christus: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*; Ioan. 8. v. 44. Dæmonij soboles, non conditione naturæ, sed imitatione malitiæ estis. Procul ergo à filijs Dei, & Abrahæ abestis, qui etiam omnia pro diaboli votis studiosissimè agitis.

Guido Carmelita in expositione illorum verborum Ioannis extrema illa, *Vultis facere*, sic expendit: *Bene dicit*, Vultis, *quia licet diabolus possit tentando suggerere, non potest tamen homines ad peccandum cogere.* Quòd ergo in casses illius incidimus, quòd ab illo superamur, fit quia volumus. Qualis ergo ille inimicus, qui me, nisi velim, vincere non possit? Quæ vires aduersarij, qui me inuitum prosternere, ac subigere nequeat? *Licet possit tentando suggerere, non potest tamen homines ad peccandum cogere.*

De illo in rem præsentem aptè dicit Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Ad vnumquemque nostrum captiosè, ac subdolè accedit, ac velut locum sibi ipsi furtim aperiens, vt totus, non secùs ac quispiam exercitus, per disiectam muri partem irrumpat.* Conscius suæ pusillanimitatis, & ignauiæ malus dæmon, cùm non ignoret, quàm parùm viribus suis efficere possit, si nos illi repugnemus, conuertitur ad astus, dolos malos, præstigias, stratagemata, quibus vti milites solent, cùm irruptionem faciunt ex ea vrbis parte, quâ minus benè munitam sciunt. Ex nostra ergo imbecillitate sumit animos diabolus, fœderatusque cum nostra inconstantia, oscitantia, incuria, negligentia nostris armis nos magis oppugnat, quàm viribus suis. Si enim nos validè illi obsisteremus, nunquam suis fraudibus subigeret. Non habet ille vires maiores, quàm nostra inertia illi ministret.

Primo homini austerum præceptum imposuit Dominus, quo cauit sub certa mortis pœna, ne quos ex arbore scientiæ boni, & mali fructus ederet, dicens: *Quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*; Genes. 2. 17. Aduenit non diu posthæc versutus dæmon specie serpentis tectus, Euamque adorsus, voce ad commiserationem confictâ sic eam appellat: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi*; ibid. c. 3. v. 1. Vna tantùm ex omnibus arbor est scientiæ, cuius esu nobis interdictum, *ne fortè moriamur*, ibid. v. 3. Tunc callidus dæmon: *Nequaquam morte moriemini*; ibid. v. 4. quasi pluribus dixisset: Ha ha he, quàm ridiculum est, quod mortem vixdum nati timetis! Locus tantùm fuit, & sola comminatio, quòd vos morituros ex esu fructus cuiusquam dictum, nihil enim minùs fiet, quàm vt moriamini.

Hugo de S. Victore lib. 2. Miscellan. tit. 88. ait: *Dominus affirmauit, mulier dubitauit, diabolus negauit.* Dæmon (vt hinc ignauiam illius arbitremini, inquit Hugo) venit ad Euam meticulosus, trepidus, pusillanimus, desperans victoriam, quousque vidit mulierem hæsitantem de fide verborum dominicorum, tunc enim existimare, & credere cœpit, paulò post negaturam, quæ tam citò dubitare cœpisset, confirmatusque illius fluctuatione audacter dixit; *Nequaquam moriemini*, quiduis illud comedatis.

Pergit Hugo: *Si mulier non dubitasset, fortè diabolus non negasset, sed dedit audaciam, quæ inchoauit malitiam.* Simul & ambigere Eua, & præfidentiùs agere dæmon cœpit, ac nisi hiatum dubitationis aperuisset mulier, nunquam in mendacium proruptisset Lucifer. Denique ille tam est imbecillis viribus, tam ignauo animo, tam infirmis manibus, vt nullo certamine nos superare posset, nisi arma illi præberemus, quibus nos conficeret. De nostra debilitate nascitur illius præfidentia, cui *dedit audaciam, quæ inchoauit malitiam.* Quod musca nos subigit, hoc nostra ignauia, & inertia, non illius fortitudo facit.

*Plura, & plausibiliora habet de hoc argumento Periocha II. Dominica V. post Epiphaniam To. 2. pag. 447. b. o. Vide quæ ad finem ibi adscripta.*

## CAPVT VIII.

*Non adfert salutem medicina, nisi opportunè exhibita, & accepta, quod nisi fiat, vertitur in venenum.*

PRomittebat Dominus nostro Patriarchæ, illiusq; hæredibus, ac posteris terram, in qua tunc viuebat, sed addebat, non posse illum eius terræ statim adire dominium, eò quòd necdum completæ essent iniquitates Amorrhæorum, ob quas exturbari eos ante oporteret; velut dixisset: Nondum venit tempus, quo meum factum commodè probare hominibus possim, aderit posthæc occasio, quâ pollicitationem meam factis exequar. Ità opportunè quæque sunt facienda, vt bonum sortiantur effectum. Quanquam enim modus sit accidens felicis confectionis negotiorum, aliquando tamen esse substantia solet. Sciat licet medicus varia remedia, nisi tamen ea

tempestiuè adhibeat, non solùm nihil proderit, sed & oberit.

De rebus sublimibus sapientissimè Christus in synagoga differuerat, cùmque surdos ad sua verba videret Iudæos, ad opera se conuertit, vt his lapidea illorum corda emolliret. Quare permisit, vt Iairi archisynagogi filia naturæ concederet, vt per eius resuscitationem ostentaret suam diuinitatem, & verum ignorare Messiam increduli illi non possent. *Venit ergo vir, cui nomen Iairus, & ipse princeps synagoga erat, & cecidit ad pedes Iesu rogans eũ, vt intraret in domum eius*; Lucæ 8. 41.

Sanctus Asterius in catena Græc. Patrum in c. 8. Lucæ ait: *Vt vidit Iudaos ad sermones obsurdescere, factis ipsos instituit, ac medicina medicinam accommodat, miraculisque miracula.* Occluserant pertinaciæ suæ claue aures Iudæi, vt cœlestem Magistrum de rebus altissimis sublimiter dicentem non audirent, quare ille à dictis ad facta, & à verbis ad miracula transijt, sciens nimirùm, ad persuadendum efficaciora esse manuum prodigia, quàm oris verba ornatissima, & affluentissima. Itaque *medicina medicinam accommodat, miraculisque miracula.* Peculiaris loquendi modus! Quid est medicinæ medicinã, & miracula miraculis accommodare? Nihil aliud, quàm Christum imitari, qui nullam intempestiuè adhibeat medicinam, & miraculorum faciendorum opportunas obseruabat occasiones, & hoc est medicinæ medicinam accommodasse, miraculisque miracula. Tunc enim medicina reuerà fit medicina, quando suo tempore exhibetur, quemadmodum & medicina esse definit, cùm intempestiuè ministratur, & miracula opportunè facta sunt fructuosa. Itaque non in curationis studio, neque in miraculorum patratione salus corporum, aut animarum posita est, sed in commodo tempore, quo saluti vtriusque siue per medicinas, siue per miracula opera nauatur. Opportunæ occasionis prætermissio multis mortem attulit, & non paucæ arces, victoriæque perditæ fuerunt, quòd tempestiua subsidia neglecta.

Diuturnis exagitatus persecutionibus Dauid descendit in desertum Pharan, vbi fames, (vt ne alicubi sine oppugnatore hoste esset) & annonæ penuria illum, commilitonesq; eius vexabat. Cùmq; Nabalem multis officijs, & beneficijs obstrictum haberet, eo vel maximè, quòd greges ipsius ab inuasione, & prædatione militum in deserto tutatus esset, misit ad eum decem iuuenes, qui ex se rogarent, vt virtus necessitati, quod perfacilè posset, succurreret, idque talibus verbis obsecrarent: *In die bona venimus, quodcunq; inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid*; 1 Reg. 25. 8.

Quærit Abulensis, cur Dauid per id tempus voluerit necessitatis leuamen petere à Nabal, quem vt ad promptè, ac liberaliter subueniendum perurgeret, bonæ, & opportunæ diei mentionem apud eum faciendam putauit?

Respondet quæst. in illud c. 25. *Voluit petere nunc, & non aliàs, eò quòd crederet, eum nunc esse magis dispositum ad dandum, quàm aliàs, quia in die illa tondebantur greges, fiebat lætitia magna, & conuiuia, & cùm tunc sint homines hilariores, esset magis dispositus ad dandum.* Veste natiuâ mitiorem gregem per id tempus Nabal, seruique eius nudabant, *cùmque audisset Dauid in deserto, quòd tonderet Nabal gregem suum, misit decem iuuenes.* Per idem tempus, quod ex eodem Capitulo constat, instituebant custodes pecorum ex more pastoritio conuiuia, festiuisque gaudijs, & omnibus lætitiæ signis, quibus rustici, & agrestes homines solent, celebrabant diem illum, quo sua ouibus vellera detrahebant. Et cùm plerique tunc sint profusiores ad dandum, cùm effusiores fuerunt ad bibendum, & prolixiores sint ad benefaciendum, cùm fuerunt magis largi ad potandum, idcircò Dauid tunc implorandam arbitratus fuit beneficentiam Nabalis, cùm illum ex copiosiore vino hilariorem, liberalioremque putauit. Opportunè enim venire, est diligentiæ feliciter conficiendo negotio necessariæ magnam partem ante fecisse.

Mundi vanitatum detector Salomon c. 3. sui Ecclesiastæ ait, omnia tempus habere, & suis spatijs transire vniuersa sub cœlo, esseq; *tempus dilectionis, & tempus odij*, v. 8. siue tempus amandi, & tempus odio habendi, vt alij legunt.

Sanctus Gregorius Nyssenus homil. 8. in Eccles. cùm dixisset, aures opus habere digitis Iesu, vt per diuini verbi contactũ ab omni sorde obscœni amoris liberentur, quærit quodnam sit tempus amandi, & quod sit tempus odio habendi. Quæstionem autem ipsus sic dissoluit: *Non puto hoc aliud esse tempus, præterquam eius, quod est vtile.* Tempus ergo amãdi, vel odio habẽdi, illud est, quod amori, siue odio commodum, & opportunum, & hoc ipsum est vtile, *quæ enim ex vtroque eorum* (puta casto amore, & sancto odio) *capitur vtilitas, meo quidem iudicio est amborum vsus opportunitas,* inquit idem Sanctus Doctor. Sic fructuosa est omnis negotiatio, quæ commodo tempore, & opportuno instituitur.

Peruulgata est illa miraculosa sanatio hominis annis

annis propè quadraginta paralytici, ex qua variam cauillandi, obstrependi, & criminandi occasionem maleuolentissimi Scribæ, & Pharisæi arripuerunt. De misero illo sic ait Beatus Ioannes: *Erat quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua*; Ioan. 5. 5. quam illi sua improbitas, & vitæ flagitiosæ mala merita attulerant. Accessit ad hunc Dominus, cùmque pauca cum illo locutus fuisset, ait: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*; ibid. v. 8. O admirabilem verbi potentiam! quod simul ac per aures se insinuauit, paralysin tam diuturnam, & incurabilem toto corpore, miraculo ingenti, & euidenti statim depulit. Secessit posthæc ab hominibus cœlestis Medicus, & cùm horis abhinc aliquot illum ex paralytico sanum in templo inuenisset, dixit illi: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; ibid. v. 14. velut dixisset: Beneficium sanitatis tam diu expetitæ consecutus fac bonæ vitæ rationem optimam habeas, quod te ex mea clementia etiam atque etiam hortor, & moneo, si secùs feceris, peiora, quàm passus sis, ex mea iustitia tibi denuntio.

Occurrit hîc quæstio. Postquam constitutum fuit Domino, animam huius hominis spirituali exhortatorij sermonis antidoto præmunire aduersùs maiora damna, & pericula, cur non statim post sanationem corporis salutare illud fugiendorum deinceps peccatorum consilium ei dedit, quod saluationem animæ eius concernebat, cùmq; tanti ponderis esset diuculè differri, vt videtur, non debebat? Cur ergo Christus tam sapiens Medicus plusculum temporis abire permisit, expectauitque donec in templo inueniret hominem, quem suis monitis ad scelerum fugam, & vitæ sanctioris curam excitaret?

Respondet Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. de Paralytico To. 3. *At quàm opportunè*, adhibita medicina, data monita! *Quamdiu enim in lectulo decumbebat, nihil tale dixit, neque peccatorum recordatus est. Animus enim eorum, qui morbo conflictantur, fastidiosus & miser est. Vbi verò morbum expulit, vbi pristinæ ipsum valetudini restituit, vbi potentiæ, atq; prouidentiæ fidem re, & opere fecit, tum tempestiuam adhibuit admonitionem.* Non reprehendit illum prudens Medicus, & potens benefactor, quamdiu cruciabilis ægrotatio strato pœnaliter afflictum tenebat, sunt enim submorosi plerumque infirmi, & impatientes obiurgationum. Ac ne statim quidem à recuperata subitò valetudine illum increpauit, non enim benè caderet in tam inexpectatam sanationem amarulenta correctio. Persanauit ergo ante hominem, expectauitque quousque ille ob redditam repentè, atq; inopinatò sanitatem incredibili gaudio exultans sibi redditus esset, cùmque eum in templo credulum miraculo, gratum, ac supplicem pro beneficio reperisset, *tunc tempestiuā adhibuit admonitionem*, tunc præbuit medicinam, tunc salutarem propinauit passionem, vt fructuosa esset correptio, & optatum effectum haberet admonitio.

Rex inter Prophetas humiliter confitetur, debitaque cum demissione prædicat, coronam suam, ac sceptrum ad sacros Supremi, & absoluti Monarchæ, orbisque terrarum Creatoris Dei pedes meritò deponi debere, ideòque dicit, sibi non esse aliud fulcimentum, quàm ipsius magnitudinem, nec spem aliam, quàm ipsius clementiam, nec alium baculum, quàm ipsius maiestatem, omnemq; suam felicitatem ab ipsius imperio, & potentia manare, ac proptèrea seruum se illi sempiternum addicit, inquiens: *Ego autem in te speraui, Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ*; Psal. 30. 15. 16.

Sed notandum, quod postrema hæc verba Psalterium Romanum, Sanctus Hieronymus, & alij plures ita legunt: *In manibus tuis tempora mea*; & Hebræus apud Lorinum clariùs: *In manibus tuis temporum opportunitates*. Itaque quod hi *sortes*, id illi *tempora, temporum opportunitates* alij vocant. Quamobrem? Vt nobis significarent, bonam cuiusuis negotij sortem, felicemq; rei alicuius confectionem plerumque pendere ab opportunitate, & tempestiuitate, quâ suscipitur, & inchoatur. Quæ enim intempestiuè tractantur, vix vnquam optatos habent exitus, aut fine bono clauduntur.

## CAPVT IX.

*Nomen calamitatum, & ærumnarum non merentur, quæ simul cum vita expirant.*

PRænuntiabat Dominus Abrahæ amico suo, quòd posteri eius quadringentos annos in dura captiuitate exacturi, demùm verò in terram promissam reuersuri essent, dicens: *Generatione autem quartâ reuertentur huc*; Genes. 15. 14. Hoc ergo ad consolandum illum, mitigandumque eius dolorem dixit, quod calamitates, oppressiones, captiuitates, ærumnæ non perpetuæ futuræ, sed finem habituræ essent. Secum enim habent suum solatium, & leuamen miseriæ, quæ finem habent, vtq; eas non solùm patienter, sed etiam hilariter, gaudenterq; feras, sola recordatio exitus, quo aliquando claudendæ sunt, facere potest. Denique non merentur nomen ærumnarum,

minarum, quarum non est perpetua duratio. Nam vt Sanctus Hieronymus epist. 36. ait: *Nihil longum, quod finem habet*, nihil prolixum, quod certis terminis circumscriptum.

Miserabatur, & mirabatur Christus, quod tam pauci saluarentur, verba autem, quibus suum commiserationis affectum explicabat, talia sunt, vt per ea excusari videantur, qui excidunt beatitudine. Sic enim aiebat: *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam!* Matth. 7. 14. At si tam angusta, vt fateris ipse, est porta, Domine, tam arcta via, quæ in cœlos ducit, eaque senticosa, salebrosa, prærupta, & confragosa, quid miraris, ac miseraris, quòd tam rari sint, qui viam illam terant, tam pauci qui per illam humilem strictamque portam, quæ vix populum capit, irrumpere tentent? Si amplum iter, si planum, si floridum, rosis vtrimq; consitum, & lætum esset, quo itur ad astra, queri meritò de saluandorum paucitate posses: Verùm strictam, eamque scabram, & lubricam viam quis ineat? Et quis portam tam arctam quærat?

Respondet Euthymius, quod tametsi semita sit consita tribulis, & spinis, operosumq; per eam ambulare, & per angustam portam intrare sit laboriosum, hoc tamen secum ferre solatij, quod & via est, quæ terenda, & porta, quæ transeunda, eò quòd vtraque suos fines habet, & ambæ ad hoc factæ sunt, vt pertranseantur. *Neque minima consolatio est, vocare ipsam portam, ac viam, neutra siquidem permanet, sed transit*, inquit ille. Iusta ergo fuit admiratio Redemptoris nostri, quòd labores huius vitæ, quantumuis graues, & molestos, quisquam fugiat, cùm ij non solùm fines suos habeant, sed etiam sint transitus ad quietem, quæ immortalis est, & æterna. Denique non videntur esse calamitates, quæ aliquando esse desinunt.

Lethali morbo decumbebat Lazarus. Periculosam illius ægrotationem sorores nuntiârunt Christo, qui de ea cum Discipulis suis communicauit, postquam infirmitatis nuntijs dixerat: *Infirmitas hæc non est ad mortem*; Ioan. 11. 4. Hæc superi Magistri verba benè expensa videntur repugnare ijs, quæ postea eisdem Discipulis suis apertè dixit: *Lazarus mortuus est*; ibid. v. 14. iam diem suum obijt amicus noster. Posito ergo, quod ex illa infirmitate decessit è viuis, quomodo ait Dominus, *Infirmitas hæc non est ad mortem?*

Pulchrè diluit hæc Theophylactus, inquiens: *Si benè consideraueris, neque ad mortem fuit infirmitas, quâ moriuntur multi, diuturnam scilicet, sed temporalem, & quatriduanam. Nam quia surrexit quatriduanus, ad finem spectantes res, dicimus non esse ad mortem infirmitatem, sed pro gloria Dei.* Mors Lazari non fuit quatriduo maior, quæ cùm tam breuis esset, mortis nomen non merebatur, adeò infirmitas non fuit ad mortem, ex qua non alia, quàm talis mors secuta fuit. Sic & dolores tam parùm durabiles, & breues ærumnæ, & pauci temporis calamitates vix nomen illud merentur.

Commodum hue venit illud acutè dictum Venerabilis P. Simonis de Cassia lib. 13. in Euangelia: *Optimum est in moribus tribulari ad horam, & persecutionem comicam pati*; velut pluribus dixisset: Magno beneficio nos ornat Deus, & beneuolis oculis spectat, qui temporarijs vitæ præsentis pœnis debita culparum nostrarum expiare finit, neque ad luendas vitæ sequentis æternas remittit, idcircò bonum est hîc ad momentum affligi, & comicâ excruciatione vexari. Quid verò est *persecutionem comicam pati?* Res in propatulo est. Quando hominem in scena videmus mulctari exilio, damnari capitis, impeti mucronibus, & alijs modis exagitari, quàm exiguâ illius mouemur commiseratione! Scimus enim hæc ludrica esse, & ficta, & commentitia, & figuras tantùm, vmbrasque vexationum, non veros cruciatus, neque reales miserias. Ad hunc modum dicit Simon de Cassia: *Optimum est ad horam in moribus tribulari, & persecutionem comicam pati.* Quæcunque in hac vita tolerantur, si cum ijs conferantur, quæ in æterna vita torquebunt, sunt comœdiarum fictæ persecutiones, & solæ repræsentationes quædam verarum calamitatum. Itaque vt non est, cur misericordiâ moueamur illius, qui in scena in speciem decollatur, sed eius, qui in foro agitur in patibulum: Sic non debemus dolere vitæ præsentis miserias, sed eas tantùm timere, quæ in futura vita æternùm sunt duraturæ; *nihil* enim *longum, quod finem habet*, vt ex Sancto Hieronymo iam dicebamus, quod autem finem habet, non habet cur multùm timeatur.

Annuntiabat Christus amaram suam passionem, acerbos dolores, & ignominiosam crucis mortem sibi à Gentibus inferendam, demùm verò aiebat: *Et tertiâ die resurget* (Matth. 20. 19.) Filius hominis, & post toleratum pœnarum diluuium, post superatam contumeliarum inundationem gloriosus triumphator in vitam redibit.

S. Ioannes Chrysostomus ait, Christum pro consolatione suorum Discipulorum dixisse, quòd post

triduum à morte resurrecturus esset, vt quanquam mors Domini acerba, & absentia ipsius pœnalis illis accideret, hoc tamen eorum leuaret mœrorem, quod tam citò rediturum scirent. *Non satis est abscessus tristis, vbi velocissimus est regressus. Post tres dies. Hoc abire sic fuit, & redire, vt eum non defuisse perluceat.* Hæc ille homil. de Pass. To. 3. Tam breuis absentia nomine absentiæ donari non debet. Quare Christus velut non abfuit, qui triduo solùm abfuit, poterantque Discipuli absentiam illius, quam triduo non fore longiorem præsciebant, minùs acerbè ferre: *Quia non satis est abscessus tristis, vbi velocissimus est regressus.* Similiter ratiocinari de calamitatibus, & aduersitatibus huius vitæ possumus. Quantumuis illæ grauent, angustent, affligant, consideratio tamen breuitatis earum facit leuiores, & tolerabiliores, nec enim longum est, quod finem habet, nec importabile quidquam, nisi duratio eius æternitatem exæquet.

# LIBER V.
# VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Qui non valet efficere quidquid vellet, non proinde excusatur ab eo faciendo, quod potest.*

Honesta, & venusta Patriarchæ nostri vxor infœcunda erat, & inepta conceptui. Habebat ancillam Ægyptiam nomine Agar. Dicebat ergo marito. Video me iusto Dei iudicio sterilem, famula mihi est, qui tibi coniux esse possit, experiar an ex illa suscipere liberos fortè queam, quos meos vocare potero, si qui ex coniugio à me adornato fuerint nati: *Ingredere ergo ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios;* Gen. 16. 2. quod Nycolao Lyrano tale est, ac si consequenter dixisset: *Vt quia non possum habere filios naturales, saltem habeam per adoptionem.*

Philoni Iudæo in lib. de Abraham Sara significat rationem. O quàm consentaneus rationi Saræ cogitatus! Quàm pulchrum, ac dignum imitatione exemplum! Si quis non supremum attingere, nec facere quantum vellet, non propterea fas nobis est etiam illud prætermittere in officijs Dei, quod possumus præstare: Sic enim & Sara, quæ non potuit ex suo corpore habere filios naturales, & proprios, non voluit carere adoptiuis, & ex alieno quæsitis.

Isaias cap. 41. v. 19. ait: *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ, ponam in deserto abietem, vlmum, & buxum simul,* nimirùm *vt omnes videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc,* & ipsi gratæ fuerunt hæ arbores. Examinare omnium harum arborum conditiones proprias, non est huius loci. Illud solùm hic difficile videtur, quòd placere potuit Domino vlmus, arbor tam infœcunda, vt apud Hispanos in prouerbium abierit, impossibilia expectare eum, qui ab vlmo fructus speret, cùm steriles eiusmodi arbores abominari Deus soleat, & sanctus Dauid virum beatum, Deique amicum illum prædicet, qui feracis arboris sit similis, inquiens: *Et erit tanquàm lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo;* Psal. 1. 3. Quid ergo est, quod ait Dominus: *Ponam in deserto abietem, & vlmum,* ex quibus hæc, cùm sit prorsùm infrugifera, videtur Deo probari non posse? Aut quidnam illud habet, ob quod accepta esse possit?

S. Gregorius hom. 19. in Euang. ait: *Vlmus vitem cum fructu suo sustentare solet.* Loquitur Mag. Doctor ex more Palæstinæ, & Italiæ, vbi vlmis *vites nubunt, maritasque complexæ per ramos earum procacibus brachijs geniculato cursu scandentes cacumina sensim petunt;* (vt Plinius loquitur lib. 14.) *erraticisque palmitum lapsus nexibus pendulis, dum per arundines baiulas taciti reptant, vitream paulatim porticum vitrea tecta faciunt.* Ita S. Cyprianus l. 1. epist. 2. Itaq; vlmi non edunt quidem fructus proprios, baiulant tamen, & sustentant alienos, & vel aliquid agunt, quia totum facere non possunt. Quod ergo Domino placuit arbor, quæ fructus proprios generare mallet, quàm pro statumine, aut pedamento esse vinearum, si prædita intellectu esset, & quia non valet, quod vellet, quod potest, facit, & fulcit vuas, quas edere nequit, eâ re significatum fuit, quod nos hîc monemus, & consulimus, vt quando non possumus præstare quantùm vellemus, non propterea ex officijs Dei etiam illud prætermittamus, quod

commodè

commodè facere possumus, id enim Deus & acceptum habebit, & suo tempore remunerabitur.

Nam vt Paulus in Prolog. addit. ad Lyranum ait, *nec enim quia multa dare non possumus, manum ex toto retrahere licet*, nec debet nihil eleemosynarum dare, qui non potest omnes opum suarum facultates in egenos erogare.

Celebrat dilecta Sponsa fragrantiam, quam diuini Sponsi nomen exhalabat, & ait: *Oleum effusum nomen tuum*; Cant. 1. 2. Mox autem subiungit: *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*; ibid. v. 3. Me trahe, inquit, & videbis non me solam, sed plurimis benè comitatam cursu sequi, quo præieris, idque propter vnguentorum tuorum diuinum odorem. Perexiguum videtur, quod Sponsa petit ab eo, cuius tanta est & opulentia, & munificentia, atq; prolixitas. Itane solo odore contenta esse voluit? Et tantilla res satis illi esse potuit? *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Cùm Sponsus tam esset liberalis, & quàm amans, tam largus, nonné satius fuisset, vnguenta ipsa petere, quàm solum odorem postulare?

Petrus Alfacus vult tale esse, quod Sponsa dixit: *Quia teipsum non datur amplecti, interea odor nominis tui mecum ex desiderio pernoctabit*. Hæc ille in cap. 1. Cant. Petierat Sponsa, vt totum se illi traderet, totum impertiret, inquiens: *Osculetur me osculo oris sui*; ibid. v. 1. Non obtinuerat petitio, nec enim semper conuenit, quidquid petitur, concedere. Quid verò tunc Sponsa? Quia vnguentum, inquit illa, hoc est, Sponsum meum ipsum habere nequeo, odore saltem suo me perfundat, fragrantiam suam mihi permittat: *Quia teipsum non datur amplecti, interea odor nominis tui mecum ex desiderio pernoctabit*. Nam si Sponsus, ac nomen eius est vnguentum, *Oleum effusum nomen tuum*, ex oleo illo effuso vel aliquid colligere bonum fuerit, & qui gaudere toto non potest, curare debet, vt vel partem accipiat. Habeat vnguenti odorem, qui vnguentum ipsum habere nequit. Non enim quia totum quis obtinere nequit, etiam à parte procuranda quis excusatur, sicut non conniti sursùm nemo debet, tametsi penetrare vsque ad cacumen non possit.

Huc faciet doctrina Hispani cuiusdam alterius, Quintiliani, qui postquàm in suis institutionibus, & præceptionibus tradidit partes, quæ profectum, consummatumque oratorem faciunt, videretque tantas requisiisse, vt ab earum comparandarum studio cupidissimum, ac diligentissimum absterrere ipsa rerum moles, ac multiplicitas posset, reddere animum exterritis, & erigere desperabundos his verbis voluit: *Verùm si quis summa desperet, tamen est, vt Cicero ait, pulchrum in secundis, tertiisque consistere. Neque enim si quis in bellicis Achillis gloriam consequi non potest, Aiacis, aut Diomedis laudem aspernabitur, neque qui Homeri, non Tyrtæi*. Hæc ille lib. vlt. Orat. Institut. cap. vlt. Bono ergo animo iubebat esse eos, qui pertingere ad apicem non possent, & cogitare, non omninò vanos esse illorum conatus, qui vel ad medium peruenirent. Non omnes stellæ sunt primæ magnitudinis, neque tamen stellæ non sunt, quæ molem earum, vastitatemque non exæquant. An ideò literarum studijs renuntiare, & scholis valedicere quis debet, quòd putet subtilitatem Augustini, grauitatem Basilij, eloquentiam Chrysostomi, acumen Nysseni, eloquentiam Cypriani, exponendi gratiam Hieronymi, theologicam peritiam Thomæ, mysticam sapientiam Bonauenturæ assequi minimè posse? Minimè. Tantundem in rem præsentem dico. An qui magnitudinem sanctitatis Apostolorum, fortitudinem Martyrum, austeritatem Anachoretarum, amorem recessus Eremitarum, puritatem Virginum adipisci nequit, in itinere virtutis propterea omninò conquiescere, & otiari debet, eaque etiam intermittere, quæ commodè facere potest? Si ex supremis, si maximorum vnus aliquis esse non potest, sit vel ex medijs aut mediocribus. Si non omnia esse potest, laboretur sit vel nonnullus.

S. Ambrosius in Psal. 118. Octon. 7. v. 1. ait: *Si mons esse non potes, nec praeuales, esto vel collis*. Domus Dei habet aliquid omnium, & ex omnibus tum ordinibus, tum magnitudinibus. Qui holosericas, vel auro intextas vestes parare non potest, num idcircò nudus ire debet? Omnis pretij pannos inuenire licet in domibus mercatorum, qui non potest emere cariores, inueniet alios suis facultatibus pares. Sic & Christianus debet suo se pede metiri, & viribus suis accommodare. Si non potest ascendere in summum fastigium, conetur vel in medium peruenire, neque enim rectè potest nihil ascendere, cui in supremum apicem euadere non licet. Nimisquàm ignauus, & remissus est, qui non vult à terra assurgere, quod editiorem locum superare nequeat. *Si mons esse non potes, nec praeuales, esto vel collis*, nec enim desperare medium debet, qui attingere extremum non valet.

Corroboret hanc nostram doctrinam etiam tertius Hispanus. Quærit Seneca, an miles, cui sint detruncatæ manus, cùm pugnare nequeat, aliâ quadam operâ rem iuuare communem in conflictu pos-

sit. Otiosa videtur hæc interrogatio. Nam quid facere possit, quantumuis enixè, cupidèque velit, cui demutilatæ sint manus? Quid incommodet hosti, qui nec vibrare hastam, nec stringere gladium, nec intorquere spiculum potest? Seneca verò in lib. de tranquillit. vitæ cap. 3. ait: *Præcisis quoque manibus ille in prælio inuenit, quod partibus conferat, & clamore iuuat.* Qui suum exercitum felicem, victoremque videre optat, tametsi non habeat manus, non tamen habet nihil, quo suis opituletur. Nimirùm *stat tantùm*, firmoque vestigio, & forti animo consistit, & quibus maximis potest vocibus suos excitat, & confirmat, & ad strenuè, pertinaciterque pugnandum inflammat. Et hoc quoque est dimicare, quando *clamore iuuat*, qui manibus ferre subsidium nequit, atq; ille in numero militum recenseri meritò debet, dignusque est, cuius bona intentio suam habeat remunerationem. Hoc ipsum dicere in re præsenti possumus. Omnes sumus Christi milites, quod ergo commodè possumus, id faciamus. Quando manu subuenire nequimus, iuuemus linguâ, quando per tenuitatem propriam non possumus factis leuare necessitatem alienam, verbis, quam possumus, feramus opem. Nam quando fieri non potest, vt faciamus totum, non debemus tamen nihil facere.

Decreuerat Dominus euertere ciuitatem Hierichuntinam, voluitq; à sacerdotibus muros illius solo affligi, qui cùm septem diebus eam circumcuijssent, postremo insonuerunt tubis, & euersi corruerunt muri. Ad eundem circuitum exhortabatur Iosue populum, dicens: *Ite, & circuite ciuitatem armati, præcedentes arcam Domini*; Ios. 6. 7.

S. Petrus Damianus expendit hac in re aliquid dignum consideratione. Iubebat Iosue, vt illi de populo armati præirent arcæ, & circumirent ciuitatem, quibus Dominus etiam hoc præceperat: *Clamabit omnis populus vociferatione maximâ*; ibid. v. 5. At quò illa spectabant? Si muros ad septimum diem, & circuitum, & arcæ præsentiam sonus buccinarum deiecturus, & solo æquaturus erat, quo consilio, aut mysterio debuerunt illi armati præire, & ad murorum demolitionem vocibus concurrere?

Respondet sanctissimus Cardinalis serm. 57. *Notandum quòd armati milites cum sacerdotibus ire iubentur, nimirum vt & ij, quibus non est iniunctum promendi clangoris officium nequaquàm se remotos intelligant à congressione bellorum.* Quanquàm soli buccinis insonarent sacerdotes, earumque clangore res omnis conficienda, & victoria paranda erat, voluit nihilominùs Dominus, vt laici homines, quoniam aliud non poterant, vociferatione vtcunque rem iuuarent publicam. Sic qui totum aliquod negotium pertractare non potest, propterea omne deponere studium non debet. Non potes omnes esuriales Quadragesimæ obseruare dies, non licet proinde ne vno quidem die ieiunare. Prolixam eleemosynam dare nequis, non hoc facit, vt ne exiguam quidem, & facultatibus tuis parem dare debeas.

*Libri primi primæ partis Politici cælorum c. 2. eandem telam percurrit. Vide etiam calcem illius capitis.*

## CAPVT II.

*Ne arcus spiritus nimiùm tensus rumpatur, honestâ recreatione nonnunquàm est relaxandus.*

DIcebat Sara marito suo Abrahæ: *Ingredere ad ancillam meam*, & licito concubitu adoptiuos ex ea tibi para posteros, qui ex me non potes habere naturales. Sensu morali, vt ait Nicolaus Lyranus, *intelligitur condescensio facta carni ex causa rationabili.* Abraham spiritum significat, rationem Sara (quod suprà ex Philone monuimus) Agar ancilla carnem. Dicit ergo ratio spiritui: *Ingredere ad ancillam meam*; hoc est, carni honestam, concessamq; aliquam ex te oblectationem præbe, quæ tametsi famula sit, non debet tamen ita iugiter premi, vt non habeat aliquando suas recreationes, ne dissiliat nimia tensione arcus. Literarum studia habent sua otia, habent suas vacationes tribunalia, spiritualibus exercitationibus etiam sua est permittenda quies.

Hæc doctrina grauem, minusque suspectam habebit à sancto Brunone commendationem, qui spiritum suum sub arcta disciplina constrictum tenuit. Verba illius ex epistol. 1. sic habent: *Sunt oblectamenta viri prudentis gratiora, & vtiliora valde, quia diuina. Veruntamen arctiore disciplinâ, studijsque spiritualibus animus infirmior fatigatus sæpiùs his releuatur, ac respirat, arcus enim si assiduè sit tensus, remissior est, & minùs ad officium aptus.*

Affirmat aliquid Propheta regius, quod cœlestis, & diuini Magistri doctrinæ aduersari videtur. Psalm. 118. v. 96. ait ille: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, spatiosæ leges tuæ, ampla præcepta. Saluator mundi apud Matthæum cap. 7. v. 13. *Intrate per angustam portam*; & ibid. v. 14. *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Via, quæ ad vitam ducit, non alia est, quàm iter mandatorum. Sic enim dicebat apud eundem Matthæum cap. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quomodo ergo arcta via,

si tam lata mandata? Quomodo tam ampla lex discipulo, quæ magistro tam stricta?

Etiam sancto Ambrosio similiter interrogare in mentem venit, qui in illius Psalmi octonarium 12. sic habet: *Quomodo ergo dicit Propheta latum mandatum Dei, & valde latum?*

Respondet autem quæstioni sanctus Mediolanensium Archiepiscopus his verbis: Ideò quia angusta via, latum mandatum necessarium est. *Debet latitudo præcepti vitantibus esse solatio, ne quis deficere possit, aut conteri.* Verbis, & sententijs quàm maximè conueniunt Dauid, & Christus, tantùm abest, vt mutuò sibi aduersentur. Christus ait, iter spiritus esse strictum (*Quàm arcta via, & angusta porta est.*) Dauid autem dicit, *Latum mandatum tuum nimis.* Has nunc in speciem pugnantes sententias, velut consertis amborum autorum manibus, componit S. Ambrosius, dicens: *Ideò quia angusta via, latum mandatum necessarium est.* Ob hoc ipsum, quod arcta porta est, & stricta semita, & austera disciplina, & rigidum vitæ asperioris institutum, habet etiam suas latitudines, & animi relaxationes, & honestas recreationes, vt ne in via, qui eam tenent, deficiant, & absoluere curriculum, finemque assequi optatum non possint. Iugiter enim itinerari, & perpetuâ contentione pergere, est suo exitio, & occidioni studere.

Ad hunc sensum dicebat Lucianus in dialog. de amoribus To. 4. *Infirmior animus est, quàm vt studia continua sustinere queat. Desiderant labores paulò contentiores, vt curis grauioribus, atque molestijs paulisper relaxatis in voluptates remittantur.*

S Marcus Euangelista refert, rediisse aliquando à prædicationis officijs ad Christum discipulos, & quid laborassent, effecissentque, exposuisse. *Conuenientes Apostoli ad Iesum renuntiauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant*, inquit B Marcus c. 6. v. 30. Momentosum erat negotium, à quo veniebant, ac tale, vt videatur Dominus eos mox remittere ad persequendum opus tam graue, & ad pertexendam cœptam telam statim relegare debuisse. Non tamen ita fecit diuinus Magister, sed hoc potiùs dixit illis: *Venite seorsùm in desertum locum, & requiescite pusillum*; ibid. v. 31. Causam autem, ob quam eos à labore prædicationis tantisper auocauit, statim subiungit Euangelista, inquiens: *Erant enim, qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant.*

Factumné verò benè, quòd rex, & illius intimi tunc se subduxerunt, & ad quietem receperunt, quando tanta erat concursatio hominum subditorum sua negotia cum illis communicare cupientium, & consilium, auxiliumque eorum implorare volentium? Factum optimè. Christus enim non aliud ait, quàm vt requiescerent *pusillum*, vt ad horulam à labore respirarent, non vt diuculè feriarentur, & protractiore recessu, & prolixiore otio odium incurrerent, & ad obtrectandum maledicorum linguas excitarent. Rex etiam ex carne, & sanguine constat, & subiectus est defatigationi. Ministri, Consiliarij, Iudices non sunt è marmore, vt possint siue litigantium, siue aliud agentium causis horas omnes dare, cùm non requirat nullos refocillatio illorum propria. Concionator non debet semper inhærere libris, non semper flagrum præferre manu pœnitens, non semper cilicij gestatione atterere, & emaciare carnem, interuallum requirunt illa exercitia, quæ sine quietis intercapedine perdurabilia esse non possunt.

Theophylactus in cap. 6. Marci ait: *Quiescere facit Christus discipulos suos, vt sciant Prælati laborantes in verbo, & doctrina dignos, quibus detur sua quies, & non semper intendant laboribus.* Laborem perpetuum non fert humanarum imbecillitas virium.

Dominicâ Quartâ Quadragesimæ festiuis gaudijs exultat Ecclesia, & ad communem lætitiæ voluptatem, communesque iubilos omnes fideles excitans, sic diuinissimum Missæ orditur officium: *Lætare Ierusalem, gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis, vt exultetis, & satiemini ab vberibus consolationis vestræ.* Et ad maiorem lætitiæ significationem permittit, vt eo die pulsetur organum, cuius ad gaudiosiores, celebrioresque festiuitates vsus alioquin esse solet.

Quidnam verò illud est, quod mater nostra Ecclesia inter pœnitentiæ lamenta, in medio ieiunij luctu, inter carnis macerationes, & spiritus gemebundi afflictiones, & compunctiones lætari, iubilare, cantare, & subsultare præ gaudio hortatur, quando studiū castigandi corporis acuere, ad asperitudinem, & mortificationem acriorem accendere, ieiuniumque, & alias pœnales afflictationes vehementiùs, ardentiùsque commendare debebat?

Occurrit huic interrogationi Innocentius III. Pontifex Maximus in serm. Dominicæ IV. in Quadragesima, inquiens: *Scitis, charissimi, quòd corruptibile corpus inter continuas anxietates non potest subsistere, nisi quandoq; recreationis remedium intercedat. Ne ergo fidelis populus propter asperitatem quadragesi-*

*dragesimalis abstinentiæ sub continuo labore deficeret, in hac mediana Dominica quoddam recreationis solatium interponitur, vt anxietas temperata leuius suffferatur. Hodiernum enim officium totum est plenum lætitiâ, totum exultatione refertur, totum gaudijs cumulatum.* Ipsum adeò illius Dominicæ euangelium decantat conuiuium, quo nihil frugalius, si primùm apparatum spectes, nihil dapsilius, & lautius, si pauci panis gratissimum saporem consideres, nihil admirabilius, si multitudinem hominum tantillâ annonâ ex saturatorum recenseas, nihil opulentius,& magnificentius, si relictorum à mensa fragmentorum copiam expendas, vt ex talis epuli commemoratione respirent, & resumant animos, qui diuturnioris ieiunij labore fuerunt lassati, & debilitati. Impossibile namque videtur, vitæ huius ærumnas absque omni alleuatione, & intercapedine tolerare.

Huc facit, quod Theophrastus ait, nimirùm multas esse arbores, quæ leuari cortice, & alijs quibusdam ponderibus, quibus prægrauantur, exonerari debeant, vt sua illis vita constet. Libro 5. de causis plantarum, cap. 17. ille dicti sui rationem reddens ait: *Quippè omnia spiritum desiderant aliquem, vel solutionem, vel meatuum relaxationem.* Ignis inclusus quærit, quâ erumpat. Ventus intrà terræ cauernas coarctatus montes tremore concutit, & tota maria concitat, donec à carcere suo euadat. Terra obiectu aggerum impedita intumescit,& efferuescit, & aduersùs obicem insurgit, quousque illo rupto effundere sese,& liberè decurrere queat. Auicula caueæ inclusa omnes cancellos, rimas omnes pertentat, vt elabi in patentem aerem,& pro libidine campum, saltusque pererrare possit. Si bruta, si plantæ, si elementa naturaliter diffugiunt sua impedimenta, appetuntq; suam quietem, solutionem, libertatem, cur homines non quærant honestum aliquod alleuamentum, concessamque recreationem, vt possint ferre & officij sui labores, & status molestias, à quibus nullus vacat, nullus liber est, aut immunis.

*In prima parte Politici lib 7. cap. 7. de eadem re differit. Vide etiam partis secundæ Politici l. 7. c. 9. quod nonnihil habet affinitatis cum superioribus.*

## CAPVT III.

*Homo ipse suæ sibi perditionis est architectus, fabrorque, & sartor, Deus neminem infelicitat, nisi qui infelix esse prior velit.*

CAusam, ob quam gloriosi Patriarchæ nostri sancta vxor marito suo, vt ex ancilla sua sibi quæreret posteritatem, consuluit, cùm dixit: *Ingredere ad ancillam meam*; Gen. 16. 2. ita expressit beatus Ioannes Chrysostomus: *Fortassis suspicabatur Sara sterilitatem illam non à se sola esse, sed etiam ex Patriarcha, ideò volens certo experimento comperire, ancillæ cedit, vt re ipsâ discat, se solam in causa esse, sibique soli adscribendam sterilitatem.* Cùm ergo vidit Sara, quòd Abraham ex Agar genuit Ismaelem, tum denique sibi persuasissimum habere cœpit, quòd nullos similiter ederet liberos, id suæ infœcunditatis vitio, non impotentiâ mariti accidere. Et hoc tam studiosè, attenteq; sacer Historicus monendum putauit, vt Saræ infœcunditatem ante memorauerit, quàm aliud quidquam de ea narrauit, dicens: *Erat autem Sara sterilis, nec habebat liberos*; Gen. 11. 30. velut apertiùs dixisset: Nota benè, quòd hi sancti coniuges improles fuerunt, id sola Saræ sterilitas fecit, nullâque Abrahæ culpâ contigit.

Abraham Deum repræsentat, Sara figura est animæ, quæ Domino desponsatur. Sic affirmant Nicolaus Lyranus, Doctor Angelicus, Hugo Cardinalis, Guilielmus Papinius, & alij plures. Vt ergo innotesceret, non Dei causâ, sed animæ vitio fieri, cùm illa sterilis est, & nullos bonorum operum fœtus edit, nullos sanctorum meritorum parit liberos, proptereà magno studio, ac meditatò memoratur, quòd Sara sterilis erat, vt suæ culpæ, & negligentiæ suam adscriberet infœcunditatem. Dominus enim cupidissimus est spiritualium profectuum vniuscuiuslibet etiam sterilis animæ, quæ Dei ergà omnes curam, solicitudinemque, & quantùm ex ipso proficere posset, ex alijs animabus arbitrari potest, quæ magna per illum spiritus incrementa faciunt,& numerosam ex illo bonorum operum sobolem proferunt.

Seminatori seipsum Christus nonnullibi comparat, & negotiatori, alibi. Patrem suum vinitoris similem facit, quos si de opera,& studio curandi agros, ac vineas æstimare velis, dicere possis, non habuisse nimis magnam agriculturæ peritiam, & experientiam.

Videamus primùm. *Exijt qui seminat, seminare semen*; Lucæ 8. 5. aiebat Christus sator, qui ipsus exijt, vt ipse dispergeret, & humanorum cordium terræ commendaret diuinum verbi sui semen, vt cœlo fructus proferret: *Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & aliud cecidit supra petram, & aliud cecidit inter spinas.* Percunctor hic ego. Si quis agricola perspectas habens & seminis sui qualitates,& terræ conditionem, effunderet illud vel in publicam viam, vel in durum saxum, vel in locum sentícosum,

ticosum, messisq; tempore fruges collectum veniens non inueniret optatam abundantiam, nonné sibi tribuere omnem culpam, & seipsum sui damni autorem censere deberet, qui cùm exploratam haberet eorum locorum ad fructificandum ineptitudinem, nihilominùs illis semen suum ad certum periculum committere voluit? Perspicua, & indubitata res est. Quomodo ergo hìc in terram culpa confertur, adeòque illa etiam pœnæ addicitur, seminator autem exors omnis pœnæ, & culpæ habetur?

Respondet Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 1. *Æterna appetitio desecta est in prædium intelligens.* Multa est inter corporalem, & spiritualem sementem differentia. Quando triticum terræ materiatæ incultæ, horridæ, saxosæ, aut senticosæ commendatur, si non ferat fructus, id illi acceptum fertur, qui talibus in locis seminauit, ille enim, vtpote intellectu præditus, debet attendere, quonam semen suum conijciat, vt sua inde prouentuum commoda referat: Verùm in spirituali semente prorsùm contrà accidit, in qua omnia intellectu valent, hoc est, & seminator, & terra. *Æterna appetitio desecta est in prædium intelligens.* Ager, cui creditur semen, oculos habet, & animam terra, & intellectum fundus, & possessio liberum arbitrium. Proinde si ager, cui committitur semen, est via, id fit, quod se calcari sinat, si est saxum, id fit, quod velit ipse indurescere, si est senticetum, id fit, quod seipsum colere per oscitantiam negligit, ac propterea seminis iactura, ac sterilis messis inde consequens non seminatori, sed agro ipsi ferri accepta debeat, qui cùm oculos haberet, debebat prospicere semini, illudque defendere per ingenij sui facultatem, & per voluntatem reddere fructuosius, & per liberum arbitrium ab interitu seruare. Dùm terra ipsa sibi non desit, ex parte cœlestis satoris nihil vnquàm decedit.

Transeamus ad secundam difficultatem, vbi diuinus Seminator vitem fœcundam se facit, Patrem verò suum solicitum agricolam, inquiens: *Ego sum Vitis Vera, & Pater meus agricola est*; Ioann. 15. 1. Et velut suprà de semine, ita nunc de sarmentis ait: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, Vt fructum plùs afferat*; ibid. v. 2.

Notandum hìc, quòd pius, ac solicitus vinitor omnem curam suam ad palmites curandos, & vel succidendos, vel purgandos conuertit. De hac re sic ait Bulgarorum Archiepiscopus Theophylactus in cap. 15. Ioannis: *Circa quæ occupatus est Pater? nunquid circà radicem? Non, inquit, sed circà palmites.* Quis ille culturæ vinearum vel mediocriter per[illegible] studium, totamq; vigilantiam suam transfert ad sola sarmentosa, vt non simul vitis, & radicis diligentem curam habeat, vnde sarmentis venit, quòd sint pampinosa, læta, fructuosa? Quid ergo sibi vult, quòd Pater totus est in palmitibus vel putandis, ne syluescant, ac luxurient, vel mundandis, vt ampliùs fructificent, & radicis mentionem nullam facit? *Circà quæ occupatus est Pater? Nunquid circà radicem? Non inquit.* Quamobrem verò nulla habetur vitis cura, sed omnis circà sarmenta versatur solicitudo, & industria? Eam ob rem, quod ex parte vitis, quæ Christus est, nihil vnquàm desit, nec vllus sit in radice aliquando defectus, sed sarmentorum, id est nostro vitio accidat, si impigri vinitoris frustretur labor, & expectatio, non ob aliud, quàm quod vitis, & radicis virtute, siue auxiliorum diuinorum adiutorio vti noluimus. Quod enim ad Deum attinet, semper ille præstò, & paratus est nos iuuare, dummodò illius admittere opem velimus.

Apparuit Patriarchæ nostro *in conualle Mambre Dominus in ipso feruore diei*; Genes. 18. 1. posthæc *Venerunt duo Angeli Sodomam Vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis*; Gen. 19. 1.

Qui has duas visitationes diligentiùs examinat, difficultatis aliquid in vtraque offendet. Nam maiore beneficio, & ampliore gratiâ videtur ornatus Abrahã, quàm Loth, non solùm quod ille tres Angelos habuit hospites, hic verò tantùm duos, verùm etiam apud Abrahamum clarissimo die diuerterunt, ad Loth verò sub creperam vespertinam, appetente iam nocte sunt ingressi. Quæ causa huius discriminis esse possit?

Origenes in caten. græca apud Glossam Ordin. in cap. 18. Genes. ait: *Veniunt ad Abraham tres Viri meridie, ad Loth duo Vespere Veniunt, non enim capiebat Loth meridianæ lucis magnitudinem, Abraham autem capax fuit plenum fulgorem lucis excipere.* Quod Angeli duo visitarunt Loth sub ineuntem noctem luce dubiâ, Abrahamum verò in ipso feruore diei, & medio sole (qui cumulatioris gratiæ diuinæ, & beneuolentiæ maioris est symbolum) non hoc factum, quòd languidior esset affectus Domini ergà Loth, sed quia Loth non ita sese præparârat, vt tantum lucis meridianæ splendorem ferre posset, cui par gratia collata fuisset, si se idoneum illi excipiendæ facere studuisset. Non Deo ergo, sed sibi imputare debebat Loth, quòd inferiore loco habit⁹, & minore beneficio affectus fuit: *Non enim capiebat Loth meridianæ lucis magnitudinem.* Verùm Abrahæ ple-

nior lux abundantiore copiâ se infundit, quia ille ampliorem sinum exhibuit, & patentiores fores aperuit, *Abraham capax fuit plenum fulgorem lucis excipere.* Omne ergo ex hominibus impedimentum est, & obstaculum, qui negligunt se diuinis aptare beneficijs, Deus enim omnibus se impertire auidissimè cupit, cupidissimè optat.

Commendabat Dominus noster altissimum illud Altaris sacramentum, in quo ille admirabilissimo, & sublimissimo modo seipsum facit cœlestem animarum victum, & alimoniam. Et quoniam illud dominicæ carnis in cibum datæ mysterium tam nouum videbatur, aiebant ex discipulis eius multi: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire: Ioan. 6. 16. Quod cùm audiret Christus, dicebat ad duodecim: *Nunquid & vos vultis abire?* ibid. v. 68. Tunc Petrus, *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes;* ibid. v. 69.

At si multi discipulorum dixerunt, *Durus est hic sermo*, quomodo Petro æternæ vitæ verba fuerunt, quæ alijs visa saxa, aut si quid saxis durius.

Respondet Euthymius: *Vides quòd verba non erant, quæ præbuerant offendiculum, sed auditorum segnities.* Non in verbis, sed in cordibus quorundam discipulorum erat durities. Si enim Christus lapides locutus fuisset? vt illi calumniabantur, non reperisset in illis tantam suauitatem Petrus. Ergo ex homine venit, quidquid illi malè cedet, non ex bono Deo, qui omnibus semper vult benè.

*Vide secundæ partis Politici lib. 3. cap. 3. Vide etiam Periocham V. Feriæ II. post Dominicam II. Quadragesimæ, To. 1. pag. 161. O.*

## CAPVT IV.

*Vt ne dilatio eorum, quæ petimus, nos affligat, non desideria nostra consulamus, sed vota.*

NOn est nemo, qui accelerationem Saræ arguat, vt quæ liberorum à Deo concedendorum tempus non tam æquanimiter, & humiliter expectare, vt maritus illius Abraham. *Vnâ tantùm re Sara imperfectior fuit Abrahamo, quòd in prole habenda nimis festinauit*, inquit Cornel. à lapide. Non fuit hoc grande scelus, inprimis in muliere morarum, ex natiua sexus conditione, impatientissima, sed veniabilis culpa, ad quam natura nostra humana vehementer inclinat, quæ vehementer angi, statimq; turbari, si non extemplò quod expetit, consequatur. Sed vt præceps hominis impatientia temperetur, quando illius precibus non statim acquiescit Dominus, non subitò annuit precibus, debet considarare non hoc, ad quod à suis desiderijs impellitur, sed meritorum suorum momenta ex pendere, & quid illa valeant, cogitare Sic enim fiet, vt patienter ferat, si non statim, quod cupit, referat, & humiliter se indignum eo, quod petit agnoscat.

Nocte cœnæ consolari volens Dominus Discipulos suos aiebat: *Modicum, & iam non videbitis me & iterùm modicum, & videbitis me, quià vado ad Patrem;* Ioan. 16. 16. Sancti Augustinus, & Chrysostomus, Eusebius Emissenus, & alij aiunt, eo modico significatum illud tempus, quo Christus in passione, in cruce, in sepulchro fuit, & conuersatus cum Discipulis, quousq; ab illis in cœlos ad dexteram Patris redijt.

S. Bernardus inquit, quod anni, quibus Christus sui copiam hominibus fecit, modicum tempus vocentur, id facile captu esse: At quod similiter exiguum tempus censeatur illud quo idem Dominus à suis absuit, cuius horaria absentia totis, ijsque largissimis sæculis prolixior visa illis fuit, quis hoc non miratur: *Modicum, & iam non videbitis me.* Exclamat mellifluus Bernardus ser. 74. in Cant. *Pie Domine, modicum dicis, quod non videbimus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valde nimis.* Quomodo ergo modicum tempus appellauit Christus, cuius singula momenta vnicuilibet Dei amanti animæ longis sæculis paria videri possunt?

Respondet Bernardus: Verbo dicam, quomodo idem & prolixum, & breue: *Vtrumq; verum, & modicum meritis, Et non modicum votis;* velut dixisset: In philosophia Christiana facilè intelligitur, quodmodo eadem duratio longa sit, & breuis, exigua, & modica, larga, & momentanea. Si de tempore, quo Deus non videtur, cùm impetuosis desiderijs nostris communicemus, sæculum videbitur, quantulacunq; sit morula, quæ videre prohibet: Verùm si merita nostra consulamus, dicemus instans esse quodcunque illud tempus, tam exigua scilicet illa sunt, vt indigni simus, qui præsentiâ illius vel vnico momento fruamur: *Modicum meritis, & non modicum votis.* Vt ne ergo nimis proiecti simus ad petendum ea quæ optamus, non tanquàm expetita, aut concupita, sed tanquàm superiora meritis nostris consideremus, sic non videbitur nobis longa mora temporis prolixioris, quo desiderij nostri expletio differtur.

Ingressus fuit Zacharias parens Baptistæ templum.

plum Domini, vt sacerdotali suo munere fungeretur. Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, annuntiauitque, quòd vxor eius paritura esset filium, qui natus Saluatorem præcursurus, & ingens multis gaudium esset allaturus. Et quanquàm Zacharias propter varios cum Gabriele vltrò, citroq; habitos sermones solitò diutiùs tardaret, nihilominùs *erat plebs expectans Zachariam*, Luc. 1. 21.

De hac populi expectatione inquit Theophilactus ità: *Vides quomodo Iudæi expectabant, & permanebant, donec exiret summus sacerdos? At nos Christiani, nisi mox vt ingressi fuerimus in templum, iterùm egrediamur, existimamus malè nobiscum agi.* Tanta erat illius populi ergà suum sacerdotem obseruantia, vt quamuis præter morem ille diutiùs in templo hæreret, patienter eum præstolarentur, ne de tarditate obiurgarent. Nos verò, qui magis nosse debemus, quàm parùm & valeamus, & mereamur, si non statim quod oramus, exoremus, consternamur animo, & tristamur. Simulac submittimus poplites in orationem, optamus, inuenire Deum ibi præsentem, vbi ad precandum adgeniculamur, & cordis teneritudinem, & affectuum inflammationem, & singularem absq; omni euagatione distractionem, & nisi hæc extemplò consequamur, *existimamus, malè nobiscum agi*, & mœrore afficimur. Fit hoc, quia non facimus, quod huc capite consulitur, desideriaq; nostra, non merita consulimus.

Hebræi cùm Messiam Redemptorem mundi vehementer suspirarent, prophetasq; multis cum lachrymis obsecrarent, vt à Patre æterno illum inde submitti expeterent, respondebant ij, citò venturum, qui optatam salutem, & rebus illorum afflictis leuamen adferret.

Pius II. epist. 2. ait. *Citò venturum dicebant, qui annis post quingentis venit.* Sed quomodo *citò venturum dicebant*, qui longas sæculorum non paucorum ætates tardabat! Respiciebant prophetæ non anxia veterum illorum populorum desideria, sed merita, & quoniam hæc perexigua erant, quantumuis tardaret Messias, citò veniebat. Quando Christianus ea, quæ desiderat, cum suis meritis componit, nunquàm tardè illa consequitur, omnis dilatio illi leuis, & breuis, omnis mora suauis, omnis cunctatio tolerabilis videtur.

Rebecca vxor Isaci sterilis erat, vti ante illam socrus eius Sara, & post illam Rachel. Obsecrabat autem magnum in modum pro vxore maritus Dominum, vt eam fœcunditate donaret, de quo Gen. 25. v. 21. sacer Scriptor ista: *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.*

S. Ioannes Chrysostomus ait: Qui hæc apud Moysen leget, fortè putabit, quòd Isaac, quando Deum pro coniugis suæ fœcunditate orauit, statim exorauit, & obtinuit, quod petijt, adeò parum facere ad causam præsentem, quod ea de re hîc commemorauimus. At si diligenter historiam excutias, inquit Chrysostomus, videbis proposito huic nihil congruentius esse posse. Quid verò habet Sacra historia, quod huc tam aptè cadat? Primùm hoc, quòd Isaac cùm quadraginta esset annorum, duxit Rebeccam vxorem. Gen. 25. 20. Alterum istud, quod *sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli* gemelli (ibid. v. 26.) primitiæ fructuum orationis eius. Ex his fit tertium illud, quòd continuos viginti annos in humili sua oratione perseuerauit. Hac de re verba Chrysostomi produco, quæ homil. 50. in Gen. sic habent: *Viginti annis perseuerauit orans, & deprecans Deum, & tunc tandem assecutus est, quod optabat. Si igitur quadraginta annorum erat, quando duxit, sexaginta autem quando peperit vxor, manifestum est, quòd annis viginti perseuerauit orans Deum.* Quid opportunius causæ nostræ esse possit, quàm videre hominem, qui totos viginti annos pro re vna obsecrauit, & non pro qualibet, sed pro liberis impetrandis, quos naturaliter, ac tam vehementer appetere parentes solent? Quis hoc non admiretur? sed quomodo Sanctus Patriarcha tam constanter in vna perdurare oratione potuit? Quià ad lucem suæ indignitatis, & miseriæ petijt, itaq; quamuis non facilè voti compos fiebat, humiliter perseuerabat, & constanter orabat, quamuis non statim exaudiebatur, & viginti anni vix totidem minuta dilationis illi videbantur.

Quando Æneas ad inferos descendit, & vidit columbas in arborem auream se recipientes, quam vt vidit.

*Corripit extemplò Æneas, auidusq; refringit*
*Cunctantem.*

Ità Virgilius lib. 6. Æneid. v. 210. Videtur Poëta non satis memor fuisse eorum, quæ superiùs dixerat. Hîc ait, cunctantem, ac velut repugnantem per vim difficulter detraxit, & auulsit ramum, de quo tamen superiùs dixerat:

*.... namq; ipse volens, facilisq; sequetur.*

Si volens, faciliſq; ſequebatur ramus, quid eſt, quòd reſtitiſſe Æneæ videtur, cùm ille venit, vt à trunco ſuo illum detraheret?

Reſpondet eminentiſſimi Poëtarum optimus interpres Ludouicus Cerda: *Qui obſecro* refringit? *Quod verbum difficultatem indicat. Qui etiam* cunctantem, *cùm dixerit:* Namq; ipſe volens, faciliſque ſequetur? *Nodos iſtos ſoluit attributum illud;* auidus, *etenim quæ vehementer cupimus, etiamſi præproperè fiant, tamen videntur cunctari.* Quanquàm alij dixerant Æneæ, fore vt nullo negotio ſe ab arbore ſua demi ramus aureus permitteret, Poëta nihilominùs affirmat, cunctantem, ac velut repugnantem ægrè refringi, ſiue detruncari potuiſſe ab illo, vt cui omnis mora, alioquin breuis, longa viſa fuit, eò quod magna eius rami cupiditate tenebatur: *Etenim quæ vehementer cupimus, etiamſi præproperè fiant, tamen videntur cunctari.* Itaq; vt conſecutio eorum, quæ orantes petimus, non tarda nobis videatur, ad meritorum noſtrorum, non deſideriorum lucem ea conſideremus.

Per Habacuc Prophetam ait Dominus c. 2. v. 3. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

Videtur hîc in ipſis propheticis verbis eſſe repugnantia. Nam Habacuc ex vna parte ait, *Si moram fecerit*, ex altera verò, *non tardabit.* Et quomodo fieri poterat, vt non tardaret, ſi moram faceret? Aut quomodo poterat moram facere, ſi non tardaret?

Satisfacit huic difficultati mellifluus abbas ſer. 74. in Cant. dicens: *Quomodo non tardabit, ſi moram fecerit, niſi quod ad meritum ſatis eſt, & non ſatis ad votum.* Facilè ergo eſt intelligere hoc ænigma, quod Deum moram facere, ſimulq; non tardare affirmat. Tardat enim deſiderijs noſtris, non tardat meritis, cunctantiùs venit, quàm vellemus, ſed non ſeriùs, quàm mereamur. Vota noſtra concita volant, his procraſtinat Dominus: Opera noſtra languent, & torpentibus, impeditiſq; ſunt pedibus, quare illis maturat, & properat Deus. Vt ergo ſeram obtentionem eorum, quæ optamus, æquanimiter toleremus, figamus oculos in merita noſtra, & non aſpiciamns deſideria. Sic enim fiet, vt grato animo accipiamus, poſtquàm humili corde petierimus.

## CAPVT V.

*Accipere inde iniurias, vnde beneficia aut remunerationem ſperabas, eſt terribile genus tormenti, cui aliud æquale, aut par nullum eſſe videtur.*

CONcepit, ſimulq; cœpit aſpernari Dominam ſuam ancilla, heram, inquam, quæ illi nunquàm expectatum cum ſuo marito connubium procurauerat, & conciliârat: *Concepiſſe ſe videns deſpexit dominam ſuam*, inquit Beatiſſimus Moyſes Gen. 16. 4. Vix animaduerterat hanc ſui contemptionem Sara, quando coniugi ſuo Abrahæ querimonias dedit. Hugo, & Caietanus aiunt, læſam Saram iurè, ac meritò apud maritum de inſolentia famulæ expoſtulaſſe. Cùm enim videret, quàm malas vices illa pro inſignito beneficio redderet, quid mirum, quòd ingentem dolorem in animo eius excitauit tantæ ingratitudinis, tamq; indigni facinoris intuitus? Non enim eſt aliud, quod æquè excruciet, atque ingratitudo illius, cui benefeceris, & ſi iniurias, damnaq; ab illo accipias, à quo obſeruantiam pro meritis, munera pro benefactis expectabas.

Apud Lucam narrat Dominus, quæ mala mundum in agone vitæ ſupremo poſitum excipient, inquiens: *Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis:* Luc. 21. 16. velut dixiſſet: Videte an immanes ærumnæ horribiles dolores ſint futuri, quos dies mundi vltimus ſecum feret. Nam veſtri proditores, & lictores erunt, qui paulò ante fuerant parentes, germani fratres, amici familiares, & ſanguinis, amicitiæq; neceſſitudine, & diuturna conſuetudine arctiſſimè coniuncti, ij vos ad iudices, vt capitis pœnas detis, raptabunt.

Hugo Cardinalis ait: *Hoc ſubditur ad exaggerationem preſſurarum.* Dixerat præſagus omnium futurorum Dominus: *Terræ motus magni erunt, per loca, & peſtilentia, & fames, terroreſq; de cælo, & ſigna erunt;* ibid. v. 11. poſthæc aiebat, etiam illud futurũ, vt neceſſariorum, & cognatorum alij alijs cùm alia mala, tum necem deniq; adornarent. Cur hoc commemorandum poſt illa priora putauerit? Reſpondet Hugo: *Moleſtiùs enim eſt ab eo ſupplicium pati, à quo debuit accipere beneficium, vnde maior erit dolor, quàm ſi extranei hoc facerent.* Poſt denuntiationem famis, peſtilentiæ, & cæterarum calamitatum hoc narrare voluit, quod parentes liberis, liberi parentibus, cognatiq;, & amici maxima mala conflaturi ſint his, quos ornare beneficijs, iuuare prolixis manibus, leuare conſilijs, & auxilijs debebant, vt illius temporis neceſſitatem verbis amplificaret, & miſeriæ magnitudinem indicaret: *Subditur ad exaggerationem preſſurarum.* Nam vt dolorem alicuius benè exaggeres, vt atrocis vulneris eius ſummam enormitatem viuis coloribus expri-

mas; satis est dicere, accepisse iniurias, à quo expectabat beneficia.

Penultimo Octonario Psalmi 118. hunc præscripsit titulum Dauid, *SIN*, quod *latinè dicitur, super Vulnus*, vt ait S. Ambrosius, qui & subdit: *Super Vulnus quid est, nisi medicamentum, quo Vulneris acerbitas mitigatur?* Plagam, de qua hîc loquitur Propheta, dicit esse acerbam, pœnalem, cruciabilem. Videamus nunc, quænam illa tam crudelis, & sæua plaga, quæ sic Prophetam excruciabat, vt cæteros dolores oblitus, huic vni tam magnis, & miserandis vocibus deposceret remedium, velut tolerare illud non posset? Hoc ille statim expressit, dicens: *Principes persecuti sunt me gratis*; ibid. v. 161. velut pluribus dixisset: Eheu quàm intolerabili dolore crucior! Quàm pœnali, & lethali, vulnere affligor! Principes me nihil tale commeritum insectati sunt. Quos Principes dicis, Propheta Sancte? Fortean Philistæos hostes tuos capitales, aut alias barbaras nationes, cum quibus sanguinolentis sæpè prælijs decertasti? Nequaquam. Nam de his non quereret, cùm ab infensis inimicis præter iniurias nihil expectare, aut mihi promittere possim.

S. Ambrosius ait: *Si Veterem repetamus historiam, & Saul, & Absalom Sanctum Dauid persecuti sunt.* Principes ergo, quos persecutores habuisse plorabat Dauid, fuerunt Saul, & Absalom, hic filius, ille innumeris beneficijs deuinctus. Cùm hoc secum reputaret rex pœnitens, clamabat: *Super Vulnus*, huc medicamentum vertatur, huc fomentum adhibeatur, nec enim alius dolor me tam acerbè cruciat, aut alia plaga tam intolerabiliter afflictat, quàm ista. Nullum quippè vulnus æquè pœnale est, ac recipere iniurias, vnde expectabas bonas vices, torqueri eorum manibus, quorum sperabas iuuari beneficijs.

Ad commendationem diuinæ potestatis ait idem Propheta regius: *Scrutans corda, & renes Deus*; Psal. 7. 10 Multi dubitârunt quid emphasis habeat hîc verbũ *scrutari*. Vt varias prætermittã interpretationes, solam eam adducam, quæ apud Sanctum Basilium Magnum in homil. in Psal. 7. sic habet: *Scrutatio propriè est cum omnibus torturis, atq; argumentis inquisitio, quæ à iudicibus adhibetur torturæ admotis, Vt si conscij rerum sunt arcanarum, quæ in quæstione sunt, Vi tormentorum adacti eas prius delitescentes in apertum constituant.*

Obseruemus in his Magni Basilij verbis ista: *Scrutatio est cum omnibus torturis, & argumentis inquisitio*, eaq; huc adhibita, vt quis occultam de operiat, & edicat coactus veritatem. Exponit autem S. Doctor ea verba exemplo Abrahæ, quem Deus varijs cruciatibus, & diuersis tormentis adegerit, vt tectam enudaret, & palam faceret veritatem, inquiens: *Tentatum est cor Abrahæ, an Deum ex tota anima, & ex toto corde diligeret, quando Isaac filium iussus est in holocaustum offerre, Vt planè ostenderet, quàm filium suum suprà Deum non amaret. Huius itaq; cor scrutatione quadam est examinatum.* Voluit Dominus veritatem, quæ in corde Abrahæ latebat in lucem producere, vt omnes intelligerent, quòd Sanctus ille Patriarcha Deum super omnia diligeret, quem plùs quàm proprium filium amaret. Itaq; hunc immolare præcepit, vt si illum obtruncare, quod iussus erat, non dubitaret, ardor charitatis eius omnibus patefieret.

Eoné verò exemplo demonstrasse Magnus Basilius putare potuit, quòd *scrutatio sit cum omnibus torturis inquisitio*? Video quòd Abraham suum filium mactare voluit Deo victimam, sed torturam, quâ ille verum suum ergà Deum fateri amorem coactus fuerit, non video. Quis enim equuleus hic, in quo extendatur? Quibus fidiculis torquetur? Quibus forcipibus concerpitur? Quibus laminis ardentibus adustulatur? Quibus flammis exuritur, vt omnia tormentorum genera subijsse dicatur, qui solum filium ex Deo sacrificare debuit? Hoccinę verò cruciatuum omnium quædam epitome, & pœnarum recapitulatio fuit? Immò fuit, inquit Basilius. Nam quod pater quispiam in eam necessitatem adducatur præcepto cui reluctari non possit, vt filium mactet, sibiq; adeò mortem in illo consciscat, & generis sui vitam in illo radicitùs succidat, per quem transmittere prosapiam ad seros posteros, & longa sæcula cupiebat, *cum omnibus torturis inquisitio est.* Breuiarium enim omnium tormentorum est, præcipere alicui, vt sit rigidus in illum, ergà quem humanus, ac blandus esse debebat, & cumulus omnium cruciatuum est, inde haurire dolores, vnde venire oblectamenta, & nasci gaudia solebant.

Thyatiræ Ecclesiæ Episcopo misit Dominus nuntia, siue literas per manus chari sui Ioannis, in quibus cùm laudasset eius fidem, prædicasset charitatem, commendasset magnã animi in perferendis persecutionibus, & aduersitatibus constantiam, tùm hoc nomine grauiter arguit, & obiurgat, quod permiserit Iezabeli cuidam vafræ, & versutæ, vt docere, officijsque suis, & fictis vaticinijs circumuenire incautos

cautos posset. Illi autem mulieri sæua minabatur supplicia, inquiens: *Ecce mittam eam in lectum*; Apocal. c. 22. vbi scelerum suorum meritas pœnas luat, & dignos cruciatus dependat.

Aretas, Cælius Pannonius, & alij exponunt: *Mittam eam in lectum, id est, ægritudine, malis eam afficiam*, strato illam affigam, ibiq; varijs pœnalibus morbis vindicabo nefanda flagitia, quibus se contaminauit, alios offendit, & scandalizauit. Et non erat cruciatus alius immanior, quo affligari propudiosa illa mulier plecti posset, quàm vt lecto affixa doleret, gemeret, ploraret? Non erant fortè catastæ, laminæ, vngues, plumbatæ, barathra, scorpiones, gladij, quibus excarnificari posset? Lectusné illius equuleus, stratumque ardens craticula fuit? Immò verò, inquit S. Ambrosius lib. 1. de interpellat. Iob. To. 1. *Quid enim ærumnosius, cùm ipse lectus ad communem quietem datus graue vulnus infligat?* Quid acerbius, & intolerabilius, quàm ex illo affligari, à quo refocillari debueras? Quid amarius, quàm inde accipere dolores, à quo delitias, voluptatesque varias sperabas. Itaque Iezabel Orci apostola, vt acriores daret pro sceleribus suis pœnas, & crudeliùs torqueretur, coniecta in stratum suum fuit, vt ibi suspiraret, vbi respirare alioquin poterat, ibi acerbos gemitus ederet, ibi luctuosis eiulatibus aërem impleret, & diris lamentis præ intolerabilibus viscerum, & animi cruciatibus personaret, vbi dulcem somnum capere solita erat. *Quid ærumnosius?* Inuenire dolores, vbi quies aliâs quæratur, reperire pœnas, vbi captare otium, & leuare animum consueueris, *quid ærumnosius?* Quæ excruciatio huic comparari queat?

In hanc rem sic loquitur Hippocrates lib. 2. Aphorism. 1. *In quo morbo somnus laborem præstat, malum est*, siue *mortale est*, vt legit Iuuenalis Leueronus Fesanensis. Ratio autem, ob quam lethale præsagium sit, si ægrotum somnus affligat, ea est ex Galeno, Vallesio, & alijs, quòd somnus ab authore naturæ huc datus sit, vt dolorum intercapedinem faciat, & acerbitatis sensum minuat, & quietem adferat, atque adeò mortalis mali inditium sit, cùm inde cruciatus augescit, vnde venire illius leuamen debebat. Pœnalissimum ergo est ab eo vexari, à quo recreari poteras, & sperabas.

Iudas cùm occasionem, quam efflictim optârat, nactus esset, abijt, vt prodendi Magistri sui negotium cum summis, Sacerdotibus dicam, an scelerum capitibus tractaret, *qui audientes gauisi sunt*, vt est apud Sanctum Marcum c. 14. 11. Vnde verò illis tanta lætitiæ voluptas? Vnde gaudium illud, exultatio?

Euthymius in Marcum ait: *Gauisi sunt non solùm quia ipsum sine tumultu comprehensuri erant, opportunè à Iuda traditum, verùm etiam quòd à suis discipulis odio haberi inciperet.* Quòd iam suis exosus fieret, à quibus amari, & obseruari deberet, hoc tale esse videbant, vt non plurimùm inde dolorem eius non posse augescere præuiderent, hanc ob rem ingenti efferebantur lætitiâ. Et reuerà quid cruciabilius, quàm eos habere infensos, quos pro magnis tuis meritis habere debeas amicissimos, & beneuolentissimos? Quod crudelius tormentum, quàm ab illo referre mala, cui bona multa attuleris?

*Vide Periocham III. Dominicæ infra Octau. Natiuitatis Domini, To. 2. pag. 382. a. o. & loca ad finem adscripta, in quibus fusè hanc rem tractat.*

## CAPVT VI.

*Nulla efficacior vox ad persuadendum scelus, excitandamq; peccandi audaciam, quàm superioris videntis, & conniuentis taciturnitas, & dissimulantia.*

OFfensa, & exasperata Sara grauiter apud maritum suum Abrahamum expostulabat de iniurijs ab ingrata, & arrogante ancilla acceptis, inquiens: *Inique agis contra me*; Genes. 16. 5. nam cùm illius tibi potestatem fecerim, vt inde haberes liberos, illa simulac concepisse vidit, mihi esse iniuria, & non solùm deferre, quantùm heræ famula debebat, sed etiam derogare cœpit, iudicet Dominus inter me, & te.

Notandum hic, quod tametsi Agar dominam suam offenderat, & contempserat, Sara nihilominùs Abrahamum querimonijs appetijt, & ancillam non curauit. Cur hoc? Doctor Angelicus, Nicolaus Lyranus, & Abulensis, quanquam Saræ sua ab Agar probra veniebant, expostulasse tamen cum marito Abrahamo, cuius conniuentia illi fecisse videbatur, quòd tam procax, temeraria, & contumeliosa in heram esset ancilla, cuius petulantiam, & arrogantiam cognoscebat, neque corrigebat: *Non conquerebatur principaliter Sara de Agar*, inquit Abulensis, *sed de Abraham, quia videbat Abraham contemptum Saræ, & dissimulabat.*

Hinc colligitur documentum grauissimum, & vtilissimum Superioribus, & Prælatis, qui subditorum errata vident, tacentq; & dissimulant, & non animaduertunt immania damna, quæ pernitiabili suo silentio, & noxiâ taciturnitate generant. Sanè ad fouenda flagitia, nutriendamq; licentiùs agendi consuetudi-

ſuetudinem non habet melius malus dæmon medium, quàm vt inſpiret Prælatis exitiale illud prudentiæ genus, quâ peccandi acuunt libidinem, dum malè agendi diſſimulant retundere licentiam, tacentesque tacitam velut concedunt ſolutiùs, laxiùs, ac liberiùs viuendi facultatem.

S. Auguſtinus quærit, ſi quis puerum videat in præterfluente ſe lauantem, & oblectantem, cognoſcatque aquæ periculum, quod puer neſciens, inopinatò à ſuperueniente fluctu abreptus ſubmergitur, vtrum is infelicis illius mortis ſit cauſa, qui non aperuit diſcrimen incauto, quod ſciebat. Fortè aliquis, non expectato Auguſtini reſponſo dicat, puerum ipſum ſuæ internecionis ſibi fuiſſe cauſam, & mortis occaſionem. Verùm magnus ille Pater ait, eſſe alium quoque iſtius necis authorem, fluctum alium, qui puerum ante hauſerit, quàm ſorberet aqua. Quiſnam ille fluctus? *Tua patientia illius mors eſt*, inquit ille ſerm. 16. de Verb. Domini ſecundùm Matthæum. Qui vidit puerum adire periculum, cùm iniret aquam, & non illum prohibuit, non auocauit clamore, ſi fortè abſtrahere manu non potuit, ſed diſſimulauit, & permiſit, vt luderet cum diſcrimine, ille primus occidit, ille primus fluctus fuit, qui abripuit: *Tua patientia mors illius eſt.* Qui enim proſpicit damnum, debetque, & poteſt auertere, tacetque, & diſſimulat, ille vires addit malo, & ampliores illi fores, patentioreſque portas aperit.

Propheta regius Pſalmo 49. grauiſſimâ increpatione perſtringit quendam ignauum, oſcitabundum, incurium, laxum, tepidum Prælatum, vt volunt Seraphicus Doctor S. Bonauentura, Michael Ayguanus, Ioannes Bochius, & Titelmannus, & hoc in eo præter alia culpat: *Si videbas furem, currebas cum eo*; ibid. v. 18. Aliqui dicunt, poſſe hæc ſic verti: *Si videbas furem, ſilebas ad eum*, conniuebas, diſſimulabas, quantaſcunque rapinas, & improbitates fieri in Rep. intelligeres.

S. Pacianus epiſt. 3. To. 3. Biblioth. PP. eadem verba ſic legit: *Si videbas furem, concurrebas cum eo.* O quale, quantum verbum, *Concurrebas*! Philoſophis, & Theologis *concurſus* dicitur illa opitulatio primæ cauſæ, quâ ſecundæ indigent, vt agere, & opera ſua producere queant. Id auxilij, quod agentia inferiora indè à Supremo Deo accipiunt, vt in operationem exeant, vocant Concurſum. Hoc communis, & paſſim recepta ſententia habet. Non luceret Sol, non adureret ignis, ſi hic illis concurſus negaretur, ex quo habet ille quòd luceat, & hic quòd vrat. Par eſt de cæteris creaturis ratio.

Accedamus nunc ad rem. *Si videbas furem, ſilebas ad eum.* Prælatus, qui videt ſubditum ſuum perperam agentem, indulgentem vitijs, captum erroribus, & diſſimulat, quid putas apud ſubditum ſuo ſilentio efficit, eum maximè, qui ſe viſum non neſcit? *Concurrebas.* Taciturnitas Prælati conſcij ſceleratæ vitæ ſubditorum, & tacentis, ac conniuentis quidam moralis concurſus eſt, vt audaciùs peccet, & impudentiùs delinquat, & effrenatiùs in omne flagitium procurrat. Itaque tacere, & concurrere ad malefacta, idem eſt, diſſimulareque vitia, tantundem eſt, quantùm fouere. Debet ergo Prælatus ſubitâ obiurgatione negare concurſum, ſic enim ceſſabit error, & non vltra progredietur peccatum.

Statuit Dominus diſcrimen boni Paſtoris à malo, & de hoc ſic ait: *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues*; Ioan. 10. 12.

Illud ſolùm hac in re mouere difficultatem poteſt, quomodò improbus paſtor, ſiue mercenarius fugiat. Certè perpuſillanimus, & ignauus eſt paſtor, quem vnius lupi aſpectus in pedes conijcit. Quomodo ergo malus Prælatus fugit?

Cardinalis Caietanus ait: *Fugit ſilentio.* Fortè hæc mutuatus fuerit Cardinalis à Summo Pontifice, & Magno Gregorio Homil. 14. in Euang. vbi ſic habet: *Fugit, quia iniuſtitiam vidit & tacuit. Fugit, quia ſe ſub ſilentio abſcondit.* Mirus fugiendi modus! Præſentia Superioris valde efficax eſt ad coërcendum etiam diſſolutiſſimos ſubditos. Quapropter illa in Prouerbijs laſciua, & diſſoluta lena, quæ incautum adoleſcentem compoſitis ad perlecebras verbis proritare ad turpem conſuetudinem, & inconceſſam Venerem volebat, hoc illum ariete vel vnicè, vel maximè quatiebat, quod nemo domi ſuæ eſſet, qui voluptates illorum mutuas obiurgando interpellare poſſet, inquiens: *Non eſt vir in domo ſua, abijt viâ longiſſimâ*; Prouerb. 7. 19. vbi Hugo Cardinalis reponit, & exponit: *Non eſt Prælatus in domo ſua*; velut illa dixiſſet: Poſſumus intrepidè indulgere obſcœnis amoribus, & mutuis frui complexibus, abeſt namque Prælatus, & procul abeſt, neq; tam citò redibit. Hic benè uel cæcus, videat abſentiam Prælati, vbi tam prælicenter à ſubditis agitur. Sed quod fugere ſilentio dicitur, non tam facile captu eſt. *Fugit ſilentio, ſe ſub ſilentio abſcondit.* Ex his tamen, quæ hic tractamus, elucent, quæ videbantur obſcura, immò ægrè intelligebantur, quia obſcura. Quando Prælatus coram adeſt, ſubditoſque videt

effundi-

effundi in leuitates, negligere obſeruantiam, diffluere moribus, prætermittere ſua officia, committere quæ non debeant, & tacet, ac mutet, perinde facit, ac ſi fugeret,tergumq; obuerteret,licentiuſq; agendi facultatem illis concederet. Silentium ergo abſentiæ vices agit,& habere Prælatum,qui videat errata, & diſſimulet ea, tale eſt, quale habere inanimam ſtatuam præſentem: *Nam fugit ſilentio,*& ſaxo ſimilem ſe facit, & ligni inſtar, ſubditi enim tam laxis habenis feruntur in vitia, dum illum ſilere vident, quàm liberè peccarent, ſi prorſùm abſens eſſet. Itaque *ſub ſilentio ſe abſcondit*, diſſimulantiâ, & conniuentiâ ſuâ ſe tegit, atque ita ſpatium permittit, vt liberiùs agere, & diffluere, & effundere ſe in omnem licentiam poſſint.

S. Lucas refert, Herodem die quodam ſtatuto ſediſſe pro tribunali indutum veſte regiâ, atque è ſublimi ſolio ſuo concionatum fuiſſe ad populum, dicentis autem verba ab aſſentatoribus tanto plauſu excepta, vt quidam ſucclamarent: *Dei voces, & non hominis*; Act. 12. 22. tanquam dixiſſent: Fieri non poteſt, vt homo ſit, qui pro concione ad nos dixit, ipſe de cœlo Deus huc deſcendit, vt eam tam elegantem, feſtiuamque, & flexanimam haberet orationem. Cùm has adulatorias abſoluiſſet populus acclamationes, *confeſtim percuſſit eum* (Herodem) *Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit*, ibid. v. 23.

S. Iſidorus Peluſiota dubitat hîc acutè, cur Angelus de Herode ſumpſerit ſupplicium, cùm ab ijs magis videatur expetere debuiſſe pœnas, qui Regi ſubblanditi, blaſphemis illis vocibus per turpem aſſentationem acclamârunt. Quid enim peccat, quem alij ſuâ ſponte, & ad ſuam libidinem laudibus extollunt? Cur ergo Domini Angelus Herodis magis ſanguine gladium ſuum cruentauit, quàm adulatricis plebis cruore tinxit?

Reſpondet huic difficultati Iſidorus lib. 4. epiſt. 24. dicens: *Aio id propterea factum, quia ipſe populum non reprehenderit, neque adulationem impiam, & inſanam repudiârit. Nam dum eam acceptauit, etiam ad maiorem ipſos impietatem aſſuefecit, atque erudiuit.* In his premite mihi illa duo poſtrema verba, *aſſuefecit, atque erudiuit*, vt videatis, quantùm Superiorum conniuentia efficiat, illorum enim ſilentium ad peccandum inſtituit, & cùm alij magiſtri loquendo ſcientias tradant, Prælati tacendo malè agere docent, & cùm diſſimulant vitia, flagitiosè viuendi licentiam tacitam, & otium tacentes concedunt.

# CAPVT VII.

*Vt ne reprehenſio ſit infructuoſa, ita inſtituenda eſt, vt peccato deiecto, & proſtrato erectus maneat peccator.*

CVM Abraham exulceratæ animo Saræ iuſtas querimonias audiret, beneuolo vultu illi reſpōdebat: Ego manibus tuis, & poteſtati arrogantem ancillam trado, tu illam, vt libet, habe. Cùm ergo inſoleſcentem famulam pro meritis mulctaret, *affligente eam Sarai fugam inijt*, Geneſ. 16. 6. Sanctus Auguſtinus ait, abſque peccato factum, quòd Sara ſuam ancillam mulctauit, quia non naturæ inimicus, ſed culpæ infenſus erat animus, à quo veniebat animaduerſio, & *in ea ſuperbiam ſalubriter edomabat*, inquit S. Auguſtinus apud Cornelium à Lapide, nec opprimere ſupplicio famulam, ſed perdomare contumaciam cupiebat. Huc debent collineare correptiones, huc ire obiurgationes, vt peccata deijciantur, peccatores autem ſuum ſtatum teneant, quemadmodum medici ea adhibent, quæ infirmitati ſint aduerſa, non quæ noxia ægro.

Propheta regius querebatur ſe arctè circundatum ab hoſtibus, rogabatque ab eis liberari, inquiens: *Exurge, Domine, in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum*; Pſal. 7. 7.

In his illud notandum, quòd Propheta Dominum ad iram inflammare, indignationemq; eius acuere velle videtur, dicens: *Exurge in ira tua* At videamus, quo conſilio velit tam ſtomachoſum exurgere in ira Dominum: *Conſumetur nequitia peccatorum*, inquit ibid. v. 10. Propterea ergo rogabat, vt iracundus ad vindictam erumperet, vt dum pœnas inferret, auferret malitiam, & ſcelera.

S. Ioan. Chryſoſtomus hoc in illis Prophetæ verbis annotauit, dicens: *Vide autem charitate plenam iuſti animam, quomodo quærit, vt peccatum de medio tollatur, non vt ſumat pœnam de inimicis, ſed vt inimici ceſſent ab improbitate.* Hic verò, hic pulcher eſt expetendæ vindictæ modus, hæc ſancta ira, & prudens indignatio, optare, & curare, vt *conſumatur nequitia* peccatorum, perſequi peccata, vt liber euadat peccator. At qui peccatorem impetit, peccatū, illius non eſt Dei ira, ſed mali dæmonis furor, ac rabies: *Quærit vt peccatum de medio tollatur, non vt ſumat pœnas de inimicis.* Hoc Dauid, hoc quiſquis iuſtus quærit. Verùm diabolus facit, quod fulmen, feritque gladium, ſaluam relinquens vaginam. Non vult ille peccatoris emendationem, ſed peccati perſeuc-

perseuerantiam. Ira Dei è contra in peccatum sua spicula intorquet, non in peccatorem.

Veniebat Dominus noster inter mundi primordia redargutum Protoparentes propter transgressionem sui præcepti. Cùmque mulierem varijs pœnis, & ærumnis addixisset, conuersus ad maritum eius, hæc ferè illi magno cum stomacho, ac submorosè dixit: Iussus fueras vnius arboris fructus intactos relinquere. Facilè ab ijs abstinere poteras, cui omnium arborum reliquarum libera copia concessa fuerat. Sed quoniam plus apud te valuit blandiloquentia vxoris, quàm iussio Creatoris, & maluisti me offendere, quàm illam contristare, terra ad vlciscendum tuam præuaricationem tribulos, spinasq; tibi germinabit, & nullam comedes bucceam, quam non magno laborum, & sudoris impendio pararis, ac demum in puluerem, ex quo factus es, solutus redibis. Postquam autem primos coniuges, & generis nostri parentes talibus verbis probè depexuisset, *fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*; Genes. 3. 21.

Oleaster in annot. morali in ea verba sic ait: *Docet locus iste, Prælatos non solum castigare subditos suos ob peccata, sed etiam amoris signa castigatis ostendere, nam etsi peccator castigandus sit, homo tamen fouendus est.* Exemplo ergo Supremi Domini debent *Prælati* inferiores humanitate demulcere subditos, postquã eorum peccata seueriore correptione perculit, sic vt in transgressionem vadat acrimonia obiurgationis, transgressores verò leniat blanda compassio charitatis. Sic nimirùm & Dominus quos primùm acriter increpauit, eos postea humaniter vestiuit, *& induit eos.* Hoc debet imitari omnis Prælatus, vt insectetur vitia, ametque, saluumq; cupiat peccatorem.

Hoc magnus ille Philosophus, & Orator Euphrates agebat, de quo Plinius lib. 1. epist. 10. ista: *Insectatur vitia, non homines, nec castigat errantes, sed emendat.* Fuit ille bonus etiam hoc nomine Philosophus, & Orator, quòd cùm è loco superiore diceret, in flagitia, non capita hominum inueheretur, neque exulcerare flagitiosos, sed reuocare à vitijs studeret.

Ingressus synagogam Christus die quodam Sabbati, inuenit hominem, cui manus arida, obseruabantque Dominum inimici Iudæi, vtrum hunc ægrum tali die persanaret. Cùm facilè videret Christus, quid apud infensos illorum animos ageretur, interrogauit eos, liceretné Sabbatis benè facere, an malè, saluare animam, an perdere. Cùm talia interrogasset, tacebant illi. Quare *circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum*; Marci 3. v. 5.

Videtur hîc Euangelista indicare, duos per id tempus fuisse in animo Christi contrarios affectus, nempè miserationem, & indignationem, iram, & mansuetudinem, austeritatem, & lenitatem. Sed quomodo hæc in vnum pectus eodem tempore cadere simul possunt?

Respondet Cardinalis Caietanus: *Duabus propositionibus vsus est Iesus, irâ contra vitium, condolentiâ ad homines, vt intelligas non iratum sæuiendo, sed condolendo, quod perfectæ virtutis est.* Ex ijs quæ hîc versamus, pronum est intelligere hos duos in Christo affectus. Nam cùm duo sint in homine, puta, natura, & peccatum, ita Christus duo in peccatores spicula iecit, quando *circumspiciens cum ira contristatus est*, vnum miserationis, alterum indignationis, & illo quidem naturam, hoc autem culpam impetijt, *irâ contra vitium, condolentiâ ad homines* vsus. Non aberrat à scopo iaculum, quod sic emittitur.

Propheta regius dicit: *Irascimini, & nolite peccare*; Psal. 4. 5. Hic arripiunt occasionem omnes Interpretes affirmandi, posse esse iram absque peccato, neque hoc tantùm, sed etiam nonnunquam necessarium esse irasci. Propterea Rex pœnitens consulit, vt quando aliter fieri nequit, quin irascamur, saltem citra Dei offensam id agamus. Quare alij vertunt: *Irascimini, & nolite errare.* Sed quid sibi hæc volunt? Id, quod collineanti in scopum dicere solemus, *Vide ne aberres à signo.* Sic nunc ait Propheta: *Irascimini*, sed attendite quonam ira vestra vadat, in quem indignatione moueamini, cùm enim debeatis soli succensere peccato, errabitis plurimùm, si in peccatorem feratur iaculum, in vos enim sagitta resiliet. In hunc sensum ea Psalmistæ verba interpretatur Euthymius in c. 7. Matth. dicens: *Irascimini, & nolite peccare, hoc est, ne irascendo erretis, irâ malè vtentes.* Abuti autem irâ, est succensere peccatori, cùm soli peccato indignari debeamus.

Vt felicem iacturam faciamus Alconem Cretensem dexterrimum sagittarium imitari debemus, cuius filium cùm draco inuasisset, tantâ arte direxit sagittam, vt ea in vulnere serpentis deficeret, & ad filium non perueniret, simulq; & illum perimeret, & hunc seruaret incolumem. Refert hoc post multos alios Ambrosius Calepinus.

Tantundem agere debemus, inquit Mauritius Hilaretus, quoties proximum nostrum culpæ draco spiris

ſpiris ſuis inuolutum tenet, vt quantâ poſſumus dexteritate in draconem intorqueamus iaculum, proximo autem nihil offenſionis adferamus. *In inimicis occide errorem, ſed foue charitatem,* inquit ille in Serm. feriæ 6. poſt Cineres. Qui hoc fecerit, illi feliciter cadet ſuus iactus, proque illius merito in cœlum inuehetur, quod Alconi illi Cretenſi propter interemptum, illæſo filio, draconem accidiſſe apud Manilium fabulatur antiquitas. Voluerunt nihilominùs Veteres commento illo ſignificare, qui ad eum modum irâ vti ſciat, vt peccatum configat, & conficiat, peccatori autem malè non velit, illum tali artificio promereri, vt in cœlo æternùm beatus viuat, poſtquam hic viuere deſijt.

## CAPVT VIII.

*Otioſus homo eſt, & vanâ imaginatione laborat, qui putat omnes erga ſe fore largos, cùm ipſe in neminem ſit prolixus.*

FVgâ proripuit ſe Agar è domo heræ ſuæ, occurritque ei Angelus in ſolitudine iuxta quendam fontem, ac iuſſit redire ad dominam ſuam, cùmque illam de conceptu certiorem feciſſet, præcepit vocare Iſmaelem, poſtquam eum enixa eſſet. Poſthæc de ingenio naſcituri filij prædixit, futurum illum ferum, barbarum, & agreſtem, ac talem, qui infeſtus omnibus omnes ſit habiturus infenſos: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*; Geneſ. 16. 12. Vbi Oleaſter ait in Annot. morali: *Commune eſt, vt omnes aduerſentur ei, qui omnium aduerſarius eſt.* Magna certè ſtultitia eſt, ab eo ſibi omne genus beneficiorum promittere, cui feceris nullum, & inſigniter amens eſt, qui ſperat alios erga ſe fore comes, & vrbanos, cùm ipſe ſit erga omnes tetricus, ruſticus, inhumanus.

Differebat Chriſtus de quadam infructuoſæ ficulneæ parabola, hæc ferè dicens: Plantauerat nonnemo ficulneam in vinea ſua, cùmque toto triennio fructus ab ea optatos nequicquam expectaſſet, ait ad cultorem vineæ: *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* Lucæ 13. 7. velut pluribus dixiſſet: Non ſum ferendo poſthac eam plantam, quæ ſuâ ruſticâ parcitate totam meam denique exhauſit patientiam. Trium annorum longas illi dedi inducias, intrà quos priora facilè emendare errata, & ſterilitatem ſuperiorem poſteriore fœcunditate reſarcire potuiſſet. At cùm prorogatione tanti temporis rectè vti noluerit, reliquum nihil eſt, niſi vt ſecuri deijciatur, ne terram otioſa occupet.

Cardinalis Caietanus ait: *Terram occupat, pro onerat.* Sed quare otioſa ſit terræ planta, quæ otioſa?

Reſpondet Caietanus: *Significatur quod onus eſt terra, ſugens illam, & tamen fructum non reddens.* Quomodo non ſit permoleſta terræ planta, quæ cùm illius auidè ſorbeat humorem, nullum ei rependit prouentum? At quàm elegantia verba: *Sugens illam, & tamen fructum non reddens!* Qui vult alijs totum exſugere ſanguinem, nec quicquam in vicem reponere, qui protensâ manu vult ſemper accipere, nunquam aliquid reddere, næ ille magno faſtidio eſt, & oneri intolerabili. Qui libenter, ac gaudenter admittit munera, debet hilariter remunerare, & qui amat bonas vices, debet reponere.

S. Lucas c. 11. v. 14. ait: *Erat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum.* Sanctus Ioan. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius aiunt, hunc miſerum arreptitium fuiſſe etiam ſurdum: κωφὸς enim *mutus frequenter dicitur, dicitur autem & qui non audit.* Sic illi. Rectè verò idem vocabulum ſignificat & mutum, & ſurdum, nam & idem homo, qui mutus eſt, conſequenter fit ſurdus, quod videre fuit in Sacerdote Zacharia, qui ſimul & loquendi, & audiendi facultate orbatus fuit, propterea enim *innuebant patri* Baptiſtæ, *quem vellet vocari eum,* cùm de nomine illi imponendo cognati deliberarent, qui cum illo nutibus non egiſſent, ſi verbis agere potuiſſent. Lactantius Firmianus idem affirmat. Cui lingua impedita eſt, eius *auditum quoque obſtrui neceſſum eſt,* ait ille lib. de opific. hom. c. 11. ſiue id à natura fiat, ſiue ex accidente aliquo. Sed quid cauſæ eſſe queat, quod cui linguæ vſus ademptus eſt, eidem aurium quoque obturentur meatus.

Reſpondet Lactantius, id fieri, *vt quia vocem emittere non poteſt, ne admittere quidem poſſit.* Quàm elegans ratio! Valdè prouida eſt natura, & peratenta in omnibus rebus ſuis. Itaque ſapientiſſimè ordinauit, vt qui obmuteſcit, mox etiam ſurdus fiat. Officium linguæ eſt, reddere verba, aurium munus eſt, excipere illa. Vt ergo innoteſcat, quàm ſit vbique vigilans, & cauta natura, & quàm egregiè tradat huius capitis doctrinam, vt non expectet mutua officia, qui non reponit, ſic humani corporis facultates, muniaque diſpoſuit, vt quo momento lingua promere verba deſinit, eodem aures illa haurire nequeant, & admittere: *Vt qui vocem emittere non poteſt, ne admittere quidem poſſit.* Ex quo arbitrari licet ſolicitudinem naturæ, quâ nos ad vrbanitatem,

rem, gratitudinemque instituere curat. Quando enim possumus dare, aperit nobis fores, per quas recipiamus, quod erogemus, quando verò volumus admittere beneficia, nec possumus respondere mutuis, obturat nobis portam, vt neque excipere illa queamus.

S. Petrus Damianus Serm. 48. dùm laudat arborem, cuius fructus præstantior, & pretiosior omniū arborum aliarum fructibus, & prædicat lignum ignominiosissimum, & gloriosissimum, sic exclamat: *O crux gloriosa, quæ omnia benedicis!* omnia tuâ benedictione gaudent, non humana tantùm, sed & diuina. Quoties in Sanctissimo altaris Sacramento exprimeris! Tu benedicis Missas, tu consecras omnes actiones, tu agros defendis, tu fruges conseruas, & omnia sospitas, omnes te secum ferre, & habere amant. *O crux gloriosa, quæ omnia benedicis!* Et quid inde efficietur? *O crux benedicta, quæ ab omnibus benediceris!* Benedicis tu omnia, idcircò te vicissim vniuersa benedicunt, laudant, exaltant, plausibusque, & clamoribus celebrant. Nam cùm tu cunctis benedicas, res ipsa loquitur, quòd tibi mutuam vicem rependere cuncta debeant. *O crux gloriosa, quæ omnia benedicis! O crux benedicta, quæ ab omnibus benediceris!* Sic qui vult laudari, debet laudare, & respondere beneficijs, qui cupit alios erga se beneficos,& dare, qui vult recipere.

P. M. Cabrera magnus ex Ordine Prædicatorum concionator in sermone funebri Philippi II. Regis Catholici notauit hoc dignum consideratione,quòd inter eas nationes, quæ omnibus penè rebus, etiam horridis, sordidis, squalidis, serpentibus, dico, bufonibus,ranis, talibusque cultum demissæ adorationis deferebant, nulla tam præcipite, cœcoq; iudicio fuit, (quantùm quidem ex Sancto Augustino, Lilio Gregorio, Natali Comite, Vincentio Cartario, Ioanne Kirchmanno,& aliorum,qui hac de re scripserunt, monumentis colligere licet) vt Morti templum excitandum, honoremq; diuinum exhibendum putaret. Quid causæ esse queat, quòd alijs rebus omnibus, ijsq; tam indignis, venerationis soli vero Deo debitæ tributum depensum fuerit, sola mors eum non habuit honorem? Ratio ea est,quod mors sit aspera, dura, rigida, inexorabilis, nemini parcens,aut deferens,de qua dicere possumus,quòd de Rege Babylonis affirmauit Ieremias c. 21. v. 7. *Non flectetur, neque parcet, nec miserebitur.* Mors nulli gratificatur, nullum suspicit, omnes eodem loco habet, vnoq; pede metitur. Meritò ergo nullus eam coluit, quæ nullum honorauit, nullus ei adgeniculatus fuit, diuinumq; cultum detulit,quæ erga neminem vnquam vrbana, aut comis fuit.

Nam vt Glossa in cap. *Esto,* apud Bartholomæum Cassaneum 1.p. catalog.considerat. 21. ait: *Frustra petit debitum, qui quod debet, non impendit.* Vanè honorem expectat, qui nulli defert, insignisq; est illius stultitia, qui vrbanè secum agi optat, cùm ipse erga omnes sit rusticus, & barbarus.

Dilectæ Sponsæ dicebat ille de Canticis Sponsus: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui;* Cant. 4. 9.

Pulchrè, & appositè inquirit in hæc verba Balduinus apud Godofredum Tilmannum in Alleg. Bibliorum: *Quid sibi vult, quòd in tota pulchritudine sponsæ non vulneratur sponsus, nisi in vno oculorum, & in vno crine colli?* Perdignum admiratione est, quod Sponsus, cùm tam plurima vidisset in Sponsa, quæ cuiuis alteri etiam non ardenter amanti perplacere potuerunt, niueos dentes, aio, & eburneas genas, & nitidam, serenamque frontem,& concinnam, ac festiuam totius corporis structuram, vnus ex toto elegantissimorum membrorum ordine oculus cor illi sauciauerit, & crinis vnus. De crine hîc nihil nunc dicam, solùmque inquiram causam, cur soli oculi Sponsæ,pectus Sponsi, atque animum totum transadegerunt.

Balduinus soluit quæstionem, qui proposuit, dicens: *Oculus quia potest videre, & videri, illex, & index solet esse amoris.* Non gaudent partes corporis reliquæ priuilegio oculorum, qui si spectantur, spectant mutuò,& lætè accidentibus hilariter vicissim arrident. Quid mirum ergo,quòd sint *illex, & index amoris,* fomes, esca, hamus, piscatores alienæ voluntatis? Qui enim respondet beneficijs, & mutuas gratus vices rependit, ille nutrit apud alios amorem, accendit beneuolentiam, & fouet amicitiam.

*Quàm probè Deus nouerit respondere, vt ab illo discat homo parem, mutuamque habere erga alios voluntatem, vide To. 2. Periocha V. Dominica II. in Aduentu pag. 346. e. Vide etiam finem eiusdem Periochæ.*

# LIBER VI. VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Cùm Deus nullum benefaciendi nobis finem faciat, debemus etiam eius cultores, & serui perpetui esse, laudibusq; illius, & officijs semper studere.*

MAgno mysterio factum est, quòd sacer Historicus annos vitæ, quos Abraham habebat, tunc commemorauit, quando narrare voluit, quòd Dominus ei apparuit, atq; vt perfectus esse studeret, imperauit. Vtrumque beatus Moyses sic expressit: *Postquàm nonaginta, & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus; dixitque ad eum, Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus*, Gen. 17. 1. Quid causæ, quòd illa Abrahæ tam longæua, & decrepita senectus tam speciatim exprimitur? Id procul dubio factum, vt nobis sit documento, quòd studium Deo seruiendi, & placendi nunquàm deponere, aut dimittere debemus, tametsi inter illius officia incanuisse nobis videamur. Ætas nulla, quamuis capulo proxima, emeritos senes facit, quantoscunque enim annos in Dei famulatu quis transmiserit, debet omnes in eius ministerio exigere.

Corinthijs, qui de officijs Deo exhibitis plurimùm sibi arrogabant, & blandiebantur, ita scribebat Apostolus 1. Corinth. 4. 8. *Iam saturati estis, iam diuites facti estis*.

S. Ioannes Chrysostomus in his Apostoli verbis pressit illud *Iam*, aitque ex eo æstimare licere, ironicè locutum Doctorem Gentium, inquiens: *Et rectè illud* Iam, *ex tempore ostendens, esse improbabile, quod dicitur, & esse à ratione alienam eorum opinionem*, velut Paulus apertè dixisset: Ludit vos turpiter, ac periculosè vestra imaginatio, quæ facit, vt iam saturos, & expletos, & peropulentos vos putetis. *Insatiabilis enim res est pietas, & mentis puerilis est, existimare, se totum accepisse.* Quàm eleganter dictum, *Mentis puerilis est, existimare se totum accepisse!* Si puerum à domo, quantùm iactus est lapidis, abducas, vel mox fatigatur, vel mundi finem attigisse arbitratur. Si crystallinum annulum illi des, adamantem putat, qui de pretio certare cum amplissimo regno possit, atque vt delicato est stomacho, sic quauis re facilè offenditur. *Mentis puerilis est, æstimare, se totum accepisse.* Qui vnâ eleemosynâ, vnâ corporis verberatione, vno ieiunio arbitratur in supremum pœnitentiæ, & liberalitatis cacumen peruenisse, ne ille puerili est animo, & stomacho, & iudicio, qui tam facilè rem totam confecisse, & omnia se assecutum existimat, neque cogitat, longissimam sibi viam reliquam esse, quantumcunque progressus fuerit.

Quod ficus sit symbolum, & hieroglyphicum Ecclesiæ, id communis tractatorum sacræ scripturæ sententia habet. Affirmant hoc Ioannes de S. Geminiano, Petrus Berchorius, Lauretus, Ricciardus. Et. S. Ioannes Chrysostomus in cap. 24. Matth. Op. imperf. sic ait: *Semper ficus Ecclesiæ simulatur*. Quid habet ficus, vt figura fidelium esse possit? Quid nos suis natiuis proprietatibus docet?

Constantinus Imperator l. 10. de agricult. c. 25. ait: *Scire expediens est, quòd senescens ficus fertilior euadat*. Arboribus cæteris prolixior ætas adfert sterilitatem, sic vt minuantur fructu, dùm augescunt annis. Ficus è contrario quò annosior, eò feracior efficitur, *& senescens fertilior euadit*. Cùm ergo ficus sit hieroglyphycum Ecclesiæ, siue fidelium, & seruorum Dei, genitali illâ suâ conditione mysticè eos monet, vt illius instar pariter annorum numero, & fructuum copiâ augeantur, & quò sunt longæuiores, eò sint vberiores, & fœcundiores, & cùm sunt à graui senectute incurui, sint ad omne opus Dei agiles, & expediti. Nam cùm Deus nunquàm benefacere nobis cesset, etiam nos ab illo colendo desistere nunquàm debemus.

Propheta regius inter gratam à Deo acceptorum beneficiorum recordationem hæc ad illum humiliter aiebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*; Psal. 118. 32.

S. Ambrosius apud Franciscum puteum Carthusianum ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri vt bonus equus*, qui cùm ex Zephyro sit natus, celeritate illum superat. Ergo generosi, & animosi equi similis debet esse seruus Dei. At quænam illæ notæ, quæue insignia, vnde bonus equus agnosci possit?

Dion Cassius Vticensis lib. 6. agricult. cap. 2. ait: *Boni equi hæc nota est, quando stans impatienter tolerat*

*rat quietem, & terram pedibus pulsans, cursum meditatur.* Hoc mutuari ab equo, illamque eius conditionem imitari famulus Dei debet, vt omnem impatienter ferat in via virtutis, & stadio pietatis quietem, & semper ad anteriora extendere seipsum, & incitare veræ gloriæ fidorum, generosorumque seruorum Dei cupiditate studeat ad currendum per semitam sanctitatis, & perfectionis. Qui enim otium, vacationemque amat, qui non curat, vt currat, qui non ad maiorem semper virtutis perfectionem anhelat, non meretur hanc appellationem, vt *bonus equus* dicatur.

S. Cyrillus Alexandr. Apologorum moral. lib. 1. cap. 1. (hic enim illorum Apologorum moralium Author, vt contendit Cornelius à Lapide, non alter ille Hierosolymitanus Cyrillus) obseruauit mysticam prouidentiam sacri Authoris naturæ, qui in admirabili humani corporis structura organa potentiarum, & sensuum in parte anteriore, non à tergo posuit. *Nihil organorum nostrorum natura post, sed ante tantùm composuit,* inquit ille. Videre hoc licet in oculis, olfactu, gustu, auditu, manibus, pedibus, cæterisq; vitalium operationum instrumentis. Quidnam verò secretâ istâ, solerteque constructione docere nos voluit?

Respondet Cyrillus: *Vt in virtutis actibus non retrocedentes, immò semper procedentes crescamus.* A fronte, non à tergo posuit sentiendi omnia instrumenta supremus Opifex (qui tam prouidè, ac sapienter corporis humani partes omnes disposuit, ac digessit) vt nos tacitè, ac secretò moneret, in pietatis, & sanctitatis itinere semper progrediendum esse, nunquàm retrò abeundum, sic vt virtutum copias abundãtiores insatiabiliter semper appetamus, & suspiremus: *Vt in virtutum actibus non retrocedentes, immò semper procedentes crescamus.* Hæc est bona, & præclara Deo seruiendi, & placendi ratio, semper currere, nunquàm subsistere in curriculo nostræ salutis & profectus, quantùm fieri potest.

S. Paulus Apostolus cùm cerneret quàm venenosus sub viridi humanæ cupiditatis herba lateret anguis, scribebat discipulo suo Timotheo, vt omnes ad illius contagiosæ, & exitialis pestis fugam, deuitationemque solicitè adhortaretur, inquiens: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua;* 1. Timoth. 6. 9. Quid est incidere *in desideria multa?* Respondet Primasius Vticensis: *Nunquàm diuitiarum desideria satiantur,* adeò cupiditates, & appetentiæ aliæ ex alijs nascuntur.

Subiungit statim Paulus: *Tu autem, ô homo Dei hæc fuge, sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam;* ibid. v. 11. Primasius ait, hoc esse eiusmodi, ac si apertiùs dixisset: *In his diuitijs cupio te esse locupletem.*

Notandum, quòd Apostolus è regione ardentis desiderij, mundanarum diuitiarum constituit flagrantem cupiditatem bonorum cœlestium, præcipitque Timotheo, vt hæc summo studio, & totâ ingenij, viriumque contentione ambitiosissimè, studiosissimèque sectetur, huc proram suam dirigat, huc vigilantiam suam, ac diligentiam omnem vertat: *In his diuitijs cupio te esse locupletem.* Vt enim *nunquàm diuitiarum desideria satiantur,* sic nunquàm satisfecisse putare debet Christianus, quantoscunque in via pietatis, & semita virtutis progressus fecerit. Quantumcunque auctus copijs spiritualium opum fuerit, semper cœlesti hydrope, religiosâ siti, piâ fame plures, pluresque appetere, & opulentiores thesauros cupidissimè, & auidissimè optare debet.

Nocte cœnæ dicebat Christus charis Discipulis suis: *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli;* Ioannis 15. 8.

Postrema huius sententiæ verba multam habent difficultatem. Nam cùm discipuli Christi iam adscripti collegio illius essent, quomodo cœlestis Magister aiebat, in magnam æterni Patris sui gloriam redundaturum, si discipuli sui efficerentur, tanquàm nondum effecti, & in contubernium illius nondum admissi fuissent?

Occurrit huic difficultati Cardinalis Caietanus, inquiens: *Bene nota, quod de existentibus iam discipulis suis dicit,* efficiamini mihi discipuli, *quod est alterum hic significatum, vt intelligamus, perseuerantiam manendi in Iesu consistere in continuo effici eius discipulum, hoc est, continuo profectu sub disciplina eius.* Volebat ergo Christus discipulos suos tam strenuos esse operarios, tam indefessè colere Deum, tam impigrè curare, quæcunque ad Patris gloriam, & animarum vtilitatem promouendam spectarent, & omnis pietatis studijs tam continuò, ac pertinaciter immorari, vt hinc æstimare illos discipulos Domini possent, quicunque tam gnauos viderent. Cedat autem ad honorem Patris singularem ingens illud Apostolorum seruiendi ei studium, & placendi cupiditas insatiabilis, quicunque enim eos videbat tam inhianter vacare illius officijs, cogitare debebat, dignum esse tali famulatu Dominum, cuius minimum

mum beneficium nulla officia humana, vel si æterna forent, exæquare possent.

*Vide partis secundæ Politici cœlorum lib. 1. cap. 5. & loca ad finem illius Capitis adscripta, Vbi simile argumentum magis disertè tractat.*

## CAPVT II.

*Inexplicabilia, & innumera sunt commoda, quæ animæ confert Dei memoria, & recordatio illius continua.*

HOrtabatur Dominus Abrahamum, vt curaret esse valde perfectus, & consummatus, vtque illorum finem assequeretur, hanc illi vtilissimam industriam suggerebat: *Ambula coram me*; tanquàm dixisset: Fac mei semper memineris, nunquàm è memoria elabi me sinas. Et quid tum? *Esto perfectus*, siue euades perfectus, cùm me fueris perpetuò recordatus.

Ad hunc modum exponunt illa Hugo, & Caietanus Cardinales, Oleaster, Honcala, & Abulensis, cuius sunt, quæ subijcio: *Ambula coram me, id est, sic ambula in Vna conuersatione morum, Vt si me coram te semper Videres. Et istud est præcipuum, quod hominem tollit à peccato, scilicet continua memoria de Deo in actibus nostris.* In his expendendum, quod ait, Dei præsentiam esse præcipuum, quo à peccatis auocemur. Illius iugis recordatio aphorismus est, quem nobis Patres spirituales tradunt ad acuenda nostra ergà Deum studia, excitandamq; torpentem nostram illi seruiendi, & placendi, cupiditatem.

Confitebatur Propheta regius enorme suum, & pessimi exempli flagitium, multisque perfusus lachrymis hæc Domino, quem grauiter offendisse, & exasperasse sciebat, inquiebat: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*; Ps. 50. 6. quod ad me attinet, Domine, fateor atrociter tuam prouocasse clementiam.

Multi aiunt, Prophetam scelerum suorum pœnitentem voluisse ijs verbis, *Malum coram te feci*, exaggerare culpæ suæ grauitatem. Qui enim se Dei tunc recordatum fatetur, cùm in illum peccauit, offensæ suæ immanitatem valde amplificat. Et si in quemuis alium regem præsentem delinquere, est circumstantia plurimùm aggrauans culpam, insolentissima certè inuerecundia est, coram suprema illa maiestate imprudenter, prælicenterque agere. Quòd ergo Propheta pœnitens coram Deo malũ fecisse dicit, eâ confessione magnitudinem præuaricationis suæ indicare voluisse videtur, quæ hinc vehementer aucta fuerit, quòd ipsos ob oculos Dei præsentis perpetrata.

Benè hoc habet. Verùm Origenes Adamantius vult, ea verba fuisse hominis grati, & agnoscentis immensam Dei offensi ergà se clementiam, & benignitatem. Ergonè Dauidi ex eo, quòd coram Domino malum fecit, bonum aliquod nasci potuit? Aut vtilitatis aliquid adferre, quòd illo præsente peccauit? Potuit, inquit Origenes. Quid verò commodi inde habuit? Illud, *Tibi soli peccaui*, illud, vt veræ contritionis actum eliceret, eoque culpam omnem oblite-raret, totamque noxam aboleret. Recordatio enim Dei, illiusque præsentia occasio fuerunt, vt expeditiùs à prolapsione sua resurgeret, commissorumque scelerum pœnitudinem faciliùs conciperet.

Accipite Origenem hom. 11. in Exod. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Quid ergo. Plus habet, qui malum coram Deo facit? Illud profectò, quòd continuò pœnitet, & dicit, Peccaui.* Quando homo pro arbitrij sui improba licentia vult diuinæ illi maiestati esse incurius, & debitam prætermittere obseruantiam, suaueque supernæ legis excutere, aut abijcere iugum, ex magna eiusdem clementia, & misericordia fit, quòd inter media scelera, & impia flagitiosæ vitæ studia memoriam illius, quem offendit, non abijcit, quamdiu enim illius recordamur, spes certa nobis manet reliqua, quòd illum per lachrymas placare, & redire cum ipso in gratiam per pœnitentiam, poterimus.

Caino sua cordis durities, & animi obstinatio inde venit, quòd *egressus* est *à facie Domini* (Gen. 4. 16.) obliuione perpetuâ illum in corde obliterauit. *Qui discedit à conspectu Dei, nescit conuerti, & peccatum pœnitendo purgare*, inquit rursùm Origenes. Vt cognoscamus Cainum in finali impœnitentia decessisse, damnationemque incurrisse, id nobis sufficienti argumento esse potest, sic vt non egeamus alio, quòd *egressus à facie Domini* dicitur, quòd Dei præsentiam à se abdicauit, quòd illum è memoria sua abiecit, adeòque omni felicitati suæ fores oppessulauit, & obturauit. *Hoc ergo interest* (ita pergit Origenes) *malum coram Deo facere, & à Dei conspectu discessisse peccantem*. Tale hoc est, quale si dixisset: Videte quantùm intersit inter hominem obliuiosum Dei, & memorem illius. Qui Deum præsentem habet, quemadmodùm Dauidi accidit, habet etiam tunc, cùm peccat, magna subsidia, quorum ope faciliùs emergere è cœno peccatorum, & euadere culpas possit. Non habere autem Deum præsentem est tam graue supplicium, tam magna ira offensi Dei, vt

videa-

videatur omni salutis remedio destituere eum, cui recordationem suæ præsentiæ adimit.

At si præsentia Dei tam vtilis est ad euadendum è peccato, & ad excitandum dolorem de perpetratis sceleribus, vtique validum frænum erit ad coercendum à malè agendi libidine animum, si illum sæpè, ac studiosè recogitet peccator, & cogitet omnibus actionibus, verbis, cogitationibusque intimè præsentem esse. Nam vt Oleaster in c. 17. Gen. in annotat. morali ait, *Si rex, aut magnus Dominus astaret operibus tuis, aut verbis, auderesne facere, aut loqui aliquid turpe, aut inhonestum? Minimè, immò neque mussitare.* Multa sunt, quæ ne coram puero quidem paulò adultiore dicere, siue agere audeas. *Hoc ipsum de Deo tuo cogita,* inquit rursùm Oleaster, ac si dixisset: Si humana maiestas, si potestas sæcularis caduca, & peritura tantam habet autoritatem, & reuerentiam, vt dissolutissimum cohibere, & præcipitantissimum infrænare queat: Quid non poterit ad compescendam peccandi libidinem facere præsentia summi Dei, qui nos & creauit, & redemit?

Quare S. Ignatius aiebat, præsentiæ Dei recordationem sibi vnicum semper visum remedium, quo homo contineri in officio, & permoueri possit, vt prauas appetentias suas coerceat, & perdomet passiones. *Memento Dei, & non peccabis,* inquiebat ille epist. 3. recordare illum, & non offendes, Dei enim præsentia, tanquàm fortissimo retinaculo à peccando homo impeditur.

Postquàm Arca illa sacrum Iordanis fluuium pertransijsset, & aquæ illius, velut ad reuerentiam imperialis maiestatis, quam Arca repræsentabat, de via cessissent, ad sempiternum tam prodigiosæ vrbanitatis monumentum præcepit Dominus duodecim lapides ex ipso fluuio exemptos erigi, de quo Iosue cap. 4. v. 20. sic dicitur: *Duodecim lapides, quos de Iordanis alueo sumpserant, posuit Iosue in Galgalis.*

Hîc illud mouere quemuis potest, quòd Dominus præcepit excitari lapides, (quamuis ad illius portenti memoriam) cùm probè sciret, ac pernosset, qualesnam essent, quibuscum agebat, quàm procliues, & præcipites ad idololatriam, qui tam leuiter à vero Deo abduci ad cultum deastrorum sinebant, vt omnes illi sculptas, pictasque adimere imagines debuerit, quò idololatrandi occasionem auferret. Cùm ergo periculum esset, ne tales lapides superstitiosè colendos putarent, cur erigi illos imperauit?

Respondet Abulensis: *Præsente Iosue non erat talis præsumptio.* Tanta erat Hebræorum ergà Iosue ducem suum obseruantia, vt illo præsente non ab idololatria tantùm, verùm etiam ab omni talis flagitij discrimine procul essent, nec quisquam metuere posset, ne in eiusmodi scelus cœcâ prolapsione corruerent. At si de hominis præsentia Dominus existimauit, posse per eam ab idololatriæ vitio coerceri homines ad hoc sceleris alioquin valde propensos, adeòque lapides illos tutò erigi: Quomodo summi Dei nostri præsentia non multò validius frænum erit ad cohibendos quoscunque prauos, etiam vehementissimos appetitus? Quis enim ausit magnum illum Imperatorem offendere, qui illum vbique præsentem, & secretissimos quosq; cogitatus inspectantem cogitat?

Marcus Tullius Cicero Quintum fratrem suum perfectum in dicendo, & perpolitum, moribus etiam, & honestis actionibus egregiè excultum cupiebat, vtque res ea ex voto eueniret, dicebat illi: Vt desiderio meo, & optatis fruar, *id facillimè facies, si me, cui semper vni magis placere voluisti, tecum esse semper putabis & omnibus rebus, quas dicis, & facis, interesse.* Si efficacissimum putauit Cicero remedium componendis ad omnem honestatem moribus sui fratris, quòd se omnium dictorum, factorumque arbitrum, inspectoremque cogitaret, quantùm non faciat Dei præsentia, quamq; potenter permouebit eos, qui illius habent iugem memoriam, vt ad amussim mandatorum ipsius suam vitam instituant?

Magnus Philosophus noster Seneca tali industriâ, & doctrinâ vsus est apud Lucillum, cùm ad veram nobilitatem, & homine ingenuo dignam probitatem instituere illum volens epist. 11 sic scribebat: *Prodest sine dubio custodem tibi imponere, & habere, quem respicias, quem interesse tuis cogitationibus censeas. Aliquorum te autoritate custodi, siue Cato ille sit, sit Scipio, siue Lælius, aut, cuius interuentu perditi quoque homines supprimerent vitia.* Tale quidpiam consulere possumus cuiuis sui spiritualis profectus cupido, nempè vt Petrum, Paulum, Ioannem Baptistam, Basilium magnum, Hieronymum, aut alium talem quempiam ob oculos habeat, suisq; interesse factis, & cogitatis censeat, & austeræ pœnitentiæ, quibus illi diuturnam, ac strenuam operam dederunt recordatione sese ad asperioris vitæ amorem inflammet. Talium enim virorum præsentia, & recordatio excitat desiderium virtutis, & quasi impactis calcaribus impellit ad studium perfectionis. At si hominum sanctorum viua memoria tam efficaciter mouere animum recordantis ad pietatem potest, quid non faciet præsentia illius, qui est sanctus sanctorum, & rex omnis maiestatis?

In

In horum consideratione erat S. Ioannes Chrysostomus hom. 8. de resurrect. To. 3. quando aiebat: *Illud Apostolicum munus assequamur, vt præsentem Deum habeamus*; velut dixisset: Magno studio, & quàm possumus enixè Deum oremus, & obsecremus, vt eâ nos gratiâ donet, quâ suos Apostolos olim ornauit. Quam gratiam dicis? Fortean variarum linguarum donum? Aut excitandorum mortuorum, aliorumque miraculorum patrandorum virtutem? Nihil horum, inquit Chrysostomus, sed illud, *vt præsentem Deum habeamus*. Hoc ardentibus votis, multisque cum lachrymis etiam, atque etiam rogare debemus, vt nunquàm Dominus à memoria nostra discedat, atque ità partem felicitatis Apostolicæ consequamur. Vt enim quis vitam Apostolicam imitetur, videtur nullâ re aliâ egere, quàm vt Deum semper coram habeat: *Illud Apostolicum munus assequamur, vt Deum præsentem habeamus.*

## CAPVT III.

*Cùm fieri non possit, vt quis habeat huius vitæ gloriam simul, & futuræ, necessum est in hac vita seminare lachrymas, vt metamus lætitiam in futura.*

QVod noster Vulgatus textus habet, *Ambula coram me*, id S. Ambrosius transtulit, *Emerere coram me*, mach dich wolverdient bey mir / labora, suda, qui enim optat quietem, debet ante subire defatigationem, & qui desiderat gloriam, debet priùs tolerare ærumnam, fieri enim non potest, vt quis & præsentem habeat, & secuturam gloriam, ac quietem. In hanc rem sic dicebat olim S. Hieronymus lib. 2. epist. 37. *Difficillimum, & impossibile est, vt quis præsentibus, & futuris fruatur bonis, vt & hic ventrem, & ibi mentem impleat, vt de delitijs transeat ad delitias, vt in vtroq; sæculo primus sit, & in cælo, & in terra, appareat gloriosus.* Non potest esse mutuum istarum gloriarum contubernium, nec vnum eas commune capit hospitium. Quare videat homo Christianus, quænam sit optabilior, & conducibilior gloria, & pro ea, quam suspirat, strenuè laboret, nam vt ex otio temporali ad quietem æternam perueniat, fieri non potest.

Propheta Ezechiel describit modum ingrediendi, & egrediendi, quem seruari volebat Dominus ab his, qui per dies festiuos templum religiosi cultus gratiâ petebant, dicens: *Cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini in solennitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ, porrò qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis, non egredietur per viam portæ, per quam ingressus est*; Ezech. 46. 9.

Digna notatu, & plena mysterio cæremonia! Quid enim referebat, quòd per eandem portam quis exiret, per quam egressus fuerat? Nescio quid incommodi adferre res illa potuerit. Si spiritualem superioris præcepti sensum, cum Petro Berchorio persequamur, & quid mysticè significet, scrutemur, inueniemus opportunum nostræ institutioni documentum. Aquilo (quod & alibi diximus) propter suam asperitatem, & vim frigorum est symbolum ærumnarum præsentium, meridionalis autem ventus propter suam lenitatem, & placidam mititatem figura est quietis, & vacationis. Quòd ergo Dominus mandauit, vt qui per portam Aquilonarem, per angusta calamitatum, & aduersitatum huius vitæ ingrederetur, exiret per Meridionalem, id factum, vt doceremur, eum qui in hac vita intrat per portam laborum, defatigationum, & miseriarum, egressurum per portam quietis, & gloriæ in vitam futuram, è contrà eum, qui in hac vita intrat per portam deliciarum, voluptatum, & oblectamentorum præsentium, exiturum per portam Aquilonarem tormentorum, cruciatuum, suppliciorum. Per eandem portam pedes efferre, per quam intulerit, nemini conceditur: *Non reuertetur per viam portæ, per quam ingressus est. Impossibile est, vt de delitijs transeas ad delitias.* Duplici gloriâ nullus gaudere potest, nec vlli duplicis otij, hoc est, præsentis, & futuri priuilegium concessum fuit?

Nam vt Petrus Berchorius in allegorica eius loci expositione ait, *non est decens, immò & communiter impossibile, quòd de Aquilone ad Aquilonem ventas, id est, de paupertate ad paupertatem, nec quòd de meridie ad meridiem, id est, de mundi gloria ad gloriam cæli post accedas.*

Theophrastus lib. 1. de caus. plant. cap. 25. de oliuis aliquid affirmat, quod crebro experimento didicerit, inquiens: *Euenit, vt cùm oleæ benè germinant, malè fructificent, cùmque benè fructificant, male germinent.* Huius rei causam præsenti instituto aptam mox subiungit clarissimus Philosophus, dicens: *Tanquàm natura vtriq; satisfacere parti non valeat, sed necesse habeat absumere alteram, vt alteram faciat.* Si ergo quæras, qui fiat, quod malè germinent oleæ, quo anno fructificant benè, respondebit Theophrastus, id inde venire, quòd non sit tanta naturæ vis, & facultas, vt tribuere vtrumque simul pingui arbori illi queat. Nimia gloria foret, si olea eodem

anno & luxuriaret germine, & copiâ fructuum abundaret. *Vtrique satisfacere parti* natura cùm *non valeat, necesse habet absumere alteram, vt alteram faciat.* Hoc ipsum dicere in causa præsenti possumus. Qui otio in hac vita multo fruitur, potest multos in secutura timere cruciatus, & qui hic patitur crebras miserias, potest à morte plurimam expectare gloriam. Stultum namque est, vtrumque simul otium, & gaudium, præsens, inquam, & futurum expetiisse, ducere in bonis dies vitæ huius, & velle æternùm videre voluptatem domus Dei, qui non vult vtrique satisfacere parti, neque tantâ hominem cumulare gloriâ. Qui futuram vult certò assequi, debet præsentes à se abdicare, quam potest multas commoditates, necessumq; habet, *absumere alteram* lætitiam, *vt alteram faciat.* Itaq; qui volens præsentem contempserit gloriam, ille inueniet futuram.

Si quis sanctum Petrum Damianum interrogasset, quem hebdomadæ diem ageret, quantumque ab illo dies mundi supremus abesset, respondisset, se diem Veneris, seu feriam sextam agere, & hūc diem proximè sequi diem iudicij, nec alium esse medium amborum. *Tota hæc vita sexta feria est*, inquit ille serm. 48. *quia videlicet crucem post Dominum baiulare iubemur.* Die Veneris sospitator generis nostri in crucem actus obijt. Dies Veneris est omnis huius vitæ dies Passioni, & cruci ferendæ destinatus, in quo laborare, & sudare oportet, vt ab illo transeamus ad Dominicum diem resurrectionis. Qui hæc vult inuertere tempora, & ex die operoso facere feriatum, & præsentem habere gloriam, & futuram consequi lætitiam, ille spe suâ frustrabitur, & aliud, quàm expectabat, inueniet. *Si præpostero ordine nunc sub carnis lege viuentes quasi Dominicam diem ducimus, procul dubio postmodùm non gaudium gaudio, sed tribulatione mutamus*, inquit idem ille. Qui per totam hebdomaden vacat à labore, ille die festo ieiunabit. Homo enim iners, qui per dies operosos vult se omni genere voluptatum per otium oblectare, non potest diebus festis gaudere suauitate quietis. Tot namque dies feriati esse nequeunt. Multis diebus operosis laborandum est, vt vno festo quiescere valeas, *Non gaudium gaudio mutamus*, neque conceditur ab vna quiete transire ad alteram.

Plinius aiebat, autumnum serenum esse hyemis asperæ optimum prognosticum: *Autumni serenitas venturam hyemem facit*, inquit ille lib. 18. 35. Etiam in rebus naturalibus videtur nobis Deus indicare, quid in moralibus eueniat. Disponit enim Vniuersitatis conditor ad eum modum tempora, vt non velit alijs alia succedere, nisi quæ diuersas, aduersasque habent qualitates. Itaque ex illius institutione, & ordinatione frugiferum, atque ob id gratum autumnum sæua hyems excipit, vt tranquillitatem tranquillitas, vernaque aura auram similem, & æstatem æstas per manus ducat, fieri nequit: *Autumni serenitas venturam hyemem facit.* Gaudesne in hac vita varijs corporis oblectationibus, & inter carnis voluptates, ac delitias autumnum huius temporis transmittis? Infelix auspicium, malum omen. O quàm atrox, & immitis cruciatuum hyems te manet! Quàm acres pœnæ, & immania tormenta te expectant! Fieri enim non potest, vt quis duas habeat glorias: *Impossibile est, vt quis de delitijs transeat ad delitias*, inquiebat beatus Hieronymus.

Aptè ad hanc rem pinxit Alciatus Hispanus in suis emblematibus lib. 2. emblem. 23. duos mūdos, superiorem, & inferiorem, cœlum, & terram, cum hac adscriptione: *ALTERVM DEBET ESSE*, nimirùm vt vel hoc fruaris, vel altero, vtroque enim gaudere nemo potest. *Impossibile* namque *est*, quod ex Hieronymo diximus, *vt quis & in cœlo, & in terra appareat gloriosus.* Quare laboremus in hac vita, vt consequamur beatum otium futuræ, cùmque omnes nobis dicant, fieri non posse, vt fruamur vtroque mundo, præsenti nimirùm, & futuro, seminemus hîc lachrymas, vt ibi metamus gloriam.

*Vide partem secundam Politici cœlorum infrà lib. 6. cap. 8. & alia ex prioribus Tomis loca ad calcem capitis illius adscripta, quæ idem argumentum disertius tractant.*

## CAPVT IV.

*Dummodò habeamus Deum contentum, & beneuolentem, non est cur hominum dicta, factaque curemus.*

Dicebat Dominus amico suo Abrahæ: *Ambula coram me, & esto perfectus*; quod ex Guilielmi Papinij, Ioannis Cluniacensis, & Bernardini de Bustis expositione tale est, ac si dixisset: *Mihi solùm attende, cæteros non cures*, labora vt mihi placeas, hominum gratiam bonam, malamué susque deq; habe. Nam si iustam offensæ causam nemini præbeas, hominum iudicia, dicta, facta contemnere potes, & benè contentus viuere, dùm me contentum modò habeas, tuaque studia mihi probari scias. Ego enim sum Dominus tuus, ego iudex. Si per me absoluaris, parum refert, quòd totus mundus te condemnet, si ego tua opera habeo grata, aliorum dicteria, & murmura, & obtrectationes ne cura.

Regius Propheta Dauid cùm secum reputaret, quàm sit graue, ac molestum peccati mortalis pondus, putabat, parem illius felicitati non posse in hac vita esse aliam, qui postquàm Dei maiestatem lethaliter offendit, noxarum suarum indulgentiam, & scelerum gratiam per compunctionem consequitur. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, inquit ille Psal. 31. v. 1. Tum v. 2. subiungit: *Beatus Vir, cui non imputauit Dominus peccatum.*

S. Petrus Damianus serm. 52. notauit cautionem, quacum coronatus Propheta locutus est, cùm *imputauit dixit*, *non fecit*. Beatum ergo pronuntiauit pœnitens Dauid non eum, qui non perpetrauit, sed cui non imputauit Deus peccatum: *Qui enim peccatum non fecerit, non est nisi Vnus, & hic Filius Dei.* Si hominem quæras, qui nullo vnquàm se contaminauit piaculo, inter omnes posteros Adæ solùm reperies Christum, eiusq; Matrem, quorum ille per naturam, hæc per gratiam exors culpæ fuit. At si non est homo, qui viuat, & non peccet, si nemo purus est sceleris, quid sibi vult illud Dauidicum, *Beatus Vir, cui non imputauit Dominus peccatum?* Ex S. Petri Damiani commentatione hic subest verbis illis sensus: Quandoquidem res hominum ita habent, vt nullus eorum omninò euadat peccatum, tametsi propterea malè quisquam apud alios audiat, & pessimâ opinione laboret, parum refert, dummodò Dominus hoc illi non imputet, non det vitio, non culpet, quod per humilem confessionem, & verum, excordialemque dolorem obliterauit. Nam Deum habere propitium, beneuolum, contentum, id hominem beatum facit, & felicem: Verùm præclaram habere apud homines existimationem, & Deum infensum, summa infelicitas est, vt maxima beatitas est, illi probari: *Omne enim, quod ipse nobis non imputare decreuerit, sic est, quasi non fuerit*, inquit Eminentissimus Cardinalis. Qui illum pacatum, addictumque habet, non habet, quod metuat, vel pertimescat.

Commendat se Sponsa à duabus rebus præmodùm, vt videtur, contrarijs, & aduersis. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem*, inquit illa Cantic. 1. 4. Theodoretus, Psellus, Maximus, Hailgrinus, Genebrardus, & alij aiunt, hæc illam commemorasse pro sui consolatione, & insigni fiducia ergà suum Sponsum, è cuius liberalibus manibus plurima continuò beneficia recipiebat, & præter alia elegantiam, venustatemque suam consecuta fuerat. Benè habet istud. Sed quomodo illa cohærere possunt, quòd se nigram, inaspectabilem, illepidam, ingratam oculis, simulq; singulari Dei munere formosam dicit? Quomodo formosa erat, si nigra, cùm atrox faciei omnem illius pulchritudinem obscuret, deuenustet, dehonestet?

Respondet Cardinalis Petrus de Aliaco, dicens: *Nigra sum iudicio mundi, formosa iudicio Dei.* Tametsi nigra sim, inquit illa, læta sum nihilominùs, ex solius enim mundi vana imaginatione venit turpitudo, quæcunque illa de atrore venire videtur. Dei autem censurâ, eiusque oculis sum pulchra. Cùmq; his oculis sim elegans, nihil curo, quòd mundo videar deformis. Dùm Sponso meo placeam, non est homo alius, cui me probare debeam.

Cùm prædicasset Dominus Ioannem præcursorem suum verbis, neque paucis, neque vulgaribus, permouit eâ concione populum omnem, & publicanos, vt baptismati Ioannis se submitterent, quod Pharisæi, & Legisperiti spernebant, in quos iustâ indignatione commotus exclamabat: *Cui similes dicam homines generationis huius?* Lucæ 7. 31. Quidnam illud est, cum quo conferre possim istas araneas, quæ in mortiferum venenum omnia, in quæ inciderint, conuertunt? Subiungebat autem iratus Dominus: *Et cui similes sunt?* ibidem.

Cardinalis Toletus notauit, quòd Dominus, postquàm dixisset: *Cui similes dicam homines* istos, *adiecit*, *Et cui similes sunt?* Cur hoc secundum Christus addendum putauerit, quod otiosum videtur, & superuacaneum? Dixerat: *Cui similes dicam?* Quamobrem addidit: *Et cui similes sunt?* Magno mysterio factùm, quod interrogauit, cuinam similes essent, postquàm sciscitatus fuerat, cui illos similes diceret. Aliud est, dici aliquid, aliud esse, plurimumque alterum ab altero differt. Quare cœlestis Magister cùm dixisset: *Cui similes dicam?* mox addidit: *Cui similes sunt?* Quamdiu enim aliquid non est, parùm refert dici, dictorumq; nulla habenda est ratio. Quod quidque est, id ei vel incommodat, vel prodest, cùmq; Dei sapientia certissimè omnia peruideat, & nec falli possit, nec fallere, eapropter si quis malus est, hoc metuat, neque curet, si fortè per iniuriam talis dicatur. Deus veritatem omnem nouit, ac proinde parum refert videri alijs verum, quod illi tale non est, & contemnendum vulgi arbitrium, quod cum Dei censura, & sententia non congruit. Vt hanc nobis ergo doctrinam Christus traderet, postquàm dixerat, *Cui similes dicam homines istos?* mox adiecit: *Et cui similes sunt?* non quia in diuina illius approbatione non fuerit vtrumq; idem,

sed

sed vt nos doceret, quomodo de hac re loqui debeamus.

Mortuus fuit Lazarus amicus Christi, de cuius obitu cùm apud discipulos dissereret, præmaturam illius mortem nomine dormitionis donabat, deniq; verò aiebat: *Lazarus mortuus est, sed eamus ad eum*; Ioan. 11. 14. 15.

Si Philosophiæ seuerioris canones consulas, videtur aliter loqui debuisse. Mors nexum corporis, & animæ apud Lazarum ruperat. Lazarus ergo non ampliùs Lazarus erat, vt dicere posset, *Eamus ad eum*, nisi fortè velis, quòd totus in frigido, & rigido cadauere Lazarus positus fuit. Et Discipuli ipsi, quando audierunt illud ex ore Christi, *Eamus ad eum*, fortè dixerunt intra se: Quomodo ibimus ad illum, qui iam non est ille?

Benè habet hæc difficultas, quam mouit Theophylactus, inquiens: *Tu autem vide quomodo Dominus, quamuis mortuo Lazaro, dixerit, Eamus ad eum, quasi ad viuentem.* At quid est, quod de mortuo non secùs, ac de viuente loquitur?

Respondet: *Etenim Lazarus viuebat Christo vt Deo.* Quanquàm defunctus esset, Discipulique, & sorores illum tanquàm mortuum deplorarent, Christus tamen illum quasi viuentem habebat, viuebat nimirùm ei, cui certum erat redanimare, & quando alij luctuosam illius mortem deflebant, Christus ei vitam miraculosam promittebat, velut dixisset: Ego illum ceu viuum habeo, tametsi omnes illum vt mortuum deplorent. Nam cùm mihi viuat, haberi vt viuus debet, quamquàm alijs mortuus sit. Mea sententia obtinere,& valere apud omnes debet, & probari omnibus, quod mihi vni probatur.

Dicebat Æneas reginæ Didoni, non posse non ab illa discedere, quòd à summo Ioue, cui obluctari nefas esset, demandatum iter haberet. Mouit insperatum hoc nuntium amicam reginam, quæ cùm infinitos artificiorum, rhetoricorum modos adhiberet, & impedimenta plurima comminisceretur, lachrymas quoque vi magnâ funderet, quò Æneam à concepta profectione deterreret.

. . . *illo Iouis monitis immota tenebat*
*Lumina.* Virgil lib. 4. Æneid. Ad omnia Didonis dicta, commenta, & lamenta talis erat Æneas, qualis inter medias irati maris procellas tumidus, & immobilis scopulus.

Admirationem cuique adferre potest ille per id tempus tam duro corde Æneas, qui cùm Virgilio sæpè pius dicatur, prætermisisse pietatem tunc videtur, quando illâ maximè vti potuit, & vel vt indulgentiæ, beneuolentiæque Didonis responderet, ac tam propensæ voluntati, & flagranti amori concederet, & pares vices redderet, vel vt mundi opinioni satisfaceret, tetricusque, & inhumanus, & rusticus, & intractabilis apud eos, qui vrbanitatis, & comitatis erant amantes, non audiret, debuit saltem suspendere, ac differre profectionem suam, si propositum itinerandi prorsùm retractare noluit. Quid ergo ad blanditias Didonis tam austerus, quid tam morosus ad illius tam hilarem vultum, ac festiuos sermones, quid ad querimonias tam surdus, tam difficilis, & amarulentus ad tantam comitatis suauitatem Æneas fuit, & ne hoc quidem satis attentè cogitauit, quid vulgus, quid pleriq; dicturi essent, qui tã intractabilem fuisse intelligerent?

Satisfacit huic dubitationi Donatus, monetque diligenter expendere verba Pòëtæ, qui de Ænea canit, quòd *ille Iouis monitis immota tenebat lumina, scilicet non respiciens, quæ rogaret Dido, nec lachrymas eius attendens, solum Iouem videbat animo, solum stare ante oculos suos, à cuius præceptis amoueri non poterit.* Non verbis, non precibus, non etiam lachrymis quærulæ reginæ flectebatur Æneas, sola namq; diei sui iussa cogitabat, qui capessere viam imperauerat, taliaque apud se tunc dicebat: Eiulet regina, loquantur cæteri, quidquid volunt homines, surdus sum ad omnia, quæcunque dicunt, aures autem, visusque totas eò conuerto, vt numinis præcepta expleam, cuius mandatis si satisfecero, omnes officij mei partes expleuero.

Regius Propheta de huius sæculi diuitibus sic ait Psal. 75. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

In his verbis prima illa, *Dormierunt somnum suũ*, patiuntur nonnullam difficultatem, ijs enim significare videtur regius Vates, quòd illi huius vitæ opulenti & potentes obierunt mortem suam, priusquàm morerentur, aut quòd mortui iam erant, cùm morerentur, si enim dormire est mori, & somnus mors, quid aliud fuerit dormire somnum suum, quàm mori mortem suam? Hæc autem quædam verborum contradictio videtur.

S. Ambrosius ait, magnum subesse ijs verbis mysterium. Loquitur enim Propheta non ex sententia hominum, sed ex arbitrio Dei,& quoniam potentes sæculi Deo sunt, ac si non essent, eapropter Dauid dicit, dormijsse suum somnum, & mortuos obijsse suam mortem. Parùm enim referebat, quòd homines eos colerent, quos Deus aspernabatur, quòdq; mundus eos adoraret, quando mundi Conditor illos deride-

deridebat. Quamdiu enim Deo non est satisfactum, nihil factum est, quod quidem sit alicuius momenti.

Audite Sanctum Doctorem Octon. 8. in Psal. 118. v. 1. *Bene somnum suum dormiunt saculares viri, qui licet saculo vigilent, Deo dormiunt.* Deus solus est verum firmamentum, & fulcimentum, cui soli satisfacere, & nos probare debemus. Qui illi viuunt, verè viuunt, tametsi omnibus alijs rebus sint mortui. Qui autem cæteris rebus viuunt, non Deo, verè mortui sunt. Nulla enim est vita, seu mors, nullum bonum, siue malum, nisi quæ Deo vita, seu mors, bonum, seu malum est.

## CAPVT V.

*Boni, quò magis honorantur, eò magis se contrahunt, ac demittunt, mali laudibus intumescunt, & insolescunt.*

POstquàm varijs, insignitisque beneficijs, & gratijs à supremo Creatore suo collocupletatus sanctus Patriarcha fuerat, *cecidit*, vt sacer Textus memorat, *pronus in faciem*, Genes. 17. 3. tanquàm indignus esset, quem Deus tantis donis ornasset, & cumulasset. Non sic fecit eius ancilla Agar, quæ *concepisse se videns*, cùm submittere se deberet, *despexit dominam suam*, Genes. 16. 4. Hic est lapis Lydius, quo boni, & mali probantur. Boni quò magis honorãtur magis se deijciũt, mali è cõtrà quò magis extolluntur, eò magis ipsi sese efferunt, & erigũt.

Conuenit Christum legis quidam peritus, periculumque facere volens sapientiæ illius, interrogauit eum, quid sibi faciendum esset, quo vitam æternam obtineret. *Surrexit tentans eum*, inquit sanctus Lucas c. 10. v. 25. Et Dominus. *In lege quid scriptum est quomodo legis?* Respondit Legisperitus: Lex iubet, vt quisque diligat Deum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex omnibus viribus suis, & ex omni mente sua, & proximum suum sicut seipsum. Tunc Christus: *Rectè respondisti*, perplacuit mihi responsum tuum. Mox Legisperitus iterùm: *Et quis est meus proximus?* Ibid. v. 29. quis est, qui me exæquet? Omnes habeo inferiores, ego omnibus superior sum.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus in catena aurea sancti Thomæ, & Theophylactus hæserunt in illo Legisperiti, *Et quis est meus proximus*, quis mihi toto mundo par, qui mecum certare de magnitudine meritorum ausit? & inquiunt. *Laudatus Legisperitus à Saluatore, quòd rectè respondit, in superbiam prorupit, nullum sibi proximum putans esse, quasi nullus esset ei in iustitia comparandus.* Simul ac Redemptor noster illum à sapiente responso commendauit, ità efferri animo cœpit, nullum sibi similem, nullum probitate, & sanctitate parem sub sole esse putaret. Nonné notatis illud Cyrilli, & Theophylacti, quòd *laudatus in superbiam prorupit?* Vnde id factum? Inde, quòd *surrexit tentans*, malo animo, peruerso consilio, sinistrâ intentione homo versipellis, vafer, improbus Christum conuenit, vt intelligeret quantùm Dominus sciret, non vt disceret, quid ad obtinendam beatitudinem facere deberet. Itaque dum laudaretur, tanquàm homo malus euanuit in cogitationibus suis, seque suprà omnes mundi eminere, & neminem sanctitate, ac gratiæ donis habere parem arbitratus fuit.

Cùm fames ingrauesceret, & victûs penuria magnis incrementis augesceret in ea terra, quam Patriarcha noster primam adijt, coactus fuit in Ægyptum descendere. Priusquàm verò illam ingrederetur, præuidens vitæ periculum sibi ab Ægyptijs imminere, si rescirent, quòd Sara vxor sua esset, ait ad illam: *Noui, quòd pulchra sis mulier, dic, obsecro te, quòd soror mea sis*; Genes. 12. v. 12. 13. Ægyptij enim capti tuæ venustatis specie me exanimalem facient, vt citrà adulterium tuo complexu frui possint, quare vt vitam meam sospites, sororem te meam dicito.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 3. in Genes. to. 1. ait: *Considera, quantum confidebat moribus mulieris.* Vnde illam tantam confidentiam Abrahæ ergà vxorem suam Saram æstimare possumus? Vnde? Inde, quòd illam in os laudare de singulari formæ liberalioris decentia non dubitauit, vt diceret: *Noui, quòd pulchra sis mulier*; neque veritus fuit, ne ex commendatione intumesceret animo, & efferretur superbiâ, *non timens, ne fortè laudibus remissior fiat.* Hac enim de re hominem bonum, & sanctum arbitrari possumus, quòd non superbit ex laudibus, non insolescit ex honore, immò verò tantò plus se submittit, ac deijcit, quantò magis ab alijs euehitur, & extollitur.

Rogabat Moyses Hobab filium Raguel Madianitæ cognatum suum, vt se illi, ac populo comitem itineris adiungeret, ac viæ, quam pernosset, ductor esset, illiusque directione peruenirent ad locum, quem ex promisso daturus erat Dominus. Quando hæc ille audiuit, respondit: *Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum*; Num. 10. 30. tanquàm alijs verbis dixisset: Tace sis de hac re, neque id genus officij à me expecta, qui tam deliberatum habeo patriam meam repetere, quàm

certum,

certum, quòd nihil indigus sum remunerationis, ac beneficiorum, quæ mihi pro obsequio promittis.

Quàm citò, facileque videre licuit, inquit Oleaster, quod sordidus, & de infima plebe, & extremo vulgo quidam hic homo fuit. Offerebat illi Moyses conditiones perhonorificas, & cùm viarum peritus esset, ductorem tam illustris populi primum renuntiare cupiebat, communionem etiam offerebat beneficiorum, bonorum, priuilegiorum, quæcunque illis Deus pollicitus fuisset, vt vel hac inuitatione permotus oblatam non grauatè admitteret prouinciam. Et quid ille? Subrustica verba pro comibus reponit, perdiuque, ac multùm rogari sinens aiebat: *Non vadam tecum*, nolo quidquam eâ de re agi, ad patriam reuerti mihi decretum. *Commune est vilibus, & infimis personis tantò magis tibi opem negare, quantò te magis viderint eorum auxilio indigere*, inquit Oleaster, atque inde magis efferri, vnde plus se demittere deberent. At si hoc facerent, rogatique non se extollerent, sed humiliarent, iam de bonorum numero essent, qui quò magis suam operam, alijs necessariam vident, eò demissiùs sese offerunt his, à quibus implorantur.

Quòd digiti in sacris literis symbolum sint virorum perfectorum, id affirmant autores, quorum lucubrationes necessitati meorum studiorum promptè plerumque occurrunt. Ij sunt Hieronymus Lauretus, Antonius Ricciardus, Pierius Valerianus, & Ioannes de S. Geminiano. Præter alia Scripturæ loca huc facit ille ex Prouerbijs Salomonis, qui de muliere forti ait: *Digiti eius apprehenderunt fusum*, Prouerb. 31. 19. quorum verborum sensus mysticus hoc vult, quòd viri perfecti Ecclesiæ nauare operam operibus humilibus, & vilibus cœperint. Petrus Berchorius ergo lib. 2. Reductionum moral. c. 26. n. 4 de digitis hoc singulare affirmat: *Digiti hoc habent proprium; quia post cibum sunt graciliores.* Experientia hoc docet, annulus enim, qui ante sumptum cibum ægrè abstrahi à digito potest, à prandio facilè eximitur. Tales sunt viri boni, & sancti, inquit Berchorius, accidit illis, quòd digitis, vt quemadmodùm hi post cibum sunt graciliores, sic illi post beneficia, inprimis verò post epulum Eucharisticum, post degustatum sanctissimum altaris Sacramentum, quod est gratiarum diuinarum quædam epitome, & breuiarium, magis grati, humiles, & subiecti, magisque abiectè de se sentiant, quò ampliùs magnificantur, plusque se deijciant, quò sublimiùs eleuantur.

Postquàm à cœlesti Magistro Discipuli aliqui discessissent, idque occasione sermonis, quem Capharnai de augustissimo Eucharistiæ Sacramento habuerat, dicebat duodecim Apostolis suis: *Nunquid & vos vultis abire?* Ioan. 6. 68. Respondit vnus ex omnibus Petrus: Quonam ibimus, Domine, nisi te sequamur, qui verba vitæ æternæ habes? Tunc iterùm Christus: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* ibid. v. 71.

Quærit Theophylactus: *Quare non magis laudauit duodecim, quòd non cum alijs amissi fuerunt?* Vel nonnullam laudem commeruerant, quòd abstrahi ab illo aliorum exemplo non fuerant, sed fortiter, constanterque apud illum perseuerabant, quem alij leuiter destituerant. Quid ergo non solùm non prædicauit eorum fidelitatem, & firmitatem, verùm etiam amarulentis verbis eos perculit, dicens vnum quendam ex ipsis ità degeneraturum, vt ex homine diabolus fiat?

Respondet Theophylactus: *Si laudauisset, & fortè humani aliquid passi fuissent, factique arrogantiores, existimassent se illi gratificari propter comitationem.* Non egerant Discipuli eatenùs profundas radices humilitatis, nondùm peruenerant ad plenum sui contemptum, vt posthæc peruenerunt, nondùm omnes concoxerant, & abiecerant imperfectiones. Hanc ob rem non commendauit eorum fidam constantiam, quæ fecerat, vt apud illum indiuidui comites perdurarent, cùm alij perfidiosè defecissent, ne fortè inde intumescerent, & magno honore ornasse Magistrum suum arbitrarentur. Qui non sunt admodùm consummati, vltrà mensuram suam dilatantur, cùm laudantur, perfecti verò quò magis efferuntur aliorum commendatione, eò profundiùs se sua existimatione demittunt.

## CAPVT VI.

*Prudentum, & cordatorum proprium est tacere, quæ mouere stomachum, aut adferre molestiam queant, nisi fortè necessitas cogat non dissimulare.*

ANnuntiabat Dominus Patriarchæ nostro illustris & numerosæ posteritatis, quam habiturus esset, optatam felicitatem, inquiens. *Crescere te faciam vehementissimè, & ponam te in Gentibus, regesque ex te egredientur*; Genes. 17. 6. Magna beatitas Abrahæ, fuisse generosum tot regum progenitorem! Sed qualium virorum? Idololatræ, peruersi, abominabiles, inimici capitales Domini, veritatis, & virtutis acerrimi persecutores penè omnes fuerunt. *Præter Dauidem, & Ezechiam, & Iosiam*

*Iosiam, omnes peccatum commiserunt*, inquit Ecclesiasticus c. 49. v. 5. Quando ergo Dominus Abrahæ prædicere voluit, quòd tantorum regum pater futurus esset, cur non hoc simul indicauit, quòd propè omnes contaminatissimi peccatores futuri erant? Intempestiua erat huic loco, & occasioni ista narratio, nec ad rem faciebat, vt Abrahæ tunc simul significaretur, quales mores futuri essent posteriorum suorum regum, ac propterea illi prænunciatum non fuit. Docemur eo exemplo, vt nemini negotium facessamus, nemini molestiam, aut luctum adferamus, nisi cùm grauissimarum causarum momentis vrgentibus facere aliud non possumus. Abraham autem ingenti mœrore perfusus, & impletus fuisset, si intellexisset, quòd tam flagitiosorum, & impiorum, sacrilegorumque regum pater futurus esset, idcircò hoc illum celare voluit Dominus Hanc vrbanitatis, & comitatis regulam viri cordati, & prudentes semper obseruant.

Postquàm Dominus, ac Redemptor noster insigne illud eiecti ex homine dæmonis miraculum fecerat, quem exturbare Discipuli non potuerant, abijt cum illis, vt est apud sanctum Marcum c. 9. in Galilæam, ibique eis dixit: *Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum*; ibid. v. 30. quod apud Lucam c. 9. v. 44. sic habet: *Filium hominis futurum est, vt tradatur in manus hominum.* Audierunt hæc Discipuli, sed tanquàm surdis dicta essent, non intellexerunt. *At illi ignorabant verbum*, inquit Lucas ibid. v. 45.

Difficultatem hîc mouere illud potest, quod Christus Apostolis suis hinc quidem indicauit acerbam passionem suam, & mortem ignomisiosissimam, & gloriosam resurrectionem, res certè grauissimas, si quæ aliæ, inde verò illorum intellectus obscuritate impeditos reliquit, vt quæ de proximis suis probris, & cruciatibus dixerat, intelligere non possent. *At illi ignorabant verbum.* Quãobrem passionem suam ex vna parte illis indicauit, ex altera verò intelligẽdi facultatem non concessit?

Respondet Theophylactus, Dominum passionem suam crebrò annuntiasse Discipulis, vt intelligerent, quòd sponte suâ, volensque, ac lubens eam subiret, & facilè subducere corpus vexationibus, vinculis, flagris, consputationibus, coronæ spineæ, clauis, & cruci potuisset, si voluisset, quod experientiâ post hac didicerunt, quando videntes eum mori, & resurgere, intellexerunt demùm verba, quæ cùm primùm dicerentur, non fuerant assecuti. Sed cur illis sensum talium verborũ non simul ac ea dixit, aperuit? Occurrit quæsito Theophylactus in c. 9. Lucæ dicens: *Vt ne ante tempus tristitiâ afficerentur, & timore exterrerentur.* Non conueniebat, vt Discipuli anticipatò intelligerent, futuram mortem sui Magistri, ea enim cognitio nil nisi continuas animi anxietates, perpetuosque dolores ijs allatura erat. Eapropter noluit ab illis Christus sua dicta intelligi, *ne ante tempus tristitiâ afficerentur, & timore exterrerentur*, afferre enim alteri mœrorem, nisi iusta causa id postulet, stultorum proprium est, prudentes verò nunquàm vel faciunt, vel dicunt, quod mœrorem, aut molestiam generare possit, nisi necessitas facere aliud cogat.

Vt fortunatæ negotiationi pœnitentis Magdalenæ, & prospero successui lachrymarum, quas illi dolor malè actæ vitæ superioris expresserat; satisfaceret Christus, dicebat Simoni, qui illum grauiter culpauerat, quòd tangi ab eiusmodi muliere permiserat: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; Lucæ 7. 47. ei, quam vides tam sollicitè rigare lachrymis, tam amanter dissuauiari labris, tam officiosè, & studiosè perfundere vnguentis pedes meos, ei pro multæ charitatis suæ merito gratia multorum conceditur flagitiorum. Notandum hîc, quod Pharisæo Christus dixit, *Remittuntur ei peccata multa*, vt eorum etiam ab ingenti numero grauitatem exaggeraret, posthæc verò ad gemebundam, lamentabundamque mulierem conuersus ait: *Remittuntur tibi peccata*, ibid. v. 48.

Cornelij Iansenij obseruatio in hæc Domini verba sic habet: *Peccata dicit, nec iam addit, multa.* Dixerat paulò ante, remissa esse illi multa peccata, vt & illorum immanitatem, & suæ indulgentiæ prolixitatem indicaret, posthæc absolutè peccata indulta dicit. Quamobrem istud? Nonné coram multis conuiuis fiebat ista multorum peccatorum commemoratio? Et quis ille, qui vel coram paucis sua vitia sibi vitio dari æquanimiter ferat? Quid ergo Dominus Magdalenam ob os, oculosque plurium subpudefacere voluit mentione scelerum ipsius multorum? Causa erat, quæ hoc magnoperè requirebat, nimirùm vt ex multitudine flagitiorum illius innotesceret magnitudo indulgentissimæ misericordiæ Dei, cui nulla occurrere possit peccatorum tanta copia, quam non facilè, ac gratuitò remittat. Adferre itaque pudorem aliquem Magdalenæ Christus debuit, vt maiorem Deo gloriam adferret. Verùm cùm eorundem peccatorum secundam faceret mentionem, tantùm ait, *Remittuntur tibi peccata*, & nõ addidit, *multa*, tametsi enim conueniret, Magdalenam certiorem fieri de condonatione suorum flagitiorum,

ciorum, grauitatem tamen eorum illi obtrudi necessum non erat, adeòque illorum nouâ, siue iteratâ commemoratione frustrà confusa fuisset. Non debet autem facilè aliquid dici, quod alijs adferre ruborem, aut excitare bilem possit, nisi admodùm grauis causa aliud non permittat.

Apud sanctum Ioannem c. 16. v. 2. prædicebat Discipulis suis Christus: *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*; & rem gratissimam illi facere, quisquis vos mactet, tanta erit hominum aliorum ergà vos maleuolentia. Nihil tristius, acerbiusque accidere homini potest, quàm si intelligat, tam abiectam, indignamque se habere apud homines existimationem, vt plurimùm gratificari cœlo putent, quicunque illum è mundo auferant: Propterea Christus, postquàm tale quidpiam Discipulis suis denuntiasset, mox subiecit: *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram*; ibid. v. 3. At nonné consultius fuisset, primis statim horis, aut certè pluribus ante obitum, & abitum suum diebus hæc eis renuntiare, nimirùm tam exosos illos futuros Iudæis, eoque loco habendos, vt eorum cæde benè mereri de optimo Deo posse sint credituri? *Cur hæc ab initio non* dixit ac detexit?

Respondet Cardinalis Caietanus, aut apud illum Dominus: *Non sum mansurus vobiscum conuersatione humanâ, vt hactenùs, ideò non tunc, sed nunc, cùm tempus instat, dixi hæc vobis*; velut pluribus dixisset: Quod hactenùs in sepulchro pectoris mei tecta seruari luctuosa noua, quæ nunc demùm vobis aperui, id feci, quoniam vobiscum agebam, neque erat necessum tam acerbâ, & amarulentâ, & intempestiuâ futurarum calamitatum, significatione vos percellere: At nunc cùm vobis vale supremum dico, *cùm tempus instat*, non possum, quin eloquar quæ diu silui, non possum, quin patefaciam; quæ hucusque, quòd perodiosa essent, meditatò vos celaui. Sic omnia, quæ mœrorem, aut luctum parere audientibus possunt, silencio tegenda sunt, ac dissimulanda, nisi quando per tempus, ineuitabilesque causas seruare diutiùs occulta non licet, nam qui talia immaturè, aut inopportunè enudat, is vel multùm malitiosus est, vel parum prudens.

Decreuerat Dauid sumptuosam omnipotenti Domino suo excitare basilicam, placuitque tam vehementer Deo pia illa, & deuota gratificandi voluntas, vt statim ad illum destinauerit Nathan legatum cum amplissimo, & magnificentissimo nuntio, cuius hæc pars quædam erat, vt regnum ex filio Salomone perpetuum promitteret, tum de filio ista diceret: *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filiũ, qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*; 2. Reg. 7. 14.

Abulensis quest. 11. in istud c. ait: *Quæretur quare Deus dixit*, Quòd si iniquè aliquid gesserit? *nam sciebat, quòd Salomon peccaturus erat, & alij posteri eius*. Nouerat vtique Dominus, certòque sciebat, quæcunque Salomon, & omnes illo posteriores reges flagitia perpetraturi, eaque ad insignem infinitæ sapientiæ suæ ostentationem, & commendationem recensere sigillatim, minutatimque potuisset. Cur ergo dubia ea esse voluit Dauidi, quæ sibi exploratissima, certissimaque erant?

Respondet Abulensis ibid: *Deus nolebat contristare Dauid sine causa, ideò noluit reuelare pœnas posteritatis suæ*. Si posterorum suorum scelera Dauidi Dominus prædixisset, etiam supplicia, omnemq; infelicitatem, quam subituri pro criminum malis meritis erant, indicare debuisset: *Si verò Dauid cognouisset ista viuens, affligeretur nimis semper pro calamitatibus futuris suorum posterorum*. Omnem in perpetuo, acerboque mœrore vitam reliquam Dauid transmisisset, si certior factus fuisset & de flagitijs, quibus posteri se contaminaturi, & de pœnis, quas pro eis toleraturi erant, eapropter noluit eum Dominus talium rerum facere conscium, ne faceret tristem. Absque causa enim vrgente affligere hominem, & nisi occasio aliud non ferat, nemo prudens solet.

## CAPVT VII.

*Vt alij lucra expetunt, sic debent Christiani optare suarum rerum pro Deo iacturam, nam qui pro illo pauca perdunt, plurima ab ipsius liberalitate recipiunt.*

PRæcipiebat Deus Patriarchæ nostro, vt cùm ipse, tum omnis de genere illius masculus, vernaculus etiam, atquè emptitius circumcideretur, idque pro fœdere, quod inter se, Abrachamumque, & posteros eius perpetuum esse vellet. Simul hoc imperauit, & mutauit illi nomen, dicens: *Non vltra vocabitur nomen tuum ABRAM, sed appellaberis ABRAHAM, quià patrem multarum gentium constitui te*; Genes. 17. 5.

Alcuinus hic obseruauit, quòd Dominus, cùm Abrahæ tantillam carnis particulam ademit, tunc illi nomen amplius, & augustius dedit, fecit glorio-

sum

ſuum parentem, & inclytum progenitorem plurimorum regum, & gentium innumerarum. Et vide mihi, inquit ille, quam iacturam patiatur, & quid tueri faciat. Pro exiguo ſui corporis fruſtillo hoc obtinet, vt ſit pater generoſæ proſapiæ, & innumerabilium poſterorum. *Igitur pro Deo aliquid perdere, lucrum eſt, non damnum*, ait Alcuinus apud Gloſſ. Ordinar. in c. 17. Geneſ.

Sanctus Petrus Damianus quærit, vndenam Ioannes Euangeliſta meruerit, vt dulciſſimus optimi Iacobtis Beniamin, & charorum Chriſti Diſcipulorum dilectiſſimus diceretur. Ille in poſtremis ſui Euangelij capitulis quoties ſui ipſius mentionem facit (facit autem crebram) hoc plerumque addit: *Quem diligebat IESVS.* Hinc acceperunt ſancti Doctores, vt illum per antonomaſiam DILECTVM appellandum putauerint. Eodem nomine ſponſa ſuam, & ſui ſponſi mutuam amoris beneuolentiam exprimere, & dare teſtatam voluit, dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi*; Cant. 2. 16. & per omnia eiusdem Cantici capita identidem, illum tali nomine donat. Quamobrem verò Ioannes eam Dilecti appellationem ſibi vſurpare debuit quæ ſponſo animarum Chriſto tam diu ante tribut., & ſeruata fuit?

Reſpondet Sanctiſſimus Cardinalis ſerm. 66. *Arctiſſimè ſe in ſui Redemptoris, ac dilectoris amore coniunxit, propter quem ſcilicet coniugales thori fœdera abdicauit.* Tanta fuit Ioannis ergà Chriſtum obſeruantia, vt vxori renuntiare, quàm illius contubernio maluerit. Videtur hîc attendere ſanctus Damianus ad eorum opinionem, qui affirmant, Ioannem Euangeliſtam fuiſſe ſponſum in illis nuptijs, quas Canæ in Galilæa celebratas, & à Chriſto, ſanctiſſimaque illius Matre, & Diſcipulis Domini cohoneſtas ipſius memorat. In his nuptijs Chriſtus Ioannem ſibi, vt aiunt, adoptauit Diſcipulum, illeque promptè obſecutus repudiauit nouam coniugem, & omnem honeſtam, quam ex illa habere poterat, oblectationem. Suſtinent hanc ſententiam Angelicus Doctor 22. q. 86. art. 4. M. Dominicus Soto in 4. d. 27. q. art. 1. Eckius, Ioannes Maior, Dionyſius, & Ludolphus Carthuſiani, Lyranus, ſanctus Antonius, Doctor Seraphicus Bonauentura. Verba Lyrani ſic habent: *Dicitur communiter, quia iſtæ nuptiæ fuerunt Ioannis Euangeliſtæ, à quibus eum Chriſtus vocauit ante conſummationem matrimonij.*

Iubet nunc ſanctus Petrus Damianus animaduertere, quàm prolixâ remuneratione Deus compenſet, quod pro illo relinquitur, quanto cum fœnore reponat, quod pro ipſo perditur. Ioannes pro Chriſto nomen, remque ſponſi reliquit, Chriſtus amorem Ioannis vxorium, quanquàm licitum, & honeſtum mutauit in ſui amorem ſpiritualem, fecitque vt qui dilectione coniugali periturâ perituram deperire mulierem volebat, totum in ſe virginalis mentis transferret affectum, & Virginis filium Virginem Virgo charitate immortali demoreretur, iamque non aliter, quàm *Diſcipulus, quem diligebat IESVS*, vocaretur. Tam opulento præmio Ioannem remunerauit, vt ſuo ipſius nomine, quod eſt *Dilectus*, illum donârit, & ornârit. Hinc videas, quàm liberaliter Deus reddere ſciat; quod pro ipſius amore relinquitur. *Igitur pro Deo aliquid perdere, lucrum eſt, non damnum.*

Apud ſanctum Marcum dicebat Dominus Petro, maximis bonis affluentiſſimè cumulare eos velle, qui pro ſe aliquid relinquerent, aut dimitterent. Theophylactus monet, hoc in ipſo Petro videre expletum, inquiens: *Petrus vnam domum reliquerat, poſteà omnium Diſcipulorum ſuorum domos habebat.* Quæſtuoſa fuit illi iſta negotiatio, & magnum lucrum ex iactura fecit. Et quid ampliùs? *Nunc quoque vbiq; terrarum erecta ſunt templa in nomine eius, quæ ſunt claræ domus* inquit rurſum Theophylactus. Non ſatis fuit permunifico, perque grato Domino, quòd Petro pro vna exigua, & paupere domo relicta domos Diſcipulorum dedit, ſed per omnem latè terrarum orbem excitauit templa Petro dedicata, quæ ſunt Illuſtriſſimæ Regiæ, & ampliſſimæ Baſilicæ. O diuitem, & opulentam, & lucroſam commutationem!

Permoleſta erat Moyſi gubernandi populi prouincia, rogabatque Deum, vt minueret pondera & partem oneris leuaret, adimeretque. Annuit precibus eius Dominus, ac dixit: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, vt deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris*; Num. 11. 17.

Quod vulgata verſio habet, *Auferam de ſpiritu tuo*, id Cardinalis Caietanus ex hebræo ſic transferri poſſe ait: *Grandibo de ſpiritu, qui ſuper te*, hoc eſt, faciam vt grandeſcat ſapientia tua, quâ præditus es. Auferam, & grandibo! Sed quomodo grandibat, & auferebat? Pugnant vocabula, & eorum ſignificata multò etiam ampliùs ſibi aduerſantur,

Nam qui aufert, ille non auget, sed minuit, extenuatque, non amplificat. Quâ ratione ergo conciliabimus hæc, *Auferam*, & *Grandibo*, detraham de spiritu, & maiorem faciam? Facilè est hæc in concordiam adducere, si Dei ingenium attendas. Ille namque tam est liberali, & generosâ indole, vt nihil cuiquam auferat, quin grandius restituat, nihil adimat, quin magno cum fœnore reddat. Itaque optabilis est omnis pro illo iactura, quæ tam copiosam habet remunerationem, & ambire damna tam quæstuosa quilibet potest.

Cùm videret sanctus, & prudens Patriarcha noster, non posse esse diuturnam suam cum consobrino suo amiciciam, eò quòd pastores amborum quotidies corrixarentur de pascuis, ad quæ greges educebantur, rogabat illum, vt ad amputandam omnem iurgiorum occasionem deligeret sibi regionem absitiorem, quamcunq; vellet, vt habitationis separatio coniunctionem seruaret cordium, maneretque animis copulati cùm separati locis, dicens: *Ecce vniuersa terra coram te est, si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo, si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam*; Genes. 13. 9. quod tale fuit, quale si dixisset: Si Occidentem elegeris, ego petam Orientem, si habitare ad Meridiem malueris, ego in septentrione sedem figam. Prima tibi cuiusuis loci optio datur. Posthæc cùm alter ab altero discessisset, ait Dominus Abrahæ: *Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo in sempiternum*; ibid. v. 14. 15.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 42. in Genes. ait: *Iisdem verbis vtitur misericors Deus, quibus & Patriarcha cessionem fecerat.* Dixerat Abraham ad Lot: *Ecce vniuersa terra coram te est*, quam voles, elige, quæ reliqua fuerit, meæ habitationi seruiet. Dominus è contra Abrahæ præcipit, omnem circumspicere terram, quam ipse, posteriq; eius accepturi sint hæreditariò possidendam. *Vidisti quantis cessit, & quanta est, assecutus? Vidisti dignam diuinâ bonitate munificentiam.* Quanta Dei liberalitas ergà eos, qui pro illo aliquid relinquunt! Abraham, vt pacem seruaret, & offensas Dei euitaret, partem terræ consobrino suo cessit, Deus autem hanc cessionem donatione totius terræ mox remunerauit, ac iussit totum, quem homines incolebant, orbem videre, aitque: *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.* Ex quo arbitrati licet, quàm sit lucrosa, quæcunque cum Deo fit, commutatio, qui palmum terræ pro ipso relictum totius mundi donatione compensat.

Concionabatur in quadam domo cœlestis Magister, ingressusque aliquis interpellauit dicentem inquiens: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te*; Matth. 12. 47. Conuersus ad nuntium Dominus ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in Discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*; ibid. v. 48. 49. 50.

Sanctus Petrus Damianus Serm. 45. de Natiuit. Virg. 2. ait: *Notate, fratres, notate dignitatem vestram, si adimplentes voluntatem Dei, frangitis voluntatem vestram.* Ad religiosos ascetas dirigebatur hæc Damiani oratio, quos iubebat attendere, quòd abnegantes propriam voluntatem, renuntiantesque mundo, parentibus, & cognatis in summum nobilitatis culmen euaderent, fierentque Christi non solùm matres, sed etiam parentes, & fratres, quòd secundùm carnem esse non potuit illa, quæ Virgo, & mater secundùm carnem fuit: *Nos autem hæc simul omnia Christo per spiritum sumus.* Hinc accipimus, quãta felicitas sit, pro Deo aliquid perdere, qui paucula relinquenti in vicem plurima liberaliter donat.

*Ipsissimum hoc argumentum suprà lib. 1. c. 1. disertè pertractat. Vide quæ ad finem illius capitis adscripta.*

## CAPVT VIII.

### *Quantumuis perpolitâ sit homo animâ, quantumuis ornatis moribus, semper inueniet, quod plus expoliat, & emundet.*

IMponit Deus præceptum circumcisionis, & in domo Abrahæ nemo ab illo eximitur. Sic enim lex illa habebat: *Circumcidatur ex vobis omne masculinum*; Genes. 17. 10. Sanctus Ambrosius lib. 2. de Abraham c. 11. ait: *Nec senex proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideò omnis ætas sacramento idonea.* Omnes sanctio diuina comprehendit, decrepitos seniculos, & recens editos pupulos, nulla sine vulnere, adeò & nulla sine curationis necessitate ætas. Quare etiam *ætatis maturioris Abraham circumcidi iubetur*, inquit rursum Beatus Ambrosius. Instruimur hoc mysterio, vt nemo de se præsumat, quòd tam sit purus, tersus, mundus, vt nihil possit inuenire, quod purgatione, aut emendatione opus habeat, si

at, si omnes animæ sinus, recessus, latibula, incorruptus, diligensque explorator indaget: *Quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideò omnis ætas sacramento idonea.* Vt nulla inuulnerabilis,, sic nulla, quæ antidotum, vel medicinam non requirat ætas.

Volebat Christi Præcursor cœlestis, suæ, ac diuinæ doctrinæ constabilire veritatem, discrimenque asserere sui Baptismatis, & illius, quod Dominus ipse suis manibus ministrabat, & aiebat: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*; Matth. 3. 11. velut pluribus dixisset: Quod ego vos aquâ diluo, id facio, vt ad pœnitentiam agendam adducam; non verò quod baptismus meus vim aliquam remittendi habeat, Dominus autem, quem vobis annuntio, Verbum, cuius ego vox sum, baptizabit vos in Spiritu Sancto, illius baptismus eâ valet virtute, vt omnes abolere culpas, & conferre gratiam queat.

Notandum, quòd vix illa sacer Baptista dixerat, quando statim subiecit ista: *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam*; ibid. v. 12.

Euthymius ait, Ioannem videri sibi ipsi contradicere in ijs, quæ de Christo prædicat. Aiebat de illo: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, hoc est, Spiritus Sancti gratiam cum baptismo vobis conferet, per quam anima mundatur, & emaculatur. Quod si ità est, quid sibi vult, quod mox addidit, *Et permundabit aream suam*; id est, fidelium suorum animas, quæ baptismi gratiam acceperunt? *Vide autem*, inquit Euthymius, *quòd postquam baptizauerit in Spiritu Sancto, expurgat adhuc aream suam.* Cur verò post impensum baptismi beneficium tantâ purgandi solicitudine vtitur ergà eos, qui salutaris fontis piacularibus aquis emundati fuerunt? Respondet: *Ne suscepto baptismo torpeas*, Oscitanterq; viuas. Quantumuis enim purus quis ab aquis baptismalibus exeat, postquàm vti ratione cœpit, quantamcunque diligentiam, curam, & solicitudinem adhibeat, vix efficere potest, quin impingat, & offendat & committat, quod emendari debeat.

Sponsæ fores concubiâ nocte Sponsus inclamabat, rogans sub tectum admitti. Non omninò negabat illa officium (nisi velis, tardè velle nolentis esse) excusatione tamen moras adferebat, cùm diceret: *Expoliaui me tunicâ meâ quomodo induar illâ*; Cant. 5. 3. ipsâ adeò interulâ me nudaui, qui facere possum, vt exurgam, & aperiam?

Sunt qui Sponsam prætermissæ vrbanitatis accusent, sunt è contrà qui eam excusent, & affirment, puritatis argumenta esse verba, quibus se ipsa excusauit, & quod ait, exuisse se tunicâ suâ, id tantumdem esse, quantum si dixisset, veteris Adæ tunicas pelliceas deposuisse. Quid autem sunt vestimenta nostra, nisi affectus nostri damnosi, & noxij, quos cum originis peccato à Protoparente nostro accepimus? His vestimentis illa se, vt aiebat, nudauerat.

Dubites, an verum sponsa dixerit; quæ vestibus omnibus nudasse affirmauit. Nam cùm post nonnullam cunctationem surrexisset, vt admitteret Spõsum, ille iam abierat, & declinauerat. Tunc illum oculis, quantùm per obscurum noctis lumen lucet, & vocibus nequicquam prosecuta in vigiles incidit, de quibus ibid. v. 7. hæc queritur: *Inuenerunt me vigiles, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.*

Peracutè, vt solet, obseruauit sanctus Gregorius Nyssenus homil. 13. in Cant. & verba Sponsæ superiora, & has posteriores querimonias. Ibi seipsam prorsùs nudasse affirmabat, hìc sublatum à custodibus pallium deplorat. Audiamus hac de re Nyssenum: *Paulò ante testimonium Sponsæ perhibetur, quòd immunis sit ab omni velamine. Qui ergo nudata vestimentis omnibus, pallium adhuc habet, quod ei nunc custodes ciuitatis adimunt?* Quæ seipsam tunicâ, indumentisque omnibus vixdum spoliauit, vnde tam subitò vestita rursùm fuit, vt diripere illi possent custodes suum pallium, quod etiam nostrarum passionum, & affectuum humanorum est symbolum? Inde, quòd nulla sit tam pura, & munda anima, quæ non inueniat aliquid in se pellicearum tunicarum, & laceratum exuuiarum veteris Adæ, si tantùm se in singulos dies diligenter inspiciat, & attentè angulos illius singulos emissitijs arbitretur oculis. Sponsa ergo, quæ seipsam omni vestitu expoliauerat, paulò post à custodibus nudatam pallio querebatur, tanquàm fassa esset, *rursùm inuenisse post nuditatem illam, quod deponat.* Vix quisquàm ità se denudare potest, vt non aliquid reliquum maneat, quod detrahi queat.

De Sancta quadam anima dicit ille in suis Prouerbijs c. 31. v. 14. ista: *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Quòd anima naui comparatur, id fit, vt indicentur pericula, quibus illa in procelloso huius mundi mari viuit exposita, maximè cùm Dei officijs se impensiùs addicere, & studiosiùs, atque enixiùs illi seruire cupit.

Si discrimina omnia, quibus anima, propter suam cum nauis similitudine affinitatem, est obnoxia, recensere velim, dicendi finem nunquàm inueniam.

In rem nostram percommodè loquitur Magnus Nysseni frater Basilius homil. 11. in Hexam. vbi de anima nauis simili sic habet: *At ipsâ mox effusione Vteri materni ad extrema senectæ lineam agmen secum trahens inexplicabilium malorum, Velut sentinam quandam exhaurit.* Egreditur quis ex alui maternæ naui, descenditque in terram, siue, vt meliùs dicam, in mare (mundus enim, in quem recens natus eijcitur, nomen aliud non meretur) nauigat inter sæuas tempestates, & pugnat cum aduersis ventis, qui cursui illius prospero sese obijciunt. Quid verò interim facit, quousque in portum mortis adueniat? *Inexplicabilium malorum Veluti sentinam quandam exhaurit.* Quàm aptè illud in rem præsentem dictum, quantumuis probè lita, quantumuis validè compacta, quantumuis solerter obturata, & picata sit nauis, quæ sulcat æquoris plana, semper nonnullam haurit aquam, adeòque perpetuo studio euacuanda est sentina, & peculiarem hominem res ista requirit, qui exhauriendæ sentinæ singularem nauet operam. Talis est anima hominis, inquit Basilius. Nauis est, quæ per turbulentum huius mundi oceanum circumfertur, neque tam diligenter, ac vigilanter custodiri à quoquàm potest, vt non rimulas agat, per quas aqua se insinuet, vt proinde necessum sit *Veluti sentinam quandam* exhaurire, semper enim inueniet aquas imperfectionum, quas effundat, semper affectus prauos, quos corrigat, semper passiones, & negligentias quas emendet.

Quod in sacris literis hortus sit hieroglyphycum animæ sanctæ, & DEO gratæ, id peruulgatum, & receptissimum est. Eo nomine Sponsam suam Sponsus donauit, inquiens: *Hortus conclusus Soror mea*; Cant. 4. 12. Quòd hæc de quauis anima sancta, & Deo gratiosa intelligantur, affirmant Hugo Cardinalis, Hailgrinus, Honorius, Iustus Orgelitanus, Philo Carpathius, Ghislerius, & alij.

Quid sibi vult illa horti appellatio, quâ Sponsa, siue anima quælibet sancta designatur? Dispiciamus etymologiam horti, & quam ob causam ità sit dictus, sic fiet, vt inueniamus aliquid causæ nostræ opportunum. Venerabilis P. Simon de Cassia lib. 13. in Euang. inquit: *Hortus ab oriendo dictus est.* Conuenit plurimùm horto cum ista sua etymologia, vt ab oriendo nominis sui originem ducat. Quantacunque enim solicitudine, diligentiâ, & industriâ hortum cures, semper in illo videas lolium, vrticas, herbasque alias nihili, & noxias oriri, vt semper necessum sit ad manus habere forficem, sarculum, ligonem, & alia id genus instrumenta rustica, quibus lolium, lappæ, tribuli succidantur, extirpentur, & horti concinna species conseruetur. Quòd ergo Sponsus animam sibi maximè gratam, & charam vocat hortū, voluit eam tali appellatione monere, vt nunquàm præsumat, nunquàm se parte ab omni beatam putet. Licèt enim sit hortus excultissimus, & amœnissimum, voluptuosissimumq; viridarium, semper inueniet spinas, aut alias inutiles herbas, quas euellere, semper vitia, quæ emendare, semper squalida, quæ permundare oporteat.

Vidit Baptista Agnum sine macula, qui pro mundi peccatis in ara crucis mactandus, & immolandus erat, & oblectatus tam grato spectaculo exclamauit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*; Ioan. 1. 29. Videte, mortales, felicitatem vestram, qui coram præsentem habetis Agnum Dei expiatorem scelerum mundi.

Monet hoc in loco Theophylactus, quod *non dixit*, Qui abstulit *peccatum, sed* qui tollit *in præsenti peccata nostra.* Quamobrem verò eâ cautione ad loquendum vsus fuit Baptista? Respondet magnus Bulgarorum antistes: *Quotidie enim tollit peccata nostra*, quotidie plura, & plura inuenit, à quibus animas nostras emundet, quæ cùm naues sint, nunquàm tanto vitæ sanctæ studio curari, & compingi queunt, vt non aliquam aquam hauriant, quam exhaurire debeant.

Rex & Propheta Dauid aiebat: *Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum*; Psal. 7. 10. velut dixisset: Dissipabitur, siue conficietur malitia flagitiorum. Si enim nonnulli intelligunt. Et quid inde consequetur? Hoc, quod *diriges iustum.*

Sanctus Basilius Magnus homil. in hunc Psalmū ait: *Rectus* iustus *nominatur. Quid igitur Vult hic orando Propheta?* Sic iustus is est, qui rectus, qui non distortus, non deuius, quid Dauid rogat, vt consumatur nequitia, scelerum, & iustus dirigatur, cùm obtorti egeant directione, non recti, & errones reduci, ac deduci soleant, non qui bonam viam tenent?

Respondet Basilius: *Orat, Vt qui iam rectus est, dirigatur.* Intellexit, quid peteret Propheta. regius, sciuitq; nullum esse in hac vita tam rectum, qui non habeat, quod emendet, nullum tam iustum, qui non habeat, quod corrigat, nullum tam expolitum, qui non habeat, quod emundet. Propterea nemo viuat, tam contentus suâ diligentiâ, nemo tantùm præsumat de sua solicitudine, vt putet nihil habere, quod corrigi possit, ac debeat. Nam si solicitè se examinârit, & attentè sua omnia perpenderit, reperiet

reperiet semper, quæ resecet, expungat, euacuet, emendet.

*Crebrò in hac meditatione versatus fuit Nissenus. Videatur infrà in secunda parte Politici lib. 9. c. 2. & alijs in locis ad finem illius Capitis adscriptis.*

## CAPVT IX.

*Cùm superior sit quoddam primum mobile, omnes subditi ad illius exemplum se componunt.*

VT dominico Abraham obtemperaret mandato, circumcisus fuit eo die, quo iussus, & cum illo filius eius Ismael, & vernaculi eius vniuersi, quales quales ij essent, de quo sacer Scriptor Gen. 17. v. 27. ita: *Eâdem die circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius, & omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt.* Vbi statim notant omnes Interpretes, Nicolaus Lyranus, Tostatus, Honcala, Istella, Oleaster, Angelicus Doctor, vtraque Glossa, & alij, quanta sit vis exempli. Vix enim Paterfamilias circumcisioni se submisit, quando *omnes pariter circumcisi sunt.* Solent enim Superiorum vestigijs insistere subditi, & quò illi præcesserint, sequi.

Cupiebat Zachæus videre Christum, atq; vt voti compos fieret, cùm staturâ perpusillus esset, in arborem ascendit, vt inde illum arbitraretur, quem præ turba conspicere nanus non poterat. Vocauit illum ex arbore Dominus, iussitque festinatò descendere, eò quòd hospes apud illum permanere vellet. Descendit publicanorum Princeps non concitus tantùm, sed & gaudens, stansque coram illo, hæc cùm multo pœnitentis animi mœrore, atque paucis lachrymis dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*; Lucæ 19. 8. Audiuit hæc cœlestis hospes, & ait: *Hodie salus domui huic facta est*; ibid. v. 9. velut dixisset apertiùs: Nonné harum ædium Dominus malè acta vitæ superioris seriâ pœnitudine damnat, & peccasse dolet? Annuntio ergo, quòd omnis familia eius, quidquid perperam fecit, detestabitur, & execrabitur, cunctiq; domestici pœnitentiæ lamenta assument.

Cardinalis Caietanus in illa Domini verba sic ait: *Significatur facta salus non soli Zachæo, sed familiæ eius* similiter. Sed quomodo id significatur, cùm solus Zachæus sua peccata fuisse confessus, solus suas culpas deplorasse feratur? Immò hinc illud legitimâ consecutione conficitur? Nonné Zachæus erat Pater, & caput familiæ? Erat. Nonné dolore, & lachrymis sua damnabat scelera? Damnabat. Ergo certum erat, domesticos illius omnes tantundem facturos, vt meritò diceret Christus: *Hodie salus domui huic facta est.* Membra enim caput suum sequuntur, & quando paterfamilias est vir probus, domesticos illius omnes numerare in probis potes, vt è contrà in impijs recensere famulos, quorum sunt scelerati domini.

Cùm Arca testamenti per sacrum deferretur Iordanis fluuium, inauditum, vt sacri Scriptoris habet narratio, accidit miraculum. Nimirùm *steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montium intumescentes apparebant procul, quæ autem inferiores erant, descenderunt vsquequò omninò deficerent*; Iosue 3. 16.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 12. ait: *Fluuij cognatum mare imitati cedebant.* O quàm præclarè magnus Theologus efficacitatem exempli expendit! Quando filij Israel egressi sunt de Ægypto, vt effugerent furorem à tergo imminentium hostium, *ingressi sunt per medium sicci maris*; Exod 14. 22. quod se illis aperuit, vt persequentes euitare Ægyptios possent. Mare, si cum alijs fluuijs comparetur, est caput illorum, & Rex, & Princeps, cui proinde aquarum suarum tributa pendunt, iuxtà illud Ecclesiastæ 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare.* Dicit nunc Nazianzenus: Quando Arca cum filijs Israel transijt Iordanem, statim hic eis liberum transitum concessit. Quemadmodùm istud? *Cognatum mare imitatus* Iordanis cedebat. Tale ergo ferè est, quod Nazianzenus affirmat, quale si diceret, tantam esse virtutem exempli, vt cùm Superiores faciunt miracula, subditi quoque talia ex eorum imitatione faciant.

Ingressus Troianarum copiarum ductor Æneas Carthaginem, captaque illius pulchritudinis, festiuitatis, & prudentiæ amore regina fuit. Moliebantur per id tempus regina, & subditi eius nouam ciuitatem, magnoque, & ardenti studio agebantur, quæcunque ad illam fabricam faciebant. Sed quàm primùm regina deperire Æneam, eiusque amoribus se tradere cœpit.

*Non cœpta exurgunt vrbes; non arma iuuentus.*

*Exercent*, vt canit Virgil. l. 4. Æneidos. Cœperant excitare sublimes turres, validos muros, fortia propugnacula, arces tam inexpugnabiles, quàm inaccessas, Studia omniũ vna erant, nec alia, quàm tractare arma, parare instrumenta bellica, luctari, digladiari exerceri ad conflictus, & pugnas. Intercidere autem hæc omnia, quamprimùm regina, quæ ijs interesse solebat, ad voluptaria blandæ veneris

castra

castra transijt. Quid moralis institutionis hinc eruimus?

Donatus ait: *Hic ostenditur, rectorem complere omnia, cùm insistit, & iubet, atque eius negligentiâ omnimodò frigere vniuersa, quæ ante feruebant.* Acuit plurimùm studia laborantium subditorum Principis præsentis, & ad operas attenti aspectus: Vbi verò incuriùs abest Superior, facilè languescunt, & torpescunt subditi.

Cùm decreuisset Cæsar Augustus totum terrarum orbem sibi facere vectigalem, sic vt nulla immunis esset domus, nulla, quæ non tributum pensitaret, familia, à Syria rem hanc exordiri cœpit, cui præsidebat, Cyrenus. Sic enim habet apud sanctum Lucam: *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyreno;* Lucæ 2. 2. Arduum hoc opus erat, & prouincia difficilis, totum orbem facere tributarium, plurimaq; secum ferebat obstacula, & incommoda, illud qualecunque consilium. Quid autem fecit, vt faciliorem redderet propositæ rei executionem? A Syria cœpit exigere tributa; hâc enim orbis parte primùm subacta, non difficilè erat reliquas subiugare. Glossa Ordinaria inquit: *Syria, in qua est Iudæa, est media, & quasi vmbilicus totius terræ. Census ergò primùm in medio terræ exigitur, vt inde postea vsque ad fines terræ exigeretur, & redderetur.* Syria velut cor est mundi, & pars quædam Princeps. Hanc ergo ante omnes vectigalem fecit Augustus Cæsar, ratus cæteros facilè ad soluendum censum adducere posse, quem illa primùm dependisset. Exemplo enim Superiorum facilè mouentur subditi. Attendant ergò quomodo viuant, qui alijs seu priuatis domibus, seu publicis locis è loco superiore imperant, cùm vident quantùm apud inferiores valeat exemplum Prælatorum.

*Sæpè in hac sylua ligna cædit Nissenus, & frequenter de tali argumento agit penè in omni operum suorum parte. Vide parte secunda Politici lib. 3. c. 9. & quæ ad calcem illius annotata. Vide etiam in duobus prioribus Tomis in rerum Indicibus verbo,* Prælatus.

# LIBER VII.
# VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Pauperi fores nostras imploranti subuenire, non exigua liberalitas est, occurrere verò obuiam, & succurrere, maxima & integerrima prolixitas videtur.*

INclytus Patriarcha noster per omnia nobis exemplum bonarum actionum prælucet. At qui illum considerant in ostio tabernaculi sui inter maximos solis ardores sedentem, & auidis oculis omnia circùm loca perspicientem, & velut è specula, aut in excubijs explorantem, si quis fortè propè, aut procul lassus, famelicus, egens transiret viator, vt eum excipere hospitio, & refocillare victu necessario posset, non dicere non possunt, illo tam solicito studio pulcherrimam nobis ex se liberalitatis normam præbuisse. Cùm ergo pro solenni more suo ad fores papilionis suæ excubaret, eleuans oculos vidit propiùs transire tres viros tanquam peregrinos, & ne tam præclara benè merendi occasio cum viatoribus abiret, *cucurrit in occursum eorum* (Genes. 18. 2.) comiterque, ac perurbanè illos hospitij sui oblatione inuitauit.

De hac Abrahæ, & alia simili consobrini illius Lot actione, qui Angelos humanæ figuræ lineamentis tectos domo excepit, loquens Sanctus Ambrosius, ait, illustriorem, præstantioremque fuisse patrui Abrahæ hospitalitatem, quàm consobrini Lot: Hic enim, quando expectabat eos, quibus officia charitatis impenderet, *surrexit, & iuit obuiam eis*, vt habes Genes. 19. 1. at *perfectior* Abraham *cucurrit obuiam, iste surrexit*, & iuit, inquit Beatus Ambrosius. Abraham quamuis grandæuus, & fractus senio, in ipso etiam feruore diei *cucurrit in occursum* personatorum peregrinorum, & velut optatam prædam quandam totâ eos pedum contentione appetebat. Verùm Lot *surrexit, & iuit obuiam.* Hinc sublimitatem charitatis generosi senecionis æstimare licet, qui celeri cursu ad eos ferebatur, quos labore profectionis, & necessitate famis bis exhaustos, & viribus attenuatos putabat, vt oblato cibo eos foueret, & alijs, quibus posset, humanitatis officijs recrearet. Tametsi

Tametsi enim magna liberalitas sit, egenti ostia domus nostræ inclamanti opitulari, longè nihilominùs præstat eorum largitas, qui tanquam pij latrones viarum indagant pauperes, quibus subueniant, explorant mendicos, quorum necessitatem leuent, & cursu obuiam ijs pergunt, quorum inopiæ consulere possint.

Non possum, quin hoc loco expendam præmia, quæ Deus in duobus Psalmis per Regium Prophetam Dauidem pollicetur ijs, qui animo generoso, & prolixâ manu egestati miserorum succurrunt. Psalmo 40. 2. ait: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem.* Videamus quam huic promittat remunerationem. *Dominus conseruet eum*, inquit, *& viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius*; ibid. v. 3. & 4.

Psalmo 111. v. 1. 2. commemorat mercedem, quam Dominus pijs eleemosynarum erogatoribus reddere solet, inquiens: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur.* Huius Psalmi, vt volunt Incognitus, Ioannes Baptista Folengius, Augustinus Eugubinus, Ioannes Boquius, & alij, argumentum est, enarrare felicitatem hominis erga egenos liberalis, de quo posthæc dicit, *Dispersit, dedit pauperibus*; ibid. v. 9.

Sed hîc diligenter animaduertendum, quòd præmia, quæ in priore Psalmo his, qui sunt in pauperes benefici, spondet, tam stricta, tamque angustis circumscripta limitibus videantur, vt ad eos solos deriuentur, qui charitate & largitate erga indigentes vbi fuerint. Sic enim ait ille: *Dominus conseruet* eum, *& viuificet* eum, *& beatum faciat* eum, *& non tradat* eum, *& opem ferat* illi. At verò quæ in posteriore Psalmo addicitur remuneratio, ea tam est ampla, vt non solùm benefactorem felicitet, sed ab illo etiam in omnes eius posteros manans, omnibus bonis eos cumulet: *Potens in terra*, inquit, *erit semen eius, generatio rectorum benedicetur*, opumque, & virium copiâ valebit.


Qui fit, quod hîc tam largæ, & amplæ promittantur benedictiones facienti eleemosynas, ibi verò tam exiles, & angustæ (quanquam meritis semper multò maiores) vt ab eo, qui in pauperes liberalis est, non deriuentur ad alios?

Id ego exponam. Videte quid in priore Psalmo dicat: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem*; inquit ibi, & in posteriore: *In mandatis eius volet* succurrere indigenti. Primus ergo in priore Psalmo operabatur ad modum, quo intellectus solet, secundus in posteriore ex more voluntatis. Duarum istarum animæ facultatum hæc est differentia, quòd intellectus res ad se aduocat, intusque, & domi suæ, vt sic loquar, manens negotia sua conficit, *intelligere* namque, quod sæpè apud Angelicum Magistrum Sanctum Thomam reperias, *est intus legere*: At verò voluntas contra facit, extraque ad res fertur, vt eas amet, & prosequatur. Ex his accipiemus propositæ quæstionis solutionem. Maiora facienti maior debetur remuneratio, debent enim respondere præmia laboribus. Qui autem facit eleemosynam ad modum operandi, quo intellectus vtitur, ille domi suæ manens benè facit indigo ad se venienti. *Beatus* ille, *qui intelligit super egenum*, expectans eum, vt ad se accedenti, & stipem postulanti subueniat, quia retribuetur ei, & inueniet suam mercedem, sed non tantam quantam is, qui pro more voluntatis agit, *in mandatis* namque Domini *volet*, forasque prodibit, vt quærat egentes, & inueniat, leuetque necessitate laborantes. Primi ergo præmia non deriuantur ad alios, secundi remuneratio redundat in eius familiam, & posteros, tametsi enim meritorium sit ac laudabile domi suæ pro consuetudine intellectus manere, atque intùs præstolari pauperes necessitatibus suis remedium postulaturos, multò tamen præstantior est illorum charitas, qui voluntatem imitantes erumpunt foras, percurruntque vicos, & compita, & quærunt, quibus ferant opem.

Debemus hîc nunc reuocare ad trutinam quoddam Sancti Eligij ex homil. 2. dictum, quod alibi ad varia proposita sæpè à nobis expensum. De Augustissimo sacrosancti altaris Sacramento, eiusque potentia loquens aiebat: *Sacramento Eucharistiæ totus mundus subiugatus est.* Id mihi difficile intellectu videtur, ob hoc maximè, quòd ipse Dominus noster suam de subacto mundo reportatam victoriam vult sibi in crucem acto adscribi, cùm ait: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*; Ioan. 12. 32. Quod cùm ita sit, quomodo Sanctus Eligius ait, Sacramento Eucharistiæ totum subiugatum esse mundum, quod Christus à se crucifixo factum affirmat? Quomodo hoc rectè intelligemus? Ipsa Eligij verba dicent, si diligentiùs premas. Quid enim is de Sacramento Eucharistico ait? Mundum esse illi *subiugatum*, sic vt illius efficacitate Sacramenti permotus mundus ad Christum tam demissè venerit, quàm subiectè, humiliterque ad iugum venire

mire bos solet. Quid Christus in cruce? *Omnia traham ad me*, inquit, quod vim quandam sonat, quâ homines ad se accersat. Quid verò est, quòd Christus in Sacramento tam suauiter ad se permouet homines, vt ipsi ad illum, non secùs ac boues ad iugum, lubentes veniant, ad crucem autem velut coactè pertrahuntur? Causa ea est, quòd in cruce habemus Deum benefactorem manibus, ac pedibus fixum, impeditumque, vt nos ipsum quærere debeamus, si volumus inuenire: Verùm in Sacramento ille ad nos venit, ille animarum foribus sese ingerit, & quando ægrè nobis est, quando benè valemus. Vt ergo innotescat, quid sit discriminis inter benefactorem, qui ipse quærit egenos, quibus opituletur, & eum, quem quærere debent egeni, vt leuamen ab illo referant, ipse Dominus in sese dare hoc expressum voluit, qui velut coactos ad se pertraxit ærumnosos, quo tempore ab ijs quæri debuit, leuiterq; ad se etiam hodie adducit, quibus sui copiam in Sacramento, quasi occurrens, offert. Indagare pauperem, cui benè facias, sublimissima charitas est, adeò faciliùs expugnat animos, quisquis eâ vtitur.

Ad hoc propositum debemus notare, quod idem Dominus noster, quando Diuinissimum hoc Sacramentum instituerat, statim in montem Olíueti cum Discipulis suis se recepit, de quo Sanctus Matthæus c. 26. v. 30. ait: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti*. Quòd oliua sacris literis sit solennis pietatis, & misericordiæ symbolum, id tam notorium est, ac receptum, vt otiosum sit probare. Cur ergo Dominus post Augustissimi illius Sacramenti institutionem in eum montem cum suis Discipulis secessit? S. Ioan. Chrysostomus homil. 84. in Matth. ait: *Vt & nos ad manus pauperum exeamus, ibi enim mons oliuarum est*. Expendendum in his illud *Vt & nos ad manus pauperum exeamus*, quo nos Sanctissimus Doctor vult excitare ad imitationem Christi Sacramento tecti, vt quemadmodum ille ex nobilissimæ charitatis, & perfectissimæ, atque integerrimæ largitatis vsu, & ingenio quærit in illo Sacramento pauperem, occurrit, offertq; se indigenti, sic & nos inuestigemus miseros, obuiam eamus esurie, aut quauis aliâ necessitate laborantibus, neq; expectemus, quousque illi nos requirant. Hac enim nobili generositate, & generosâ munificentiâ efficiemur dexterrimi, & solertissimi artis benefaciendi magistri.



# CAPVT II.

*Terribiles minas, & horrenda supplicia effulminat Deus in illos, qui opprimunt pauperes, & vastant subditos, vt non necessarias domos, & inutilia palatia excitent.*

PErmirum cuicunque attentioribus oculis historiam nostri Patriarchæ percurreti accidet, quod sacer textus ait, apparuisse illi Dominum *sedenti in ostio tabernaculi sui*. Dignum profectò notatu est, dicet curiosus quispiam, quòd Abraham tam opulentus, & locuples, tam diues auri, & argenti, & pecoris nunquam sibi excitauerit domum, in qua degeret, sed in papilionibus, & tabernaculis semper vixerit, hospitesque sub vmbra illicis tam celebratæ apud omnes Gentes, vt ait Sanctus Hieronymus, exceperit, & recreauerit. Cur non ædificauit sumptuosam, & dignam se tanto Patriarchâ, tamque illustri viro basilicam, in qua habitaret? Cur? Ideò forsan, ne si magnificam domum sibi construere vellet, sumptus extraordinarijs exactionibus sibi parare necessum haberet, aut fabrica sibi raperet, quæ in pauperes eroganda forent. Magna enim ædificia, quando sine magna necessitate construuntur, nunquam sine magno periculo, & manifesto discrimine conscientiæ, & euidente pauperum iniuria fiunt.

De immoderatis exactionibus, & crudelitatibus, quibus Rex Ioakim erga subditos suos vtebatur, agens Ieremias Propheta c. 22. v. 13. inquiebat: *Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio, amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei*. Cùm hæc dixisset, mox conuersus ad Regem, aiebat: *Tui verò oculi, & cor ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & cursum mali operis*; ibid. v. 17.

Magnus Ezechielis interpres Hieronymus Pradus in c. 19. Ezech. v. 7. verba superiora Ieremiæ exponit verbis alijs, quæ reges non in ære cælata, sed cordibus insculpta meritò habeant. Sunt autem ista: *Obserua rarò superba palatia, ædesq; magnificas construi, nisi violatâ iustitiâ, legibusq; contemptis, oppressis ciuibus, operis defraudatis, atque eiusmodi alijs iniquitatibus admissis, quibus sumptus minuuntur, & pecuniæ comparantur*.

Aptè huc cadet quidam Prophetæ Habacuc locus, cuius momenta ad hoc propositum volo expendere. Loquitur sanctus hic Vates contra eos, qui ædificabant domos, palatia, ciuitates contra leges

iustitiæ;

iustitiæ, & rationis, & exclamat: *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit*; Hab. 2. 11.

Quid verò clamabit lapis, quidue respondebit lignum? Respondent Hugo Cardinalis, & doctissimus ac venerabilis P. Sanchez: *Clamabit lapis sequentia*, nimirùm: *Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus*; ibid. v. 12. Statuamus nunc, quid sit ædificare ciuitatem in sanguinibus. Cornelius ex Paraphraste Chaldæo & B. Alberto Magno id his verbis exponit: *In sanguinibus, id est, ex oppressionibus pauperum, quos cogit in hoc opere sudare, & laborare, in eoq; spiritus, & sanguinem suum exhaurire*, quemadmodum Pharao Hebræos oppressit, tantumque non prorsùm extinxit.

Franciscus de Ribera, Caspar Sanchez, Hieronymus Pradus, tres vnius Societatis IESV, aiunt, ædificare in sanguinibus, esse ædificare sumptu, numis, victu pauperum: *Sanguis enim pro pecunia sumitur, & victu, quibus hominum vita sustentatur.* Ædificant ergo in sanguinibus, qui annonam, & quæcunque ad victum spectant humanum nimijs tributis prægrauant, atque inde sibi excitandorum sumptuosorum ædificiorum impendia comparant. Ad hunc modum vita pauperibus adimitur, nam cùm victus pretium immoderatè augetur, facultas emendorum necessariorum aufertur, consequenter sanguis eripitur, dùm non relinquitur, quo alimonia conquiri vitæ possit. *Sanguis pecunia est miseris mortalibus*, inquit Pradus. Quando ergo & exactionibus nimijs oneratur annona, & hominibus alioquin tenuibus sic adimitur facultas parandi victum necessarium, duplici eâ velut sectione venæ, & sanguinis emissione eò adducuntur, vt prorsùm consumantur, & deficiant miseri, & pauperes subditi.

Quid verò ijs eueniet, qui cum tanto aliorum damno, & exitio ædificant? Id, quod Propheta dixit: *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.*

Apud Castro vertit Hebræus: *Lapis vociferabitur*, magnis clamoribus personabit. Quid est lignũ inter iuncturas ædificiorum? Respondet Sanchez: *Quod occultum est*, gypsoq; illitum, vt sunt illa, quibus tectoria in parietibus inducuntur. Hæc ergo ligna vociferabuntur, hæc ex latentioribus penetralibus, & secretioribus cubiculis clamabunt vindictam, petentque è cœlo iustitiam contra eos, qui talibus in locis ea collocari imperârunt tanto cum damno, & exitio Rerumpublicarum, & pernitie pauperum, quibus victus, vitaque adeò per constructionem id genus inutilium, & superuacaneorum ædificiorum adimitur.

Sanctus Hieronymus adducit aliam eorum verborum translationem, quæ sic habet: *Lapis de pariete clamabit, quasi vermis in ligno loquens.* Sensus illius versionis talis est: Quemadmodum teredo nocte, dieque viscera ligni rodit, fodicat, depascitur; sic ædificia sumptuosa absque necessitate aliqua, & cum oppressione pauperum excitata, perpetuò commorsicabunt conscientias, torquebunt animas, vexabunt spiritum, angustabunt cor eorum, qui magnificas illas, sed parum necessarias fabricas construi imperârunt.

Non prætereamus silentio prosopopœiam Sancti Prophetæ, quam magnum in modum commendat Arias Montanus. *Clamabit lapis, & respondebit lignum*, inquit Habacuc, & velut per choros dabunt mutuò voces lapis, & lignum. Alludere videtur Habacuc ad illud, quod Isaias refert de duobus Seraphinis, qui *clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Isa. 6. 3. Velut iam horum alter cantabat *Sanctus*, & alter respondebat *Sanctus*: Sic in illis ædificijs, inquit Habacuc, clamabunt alternatim noctu, atque interdiu, *Væ, væ, væ!* Væ illis miseris, & infelicibus, qui cum tanta strage pauperum, vastatione populorum, pernitie subditorum construxerunt pro sola sua libidine domos, excitârunt pro sola vanitate, & ostentatione ædificia? *Lapis* contra eos *clamabit, & lignum respondebit*, alternisque vocibus crudelitatem eorum damnabunt. Veniet enim, veniet dies, in quo & lapides loqui, & dare voces ligna scient, vt eorum barbaram duritiem accusent, qui immanibus exactionibus, intolerabilibus tributis, atrocibus vexationibus extorquent à tenuibus, egentibusque subditis, vnde superuacanea erigant ædificia. At si lapides vociferabuntur, & ligna clamabunt, quibus vocibus non personabit sanguis inopum oppressorum, & exhaustorum quorum necessario victui ereptum est, quod in eiusmodi ædes malè profusum?

Prædicat Sponsus ab elegantia colli Sponsam suam, dicens: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis*; Cant. 4. 4. Proximus imminebat ciuitati Hierosolymitanæ mons Sion, in cuius editiore loco, & hiantibus iugis construxerat Dauid validissimam turrem, quæ infernè iacenti Vrbi fortissimo esset præsidio. Qua de re videte Borchardum in descriptione Terræ Sanctæ p. 1. c. 7. §. 43.

Dissimulemus hîc, quid mysterij habeat, quòd

Sponsæ

Sponsæ collum cum turri Dauid comparatum fuit, ac de turri ipsa loquamur. Quod hæc turris dicitur *ædificata cum propugnaculis*, id alij transtulerunt, *ædificata ad doctrinas, ad disciplinas, exemplaris loco.* Quod nostra Vulgata habet, *Propugnaculis*, id in origine Hebræa est, *Letalpioth*, vt aiunt Rabbini, Salomon, Ezra, Anonymus apud Genebrardum, Ghislerium, Martinum Delrium, & alios. *Letalpioth* autem idem est, quod *doctrina, disciplina, exemplar*, qui varius significatus translationum varietatem fecit.

Quid verò institutionis ex illa ad doctrinam ædificata turri accipi, quid normæ, & exemplaris ab illis propugnaculis peti poterat? *Quæ ædificata est ad doctrinas.* Quid enim tam sumptuosa machina docebat? Docebat Reges, & Principes, quid facere deberent, cùm deliberatum haberent sumptuosa moliri ædificia, vt nimirùm cùm tale quodpiam conceperunt animo propositum, animaduerterent, quomodo benè collocarentur numi, rectè fierent impendia, viderentque vt si quid erogandum est in fabricas, id verteretur ad necessaria & vtilia ædificia, si vellent conscientijs suis consultum benè, vt quemadmodum Dauid construxit turrem illam, vt esset præsidio vrbi Hierosolymorum, sic illi excitarent arces, munirent loca, adornarent propugnacula, ex quibus regna defendi, repelli hostes, & incursiones eorum coërceri possent. Nam adornare ædificia superuacanea, vana, inutilia, eamque in rem profundere immanes sumptus, sudoremque, & cruorem aliorum miserorum, id in exitium conscientiarum, & stragem rerum publicarum redundare debere perspicuum est.

O quàm vereor, ne cui paratum sit illud supplicium, quod iustus Iudex de quodam Verdunensi Abbate Richardo sumpsit! de quo Sanctus Petrus Damianus lib. 8. epist. 2. refert, visum esse cuidam seruo in ecstasi apud inferos *velut excelsas machinas erigentem, & anxium, atque solicitum tanquam munita castrorum propugnacula construentem.* Quamobrem verò miser ille tali cruciatus genere vexatus fuerit?

Respondet Eminentissimus Cardinalis: *Hoc enim morbo laborauerat ille, dum viueret, vt in extruendis inaniter ædificijs omnes ferè diligentiæ suæ curas expenderet, & plurimas facultates Ecclesiæ in friuolis huiusmodi nænijs profligaret.* Itaque Abbatis illius, dùm inter mortales ageret, omnis cura, solicitudo, vigilantia, cogitatio, totumq; studium eò ibat, vt nouas quotidie ædificiorum formas inani labore apud animum suum architectatrice imaginatione confingeret, domosque alias dirueret, extrueret alias. Huc ille monasterij prouentus, hoc est, patrimonium pauperum malè vertebat. In has nugas, & ineptias ingentem vim pecuniæ imprudens decoctor effundebat, vt *plurimas* etiam *facultates Ecclesiæ in friuolis huiusmodi nænijs profligaret*, & ædificans domorum muros mores subditorum demoliebatur. Abbas ergo tam prodigus, & profanus, qui in res nugatorias vanè erogabat Ecclesiæ facultates, & pauperes fame necabat, & improbo suo exemplo passim omnes offendebat, æternus in illius picei, & sulphurei stagni oceano remex vnà maximè talium ædificiorum imaginatione vexabatur, & *quod fecit in vita, hoc perferebat in pœna*, inquit Sanctus Damianus. Ita ex inanibus fabricis, & inutilibus structuris, & superfluis, vanisque ædificijs nunquam potest conscientijs esse benè, nunquam finis aliquis felix sequi.

Si non est ita, videte quanto stetit idololatræ regi Achab vinea, quam Naboth Iezrahelitæ per vim eripuit. Propiùs à regia aberat illa vinea, petebatq; rex eam sibi vel pro alia vinea, vel pro pecunia parata dari. Restitit cupiditati regiæ Iezrahelita, donec illo perfidiosorum à regina subornatorum falsis testimonijs ad lapides damnato, & saxis extincto, adempta hæredibus vinea fuit. Hinc regi omne suum exitium natum, & comparatum fuit, cui Elias suæ domus interitum, & varias calamitates, quibus pro tam nefariæ necis merito exagitandus esset, prænuntiauit.

Verùm dices mihi. Quid iniustitiæ perpetrauit rex, qui vineam subdito suo abstulit, cui dixerat, *Dabo tibi pro ea vineam meliorem, aut si commodiùs tibi putas, argenti pretium, quanto digna est?* 3. Reg. 21. 2. Cùm rex tam comis erga subditum esset, vt pro vinea vineam meliorem, aut pretium, si id fortè mallet, paratum offerret, cur tam celebrata est animosa, & fortis repugnantia Nabuthis, qui hoc concedere regi suo noluit, vt de sua vinea vllo modo decederet, adeò supremæ infelicitatis occasionem illi ministrauit?

Sanctus Ambrosius lib. de Nabuthe c. 3. ait: Videte, amabo, quamobrem vineam rex Achab petierit: *Da mihi vineam tuam*, aiebat, *vt faciam mihi hortum olerum*; ibid. *Hæc erat omnis insania*, inquit Ambrosius, *hic omnis furor, vt spatium vilibus oleribus, quæreretur.* At si Ambrosio *omnis insania, & omnis furor* visus est, quòd rex suæ recreationi, suisque leguminibus petijt vineam, quam vel meliore vineâ, vel digno pretio compensare volebat, quanta insania, quantusque furor sit, excitare superflua pa-

latia, inutiles domos, loca recreationum vana, idq; impendijs miseri vulgi, sumptibus afflictorum subditorum, eosq; nouis quotidie portorijs opprimere, & neque militibus sua stipendia numerare, neque arcibus ad præsidia regnorum constructis prospicere, neque alia tum multa, tum magna incommoda præcauere? Huc profectò, huc nimisquam aptè cadit illud Beati Ambrosij: *Hic omnis insania, hic omnis furor.* Nullius consilij est, & perditissimæ conscientiæ, quisquis talium ædificiorum autor.

Quæ sine damno Rerumpublicarum, & absque oppressione subditorum excitantur structuræ, eas habet Deus gratas. Huiusmodi ædificia excitauit Sanctus Abbas Fructuosus (contra ac ille Verdunensis) qui postquam ædificauit insigne monasterium Compluti, fecit & paruum oratorium dedicatum Sancto Petro, quod postea Sanctus Valerius extendit in iustam magnitudinem Ecclesiæ, dein verò Gennadius Presbyter cum duodecim religiosis, ac deuotis operarijs primùm instaurauit, ac postremò, cùm iam Episcopus esset, sumptuosè ab ipsis fundamentis exædificauit. Saxum quoddam ostio Ecclesiæ vicinum perspicuis characteribus cælatum, ad omnem oculorum gratiam perspicuè, ad omnem temporis iniuriam pertinaciter, ad omnem obliuionis inuidiam indelebiliter refert, quâ ratione illam Gennadius erexerit Ecclesiam. Insignis historicus, religiosus Dominus Franciscus Prudentius de Sandoual in descriptione fundationis monasterij S. Petri de montibus saxo illi hæc ad marginem insculpi curauit, *Piedra notable*, hoc est, lapis notabilis, & verba illius hæc descripsit: *Nouissimè Gennadius Presbyter cum duodecim fratribus restaurauit. Erâ DCCCCXXXIII. Pontifex effectus, à fundamentis mirificè, vt cernitur, denuò erexit, non oppressione vulgi, sed largitate pretij, & sudore fratrum huius monasterij.* Hinc accipiant Principes, & quicunque Superiores, quos magnificas erigere structuras oblectat, vt hoc faciant, non exaggeratione tributi, non insolente, & graui impositione portorij, *non oppressione vulgi, sed largitate pretij,* & magnificentiâ proprij ærarij. Benè construit, qui sic agit, destruit, qui aliud facit.

Ad morem Catholicum hanc nobis doctrinam Poeta gentilis tradet, qui in quadam de Æneæ ad inferos descensu fabula fingit, visum illi in campis Elysijs copiosissimum animarum examen, quæ illos delitiosissimos agros ad omnem voluptatem oberrarent. Interrogasse autem Æneam, quid illæ ibi agerent, responsumq; accepisse, morari ibi, quousq; ad Romam fundandam, nominumque suorum insignia latissimè diffundenda euocarentur. De his ita canit Virgil. lib. 6. Æneid.

*Ac veluti in pratis, vbi apes æstate serenâ*
*Floribus insidunt varijs, & candida circùm*
*Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.*

Hîc iam possumus interrogare, quamobrem magnus Poeta Romam ædificaturas animas apibus comparârit, quæ ex floribus legunt, vnde sua mella stipent, & conficiant fauos.

Claudius Donatus ait, esse admodum ingeniosam, & aptam istarum animarum cum apibus collationem. Nam *apes iustæ floribus suum concipiunt florem, floribus mella concipiunt, & fauos honesto labore distendunt. Perinde quia & illa anima pro merito suo, condendo Romano Imperio parabantur, apum cœtibus nascuntur æquatæ.* Apes solertè industriâ, & optimè ordinatâ diligentiâ fingunt suos fauos, conuehunt mella, conficiunt ceram, struuntque operas suas per summam iustitiam, quia citra alicuius iniuriam, vlliusué floris, atque arboris læsionem. Quapropter Thomas Cantipratanus l. 2. de Apib. c. 36. ait: *Miro modo innocua sunt,* quæ floribus absque vllo fructuum dispendio auidissimè insidunt. Quòd ergo animæ, quæ Romano condendo seruabantur imperio, compositæ sunt cum apibus, quæ suas absque vllo aliorum incommodo construunt operas, tacita quædam monitio fuit, vt hi, qui grandia moliuntur ædificia, id sic faciant, vt nullum inde ædibus alienis detrimentum veniat, non grauentur annona vectigalibus, non onerentur subditi intolerabilibus tributis. Apes dicuntur *iustæ* Donato, quòd labores suos absque aliorum damno conficiant. Qui ergo apum instar non construunt, iniustitiæ leges impingunt, & contra rectam rationem vadunt.

Qui amant construere ædes, excitare palatia, imitentur hirundinis industriam, de qua Sanctus Ambrosius lib. 5. Hexæm. c. 17. sic habet: *Ædificat, nec impendit, tecta attollit, & nihil aufert proximi,* sumptibus proprijs, non impendijs alienis suum sibi parat domicilium. Qui ædificant in sanguinibus, qui amplas domos cum damno subditorum erigunt, ij suas animas inferno consecrant, dum vulgus hominum emungunt.

CAPVT

# CAPVT III.

*Autoritatis iacturam, aut dignitatis imminutionem ex humilitate nemo fecit.*

HVmiliter, & comiter, hilariter, ac lætanter inuitabat Patriarcha noster Angelos ad ineundam mensam, & capiendam quietem, dicebatque: *Afferam pauxillùm aquæ, & lauate pedes vestros*; Genes. 18. 4. Ad omnia sese offerebat sanctus senex, afferre aquam, lauare pedes paratus. *Ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum*, ait sacer Scriptor ibid. v. 7. & Sanctus Hieronymus epist. 26. *Ipse pedes lauit, ipse pinguem vitulum portauit humeris de armento*; nullum humanitatis, & humilitatis officium erubuit. Hinc accipiamus, quòd per exercitationem humilitatis, & demissionem nihil detrahitur cuiquam de sua existimatione, dignitate, celebritate in domo Dei, vt propterea abiectorum officiorum procurationem, siue administrationem defugere nemo debeat.

Postquàm supremam illam, & Sacrosanctam cœnam Dominus, & Saluator noster celebrasset, voluit insignitum illud beneficium memorabili, & inaudito incomparabilis humilitatis exemplo obsignare, seq; vsque ad lauandos Discipulorum suorum pedes submittere. Priusquam Sanctus Ioannes hanc tantæ demissionis recenseat historiam, facit quandam digressionem, quæ non multùm ad rem facere videtur. Sic enim illam orditur narrationem: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, ponit vestimenta sua, mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum, & extergere linteo*; Ioan. 13. v. 4. 5. Obstupefecit hic tantæ humilitatis actus Petrum tam vehementer, vt nollet suos exhibere lauandos pedes, donec grauissimæ comminationis fulmine perculsus humillimi Magistri diuinis manibus sordidos pedes suos permitteret, humiliterque obtemperaret.

Sed quorsùm illo præambulo vsus est Euangelista, vt priùs diceret, quòd Christus scierit, omnia sibi tradita in manus à Patre, seq; ab eo exijsse, atque ad illum redire, quàm narraret, quòd humilis serui habitum indutus, ad pedes vsque Discipulorum illas manus demisit? Videtur enim non magna esse priorum cum posterioribus connexio.

Respondet Theophylactus, magnus ille Bulgarorum Archiepiscopus huic obiectioni ita: *Cùm sciret, quòd omnia tradidisset ei Pater, & quòd à Deo exisset, & ad Deum iret, non timebat minui gloriam suam lauans pedes Discipulorum suorum.* Vt certo documento institueremur, nihil decedere cuiquam de sua gloria, & existimatione ob id, quòd humilibus vacet actionibus, antequam supernus Magister vsq; ad lauandum duodecim piscatorum pedes se submittat, dicitur de illo, quòd à Deo exijt, & ad Deum vadit, quòdque eædem manus, quæ loturæ erant sordidos illos pedes, sint scrinia omnium rerum, nec propter illam lotionem desinant esse dominatrices, & creatrices omnium rerum conditarum. Nemo suæ autoritatis, & dignitatis iacturam passus est ex eo, quòd ad humiliora officia se dimisit, *& ita non minuebatur gloria Christi, qui talis est, ex eo, quòd Discipulos lauerit*, inquit rursùm Theophylactus. Post illos pedes lotos tam Rex, tam Deus, tam Magister, ac Dominus mansit, quàm ante fuit. Quare & ipse post eorum pedum lotionem dixit: *Vos vocatis me Magister, ac Domine, & benè dicitis, sum etenim*, (ibid. v. 13.) nec quidquam remisi de mea autoritate, quòd ad vestros pedes me submisi, nunquam enim humilitas magnitudini aliquid detrahit.

Quàm præclarè hoc expressit Plinius iunior in suo illo Traiani tam celebri panegyrico, vbi hæc è multis pauca: *Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ.* Princeps altissimus, Rex maximus, Monarcha supremus nunquam magis securus est de sua magnitudine, nunquam magis tutam, illæsamque, & inoffensam habet sublimitatem, & maiestatem, quàm cùm ipse se ad humilis alicuius operis exercitium submittit: *Neque enim ab vllo periculo fortuna Principum longiùs abest, quàm ab humilitate*, addit Plinius. Nulla res longiùs à discrimine submouet Principum felicitatem, quàm humilitas. Humilitate nemo suam profanauit maiestatem.

In libro Actuum Apostolicorum refert S. Lucas Euangelista miracula, quæ Deus per Paulum operabatur, dicens: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli*; Act. 19. 12. Quibus medijs ad has tam eximias, & celebres virtutes vtebatur Paulus? Non dissimulauit hoc Lucas ibidem subdens: *Ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.*

Non paruam attulit Expositoribus difficultatem statuere, quid sibi velit, aut significet semicinctium. Lorinus, vt aliorum eruditorum sententias hîc præteream, putat, tegimen quoddam fuisse, ab humeris ad genua vsque pendulum, quo mechanici, cùm illiberales

berales operas tractant, cæteras vestes, ne quid sordium ex eis contrahant, tectas, mundasque seruare solent. *Ergo semicinctium forsan est è lino, similiué materia pannus, quem circumligando demittunt, qui in opificio, aut ministerio versantur,* inquit ille. Quidam è multis sunt, nec magno loco habetur in Rep. quicunque tali seu laneo, seu lineo, siue etiam scorteo velo ad tegendas reliquas vestes, dum suis operis vacant, vtuntur. Cur autem voluit Dominus, vt illud semicinctium, sudariumq; Pauli tam prodigiosa operarentur miracula, ipsosque generis nostri capitales, & potentissimos exturbarent ex hominibus, & fugarent hostes? Cur voluit, vt eædem res & ad vilia opificia, & ad stupenda miracula essent vsui? Vt significaret, nihil detrahi de dignitate alicuius rei, per hoc, quod ad humilia officia adhibetur, propterea voluit, vt sudarium, & semicinctium Pauli, (vilis & seruilis officij, quod exercebat, insignia) eijceret dæmones, & curaret infirmitates. Non perdit homo suam existimationem, quia se humiliat, neque maculam infert gloriæ, quòd se demittit.

Scribit Sanctus Paulus Apostolus discipulo suo Tito, & sic orditur epistolam: *Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi*; Tit. 1. 1. Volebat authoritatem scriptis suis conciliare, ideòque Apostoli titulo se ornabat. In hanc rem sic disserit Sanctus Hieronymus in illius epistolæ commentario: *Porrò quod ait,* Apostolus Iesu Christi, *tale mihi videtur, quale si dixisset, præfectus prætorio Augusti Cæsaris, magister exercitus Imperatoris Tiberij. Vt enim iudices sæculi huius, quò nobiliores esse videantur, ex regibus, quibus seruiunt, & ex dignitate, quâ intumescunt, vocabula sortiuntur, ita & Apostolus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolorum se titulo Christi pronotauit, vt ex ipsa lecturos nominis autoritate terreret, indicans omnes, qui in Christum crederent, debere sibi esse subiectos.*

Benè habet istud. At si Paulus volebat omnes sibi debere esse subiectos propter illum magnificum Apostoli titulum, siue propterea, quòd Apostolus Iesu Christi esset, cur primo loco se humilem seruum nominat (*Paulus seruus Dei*) nam vt ex magno nomine Apostoli autoritas illi grandis accedebat, ita ex humili appellatione serui de magnitudine illius non parùm decedebat? Quomodo ergo non putauit incongruens magnificentiam Apostoli cum exiguitate serui copulare?

Respondet Glossa Angelica: *Humilitas non tollit potestatem, & dignitatem*; quasi dixisset: Non satis intelligis ordinem rerum. Quando Paulus titulos Apostoli, & serui coniungit, quorum ille tam altus, hic tam humilis est, nihil minùs veritus fuit, quàm ne per vilitatem serui perderet sublimitatem Apostoli, nunquam enim humilitas impedimento fuit, aut derogauit magnitudini, neque demissio splendorem maiestatis extinxit, neque deiectio lucem dignitatis obscurauit: *Humilitas non tollit potestatem, & dignitatem.* Si Rex aut Regina, si Dux, illiusq; vxor, si nobilis, & quæuis illustris matrona nosocomium inuisant, ægrosque pauperes beneuolente, prolixâque manu iuuent, & cibos eis ministrent, nunquam per hoc fiet, vt Reges, Duces, magni viri, aut principes fœminæ esse desinant. Humilitas enim nunquam incommodauit autoritati, neque iuribus eius quidquam detraxit: *Humilitas non tollit potestatem, & dignitatem.*

## CAPVT IV.

*Nihil indecorum in domo Dei, nisi peccatum.*

HInc sequitur alia consideratio nata ex Capitulo præcedente, nempè quòd nullam debeamus fastidire operam humilem, nullum respuere in domo Dei ministerium seruile, tanquam per eius administrationem de gradu suæ existimationis quispiam cadat. Grauiter nimirùm errat, si quis abiectum se fieri putet, quòd abiectum officium pro Dei honore aut amore procuret. In magna enim Dei domo vnum solùm esse potest, quod dedeceat, puta peccatum, præter illud nihil est, ex quo veri honoris iacturam facere homo probus possit.

Huc spectat illud ex Parænesi 30. Sancti Ephræm: *Neque ægrotare secundùm carnem est delictum, neque in damna, & tribulationes incidere est lapsus, atque ruina, sed in tentationibus non probatum inueniri,* & per impatientiam offensionem Dei incurrere. Alioquin tametsi sordidè vestias, & mensam tenuem habeas, & ostiatim cibum, frustillatimque panem commendices, nihil hæc probri, dedecorique habent, si peccatum absit.

Abijt populus Dei liber ab Ægyptiaca seruitute, vt sacer textus ait: *At illi egressi erant in manu excelsa*; Exod. 14. 8. subaudi, Domini Dei, sic enim interpretatur Rupertus Abbas. Paraphrastes Chaldæus apud Octauianum Rufum in c. 4. Eccli. v. 33. sic transtulit verba superiora: *Filij Israel egrediebantur capite discooperto.* Videtur hic alludere Chaldæus ad morem loquendi communem, qui hoc habet, vt de eo, qui est verax, non appetens alieni, integer vitæ, & quod hominis boni est, facit, dici solet,

leat, *Que puede andar con la cara descubierta per todo el mundo*; *hoc est, apertâ facie totum obire mundum potest.* Ad hunc modum dicit Chaldæus: *Filij Israel egrediebantur discooperto capite*, tanquam nihil habentes, ob quod erubescerent. Sed quomodo nihil habebant, quod eos puderet, qui exibant à misera & abiecta seruitute, sub qua tot ludibria, conuitia, probra, contumelias passi, tot flagris, & verberibus laniati, tam duris, & vilibus officijs addicti fuerant? Dicit nihilominùs ille, *Egrediebantur capite discooperto*, vt nos doceret, in domo Dei nullam esse probrosam seruitutem, nullam ignominiosam ignominiam, nullam turpem inopiam, & paupertatem, nec quidquam indecorum, nisi peccatum. Liberis oculis, deopertoque vultu ire quouis potes, dùm non ad peccandum vadas.

Quærit Angelicus Doctor Sanctus Thomas 2. 2. q. 144. art. 3. *Vtrum in Virtuosis hominibus possit esse Verecundia*; hoc est, an habeant, quod illis adferre ruborem queat. Ac postquam ventilauit quæstionem, sic de illa pronuntiat: *Senes & Virtuosi carent Verecundiâ, sunt tamen sic dispositi, Vt si in eis esset aliquid turpe, de hoc Verecundarentur.* Quàm apposite hoc in loco Angelicus Doctor senes virtuosis adiunxit? Senem quiduis decet, nullius rei illum pudet. Vbique loqui, & sedem, quam vult, deligere potest. Non illum dedecet neglectior vestitus, horridula verba quanquam proferat, tametsi eius impexa sit oratio, tametsi incompti, inornatique sermones, non erubescit. Tales sunt etiam virtutis studiosi, *Verecundiâ carent*, solum peccatum est, quod illis dedecori esse posset, solum peccatum vident esse indecorum, & adferre posse ignominiam.

Apud S. Ioannem c. 9 v. 16. hanc Christo calumniam quidam Pharisæi dicebant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.* Apud S. Lucam c. 13. v. 14. archisynagogus indignabundus cum stomacho ad turbas aiebat: *Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo Venite, & curamini, & non in die Sabbati.* Itaque hoc illi sibi persuasum, certumque habebant, quòd plurimùm dedeceret, curare ægros in die Sabbati, archisynagogus *seruile opus existimabat sanare*, inquit Sanctus Bruno Ser. 2. de ramis palm. Ministrare infirmo necessaria, emundare ipsius vulnera, componere lectum, alia humilitatis, & charitatis officia ei exhibere, numerabant Iudæi in operibus vilibus, & seruilibus.

Dicit nunc Sanctus Bruno. Si vis scire, quæ sunt seruilia opera, audi Prophetã dicentem: *Non occides, non mæchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui.* Decalogi prætermissio, mandatorum diuinorum neglectus, hæc sola probro sunt in domo Dei, *hæc sunt seruilia opera, hæc faciunt homines seruos*, quæcunque contrà supremi Legislatoris mandata ab eis vel omittuntur, vel committuntur. Hæc sola vilem, sordidumque faciunt, alia, quæ erubescas nulla sunt.

De ciconijs ferunt, tantã esse ergà parentes pietate, vt decrepitos humeris excipiant, quò volandi labore leuent, & annonâ aliunde allata nutriant. Affirmant hoc Plinius, Berchorius, Pierius, Valerianus, & alij plures. S. Ambrosius verò lib. 5. Hexam. cap. 2. ait: *Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare.* Si compos rationis esset ciconia, interrogareturque, quomodo non pudeat illam tali oneri submittere humeros, quæ huiusmodi ministerio nata non sit, vt cætera quædam iumenta sunt destinata, fictaque à naturæ opifice, & facta? responderet, inquit Ambrosius, pia ciconia: Non erubesco id genus subire, & succollare sarcinam, quanquàm non sim ad eam nata, *est enim Vectura pietatis.* Antipelargia est, mutua beneficiorum vicissitudo est, debitæ obseruantiæ exhibitio est, quòd longæuo parenti humeros ad obsequium submitto, id mihi proinde non probro est, sed gloriæ, neque dedecori, sed honori duco, nobilitatemque non infamiam adferre existimo. Solum peccatum indecorum est, benè agere nihil vilitatis, aut ignominiæ habet.

Cùm diceretur cuidam cœco, quòd iuxta viam, vbi ad mendicandum sessitabat, Iesus Nazarenus transiret, magnis vocibus illum inclamabat, dicens: *Iesu fili Dauid, miserere mei*; Lucæ 18. 38. Compescebant importunos clamores illius, iubebantque tacere, qui præibant per viam, valde enim inurbanè, & subrusticè indecenterque factum putabant, quòd tam inconditis vocibus cœcus perstreperet, totque hominum aures abiectus mendiculus offenderet. Sed nequicquam illum increpabant, *ipse* enim *multò magis clamabat* (ibid. v. 39.) susque deque habens omnes aliorum obiurgationes. S. Ioannes Chrysost. in Biblioth. hom. in Dominica Sexag. ait: *Per inhibitiones eiusmodi non impediebatur eius audacia, nouit enim fides omnibus repugnare, & in omnia triumphare, Vtile enim est pro cultu diuino pudorem deponere.* Volebant Domini per viam comites, vt esset etiam mutus, qui erat cœcus, turpe enim putabant in media turba personare vocibus. Sed cùm cœcus videret, quid peteret, fide, & pertinaciâ confirmatus superauit omnia, quæ illi obiurgatores prætendebant incommoda. Et quanquàm aliâ occasione indeco-

indecorum fuisset, aërem clamoribus implere, causa tamen faciebat, quare per id tempus vociferari perhonorificum cœco esset, *Vtile* namque *est* ( addo, & gloriosum ) *pro cultu diuino pudorem deponere.* Non solùm visum cœcus suis vocibus expetebat, verùm etiam omnipotentiam cœlestis medici proclamabat, iamque non immodestiæ clamor, sed adorationis, & religiosi cultus vociferatio erat. Et hoc non modò malum videri non poterat, verùm etiam Christo honorificum erat. Sic ruri, sic in compitis, sic in medio foro, cantu, & vocibus personare gloriosum est, dummodò ad profectum nostrum spiritualem, ac Dei gloriam faciant, quæ facimus. Deum offendere, id solùm indecorum est, & probrosum, aliud, quod erubescamus, nihil habemus.

## CAPVT V.

*Cùm plerumque eatenùs simus boni, quatenùs à malè agendi occasione procul positi, debemus illam sic vitare, vt etiam Angelos humani corporis lineamentis tectos fugiamus.*

INtra horas benè paucas splendidum, lautumque conuiuium cœlestibus peregrinis hospitibus suis generosus Patriarcha instruxit, qui cùm ab accubitu sese erexissent, inquirebant: *Vbi est Sara Vxor tua?* Gen. 18. 9. Respondit Abraham: *Ecce in tabernaculo est*; ibid. Obseruant hoc loco Interpretes, quanta fuerit ratio honestatis in domo Abrahæ, quanta vitæ, & morum cautio, in qua dùm pranderent Angeli, in latebris Sara materfamilias morabatur. Docet hac re mulieres, quàm circumspectè agere, quàm studiosè fugitare oculos virorum, & omnem deuitare mali occasionem debeant, idque propter certum, præsentaneumque periculum, quod inde consequi solet. *Docet Sara fœminas honestatem, vt non se impudicè aut temerè oculis hospitum ingerant*, inquit Oleaster in annotat. morali eiusdem capitis. Vix enim aliquod tam validum est pectus, quod occasionem malè faciendi citrà offensionem excipiat. Et quòd multi sint boni, id fortè accidit, quod eos occasio destituit, per quam fiant mali, maximam enim partem tam diu sumus probi, quamdiu opportunitas deest mali.

Diu, ac multùm excruciauerat inuidos Iudæorum primores sanctitas vitæ Christi, illiusque prodigiorum magnitudo, & doctrinæ splendor. Et cùm iam neque celare dolorem, neque tolerare ampliùs possent, *consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent*, Matth. 26. 4. Et hoc sacrilego, & diabolico conciliabulo hoc prodibat, expedire omninò, vt is è medio tolleretur, *at non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*, & inter vulgi motus, ac seditionem euaderet viuus, quem pridè voluissent mortuum. Et si aliud nihil eos à concepto scelere retardauit, crediderim, cùm satanicum illud conuenticulum solutum fuit, hoc vnum sibi mutuò grauiter, & enixè, soliciteque commendasse, vt diei sacri sancta haberetur ratio, ne in illo sententiæ latæ fieret executio, & in discessu alterum alteri dixisse, *Non in die festo*, vt quisque caueret, ne quid profanum eo die fieret. At quid factum? Dies festus fuit, quo sacrilegorum perfidiosissimus, sceleratissimorum contaminatissimus Iudas flagitiosos illos consiliarios adijt, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* ibid. v. 15. *Et constituerunt ei triginta argenteos.* Sortita fuit suum effectum pactio, & morte sublatus Christus in die festo, eoque tam magno, vt sanctus Ioannes dicat cap. 19. v. 14. *erat autem Parasceue*, hoc est, præparatio ad magnum festum. At nonne infernales illi hostes paribus votis constituerant, vt quouis tempore è viuis vitæ autor auferretur, dum *non in die festo?* Quomodo ergo tali die necem illi intulerunt, quòd sine plurimis incommodis fieri non posse iudicârant?

Respondet S. Ioannes Chrysost. apud Euthymium in cap. 26. Matth. *Quanquam ita statuerunt, non tamen expectauerunt, sed inuento proditore occasionem rapuerunt.* Deliberatum, certumque illis quidem fuerat, Christi occidione festum nullo modo violare diem, verùm occasio fecit, vt & diem illum, & omne priùs habitum consilium posthaberent opportunitati præsenti. Facit hoc occasio, vt maximè velimus, quæ minimè ante voluimus, & resiliamus à proposito, ad quod pertinacissimè ante obstinati eramus. Bonus Deus ab illius vi, & potentia nos liberos seruet.

Erat olim in quadam nauicula cum suis discipulis Christus in mari, quando exoriri tempestas, & ille dormire in puppi cœpit. Cùm ingrauesceret periculum, excitatus à discipulis Dominus, vt depelleret imminens periculum, imperauit freto, cessauitque ventus, *& facta est tranquillitas magna*, Matth. 8. 26. Optabat Sponsa hortum suum floridum, & fructiferum, aiebatque: *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluant aromata illius*; Cant. 4. 16. Quòd ventum asperum & contrarium Aquilonem surgere iubet, id tale est, quale si illum procul ab horto suo facessere imperasset. Ita exponit pars maior Interpretum. Theodoretus, Maximus,

nus, Nilus, Philo, Apponius, Iustus Orgelitanus, & alij plures.

Oritur hic hubitatio, quam sanctus Gregorius Nyssenus hom.4. in Cant. his verbis proponit: *Non iubet Aquilonem quiescere, quomodo in maris tempestate iussit Dominus fluctibus quiescere, sed imperat, vt recedat, & fugiat, vt absq; vllo impedimento fluat Auster dicens, Surge Aquilo.* Dominus imperauit vento subsistere, Sponsa mandauit fugere Aquiloni, ne quod incommodum horto suo adferret. Quid ita?

Respondeo, Sponsam, vt prudens fuit, sic egisse consultè Christus non habebat, cur euitaret occasiones, cùm enim omnipotens esset, poterat pro suarum virium ostentatione cum illa præsente intrepidè, securèque pugnare. Eapropter cùm in mari miseram ventus acriter oppugnaret nauiculam, non iubebat ventum abire, sed potestate suâ illum coërcebat. Verùm Sponsa conscia sibi suæ imbecillitatis, & fragilitatis non putauit tutum viuere ob oculos inimici, & dimicare cum præsenti occasione, quâ nullus horribilior aduersarius, quare dicebat: *Surge Aquilo*, apage hinc occasio, fuge felicitatis meæ inuide hostis, necessum est enim, vt hinc abeas, quò ego victrix euadam. Nam pugnare cum inimica occasione, & promittere sibi triumphum, id soli Deo est seruatum, eique, quem ille speciali auxilio confirmauerit.

De vita sancti Patriarchæ Loth, actisque eius sic ait sacer Scriptor: *Habitabat in Sodomis*; Gen. 14. 12.

Magnus Origenes hom. 9. in Genes. ait: *Loth in Sodomis habitabat, alia eius benè gesta non legimus.* Huic Origenis effato videtur manifestè repugnare textus sacer, qui illum à charitate in peregrinos, & hospitalitate erga viatores commendat, cuius ille luculentum specimen dedit, quando illos duos Angelos tam comiter, & humiliter ad suum tectum inuitauit, supplex rogans, & dicens: *Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri*; Gen. 19. 2. Huius facti meminit S. Paulus, vt nos ad amorem hospitalitatis accendat, quam Scriptura & plurimi facit, & magnificè prædicat. Quomodo ergo potuit dicere Origenes: *Loth in Sodomis habitabat, alia eius benè gesta non legimus?* Ignorantiæ insimulare Origenem hac in re nemo poterit, nisi qui suam prodere velit. Quid ergo voluit dicere Origenes, quando ait, de Loth aliud nihil legi, quàm quod vitam in Sodomis duxit, cùm de virtutibus eius multa præterea scripta reperiamus?

De hominibus Sodomitis ait beatus Moyses Gen. 13. 13. *Pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Quòd ergo Origenes affirmat, nulla alia benè gesta Loth legi, nisi quòd in Sodomis habitabat, tantundem fuit, quantùm si dixisset: Quòd Loth virtutum Salamandra in medio illo vitiorum incendio vixit, quòd gratiarum papilio inter obscœnitatum flammas illæsus seruatus fuit, quòd ob oculos tam variæ, & promptæ occasionis innocentiam constanter coluit, nec deflexit ad eos, qui tam magno numero, quàm malo exemplo ad malè agendum præibant, tam rarum, exquisitumq; prodigium fuit, vt facinora illius alia, quantumuis præclara, & illustria, omnia obscuret, & velut oppanso velo tegat. Et hoc est, quod voluit Origenes, cùm ait: *Loth in Sodomis habitabat, alia eius benè gesta non legimus.* Quod si sepulchro beati Loth inscriptum sit, extollendo illi super Alexandros, Samsones, Salomones, Dauides, & quotquot inuictos mundus vidit bellatores, sat esse possit. Nam viuere iuxtà ignem, & non incalescere, proximum esse niui, neque contrahere frigus, facinus est, quod omnia alia supergreditur.

Quanquàm Angelus sit, qui loquatur, si mulier est, quæ dicentem audit, adfert secum, nescio, quid periculi, illud colloquium, vt necessum sit non se mutuò videre, quò illud vitent. Agar ancillæ apparuit Angelus, quando solitudinem fugitiua obibat. Consolabatur autem illam, iubebatq; repetere domum Saræ dominæ suæ, & postquàm illi indicasset indolem, futurosque mores filij quem paritura erat, nomenq; quod imponere nato deberet, mox euanuit. Quod cùm vidit Agar, dixit: *Profectò hic vidi posteriora videntis me*; Gen. 16. 13.

Iste locus difficilis intellectu. Quomodo enim Agar videre potuit tergum eius, à quo videbatur? Figuram humanam præferebat Angelus, non ergo à tergo habuit oculos, quos si eo in loco habuisset, potuissent videre posteriora eius, quos ille videbat. Quomodo ergo accipiendum est, quod Agar dixit?

S. Petrus Chrysol. ait, de eo, cui prosperè aliquid euenit, dici solere: *Vidit illum Deus*; quasi videri à Deo, & benè ab eo haberi, amari, iuuari, idem sint. Manet hodieq; apud nos illa loquendi consuetudo, nam si Deus aliquem re quacunque felicitet, dicimus: *Vinole Dios a ver*; est hoc: *Deus venit illum inuisum.* Sic quidam accipiunt illud Agar ancillæ dictum, vt sit idem, vidisse posteriora videntis se, ac vidisse à tergo eum, qui ergà illam beneuolens, humanus, prolixus, misericors fuit. Si hic sensus tam

verus

verus est, quàm facilis, non inurbanitas (quis enim tam rusticus sit, & stultus, vt eâ laborasse cœlorum ephebum palatinum putet?) sed mysterium fuit, quòd cùm Angelus in forma viri loquebatur mulieri soli, ac vagæ, noluit eius oculis oculos, faciemque suam permittere, atque ideò illi tergum obuertit, quòd illa confitetur, dicens: *Vidi posteriora videntis me.* Sed quale mysterium?

Benedictus Fernandius in cap. 16. Gen. sect. 2. respondet: *Ad modestiam, & puritatem edocendam Angelus ita obuerso vultu loquebatur solus cum sola muliere in eremo.* Poterat Angelus (quis enim dubitet?) absque vllo periculo os, oculos, vultum totum mulieri exhibere, quando cum ea in colloquium descendit, noluit tamen id facere, sed obuerso dorso loqui, vt eo exemplo nos institueret, vt vir, & mulier, quos ad colloquendum in loco priuato, & solitario grauis necessitas cogit, non oculos oculis misceant, cùm miscent sermones, sed plurimam modestiæ rationem habeant, idque propter periculum, quòd timeri potest, postquàm vel Angelus noluit de facie agnosci ab ancilla, quacum verbis communicauit. Si Angeli tam sunt hac in re cauti, qui tam sunt securi, & tuti, cur homines periculo expositi non timeant, non formident?

*Inueniet de hoc argumento ingentem syluam pulcherrimarum commentationum curiosus Lector in 2. To. Periocha III. Dominica XI. post Pentecosten, pag. 177. c. 2. o. Vide etiam in 1. To. Indicem rerum verbo,* Occasio.

## CAPVT VI.

*Parum prodest, quòd homo ad peccandum abditissimas latebras quærat, cùm Deum habeat, qui omnes etiam intimos animæ recessus penitissimè peruideat.*

CVm Angeli de Sara, vt diximus, vbinam ea esset, interrogassent, respondissetq; Abraham in tentorio morari, renuntiârunt venerabili Patriarchæ, quòd habitura esset filium. Audijt hoc Sara, *& risit occultè,* Gen. 18. 12. tamque secretò, vt Chaldæus Interpres, & Græcus verterint, *Risit inter se,* tanquàm totus intrà pectoris abdita risus peractus non peruenerit ad oculos. Vix autem etiam ad eum modum tacitissimè, & reconditissimè risit, quando Dominus ait: *Quare risit Sara?* v. 13.

Monent hîc Interpretes animaduertere, quàm festinatò Dominus inquirere in risum illum Saræ cœpit, qui tametsi secretissimus fuit, scientiam tamen, & sapientiam Dei effugere non potuit. Hinc accipiamus, quòd Deum habemus tam acuto, & perspicaci visu, vt eius oculos effugere non possimus, in quoscunq; densissimarum syluarum recessus, in quæcunque inaccessorum montium, aut remotissimarum eremorum latibula nos ad peccandum abdamus.

Exodi 35. præcipiebat Dominus Moysi istud: *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo,* v. 31. tum v. 37. etiam hoc: *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum.* Philo Iudæus, & Radulphus sentiunt. Tabernaculum illud vetus fuisse figuram, siue typum mundi, qui Dei domus quoquomodo est, vt & cœlum septem lucernæ innumeras luces significant, habet enim hoc septenarius numerus in sacris literis, vt pro infinito ponatur, vt affirmat Paulinus in lib. de numero septenario.

Dicit nunc Oleaster in annot. mor. in c. 25. Gen. *Ad quid, Domine, in domo tua vis candelabrum cum lucernis septem habere?* Causam subijcit, dicens: *Ne putares, homo posse malè conuersari, & occultari, siue enim in die, siue noctu impiè egeris, ab eo videris.* Quidquid perperam agis, cogitas, loqueris, quocunque tempore, & loco id fiat, Deo omnia perspectissima sunt, sapientiæ enim illius oculi soles sunt, qui peruident vniuersa.

Hanc animo versabat cogitationem Propheta regius Dauid, quando hæc pro debita ergà infinitam omnipotentis Dei sapientiam reuerentia dicebat: *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius;* Psa. 138. 12.

Marcus Antonius Flaminius ea sic transfert: *Neque tenebræ habent tenebras apud te, & nox sicut dies illuminat. Similes sunt tenebræ, & lux.* Quàm eleganter dictum, *Neque tenebræ habent tenebras apud te?* Quando vires alicuius extenuare volumus, dicere solemus: Petrus v. g. est quidem robustus, & strenuus, sed quod ad me attinet, absque manibus. Tale quid affirmat sanctus Dauid, cùm pro veneratione & commendatione perspicacissimorum oculorum Dei dicit: *Neque tenebræ habent tenebras apud te.* Nam si quidem tenebræ sunt velut nubes, aut vela, quæ humanorum prohibent, & ludunt, falluntque obtutus oculorum, Dei oculis nihil obsistere, nihil efficere atror rerum, & obscuritas potest, vt qui tam clarè videant in densa caligine, quàm in medio sole, & innubi nitentissimoque die.

Quapropter in eodem Psalmo sic Domino idem rex pœnitens aiebat: *Tu cognouisti sessionem meã, & resurrectionem meam;* ibid. v. 2. quæ tali paraphrasi illustrat Flaminius: *Omnia tibi nota sunt, quæ sedens, stans, ambulans, cubans cogito, atque ago.* Nihil est, quod

quod suam effugere sapientiam possit, nihil, quod ad tuam notitiam non perueniat. Quidquid animo meditor, quidquid ore proloquor, quidquid operor, siue cùm sessum, cubitumq; vado, siue cùm euigilo, & è strato exurgo, siue cùm hinc aliò commigro, peruides, nec vllus est tam reconditus animæ sinus, nullus tam abstrusus cordis recessus, in quem tuorum acies oculorum non penetret.

Hoc idem affirmat S. Paulus Apostolus Hebr. 4. 13. *Non est Vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.*

S. Ioannes Chrysostom. extrema illius sententiæ verba sic transfert: *Omnia sunt resupinata oculis eius*, sic vt de oculis, ac vultu singula ei pateant. Admirabiliter expressit his verbis sanctus Doctor perspicacitatem oculorum Dei. Quando videmus personam alicuius, sed non faciem, non possumus certò quidpiam de illo affirmare, tametsi staturæ, morum, gestuum similitudo coniecturam nobis, suspicionemque illius aliquam faciat. Et qui volunt non cognosci eum, quem fortè peremerunt, detruncant, illi, & abijciunt aliò caput, quocum certa illius agnitio aufertur, quia *per faciem cognitio*, vt inquit S. Gregorius hom. 1. in Ezech. Dicit ergo S. Paulus ex versione Chrysostomi: *Omnia sunt resupinata oculis eius*, omnes res mundi apertis vultibus Deo sese spectandas offerunt. Cùm verò de facie sumatur certa cuiusuis personæ æstimatio, apertissimè Deus omnia nouit, cui res omnes de facie sese videndas exhibent.

Consequenter, & apposite adhæc dicit Propheta regius Ps. 118. v. 80. *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, & non confundar.* At cùm in cordis recessibus, & intrà pectoris penetralia turpes secretò concipiantur cogitatus, quid illi ruboris, & confusionis suo adferre autori queunt, quos nemo hominum videre potest? Non intelligis, mi homo, quæ loqueris, ait Propheta. Nam res nobis est cum Domino, cuius tam est acutus visus, vt nihil sit illi absconditum, tametsi penitissimi cordis abstrusissimis latebris immersum, ac propterea munditiem cordis peto, vt ne patiar confusionem apud illum, cuius oculis omnia sunt exposita, vbicunq; reposita. In hunc sensum exponit ea verba Oleaster in c. 17. Gen. in annot. morali, apud quem rex pœnitens sic ait: *Fiat cor meum immaculatum, Vt non confundar, cùm scilicet me Dominus Viderit turpia cogitantem.*

Expendamus in huius rei confirmationem quoddam sancti Ephræm dictum, qui in Parænesi 17. sic habet: *Nihil latet Dominum Abelis Vindicem.* Sed quænam ista omniscientiæ Dei commendatio ex cognitione mortis Abeli illatæ? Quid secreti mors illa habuit, vt ad exaggerationem perspicacitatis sapientiæ Dei facere possit, quòd eam detexit, & intellexit? Certonè argumento est, quòd Deum nihil latet, quia Abelis vindex, & necis illius index fuit?

Expositione illustrabo sancti Ephræm pronuntiatum. Occidit perfidiosè Abelem Cain. Vix illi necem consciuerat, quando adfuit Dominus, facti rationem ab infami fratricida exigens, & dicens: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra;* Gen. 4. 10. Negauit ille recens perpetratum flagitium. At iudex: Quid est, quòd inficiaris factum, quando ipse per te effusus fratris tui sanguis contrà te testimonium dicit, & immanis sceleris vindictam magnis vocibus clamat?

Notandum, quòd in Hebræo pro illo vocabulo *Terra*, est *Adama*, vt affirmat sanctus Hieronymus, *adama* verò idem est, quod terra rubra. Itaque tota sententia superior sic reddi potest: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra rubra.* Res est, quòd Cain fratrem suum in campum eduxit, cuius erat rubra humus, ibique eum interfecit, sperans non posse cognosci sanguinem fusum, quem concolor terra bibisset. Ita ferè aiunt Hebræi, & inter illos Rabbi Salomon. Itaque audacter etiam negauit facinus, persisus suæ industriæ, & imposturæ, arbitratusque fieri non posse, vt internecionis conuinceretur, eò quòd cruor cum rubore terræ confusus discerni, vt putabat, nequiret. Verùm vt intelligeret, quàm vanè talem suscepisset cogitatum, quàm inanis esset omnis sua machinatio, quàm nihili astus, sic ferè aiebat ei Dominus: Itané verò putabas, miser, rubrâ terrâ rufum celare posse sanguinem? Falleris, hominum pessimè, & turpiter erras, sanguis enim ipse *clamat ad me de terra* illa rubra, vltionemque atrocis sceleris tui magnis vocibus exposcit, oculisque meis nihil est occultum, scio enim quæ sit terra, scio quis sanguis, neque ego circumueniri queo, nec aliqua ità confundi, & permisceri possunt, quin ego internoscam, & secernam alia ab alijs. Hinc ergo intelligemus illud sancti Ephræm: *Nihil latet Dominum Abelis Vindicem*; quia nihil illi tectum, nihil eius oculis inaccessum, qui inter sanguinis, & terræ colores discernere, & quis terræ, quis sanguinis proprius esset, cernere potuit, quamuis vtraque rubra esset, & communem haberent colorem. Discat hinc omnis peccator, nihil sibi profuturos ad tegenda, inumbrandaq; scelera sua dolos, res namque illi est cum iudice, cuius tam sunt lyncei oculi, vt reconditissima

tissima cordis latibula penitissimè perspiciant, perque videant.

## CAPVT VII.

*Tegere, & excusare proximorum errata, tam est gratum Dei oculis opus, vt velit eum, qui hoc facit, non solùm Angelum è cœlis dilapsum, sed etiam perdilectum filium suum haberi.*

SVrrexerunt à mensa Angeli, & quoniam abituri erant, vt de spurcissimorum Sodomitarum obscœnis flagitijs debitas pœnas sumerent, dicebat Dominus: *Num celare potero Abraham, qua gesturus sum*; Gen. 10. 7. Num facere possum, vt consilium meum illi non aperiam?

Angelicus Doctor diligentem expendit loquendi modum, quo hîc vsus est Dominus, aitque, quomodo Deo omnipotenti difficilè videri potuerit, Abrahæ rem aliquam occultare, & propositi sui conscium illum non facere? *Num celare potero*, aiebat, cui nihil operosum, nihil non facillimum esse potest. Respondet autem, non difficilè quidem fuisse Domino, non communicare cum Abraham de suo proposito, sic tamen locutum fuisse, vt indicaret, quàm ægrè adduceretur, ad aperienda nostra errata. Dicebat ergo: *Num celare potero*, non quià hoc illi arduum, sed *quià Deus est valde difficilis ad publicandum occulta crimina nostra.* Hinc sumamus, quantâ solicitudine, & vigilantiâ ad hanc rem vti debeamus, quàm parcè cautèque de malè actis aliorum loqui, cùm Deus ipse tam difficulter scelera detegat humana.

Texit sanctus Lucas Euangelista catalogum illorum duodecim, quos ex orbe orbis redemptor elegit, vt per illum euangelij lucem suâ prædicatione quaquauersùm effunderent. Et quoniam nonnulli ex eis habebant eandem appellationem, ne vocabulorum communio, confusionem pareret personarum, vt alter ab altero discerni innotescerentur mutuò, quos de propria, & simplici nuncupatione dijudicare non licebat. Itaque cùm ad Simonem, & Iudam proditorem venisset, aiebat: *Et Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem*, (Lucæ 6. 5.) subaudi, *vocauit*. Simonem ergò à pij animi ergà Deum, eiusque cultum ardore singulari Zelotem, Iudamque alterum à parente, alterum à patria designauit.

Sed cùm Euangelistæ propositum fuerit facere, vt vnusquisque ex signo aliquo speciali innotesceret, cur postremum Iudam de insignito proditionis facinore non descripsit, quemadmodùm Simonem à peculiari, & eximio Zelo discreuit?

Respondet S. Ioannes Chrysost. in homil. de Iuda prodit. To. 3. *Illum de animi sui virtute nuncupauit, istius malitiæ nomen abscondit. Et ideò non dixit*, Iudas proditor, *vt te doceat, detractiones nescire, & accusationes declinare.* Poterat sicut Simonem à probitate, sic Iudam ab infami, & sacrilego proditionis scelere denotare, suppressit tamen huius flagitium studio, ac meditatò, vt nos doceret obnubere aliorum culpas, eas etiam, quæ alioquin patentes sunt, & notoriæ, plurimùmque semper cauere, ne eas enudemus, aut diuulgemus. Virtutum insignia, gratiarum ornamenta, & quidquid ad gloriam, commendationemq; aliorum conducit, hoc amplificare verbis, hoc latè disseminare sermonibus, hoc in cœlum vsque euehere laudibus possumus, noxas tamen illorum, tametsi publicas, occulere, quantùm in nobis est, & seruare secretas debemus. Sic enim & Euangelista Iudam à proditione non designauit, *vt te doceat detractiones nescire, & accusationes declinare.*

Admirabilem, & attentam naturæ in re simili prouidentiam meritò, & ingeniosè annotauit Aristoteles, cuius ea est sect. 10. Problem. num. 52. obseruatio, nullum esse animal, quod non aliquam sui corporis partem habeat infirmam, ac debilem, dicens: *Infirmum vnumquodq; loco sui corporis aliquo est.* Sed qua in parte partem illam imbecillam natura reposuit?

Respondet: *Partes infirmiores natura semper integere consueuit.* Cùm in vnoquolibet corpore sit aliquid infirmum, & aliquid robustum, aliquid vegetum, & aliquid debile, sic ea ordinauit natura, vt lateant, quæ sunt imbecilla: *Partes infirmiores natura semper integere consueuit.* Iam si in naturalibus, vbi sine culpa est infirmitas, sine animi vitio vitium corporis, tam vigilanter, diligenterq; obnubuntur defectus, quibuscum nascimur, quanto studio debent occultari morales imperfectiones, ægritudinesque animi, quas suâ culpâ quisque sibi accersit?

Peruulgatum est illud piscinæ miraculum, quod S. Ioannes accuratè describit à situ intrà vrbem Ierosolymitanam, à quinque porticibus, à frequente turba claudorum, cœcorum, aridorum, & alijs varijs morbis laborantium. Expectabant hi perattentè horam, quâ Angelus è cœlis veniret, vt inconcitatas ab illo aquas sese præcipitarent. *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua*, ait ille Ioan. 5. 4. atque ità confundebatur, vt videri non posset, quod in illam injiciebatur.

Multi.

Multi quærunt, & meritò, cur Angelus mouerit aquas, vt sanarentur ægri, cùm ad effectum miraculi motio ista parùm videatur habuisse momenti.

Multa in hanc rem dicta ab alijs. Responsio sancti Ioannis Chrysostomi est admirabilis, qui ait: *Turbabat Angelus aquam, ne languentium vulnerum turpitudo appareret.* Cùm ingens esset languentium copia, & varietas, fieri non poterat, quin inter plurimos nonnulli haberent fœdas, & fœtidas plagas, quas ne corpore ad ingressum aquarum nudato conspicere alij possent, descendebat Angelus, & *turbabat aquam, ne languentium turpitudo appareret.* Docemur eo exemplo illos pro Angelis è cœlo delapsis habere posse, qui cùm audiunt lædi famam proximorum, eorumque nudari turpitudinem, & detegi vulnera, ex charitate, & miseratione abrumpunt, aut interpellant detractoria colloquia, vel aliud sermonis argumentum interserunt, turbantque, quibus modis possunt, criminatorias narrationes, vt pudendas eorum, quorum fama proscinditur, actiones tegant, & obnubant.

Nimis tenuiter mihi hanc rem exaggerasse videor. Nescio an affirmem, quòd Deus illi, qui aliorum errata in familiari sermone excusat, & inumbrat, hoc dicit, quod ad Christum in monte Thabor olim aiebat: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*, gratissimum quippè mihi est audire loquentem illum, qui cùm malè loquentes audit, vulera eorum, quorum honor laceratur, tegere studet, & occultare. Transfiguratus fuit in illo monte Dominus, aderantque spectaculo Moyses, Elias, & discipulorum charissimi Petrus, Iacobus, Ioannes, quando Pater æternus Filium suum verbis iamiam dictis prædicauit. Ad magnificam Patris commendationem accesserunt splendidissima indumentorum insignia, quæ talia erant, vt de illis æstimare eum filium Dei potuisses, tametsi nemo verbis hoc expressisset. Quænam illa? *Facta sunt vestimenta eius alba sicut nix.* Matth. 17. 2. quem cùm tali amictu ornatum Pater videret, statim succlamare cœpit: *Hic est filius meus dilectus*, quem tametsi semper Filium agnoscam, nunc tam elegantem in nouo illo habitu video, vt pulchrior nunquàm visus fuerit.

Itané verò tunc oculos, animumque Patris totum ad se rapuit Christus, quando vestimentis tam candidis indutus fuit? Quid habet nix, vt eius color tam vehementer placere potuerit? Quod experientia quotidiana docet, & Petrus Berchorius his verbis affirmat? *Nix omnia immunda non solùm cooperit, sed pulchra etiam apparere facit.* Nobilis proprietas, & ingenua conditio niuis, quæ cùm res sordidas tegat, etiam venustat, & ornat, sic vt ad earum fœditatem penetrare oculus non possit. Habet hoc vnum nix in multis officium. Ergo quando Pater æternus vidit Christi vestimenta alba instar niuis, quæ squalida occultat, & ornat, aiebat: *Hic est filius meus dilectus*; vt inde intelligeretur, quàm gratos habeat illos, qui similes sunt niuis, quæ turpia non solùm occulere, sed etiam ornare soleat, illos, inquam, qui proximorum errata, malè ac turpiter facta non tantùm velare, & abscondere amant, sed etiam ita excusare, extenuare, honestare student, vt potiùs in virtutibus, si fieri potest, numerentur, quàm in vitijs recenseantur.

*Vide primæ partis Politici lib. 2. cap. 2. & loca ad calcem illius adnotata, vbi simile argumentum tractat.*

## CAPVT VIII.

*Ad benefaciendum sine longa deliberatione deproperare, caret, vt videtur, periculo, ad inferenda supplicia lentis gradibus, & suspenso pede cunctanter pergendum, maltoque, & maturo consilio vti necessum est.*

IBat Dominus, vt nefandos plecteret Sodomitas, & dicebat: *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ità, vt sciam*; Genes. 18. 20. 21. Monent hîc omnes interpretes, non nescire Dominum scelera contaminatissimorum Sodomitarum, ad illum modum tamē locutum fuisse, vt doceret iudices, quàm cunctanter ad irrogandas pœnas, aut decernenda, expetendaque supplicia pergere debeant. Ità affirmant sanctus Ioannes Chrysostomus, Gregorius Magnus, Doctor Angelicus, Nicolaus Lyranus, Oleaster, & Abulensis, cuius sunt ista: *Factum fuit ad instruendum iudices, qui licet delictum cognoscant per famā, vel vt singulares personæ, donec eis perfectè constiterit peccatum esse commissum, sententiare non debent: sed primò rei gestæ inquirere veritatem.* Præuiâ consultatione, eaque diligenter, & maturâ opus habet iudex, qui seuerius aliquid in alios statuere ex officij munere debet, priusquàm pronuntiet.

Propheta regius cùm loqueretur de modo, quo Deus conferre beneficia, & inferre supplicia soleat, aiebat: *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius*; Ps. 29. 6. Difficilia profectò verba. Nam cùm suprema illa maiestas ad castigandum peruigili circumspectione, & attentione maximâ vtatur, videtur

detur absque errore dici posse, quòd ira, & indignatio eius æquè, ac vita in voluntate eius sit posita. Quid ergò indignationi iram eius sanctus Dauid adscribit, & vitam (quo nomine omnia gratiarum dona designantur) in voluntatem eius refert?

Satisfacit huic quæstioni Magnus Basilius in illius Psalmi commentario, dicens: *Pœna secundum iustum Dei iudicium, Vita verò in voluntate eius. Circumstantiæ pœnarum non ipsius voluntate fiunt, sed pro merito eorum, qui peccauerunt, inferuntur. Vitam itaq; Deus cuiq; propriâ voluntate tribuit.* Cùm suppliciorum inflictio à seueriore iustitia veniat, neminem Deus ad pœnas damnat, nisi cui pro malis scelerum suorum meritis iurè sit indignatus, quique ante egerit, ob quod plecti meruerit. Itaq; vt contrà reum pronunciet, priùs causam examinat, & prout illa exigit, mulctat, & punit, At *vita in voluntate eius, quia vitam*, gratiam, & omne genus beneficij *cuiq; Deus propriâ voluntate tribuit.* Vt nos doceat, ad exercendam asperiorem iustitiam, ad decernendas, & irrogandas pœnas maturum iudicium, prouidum consilium, & solers ingenium adhibendum esse, ad eroganda verò beneficia non requiri tantam deliberationem, & consultationem, sed pro voluntate, & arbitratu conferri ea posse.

Virgis, & securibus Romani olim plectebant flagitia, magistratusque, & Prætores eiusmodi instrumenta secum semper ferebant, sed inuicem arctè, & valdè constricta. Quærit nunc Plutarchus Problē. 79. tom. 1. *Quid est, quòd Prætorum virgæ securibus alligatæ præferuntur?* Nonnè consultiùs fuisset, solita ea instrumenta circumferre, vt expeditiùs, faciliùsque ad castigandum illis vti possent, qui ex officio debeant? O quàm benè scilicet) rem hanc es assecutus! inquit Plutarchus. Immò verò quoniam virgæ, & secures instrumenta seueritatis erant, ob hoc ipsum fortiter constricta, & colligata esse debeant, vt is, qui illaturus supplicia erat, intelligeret, debere cunctatione ad eam rem vti, proptereà etiam deuincta gerebat ea instrumenta, vt tam promptè, celeriterque ad vindicandum exerere non posset. *Signū est*, ait plutarchus, *non oportere magistratus iracundiam promptam, ac dissolutam esse.* Diu, ac diligenter, prudenterque deliberandum est, si quid austerius in alios statuendum.

Lætabunda de celeri Sponsi sui aduentu Sponsa inquiebat: *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum*; Cant. 2. 8. 9. Peccauit primus homo, venitque Deus, vt eum in iudicium vocaret, absconditque se cum vxore sua, *cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*, Genes. 3. 8.

Galfridus in c. 3. Geneseos apud Godefridum Tilmannū in allegor. Biblior. ait: *Non sic posteà venit ad Sponsam, quæ in magno se gaudebat amore præuentam, in eo, quod venientem cum celeritate conspiceret. Ecce, inquit, venit hic saliens in montibus. Nunc verò deambulare dicitur, quærens latentem inter frutices peccatorem.* Alijs passibus ad Sponsam dilectam, alijs ad transgressores protoparentes venit Dominus. Illi enim videbatur *saliens*, & *transiliens*, hi audierunt vocem *deambulantis*. Ibi volabat, hîc vix mouebatur, ibi alas habebat aquilæ, hîc pedes plumbeos, ibi velox accipiter erat, hîc tardigrada testudo. Vnde illa tanta aduenìendi diuersitas?

Respondet Galfridus: *Retardabatur, & lentis gradibus incedebat, vt potè qui veniebat tristem mortalibus inferre sententiam, ad Sponsam verò veniens festinabat, & latis admodùm saltibus aduolabat, æternæ reparationis afferens medicinam.* Dispar causa disparem vtrinque aduentum fecit. Ad hominem hominum primum parentem velut impeditis pedibus venit, quià seuerus iudex venit, vt illi tristem sententiam mortis denuntiaret, quam cùm ipse, tum posteri eius omnes oppetituri essent, postquàm acerbam in multiplici miseriarum genere vitam duxissent: Ad sponsam verò vt amantissimus Sponsus venit, vt eam cumularet beneficijs, & excoleret gratiæ donis, & primi lapsus damna instauraret, ac proptereà *latis admodùm saltibus aduolat.* Voluit autem eo exemplo erudire iudices, omnesque, in quorum manibus sunt panes, & gladius, oliua, & quercus, rigor, & clementia, gratia, & iustitia, vt ad austeriùs agendum, decernendumque pœnas lento pede pergant, causasque reorum diligentissimè pensiculent, ad beneficia verò præstanda sint agiles, conciti, veloces.

Superior omnis debet esse admodùm cunctabundus, & meditabundus, cùm ad decernenda supplicia vadit, ne hoc illi contingat, quod cuidam præcipiti tyranno euenit, de quo Seneca in lib. de Ira apud Rodericum Sanctium 4. p. Histor. Hispan. c. 1. affirmat, *irato, & festino iudicio tres occidisse innocentissimos milites.* Res illa si accidit. Veteres milites bini, & bini ire per viam solebant. Vidit tyrannus, quem dixi, vnum quendam incomitatum ire, iussitque exemplo occidi, eò quod socium suum, vt suspicabatur, interemisset, atque idcircò solus veniret. Cùm is ad supplicium educeretur, venit illius socius.

socius. Quare lictor ad iudicem accurrens, rogauit retractare sententiam, & viuum relinquere eum, qui morti adiudicatus erat. Detexit ille quidem iudici suum errorem, & præcipitantiæ prolapsionem, sed nequicquam, quia sententiam, quam semel tulit, ratam esse voluit, iussitque & primum, quod semel dixerat, obtruncari, & posteriorem similiter trucidari, quòd priori causa internecionis fuisset, demùm verò etiam lictorem è viuis auferri, eò quòd primũ non satis celeriter interemisset. *Te iubeo interfici*, aiebat, *quia damnatus es. Secundo dixit; Te simili sententiâ damno, quia causa damnationis socij fuisti. Tertio, videlicet lictori dixit; Te quoq; occidi iubeo, quia mihi imperanti non paruisti.* Quid magis impium, & iniquum, quidúe atrocius excogitari posſit? Si expendisset ille tyrannus, quæ faciebat, tantum scelus perpetrare non potuisset.

Cùm sanctus Patriarcha, & rex Iob secum reputaret incommoda, quæ ab insanis furiosorum id genus hominum accelerationibus nasci solent, aiebat: *Causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam*, Iob. 29. 16. Rex erat, & Princeps Orientis, ad cuius tribunal cùm plurima quotidie perferrentur piacula, contrà nullum temerè, præcipitanterque pronuntiabat; verùm sagacissimè singula ante discutiebat, quàm suam de eis sententiam proferret. In eorum verborum expositione sanctus Gregorius lib. 10. Moral. c. 14. ait: *Quâ in re notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus.* Apud Sanctium verba Gregorij sic habent: *Ne ad proferendam sententiam mortis &c.* Nam vbi de capite, vita, & sanguine hominis agitur, vbi asperiore iustitiâ aliquem persequi propositum est, tardè progredi, & attentione multâ vti oportet. Nam cùm omnia alia deliberatè consultèque sint facienda, vbi de vitâ & capitalibus criminibus agitur, ibi maxima adhibenda est cautio.

Seneca in qq. natural. lib. 2. c. 43. sciscitatur: *Quare fulmen quod solus Iupiter mittit, placabile est, perniciosum id, de quo deliberauit, & quod alijs quoq; autoribus dijs misit?* Cùm supremam Ioui cœca gentilitas adscriberet deitatem, quomodo fulmina ab illo solo venientia tàm parùm curabat? Tamnè erat illius vel exigua autoritas, vel infirma potentia, vel imbecille brachium, vt ferire, & nocere, & perterrefacere, nisi à cæteris deastris, adiutus non posset?

Respondet insigne decus Cordubæ: *Quia Iouem, id est, regem prodesse etiam solum oportet, nocere non nisi cùm pluribus visum est.* Fingebant illi fabulones, quòd Iupiter, quando solus esset, nullam quidem haberet cædendi, vastandique facultatem, benefaciendi tamen amplissimam potestatem. Attendebant hâc in re, quid inter collationem beneficiorum, & irrogationem suppliciorum interesset; nimirùm quòd benefacere quisque solus liberrimè, pœnas autẽ expetere ne summus Iupiter quidem absq; pleno deorum concilio, & consensu posset, aut deberet.

Pergit vlterius illustris Philosophus, & ad imbuendos alios dicta transferens, ait: *Discant hoc ij, quicunq; magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem mitti. Aduocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, vbi aliquid percuti debet, nec Ioui quidem suum satis esse consilium.* Nam si nec Iupiter quidem poterat suum pro solâ sua libidine exerere, & distringere gladium, quis aliorum solus inconsultè iacere fulmina, & cædes facere pro suo arbitrio rectè queat? inquit Seneca. Requirit illud negotium plurimam considerationem, diligens examen, & solertem expensionem.

*Parte 2. Politici l. 4. c. 2. habes huius rei pulcherrimum exemplum nauticorum hominum, qui longas traxerunt moras, priusquam Ionã in mare ad certa mortis periculum coniicerent; quanquam id iure possent, simul atq; seipsum condemnârat, vt ibi loquitur Theophylactus. Vide.*

## CAPVT IX.

*Qui proximum suum temerè iudicat, est quidam secundus Lucifer, Deiq; iurisdictionem sibi vsurpare, & autoritatem per tyrannidem occupare tentat.*

OMnia sciens, cuncta videns, vniuersa comprehendens Deus aiebat: *Descendam, & videbo*, Genes. 18. 21. Hoc ille dicebat, cui vniuersa patent, suntque exploratissima, & perspectissima omnia. Quamobrem ità loquebatur? Causam superiori capite indicauimus, nempè vt Prælati, & superiores omnes discant, quantâ diligentiâ & attentione, & cautione tractare causas reorum, quàm solicito studiò præuidere omnia debeant, cùm pronuntiare contrà accusatos volunt. Neque ad hos tantùm, sed ad omnes vniuersim homines spectat hæc doctrina, ad omnium eruditionem pertinet, quod omniscius Deus dixit, velle descendere, & videre, vtrùm Sodomitæ clamorem opere complessent, vt nemo cœco im-

eo impetu, & animo temerario ad iudicandum leuiter aliorum dicta, seu facta deproperet. Hæc est doctrina vtilissima, quæ plurimùm condemnari, & inculcari debeat, eo quòd *maxima pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata esse probatur*: quod sanctus Augustinus serm. 2. de temp. ijs verbis affirmat. Hæc est pestis, quæ omnes obtinuit, & cancer, quo plerique mortales laborant, & peccatum grauissimum, quo patientia Dei vehementer irritatur, quòd sit quidam secundus Lucifer, vsurpatorque, & tyrrannicus inuasor iurisdictionis diuinæ, quisquis temerè alios iudicat. Nam censere occulta, & de cordium secretis pronuntiare, soli sapientiæ immensæ Dei reseruatum est, quæ nemo scire possit, nisi ipse reuelet.

De hac re sic ait magnus Doctor Ioannes Cluniacensis serm. 43. Domin. 4. post Trinit: *In Deum peccant*, qui temerè iudicant, *quia appropriata sanctæ Trinitati sibi vsurpant. Primò de temporibus, quæ Pater posuit in sua potestate. Regulariter enim faciunt de præsenti præteritum, vel futurum. Secundò sapientiam filij Dei vsurpant, cuius solius est de occultis iudicare. Tertiò contra clementiam summam peccant, cùm iudicant reprobos, quos ipse saluare decreuit.* Temporum notitiam, quæ penes solum Patrem, sibi arrogant, dùm illum vel nunc peccatis contaminatum, vel post hæc inquinandum affirmant, qui superiora flagitia operibus veræ pœnitentiæ oblitterauit, & ad cauendum deinceps cum Dei opitulatione omnia firmo proposito pium animum obstinanit. Filij sapientiam, eiusque munus inuadunt, cùm de secretis, quorum illa sola est conscia, sententiam ferunt. Spiritus sancti benignitatem vel maximè offendunt, cùm eos in reprobis numerant, quos ille libro vitæ inscriptos habet. Videte num sit grauissimum crimen, & insolentissima noxa, in re graui, & culpa mortali (de hac enim in toto hoc capitulo semper loquimur) alios temerè iudicare.

Duo quidam ascenderunt in templum, ait Dominus, quorum alter Pharisæus, Publicanus alter erat. Pharisæus penitissimum templum ad ipsum vsque altare ingressus, cùm se peccatorem mundi maximũ humiliter agnoscere, & confiteri deberet, super omnes homines arrogantissimè extulit, & de sanctitate, cui nulla cujusquam alterius hominis comparabilis esset, iactantissimè gloriatus fuit, inquiens: *Deus gratias ago tibi, quià non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus*; Lucæ 18. 11. Hoc est, quod dicebat: Nihil vnquàm sum furatus, nec aliquando mœchatus, neque necem cuiquam intuli, nec illius contaminatissimi Publicani similis sum, qui conscientiâ tot scelerum à se perpetratorum non attolere vultum, neque liberioribus oculis cœlum, quòd grauissimè offendit, spectare audet. Nec magis superbus, tumidusque homo pingi, nec maior tolerantia expectari potuit eâ, qua Deus hunc tot stulta verba, ne dicam, saxa, loquentem patienter audiuit.

Sanctus Dorotheus Doctrinâ 6. tom. 2. Biblioth. Vet. PP. ait, ingentem fuisse Christi sospitatoris nostri patientiam, per quam factum, vt hominem super homines omnes tàm vanis, & insolentibus acclamationibus seipsum extollentem auribus exciperet, eam tamen prorsùs exhaustam fuisse videri, vt sic dicamus, quando illum cum præsente Publicano tàm inuidiosè se comparantem audiuit. *Neq; ex hoc iudicatus à Domino est*, inquit Dorotheus, quòd purum à rapinis, iniustitia, adulterio affirmauit, *neq; quòd dixerit*, vt cæteri homines, *Sed ob hoc, quia ad Publicanũ cõuersus*, Neque, *inquit*, vt hic Publicanus. *Tunc enim iudicatus est, tũ actũ est eius vi.*

Quid causæ est, quòd Dominus, qui verba Pharisæi inania, & fatua tam multa patienter audierat, hoc tolerare non potuit, quod addidit, *velut etiam hic Publicanus*, sed ità aduersùs eum inflammatus fuit, vt orco æternùm deputarit?

Dorotheus ait: *Iudicauit enim ipsam personam, dispositionem mentis, & vt breuiter dicam, omnem ipsius vitam.* Quòd Dominus superbum damnauit Pharisæum, hoc fecit, quià *iudicauit dispositionem mentis*, quià falcem in Dei messem misit, quia de secretis cordis pronuntiauit. Et quoniam alterum quendam Luciferum Pharisæus se fecit, cum Dei iurisdictionem inuadere, & de animæ occultis ferre sententiam voluit, in eo etiam Lucifero quodammodò similis factus est, quòd conuersionis incapax esset, eò quòd iustè illi negarentur auxilia efficacia, per quæ statum culpæ euaderet: *Tunc iudicatus est, tunc actum eius vi.* Tam graue namque peccatum est, in re graui, quæ sit peccatum mortale, temerè, citraque præsumptionem, & sufficiens argumentum iudicare proximos, vt qui hoc facit, velut est Lucifer vsurpatione iurisdictionis diuinæ, sit etiam videatur, tanquàm ille primus Lucifer, inemendabilis, & incorrigibilis.

Enormitas, & immanitas huius flagitij ex eo quoque æstimari potest, quod Propheta regius tàm anxiè, lachrymabiliterque Dominum obsecrauit, dicens: *Iudica iudicium meum, & redime me*; Psal. 118. vers. 154. Vt verò prorsùm exobsecraret, quod suspi-

suspirabat, subiunxit: *Misericordia tua multa, Domine*, ibid. vers. 156. velut dixisset: Misericordias tuas, Deus, tam exploratas habeo de multitudine, tam multas noui de experimento, vt de illarum immensitate benè fisus, ausus fuerim rogare, vt facias, quod tantis cum lamentis peto, & oro.

Videamus quidnam illud sanctus Propheta obtestatur. *Iudica iudicium meum*, inquit. Quid est iudicare iudicium? Aut quod illud iudicium, quod iudicari optabat. Non aliud, inquit sanctus Ambrosius, quam quo alij res aliorum occultas, & dubias censere solent. Vbi duo notanda veniunt. Primùm, quod Propheta ex persona peccatoris loquitur, qui de aliorum moribus, & erratis temerè affirmat, cupitque, & rogat suum iudicari, & castigari iudicium. Nam quamuis cæterorum criminum possimus sperare ab indulgentissima Dei bonitate non solùm quoad culpā, verùm etiam quoad pœnā absolutionem, temerarij iudicij scelus tamen, cùm sit tàm graue, tamque inuisum, & exosum Deo, quotàm graue, tamque inuisum, & exosum Deo, quotàm sibi remittendum sperauit, quoad pœnā ad culpam sibi remittendum sperauit, quoad pœnā verò simul condonari rogare ausus non fuit, quapropter dixit, *Iudica*, Domine, puni, & plecte temerarium *iudicium meum*. Nam qui tuam iudicandi potestatem inuasit, & sibi vsurpauit, pœnasq; pro ausu temerario debitas lætus subire debet, si culpæ gratiam illi propitius facias. Alterum illud est, quod Propheta subijcit: *Et redime me*. Petit itaque post condonatam temerariorum iudiciorum noxam etiam redimi. Redemptio non vni soli peccato est destinata, sed ad omnia obliteranda pertinet. Sic enim Redemptor ipse aiebat: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, Ioan. 12. 32. hoc est: Quando crucis solium, officium sospitatoris facturus, inibo, tàm latè mea extendetur misericordia, vt in omnes vniuersim homines exundet, & effundatur.

Quid ergo est, quòd sanctus Dauid, postquàm ex persona alterius culpam temerarij iudicij confessus fuit, supplex Deum rogauit vt redimeretur, inquiens *Redime me?* Quod ad totius generis humani scelera abolenda spectat, cur hoc vni suo temerarij iudicij peccato auferendo petit? Fecit hoc, vt significaret, illud temerè iudicandi peccatum, cum circumstantijs suprà dictis coniunctum, tàm esse graue, & atrox, vt ipsum solum tantùm requirat Redemptorem, quantùm reliqua totius mundi peccata omnia exigunt. Atque vt Dauid ei, cuius personam referebat, temerariorum iudiciorum veniam consequeretur, commonebat Deum misericordiarum suarum, tanquàm earum immemorem illum tanti sceleris magnitudo fecisset, aiebatque: *Misericordia tua multa, Domine*, quas cùm in memoriam reuocas, illud simul velim recorderis, quod operum tuorum gloriosissimū est condonare offensas.

At cur nunc tàm singularem mentionem infinitæ clementiæ Dei facit? Cur illius bonitatem hâc occasione ità extollit? Cur exaggerat benignitatem? Dicat hoc sanctus Ambrosius, cuius sunt ista: *Quia dixerat*, Iudica iudicium meum, *ideò subtexuit, miserationes Domini nimiùm multas esse, graue est enim de alio iudicare.*

*Graue* scelus *est*, inquit, *de alio iudicare*. Quàm graue putas? Tam graue, vt ad alia peccata tale sit, qualis trabs ad festucam.

Reprehendebat Christus quoddàm genus hominum superstitiosorum, & fanaticorum, qui alienorum erratulorum austeri, & substomachosi essent censores, suorum grandium scelerum blandi palpones, aut cæci erant dissimulatores, cùmque aliorum exiguas noxas immoderatè amplificarent, sua ingentia flagitia mirùm extenuabant. Ex his quendàm sic perstringebat Christus? *Hyppocrita eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui*, Lucæ 6. 42.

Quodnam illud peccatum trabe indicatum, quodnam festuca significatum fuerit?

Respondet sanctus Dorotheus Doctrin. 9. *Comparauit Christus festucam peccato* alteri cuicunque, *iudicium autem trabi*. Quantùm enim interest inter pondera trabis, & paleæ, seu festucæ, tantùm superat suâ grauitate peccatum iudicij temerarij alia peccata: *Excedit, inquam, omne peccatum iudicium temerarium*. Vide ergò an non meritò dixerit Ambrosius: *Graue est de alio iudicare*. Tàm graue nimirùm est, vt si rectæ rationis trutinæ cùm cæteris peccatis imponas, tantùm illud præponderet, quātùm ingens trabs leuem paleam onere superat. *Comparauit festucam peccato, iudicium autem trabi, excedit enim omne peccatum iudicium temerarium.* Videat ergo quisque, quomodo iudicet proximum suum, quando non habet sufficientem præsumptionem, nec argumenta, ex quibus pronuntiare possit. Sit pius, sit humanus in alios, ametque eos. In rebus dubijs semper in mitiorem partem inclinet, omniaque in meliorem interpretetur, & quantùm potest, pro fratre sententiam ferat. Non ruat præceps, non prosiliat cœcus ad condemnandum aliorum facta, cùm tàm graue, atque immane scelus sit, mores, actusque aliorum priuatâ censurâ inconsideratè damnare.

LIBER

# LIBER VIII. VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Tam inuito, repugnanteq; animo Deus ad irrogandas pœnas adducitur, vt velut pro miraculo haberi possit, cùm infert supplicia.*



Iam irati Dei stomachosa iustitia sanguinolentum aduersùs nefarios Sodomitas eximit, gladium, iam ardentis sulphuris globos infensum cœlum in illa contaminatissima brutorum hominum capita vult explodere. Sed in medio tam cruenti, & horribilis furoris lux grata immensæ pietatis Dei sese aperit, & quàm inuitus ad inferenda vel talibus meritissima supplicia pergat, per ipsam temporis, quo ad puniendum illos abijt, circumstantiam manifestè declarat. *Duo Angeli*, qui pœnæ executores missi sunt, *venerunt Sodomam vespere*, Gen. 19. 1. Ad Abrahæ tentorium autem venerunt *in ipso feruore diei*, Genes. 18. 1. Ad beneficia conferenda, ad nuntiandum diu optati filij iam desperatum conceptum, tempestiuè accurrerunt, ad infligenda supplicia tardè, ac sub seram noctem appulerunt. Proprium hoc est illorum, qui odiosum repugnante voluntate curatum opus vadunt, moras per viam nectere, & lento gradu, & languido gressu, & torpentibus pedibus pergere. Nihil magis alienum à Deo, nihil magis illi inuisum, & exosum, quàm animaduertere in reos, plectere flagitiosos.

Cùm de fatali illo, & supremo expirantis mundi die, & vniuersali orbis iudicio Dominus, & Redemptor noster illius dissereret, inter appetentis signa hoc vnum fore dicebat, quòd *virtutes cælorũ mouebuntur*, Lucæ 21. 26. Magnam difficultatem habet eorum verborum sensus, cùm perspicuè intelligi nequeat, quas hoc loco cœlorum virtutes iudex supremus appellauerit.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 2. de Latrone ait: *Tunc mouebuntur virtutes cælestes, & Angelos tremor apprehendet.* Ex huius ergo sententia Doctoris virtutes cœlorum in die illo furoris Domini mouebuntur, quià sic exardescet illius ira tunc in peccatores, vultusque erit tam austerus, & ferox, vt in terrorem Angelos etiam aspectus eius conijciat.

Sed opponit Chrysostomus: *Et cur Angeli trement? Nunquid & illi iudicio tenebuntur? Non inquam.* At si non tenebuntur iudicio, *cur trement?* Respondet os aureum: *Terrebuntur constantiâ iudicis.* Angelos constantia iudicis perterrefaciet, & me dictum hoc Chrysostomi attonitum habet. Quã enim dicit constantiam Dei iudicis? Constantia, & firmitudo alicuius ex perseuerantia, & pertinacia, quâ perdurabiliter luctatur, ac dimicat, elucet, & comprobatur. Videamus ergo quàm diu durabit istius diei furor, & iudicis ira, vt dispiciamus, an ea tantam adferre possit Angelis, vt vult Chrysostomus, admirationem. Sanctus Paulus 1. Cor. 15. v. 52. ait, *in momento, in ictu oculi* conficiendum, absoluendumque omne supremi iudicij negotium. Si tam celeriter transiet indignatio, ira, furor, quomodo Chrysostomus dicere potuit quòd *Angeli terrebuntur constantiâ iudicis?* estné magna constantia iræ, quæ nonnisi momentanea? Immò in Deo permagna est, inquit Chrysostomus. Nam cùm plectere sit valde alienum ab ingenio Dei, cùm ille inuitissimus puniat, integrum sæculum, totamque æternitatem ad irrogandas pœnas sibi vertere videtur, quando solum momentum ad castigandum adhibet.

Suauissimam illius indolem, & dulcissima, amantissimaque viscera inde etiam arbitrari possis, quod de eodem vltimo die locutus dixit Ioan. 5. 28. 29. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

Cardinalis Caietanus in his verbis acutè expendit, quòd qui in peccato, & Dei inimicitia è viuis decesserunt, in resurrectionem iudicij processuri, siue in iudicium resurrecturi dicuntur. At cùm reprobi ad hoc tunc in vitam immortalem resurgant, vt anteactæ vitæ mortalis pœnas luere incipiant, nonné meliùs actum fuisset, si iudex dixisset, ad cruciatus, & supplicia resurrecturos, quàm quòd ad iudicium reuicturos, siue redanimandos affirmauit, maximè cùm eo momento in ardentem oceanum vltricium flammarum sint præcipitandi, vt perpetuis vinculis

adstricti infelicem per omnem æternitatem remum ducant?

Respondet Cardinalis: *Pœna reproborum non describitur in seipsa, sed describitur in iudicio, ad significandum, quòd non aliunde, quàm ex iure, iuxta eorum mala opera punietur, & propterea non dixit, Procedent in resurrectionem pœnarum, sed iudicij, vt resurgere significentur non ad pœnas, sed ad ius; non enim delectatur Deus pœnis damnatorum, sed iure.*

Non oblectari Dominum miserorum supplicijs, zizaniorum parabola etiam testatum faciet. Mixta ea tritico fuerant. Animaduerterunt hoc patrisfamilias serui, interrogaueruntque, vtrùm eradicatam noxiam herbam vellet. Non placuit hero famulorum consilium, sed voluit triticum cum zizanijs vsque ad messem crescere, quo tempore iussit hoc quidem horreo suo inferri, illa verò in fasciculos ad comburendum alligari. Cùm hoc apud Matthæum cap. 13. Dominus narrasset, demùm v. 40. 41. 42. ità exposuit: *Sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.*

Obseruauit hac in parabola Abulensis aliquid, Euthymius aliud, vtrumque causæ præsenti commodum. Abulensis annotamentum est, quòd cùm Dominus homimines suæ Ecclesiæ bonos, & malos in tritico, & zizanijs indicarit, malorumque supplicium expresserit, non commeminit gloriæ, seu præmij bonorum. Quamobrem veò remunerationem iustorum præterijt? Res ipsa loquebatur laurus, & coronas, quas probis paratas habebat. Nam cùm ad remunerandum opera bona totis naturæ suæ ponderibus ab ingenita munificentia sua, & liberalitate totus propendeat Dominus, otiosum fuisset, & superuacaneum narrare vices, quas benefactis est redditurus, non secùs, ac si quis diem esse affirmaret, quando exortum solem vidit. Solum supplicium memoratur, quià cùm ab eo natura sua plurimùm abhorreat, tanquàm rarum quid, & singulare narrari debuit, quòd caminum ignis, pœnarum officinam paratam excipiendis malè peccatoribus habet.

Euthymij commentatio hæc est, quòd Christus regnum cœlorum simile dicit homini, qui seminauerit ipse bonum semen in agro suo (hic homo autem Christus fuit) Zizaniorum verò alligandorum, hoc est, eorumque, qui faciunt iniquitatem, colligendorum, & in caminum ignis mittendorum negotium ministris suæ iustitiæ Angelis commendauit: *Per se quidem seminat*, inquit Euthymius, *ostendens quòd sibi proprium est beneficia præstare, per alios verò supplicium infert, demonstrans quòd sit à se alienum punire.* Suâ manu serit beneficia, alienâ manu irrogat flagra, vt significaret, æquè se & ad benefaciendū propendere, & ab infligendis pœnis abhorrere.

Tam longè autem abest à voluntate plectendi sontes, vt miraculo tribui possit, quando sic ità inflammatur, vt gladium ad feriendum educat. Comminabatur Dominus ingrato populo suo per Ieremiam Prophetam, inquiens: *Cadent in gladio, & in fame, & erunt in iusiurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium*, Ierem. 44. 12.

Quid sibi vult, quod aiebat: *Et erunt in miraculum*? Transferunt eadem verba LXX. Interpretes: *Erunt in perditionem.* Et Paraphrastes Chaldæus: *Erunt in vastitatem.* Itaque quod vulgato textui nostro dicitur. *Miraculum*, hoc Chaldæus, & LXX. vertunt. *Vastitatem, Perditionem*, vt nobis sit inditio, quòd tàm alienum est à Deo mulctare malè meritos, vt tanquàm miraculo adscribi possit, si quem fortè gladio, fame, aut aliâ plagâ vastet, ac plectat.

*Lautiori e ac splendidiore commentatione hanc rem illustrat in prima parte Politici lib. 7. c. 3. & alijs in locis ad finem illius capitis indicatis.*

## CAPVT II.

### *Ergà hos est prolixior Dei munificentia, qui alacriùs, studiosiùsq́; illi obseruiunt.*

Venerunt Angeli ad nefandam ciuitatem, quo tempore ad portas illius sanctus Loth, tanquàm verus imitator virtutum sui auunculi, præstolabatur peregrinos, quibus misericordiæ officium exhibere, & offerre tectum posset. Cùm vidisset duos quosdam elegantes viatores, obsecrauit illos, vt ad se diuerterent, & hospitalitatis obsequium admitterent? Recusarunt initio oblatam domus, & hospitij gratiam, dixeruntque: *Minimè* intrabimus ædes tuas, *sed in plateis manebimus*; Genes. 19. 2.

Notant omnes Expositores, longè aliter egisse Angelos cum consobrino, atque cum patruo. Vix inuitârat eosdem Angelos Abraham, quando absq; vlla repugnantia admiserunt officiosam gratificandi voluntatem, & dixerunt: *Fac vt locutus es*; Gen. 18. 5. Consobrini autem non statim acceptarunt oblationem, sed rogari ab illo diuculè voluerunt, antequàm ab illo exorari sinerent. Quamobrem ità factum fuerit? Causam eam esse volunt, vt significetur, quòd discrimine Deus ad remuneran-

munerandum ſuos vti ſoleat. Abraham magis perfectus erat, itaque merabatur, vt humaniſſima illius inuitatio ſtatim admitteretur, diuerterunque etiam apud illum extemplò ſacri hoſpites, & domum eius ſuo ingreſſu cohoneſtarunt: Loth non tam ſanctus, adeò nec dignus erat, cuius ædes tam facilè inirent, & felicitarent Angeli. Hinc accipimus doctrinam, quæ ad ſeruiendum Deo vehementer excitare, prōptioreſque, & alacriores reddere poteſt, dum cogitamus, eſſe illum tàm rectum, ac iuſtum, vt eum prolixiùs remuneret, qui diligentiùs obſeruit. Nec enim Dei palatium ſimile eſt aularum regiarum, in quibus fauor ſolet eſſe corona, aſſentatio laurus, palma mendacium.

Per Oſeam Prophetam dicit Dominus, *Locutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manus Prophetarum aſſimilatus ſum*; Oſeæ 12. 10. Obuia eſt difficultas eorum maximè verborum, quibus dicitur, quòd Deus viſiones multiplicauit, & in manu Prophetarum aſſimilatus fuit.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homil. 32. in Geneſ. exponit aptè in cauſam præſentem, dicens: *Ego viſiones multiplicaui, hoc eſt, vnicuiq; apparui pro ſua dignitate*. Itaque illos Prophetas Deus maioribus beneficijs cumulabat, quorum erat enixius illi famulandi, & gratificandi ſtudium, & ijs plura ſapientiæ ſuæ ſecreta aperiebat, qui pluribus officijs illum ſibi demerebātur, impenſiorique obſeruantiæ ſemper maioribus gratiæ, viſionumque viſionibus reſpondebat: *Vnicuiq; apparui pro ſua dignitate*. In domo quippe Dei plus meretur, qui plus laborat.

Propheta regius ait: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*; Pſal. 17. 26. Innocentis à ſancto hoc eſt diſcrimen, ex Theologorum doctrina, quòd innocens eſt, qui puritatem, quam à baptiſmo retulit, nullâ perſonalis peccati maculâ fœdauit, hæreditariam enim labem omnes contraximus, ſanctus verò, qui vitæ prioris malè acta ſtudio operum pœnitentiæ diluit, & obliterauit. Itaque poteſt quis ſanctus eſſe, qui innocens non ſit. Sic Maria Magdalena, bonus Latro, Petrus Apoſtolus non innocentes fuerunt, quià grauiter aliquando Deum offenderunt, ſed eas noxas exercitatione operum pœnalium, fletu, ieiunijs, vigilijs, predicandi aſſiduitate, fide, ſpe, charitate, aliarumque id genus rerum vſu aboleuerunt, & expiarunt, & poſthæc ſanctiſſimi, & perfectiſſimi ſunt effecti.

Dicit nunc Propheta: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*, quemlibet pro meritorum ſuorum menſura remunerans, ſanctumq; vt ſanctum, & innocentem vt innocentem honorans.

Quòd in hunc ſenſum iuerint Prophetæ verba, ex ijs, quæ ante dixerat, arbitrari licet. Dixerat enim ſtatim ante iſta: *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi*; ibid. v. 25. Sanctus Gregorius Magnus apud Incognitum in Pſal. 17. ſic ea interpretatur: *Quia in hac vita nobis eſt diſcretio operum, erit in alia procul dubio dignitatum diſcretio, vt quo hic alium ſuperat, illic retributione tranſcendat.*

Vigilantiam nobis, fidelitatemque commendat Dominus, iubetque imitari impigros, & ſolicitos ſeruos, qui Domini ſui aduentum attentè præſtolantes, ſtatim atque eum propiùs adeſſe animaduerterunt, laxis portis, & patentibus foribus illum alacres admittunt. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei*; aiebat Lucæ 12. 36. Hoc autem vigilantes illi ſerui habebunt præmium, quòd Dominus eorum *præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*, ibid. v. 37. Quæ glorioſior eſſe queat intermiſſi ſomni remuneratio, quàm tantum Dominum habere menſæ miniſtrum? Paulò infrà iſta ait rursùm Dominus: *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſurā?* ibid. v. 42.

Cardinalis Caietanus monet in hæc ità: *Vide diſparitatem præmij præparati ad confeſtim aperiēdum*, Ijs, qui ad fores domus excubantes opperiuntur Dominum, vt venienti quamprimùm aperiant, præcinctus, & tranſiens ille Dominus miniſtrabit: Prudentem verò, fidumque diſpenſatorem *ſuper omnia bona ſua conſtituet. Superintendente Domino præcincto miniſtratur illis, fidelis autem, & prudens diſpenſator conſtituitur in alia vita ſuper omnia, quæ Dominus poſſidet*, inquit Caietanus. Cur Dominus hunc diſpenſatorem tam amplà mercede magnificentiùſque quàm illum alterum remunerat. Quià eſſe diſpenſatorem totius familiæ, eſt operoſius munus, quàm eſſe portæ vnius cuſtodem, itaque & largiore præmio iſte, quàm hic ornandus fuit. In domo namque Dei beneficia ſemper expenduntur ad pondera officiorum, & æqua redduntur laboribus præmia.

Hunc conceptum ante legi in Gloſſa Ordinaria, quæ

quæ sic habet: *Quanta inter bonos auditores, & doctores est distantia meritorum, tanta & præmiorum. Auditores bonos facit discumbere, & transiens ministrat, dispensatores constituit super omnia, quæ possidet, non vt soli, sed vt præ cæteris habeant æterna, tùm pro sua vita, tum pro gregis custodia.*

Refert sacer textus opum copiam, quibus Sanctus Abraham, & consobrinus eius Loth affluebant. De Loth sic ait: *Sed & Loth, qui erat cum Abrahā, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula,* (Genes. 13. 5.) neque ouium tantùm, taliumque pecudum, sed & armentorum, & papilionum multitudo tanta fuit, quantam familiæ, & domesticorum ingens numerus requirebat. Abrahæ opulentiam ita diuinum describit oraculum: *Erat diues valde in possessione argenti & auri*; ibid. v. 2.

Curiosus aliquis hîc fortè interroget, quamobrem Lòth pecorum gregibus, tabernaculisque tantùm, neque simul argento, & auro, vt patruus Abraham, abundasse legitur. *Loth fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula,* inquit. Cur auri, argentique non commeminit?

Respondet Honcala: *Meminit argenti, & auri in Abraham, & non in Loth, quia perfectior erat ille, quàm hic, & ideò diuitijs auctior.* Magna sacri scriptoris attentio fuit, quòd referens catalogum opum vtriusque, patrui, aio, & consobrini, illum suprà hunc affluxisse auro, argentoque narrat, quia & ille etiam vitæ sanctitate plus abundabat, meritò opulentior, quia sanctior: *Perfectior erat ille, quàm hic, & ideò diuitijs auctior.* Qui enim regi cœli diligentiùs famulatur in terris, ille præstantiorem coronam obtinebit in cœlo, potioresque erunt in donis, qui fuerint alacriores, & promptiores in curandis officijs.

*Vide in parte Secunda Politici lib. 3. c. 3.*

## CAPVT III.

***Ad iudicum omnium instructionem tam rectum, exactumq; iudicem se Deus monstrauit, vt ne dæmonem quidem ante damnare voluerit, quàm illum audijsset.***

PRiusquàm iustè iratus Deus subiecto igne obscœnas illas ciuitates exureret, aiebat: *Descendam, & videbo,* attentus arbitrabor culpas, expendam delicta, discutiam causam, omnia lasciuorum istorum reorum acta expendam. Quo consilio hoc dixerit Dominus, cuius tam perspicaces oculi (quod paulò ante probatum dedimus) vt nihil eis tectum, occultumque esse possit? Respondet S. Ioan. Chrysostomus hom. 28. in Genesin: *Docere nos vult, quòd opus sit magnā diligentiā peccatores condemnandi, & sententia ferenda.* Ad omnes quidem doctrina ista spectat, sed ad iudices specialiter, & vel maximè dirigitur. Quod enim Iudex supremus ait, *Descendam, & videbo,* siue momenta causæ Sodomitarum pensitabo, id fecit, vt iudices institueret, quomodo se erga reos habere deberent, moneretque vt ante magno studio, & tantâ ingenij attentione solicitè ponderarent, excuterent, perpenderent causam, quàm pronuntiarent sententiam, aut decernerent pœnam, & hoc inprimis curarent, vt reo spatium congerendi, proferendique ea, quibuscunque excusare, ac purgare sua crimina posse putat, relinquerent. Nam condemnare inauditum, & cui negatum sit tempus diluendi, extenuandi, refutandi imposita facinora, res est, quæ omni iuri, diuino, inquam, humano & naturali aduersetur.

Cùm S. Paulus Apostolus per suam desuper è cœlo acceptam sapientiam omnes legisperitos confudisset, mortem illi adornabant, Festumq; Præsidem obsecrabant, vt neci eum addiceret. Non potuerunt autem accusatores aliquod verè probatum dare sacri prædicatoris dignum tali supplicio flagitiū. Habebat Paulum in sua potestate Festus, qui cùm de illius causa cum Agrippa Rege, & Bernice communicasset, etiam hoc ait respondisse accusatoribus: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquàm qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina*; Act. 25. 16. Si hoc tam rigidè obseruabatur, tam diligenter, & solicitè custodiebatur inter Ethnicos, qui veri Dei veram non habebant cognitionem: Si tam sancta, & laudabilis consuetudo apud Gentiles erat inuiolabilis, sic vt barbari illi nullum damnarent, cui non ante defensionis naturalis locum permisissent; cur non idem obseruent Iudices Christiani, & Catholici, quos supremus Iudex suis gistis, & exemplis, quomodo ritè iudicare debeant, instituit?

Lex ista tam conformis omnibus legibus, ius illud tam fundatum in omni iure pernecessarium est, & pretiosum, in quo persuadendo, & constabiliendo insumit Gratianus in secunda parte Decreti, in causa tertia, quidquid reliquum est quæstionis nonæ. Multa ibi congerit Summorum Pontificum decreta, quæ grauiter præcipiunt, vt nullus (rebelli, & contumaci excepto) damnetur inauditus. Ita Thelesphorus, Eleutherius, Callistus, Marcellus, Damasus in

multis locis, Felix, Zepherinus, & Concilium Toletanum sextum. Audiamus vnum ex omnibus Cornelium Papam, Pontificem Sanctissimum, & fortissimum Martyrem, qui epist. 2. ad Ruf. c. 2. sic habet: *Omnia, quæ aduersus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, aut iudicantur, omninò euacuentur, quoniam absentem nullus addicit, nec vlla lex damnat.*

Quàm elegantia illa verba: *Omninò euacuentur!* Metaphora est, eaque admirabilis. Quando aliquis dominus vas plenum iubet exinaniri, liquoremque eius in compita ad extremam guttam vsque effundi, inditio est, liquorem illum esse pestiferum, & contagiosum, nec vsui ad quidquam esse posse. Ad eum modum loquebatur Sanctus Cornelius, dicens: Quæcunque contra absentem acta, intentata, iudicata sunt, qui non potest se purgare, & contra reum, qui non est auditus, *omninò euacuentur*, tanquam inutilia, & inualida, immò tanquam noxius, & pestilens abusus, qui totam potest rectè gubernandi rationem vitiare, omnemque veræ iustitiæ inficere, corrumpere ordinem, damnare inauditum omnia iura vetant, & vt Zepherinus Papa epist. 1. ad Episcop. Sicil. inquiebat, *hoc prohibent diuina, & humana leges*: Qui autem miserum obruit reum, & damnat, quem neque audiuit, neque pro se loqui permisit, adeò leges omnes Dei, atque hominum violat, qualis iudex is esse potest? At quàm ille barbarus est, quàm fera bestia?

Accusabat Delphidius Numerium quendam latrocinij apud Iulianum Imperatorem. Cùmq; reus delictum, cuius insimulabatur, fortiter, constanterque negaret, exclamabat orator: *Ecquis, florentissime Cæsar, nocens poterit esse vsquam, si negare sufficiat?* Respondit Cæsar accusatori Delphidio: *Ecquis innocens esse poterit, si accusare sufficiat?* Quàm aptè in rem præsentem, quanquam ab ineptissimo apostata dictum! Quàm commoda omnibus iudicibus doctrina? Nemo inauditus, nemo, cuius causa ante discussa non fuerit, damnari debet. Nam accusatio à probatione sæpè longè distare solet.

Deliquerunt primi Parentes, venitque offensus Deus, vt in iudicium reos pertraheret, sed ante omnia transgressores audire, ipsorumque confessionem excipere voluit: *Quare vocauit Dominus Adã, & dicit ei: Vbi es?* Genes. 3. 9. interrogauitque, à quo didicisset, quòd nudus est. Posthæc examinauit vxorem sceleris complicem, inquiens: *Quare hoc fecisti?*

Quid causæ est, quòd Dominus, cùm exploratissimum haberet quidquid illi egerant, ita inquirere in eorum præuaricationem, ipsosque transgressores diu interrogare voluit?

Respondet Abulensis: *Sciendum, quòd Deus licet cognosceret peccata Adæ, & Euæ, tamen priusquã puniret, interrogauit eos, vt seruaret ordinem iudiciarium, priùs inquirens, quàm condemnans.* Discant hinc iudices mortales, ac terreni, vt ante audiant reum, quàm contrà illum pronuntient.

Huc spectat, quod sapienter à Petrarcha dictus Cornelius à Lapide in c. 11. Ecclesiast. v. 8. his verbis refert: Iudices *imitari debent citharœdos, qui antequam citharam pulsent, singulas chordas sonantes audiunt, ac inter se contemperant, vt congruum edant sonum, & harmoniam.* Sic omnis iudex, qui rectus, & exactus esse, & audire amat, priusquam sententiam pronuntiet, debet fides, seu neruos attentis auribus arbitrari, audire singulos, non accusatores tantùm, verùm & reos, vt ne veri harmonia soluatur, & dissonet à iustis legibus sententia.

Tale consilium suggerit etiam Iesus filius Sirach c. 11. v. 8. dicens: *Priusquàm audias, ne respondeas verbum.* Quibus loquitur hoc tam salutare consilium? Omnibus. Verùm Tuffus, Cornelius, & Oliuerus ex sententia Rabani, Palatij, & Hugonis affirmant peculiariùs loqui iudicibus. Audiamus Rabanum Maurum: *Qui iudicari vult proximorum facta, priusquàm planè causam vtriusq; partis dignoscat, inordinatè festinat.* *Quod* ergo dicitur, vt iudex non respondeat, priusquàm audiat, tale est, quale si diceretur, quod bonum iudicet non aget, si præcipitauerit sententiam, vt reum ante damnet, quàm partes ambas audierit. *Inordinatè festinat*, inquit Rabanus, nimiæq; accelerationis æstu abreptus, ab æquo, & bono in deuia ruit, fitq; ex defensore iustitiæ desertor æquitatis. Quàm turpem ea res illi posthæc adferet confusionem!

Et nonnè homini homo faciet, quod facit supremus Iudex dæmoni? Cùm Dominus, & Magister noster cœlestis è naui in terram Gerasenorum descendisset, occurrit illi arreptitius, sæuum, & penè suprà fidem sanguinarium in corpore circumferens dæmonem, qui simul videns IESVM, & terræ affusus magnâ voce succlamauit: *Quid mihi, & tibi est, Iesu Fili Dei altissimi?* Lucæ 8. v. 28. Per illum te adiuro, & obsecro, ne me torqueas. Præcipiebat nimirùm immundo spiritui, vt emigraret ab homine. Priusquàm verò illum prorsùs exturbaret, *interrogauit illum, dicens: Quod est tibi nomen?* ibid. v. 30. At cùm summo iure impurum illum à mise-

rabili

rabili homine exigeret hospitem, quid nomen eius ante inquirere voluit? Cur non statim, ac derepentè eiecit eum domo, quàm per iniquissimam vim ferox latro animarum occupârat? Quamobrem ergà diabolum solenni formâ iudicij vsus fuit?

Respondet sacer Rauennatum Archiepiscopus Sanctus Petrus Chrysologus Serm. 17. *Interrogat, non ignorat, sed implet iudicem, seruat ordinem cognitoris. Nomen interrogat, vt de conditione discutiat, iudicet de reatu, addicat de crimine, Deum se esse datâ sententiâ perdemonstret.* Officium prætoris, quæsitoris munus implere Dominus voluit, cùm interrogare. Percunctabatur diabolum de nomine, vt cum illo qualitatem transgressoris, & hinc culpæ momenta cognosceret, atque ita cùm reum examinasset, & castigasset, Deum se probare per suam iustè, & rectè agendi consuetudinem, vt qui sententiam pronuntiare etiam contra dæmonem noluisset, nisi reum priùs audijsset, causamque illius examinasset, cùm tamen integerrima illius, sanctissimaque, & inuiolabilis æquitas nullo horum indiguisset.

Premite mihi hoc, *Implet iudicem.* Tum & illud, *Vt Deum se esse datâ sententiâ demonstret.* Itaque qui non audit partes litigantes, qui non auscultat reum, qui non dat locum accusato, vt respondeat, & se defendat, non est integer, sed corruptus iudex. Et cùm in sacris literis iudices sint dij terræ (Exodi enim 22. 28. dicitur, *Dijs non detrahes*, & Psal. 81. 1. *Deus stetit in synagoga deorum*, vbi in Hebræo est, *Elohim, siue iudicibus, non detrahes*, & *Deus stetit in medio Elohim* siue iudicum, vt est apud Sanctum Hieronymum, Santem Pagninum, Vatablum, & alios) qui prætermissis illis circumstantijs, & requisitis iudicium exercuerint, non demonstrabunt se esse deos, qui morem in iudicando non imitantur Dei non ante iudicantis, quàm inquisierit, examinârit, audierit, locum excusationi, & purgationi dederit. Si Deus supremus Iudex, & Dominus diabolo, vt sic loquamur, quodammodò detulit, vt non statim eum damnaret, sed priùs interrogaret de suo nomine, confessionemque eius exspecteret, & ordinem cognitoris, & terminos iuris ante seruaret, quàm contra eum pronuntiaret, quænam illa sit humani iudicis barbaries, feritas, & tyrannis, si sententiam aduersùs miserum reum aliquem præcipitet, nec audiens eum, neque defensionis naturalis locum illi permittens?

# CAPVT IV.

*Sunt peccatores terræ, & sunt peccatores cœli, & quamuis vtrorumq; infelicitas sit dolenda, & deploranda, magis tamen miserandi sunt transgressores cœli, quàm peccatores terræ.*

NVlli sunt peccatores, qui propter infelicem statum, in quo illos sua miseria detinet, non sint tristibus, & amaris lachrymis deflendi, nec aliud est, quod fletum, lamenta, miserationem æquè mereatur, ac miseri, quicunq; Deum sibi suis offensis infensum fecerunt. Eapropter Magnus Basilius dicebat: *Fle super peccato, peccatum luctu est, & implacabilibus lachrymis dignum.* Quamuis hoc ita generatim habeat, dico nihilominùs, duplices esse, atque ex his alios terræ, alios cœli peccatores, & omnes quidem debere deplorari, cœli tamen peccatores acerbiore luctu, & amarioribus lachrymis esse prosequendos.

De ira Dei sub metaphora calicis, ex quo omnes, quicunque sanctissimam legem illius prætergrediuntur, bibituri sint, sic ait Propheta regius: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita*; Psal. 74. 9. Quod dicit tale: Habet Dominus in vitrice manu sua calicem vini fumei, validi, ebrij, sed mixtum aquâ misericordiæ ad temperandum eius fortitudinem, & rigorem, & vt castigatio eius minùs sit dura, & grauis, ex calice in calicem inclinat: *Verumtamen fæx eius non est exinanita*, cùmq; calix potaturis porrigitur, nunquàm illum exhauriunt, nunquam ad fæces vsque ebibunt. Videamus nunc, quinam illi ex calice tam diligenter mixto sint potaturi, quinam bibituri vinum iustitiæ tam probè temperatum aquâ clementiæ, & non totum vinum, sed partem illius aliquam tantùm bibituri, neque enim ad fæces, & fundum vsque exhaurient.

Propheta regius potaturos ipse expressit, dicens: *Bibent omnes peccatores terræ*, subaudi, de illo calice iræ tam benè mixto, & temperato aquâ benignitatis, & clementiæ.

Sanctus Gaudentius Serm. 3. To. 2. Biblioth. Vet. PP. ex his verbis Dauidicis facit talem consecutionem: *Ergo sunt peccatores cœli.* Ità est. Sunt & peccatores cœli. Quinam sunt peccatores terræ? Sanctus Gaudentius ait, eos esse peccatores terræ, qui Deum, quem ignorant, cuiusque leges nesciunt, offendunt. Tales sunt barbari Gentiles destituti luce notitiæ veri Numinis. Illi peccatores sunt, sed

peccatores terræ. Et qui sunt peccatores cœli? Respondet, eos esse cœli peccatores, qui Deum & cognoscunt, & prouocant, & suaue iugum mandatorum eius è contumaci ceruice abijciunt. Dicit nunc regius Propheta: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita.* Quisnam verò illum iræ, sed clementiâ temperatæ calicem bibet? Quis illa tam moderata supplicia luet? *Bibent omnes peccatores terræ.* Peccatores terræ mitiores pœnas dabūt, ij, qui Deum offendunt, quem nesciunt, & fortè in illum non peccarent, si nouissent. Hi blandâ manu cæduntur, hi leuiore supplicio plectuntur, si vinum aquâ mixtum potandum accipiunt. Verùm peccatores cœli, homines Christiani, qui cùm habeant oculos luce fidei, & notitiæ eius illuminatos, & nihilominùs ingrati illum offendunt, contumaces irritant, impudentes exasperant, duro flagello verberabuntur, asperâ manu ferientur, & purum calicem bibent, & atrocissimos subibunt cruciatus.

Nam vt Christus apud Sanctum Lucam cap. 12. v. 47. & 48. ait, *ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis,* ignorantia enim peccatum illius non prorsùm extinguit, extenuat tamen, facitque vt sit leuior, non vt nulla eius transgressio.

Filius ille adolescentior, qui à patre portionem substantiæ suæ petijt, & expetijt, vagusq; per mundum in vagam libidinem cœcus decoctor effudit, cùm vidisset, quàm sordido, inhumano, barbaro domino miserandam, pudendamque seruitutem seruiret, à quo nec satis aquæ ad necessarium potum, neque vel siliquas, quibus porci abundabant, ad mortem depellendam acciperet, in se reuersus dixit: Infelix, & luctuosa mihi sors obtigit, & in miserum statum incidi, talemque, vt esurie enecer, cùm mercenarij patris mei multi affluant panibus. Scio pietatem pectoris eius, scio facilitatem, & beneuolentiam animi, scio quantùm apud illum lachrymæ valeant, recurram ergo ad illum, atque vt me in gratiam veterem recipiat, flens, & eiulans dicam: *Pater, peccaui in cœlum, & coram te;* Lucæ 15. 18. perdidi, & prodegi quod filij erat, tu quod patris est, non vel abiecisti, vel es oblitus, fateor scelera mea, quæ sunt qualia malè liberorum, & pessimè consultorum adolescentum esse solent? Denique *peccaui in cœlum, & coram te.*

Sanctus Ambrosius hæsit in consideratione istorum verborum, inquiens, videri superfluam illam pœnitentis adolescentis confessionem. Cùm enim dixisset, inquit, peccasse coram Deo, quid necessum fuit addere, deliquisse etiam in cœlum? *Peccaui in cœlum.* Sed ô quàm parùm intelligis prudentiam adolescentis præterita flagitia sua dolentis, ac detestantis! quàm parùm assequeris sensum confessionis illius! ait rursùm Beatissimus Mediolanensium Archiantistes. Dicebat ille peccasse in cœlum, quià hoc eum vehementiùs excruciabat, hoc affligebat pœnaliùs. Delictum enim coram Deo multùm differt à peccato in cœlum. Peccatores terræ offendunt coram Deo tantùm, sed in cœlum non peccant, nec enim habent notitiam Dei, quem offendunt, & sic, quamuis notitia illos fugiat Dei, potentiam tamen illius non effugiunt, ideòq; necessariò peccant. At peccare in cœlum, omnium pessimum est, & lachrymis dignissimum, nam qui hoc faciunt, peccant susque deque habentes notitiam Dei & repugnantes luci. Quapropter ille ex prodigo pœnitens aiebat: *Peccaui in cœlum, & coram te,* dulcissime, & amantissime pater, itaque duo mala feci, quià cùm non possem euadere tuam potentiam, ad notitiæ tuæ lucem te offendi, & sic maximus, grauissimusque, hoc est, cœli peccator sum factus, & neque tam immanem culpam perpetrassem, neque tam atrocem pœnam commeruissem, si terræ solùm peccator fuissem.

Huc respiciebat Propheta regius, cùm dicebat: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam;* Psal. 118. v. 53. hoc est, dolorem, quem mihi adferunt, Domine, qui legem tuam deserunt, explicare verbis nequeo. Sanctus Ambrosius, & alij legunt illa verba ita: *Deliquium tenuit me,* destituerunt me vires, toto animo defeci, mortuum in pectore cor gero. Vnde illa Prophetæ Sancto tanta anxietas? Vnde illa tam vehemens consternatio? *Pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam,* inquit Ioannes Cluniacensis Serm. 43. To. 3. ait: *Defectio tenuit Prophetam non pro quibuscunque peccatoribus, sed pro peccatoribus cognoscentibus legem Dei, & derelinquentibus eam.* Tametsi enim omnis deplorandus sit peccator, sed ille vel maximè, qui peccator est cœli, qui Deum offendit, quem nouit. Hic enim acerbiora supplicia meretur, & pœnas seueriores.

Videmus hoc in sordidis, & obscœnis Sodomitis, de quibus cùm sacer textus ante dixisset, quòd *homines pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis* (Genes. 13. 13.) nihilominùs conniuebat in illorum sceleribus maximis Dominus, demùm verò omnis

illius

illius velut exhausta patientia fuit, quando duos ministros misit, qui contaminatissimos homines, vrbemque illorum totam flammâ vastarent, & consumerent. Quamobrem verò denique tam iratus, qui ante fuerat tam patiens, & mansuetus? Quia antea solùm peccatores coram Deo fuerant, & peccatores terræ, postquam verò sanctus Loth inter illos vixit, & verum Deum ijs indicauit, iam lucis, & cœli peccatores erant. Nimirùm Dei prouidentiâ, quod iam alibi monuimus, factum est, quòd Loth domicilium apud illos sibi delegit, vt per eius institutionem resipiscerent, & emendarentur exemplo, & corrigerentur monitis. Cùm ergo iam non ignorarent, quem offenderent, & scirent, in quem peccarent, iamque peccatores cœli essent, & ad meliorem vitam se recipere nollent, soluit ira Dei cataractas furoris sui, sulphureique oceani flammas in illos effundens, & homines, & res eorum omnes in fauillas vertit. Quanquam enim malum sit, esse peccatorem, pessimum tamen est, & infelicitatum infelicissima, esse peccatorem cœli.

*Quòd omne peccatum sit deplorandum, id vide in 2. P. Polit. lib. 9. c. 1. alijs in locis ibid. adnotatis.*

## CAPVT V.

*Quando peccatum semel admittitur ad arcem animæ occupandam, tantas vires acquirit, vt per spem omnem rursum exturbandi auferat.*

QVòd in Sacra Scriptura actiones malæ sint symbolum bonarum, & bonæ malas nonnunquam repræsentent, id receptissima sententia Doctorum Ecclesiæ, & sacrorum Interpretum habet, affirmantque Sancti Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Isidorus, & Alphonsus Salmeron, & Caspar Sanchez. Dico hoc propter Loth, qui tametsi vir Sanctus, & virtutis studiosus, symbolo nihilominùs repræsentauit peccatorem, apud quem peccatum profundas radices egerit, vt ægrè ab illo liberari possit. Vt Sancti Angeli Loth è Sodoma eriperent, *apprehenderunt manum eius* (Genes. 19. 16.) quod Oleaster putat etiam sic verti posse, *Fortificauerunt se*, hoc est omnes vires suas, & robur totum huc verterunt, vt illum inde eximerent. Quando enim peccator diu assueuit vitijs, & longâ consuetudine ad malè agendum se obfirmauit, magnâ fortitudine, & multo, singularique studio opus est, vt in viam reducatur, & vsum veterem relinquat. Propterea periculosissimum est tolerare peccatum, quoad incrementum faciat, eò quòd posthæc difficillimè corrigi, & emendari possit.

Adductus fuit ad Christum miserrimus æger, quē dæmon pessimis modis intollerabiliter vexabat. Linguæ, simulque aurium vsum illi ademerat, iamque in aquas, iam in flammas ærumnosum iactabat, & omnia faciebat, quibus facere exanimalem illum, & ex misero mortuum posset. Miseratus Dominus tantas vexationes dixit: *Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eū*; Marci 9. 24.

Euthymius expendit diligenter hæc verba Christi, quæ locutus dæmoni fuit, atque in ijs istud, quòd hîc pluribus, grauioribus verbis vsus est, quàm ad alios dæmones eijciendos, & velut maiores vires, omnemque autoritatem ad hunc exturbandum vertit, cùm ait: *Ego præcipio tibi, exi ab eo*, neque hoc satis putauit, nisi etiam adderet, *Et ampliùs ne introeas in eum*, velut oppidò operosiùs fuerit hunc exigere, quàm alios.

Mandatum hoc videtur mihi valdè singulare, nulli enim dæmoni, eorum, quos expulit, simile præceptum imposuit. Cur ergo ad hunc peculiariter ait, *Præcipio tibi?* Respondet Euthymius: *Hoc dixit prævidens quod futurum erat, vt dignus esset* dæmoniosus ille *propter suam incredulitatem, vt rursum ad eum reuerteretur* diabolus. *Prohibet ergo eum, ne cuiquam videatur, quòd priùs non fuerit eiectus.* Voluit ergo Christus, vt omnes intelligerent, quòd ille dæmon & eiectus fuit ab homine, & ad illum redijsset, nisi præcepto suo, & potestate imperij prohibitus fuisset. Cur tot circumstantijs erga hunc arreptitium vsus fuit? Cur tantam in illo exturbando potentiæ suæ ostentationem fecit? Cur huic dæmoni magis, quàm alijs, viam, per quam redire posset, tam graui præcepto obstruendam, præmuniendamque putauit. Causam quæris, Euthymius iubet repetere memoriâ, quid patrem obsessi Dominus interrogârit. Quantum *temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Dicebat Christus patri ibid. v. 20. At ille ait: *Ab infantia*, à primulis annis, ab incunabulis. Ex his iam facilè diuinabitis causam, ob quam Christus tantum studij posuerit in hoc dæmonio exigendo. Quod ad Dominum attinet, poterat ille, quâ facilitate cæteros dæmones eiecerat, eadem hunc expellere. Sed quoniam hic dæmon ab infantia illum occupauerat hominem, & apud illum velut inueterauerat, radicesq; in eius corpore egerat, & annis multis illam arcem tenuerat, voluit Christus tot circumstantijs hîc vti, & præcepto illum primò vt exiret, cogere, deinde ne rediret, prohibere, tùm vt ostenderet, quàm sit operosum exturbare illum

à diu-

à diuturnâ possessione, & quàm arduum cauere, ne repetat domum, furtiuèq; irrepat in ædes, in quibus longa tempora semel transmisit. Idem in peccato euenit. Cùm id semel animam occupauit, relictumque, donec cresceret, & augesceret, fuit, vix eradicari sinit, vix expelli permittit, validiùsque adhæreſcit, quàm dæmon, cùm hic per vim se intrudat, illud sponte à nobis admittatur, quin & introducatur.

Nuntium adferebatur Christo à Martha, & Magdalena, quòd Lazarus frater earum ex graui morbo periculosè decumberet. Communicauit de acceptis nouis Magister cum discipulis, inquiens: *Lazarus amicus noster dormit*; Ioan. 11. 11. Cui illi: Benè habet, nam si dormit, spes est, quòd consanescet, optatumque exitum habebit eius infirmitas. Cùm videret Dominus, non intellexisse Apostolos, quæ illis dixerat, apertè ait: *Lazarus mortuus est*; ibid. v. 14.

Pulchrum est Sancti Ioannis Chrysostomi in illa Christi verba annotamentum, quod sic habet: *Vides quomodo quando dormientem vocat, amicum appellet, quando verò manifestè de morte meminit, iam penè amicitiæ obliuiscitur?* Lazarus quà dormiens, est symbolum peccatoris, qui non diu ante offendit Deum, & citò in se, & ad illum reuertitur: Quà verò mortuus, est figura peccatoris inueterati, & qui incanuit inter diuturnam malè agendi consuetudinem, & profundas scelerum radices egit. Ita exponunt Sanctus Augustinus, Hugo Cardinalis, Gagneius, & alij multi. Monet ergo Chrysostomus aduertere, quòd Lazarus amicus vocatur, cùm dormire fertur (*Lazarus amicus noster dormit*) quando enim mala peccati herba est tenera, quando planta est paruula, quando culpa est velut somnus quidam, certa spes est, quòd peccator facilè redibit in amicitiam Dei: Verùm ex somno transitur ad mortem, quando peccatum egit altas radices, iamque non vocatur amicus, qui peccauit, non quia esse amicus non possit (nunquàm enim destituitur homo remedio, quamdiu viuit) sed quià difficulter resurgit, quò enim auctior fit sarcina, eò magis debilitat vires, facitque vt ægriùs erigere sese possit, qui lapsus fuit.

Cùm cœlestis Magistri innocentiam Pilatus cerneret, voluit illum è crudelibus manibus perfidorum hostium suorum vindicare. Ad eam rem hanc industriam, præter alias adhibuit. Vsus obtinuerat, vt die solenni Paschæ vinctum Præses dimitteret, quem populus expetijsset. Duos ergo vulgo Pilatus obtulit, Christum, & Barabbam, arbitratus, quantumuis cœci essent, non electuros latronem, & reprobaturos IESVM, cuius erat tam notoria innocentia. Videamus nunc, quid Euangelistæ de tali dimittendi alicuius vincti cæremonia ferant. Sanctus Matthæus c. 27. v. 15. ait: *Per diem solennem consueuerat Præses populo dimittere vnum vinctum.* Sanctus Marcus c. 15. v. 6. inquit: *Per diem festum solebat dimittere, &c.* Denique Lucas c. 23. v. 17. sic habet: *Necesse autem habebat dimittere eis, &c.* Nonné videtis, quomodo in necessitatem demùm conuersum est, quod ex gratia inchoatum, & consuetudine continuatum fuit? Tantundem accidit in peccato, quod leuiter, inconsideratèque in animam admittitur. Transit paulatim in consuetudinem, tantasque sensim vires acquirit, vt quasi in necessitatem vertatur, vt qui *solebat & consueuerat*, demùm ferè *necesse habeat* agere, quod diu malè egit. Propterea bonum est, statim à se abdicare peccatum, quia quod semel validè radicatum, difficilè euellitur.

Cornelius Celsus lib. 7. c. 5. ait: *Venenata, & acuta inducias non patiuntur.* Si quis à serpente percussus fuit, vel toxicum hausit, necessum habet extemplò confugere ad theriacam, & sumere antidotum. Cur hoc? Quoniam venenum statim celeriterque cor petit, quod cùm semel inuasit, immedicabile malum est, & mors non habet remedium. Priusquàm ergo ad cor perueniat, per citas, efficaces, præsentaneasque medicinas obstruendus est quamprimùm omnis meatus, quià *venenata, & acuta inducias non patiuntur.*

Peccatum, ex Magno Basilio, est animi morbus acutus, & venenatus. Res extra dubium est. *Peccatum est animæ ægritudo, peccatum mors est animæ alioquin immortalis*, inquit ille. Si peccatum est infirmitas animæ, eaque mortalis, & lethiferum toxicum, *venenataq; & acuta inducias non patiuntur*, nimis quàm stultus, prorsumque insanus fuerit, si quis eiusmodi morbo laboret, neque statim (quod tam facilè potest) adhibeat salutarem herbam doloris, theriacamque pœnitentiæ, & antidota Sacramentorum, maximè cùm de vita animæ æterna, & iactura beatitudinis periclitetur, si negligentiùs agat, & procrastinet studium curationis.

*Vide Periocham secundam Dominicæ XXIII. post Pentecosten Tom 2. pag. 306. o. & alia loca ad finem illius annotata, vbi similia argumenta tractantur.*

CAPVT

## CAPVT VI.

*Non sunt ægritudines animæ, quales corporis infirmitates, nam si huius morbi quidam sunt incurabiles, illius nullum est insanabile malum.*

NOn statim vt venerunt Angeli Sodomam, incenderunt, & exusserunt eam, sed moras traxerunt, quousq; Loth ab illis monitus hortaretur suos ad effugiendum excidium suum, & ciuitatis de qua dicebant: *Delebimus locum istum*; Gen. 19. 13. Vt cùm tristia illa, & horrenda imminentis desolationis noua percrebrescerent, auribus, animisque perculsi Sodomitæ erubescerent, turpes suas libidines, quæ tametsi grandes, & abominabiles essent, spes tamen salutis reliqua, remediumq; curationis erat super. Nullus enim peccator tam perditè viuere in hac vita, nullus in statum tam desperatum venire, nullus in tantam profunditatem præcipitare, & ingurgitare sese potest, vt resipiscere, reuocari, reduci, curari, & erui nequeat, dummodò se disponat, & ex parte sua, quòd potest faciat. Ægritudines, quantumuis graues, & mortales sint, persanari possunt.

Paralyticum Christo adduxerunt ità extenuatum, fractumq; viribus, vt è lecto erigere se non posset. Oblatum infirmum suauibus, beneuolentibusq; oculis aspiciens, superus Medicus, his etiam verbis amanter appellauit: *Fili, remittuntur tibi peccata*; Matth. 9. 2. Simul hæc verba haurire auribus, & talia apud se submussitare Scribæ, & Pharisæi cæperunt: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias?* Peruidebat Dominus inuidorum criminatorum impios cogitatus, & aiebat: *Vt sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*; ibid. v. 6.

Pressit in his Theophylactus illud, *Filius hominis habet potestatem* in terra *dimittendi peccata.* Quid necessum fuit addere, quòd eam *in terra* haberet Filius Dei potestatem? Nonné ad maiorem ostentationem potentiæ illius fecisset, si condonare peccata posse absolutè dictum, neq; ad terram ea facultas velut limitata, & contracta fuisset?

Respondet Theophylactus: *Vide autem, quòd super terram remittuntur peccata. Quamdiu enim super terram sumus, poterimus dolere peccata nostra.* Quòd Christus dixit, habere potestatem dimittendi peccata in terra, non hoc fecit, vt suam arctaret, & angustis limitibus includeret potetinam, sed vt omnes peccatores consolaretur, iuberetq; esse bono animo, propterea quòd haberent res ipsorum remedium, donec ipsi vitam haberent. Quamdiu in hac vita viuitur, quamdiu anima in carne degit, non est cur quis spem abijciat, nullum enim est inueniabile peccatum, nulla culpa, quæ condonari nequeat, nulla incurabilis ægritudo.

Cùm Moyses triumphum caneret felicis transitus Israëlitarum per mare rubrum, & Ægyptiorum in eisdem aquis suffocatorum, sic ad Deum aiebat: *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra*; Exod. 15. 12.

Origenes hom. 6. in Exodum ait: *Impios quidem & hodie deuorat terra.* Quod tunc Ægyptijs accidit, hoc quotidie peccatoribus euenit, vt terra eos suo ventre tanquàm tumulo quodam excipiat. Itaq; si quis carnis deditus voluptatibus, si quis pecuniæ amore captus, si mundi cupiditatibus implicatus, si animo rebus terrenis est immersus, *talem cùm videris, dicito, quia deuorauit eum terra*, inquit ille.

Sed mox addit: *Adhuc me mouet, quod ait, Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.* Si terra iam deuorauit, & in ventre suo sepeliuit peccatorem, quorsùm extendit Dominus manum suam, tanquàm eam porrigere, & ferre opem iacenti velit? Quid enim remedij ferri possit ei, quem terra iam deuorârit? Factum hoc pro solatio peccatorum, inquit Origenes, tanquàm dictum esset, vt nemo desperet, sed quantumuis contaminatus flagitijs, quantumuis cœno peccatorum infixus, quantumuis scelerum ponderibus prægrauatus, benè fidat, & resumat animum, nam cùm Deus extendat manum ad opitulandum, inditio est, quòd spes recuperandæ sanitatis sit reliqua, verèque & exanimitus dolentem peccasse, terra, quæ deuorauit, euomet.

Audiamus Origenem: *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra. Nec penitus desperandum est, possibile namque est, vt si fortè resipiscat, qui deuoratus est, rursum possit euomi.* Quis peccator hæc audiens deficiat animo, aut timeat?

Nam vt noster Hispanus Quintilianus l. 12. c. 1. ait: *Nec rectæ voluntati serum est tempus vllum.* Homini, qui se disponere, & quidquid per virium facultatem potest, facere velit, nulla hora tarda, sed omne tempus commodum est, & opportunum, ac propterea nullus putare debet, quòd difficulter inueniet remedium, nullus desperare curationem.

Turbatus Herodes ex Magorum interrogatione, Principes sacerdotum, & Scribarum consuluit de loco, in quo ex matre in mundum Christus esset proditurus

dicturus, qui responderunt, Bethlehemiticum oppidulum futurum esse locum illius natalem, de quo Michæas vaticinatus fuerit, cùm ait: *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel*; Matth. 2. 6. Apud Michæam cap. 5. v. 2. ista sic habent: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te egredietur mihi, qui sit dominator in Israel.* Bethlehem, vt aiunt sancti Hieronymus, Augustinus, Gregorius, item Lyranus, & Santes Pagninus, idem est, quod *Domus panis*, & Ephrata idem, quòd *Furorem videns*. Ita sanctus Ambrosius, Origenes, Rabbi Salomon, & Hebræi.

Quid mysterij habet, quòd Ephrata est Bethlehem, & domus videns furorem est domus panis?

Occurrit quæsito sanctus Ambrosius obseruat. 1. in Michæam, To. 1. dicens: *Nemo de remedio diffidat. Ecce tibi, vbi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est; vbi crudelitas, ibi pietas, vbi pœna innocentium, ibi vniuersorum redemptio.* Quamuis per vitiorum præcipitia cœcus peccator eò delatus sit, vt malè agendi libidine furat, & tanquàm arreptitius factus sit, qui ligari, & constringi egeat, non seipsum desperet, nam si se, vt debet, præparet, indubitatum est, quòd à phrenesi sua liberabitur, conualescetque à delirio, & exurget è strato suæ infirmitatis. *Nemo de remedio diffidat*, quantauis peccandi insaniâ laboret, quia hæc summa insania est, putare non posse ad mentem redire eum, qui semel illam peccando amiserit.

Narrat apud Matthæum Dominus supremam sententiam, quam in tremendo vniuersalis iudicij die contra reprobos sit pronuntiaturus, aitque se illis tunc dicturum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*; Matth. 25.

Difficultatem hæc recti, & seueri iudicis verba manifestam, patentemq; secum ferunt. Quicunque mali dæmonis seu suasu, seu exemplo Deum offendunt, atque in peccatis suis è vita decedunt, ij ad inferos deiecti incendium sustinebunt æternum, non secùs ac dæmones, eruntque pœnarum consortes, qui fuerunt scelerum complices. Cur ergo iratus Dominus dicet; ignem illum paratum esse *diabolo & Angelis eius*? Ergonè funestum illud barathrum solis contumacibus, & proteruis spiritibus est constructum?

Respondet Iouius Monachus l. de incarnat. q. 48. *idcirco ignem diabolo, eiusque angelis, non autem hominibus præparatum scribi, quoniam in nobis non impunata sit è malo in melius commutatio, cùm illi confirmatâ suâ voluntate nullam de se spem reliquam fecerint.* Causam ergo, cur diabolo potiùs, quàm homini præparatus infernus dicitur, ea est, quòd hic emendabilis sit, ille incorrigibilis. A quo enim dæmon semel peccare cœpit, voluntatem suam anchorâ obstinationis ad peccandum sic fixit, & obfirmauit, vt nunquàm sit discessurus à malè agendi proposito, atque ita quoniam à primo statim peccato fuit absq; remedio, dicitur ignis ille *paratus diabolo, & angelis eius*, non homini, ad eum saltem modum, quo dæmoni. Homo nimirùm cùm semel lapsus est, resurgere per pœnitentiam, & obliterare studio emendationis omnem suam noxam potest. Immò tametsi plura scelera perpetrârit, quàm habeat mare guttas, quàm litus eius arenas, quàm cœlum stellas, semper homini patet veniæ porta, per quam redire in gratiam Dei possit, si velit. Soli dæmones absque remedio sunt, homo curari potest, quantumuis grauis, ac diuturna sit ægritudo, quâ laborat.

Coronemus hoc capitulum quâdam magni Augustini sententiâ, quam nunquàm sine ingenti animæ recreatione, & consolatione lego. Ea in sententijs præclarissimi illius Doctoris 184. est, & sic habet: *Non est desperandum de malis; sed pro ipsis, vt boni fiant studiosius supplicandum, quia numerus sanctorum semper de numero impiorum auctus est.* De malis desperare nemo potest, nisi qui ignorat, quòd Domini nostri potentissima, & peritissima diuinæ alchimiæ ex rudi ferro perditissimorum hominum sæpè aurum sanctissimorum virorum fecit, & incomparabilium fœminarum. Dicat hoc Dimas latro, dicat Petrus negator, & periurus, dicat Paulus persecutor, dicat Matthæus publicanus, dicat Magdalena lasciua, dicat Dauid adulter, dicat Augustinus hæresium sectator, ex quibus alius est speculum pœnitentiæ, alius caput Ecclesiæ, alius Doctor gentium, alius primus Euangelistarum, alius Prophetarum maximus, alius Doctorum præstantissimus, vt nihil dicam de Magdalena, quæ Christi delitium fuit, postquàm vanis & fallacibus delitijs renuntiauit.

*Plurima de hoc argumento in omnibus Tomis suis diuite venâ fudit copiosum Nissenis ingenium. Vide parte secundâ Politici lib. 3. cap. 8. & alia loca ex alijs Tomis ibidem ad calcem adscripta.*

## CAPVT VII.

*Solet Deus affinia, & analoga peccatis supplicia irrogare.*

Cùm

Cùm videret Deus contumaciam, & cœcitatem corruptissimorum Sodomitarum, decreuit igne inde submisso illos tanquàm proteruos, & contumaces vastare, atque absumere. De hac re sic ait Scriptor sacer Gen. 19. 24. 25. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.*

S. Ioannes Chrysostomus, Tertullianus in lib. de Pallio, & Prudentius diligenter considerarunt hoc supplicium. Chrysostomus homil. de Sodomitis, & Achab sic ait: *Erat iusta retributio his, qui naturæ subuerterant leges, fœminas in masculis quærentes, vt inuertatur & in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium ex igne, quasi ex aqua.* Ignis naturæ suæ impetu sursum fertur, & ad loca superiora contendit. Quòd ergo Dominus tunc ignem è cœlo deorsùm pluit, vim huic elemento attulit, vt contrà naturæ inclinationem descenderet. Meritò autem talis ignis supplicio illos peccatores mactauit, quia & ipsi contrà naturam sexum muliebrem in virili requirebant. Hinc accipitur, quàm verum sit illud Sapientiæ 11. 17. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: quodq; Deus plerumq; seruat modum in irroganda pœna, quem peccator tenuit in perpetranda culpa.

Ad partem Altaris dexteram apparuit S. Gabriel Archangelus Zachariæ, quo tempore ille vicem ministerij sui in templo exequebatur, nuntiauitque, quòd vxor eius filium ipsi, inexplicabili Dei beneficio, paritura esset. Turbauit Zachariam & nouus orator, & narratio eius tam insperata, quàm desperata ipsi proles omnis iam dudum fuerat. Cùmque dubiam haberet annuntiationem, dicebat incredulus: *Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis*; Lucæ 1. 18. velut pluribus dixisset: Vnde mihi certum esse potest, vera esse, quæ adfers? Quomodo fieri potest, vt filium, quem dicis, obtineam, cùm & mea longæuitas, & vxoris meæ decrepita ætas contradicant? Cùm talia ille locutus fuisset, dicebat legatus cœlorum: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo, quòd non credidisti verbis meis*; ibid. v. 20.

Monui alibi quoque, quantùm memini, quòd Zacharias pro suæ incredulitatis merito non obmutuit tantùm, sed & obsurduit? Ea namq; est horum sensuum coniunctio, vt cùm lingua intermittit suum officium, etiam auditus suum suspendat ministerium. Huius experimento comprobatæ veritatis testes, ni fallor, adduxi sanctum Ioannem Chrysostomum, Euthymium, & Lactantium Firmianum.

Quærit nunc Theophylactus, quare in lingua, & auribus magis, quam in quauis alia corporis parte luit Zacharias, quem Dominus plectere poterat leprâ, vt sororem Moysis Mariam, & Oziam, aut cœcitate, vt eos, qui domum sancti Loth ad explendam nefandam libidinem oppugnatum veniebant, aut quouis alio supplicio in parte alia punire. Quid os, auresque peccârunt, vt omnis in illorum exitium furor Angeli verteretur?

Respondet Theophylactus: *Meritò duo hæc passus est, & quòd non audiret, & quòd non loqueretur. Quia enim non obedierat, condemnatur vt surdus sit, & quia contradixerat, vt sileat.* Bis peccauerat Zacharias, quia & fidem Angelo negârat, & oblocutus fuerat. Cùm autem *fides* sit *ex auditu*, (Rom. 10. 17.) & oblocutio sit repugnantis linguæ opus, *meritò hæc duo passus est*, meritò obsurduit auditus, & obmutuit lingua, vt intelligeret, per ea quemque castigari, per quæ offendit: *Quia enim non obedierat, condemnatur vt surdus, & quia contradixerat, vt sileat.*

Cùm leges pœnales varia decernant supplicia his, qui eas prætergrediuntur, & violant, quærit S. Ambrosius, quænam aptiùs, accommodatiùsque de sordido mandatorum diuinorum præuaricatore vindicta expeti possit.

Respondet autem, si capite minuatur legum diuinarum contemptor, eam fore æquissimam culpæ talis pœnam. At cùm varia sint suppliciorum genera, cur vna capitis obtruncatio maximè quadret in illorum sacrosanctorum præceptorum transgressores?

Occurrit dubitationi S. Doctor serm. 20. in Psal. 118. lit. R E S. in hunc ferè modum. Per peccatum obbrutescit homo. Sic enim ait Propheta regius: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*; Psal. 48. 13. Meritò ergò, & iustissimè capite minuitur, qui per peccatum minoratus ab hominibus in bestiam degenerauit, *quia capite solo distamus à bestijs*, in capite sapientia sedem, arcem suam ratio habet, quæ nos à iumentis secernit, & *sublato capite corpus sine nomine est, resciso capite reliqui corporis truncus bestiarum corpori comparatur, & propterea sapientiæ arce iure fraudatur, qui sapientiæ non potuit tenere rationem* Hæc ille.

Paulus Burgensis, & Philo Iudæus, & alij non pauci, qui cum eis sentiunt, aiunt, in Sacris literis non constare apertè de morte Caini. Philo in lib. *Quod deter. insidietur potiori* sic habet: *Nusquàm in*

*lege de nece eius narratur.* Quanquàm enim Lamech dixerit ad vxores ſuas: *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentem in liuore meo*; Gen. 4. 23. non ſequitur tamen, quòd Cain fuerit ille, qui occiſus. Propterea dicit Burgenſis addit. 7. in cap. 4. Geneſ. *Non habetur ex litera, quòd Lamech interfeciſſet Cain, nec etiam quòd Cain fuiſſet interfectus ab aliquo.* Accedunt hæc ad opinionem Philonis.

Oriri hîc dubitatio, eaq; huiuſmodi poteſt. Scriptura magno ſtudio, & ſingulari diligentiâ deſcripſit nefariam mortem Abelis, quam illi perfidioſi Cain truculentæ manus attulerunt, dicens: *Cùm eſſent in agro, conſurrexit Cain aduersùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*, Geneſ. 4. 8. Cur ergo non ſimiliter commemorat obitum ipſius Cain, cùm neceſſarium videatur ſcire quomodo homo tam ferus, & præceps ſublatus è mundo fuerit? Cur id ſacer Hiſtoricus præterijt? *non enim habetur ex litera, quòd Lamech interfeciſſet Cain, nec etiam, quòd Cain fuiſſet interfectus ab aliquo.* Cauſa intermiſſæ illius narrationis colligi poteſt ex more Dei, quo ille vti ad infligendum ſupplicia ſolet. Nam res ipſa loquitur, quòd Cain malâ morte interiturus eſſet. Cùm enim ipſe perfidioſus in fratrem ſuum fuerit, quomodo fieri poterat, vt non alius in ipſum è contrà perfidioſus fratricidam homicida perimeret? Habet enim hoc iuſtitiæ Dei conſuetudo, vt ex eo peccatori pœnam plerumque adornet, quo ille ad culpam vſus fuit, vt propterea facilè ſit diuinare, Cain vim paſſum obijſſe, qui vim fratri, vt moreretur, intulit.

Poſtquàm fuſus, fugatuſque eſſet exercitus, quem contrà patrem ſuum conflauerat Abſalon, fugit ille mulo ſedens, cùmque ingreſſum fuiſſet iumentum ſubter condenſam quercum, & magnam, illumque capillamento implicatum rami tenaciter attinerent, pertranſiens ſubiugale animal reliquit inter cœlum, & terram ex arbore pendulum. Vidit hoc miles quidam, ſtatimque nuntiauit Ioas, ſupremo exercitus Dauidici ductori, qui ait: Cur non confixiſti eum lanceâ? Ego enim pro tam ſtrenuo facto diuitem mercedem tibi numeraſſem. Sed cùm videret, non fieri ſatis ſuo deſiderio, ille ipſe *tulit tres lanceas in manu ſua, & fixit eas in corde Abſalom*; 2. Reg. 18. 14 Fierinè potuit, vt eadem lineâ in idem cor tam directè tres illæ lanceæ ferrentur? At cur in illam vnicam magis, quàm aliam corporis partem ſunt perlatæ?

Reſpondet S. Ignatius epiſt. 6. dicens: *Abſalon parricida factus, cùm ex arbore penderet, per cor praua illa conſilia machinatum traiectus fuit.* Cuderat in corde ſuo cogitatus impios, conſilia nefaria, machinationes ſceleſtas, dolos peſſimos, propoſita ſanguinaria. Et quod aliud tam improbum, truculentumque propoſitum, quàm filij, qui patrem, eumq; amantiſſimum, & beneuolentiſſimum, non purpurâ tantùm, & regno, ſed & vitâ exuere deliberatum habebat? Lanceis ergo configatur, & tranſuerberetur cor illud, in quo tam crudelia conſilia, iurique omni & diuino, & humano aduerſa ſunt conflata, & ex eius partis vulnere malè pereat filius, in qua tam crudeles cogitatus aduersùs innoxium patrem concepit. *Abſalon parricida factus, cùm ex arbore penderet, per cor praua illa conſilia machinatum traiectus fuit.*

Et quanquàm S. Ignatius hæc non annotaſſet, puto tamen ex ipſo ſacro textu (quamuis aliâ viâ) adduci potuiſſe cauſam, ob quam ſecundùm cor ſauciatus Abſalom interierit. Nam cùm de illius inſania, temerariaque ambitione Scriptura loquitur, ſic ait: *Solicitabat corda virorum Iſrael*; 2. Reg. 15. 6. Hoc illius peccatum erat, hoc impium ſtudium, quòd *ſolicitabat corda* ſubditorum patris ſui, inſtigabatque ad defectionem & perduellionem. Moriatur ergo ex cordis triplici lancea confixi vulnere, iuſto enim Dei iudicio fit, vt ex eo peccator pœnas ſuas accipiat, quo ad offenſam vſus fuit. Attendat ergo quiſque quomodo viuat, res enim illi cum Deo tam recto, & potente eſt, vt ex conditione peccati accipere ſciat modum ſupplicij, & inſtrumentum ſceleris vertere in flagellum punitionis.

*Verſat hanc rem copioſiùs Periocha IV. Dominica I. poſt Pentecoſten Tom. 2. pag. 90. Vide calcem illius.*

## CAPVT VIII.

*Peccator vt culpæ, ſic & pœnæ ſuæ ipſe ſibi eſt autor, ſator, ſartor.*

NEmo det querimonias, quando pro peccatis dat pœnas, niſi fortè tam ſtultus ſit, vt ſe illorum autorem neget. Peccator eſt cauſa ſui ſupplicij, & ſuæ pœnæ executor, qui eſt miſer ſui ſceleris autor.

Duro cuidam, & obſtinato peccatori aiebat Sanctus Paulus Rom. 2. 5. *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thezaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei*; tanquàm pluribus dixiſſet: Perſta, perſta contumaciter in tuis flagitijs, perge proteruiter, quòd facis, Numini repugnare, & videbis quid tibi accidat. Quò enim pertinaciùs animum ad peccandum obſtinaueris, eò maiorem vim, copiamque iræ tibi accumulabis in diem

iræ, in quo generis humani rationes omnes excipiet iustus iudex, & *reddet vnicuique secundùm opera eius*; ibid. v. 6.

S. Ioannes Chrysostomus in illorum verborum expositione ait: *Tu tibi thezaurizas, non Deus tibi; etenim ille omnia præstitit, quæ oportebat, qui si inflexus manes, tu tibi thezaurizas iram in die iræ.* Quando nostrûm quisquam vult se vindicare de alio, & per importunum tempus non potest, solet, dicere: *yo se larguar darè a fulano, para cuando halle occasion*; hoc est: *Retinebo altâ mente repositam iniuriam ab illo mihi illatam, quousque occasionem vlciscendi inueniam.* Sic nunc dicit Chrysostomus: *Tu tibi thezaurizas, non Deus tibi.* Quando peccator in illo supremo iudicij die viderit se ad tam terribiles cruciatus, & crudelia tormenta damnatum, non poterit dicere, quòd Deus illas sibi seruauerit repositas pœnas, sed quòd ipse sibi eas seruauerit. Ipse namque sibi suarum vt culparum, sic & pœnarum est arbiter, qui si non eligeret peccare, nunquàm illi Deus decerneret pœnas.

Duros, impœnitentesque peccatores his verbis percellebat olim Propheta regius Psalm. 7. 13. 14. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*; velut apertiùs dixisset: Scire vos volo, peccatores, quòd Deus, nisi gelu pectorum vestrorum solueritis, & ad vitæ melioris studia vos receperitis, eximet, distringetq; acutum iustitiæ suæ gladium, & eiaculabitur arcu sua spicula, quæ ardentibus, siue his, qui ardent, parata habet? *Sagittas suas ardentibus effecit.* Non omnes eodem modo accipiunt hæc verba, quæ sunt nonnihil obscura, cùm non sit facilè intelligere, de quibus ardentibus loquatur Propheta.

Prætermissis varijs expositionibus vnam huc adferam Magni Basilij commentationem, eamq; propositæ rei commodam, quæ sic habet: *Quemadmodum ignem Dominus non adamanti, qui non liquescit igne, sed ardenti materiæ, ceu sunt ligna, creauit; sic & sagittæ Dei in animas, quæ multum aridæ materiæ, & ad interitum aptæ collegerunt, sunt effectæ.* Si quis ignem accendere vellet, atque in hunc finem adferri sibi argentum, aurum, gemmas, adamantes, is delirare putaretur, eò quòd eiusmodi res igni excitando sint ineptæ, cui destinata sunt ligna, quercus, ilices, pinus, & arbores tales aliæ, quibus flamma nutritur, & alitur incendium. Dicit nunc Basilius: Sagittæ Dei, iraque eius, & indignatio cui rei sunt factæ? Materiæ siccæ, & quæ capax sit ignis; *Sagittas suas ardentibus effecit*, peccatoribus, inquam, qui ad omnem Dei inspirationem, & vocationem sunt velut duræ quædam quercus, & ilices. Quos autem reperit Deus plenos gemmis, & adamantibus virtutum, affluentes auro, & argento bonorum operum, hos non iræ sagittis, sed charitatis spiculis configit. Hoc est, quòd S. Paulus dicit 1. Corinth. 3. 12. *Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* Videat quisque quidnam super fidem, & cognitionem construat, aurumnè sit, vel argentum, vel gemmæ, an verò fœnum, paleæ, lignum, nam pro conditione istarum rerum erit qualitas præmiorum, & remunerationis, & *cuius opus arserit*, ille *detrimentum patietur.* Si quis lignum, stipula, fœnum apta igni materia fuerit, adeòque arserit, vitio suo suum damnum adscribat. Si verò aurum fuerit, aut argentum, si virtutibus gemmeus, si pietatis constantiâ adamantinus, non proijcietur in ignem. Iuxtà hæc, cuique sua culpâ accidit, quòd pœnas luit, nemo enim vapularet, nisi digna verberibus ageret, nemo supplicia meteret, nisi suppliciorum semine flagitia sereret. *Illi itaque, qui ignitas diaboli sagittas prius receptas in se retinent, hi sunt, qui demum Dei sagittas excipiunt, ideò dicit, sagittas ipsius iam ardentibus effectas*, inquit rursùm Basilius.

Possumus aptare peccatori, idq; commodè, vetus illud adagium, *Capra gladium*, quòd ex Erasmo Paulus Manutius refert, quo significabatur homo, qui ipse sibi suam adornabat, & procurabat pernitiem. Occasionem prouerbio dedit, quod subijciam. Apparabant Corinthij gladium Iunoni, sacerdotes autem defoderant gladium, quo mactandum erat pecus, quod immolare cupiebant. *Capra* autem *pedibus exscalpens gladium eruit, prodiditque, itaque mactata est.* In rem nostram illud sic vertere possumus. *Peccator gladium.* Deus velut tectum, & in vagina reconditum habet iræ suæ gladium, abstrususque ille, & occultus maneret, nisi peccator illum vngulis extunderet, vel scalpturitione suâ detegeret, atque ad feriendum Deum incitaret. Quòd ergo malefactor cæditur, id fit, quia ipse mucronem effodit, decollaturque, quia ipse gladium denudat, & comburitur, quia ipse se aptum incendio facit.

Murmurârunt Aaron, & Maria contrà fratrem suum Moysen propter mulierem Æthiopissam, quam duxerat vxorem. Audiuit hoc Dominus, *iratusque contrà eos, abijt, nubes quoque recessit, quæ erat super taberna-*

*tabernaculum*; Num. 12. 9. 10. Simul ac Deus recessit, & nubes submota fuit, *ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix*; ibid. v. 10.

Quid mysterij habeat, quòd nubes euanuit tunc, cùm futurum erat, vt Maria leprâ quasi nix candens appareret? *Nubes quoque recessit.* Quid incommodi adferre poterat, quòd præsente nube Maria leprâ, vt niue perfusa, & has dare pœnas videretur?

Dicam. Conimbricenses tract. 7. in lib. Meteor. cap. 5. de niuis generatione sic pronuntiant: *Cùm nubes in media aëris regione, ob vehementem frigiditatem, antequàm in aquam soluantur, gelascunt, nix efficitur.* Quando ergo Maria leprâ quasi nix candens apparuit, tunc *nubes recessit*, vt indicio esset, quòd nix supplicij Mariæ non ex nube Dei, sed ex atro, & obscuro vapore iniustæ murmurationis eius, quàm lepra deformabat, descendit: Deus enim non est autor pœnæ, sed peccator ipse sui supplicij sibi est arbiter, & architectus.

Dices mihi: Ergo nihil ad Sodomitas ista, Dominus enim pluit sulphur, & ignem super Sodomam, & Gomorrham, & cæteras scelerum consortes, nefandasque ciuitates. Deus itaque pœnarum, quas Sodomitæ dederunt, autor fuit, non ipsi sibi eas consciuerunt. Immò verò contrarium ex eo Scripturæ loco, vnde superiora accepta, euinco. Nonné ibi dicitur, quòd *Dominus pluit sulphur, & ignem?* Nubes, quæ aquas inde huc submittunt, nonné vapores sunt, qui è terra exurgentes aëris regionem superiorem petunt, ibique densantur, quousque resoluti in aquas recidant eò, vnde ascenderunt? Res perspicua est, & notoria. Peccatum Sodomitarum fuit ardens ignis obscœnæ libidinis. Iste ignis cœlum petijt, condensatusque in nubem à iustitia Dei fuit, & quem clamor Sodomitarum sursùm extulit, hunc iustus Dei furor deorsùm pluit, & qui in vocibus ascendit, in spiculis flammantibus, & flagrantibus lanceis descendit. Ergo Sodomitæ fuerunt arbitri suæ pœnæ, & supplicij autores, omnisq; vniuersim peccator suorum cruciatuum sibi est faber, opifex, minister.

*De hoc argumento etiam sæpè alibi, fusèque & discretè agit Nissenus. Vide in prima parte Politici cœlorum lib. 7. c. 2. & alia loca ibidem designata.*

## CAPVT IX.

*Felicissima iactura est vitæ, quæ non impendenda officijs diuinis, minores enim pœnas dabit peccator, qui dies pauciores vixit.*

Nemini pepercit ille cœlo delapsus sulphureus ignis, quia *subuertit vniuersos habitatores vrbium*, vt habet textus sacer Genes. 19. 25. Quid autem peccauerant infantes, vt illos eadem ira Dei, & indignatio mactaret? Cur pœnarum consortes fuerunt, qui non complices culparum? Quid meruerunt innocentes pupuli, vt communi incendio conflagrarent, ac perirent? Præuidit Deus per suam omniscientiam, paruulos illos si adolescerent, annosque attingerent, quibus peccare per ætatem possent, similes parentum, hoc est, contaminatos, obscœnos, brutos futuros. Quòd ergo his abstulit vitam, quæ grauioris damnationis, & acerbiorum cruciatuum occasionem præbitura erat, pietas, & misericordia fuit, quemadmodùm misericordia est, adimere, & per vim è manibus extorquere cultrum furioso, quo sibi gulam præsecaret, si ferrum ei relinqueretur.

Quòd hîc dixi, id Alcuinus apud Gloss. Ordin. in cap. 19. Genes. sic reddidit: *Infantes cum parentibus in Sodoma cremati sunt, ne diu viuentes sequerentur vestigia patrum, & grauiùs punirentur. Est enim qualecunque beneficium, non reum esse, qui gloriosus non est, prodest namque pauperem non esse, qui rex esse non potest.* Ergo à pietate, & beneuolentia Domini proficiscitur, cùm vitam alicui eripit, qui ad illius offensam, & suam maiorem damnationem vtetur. Et lucrum facit, qui iacturam facit animæ, per quam intolerabiliores sibi pœnas pararet, si diu viueret, diuque peccaret.

Deflebat in Threnis suis Propheta Ieremias luctuosos casus, & fatales strages populi transgressoris, interq; varias ærumnas vnam amarè deplorabat famis necessitatem, quæ tanta fuit, vt complures matres coëgerit edere liberos, quos ediderant, & refundere in viscera, vnde eos paulò ante effuderant, & ex eorum carnibus victum sibi parare, quibus vitæ alimoniam ex suis præbuerant. Id Ieremias his verbis Threnor. 4. v. 10. elachrymabatur: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibi earum.*

In his meretur attentam considerationem epitheton, quo mulieres illas lachrymosus Propheta donat, quarum tanta fuit animi magnitudo, vt liberos suos in suum victum mactarent, & vitam suam eorum morte, quibus non diu ante vitam dederant, sospitarent. Misericordes, pias, indulgentes eas vocat, quæ ademerunt vitam lactentibus suis, vt suam seruarent: *Manus mulierum misericordium*, inquit, *coxerunt filios suos.* Videtur non satis congruere tra-

gicæ isti cantioni, & lugubri carmini, quale est hoc Ieremiæ, ista misericordium matrum appellatio. Homerus certè, & Virgilius aliter appellarent matres, quæ liberos deuorassent, crudeles feras, sanguinarias potiùs vocassent. Quomodo ergo Propheta eas misericordes nominat?

Rupertus Abbas lib. 1. in Ieremiam cap. 86. respondet, meritò pias vocari eas matres, quæ talium patrum liberis vitam ademerunt, *non modo quia compendiosius mortem perpessi sunt, verum etiam, quia plurimam adaugendorum scelerum necessitatem euaserunt.* Piæ, & misericordes fuerunt illæ matres, non solùm quia citâ morte sublatos, à longa intolerabilis esuriei necessitate illos seruarunt, *meliusque fuit occisis gladio, quàm interemptis fame*, ibid. v. 9. verùm etiam vel maximè, *quia plurimam adaugendorum scelerum necessitatem per eas euaserunt* liberi præmaturâ morte perempti. Perdere namque vitam, quæ ad offensas Dei vertenda erat, facere lucrum est, & felicitas est, ad t. .n infelicem statum non peruenisse, adeò misericordes fuerunt manus, per quas factum est, vt paruuli ante morerentur, quàm eiusmodi miserias incurrerent.

Ad hoc propositum dicit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, cap. 14. *Est maximum, & perfectissimum bonum, quando à malefaciendo, & à re malè gerenda ad virtutem, & bonam actionem possit quis aliquem traducere.*

Quòd si quis tam sit cœcus, & durus, vt emendare se, & corrigere nolit, curationemq; omnem respuat, & cunctas fores, per quas ad eum salus venire possit, obstruat, quid homini tali faciemus? Respondet Clemens vbi suprà, clementissimè cum illo acturum Deum, si eum è viuis auferat, vt minùs peccantem mitiùs plectat: *Quando in immedicabile aliquod malum ceciderit, ab iniustitia possessus aliquis beneficio afficietur, si interficiatur.*

In extremo illo, & celebri cantico suo enumerat Moyses illustria gesta Domini, aitque ex nomine illius: *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere*; Deut. 32. 39. Ab ira venire quis putet, quòd Dominus ait, velle occidere, percutere, concerpere, sanguinem fundere. Verùm S. Basilius Magnus iubet anteriora ex posterioribus, priora ex sequentibus æstimare, & non arbitrari seueritatem, sed misericordiam, quòd Dominus dicit, velle mactare, & cædere, sicut pietatem, & clementiam sonant illa, *Ego viuere faciam, ego sanabo.* Sicciné verò benignitatem interpretabimur, & appellabimus, vitæ, rei tam dulcis, & amabilis, ablationem? Immò verò, inquit Basilius in cap. 6. Isaiæ: *Ostenditur vtilem esse, & commodum eorum finem, qui beneficij loco plectuntur. Ait enim, Percutiam, & ego sanabo.* Si quis peccator tam obstinatus, & contumax, vt nullas sit vnquàm aperturus diuinis inspirationibus fores, neque prauorum vitia morum emendaturus, quæstuosa illi fuerit vitæ iactura, & lucrum mors adferet, quæ auferet animam. Propterea peccatoris cædes vocatur sanatio. *Percutiam, & ego sanabo*, quando enim talis est futura vita, vt tot mortalia vulnera sibi quis infligat, quòd committet lethalia crimina, percutere eiusmodi hominem, erit sanare illum, & misericordiæ viam illi ad vlteriora flagitia per mortem præcludere.

S. Paulus Apostolus ad Philipp. 1. 21. 22. ait: *Mihi viuere Christus est, & mors lucrum. Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam, ignoro*; velut dixisset verbis alijs: Vita mea, & quæstus meus, Christus est. Et quid mundo adferre vtilitatis possit, quòd ego in hac misera, & mortali vita dego, quid meliùs, mihique optabiliùs sit, nescio, & quam in partem inclinem, animi pendeo. Mox tamen dicit idem Apostolus: *Permanere autem in carne necessarium propter vos*; hoc est: Tametsi mihi magis honorificum esset ascendere ad Christum, & cum illo regnare in gloria, video tamen res hominum aliorum postulare, vt ad ipsorum spiritualem profectum curandum aliquamdiu adhuc in vita hac mortali persistam: *Permanere autem in carne necessarium propter vos.*

S. Ambrosius in lib. de fide resurrect. To. 4. ait: *Sed non omnibus necessarium, Domine Iesu, non mihi, qui nulli vtilis sum, nam mihi lucrum est mori, ne plura peccem.* De vita tam sancta, & integra, quàm erat Pauli, rectè dici potest, ac meritò debet, quòd necessarium sit eam esse longæuam, & diu perdurabilem. Sed non omnes decet longa vita, peccatoribus conducibilior mors est, quò enim minùs viuunt, eò & minùs delinquunt: *Mihi lucrum est mori, ne plura peccem.* Multam ergo ex morte vtilitatem capit peccator, quia perdit vitam, quæ Deo inuisa, & exosa futura erat.

Cum Herodes delusum se à Magis videret, subiratus misit in Bethlehem furoris sui ministros, qui omnes illius ciuitatis pueros bimulos, & his minores trucidarent, arbitratus in illis etiam extinguendum recens natum regem Iudæorum. S. Matthæus eam tragœdiam sic narrat c. 2. 16. *Mittens occidit*

omnes

*omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà.*

Quæri poteſt, cur Dominus hos innocentes pueros propter ſe interfici permiſit, qui vt ſe ab Herodis truculentia liberum ſeruauit, & ſaluauit, ita & infantes illos facilè ſoſpitare potuit, & facere, ne Herodes tam ſanguinario medio, tamque ferâ induſtriâ ad abigendum ſuum timorem vteretur. Quid cauſæ eſſe poſſit, quòd tolerauit, vt crudelis rex tam miſerandam, luctuoſamque cædem ederet?

Euthymius in cap. 2. Matth. ſic habet: *Fortaſsis autem & hi pueri probi futuri non erant.* Duo ergo ſingularia, & inſignita beneficia ijs Dominus præſtitit, quibus eripi vitam permiſit. Primum eſt, quòd Martyres ſuos fecit, quibus feſtus dies, iſque percelebris eſt conſecratus. Alterum, quòd tunc vitæ illorum filum abrumpi conceſſit, quando per ætatem offendere Deum nondum poterant. Quæ autem maior gratia excogitari poſſit, quàm quòd illis contulit gloriam, poſtquàm ſuſtulit vitam, per quam excidere beatitudine æternâ, & incurrere damnationem poterant perpetuò duraturam?

Commodè ad iſta dicit Archiepiſcopus Bulgarorum Theophylactus in cap. 9. Ioannis: *Quòd ſæpè vides pueros mori, ſcias quòd Deus propter miſericordiam præripiat illorum vitam, vt ne cùm ſuperuixerint, deteriores fiant, & in malum ſuarum animarũ, & aliorum multorum viuant.* Ergo adimere homini vitam, quæ plurimam animæ perniciem, & grauia ſpiritui damna adferret, & noxia hominibus alijs ſcandala præberet, numerari in beneficijs poteſt, quò enim pauciora peccata commiſerit, eò leuiores pœnas dabit, & breuiorem vitam mitiores excipient cruciatus.

Cùm ſanctus Loth, vnaque vxor illius, & filiæ digreſſi à Sodomis eſſent, vt horribile, & fatale euaderent incendium, mandauit illis Angelus, ne quis caput, oculoſque ad exurendam mox ciuitatem obuerteret. Non obtemperauit iuſſioni vxor, ſtatimque in ſtatuam ſalis, pro ſuæ tranſgreſſionis merito, conuerſa fuit. Magna hîc dicunt Doctores ſancti, & Expoſitores alij, Legatur Tertullianus in ſua Sodoma, vbi de hac ſtatua habet ſingularia. Videantur apud Lyranum, & Abulenſem, quæ in monte, in quo ſaluatus Loth fuit, acciderunt, & à me prætermittuntur, quòd ad rem meam non faciant. Quanquàm ea, quæ ibi contigerunt, etiam talia ſunt, vt multò conſultius ſit ſilentij tumulo ea inferre, & tegere, quàm linguâ vulgari in medium forum, producere. Vxorem Loth, (quòd cœleſtis Magiſtri conſilium eſt Lucæ. 17. 32.) crebrò recordemur, & viuæ memoriæ altè impreſſam habeamus, periculoque illius, & damno cautiores facti ſapere diſcamus. Illã pro obuerſo ſemel capite tam ſeuerè Dominus mulctauit, quas ergo ille de grauioribus peccatis, deque atrocioribus ſceleribus pœnas exquiret?

# LIBER IX. VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Neque ſuperbos nos mundi gloria, & felicitas reddere, nec facere puſillanimes eius ærumnæ debent, par enim eſt vtrarumque conditio, quià nec illæ perpetuò durabunt, nec hæ ſemper manebunt.*



QVi notitiam habet rerum vitæ præſentis, in qua tanquàm in latè diffuſo mari nauigamus iam in tranquillitate gloriæ, iam inter tempeſtates miſeriæ, iamque fluctibus proſperitatis in cœlum efferimur, iam procellis aduerſitatum in abyſſum demergimur, parùm cordatum ſe, prudentemque probabit, ſi vel intumeſcat animo, cùm inter res ſecundas velut per quietum, & planum æquor placidè circumfertur, vel contabeſcat mœrore, frangaturque triſtitiâ, cùm ærumnarum turbine iactatus ancipiti inter vada, & ſcopulos curſu ad magnum periculum naufragij circumfertur. Nam cùm omnes fluctus ſint inconſtantes, & varij, neminèm vlteriùs exagitare, quàm ad portum mortis poſſunt, in quo omnis & peſſum it pompa, & occidit maieſtas, & conquieſcit labor, & vniuerſa ſubſidit calamitatum tempeſtas. Itaque neminem vel exanimare, vel de ſtatu mentis deijcere aduerſa, neminem proſpera plus ſatis animoſum, arrogantemque reddere debent.

Tres diſcipulorum chariſſimos, Petrum, Iacobum, Ioannem Redemptor orbis in montem excelſum adduxit, in cuius loco editiore lineamenta quædam illis oſtendit gloriæ, quâ ipſorum labores, ſudoreſq;

rebúsq; posthæc remuneratus esset, atque vt celebrior, magisque & iucunda, & festiua, & magnifica esset solennitas, Moysen è sepulchro, è paradiso Eliam accersitum adesse gloriosus Dominus, & Princeps æternitatis voluit. Matthæus cap. 17. v. 5. ait: *Duxit illos in montem excelsum seorsùm.* Facilè est diuinare, quisnam ille mons fuerit. Sancti Patres Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, item Euthymius, Theophylactus, Hugo, & Caietanus Cardinales, omnésque Expositores aiunt, fuisse montem Thabor, *Hic mons Thabor est*, inquit Caietanus, quod & receptissima sententia habet. Duo animaduertemus in eo monte, quæ videntur contraria. Fuit mons ille hinc splendidissimis peristromatis, & venustissimis, pretiosissimisq; aulæis gloriæ conuestitus, & ad miraculum exornatus, illinc pullo amictu, & atro, lugubrique panno commemorationis pœnarum, quas in sua passione subiturus erat Dominus, squalidus.

De gloria sic habet Matthæus ibid. v. 2. *Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* De pœnis Lucas cap. 9. 30. 31. ità: *Erant Moyses, & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Nulla alia tam magnifica gloria, tamque grauis tristitia, & tristis pœna concurrere in hac vita posse videntur. Sed quare hic potissimùm ex omnibus finitimis montibus delectus fuit, qui tantæ & gloriæ, & pœnæ theatrum esset? Cùm tam momentosa essent, quæ in illo monte repræsentabantur, nec absque singulari consilio, nec sine magno mysterio voluerit Dominus, vt in vno Thabore illa fierent. Quid ergo habuit Thabor, vt in eo illud gloriæ, & pœnarum dominicarum spectaculum præberetur?

Genebrardus in Psal. 81. ait: *Thabor situs est ad Occasum.* In tali ergo ad Occasum sito monte repræsentatæ fuerunt gloria, & pœnæ Domini, vt mysticâ illâ actione institueremur, quòd nec efferri huius vitæ gloriâ, neque deijci ærumnis debeamus, vtræque enim repræsentantur, quemadmodùm & illæ Christi, in parte ad occasum vergente, & diu perdurare neutra potest.

Vt ne oscitantiæ me insimuletis, parumque attentum arguatis in expendendis sanctorum Patrum dictis, & quibus mysterium aliquod exsculpi potest, visum mihi est repetere quædam sancti Gregorij Nazianzeni verba, in quibus deditâ operâ vnum aliquod alibi omisi, vt huius capituli seruiret confirmationi. Narrat magnus Theologus miraculum maris rubri, quòd aquas suas suspendit, vt per eius alueum transirent Israëlitæ, quos infensi persequebantur Ægyptij. Refert item Iordanis prodigium, qui cursum suum stitit, & aquam in montis altitudinem ad Arcæ tot portentorum operatricis reuerentiam, vt ea tutò præteruheretur, fastigiauit. Demùm ita concludit: *Fluuij etiam cognatum mare imitantes cedebant.* Hæc ille in Orat 12. Imitationem suprà lib. 6. cap. 9. expendimus, nunc reliquum est dispicere subtilitatem Nazianzeni, quâ *mare cognatum* fluuijs affirmat. Vnde verò illa cognationis necessitudo? Dices, mare, & flumina aquarum affinitate esse coniuncta. Benè id habet. Sed opponi dicto statim potest, quòd nulla videatur aquarum cognatio, cùm aliæ salsæ sint, dulces aliæ. Quid ergo inter has affinitatis esse potest: Acutè Nazianzenus fluuijs *cognatum mare* dixit, quanquàm illorum aquæ dulces, huius salsæ sint. Immò hanc ipsam ob causam maior est vtrorumque coniunctio. Nam si dulces fluminum vndæ significant affluentiam, & felicitatem huius vitæ, & aquæ maris salsæ referunt symbolo mala præsentis sæculi, iuxtà illud Prophetæ Thren. 2. 13. *Magna est velut mare contritio tua;* meritò Gregorius dixit, illa esse admodùm cognata, cùm vtraque certum, citumque finem habeant, nam neque bona vitæ huius sunt perpetua, nec mala sempiterna.

S. Paulus Apostolus, qui tam enixo, inflammatoque erat ad consolandum alios studio, dicebat 1. Cor. 7. 30. *Qui flent, tanquàm non flentes sint, & qui gaudent, tanquàm non gaudentes, & qui emunt, tanquàm non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur.* Sed quid illud est, ob quod non lætari, nimiùmque efferri debeant, quibus est benè, neque plus satis tristari, quibus infensa fortuna vult malè, neq; flere, quorum res deploratæ, neque gaudere, quibus sors beneuolentior arridet? Causam statim addidit sacer Apostolus, inquiens: *Præterit enim figura huius mundi?* ibid. v. 31.

S. Theodorus Studita quærit: *Quid est, Præterit figura huius mundi?* Respondet verò Catechesi 3. idem esse, quod *Labitur, prætereequitat, nec vel diuturnam stabilitatem obtinens, sed qui heri nitidus, hodie squalidus, qui heri in re splendida, hodie in miseria est, nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit, hic è paupere fit diues, alius è diuite pauper, milleque mutationibus, atque vicibus ærumnosa nostra subiecta vita est, nihil possidens constans.* Omni veredo perniciùs figura mundi præterit, nec firmitatem aliquam, perennitatemque habere potest, & variabilitate suâ crebras, quàm mirandas, & miserandas parit vicissitudines, nunc hunc in altum extollens, nunc illum è subli-

è ſublimi deijciens, illum beans, hunc infelicitans, illum ex mendicabulo peropulentum faciens, hunc ex opum affluentia ad inopiam, & ad incitas redigens, neminem diu eundem retinere ſtatum ſinens.

Sed quid ſolatij hauriamus ex eo, quod Paulus præterire mundi figuram dicit? S. Ioannes Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus aiunt illa Apoſtoli verba ſic etiam transferri poſſe: *Præterit ſcena huius mundi*; quaſi quis dicat, mundum hunc comœdiæ inſtar tranſire. O quantùm hoc inter anguſtias conſolari afflictos, quantùm humiliare inter proſpera ſuperbos poteſt, quòd vtraque comœdiæ ſunt ſimilia! Cùm quis regem, vel triumphatorem, vel alium ſiue Principis, ſiue domicellæ alicuius gratioſum repræſentat, quàm paruifacimus illa! quàm parùm & acclamamus triumpho, & applaudimus gratiæ, & inuidemus tali gloriæ! Quando alium videmus proſtratum, nudatum gloriâ, excidiſſe gratiâ, & in tabulato minui capite, quàm parùm tali mouemur, & affligamur ſpectaculo! quàm paucas fundimus lachrymas, eò quòd ſciamus, meras præſtigias eſſe, & ludos, & fictiones, quidquid ibi fit, & in ſpeciem tantùm omnia agi? Ita nunc dicit Paulus, vt qui flet, non contabeſcat mœrore, neque collabaſcat animo pauper, neque intumeſcat diues, neque inſoleſcat gratioſus, *præterit enim ſcena huius mundi*, & res illius omnes ſimulatoriæ quædam ſpecies ſunt, & repræſentationes inanes, ac futiles, & cùm à ſcena diſceſſum fuerit, qualis quiſque eſt, talis reputabitur.

Exemplum habemus in noſtro Patriarcha, qui nunc denuò vertit ſolùm, & terrâ Sodomæ vicinâ relictâ *peregrinatus eſt in Geraris*, Geneſ. 20. 1. in quæ annotatio moralis Oleaſtri ſic habet: *Nuper armauerat trecentos vernaculos domus ſuæ, quibus reges Syriæ debellaret, & nunc baculo in manu aſſumpto ipſe, & vxor eius cogitur ad Geras deſcendere, ibique mendicare.* Quanta vitæ huius inconſtantia! Poterat antehac Abraham ex ſolis domeſticis ſuis integrum conflare exercitum, & armis barbaros Syros ſubigere, quem nunc dura neceſſitas exulare, & victum ad vitam conſeruandam mendicatò colligere cogit. Colligunt nunc ſtipem ipſe, vxorq; eius pauperes, qui nuper tantis rebus affluebant, quas in pauperes erogarent. Omnia hæc ad conſolationem noſtram ſcribuntur, inquit Oleaſter. Videmus Patriarcham noſtrum humilem inter proſpera, magnanimum inter aduerſa, ſic vt neque hæc illum frangerent, neque iſta ſuperbum facerent, vt enim ſordatus, & prudens, erat, ita facilè videbat vtraque finem habere, bonaque & mala, gloriam, & pœnas, res ſecundas, & aduerſas certis terminis concludi. Inſignis ergo ſtultitia eſt vel felicitate intumeſcere, vel frangi calamitate.

## CAPVT II.

*Verus ſeruus Dei tam debet eſſe illius amans, quando ab eo cæditur, quàm humilis ſeruus, quando indulgenter habetur.*

INter omnia patientem, & gratum, & humilem videmus Patriarcham noſtrum clarum ac terſum emendandorum, & excolendorum morum, corrigendarumq; actionum noſtrarum ſpeculum. Oleaſter in annotat. morali ait: *Diſcant à ſene, qualiter homines vtramq; fortunam tolerare debeant.* Diſcant à vetulo Patriarcha, quicunque Deo placere cupiunt, æquanimiter ferre omnem ſtatum, in quo ab illo collocati fuerint, curentque vt omnibus rebus ſeruiant ei, omnibus modis gratificentur, ſintque in affluentia, & paupertate, in humilitate, & ſublimitate, & in quauis vitæ, & fortunæ conditione ſemper æquales, ſemper ijdem.

Propheta regius Pſal. 88. 13. ait: *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Dubitari hoc loco poteſt, quamobrem hi duo ſic placuerint Domino montes, vt eos ſuis laudibus celebrandos delegerit. De monte Thabor cap. præcedente locuti ſumus, nunc de vtroque agere neceſſum eſt, & notare ex Incognito, Guilielmo Papinio, & Titelmanno, quòd iſtis duobus montibus ſignificantur duo ſtatus, in quibus Deus collocare ſuos ſolet, nimirùm ſtatus proſperitatis, & aduerſitatis, paupertatis, & opulentiæ, valetudinis bonæ, & malæ. Et benè quadrāt hi duo montes in iſtos ſtatus, *Thabor* namque, & *Hermon*, Genebrardo idem ſunt, quod *Occidens, & Oriens: Nam hi duo montes Galilææ ſiti ſunt ad has duas terræ ſanctæ partes, Thabor ad Occaſum, Hermon ad Ortum*, inquit ille in Pſal. 88. Oriens proſperitatis ſymbolum eſt, vt aiunt Ruſcell Camillus Camilius, & Alexander Capaci, Occidens hieroglyphicum aduerſitatis, vt affirmant Pierius, Bartholomæus Tegius, & Paulus Iouius. Quod ergo Propheta ait: *Thabor, & Hermon, Oriens, & Occidens in nomine tuo exultabunt*; perinde eſt, ac ſi dixiſſet, eum qui velit Domino ſeruire, atque in eo lætari, & exultare, debere hoc ità facere, vt tam hilaris ſit in Occidente aduerſitatis, quàm gaudibundus in Oriente felicitatis, ſic vt in quocunque ſtatu eum Dominus ponat, ſiue occaſu mortis, ſiue in ortu vitæ,

tæ, ſemper ſit bono, erecto, & æquali animo, & neq; efferatur lætis, neque deijciatur triſtibus.

Opportunè in hanc rem dicebat ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 14. *Organum diuinum ipſe ſum, organum ratione præditum.* Muſicum inſtrumentum pendet ex arbitrio eius, qui ſcit vti, nunquàm repugnat manui artificis, ſonat cùm tangitur, mutet cùm intactum relinquitur. Propterea Nazianzenus dicebat conſequenter: *Heri ſilentium operabatur, ſilentio ſtudebam, hodie mentem pulſat, ſermonis ſonum edam, ac loqui ſtudebo.* Tacere, loqui, & quidquid aliud facere iuſſus, obtempero, & more boni inſtrumenti manui artificis morem per omnia gero. Debent hoc imitari veri ſerui Dei, vt quemadmodùm inſtrumenta muſica ſequuntur manum artificis, ſic illi ſubiectiſſimè obediant voluntati diuinæ maieſtatis, omnique illius diſpoſitioni, & ordinationi, prompti viuere, mori, abundare, & penuriam pati, ferre gloriam, & infamiam, benè habere, & ægrè valere.

Vidit Propheta Euangelicus Dominum in ſolio excelſo, & eleuato. Vidit & duos Cherubinos, qui illum vtrimque ſtipabant, & alternis, magniſque vocibus ter ſanctum proclamabant. Poſthæc eos ſic deſcribit: *Sex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*; Iſaiæ 6. 2. Itaque extremis alis ad velandum, ad volandum medijs vtebantur. De Mercurio deaſtrorum nuntio fabulata eſt antiquitas, alatos habuiſſe pedes (de quo ſanctus Fulgentius, Higinius, Palefattus, Pauſanias, Vincentius Cartarius, Natalis Comes, & alij) vt expeditam illius velocitatem, quâ mandata, quæ habebat, perferre, & iuſſa exequi ſolitus fuerit, indicarent. Quid cauſæ ergo, quòd Seraphini noſtri non pedum extremis, ſed medijs alis aduolatum vſi fuerunt? *Duabus volabant.*

Satisfacit quæſito Nicolaus Lyranus dicens: *Ad deſignandum, quod Angeli ſemper, ſunt parati ad diuina aſcendere, & ad inferiora deſcendere ſecundùm Domini voluntatem, ideò volatus in medio loco diſponitur, quaſi ad vtrumq; paratus.* Non ſupremis, non infimis alis volabant Angeli, né alterutrarum remigio vel ſurſum ſemper contenderent, vel deorſum ſubueherentur, ſed medijs, quibus aut ſuperiora petere, aut ad inferiora ſe demittere pro voluntate imperantis Dei poſſent. Indicatum eâ re fuit, Angelos ad neutram partem ſeſe obſtinaſſe, ſed indifferentes fuiſſe, promptoſque in alterutram, ex vnius Dei arbitrio, volatu pergere: *Ideò volatus in medio loco diſponitur, quaſi paratus ad vtrumque.* Ità omnis ſerui Dei ea debet eſſe adiaphoria, ſiue indifferentia, vt nihil ex ſe ſibi certum proponat, ſed ex ſolius Dei voluntate quiduis illud vel facere, vel pati velit, vt nec murmuret inter ærumnarum anguſtias poſitus, nec ſuperbiat in latitudine felicitatis collocatus, ampliſque honoribus, & opum copijs à Deo auctus.

Magiſter Sententiarum (quod ex Gloſſa refert Incognitus) obſeruauit, ſingulari Spiritus Sancti inſtinctu factum eſſe, quod in officio horario, Laudum Pſalmo ſexageſimo ſecũdo continuatè iungitur ſexageſimus ſextus, *Notandum*, inquit Incognitus, *quod iſte Pſalmus*, puta 66. *ſecundùm Magiſtrum in Gloſſa ſemper in matutinalibus laudibus adiungitur illi Pſalmo, qui tertio loco cantatur.* Quid myſterij habeat illa iſtorum Pſalmorum in laudibus diuinis connexio?

Dicat hoc Michaël Ayguanus, ante hæc Incognitus: *In Pſalmo illo tertiò, ſcilicet,* Deus meus, ad te de luce vigilo, *ſitis, atq; ariditas vitæ præſentis exprimitur, in iſto verò dominicæ benedictionis pluuia, ideòque iſti duo Pſalmi coniunctim cantantur.* In Pſalmo 62. v. 3. dicit querulus Propheta: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, in terra deſerta, & inuia, & inaquoſa,* hoc eſt, plurimam animæ, & corporis ſitim toleraui, in ſolitudine nimirùm inculta, horrida, montoſa, nullo humano veſtigio trita pòſitus. In Pſalmo 66. nil niſi beneficentiam, abundantiamque à diuinarum manuum largitate prouenientem loquitur, vbi v. 6. 7. ſic ait: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum,* quaſi dixiſſet: Laudent te, ô dulcis, & amabilis Domine, & benedicant omnes, quos orbis terrarum habet homines pro ingenti tua prolixitate, quâ terram frugibus cumulas, humum herbis ornas, faciſque vt maxima ſit vbique rerum plurimarum abundantia. Quod ergo duo illi Pſalmi ad laudes Dei coniunguntur, in quorũ altero ſterilitas, ariditas, ſitis, mœſtitia, ſolatiorum inopia memoratur, altero autem fertilitas, opulentia, affluentia narratur, id fit, vt doceamur, quòd Deum pro omnibus æqualitèr laudare debeamus, propterea enim & *coniunctim cantantur.* Nam qui Dominum laudant inter res ſecundas, & non benedicunt inter aduerſas, qui magnificant inter rerum omnium copiam, & non inter inopiam, non ſunt veri ſerui illius, neque ſyncero amore ſupremam illam proſequuntur maieſtatem. Integri enim, & fideles illius magni Domini ſerui

debent illi in quouis statu sese arbitrio eius humiliter submittere, promptè accommodare, & parati, expeditique ad qualiacunque officia adstare. Qui enim Dei in sola prosperitate recordatur, suam potiùs commoditatem sectatur, quàm Dei honorem, & gloriam quærat.

*Vide Periocham tertiam Dominicæ 3. post Epiphaniam to. 2. pag. 424. c. 2. ibiq; in hanc rem oppidò meliora. Vide & calcem eiusdem Periochæ. Vide etiam Periocham 3. Dominicæ 6. post Pentecost. to. 2. pag. 138. & ad finem alia loca pluscula annotata.*

## CAPVT III.

*Tam æquale habent dominium consuetudo, & inclinatio, vt par sit & illius obliuiscendæ, & huius superandæ difficultas.*

DEserebat Patriarcha noster locum, in quo vixerat, & in viam se dabat, & *peregrinatus est in Geraris.* Oleaster vult, Abrahamum necessitate coactum suscepisse peregrinationem. Non probant hoc dictum alij, contenduntque mutasse locum pro veteri more, & quod diu consuesset è patria in patriam demigrare, & peregrinari. Sic affirmat doctus quidam Genesis interpres (Antonius Honcala) aitque quòd sanctus Patriarcha mouit è loco, in quo aliquamdiu hæsitarat, id factum *ex innato desiderio peregrinandi.* Proficiscendi consuetudinem contraxerat, eiusque vi sic trahebatur, vt vitam, nisi in via positus, agere non posset. Notare hîc licet consuetudinis, & inclinationis conditionem, & quàm potenter propensio dominetur animæ.

Præcepit Dominus aquis, vt aues reptiliaué generarent, inquiens: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli;* Genes. 1. 20. Sunt nihilominùs qui dicant, aues non trahere suam ex aquis originem. Verùm huic opinioni Sanctus Ambrosius in quodam hymno Vesp. fer. V. sese opponit, dicens:

*Qui ex aquis ortum genus*
*Partim remittis gurgiti,*
*Partim leuas in aëra.*

Vnde verò coniecturam ducemus, quæ probabile faciat, quòd cum piscibus aues ex aquis sunt productæ?

Antonius Fonseca in annot. marginalibus ad Caietanum in c. 1. Genes. ait: *Hoc testatur prodigiosa illa auium productio ex folijs arborum delapsis in aquas, tum tot genera volucrum stagna, & lacus nunquam deserentium testantur, suam originem ex aquis esse.* Magno certo inditio est, aquas esse locum genitalem, si non omnium, earum certè auium, quæ omnem ferè in aquis vitam agunt, ad easdemq; perpetuò recurrunt, idque naturæ ductu, quæ eò quéque rapit, quò & inclinat.

Naturalis historiæ pater Plinius lib. 18. cap. 6. enarrat exempla quorundam, qui villas ædificârint, & fundos, inque ijs plantarint vineas, & construxerint prædia, quæ vel delectationis, vel fructus, quæstusque causa inuiserent. *Nouissimus* autem, inquit, *villam in Misenensi posuit Caius Marius septies consul, sed peritiâ castra metandi.* Caius Marius strenuus semper miles fuerat, tam propensus ad arma, quàm bellicoso ingenio, de quo apud historicos plurima. De illo ergo dicit Plinius, cùm villam ponendam susciperet, construxisse arcem, & vallum, propugnaculumque erexisse, cùm machinaretur prædium: *Villam posuit, sed peritiâ castra metandi,* hoc est, vineas & arbores ità disponebat, & ordinabat, ac si exercitum instrueret, & digereret. Vnde hoc fiebat? Ex natiua illius propensione, diuturnaque consuetudine tractandi arma, itaque & arbores plantans, & ædificans villas militem monstrabat, & obliuisci bellum non poterat. Ardua res est abijcere ex animo memoriam inclinationis naturalis, radicatamque, & inueteratam vincere consuetudinem.

Accesserunt Christum Scribæ, & Pharisæi, signũ ab illo petentes, quibus cum stomacho respondit: *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ;* Matt. 12. 39. Quale verò illud signum Ionæ fuit? Respõdet Dominus: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus;* ibid. v. 40.

Dubitant sacri Doctores, quam ob causam Christus sospitator noster tam exiguo tempore, tamque paucis diebus ac horis morti subiectus esse voluit, quasi longulum illius imperium ferre detrectasset. Qui annos tres suprà viginti vixit, congruenter, vt videtur, fecisset, si vel menses aliquot morti occubuisset, ob id etiam, vt promissum signum videretur maius, quò diutiùs mortis dominatum in corde terræ sustinuisset, si triennio (vt sub exemplo dicam) mansisset in tumulo, sicut Ionas triduo in ceti ventriculo. Cur tam pauculis horis mortis subiacuit?

Sanctus Martialis Epist. 1 c. 1. to. 3. Biblioth. Vet. PP. ait: *Filius Dei, quià Deus erat, diu teneri in morte non potuit.* Filius Dei Deus erat, & cùm vita tam naturalis Deo, vt sit ipsa vita, fieri non po-

tesat,

terat, vt mors illum diu constrictum teneret. Nihil enim difficilius, quàm quod à natura est, superare, & quoniam mors repugnat plurimùm naturæ Dei; mox vitam corpori suo reddidit, & diu teneri in morte non potuit.

Nobilis quidam per omnem vitam in aula educatus in pagum tenuem, rusticanum, agrestem abducitur, vixque biduum ibi agit, quando reditum in aulam meditatur, & parat. Quæ causa, quòd tam citò illum pertædeat consuetudinis cum hominibus paganis, & ad aulam reuerti tam festinanter, quàm inhianter cupiat? Ea, quòd Doctus, & assuetus est videre frequentes hominum in compitis cœtus, & politulas mulieres, & vestitu, moribusque eleganter excultos aulicos, & rerum omnium magnam, ac quotidie nouam varietatem, tum & audire verba salis, ac leporis plena, & festiuos passim vrbanosque sermones, & faceta cum ingenuis, ac iucunda habere colloquia. Hæc omnia faciunt vt rusticorum ferre conuictum, & barbarorum paganorum tolerare vsum familiarem non possit, molestiamque illi solitudo, & agrestia vicorum loca fastidium, & tristitiam homines inter bruta, & glebas nati adferant. Quod ergo sanctus Martialis ait: *Filius Dei, quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit*; tale est, quale si dixisset: Quoniam Christus erat, estque Deus, qui mera vita est, longas trahere in tristi mortis vinculo moras nequijt, diu ferre sepulchrum non potuit, sed statim ad vitam redijt, rigidumque cadauer redanimauit, & defunctum corpus resuscitauit. Difficile est repugnante inclinatione viuere, & naturæ vim adferre.

Sanctus Petrus Damianus quoddam inter sanctorum Lucæ, & Ioannis Euangelia discrimen obseruauit. Idque huiusmodi, quòd tametsi ambo hi Euangelistæ non longis interuallis à se, dum viuerent, abfuerint, & Christi Redemptoris, Dei ac veri hominis acta perscribenda susceperint, Ioannes tamen maximè circa deitatem eius occupatus fuerit, & in arduis diuinæ essentiæ nidum suum, vt sanctus Iob loquitur, posuerit, Lucas verò omne studium suum in curationibus miraculosis, quas cœlestis Medicus fecit, potissimùm collocarit. *Nihil aliud in illa reperimus historia*, inquit eminentissimus Cardinalis Serm. 53. to. 2. *nisi duntaxat languentium medicinam*. Quamobrem sanctus Lucas per opera sanitatum, quæ Christus fecit, exspatiari amabat? Cur nobis Saluatorem de medicinæ incomparabili peritia solùm commendare voluit?

Respondet sanctus Petrus Damianus, causam huius diuinare facilè posse, eum qui consideret, quàm potenter sua quemque inclinatio trahat, & abripiat. Describit Lucas Redemptorem mundi tanquàm medicum, *quia medicus est ille, qui scribit*. Quòd Lucas medicus fuerit, id communis, & receptissima opinio habet sancti Hieronymi, Hugonis Cardinalis, Caietani, & omniũ interpretum sancti Pauli, qui de Luca Euangelista exponunt id quod ille ad Colossenses c. 4. v. 14. scribit: *Salutat vos Lucas medicus charissimus*. Vt ergo ille medicus fuit, sic Christum nobis delineat tanquàm medicum: *Quia medicus est ille, qui scribit, nil aliud in illa reperimus historia, nisi duntaxat languentium medicinam*. Ita solent homines plerumque sequi, quò eos sua propensio ductitat.

Temerè audaculus dæmon venit tentare Christum nostrum Redemptorem, primoque statim impetu obtulit ei panes, quos ad testandam suam deitatem, & famem leuandam verteret in panes, inquiens: *si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*, (Matth. 4. 3.) talis enim conuersionis argumento efficies, vt indubitatam apud me inueniat tua diuinitas fidem.

Sanctus Paschasius ait: Fierinè potest, vt diabolus nihil magis ad manum haberet, quod Christo offerret, nisi dura, & rudia saxa, cui tam facile erat alia aliunde accipere tractabiliora, quorum transformatione ille diuinæ suæ potentiæ experimentum daret? Quid ergo rigidos tantùm, frigidosque lapides obtulit?

Respondet Paschasius, in c. 4. Matth. *Aptè ex lapidibus elegit panes expóscere, vt quàm durus sit, qui loquitur, talis signaretur exemplo*. Nihil mirũ, quòd asperos potiùs arripuit lapides, quàm aliud quiduis lene, ac blandum. Nam vt ille duro, & saxeo est ingenio, sic ad dura saxa conuersus ante omnia fuit. Habet hoc vsus communis, vt quisque suæ obsequatur indoli, & eò feratur, quò illum suæ inclinationis naturæ pondera trahunt.

## CAPVT IV.

*Prælati vt loco sunt alijs sublimiores ità & virtute, ac perfectione debent esse superiores, quià honorem sanctitas semper exæquare debet.*

INgressus fuit Patriarcha noster nouam terram, cuius rex Saram vxorem illius sibi vsurpare voluit. Apparuit autem regi Deus, mortemque comminatus sic illum subausterus appellauit: *En morieris propter vxorem, quam tulisti, habet enim virum*. Genes. 20. 3. Quod rex ille fecit, ex simplicitate cordis


magis

magis, quàm turpi libidine profectum fuit, quod ipse confessus dicebat: *Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies?* ibid. v. 4. Et Dominus ipse: *Ego scio, quòd in simplici corde feceris*; ibid. v. 6. Nihilominùs Abimelech (hoc regi nomen) id quod tunc egit, ingens scelus appellauit, cùm sic ad Abraham dixit: *Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super regnum meum peccatum grande?* ibid. v. 9. Sed quomodo id, quod solùm speciē quandā habebat peccati, & bonâ intentione à rege tentatum fuerat, peccatum grande vocatur? Factum hoc, vt intelligamus, quàm immania sint peccata superiorum, cùm sunt vera, quando ea etiam, quæ solùm videntur peccata, vocantur grandia. Totum hoc nascitur ex arcta obligatione, quâ tenentur superiores præcedere sanctitate, & virtutibus omnes eos, quos officio, loco, dignitate præcedunt.

Dolebat vehementer vrbanus Propheta flagitia, quibus se ingratus populus contaminabat. Miserabatur autem illos propter supplicia, quæ illis à iusto Deo pro scelerum meritis infligenda videbat. Quare ad primores eorum, omneque reliquum vulgus dicebat: *Audite verbum Domini, principes Sodomorū, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ.* Isa. 1. 10. Sodomæ principes, & Gomorchæ populum populares suos Propheta dicebat, quòd Sodomitarum, Gomorrhorumq; qui sordidam putidæ vitæ consuetudinem imitarentur. Quod Isaias populo iuxtà nostrum vulgatum textum dicit, *Percipite auribus*, id LXX. transtulerunt, *attendite*, hoc est, auidè, cupidè vacuis auribus accipite.

Obseruauit in his Propheticis verbis sanctus Basilius Magnus, aliter Isaiam principibus, ac populo locutum. Superioribus aiebat, *Audite sermonem Domini*, populo autem, *Percipite auribus*, siue *Attendite*. Palam est discrimen, quo hos, illosque appellat. Cùm ergo maioribus populi dicit, vt audiant, vulgo autem, & subditis, vt auribus attenti percipiant, satis indicat, grauiùs, strictiùsque commendari his obseruantiam diuinorum mandatorum, quàm illis, à quibus enim attentionem peculiariter exigimus, hos minùs discretos, prudentesque reputamus. Secundùm hæc, quid est, quod principibus solùm dicebat Isaias, *Audite*, cùm tamen superiores magis teneantur esse probi, & sancti, quàm subditi, adeoque etiam maior attentio ab illis, quàm ab his exigi debuisse videatur? Quid ergo Propheta contrà facit, maioremque à subditis, quàm superioribus requirit attentionem?

Satisfacit huic quæsito Magnus Basilius in c. 1. Isaiæ dicens: *Populum ipsum ad attentam legis cognitionem reuocat, eis quidem, qui solertiores sunt, præcipiens vt audiant, his verò, nempè insipientibus, attenti vt sint, & auribus percipiant.* Principibus, & superioribus non tam enixè, solicitè, ac grauiter præcipitur, vt attendant legi Dei, quàm subditis imperatur: Quià cùm superiorum munus per seipsum requirat, vt sint diligentes, & vigilantes, satis est illos leuiter moneri sui officij, quo tenentur audire verbum Dei, & sanctam eius legem seruare; subditis verò tanquàm rudioribus, & minùs gnaris eorum, quæ facere debeant, vel intermittere, necessum est seriò, & seuerè mandare, vt debitam suarum functionum rationem habeant. Hinc colligitur, quid inter Prælatos, & subditos intersit, id nimirùm, quod his multùm, grauiterque crebris, ac serijs monitis vrgeri oporteat, illis verò satis sit, nutu aliquo, aut leui nictu moneri.

Scriptura refert, quòd Deus, cùm certum haberet, ingrati populi sui scelera vlcisci, regem illis vnxit Iehu. Ad hanc rem vsus fuit Prophetā per Eliseum delegato. Hic nouum regem secretò vnxit. Interrogatus autem Iehu à commilitonibus, & socijs belli ducibus, quid illi cum Propheta isto euenisset, respondit, quod ille mihi dixit, tale fuit: *Hæc dicit Dominus, Vnxi te regem super Israël*; 4. Reg. 9. 12. Et quid ad hæc illi? *Festinauerunt itaque, & vnusquisq; tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tubâ, atq; dixerunt, Regnauit Iehu*; ibid. v. 13.

Notandum hîc, quod illud nostræ vulgatæ versionis, *Posuerunt sub pedibus eius*, interpres Chaldæus apud Glossam Ordin. sic habet: *Posuerunt subter eum ad gradum horarum, id est, horologium solare.* Quo mysterio, cùm Iehu regem proclamârunt, thronum illi ad horologium solare constituerunt? Vt illum singulari eâ cæremoniâ admonerent, quomodo deinceps viuere, quàm alius à seipso esse, & quàm studiosè curare deberet, vt quemadmodum horologium solare semper sibi constat, estque regularissimū, sic ille vitæ rationem semper æquissimam, rectissimamque teneret, & ordinatè omnia suis horis, & locis faceret, vt quemadmodùm ex solario horæ accipiuntur temporis, sic ab illo benè agendi normam mutuarentur subditi. Princeps namque, & omnis vniuersim Superior quemadmodùm regula cæterorum esse, sic & vitam suam attentissimè moderari debet, vt pro regula alijs esse queat.

Propheta regius aiebat Domino: *Quoniam tu illuminas*

Dominum noſtrum.

In feſto S. Ambroſij Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris. 7. Decemb. Aña.

O Doctor optime. ℣. Iuſtũ deduxit. Oratio. Deus, qui populo tuo æternæ, &c. de communi Doctorum.

In feſto Conceptionis B. Mariæ. 8. Decemb. Aña.

Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo: ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ, Christus Deus noſter: qui ſoluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam. ℣. Conceptio eſt hodie ſanctæ Marię virginis. ℟. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. Oratio.

Famulis tuis, quęſumus Domine, cęleſtis gratię munus impertire: vt quibus beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, conceptionis eius votiua ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

In

30. Nouemb. Antiphona.

Cùm perueniſſet beatus Andreas ad locum vbi crux parata erat, exclamauit, & dixit: O bona Crux, diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo pręparata, ſecurus & gaudens venio ad te ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius, qui pependit in te.

℣. Annuntiauerunt opera Dei.
℟. Et facta eius intellexerunt.

Oratio.

MAieſtatem tuam, Domine, ſuppliciter exoramus: vt ſicut Eccleſię tuę beatus Andreas Apoſtolus extitit prędicator & rector, ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor. Per Dominum.

FESTA DECEMBRIS.

In feſto ſancti Nicolai Epiſc.

Antiphona. Sacerdos & pontifex.
℣. Amauit, &c. de communi vnius confeſſoris pontificis.

*luminas lucernam meam, Domine Deus meus illumina tenebras meas*; Psal. 17. 29.

Hugo Cardinalis vult, hanc esse orationem Christi ad Patré æternum, quâ petat, vt suas tenebras pari gratiæ beneficio illuminet, ac lucernã illuminasset.

Percunctemur nunc Hugonem Cardinalem, quid significet lucerna, quid item sibi tenebræ illuminatæ velint, respondebitque lucernam Prælatorum, tenebras subditorum esse symbolum. Sed cur subditi tenebrarum, Superiores verò lucernæ nomine designantur? Occurrit Hugo: *Vocantur tenebræ subditi respectu Prælatorum, & Prælati vocantur lux, quia alijs debent supereminere in vita, scientia, & gratia.* Quantùm ergo Lux tenebris præstat, tantùm subditos suos vitæ integritate superare Prælati debent. Videant proinde Superiores, quomodo huic tam graui officij sui debito satisfaciant.

Præsides Ecclesiæ vocabat Dominus ciuitatem, cùm aiebat: *Non potest ciuitas abscondi suprà montem posita*; Matth. 5. 15. Quòd autem tali nomine eos donauit diuinus magister, hoc fecit, vt moneret, quàm instructi ab omni gratiarum, & virtututum apparatu esse debeant. Facis iter, fameque, & viæ labore fractus diuertis in pagum, vt esuriei victum, quietem lassitudini quæras, & neque hospitium, nec quo famem leues, inuenis. Grauiter id accipis, non miraris tamen, neq; enim nouum est, in tenuibus eiusmodi locis non reperiri diuersoria, & annonam. Venis autem ad quandam ciuitatem cum eadem famis, & lassitudinis necessitate, & neque domum, in quam te quietis captandæ gratiâ recipias, inuenis, neque panem quo latrantis stomachi inanitatem expleas. Hîc iam non doles tantùm, sed & scandalizaris, quòd nullam reperias in ciuitate domum hospitalem, neque aliquid eorum, quæ victus humanus requirit. Quod ergo Christus ait: *Non potest ciuitas abscondi*, &c. perinde est, ac si diceret: Animaduertant Prælati, quòd sunt ciuitates, subditi autem, velut quidam pagi. Si hi fortè destituti sint virtutibus scientiâ, bono vitæ purioris exemplo, miserari possumus, sed non mirari eorum inopiam. At quando etiam in ciuitatibus, hoc est Prælatis talia reperiuntur, non apparatus integræ Vitæ, non annona boni exempli, non ornamenta sanctitatis, & virtutum, id non dolorem modò, verùm & scandalum parere potest, eò quòd Superiores magis quàm subditi obstringantur ad consectandam sanctitatem.

Apparuit Christus gloriosus mortis triumphator in litore maris Tiberiadis. Non cognouerunt rediuiuum Discipuli, quos cùm interrogasset, num quid haberent, quod comedi posset, & nihil habere dixissent, iussit rete ad dextram nauigij eijcere. Obtemperârunt iussioni, irretieruntque piscium tantam copiam, vt extrahere non possent. Vidit hoc Discipulus, quem diligebat IESVS, & ait Petro: *Dominus est.* Tunc Petrus *tunicâ succinxit se ( erat enim nudus ) & misit se in mare*; Ioan. 21. 7.

Quid mysterij habere potest, quòd Petrus derepentè è naui in mare desilijt, statim atq; Dominum esse in litore cognouit, quando *alij Discipuli nauigio* ad illum *venerunt?* vt dicitur ibid. v. 8. Non poterat Petrus cum alijs lembo terram petere? Quo consilio in aquas se coniecit?

Sanctus Petrus Chrysologus Serm. 78. ait: *Misit se in mare, vt mare dilueret, quod negatio taliter sordidauerat.* Cùm à Ioanne Petrus accepisset, quòd in litore IESVS esset, quem negârat, quamprimùm in mare se præcipitauit, vt negationis suæ labem aquis maris emacularet. Erat Petrus pastor ouium, ipsorum adeò Apostolorum princeps, vertex, caput, & quoniam Prælatus vitæ sanctitati, & perfectioni arctissimè obligatur, omne illius peccatum tam graue efficitur, & macula, quamcunque contrahit, tam fœda, & horrida, vt ad eluendam illam totum mare contritionis requiratur. Propterea Petrus *misit se in mare, vt mare dilueret, quod negatio taliter sordidauerat.*

*Plurima his affinia passim in omnibus Nisseni tomis offendes. Vide indices rerum Verbo* Prælatus.

## CAPVT V.

*Vt culpas ex ignorantia, seu fragilitate natas condonet Deus, facilè eius pietas exorari sinit.*

CVm minas Dominus regi Abimelech intentaret, ignorantiâ ille se excusabat, inquiens: *Domine, num gentem ignorantem interficies?* Genes. 20. 4. velut pluribus dixisset: Accusas me, quòd Saram in domum meam induxi. Sed cùm Abraham mihi dixerit, esse illam suam sororem, ipsaque idem confirmârit, facilè vides veniabilem esse hanc meam ignorationem, dicens: *Ego scio, quòd simplici corde feceris*; ibid v. 6. scio non à malitia profectum quod egisti, idcirco & seruaui te, vt non contingeres vxoré amici mei Abrahæ.

Obseruant hîc omnes Expositores, quàm facilè condonet Dominus prolapsiones de imbecillitate, aut ignorantia natas, qui regi Abimelech tam citò ignouit, quod nesciens commiserat. Difficiliùs exorari

rari finit noxarum remissionem ab eis, qui ex malitia, vel meditatò, deque industria peccant.

Præcipiebat Dominus in Leuitico varia sibi varijs de causis offerri sacrificia, cùmque ad ea venisset, quæ pro peccato immolari volebat: *Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quidpiam fecerit, offeret pro peccato suo vitulum*; Leuit. 4. 2. 3.

Oleaster in annotat. morali in illum locum sic habet: *Nullus deberet aduersùs tam pium patrem studiosè peccare. Ideò nullum sacrificij genus institutum legimus pro expiatione eorum, qui suâ sponte inuiti prolabebantur; sed magistratui puniendi relinquebatur. Sicut enim Dominus neminem, vt videtur, suâ sponte castigat sed coactus: Ità nemo deberet eum suâ voluntate offendere. Quià in re considerandum est, quàm grauia sint peccata studio commissa, quibus ante legem nullum ad expiandum institutum legimus Sacramentum, aut sacrificium.* Peccatis de ignorantia natis constituit indulgentissimus Dominus victimam, quâ expiari possent, cogitatò perpetratis criminibus nullum tale remedium deputauit, vt proinde meritò, ac solicitè, omniq; studio cauere quisque debeat, ne studio, & deditâ operâ illum offendat. Si autem ex re aliqua, tum ex hac vna maximè maxima flagitiorum consultò commissorum pondera pensare possumus, quòd eorum curationi nullum vel sacramentum vel sacrificium veteribus illis concessum fuit: At qui nescij peccant, aut ex imbecillitate delinquunt, facilè inueniunt patentes remissionis portas.

Per Salomonem minas denuntiabat Spiritus sanctus inobedientibus, insolentibusq; liberis, qui parentes suos, quos multis nominibus colere, reuererique obseruare debent, contemptui habent. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ*, inquit ille Prouer. 30. 17.

Multùm defatigauit huius loci Interpretes indagatio causæ, ob quam immorigerorum, inurbanorumque talium, & impudentium liberorum oculis potiùs, quàm alteri cuicunque corporis parti pœna decernitur, cùm plurima alia sint membra, in quibus eiusmodi impietas plecti queat.

Salazar insignis huius libri commentator respondet: *Tribuit oculis Salomon contemptum istum, vt scelus extollat, significans eos datâ operâ, adapertisq; oculis visos, cognitosq; sibi parentes violare solitos.* Si ignotos luderent, contemnerentq; parentes, leuior eorum noxa esset, quod verò eos rident oculis, quibus vident, id eorum incredibiliter exaggerat malitiam, ac propterea Salomon ait, effodiendos à coruis eorum oculos, qui tam sunt impudentes, tamq; inuerecundè audaces ergà parentes, quos vident, vt aspernari, & spernere non erubescant: *Tribuit oculis Salomon contemptum istum, vt scelus extollat.* Meritò tam seuerè cõmittitur peccatum, quod tam mediatè committitur.

Postquàm Israëlitæ transierant mare rubrum, & de barbaro, ethnicoq; hoste suo triumphârant, cibus eos, vt sacrum oraculum monet, destituere cœpit, quæ res illos excitauit, vt commurmurarent aduersùs Moysen, ac dicerent: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate*; Exod. 16. 3. Quid factum post hanc murmurationem, & querimoniam? Pius, & mansuetus Dominus opem rebus eorum afflictis, & necessitati remedium attulit, pluens illis panem è cœlo, eumque puris Angelicorum spirituum manibus pistum, quod Moysi his verbis addicebat: *Ecce, ego pluam vobis panes de cælo*; ibid. v. 4.

Aliâ occasione idem contumacium hominum vulgus præ fastidio illius panis, & desiderio carnium iterùm murmurabat, dicens: *Quis dabit ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & alia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man*; Num. 11. 5. 6. O scelerum capita! gratis aiunt comedisse pisces, quos tam magno parare debuerunt. Satisfecit Dominus rusticæ eorum cupiditati, deditq; carnes ad comedendum, sed ex quibus pessimè habere, & non alimoniam vitæ, sed interitum sumere cæperunt: *Adhuc enim carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populũ, percussit eum plagâ magnâ nimis.* ibid. v. 33. Fuit hoc seuerissimum, sed meritissimum quoq; supplicium.

S. Cyrillus Alexandrinus quærit, cur Dominus populum, cùm primo petijt carnem, murmurauitque pro ea, non puniuit, cùm verò secundò poposcit, dedit quidem, quòd rogabatur, sed post beneficium carnis intulit supplicium mortis, cæciditque eos, quorum cessisse videbatur precibus. Vna vtrobique petitio fuit, cur non pari etiam pœna vtrobiq; eam castigauit? Quare ibi tam patiens, & longanimis, hîc verò terribilis Dominus? Quare vno in loco tam taciturnus, in altero tam austerus, vltro?

Respon-

Respondet S.Cyrillus l.3. in Ioan. c. 34. *Quoniam nuper ab Ægypto effugerant, panemq; cœlestem adhuc non receperant, facilius poterant in cupiditates carnis incidere, propterea & venia digni visi sunt. Postea verò quàm Domino fruebantur, vt scribitur, tunc iure, quoniã corporalia spiritualibus præposuerũt, acerba dederunt supplicia, & ad suppli: insignẽ calamitatis memoriã reliquerunt.* Ignorabant panis cœlestis suauitatem, cùm ab Ægypto recens digressi carnes primùm desiderarunt, quare facilem inuenerunt illius cupiditatis veniam: Demùm verò cum illo pane iam prægustato nihilominùs carnes rursùm expetierunt, barbara rusticitas & grauiter plectenda inurbanitas erat, quòd panem Angelorum allijs Ægypti postponebant: *Quoniam corporalia spiritualibus præposuerunt, acerba dederunt supplicia, & ad supplicia insignem calamitatis memoriam reliquerunt*, nam *vocatus est locus ille, sepulchra concupiscentiæ* (vt dicitur ibid. v. 34.) vbi concupiscentiæ suæ iam à quadam malitia profectæ pœnas dependerunt. Peccato ex ignorantia, aut fragilitate nato facilè occurrit aperta veniæ porta, verùm pro eo, quòd à malitia venit, nulla videtur in Deo esse misericordia.

Querebatur Propheta regius de hostibus suis, qui illum insectabantur, inquiens: *Dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum, dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat*; Psal. 70. 10. 11.

S. Bruno ait, hanc esse querimoniam, quam Propheta ex nomine Christi Patri illius æterno dederit. Quid est grauissimum in hac querimonia? Quid est, quod iniquissimè Christus ab hostibus suis accepit? Quid indignissimè, acerbissimèque tulit? An quòd hostium suorum persecutiones sustinebat? An quòd illi sanguinem eius sitiebant? Hæc quidem cum multo dolore accipiebat, sed quidnam animum illius omnium cruciabilissimè, & intolerantissimè lancinabat, & affligebat? Quòd *consilium fecerunt in vnum*, mutuoque deliberarunt, quomodo innoxiã illi vitam adimerent. *In hoc quid grauius notat, cùm dicit, Consilium fecerunt*, inquit sanctus Bruno. At cur grauius est peccatum, quod consultò perpetratur? Respondet ille: *Peius est enim de malo agere per consilium, quia temerariè.* Qui subitâ animi commotione abreptus impingit, aut fortuitò oblatâ occasione seductus in præceps abit, aut ignorantiâ occupatus errat, aut imbecillitate iuuante in vitium incurrit, habet nonnullam suarum culparum excusationem: At qui cogitatò, ac de industria delinquit, sciensque quantum, & quàm graue malum sit, quod meditatur, nihilominùs videns impetu ruit in scelera, & solâ libidine fertur ad peccandum, deditâque operâ se in flagitiorum ingurgitat voraginem, ea impudentissima insolentia, & effusissima malè agendi licentia est, de qua grauissimè Deus cum peccatoribus expostulat: *Consilium fecerunt. Quid grauius notat, cùm dicit, Consilium fecerunt, peius enim est de malo agere per consilium, quàm temerariè.* Væ ergo homini Christiano, qui Deum, quem nouit, offendit, & sciens grauitatem peccati, delinquit.

## CAPVT VI.

*Quoniam Superioribus omnibus mors ex laterum dolore minatur, faciléq; accidere solet, necessum est, vt sanos, & rectos consiliarios à latere habeant, ne tam acuto ex morbo occumbant.*

REgem Abimelech tam vehementer suum sollicitauit somnium, tantumque horrorem illi visio attulit, vt sacer textus dicat: *Statim de nocte consurgens vocauit omnes seruos suos, & locutus est omnia verba hæc in auribus eorum, timueruntq; omnes viri valde*; Genes. 20. 8. Extemplò accersijt rex palatinos suos, cumque illis de viso nocturno communicauit, & omnes, nullo excepto, accersijt. *Vocauit omnes suos.* Quàm commodum Regibus, Principibus, omnibusque Superioribus exemplum, à quo discant, mox conuocare consiliarios, præsertim cùm de rebus maioris momenti deliberandum: Nam vt homines sũt, & errorũ periculis expositi, lucibus, & ducibus egent, à quibus dirigãtur, & quid potissimùm congruat facere, intelligant. Sed necessum est, vt consiliarios eligant rectos, synceros, integros, puros, vacuos passionibus. Nisi enim ità faciant, repentè laterum dolore confecti occumbent. Hæc est mors periculosissima, quæ omnibus Monarchis, Regibus, Principibus, & Superioribus minatur, quòd laterum dolore conficientur, nisi diligenter curent, vt bonos consiliarios à latere semper habeant, quorum prudentibus monitis, quoties acerbæ illius ægrotationis occasio id postulat, leuentur, & sospitentur.

Sanctus Bernardus lib. 4. de consideratione c. 4. postquàm Eugenium Papam de varijs rebus instituisset, & salutaribus consilijs ad felicem sedis Apostolicæ gubernationem facientibus instruxisset, hæc illi scribebat: *Veniamus ad collaterales, & coadiutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt, tibi potissimũ sunt, si mali, æquè plus tibi.* Hi sunt, qui Apostolici

pectoris tui clauem habent. Quare si probi sunt, si recti, synceri, exoccupati passionibus, omnis illorũ integritas in tuam vtilitatem redundat: Verum si mali sunt, si propriorum commodorum amantes, & cupidi, & quæstum suum tantùm propositum habent, in tuum caput, exitiumque improbitas eorũ erumpet. Addit verò mellifluus Abbas: *Nec te dixeris sanum, dolentem latera, hoc est, ne dixeris bonum innitentem malis.* Hîc iam habemus ex sancto Abbate, dolorem laterum, ex quo ægrè habere Principes soleant, esse malos consiliarios: *Ne te dixeris sanum, dolentem latera.* Acutus est, vt scimus, laterum dolor, eamque partem afficit, in quam cor magis vergit, iuxtà quod vomica nascitur, quæ saniem suam venenatam euomens, cor inficit, & conficit hominem. Hic morbus Castellanis *Dolor de costado* dicitur, Latinis *Dolor laterũ.* Hunc morbum in moralibus, & ciuilibus, inquit Bernardus, patiuntur omnes Superiores, trahuntque à malis consiliarijs, quos à latere, aut velut pro lateribus habent, vt proinde desperare Prælatum possimus, eum, qui talem patitur infirmitatem. Hoc morbo occiderunt pleraque mundi regna, Imperia, Monarchiæ, ex malis consiliarijs omnis eorum strages, pernities, interitus descendit. Propterea inquiebat Bernhardus: *Nec te dixeris malum, dolentem latera, hoc est, ne dixeris bonum malis innitentem.* Itaque illud vigilantissimè curare, & attentissimè quærere debent Principes, & quicunque viri summates, vt bonos, incorruptos, synceros inueniant, & penes se habeant consiliarios, nisi decedere ex eo dolore velint, qui regibus innumeris mortem, regnis plurimis excidium attulit.

Volebat rex Dauid occupare Ierosolymorum vrbem, Iebusæi autem habitabant per id tempus in omni ea terra, qui cùm illud Dauidis desiderium cognouissent, inquiebant ad eum: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos, dicentes, Non ingredietur Dauid huc;* 2. Reg. 5. 6.

Notoria est, ac peruulgata disceptatio Interpretum, quinam fuerint ij claudi, & cæci, qui Dauidem ab ingressu Ierosolymæ, vbi figere aulam suam volebat, prohibebant. Varias patitur hic locus expositiones, è quibus vna Cardinalis Caietani opportuna est rei, quam tractamus. Dicit ille, inter Iebusæos, qui tunc morabantur Ierosolymis, fuisse magna schismata, idque tunc potissimùm agitatum, ventilatũq; fuisse vtrùm expediret, Dauidem in vrbem admittere. Ex consiliarijs ergo nonnulli tam rudi, cœcoq; ingenio erant, vt non viderent, quanta emolumenta deriuari in vrbem possent, si Dauid eam suâ regiâ præsentiâ, & aulâ nobilitaret, celebremque redderet, adeò proteruiter, & inconsultè affirmabant, è bono salutis publicæ fore, si Dauid clausis prohiberetur portis. Hi cœci erant, non quia visu orbati, sed quià lumine recti iudicij, & sanæ rationis orbati. Aliorum fluctuabat animus, & variabat sententia, & iam excipiendum regem in vrbem sentiebant, iam non admittendum clamabant. Hos propter suam inconstantiam vocabant claudos, quòd velut hi in vtramque identidem inclinant partem, sic illi suâ opinatione nunc huc, nunc illuc propenderent. Cùm hæc synceriores Iebusæi cernerent, submiserunt oratores ad Dauidem cum hoc nuntio: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos,* hoc est, nisi ex consilio nostro exturbaueris & eos, quos sua passio, peruersumque iudicium cæcauit, & animi dubios illos, qui partem in vtramque claudicãt, astuq; & dolo de eadem re nunc aiunt, nunc negant, penetrare in vrbem cum pace non poteris.

Audiamus Caietanum: *Appellantur Iebusæi inimici Dauidis tum cæci, tum claudi, eò quòd aliqui eorum erant cæci, non corpore, sed mente, vt pote non videntes bonum proprium valde magnum prouenìens ex sede regia in ciuitate Hierusalem. Quidam autem eorum erant claudi animo, vtpotè non rectè incedentes in negotio hoc cum Dauide, partim laudantes admissionem Dauidis in ciuitatem, & partim renitentes.*

Notent hoc Principes, & Magnates, vt non admittãt in consiliariorũ suorum numerũ cœcos, & claudos, cœcos sui quæstus intẽperante cupiditate, claudos astutâ, & sæpè affectatâ animi hæsitatione, per quã fit, vt nunquàm certò, indubitatò, affirmatèq; quid conueniens, aut noxium sit, pronuntient. Nisi hos è consilio suo abstulerint, non ingredientur Ierosolymam, nec vnquàm rectè, ac feliciter negotia sua maiora conficient.

Nam vt Ioannes Bohemus lib. 1. de morib. Gent. cap. 5. *Rarò potentes rerum mali euadunt, vbi desunt suarum cupiditatum ministri.* Boni nempè cõsiliarij ex sui officij munere, semper assistunt, præstoque ad manum sunt Principibus, & Monarchis, vt eos à lapsu, & præcipitio seruent. Consilia enim hominum syncerorum, & integrorum sunt manus, quæ retinent Principes, cùm in casum inclinant, suntque luces, quæ illis loca salebrosa, lubrica, confragosa, ne prolabantur, ostendunt.

Facinorosæ Ierosolymorũ vrbi optata Euangelia per Euangelicum suũ Prophetam Dominus transmisit, præcepitque bono, & hilari animo esse, eò quòd illam

illam speculum æquitatis, & exemplar fidelitatis, ac nobilitatis facere vellet, quæ fuerit antrum furum, & specus latronum, thronumque iustitiæ ibi collocare, vbi fuerit sentina flagitiosorum. *Vocaberis ciuitas iusta, Vrbs fidelis*, aiebat Isaias cap. 1. vers. 26. Quæ maior felicitas! quæ beneuolentior fortuna, quàm vocari iustam ciuitatem, in qua tyrannis diu dominata fuerit, dilectam appellari, ac fidelem, quæ abominabilis, perfidiosaque fuerit? Sed quomodo illa tam gloriosa mutatio perficietur? Quomodo felicitatem istam vrbs ea consequetur? Respondet clementissimus Dominus: *Restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & consiliarios tuos sicut antiquitùs*; Ibid. qui te ad omnia, quæ bona, & recta sunt, exhortentur.

Quidam benè doctus, & diligens Isaiæ expositor (Didacus Aluarez) in hæc verba sic monet: *Obserua, quod non dixit, Restituam tibi reges, sed consiliarios.* Cùm Dominus rectè instituere Ierosolymam, collapsamque politicæ gubernationis disciplinam restaurare, & veterem splendorem illi reddere vellet, non regum antiquorum, sed consiliariorum, quales ætas prisca tulerit, operâ ad eam rem perficiendam vti velle dixit. Nam vt regnum rectè, decenterque administretur, vt Monarchia pace, & optatâ gaudeat tranquillitate, seruetque iustitiam, & sit qualis esse debet, id citiùs facient boni malorum regum consiliarij, quàm reges boni, quorum sunt consiliarij mali. Propterea magnus quidam Philosophus aiebat: *Mallem iniquum regem optimis consultoribus comitatum praeesse Reipublicæ, quàm iustum, & sapientem, & iniquis consiliarijs constipatum.* Quando rex bonus consiliarios habet sui similes, ea est suprema regnorum felicitas, at si alterutros horũ necessum est esse malos, satius est regem esse improbum, dum consiliarios modò probos, æqui amantes, & integros habeat, quàm si ille sanctus sit, & homines mente corruptos, ingenio rudes, consilij inopes à consilijs habeat. Omnis quippe Principis felicitas in eo posita est, vt habeat sana latera, hoc est, consultores à lateribus sanos, qui illum, si iniquus sit, in semitam æquitatis suis monitis reuocabunt, & cicurabunt, si fortè efferetur.

Hieronymus Triuerus in lib. 1. Aphorism. Hippocratis, aphorismo 1. quærit, cur tam multi infirmi sæpè periclitentur, quos curandos susceperunt medici famâ percelebres, experientiâ insignes, artis suæ peritiâ illustres. Quòd sub manu medicorum inertium multi moriantur, nihil nouum, sed quid causæ, quòd etiam præclarâ eruditione ornatis infeliciter sua, neque rarò, cadit curatio?

Respondet Triuerus: *Accedit ad medicinæ difficultatem, quòd æger aliquando mollior est, quàm vt medico omninò pareat, & hoc bene persuaso amici subinde imprudentiores sunt, quàm vt illum obtemperare præceptis permittant.* Causa, ob quam peritissimorum sæpè medicorum ars frustratur, hæc prima est, quòd delicatulus infirmus præceptis prudentis obtemperare medici recusat, deinde & illa, quòd cognati accedentes aiunt, stultum esse omnibus medicorum acquiescere consilijs, qui nihil ferè sciant, nisi minuere homines sanguine, & purgare stomachos. Talia dicentes peruertunt ægrum, & in mortem inducunt.

Proinde subdit mox Triuerus: *Oportet ergo non solùm ægrum, sed & familiares iuxtà morbi conditionem appositè se habere*, ad ea scilicet, quæ medicus præscripserit, ne intentionem illius, fidemque dubiam faciant, medicinarumque efficacitatem suspectam reddant. Hoc ipsum in rem nostram dicere possumus. Quid illud tot Rebuspublicis, regnis, & monarchijs adfert interitum? Mali infirmorum curatores, & consultores. Per illos multæ prouinciæ, regna tota sunt euersa. Conuenit itaque, vt non Rex tantùm, aut Princeps sit bonus, iustus, sanctus, sed etiam consiliarios habeat incorruptos, ab omni ægritudine animi alienos, prudentes, virtutum studiosos, diuini honoris, & boni publici amantes. In bonis enim consiliarijs laborantis Reip. salus cõsistit.

Transfigurabatur in monte Thabor Christus, atque vt celebrior, iucundiorque esset solennitas, accersiti ad festum fuère Moyses, & Elias, vt ferunt Euangelistæ, & ille quidem è sepulchro, hic verò ex paradiso adductus. Matthæus ait, apparuisse Moysen, & Eliam cum eo loquentes; Lucas exponit, quæ mutui sermonis materia fuerit, inquiens: *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*; Lucæ. 9. 31.

Vnam hîc omnes Expositores mouent quæstionem, cur potiùs Moysen, & Eliam, quàm alios quoscunque veteris Testamenti Prophetas, aut Patriarchas, vocare ad eam consultationem voluerit, cùm alij tam multi essent, cum quibus communicare de tali re posset.

Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, hos potissimùm à Domino ad consultationem aduocatos ait, vt Principes doceret, quonam ad deliberandum de negotijs suis deligere consiliarios deberent, si feliciter ea confici vellent. *Qui astiterunt Christo transfigurato loquebantur cum eo de passione sua, ideò inducti fuerunt illi, qui pro Deo ad mortem se exposuerunt*

erunt nihil formidantes: *Moyses enim Pharaoni se opposuit, Elias autem regi Achab; isti enim conuenienter suadere poterant Christo de passione sua, cùm ipsi se pro Deo exposuissent*, inquit ille q. 29. in c. 17. Matt. Intrepido animo viri ambo illi fuerunt, quorum alter barbaro Pharaoni, impio Achab alter audacter, fortiterque obstitit, vterque paratus pro Dei gloria mortem oppetere. Hi conuenienter consulere Christo poterant, vt sanguinem pro salute hominum verteret, qui suum fundere pro illius honore prompti erant. Vt tam acerbam passionem subiret, tamque ignominiosam mortem Christus tolleraret, ingenti animo, & singulari corroboratione opus habebat, quare cùm ea de re capere consilium vellet, duobus strenuissimis viris deliberauit, qui ipsi Regum furorem, & feritatem Principum non extimuerunt. Si ignaui consiliarij fuissent, quos adhibuit, non tantùm non corroborassent Christum, verùm etiam à nobili suo, & generoso consilio auocassent. Si rex vult mouere bellum, idque tale, quo famæ celebritatem sibi conflare possit, deque eo cōmunicat cum consiliarijs, qui nunquàm aliud, quàm byssum, holosericumque vestierunt, nec delicatum corpus alibi, quàm in molli culcitra deposuerunt, & per omnia carnem suam blandè, commodèque habuerunt; quomodo suadebunt, vt horrenda tumultuariaque Martis exercitia suscipiat? Si consiliarij illud tantùm cogitant, & curant, vt diuites fiant, quomodo Principem, vt pauperum curam habeat, exhortabuntur? si consiliarij suarum sunt negligentes animarum, quomodo illos sollicitabit commodum, ac profectus alienarum? Palàm est, quòd eiusmodi nihil consulent suo regi, aut domino, nisi quod praua proprij quæstus cupiditas suggeret. Attendant ergo Principes, quales viros à lateribus habeant, sanctus Bernardus enim nihil mitius, quàm mortem minatur ijs, qui habuerint malos: *Nec te dixeris sanum, dolentem latera; hoc est, ne te dixeris bonum innitentem malis.*

## CAPVT VII.

*Amici Dei sunt robusti athlantes, quorum humeris nititur machina mundi, hunc enim illi suis precibus, & meritis suffulciunt.*

Dicebat Dominus ad Abimelech de Abrahamo: *Orabit pro te, & viues*; Genes. 20. 7. Audijt hæc rex, & *tulit oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham*; ibid. v. 14. qui eis ex rebus valdè locupletatus fuit. Sed quamobrem illa dedit? Respondet Abulensis: *Vt inclinaret Abraham ad rogandum pro se, dedit & munera.* Cogitauit nimirùm, quantùm preces iustorum apud Deum valeant, & quàm facilè iram illius mitigare queant.

Pulchrè, & aptè in rem istam dixit Philo Iudæus in lib. de migratione Abrahæ: *Reuera fulcrum generis humani iustus est, suas dotes communicans, & in publicum vsum conferens. Idem quidquid apud seipsum non inuenit, à Deo solo ditissimo postulat, at ille aperto cœli promptuario, niuis, imbrisq; in morem bona depluit affatim, vt inde omnes terrenæ lacunæ restagnent.* Quid amplius dici vel expectari potuit? Profectò quisquis iustus est, idem basis est, & columna mundi, & athlas, qui subiectis suarum virtutū, ac sanctitatis humeris orbem terrarum excipit, ac sustentat, suorumque meritorum opulentiâ homines reliquos locupletat. Quòd si ei desint, quæ in alios dispertiat, mox ad Deum confugit, atque ex illius copiosissimo ærario suis precibus tantum exobsecrat, quantum mundo beneficijs opprimendo sat esse posset. O potentiam iustorum! ô gratiam amicorum Dei!

Iudicum cap. 3. post commemoratas verbis benè paucis virtutes Othonielis iudicis Hebræorum sic finit narrationem Scriptor sacer: *Quieuit terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez*; Iud. 3. v. 11.

Origenes homil. 3. in lib. Iud. ait: *Vides quàm larga est diuina clementia. Octo annis seruierant filij Israël pro multorum delictis, quadraginta annis per vnius iustitiam in pace perdurant.* Immensitatem bonitatis Dei inficiari nemo potest, qui vel hoc sacrū reputet, quòd pro vnius iusti merito quadraginta annorum tranquillitate felicitauit Israëlitas, quos pro magnis plurimorum sceleribus octenni tantùm seruitute plexerat.

Reuertamur ad id, quod superior historia narrat, neque enim Origenes nos omninò dimisit. *Mortuus est Othoniel*, inquit Scriptura, ille, qui Saluator sui populi audire meruerat; de quo ibid. vers. 9. ista: *Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez.*

Cùm in ea legendo incidisset Origenes, aiebat: Itanè Othoniel diem suum obijt? Itane vir sanctus, & iudex rectus è viuis decessit? Itane fax illa tam flagrans, & splendida extincta fuit? *Rem video periculosam*, ingens populo discrimen imminet, incidetque rursum in manus suorum hostium, eritque relapsio deterior, quàm omnis anterior casus fuit:

*Defun-*

*Defunctus est Othoniel, quia iam indignus erat populus, qui haberet talem iudicem*, inquit magnus Adamantius. Volebat Deus cædere populum, sed preces, & patrocinia sancti Othonielis obstrictas illi tenebant manus. Vt ergo liberè castigare malè meritos Israëlitas posset, sustulit è medio Othonielem, facemque illam exsufflauit, & hoc primo supplicio ingratitudinem illius populi est vltus. Et satis experti sunt periculum, quod illis Origenes timuit, & quàm grauis fuerit relapsus: Nam qui anteà Chusan regi Mesopotamiæ seruierant octo annis, *seruierunt* posthac *Eglon regi Moab decem, & octo annis*; ibid. v. 14. Hinc arbitrari potestis, quàm meritò dixerit Philo: *Reuera fulcrum generis humani iustus est*, athlas mundi est, eumque suis orationibus sustentat.

Minabatur Dominus per vrbanum Prophetam ingrato, & contumaci populo suo ærumnas, & persecutiones quibus illum exagitare, calamitates, & penurias, quibus affictare constitutum haberet, & tanquàm iam ad cædem distringeret gladium suum, vnoque ictu capita omnium demetere, & tota sanguinis flumina fundere vellet, accurrebat lachrymis infusus sanctus vates, & exclamabat: *Vsquequò Domine?* Isa. 6. 11. Quamdiu furor ille tuus exardescet? Respondit Dominus: *Donec desolentur ciuitates absq; habitatore, & domus absq; homine, & terra relinquetur deserta*; ibid. Quæris quousque ira mea laxis bacchabitur habenis? Eousque, quo ciuitates videantur eremi, domus solitudines, terraque omnis detonsorum montium sit similis. Non potuit tamen, quin paulò post subijceret ille, qui misericordiæ suæ, & pietatis in quantauis ira nunquàm obliuiscitur. *Et adhuc in eo decimatio*; ibid v. 13. hoc est, modum furendi faciam, non pergam desæuire, quià denarius numerus adhuc in terra est reliquus.

Quid voluit ijs verbis Dominus, cùm ait, quòd propter illum numerum iram suam, ne ampliùs ferociat, coërcere, & iam miserari afflictos velit, sicut illa tam acriter castigata terra *conuertatur, & sit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos*; ibid. & post nonnullos amputatos germinare vberiùs, & comam producere elegantiorem solet? Vndenam omnis hæc felicitas, & misericordia nata fuit? Ex eo, quòd *adhuc decimatio*. Quid verò decimatio ista significat?

Respondet Paulus Burgensis in suis addit. in c. 6. Isaiæ: *Potest intelligi numerus denarius, vt referatur ad illud, quod legitur Genes. 18. vbi Deus concessit Abrahæ, quòd si inuenirentur in Sodomis decem iusti, parceret toti ciuitati pro eis. Vnde in hoc loco Dominus dicebat Isaiæ, quòd licet populus esset ita malus, sicut populus Sodomorum, prout suprà dixerat* (Audite verbum Domini Principes Sodomorum) *tamen adhuc remanebat in Iudæa, & Ierusalem dena, videlicet iustorum, quâ volebat eos sustinere, & tolerare, donec conuerterentur.* Cogitate ergo, quàm rectè diximus, quòd iusti sunt athlantes orbis terrarum, & mundi totius validissima suffulcimenta,

Petrus Berchorius ex sententia Rabani, & astrologorum affirmat, tantam esse pernicitatem motus, quo cœlum rotatur, vt nisi ei moras contrarius planetarum motus adferret, iam pridem mundi machinam totam soluisset. *Cœlum mouetur velocissimè*, inquit ille lib. 5. Reductorij moral. c. 2. num. 7. *& ideò ne motus eius velocitas mundi machinam dissiparet, voluit eum natura motu planetarum retardare.* Quid tam velox, tam rapidum, tam incitatum quàm ira, & furor Dei? *Deus noster ignis consumens est*, Heb. 12. 29. ignis celerrimus, fulmen, quo nihil magis volucre, quod momento ferire simul, & conficere, in quæcunq; incidit, potest. Quis iræ illius impetum retardabit? Quis furoris celeritatem morabitur? Quis motû tam rapidi cœli moderabitur? Planetæ, viri sancti, amici Dei suis lachrymis, orationibus, patrocinijs. Nisi ij sese irato Deo humiles, ac supplices, & lachrymis tantùm, precibusq; armati obiecissent, dudùm fortè mundus vniuersus, euersus dissipatusque fuisset.

Propterea Philo l. suprà citato præclarè scribit: *Oremus igitur, vt ceu columna in domo, mens in anima, in humano verò genere homo iustus permaneat ad calamitatum remedium, nam hoc incolumi, de publica salute desperandum non est.* Quòd columna domui, quòd mens, seu ratio animo, hoc vir iustus mundo, domum columna sustentat, animam ratio gubernat, mundum iustus seruat, & sospitat. Meritò igitur rogandus, magnumque in modum obsecrandus Deus, vt virum iustum mundo ad fulcimentum, & commune omnium necessitatum antidotum relinquat, quo sublato, hoc erit mundus, quod absque columna domus, & destituta ratione anima, hoc est, ruinosus, & delirus, lapsibus, & erroribus obnoxius. *Oremus igitur*, idque enixè & sæpè, *vt permaneat ad calamitatum remedium in humano genere iustus*, longam omnibus, qui apud nos sunt sanctis, vitam precemur, quià sunt ærumnarum nostrarum depulsores, salutis nostræ curatores, athlantes orbis, morborum humanorum gratuiti medici, irati Dei conciliatores, iræ

illius mitigatores, qui manus eius & deuinciunt, ne feriant, & relaxant, aperiuntque, vt beneficia fundant, & thesaurorum cœlestium claues ad vsum, solatiumque miserorum peccatorum habent.

*Pulchra in eandem rem habet Periocha IV. Feria V. post Cineres pag. 31. & To. 2. Periocha II. Dom. XI. post Pentecosten, pag. 176. c. 1. o.*

## CAPVT VIII.

*Muneribus nulla validiora arma siue ad efferatissimos leones subigendos, siue ad arces adamantinas expugnandas.*

Dicit itaque insignis Abulensis, quòd rex Abimelech tot muneribus, & donis cumulauit Abrahamum, vt illum pro se apud Deum haberet patronum supplicē: *Vt inclinaret Abrahamū ad rogandū pro se, dedit ei munera.* Tantumne valent munera, tantumne dona, tamque validè constringit aurum, vt eo solo, nec aliter, obligari potuisse sanctissimus ille Patriarcha videatur! Differamus de hac tyrannica, & ampla, latèque patente potestate pluribus, quia aptè huc cadit talis argumenti tractatio.

Salomon in suis Prouerbijs. cap. 17. v. 8. ait: *Gemma pretiosissima expectatio præstolantis, quocunque se vertit, prudenter intelligit.*

Prætermissâ nunc literâ versionis nostræ vulgatæ examinabimus Chaldæam, quæ sic habet: *Lapis muneris gratia est in oculis eius, qui tollit eum, ad omnem locum, quo se vertit, prudenter agit*; ac si diceretur: Lapis muneris offerēdi pergratus est, oculis eius qui accipit illum vt offerat, quocunque se vertat, cordatè agit. Doctus quidam modernus, Pater Roa. l. 1. singular. c. 6. To. 2. sic accipit, tanquàm sit sensus, munera, qualiacunque sint, quæ offerantur, gemmas videri ei, qui accipit.

Sed in ijs verbis illud attentè pensandum, quòd dicitur, *Ad omnem locum, quo se vertit, prudenter agit.* Videtur metaphora esse à picturis, & mulieribus sumpta. Experientiâ compertum habemus, quòd picturarum, & facierum muliebrium, quantumuis & illæ sint grandes, & hæ venustæ, splendor, & elegantia non æquè elucet, quacunque ex parte eas aspicias, sed certum situm habere debent, in quo eam accipiant lucem, quæ, detegendæ artis industriæ, & manifestandæ pulchritudini mulieris sufficit. Hoc autem quouis in loco fieri non potest: At verò qui munera defert, qui donis, quæ eroget, onustus venit, *ad omnem locum quo se vertit, prudenter agit*, inquit Salomon. Qui habet, quod det, non indiget, eâ diligentiâ, quæ picturis, & vultibus, vt eorum elegantia conspicua fiat, opus est, ad omnem lucem enim, & quacunque ex parte aspicias, pulcher videtur, gemma est, quidquid loquitur, & opera illius omnia rectè sunt facta: *Ad omnem locum, quo se vertit, prudenter agit.* Hæc est vis donorum, hæc potentia munerum, facere ex homine picturam tam elegantem, & admirabilem, vt ad qualemlibet lucem ex quauis parte videatur venusta, formosa, pulchra, decens. Quis sapientior eo, qui dat? quis prudentior? quis nobilior? quis magis festiuus, ac lepidus? Quid non expugnant dona? quos leones non cicurārunt munera?

Venit Esau irâ vehementer inflammatus aduersùs fratrem suum Iacob. Sic enim dicebant Iacobti quidam ad fratrem ab eo missi legati: *Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris*, Genes. 32. 6. nec alio consilio, quantùm æstimare possumus, quàm vt te, omnesque tuos contrucidet. Expalluit conterritus his nouis Iacob, deliberansque quid in re tam ancipiti ageret, opulentum adornauit munus, quo stomachosum fratrem mitigaret, dicens: *Placabo illum muneribus*; ibid. v. 20. Posthæc cùm domesticos in modum exercitus signa cum hoste collaturi ordinasset, ita apud se statuit, non posse fratrem fortioribus armis expugnare, quàm si muneribus obligaret. Sed notandum, quòd vbi Vulgata dicit, *Placabo illum muneribus*, alij ex Hebræo verterunt, *Opertam faciem eius velamine*, quòd est dicere, oculos ei iniecto pallio obnubam. Videtur in his esse metaphora sumpta ab eo, quod dicam. Petrus Berchorius, Ioannes de S. Geminiano, Scipio Amiratus, & alij plures de leone affirmant, eum, quando ardens irâ, efferatusque venit, cicurari commodiùs non posse quàm si pallium ei, seu velum quodlibet aliud inijcias, eoque secundùm vultum contegas, tunc enim ita mansuefieri, vt velut mitis agnus fiat, omnemque ferociam exuat, & deponat. Huc fortè allusit Iacob, quando audiens, quòd frater tanquàm insanus fremens, & frendens leo in via esset, festinansque veniret (*ecce properat*) ignem spirans, & cædem anhelans, dixit: *Placabo illum muneribus, opertam faciem eius velamine*, atque ita faciam, vt sæuire desinat, & mitescat. Non est vis alia, quæ potestatem exæquare donorum possit, aurum omnia subigit, & superat.

Optabat Philippus Macedonum rex locum quendam expugnare, quem sibi vtilissimum fore ad res alias magnas conficiendas præuidebat. Misit ergo exploratores suos, vt situm loci diligenter arbitrarentur, & attentè considerarent, vt prout ille postulare

lare videretur, oppugnatio institueretur. Reuersi exploratores, postquàm omnia studiosè circumspexissent, dixerunt regi, esse illi loco arcem suâ naturâ fortem, & arte magis munitam, eamq; putare nullis viribus expugnari posse. Subrisit rex, cùm eos arduæ expugnationis ingentem difficultatem multis, & magnis verbis extollentes aliquamdiu audisset, & ait: *Num vsque adeò difficile est, vt nec asinus auro onustus poßit accedere?* Refert Erasmus lib. 2. apophteg. Quòd dixit, tale fuit: *Nihil tam est munitum, quòd auro non expugnetur*, propugnacula ærea, muri adamantini deijciuntur donis, & nihil est, quod non cedat pecuniæ, quod non succumbat muneribus.

Huc respexit Dominus, cùm ait: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes; & subuertunt verba iustorum*; Exod. 23. 8. Extrema horum sic quidam ex textu originali transtulerunt: *Detorquent verba iustorum, siue iusta.* Doctus quidam modernꝰ, P. Roa. lib. 2. singular. cap. 6. To. 2. ait: *Sunt solennia verba forensia, statæ, & solennes formulæ signatis, certisq; verbis conceptæ; à quibus cadere non licet, ne quis causâ cadat.* Dicit itaque nunc Dominus: *Non accipies munera, quæ etiam detorquent verba iustorum*, efficientq; vt vsitatas, & præscriptas loquendi in iudicio formulas prætermittas, iustitiamque violes, & ei, cui debetur, neges. Tam valida enim sunt dona, vt iustitiam quantumuis rectam detorqueant, quantumuis rigidam inflectant, quantumuis sanctam temerent, ac profanent, & in quam volunt partem abducant.

Quàm magnificis verbis extulit Spiritus sanctus imperium, & dominatum munerum, cùm ait: *Donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes spatium ei facit*; Prou. 18. 16. Nonnè vidistis quomodo vulgus hominum, quando ad regem videndum in compita effunditur, totas suâ frequentiâ explet, & obstruit plateas? Veniunt stipatores, & satellites regij, & momento diffugit populus, qui suâ concursatione cuncta obsederat loca, & omnes regi latè patent viæ, vt liberrimè transeat, & debitam habeat apud omnes venerationem. Ad hunc modum nunc dicit Spiritus sanctus: *Donum hominis dilatat viam eius.* Litigat quis in iudicio, causam habet, quam in aula persequi debeat, & velit, sed obstruitur ei aditus, præcluditur via, vt penetrare nequeat, vbi sua negotia curet, obijciuntur difficultates, omniaque in seros menses longis extrahuntur dilationibus, & procrastinationibꝰ. Quid hic faciat, vt causæ suæ finẽ faciat? Non hastatos regis satellites, sed splendidos auri satellites anteambulones mittat. Hi statim aperient viam, hi omnia submouebunt impedimenta; hi difficultates omnes auferent, hi patentissimum, & amplissimum sternent iter, *hi ante Principes spatium ei* facient, & negotia omnia ad vmbilicum extemplò perducent. Hæc est vis auri, hæc potestas munerum: *Donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes spatium ei facit.*

Gratiâ (atque vtinam non tam magnâ) valent apud viros Principes, & magnates munera, neque clausam aliquando inueniunt portam. Nam vt profanus ille Poëta ait, *omnia perfringit, & perficit.* Non est carcer, quem aurum disruptis claustris non aperiat, nulli sunt muri, quos non deijciat, non arces, quas non solo æquet, non vllum negotium, quod non feliciter, faciliterque conficiat.

*Parte secundâ Politici lib. 6. cap. 5. & alijs in locis ad calcem capitis illius annotatis hoc argumentum prolixè tractat.*

# LIBER X.

## VITÆ ABRAHAM.

### CAPVT I.

*Vt pretium cuique rei concilietur, concedi nisi longis desiderijs non debet, quòd enim facilè datur, solet vilescere, deque existimatione sua cadere.*



Miserum est, inquit sanctus Laurentius Iustinianus, quòd res alioquin præclaræ, & pretiosæ suam dignitatem, existimationemque retinere, & seruare non possunt, nisi parcè, perrarò, neque diu humanis se permittat oculis, vt caritatem ei caritas adferat, & maioris fiat, cuius infrequentior vsura conceditur. *Experientiâ insinuante hoc nouimus, quòd singula, quamuis sint magna, quantumuis pretiosa, formosa, & sancta, immoderatiùs tamen debito propalata vilescunt*, inquit ille lib. de vita solitaria cap. 5.

Sanctus Ioannes Euangelista Christi inter sacros illius Historicos Beniamin prolixum texens catalogum beneficiorum, & gratiarum, quibus humana gaudet

gaudet natura, postquàm eam sibi verbum Dei æternum in suæ personæ consortium, communionemq; admittere, & fieri homo temporaliter voluit, qui Deus semper erat, inter alias felicitates hanc refert, quòd *dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Ioan. 1. 12.) postquàm Dei filius factus est homo.

Quanquàm hanc insignem, prolixamque liberalitatem dicere, & prædicare velimus, obstare tamen, quò minùs faciamus, illud videtur, quòd Euangelista his, qui credunt in Christum, eumque cum Sancto Petro verùm Dei viui filium confitentur, solam potestatem datam affirmat, quâ filij Dei fiant: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Vt misericordia videretur maior, & liberalitas amplior, magisque & generosa, & larga munificentia, nonné satiùs fuisset dicere, fecisse Deum Dei filios hos, qui in filium eius credunt, quibus cùm solam potestatem concessam ait, quâ fieri Dei filij possint, difficultatem aliquam obtinendæ illius dignitatis tali verborum circuitu indicare videtur? At cùm nihil pectori illi diuino tam propenso ad benefaciendum, tam cupido effundendi sese obstare possit, quò minùs sua dona in homines exoneret, cur beatissimus Euangelista de illo dicit, solam potestatem dedisse credentibus, vt filij Dei fieri queant, tanquàm illi aliquod impedimentum obfuerit, propter quod filios Dei non statim fecerit?

Respondet S. Ioannes Chrysostomus, & Euthymius: *Non statim fecit eos Dei filios, ne per ignauiam perdant gratiam, sed dedit ipsis potestatem fieri, quo diligentiores reddantur.* Quòd non subitò Dei filios Filius Dei facit, non difficultas aliqua ex parte misericordiæ diuinæ, sed nostræ imbecillitatis notitia in causa est, sumus enim ita comparati, vt necessum sit parciore manu nobis dona gratiæ concedi, vt pretium apud nos obtineant. Solet obtinendi facilitas negligentiam custodiendi, generare. Quare Dominus suis solam *dedit potestatem filios Dei fieri*, vt tantæ dignitatis gloria càm differtur diutiùs, expetatur auidiùs, & seruetur cautiùs.

S. Cregorius Nazianzenus Orat. 16. ait: *Quidquid faciiè percipitur, facilè quoque in contemptum venit, quòd autem suprà nos est, quò maiore cum difficultate percipi potest, eò etiam maiorem sui admirationem mouet, atq; id omne, quòd desiderium nostrum fugit, cupiditatem exercet.* Non procul à contemptu est, quod propè ad manum, itaque illud magis suspicimus, quod difficiliùs obtinemus, auidiùsque concupiscimus, quod se vsibus nostris magis negat.

Solicita, & anxia Sponsa auidissimè expetebat, dilecti Sponsi sui colloquium, occasionemq; melleà eius verba audiendi. Et quoniam tempus meridianum tale est, vt vix inueniri sinat, quem videre velis, dixit illa: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*; Cant. 1. 6. cùm Sponsa tam efflictim amaret, & Sponsus solitus sit mutui amoris vices cumulatissimè reddere, quomodo nunc se tam morosulum exhibet Sponsæ? Cur tam difficilis est erga illam omni alioquin dilectione dignissimam, vt non solùm ei suam neget præsentiam, sed etiam abscondat mansionem, & habitationem? Quæ causa esse queat dedignationis?

Respondet S. Gregor. Nyssenus homil. 2. in Cant. *Voce Sponsi nondum est dignata, cùm Deus de ea meliùs prouideret.* Quamuis amantissimi Sponsi ardentissima esset ergà Sponsam caritas, diu nihilominùs suum illi negauit colloquium, & consuetudinis commertium, ad maiorem tamen Sponsæ vtilitatem, & profectum. At quid commodi accidere Sponsæ ex diuculè negata sermonis communicatione, & consuetudine familiari Sponsi potuit?

Respondet Nyssenus: *Vt ad maius desiderium eius accenderet cupiditatem dilatio fruendæ voluptatis, vt cum desiderio simul augeretur lætitia.* Sciebat Sponsus facilè decedere de pretio rei quantumuis aliàs magnæ, excellentis, eximiæ, quæ facilè conceditur, itaque vt Sponsa consuetudinem illius, vsumque familiarem maioris æstimaret, tardiùs ei sui copiam concedit, nec ante permittit, quàm illa eam ardentibus votis, & multis lachrymis sibi comparet, vt maioris æstimaret, quòd tanto desideriorum, suspiriorum, fletuum impendio conquisijsset, & *cum desiderio simul augeretur lætitia.*

Huc facit, quòd sanctus Martialis epist. 2. cap. 21. To 3. Biblioth. Vet. PP. ait: *Nunquàm deficiatis ab oratione pura. Nunquàm de Dei nostri largitate desperetis, quæ salubriter, quæ desideratis, adhuc differt, vt accendantur multò magis desideria vestra in eum.* Cariora semper habemus, quæ longis desiderijs tardè concessa.

Pauci dies abierant, ex quo ab Ægypto discesserant Israelitæ, quando annonæ penuria eos in eremo occupauit. Clamàrunt ad Dominum, siue murmurârunt (murmur enim illorum sanctus Cyrillus clamorem vocat) audiuitque Dominus illorum murmuratorium clamorem, dixitque ad Moysen: *Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus*; Exodi 16. 12.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, quem dixi, lib. 3. in Ioan. cap. 34. ait: *Quæret quispiam, cuius rei*

*gratiâ*

*gratiâ misericors Deus non priùs, quàm peterent, illis prouidit, sed cùm famescentes videret, tardiùs ad patrocinium fuit?* (*fortè venit*) Respondet ipsius ibidem: *Dicimus conuenienter petitionem, clamoremque illorum expectatum fuisse. Tunc enim gratissimum solet videri beneficium, quando magno ardore petitur, aliter animus hominis magnitudinem beneficij non cognoscit.*

Ex his iam facilè est conijcere, quæ causa fuerit tam seri partus Saræ, partus tam felicis, & fortunati, partus pleni gratijs, & benedictionibus, partus qui totum mundum gaudio, domum paternam etiam risu, & exultatione impleuit. *Concepit, & peperit filium in senectute sua*, inquit de illa sanctus Moyses Genes. 21. 2. Distulit hoc beneficium Deus vsque in fessam Saræ senectutem, iamque effœtæ, & decrepitæ filium dedit, quem tot condecorare gratiæ ornamentis volebat, vt donum, quod ex se erat pretiosum, ex tardatione maiorem haberet æstimationem. Solet hoc addere pretium beneficijs, si diuturnis serò concedantur desiderijs. Nam vt sanctus Laurentius Iustinianus in lib. de triumphali Christi agone cap. 24. n. 5. ait: *Id possidetur fortiùs, gustatur dulcius, chariùs amplectitur, ac prudentiùs custoditur, quod ardentissimè concupitum, solerter quæsitum, atque laboriosè repertum est.*

*Sæpè de hoc argumento alibi agitur. Vide Parte Primâ Politici lib. 3. cap. 5. & alia loca ad illius finem adscripta.*

## CAPVT II.

*Sperare tam molesta, & cruciabilis res est, tamque crudelis equuleus, vt qui hâc passione vexatur, possit aliquo modo in Martyribus numerari.*

VIsitauit Dominus vetulam Abrahæ vxorem, deditque ei filium, cui nomen imposuerunt Isaac. Gauisa fuit huius filij contubernio, & familiari consuetudine annis tribus supra triginta, vt subnotauit Lippomannus, cuius sunt ista in cap. 21. Genesios: *Vixit Sara triginta sex annis post genitum filium vnicum, quem nonagenaria peperit, nec alterius fœminæ tanta ætas legitur. Voluit enim Deus aliquamdiu eam filio gaudere, quem tanto desiderio tot annis Dei verbis credula sperauerat.*

Premite in his illa extrema, *Quem tanto desiderio tot annis sperauerat*, quod perinde videtur, ac si dixisset, fuisse tam grande martyrium, quod sancta illa matrona subijt, tam acerbos cruciatus, quos tolerauit, dum tot annos inter spem, expectationemque transmisit, vt ad refocillandum eius animum, deliniendumque dolorem, & abstergendam mœstitudinem tribus ac triginta annis opus habuerit, quibus filio frueretur, vt tam longo vsu illius obliteraret memoriam luctus, quem desiderando pertulerat.

Cùm supernus Magister discipulis suis in monte Oliuarum supremum vale diceret, & iam in cœlum sese recipere vellet, vt sublime solium, quod illi in cœlis paratum erat, occuparet, dicebat ad eos: *Et ego mitto promissum Patris mei in vos*; Lucæ 24. 49. hoc est, Spiritum sanctum, quæ fuit pollicitatio doni omnium, quæcunque desiderari possunt, opulentissimi, & pretiosissimi, quod dum spondebat, iubebat esse bono animo, vt qui tantum breui accepturi essent beneficium. Cùm talia dixisset, *eleuatis manibus suis benedixit eis*, ibid. v. 50.

Quærunt aliqui Expositores, quid mysterij habuerit ista benedictio, & quo consilio abiturus Magister benedicere discipulis voluerit.

Theophylactus in illius loci commentario ait: *Benedicit discipulos suos, fortassis infundens eis vim, qua custodiret vsque ad aduentum Spiritus.* Mira interpretatio! Quid habebant Apostoli, vt necessarium esset infundi eis robur, quo seruarentur in diem vsque aduentus Spiritus sancti? Quod periculum eis minabatur? Quod discrimen impendebat, vt ad illud superandum tantâ indigerent confirmatione, & confortatione? Periculum quidem nullum imminebat, vt tamen Spiritum sanctum promissum fortiter constanterque præstolarentur, nouas, validioresque vires requirebant. Dixerat illis: *Ego promitto promissum Patris mei.* Vt opperirentur tempus, quod inter promissionem, & missionem intercedebat, benedictione suâ, & maioris roboris adiectione illos confirmandos putauit. Tantum enim affligere spes solet, tamque pœnaliter torquere, vt videatur Deus præstolabundos nouis auxilijs necessariò constabilire debere, ne vita illorum inter expectationem deficiat: *Benedicit discipulos, fortassis infundens eis vim, qua custodiret vsque ad aduentum Spiritus.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus loquens de Spiritu sancto dicit quidquam, quod cuilibet adferre possit difficultatem. Verba illius ex homil. 5. de resurrect. To. 3. sic habent: *Hesterno die agonizabamus tanquàm sperantes regem, hodie lætemur suscipientes Imperatorem, & ideò hesternus dies non fuit ieiunationis, sed expectationis.* Paulò infrà mox addit: *Hesterno die delectabamur ieiunando.* Videtur Chrysostomus secum ipse pugnare. Dicit enim, die Sabbati ieiunasse cum voluptate, & non longè post ait,

illum diem non fuisse ieiunationis. Quomodò hæc cohærere possunt, quæ manifestè sibi aduersari, & contradicere videntur? Benè habet hoc. At si verba Chrysostomi attentè perpendas, inuenies sublatam difficultatem, dissipatam dubitationem. *Hesternus dies* sabbatiuus *non fuit ieiunationis, sed expectationis*, inquit. Duo concurrerunt illâ die, nimirùm abstinentia à cibis, & præstolatio in vitam redituri Redemptoris, pœna, quam parit inedia, & cruciatus, quem adfert expectatio. Et quamuis dolor de abstinentia natus carnem grauiter afflictet, nihilominùs *delectabamur ieiunando*, ait ille, læti, hilaresque diē illum inesi exigebamus, expectatio enim tam intolerabiliter cruciat, vt ieiunium voluptati esse, & nulla alia pœna eo nomine digna videatur, si cum ea comparetur, quam spes, & præstolatio generat. Arbitrari id ex eo etiam licet, quod Chrysostomus, cùm ait: *Delectabamur ieiunando*, iam ante dixerat; *Hesterno die agonizabamus sperantes*; hoc est, eodem die & recreabamur ieiunio, & in confinia mortis adducebamur dominicæ anastaseos expectatione. Nam expectare, & expirare, præstolari, & immori rei expetitæ desiderio, videntur idem esse.

Propheta regius ait: *Credo videre bona Domini in terra viuentium*; Psal. 26. 13. hoc est: Firmissimâ spe teneor, quòd oculis aliquando vsurpabo ea Domini bona, quibus viuentium terra fruitur. Sanctus Gregorius Nyssenus ait; quosdam velle; Prophetam regium Dauidem de illa terra materiata hîc loqui, in qua boni, & mali, Sancti, & peccatores cohabitantes viuimus. Verùm huic ille se opponit opinationi, aitque Dauidem, cùm ista ex suo, omniumque seruorum Dei nomine dixit, non fuisse tam corrupto palato, vel iudicio, vt præmio tam exili, tenui, paupere contentus esset, suosque labore dignè remuneratos putaret huius perituræ, caducæque terræ expectatione; ab eo maximè, cuius tanta est munificentia, tamque generosa prolixitas, vt exigua officia, & paruas ærumnas animo magno pro se toleratas ingenti mercede compensare soleat. Videamus causam, ob quam non cum alijs consentit Nyssenus in Orat. 2. de beatitud. sic habet: *Quid igitur opus est ijs infernâ terrâ quorum vita spe suspensa est?* Omnes iusti, & sancti fide à Deo qui infusum habent præmium extremum, quod pro suis laboribus expectant, non in hac passionibus obnoxia, sed in illa gloriosa terra conferendum. Quamdiu hîc mortales viuunt, semper anhelant, perpetuòque suspirant vitam æternam, exclamantque identidem cum Psalmographo: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*; Psalm. 119. 5. heu quantùm tardat tam longis votis expetita patria? Dicit nunc Nyssenus: Spes protracta, & diuturnum desiderium eius, quod appetitur, tam acerbè cruciat, tam acriter afflictat, vt iustus luto vilius putaret totius terræ dominium, si illi offerretur, quamdiu à spe vita eius pendet: *Quid igitur opus est ijs infernâ terrâ, quorum vita spe suspensa est?* Si cui totius mundi imperium offerretur, sed cum onere longæ expectationis, nullus ei honor offerri videretur, plus enim torquet spes, quæ differtur, quàm imperium, quod longè, latèque diffunditur.

Benè hoc exaggerauit Salomon, cùm ait: *Spes, quæ differtur, affligit animam*; Prouerb. 13. 12. Cornelius à Lapide ea sic interpretatur: *Sicut corpus cruciatur, dum extenditur vltra naturalem modum, & situm in equuleo, sic pariter cruciatur animus, dum extenditur distensione spei, & longâ expectatione rei desideratæ. Quod ergo est corpori equuleus, hoc est animæ dilatio rei speratæ.* Vt enim corpus funibus immodicè contentis luxatur, sic anima dilatione diuturnâ pœnaliter conuellitur, & distrahitur.

Nocte cœnæ dicebat Christus discipulis suis: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar*; Lucæ 22. 15. Dialectus hebræa est, geminare verba ad rem aliquam amplificandam. Infinita huius rei exempla reperias in scriptura. Quòd ergo Redemptor noster aiebat, *Desiderio desideraui*, perinde est, ac si dixisset vehementissimè experij, desiderium meum tantum fuit; quantum verbis satis exaggerari non potest.

Euthymius ait: *Festinatione festinaui, & velut* celeribus equis cucurri ad mortem. Itaque desiderium alicuius rei, & festinatio ad eam consequendam videntur idem esse; nihil enim est, quod tam fortiter incitet, nihil quod animæ latera tam acriter stimulet, fodicetque, quàm calcar impatientis desiderij, quod cupiditate dilati gaudij pœnalissimè excruciat?

*Plurima, eaque optima, & grauissima, gratissimaque habet de hac materia Periocha I. Feria VI. post Domin. I. Quadrag. Tom. 1. pag. 115. Vide in eod. Tomo Periocham IV. Feria V. post eandem Dominicam I. pag. 109. Vide etiam Tom. 2. Periocham II. Dominica I. in Aduentu; pag. 326.*

## CAPVT III.

*Esse parentes liberorum sanctorum tanta est felicitas, vt humana alia cum illa certare, ac comparari nulla possit.*

Prodijt

PRodijt in lucem miraculosus veteranorum parentum, Abrahæ, & Saræ partus Isaac. Isaac risus dicitur. Fuit autem id nominis illi impositum propter risum, & gaudium, quod cum pignore tam inopinato natum. Itaque senicula puerpera lætabunda dicebat: *Risum fecit mihi Deus*; Genes. 2 6. Meritò autem, vt aiunt Interpretes, sic appellatus puer fuit, qui tam sanctus, tam studiosus virtutum futurus erat. Nam parentum, familiæ, prosapiæ nulla potest esse maior felicitas, nulla par illi, quæ de probis, pijs, integris liberis, ac posteris generatur. Sic & nulla magis deploranda miseria, quàm habere sobolem, quæ suo generi sit ignominiæ, & probro.

In idololatriam prolapsus ille contumax, & duræ ceruicis populus deastrum sibi finxit in similitudinem vituli comedentis fœnum, & porrò etiam sacrilegè per summum scelus adorauit. Grauiter exulcerauit Domini pectus hæc cœca, & nefaria populi insolentia, voluitque pœnas, quas tantum flagitium postulabat exigere, sed tanquàm veritus, ne vilis populi inclytus ductor Moyses obsisteret supplicia illaturo, suisque precibus impedimentum afferret executioni, de proposito suo cum illo ante voluit communicare, vt ille hoc approbans, liberiùs punire Domino permitteret. Aiebat ergo ad illum: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*; Exodi 32. 10. tanquàm pluribus dixisset: Solue mihi has manus, quas tuæ sanctitatis, ac virtutum vinculis constrictas tenes, vt sacrilegos idololatras infami vitâ exuam, quod si per te facere licuerit, insignito beneficio te in vicem ornabo. Quonam illo? An gloriosos de hostibus triumphos referet? Nihil hoc est ad illud, quo eum cumulabit. Forrean absolutum totius orbis terrarum Imperatorem faciet? Etiam hoc oppidò inferiùs est dignitate, quâ illum condecorabit. Gratiâ illum, & felicitate omnium maximâ, & quacum alia nulla comparari queat, donabit. Quâ tandem, *Faciam te*, inquit, *in gentem magnam*, & patrem hominum plurimorum.

Quid sibi vult illud, *Faciam te in gentem magnam?* Glossa Interlinearis paucis, vt solet, verbis id exponit, dicens: *Faciam te in gentem magnam, in generationem sanctorum*, & liberorum, proborum parentem. Itaque esse filiorum sanctorum patrem tanta est felicitas, vt nulla alia ei comparari posse videatur. Nam quando Dominus voluit Moysen permouere, vt permitteret mactari populum (quæ res illi alioquin inuisissima erat,) nō putauit alio medio obligari efficaciùs posse, quàm si ita beare velle addiceret, vt pater sanctorum posteriorum fieret: *Faciam te in gentem magnam, in generationem sanctorum.*

Venit Iacob ad patrem suum Isaac ex senio cæcucientem, & astu, quem à matre doctus fuerat, petijt, & obtinuit benedictionem, quæ sic habebat: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*; Genes. 27. v. 28. 29.

Paulus Burgensis putat tenuem, parcamq; fuisse hanc benedictionem. Quid verò illi, quod ad copiosam, cumulatamq; benedictionem requiri possit, defuit? Precatus fuit Isaac filio suo rerum omnium necessariarum affluentiam è cœlo, terraque, precatus fuit summum in fratres, & extraneos imperium, precatus fuit, vt nemini benè esset, qui illi vellet malè, vtque felices essent, quicunque illum felicem esse cuperent, quid ad hæc optare ampliùs potuit? Ergone non vides, inquit Burgensis, huic benedictioni, quod potissimum, & præstantissimum est, deesse? Non video, dicis. Siccine: Ego itaque dicam. Illud decedit huic benedictioni, quòd non fuit filio suo sanctos liberos, posterosq; precatus. *Non legitur, quòd Iacob fuisset benedictus à patre suo de propagatione hominum*, inquit Burgensis, tanquàm diceret: Noli eam existimare perfectam benedictionem, quæ non optat sanctos liberos, quantæuis enim sint benedictiones, nomine consummatarum benedictionum donari non possunt, quibus vnum illud deest. Suprema namq; benedictionum ea est, si cui precceris, vt cùm ipse sit bonus pater, sobolem quoque bonam, & sanctam habeat.

Id adeò verum est, vt S. Gregorius Nazianzenus putet tanquàm commentum explodendum, si quis dicat, fuisse aliquem tam felicem, vt multorum bonorum liberorum pater dici meruerit. *Qui simul & multos, & probos, atq; honestos filios habuerit, in fabulis fortasse reperias* inquit ille in Mon. S. Basilij Magni. Hæc eò dicebat Nazianzenus, vt primùm quidem indicaret, quanta fuerit Dei beneuolentia, & prolixitas ergà Basilium, & Emiliam sanctos sanctorum Basilij Magni, Gregorij Nysseni, Petri Episcopi Sebastensis, Macrinæ, Naucratij, & aliorum quinque liberorum parentes, deinde verò felicitatem Magni Basilij exaggeraret, qui habuerit tales parentes, auos item paternos, maternosque

quæ Sanctorum catalogo adscriptos, denique etiam auunculum quendam Episcopum, & Martyrem.

Itaque quòd stirps vna numeret septemdecim continuato ordine sanctos auos, parentes, auunculos, fratres, ac sorores, ea tam larga, & copiosa, & nunquàm mundo visa benedictio est, vt fabula videri posset, nisi Ecclesiæ approbatio fidem illi certam conciliaret. Ac propterea Nazianzenus vbi suprà ità demùm pronuntiat: *Mihi maximum, & clarissimum esse videtur felicitas in liberis*, maiorem enim hac non habet aliam vita præsens.

Non parum virium his addet, quòd propheta regius gaudens, hilarisq; canebat, dicens: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi*; Psal. 15. 6. Notorium est, ac tritum illud, quòd olim hæreditatum termini funibus dirimebantur. Ita affirmant Hugo Cardinalis, Caietanus, Titelmanus, Lorinus, & omnes alij. De sua hæreditate ait Dauid: *Præclara est mihi*, delectabilisque, ac voluptuosa.

At videamus quænam ea sit hæreditas, quam ità prædicat, & extollit tantus propheta. Marcus Antonius Flamineus id sic exponit: *Luculenta certè, & præclara mihi venit hæreditas, homines, inquam, mihi pater excellentes, & vniuersi planè generis humani mihi florem assignauit*, & posteros dedit sanctorum integerrimos, integerrimorum sanctissimos. Hanc ego gloriosissimam, & incomparabilem hæreditatem existimo; *Maximum enim, & clarissimum esse videtur felicitas in liberis*. Qua in re cùm tanti Theologi, Nazianzeni dico, sententiæ inhæreo, nulli me aberrandi à veritate periculo expono.

## CAPVT IV.

*Vana est spes, quæ studijs, & lucubrationibus nititur alienis, inanis expectatio illorum, qui præmium præstolantur eorum operum, quæ possent facere, vera enim spes pendet à laboribus proprijs, & executione eorum, quæ animo conceperis, & facere proposueris.*

Natus ergo fuit optatus infans, & appellatus Isaac, & die octauo circumcisus, *fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius*; Genes. 21. 8. De hoc epulo ait Sanctus Augustinus q. 50. in Genesin. *Meritò quæritur, cur Abraham nec die, quo natus est ei filius, nec die, quo circumcisus est, sed die, quo ablactatus est, epulum fecerit.* Quid mysterij habet magnificum illud conuiuium tali tempore celebratum, quod ad nostram facere possit institutionem?

Respondet magnus Doctor ibidem, quòd nulla quæstionis solutio est, nisi ad spiritualem aliquam significationem referatur, *tum scilicet esse debere magnum gaudium spirituale ætatis, quando factus fuerit homo nouus spiritualis*, qui pascatur solido cibo. Cùm puer ablactatur, tunc per se comedere, & absque adminiculo manus alienæ, aut rei alterius ambulare incipit, idque olim communi lætitiâ celebrabatur, vt aiunt Caietanus, & Pererius. Ergo non quando primùm nascebatur, nec quamdiu lactabatur, sed quando abdicabatur, auellebaturq; ab vberibus, ipseque per se & capere cibos, & carpere viam puer poterat, tunc festum instruebatur conuiuium, vt eo mysterio doceremur, tunc quemq; gaudere, ac lætari posse, quando ipse sibi parare victum, ipse suarum manuum labore agere vitam, & propriæ industriæ sumptu nutricari sese potest. Viuere enim impendijs operæ alienæ, & præfidere meritis vicinorum, & non studere proprijs, est spes vanissima, & friuola expectatio: *Quia debet esse magnum gaudium spiritualis ætatis, quando talis factus est homo, qui pascatur solido cibo*. Quamdiu Christianus non studet labori proprio, parùm vtilitatis referet ex alieno.

Viuentium optimus maximus probrosissimo in ligno expirauit, & mortem vitæ author oppetijt. Et quoniam amicos secretos vel nonnullos reliquerat superstites, quidam ex his Nicodemus venit, vt pro more rituum Iudaicorum sacrum eius cadauer vngeret, eumque in finem *venit ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum*; Ioan. 19. 39. Magna fuit istius vnguenti copia, vt notant omnes Interpretes, librarum tamen pondus leuius, quàm huiatum Castellanarum. Quatuor amphoræ fuerint vnguentorum, quæ pius Nicodemus ad imbuendum Domini nostri corpus attulit, & liberaliter adhibuit. Et quanquàm hæc ille fecisset, nihilominùs *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM*; Marci 16. 1. cuius rei gratiâ postridie Sabbati primulo diluculo abierunt ad monumentum, vt hoc supremi honoris officium Domini sui cadaueri impenderent. Videntur inaniter ista fecisse fidæ illæ, ac deuotæ mulieres: Nam cùm Nicodemus tantam myrrhæ, & aloes copiam paratam iam haberet, vt ritui sepulchrali satisfaceret, quamobrem illæ istos tam superuacaneos sumptus fecerunt, coëmentes aromata, quæ defuncto corpori nihil iam commodare po-

re potuisse videntur? Quod si ita est, cur *emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum?* Quorsùm istæ aromatum impensæ, postquàm Nicodemus totis centum libris vngueuti corpus Dominicum perfudit, tinxitque?

Respondet Petrus Abaylardus epist. 7. *Parauerunt aromata, nec satis videlicet habentes aromata Nicodemi, nisi adderent & sua.* Dixerint apud se piæ mulieres: Abundè quidem sufficiunt perungendo corpori Domini nostri myrrhæ & aloe, quæ Nicodemus eam ob rem coëmit, verùm soli illi etiam ferentur accepti sumptus in vsum huius vnctionis facti, ille solus discipuli verâ charitate flagrantis famam obtinebit, itaque studium illius, ac diligentia neque gloriam nobis adferet, neque laudem aliquã parabit, nemo enim nos Magistri nostri amantes, obseruantesque arbitrabitur de illo, quod Nicodemus erga ipsum fecit, neque enim in proprium honorem redundare potest opus alienum. Quare vt illæ merita propria sibi conflarent, ad vnguenta Nicodemi addiderunt aromata sua, ratæ ad solius Nicodemi gloriam facere, quæ ipse fecerat, nihil verò commodi ad se inde deriuari, *nec satis habentes aromata Nicodemi, nisi adderent & sua.* Aliena parùm nobis conferunt merita, curandum ergo vt habeamus propria, nam quæ alij faciunt, quamuis opitulari nobis vtcunque queant, prorsùm tamen iuuare non possunt.

Isaias Propheta ingrato populo ex Deo hæc aiebat: *Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, & gestamini à mea vulua;* Isa. 46. 3. videte quomodo meæ in vos beneficentiæ respondeatis, quos totis visceribus meis complector, & circumfero, quemadmodum aluo suâ circumferre puerum suum grauida mater solet.

Hugo Cardinalis ait: *Nota, familiariter se dicit Christus matrem, peperit enim nos cùm dolore magno, in lecto duro satis, id est in cruce.* Subdit autem: *In partu verò dolor est non solùm matris, sed etiam fœtus.* Et de muliere quidem Christus dicebat, *cùm parit, tristitiam habet,* mortaliterq; affligitur, *quia venit hora eius* (Ioan. 16. 21.) timens ne illa fiat ei hora vitæ suprema, propter præsentaneum periculum, cui exponitur, dum suum luci pignus exponit: Nihilominùs etiam infans ex illis vteri materni angustijs absque dolore non erumpit.

Quid ergo mysterij habet, quòd Christus mater vocatur, quæ nos in cruce cum ingenti suo cruciatu peperit, cùm & filij eius non sine dolore nascantur? Respondet Hugo ibidem: *Quia non sufficit dolor matris, id est, Christi, sed exigitur dolor filij.* Quantùm ad efficaciam non satis est fidelibus sola passio, & mors Christi, vt saluentur, & sint illius efficaces filij, nisi adimpleant, quæ desunt passionum Christi in carne sua, operaque, & merita bona adiungant propria.

Confirmatur hoc illâ Christi sententiâ: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me;* Matth. 16. 24.

Hugo Cardinalis monet obseruare, quas conditiones Christus requirat, in eo, qui velit ipsius verus esse discipulus. *Tollat crucem suam. Suam dicit, non meam, quasi dicat, Dolor meus non sufficit, nisi adsit & vester.* Quanquam enim efficacitatis infinitæ sint merita Christi, efficacia tamen nostræ saluationi non erunt, nisi nostra bona opera, & merita accedant ad illa. Itaque tametsi operum alienorum auxilia implorare debemus, parùm tamen ea iuuabunt, aut proderunt, nisi cum ijs concurrant nostra propria studia.

Cùm Barbarus Pharao iniquè acciperet discessionem Israëlitarum, plurimis curribus, & magno equitum, peditumque armatorum exercitu eos insectatus fuit, vt vinctos, captiuosque sub iugum pristinæ seruitutis per vim reduceret. Venit ergo rex cum suo apparatu, & horrisono strepitu militari, furens, & efferatus. Viderunt illum Israëlitæ, metuque tantùm non exanimati optabant nunquam extulisse pedem Ægypto, erigebat verò illos Moyses, & securi animi esse iubebat, dicens: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis;* Exod. 14. 14. quod ex interpretatione Abulensis eiusmodi est, ac si dixisset: *Non pugnabitis, non clamabitis, sed solùm respicietis, qualiter Deus facit magnalia in Ægyptios,* miracula nunquam audita videbitis, nec enim vel arma corripietis, vel voces aliquas dabitis, & tamen liberi, ac salui euadetis.

Ioannes Cluniacensis Serm. 25. Tom. 3. ait: *Sensui spirituali hoc applicari non potest;* velut dixisset: Quamuis nihil ferè sit in sacris literis, quod transferri ad spiritualem nostram institutionem non possit, iuxta illud Sancti Pauli: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt;* Rom. 15. 4. non video nihilominùs, quomodo illam Moysis sententiam vertere ad nostram eruditionem queam. Sed quare ad spiritualem doctrinam, & commonitionem nostram commodè adhiberi illud Moysis effatum non possit? Res ipsa id loquitur. Quid enim ait Dominus per Moysen? *Ego pugnabo, & vos tacebitis,* ego tota triumphi, quem reportabitis, causa

ero, sic vt vos nihil laboris huc conferatis, & ne voces quidem dare opus habeatis. Dicit nunc Ioannes Cluniacensis: *Sensui spirituali* (illi quem hoc capite persequimur) *hoc applicari non potest.* Putare enim quòd in conflictibus animæ, dum pugnamus cum nostris capitalibus hostibus, qui nobis, ne in æternæ gloriæ terram promissam ingrediamur, obsistunt, Deus solus & dimicaturus, & omnia facturus sit, sic vt nos tanquam muti taceamus, nihilque vel loquamur, vel agamus, neque studia nostra ad merita passionis illius adiungamus, notoria deceptio est, & manifesta stultitia.

Cōmodum huc venit illud Ecclesiastici 40. v. 30. *Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus, alit enim animam suam cibis alienis.* Græcus sic vertit: *Non est vita eius in æstimatione, reputatione, computu vita,* ac si dicas, *talis vita non est æstimanda, & censenda vita, sed mors potiùs,* inquit Cornelius à lapide. Tigurina translatio ita habet: *Viri mensam alienam spectantis vita non est pro vita deputanda.* Biblia Complutensia legunt: *Vir respiciens ad alienam mensam, non habet vitam in ratione vitæ. Syrus ita reddidit, qui sperat in mensam alienam, nemo reputauit viuum.* Horum omnium vna est sententia, nauci faciendam esse vitam, quæ à mensa dependet aliena, & suam sibi aliunde velut mendicatò parat alimoniam. Vita enim, quæ aliorum nititur beneuolentiá & liberalitate, *non est pro vita reputanda,* aptiùsq; mors nuncupatur. Tantundem dicere possumus in rem præsentem. *Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus.* Christianus, qui meritis præfidit alienis, qui spem suam in pœnitentijs, macerationibus, inedijs aliorum positam habet, neque ipse collaborat, *non est vita eius in cogitatione victus,* non ille cogitat saluari, aut si cogitat, malè, & stultè præsumit, quamdiu enim non studuerit, & vsus fuerit operibus proprijs, parùm commodi habebit ex alienis.

*Parte 2. Politici lib. 3. c. 4. prolixiùs, feliciùsque hanc rem tractat. Ibidem ad finem inuenies alia loca adscripta ex vtroq; Tomo priore, vbi in eodem argumento versatur.*

## CAPVT V.

*Non est honorificum, & gloriosum à nobilibus, & gloriosis parentibus esse oriundum, nisi nobiliter viuas, & generosis operibus studeas, quisq; enim suarum actionum est filius.*

ITaque festum epulum illi diei seruatum fuit, quo puer Isaac ab vberibus maternis abdicatus: *Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Ratio huius, quam ex Sancto Augustino, Caietano, Pererio adduximus, aptè huc cadit. Neque natalis, neque circumcisionis dies Isaaci, sed ille tantùm splendido conuiuio magnificè celebratus fuit, quo puer ab vberibus auulsus, quòd per se ambulare, & victitare soleat homo, cùm in eam ætatem adoleuit. *Huius autem introducendæ consuetudinis, congruens fuit ratio, nempè vt cùm infans comedere per se inciperet, tunc id communi multorum conuiuantium lætitiâ celebraretur,* inquit Pererius. Cùm lac puero maternum subtrahitur, tunc festa rectè instituuntur epulatum gaudia, quando scilicet maturi homines esse incipiunt, vt qui per se cibum sumere, & hac, illacque ire possunt. Hinc intelligimus, verum totumq; gaudium liberorum non esse positum in virtutibus & pijs actionibus suorum parentum, sed in ijs, quibus ipsi operam nauârint. Quæ enim ipsi benè agunt, hæc illos nobilitare, hæc facere illustres debent. Nam cùm suorum operum quisque sit filius, vt communi fertur adagio, & sibi quisque genus faciat, ad gloriam, siue infamiam, ad honorem, siue dedecus parùm facit origo parentum. Quare Sanctus Petrus Damianus lib. 7. epist. 14. ait: *Friuolum est proauorum iactare titulos.* Si quis vacuus est virtutibus, & omni egregiorum facinorum decore nudus, næ ille vanè, ac ridiculè gloriatur inclytorum maiorum suorum præclarè gestis, victorijs, triumphis? Quid refert, quòd quis dicat, se descendere à Guzmannis, Mendozijs, Sandoualijs, Cerdis, Osorijs, Pimentelijs, Zunigis, Enriquijs Velascijs, Figuerois, Cardenijs, Cueuis, Riberis, Poncijs, si ille talis est, vt infamis vitæ contaminatis moribus omnem obscuret suæ regiæ originis splendorem, si velut vilis teredula radicem tam illustris trunci radit, vitiat, corrumpit, quem ab illustri familia quidem venire, sed tanquàm fugitiuum, dicemus.

Duos exploratores à Iosue ad terram, vrbemque Iericho ablegatos sacra illius historia c. 2. v. 1. his verbis narrat: *Misit ergo Iosue filius Nun de Setim duos exploratores in abscondito.*

Magnus Hispanus noster Arias Montanus notauit hîc, quòd Iosue hoc in loco vocatus fuit filius Nun, deinceps verò vsque ad diuisionem terræ promissionis, & felicem obitum suum non ampliùs ita appellatus, quando distinctio, & ordo rerum postulabat vt iterum filius Nun diceretur. Ariæ verba sic habent: *Misit Iosue filius Nun, hoc est, dum adhuc filius.*

*tius: Nun cognominaretur, neque suo nomine magis, quàm paterno cognomine clarus esset. Postquàm verò iam imperator publicè declaratus, atque susceptus, & salutatus fuit, ita clarus, celebrisq; propria dignitate, perpetuò deinceps Iosue appellatur, nullâ patris mentione factâ.* Cùm nihil adhuc memorabile patrasset Iosue, à patre cognominatus, & *filius Nun* dictus fuit: At postquàm dux populi supremus renuntiatus, & strenuorum operum luce splendescere cœpit, iam de proprio nomine tantùm, nullâ patris factâ mentione, designatus, & Iosue solùm vocatus fuit, tanquam dictum fuisset: Deinceps Iosue non vt sui patris, sed vt operum suorum filius considerari, haberiq; debet: *Clarus, celebrisque propria dignitate perpetuò deinceps Iosue appellatur, nullâ patris mentione factâ.* Parùm prosunt filijs opera parentum, cùm ipsi suorum operum sint filij.

Habet titulus Psalmi septimi aliquid difficultatis, quod excutiamus, spectatque ad genus, & prosapiam Chusai, vel Chusi. Titulus hic de illo quidpiam affirmat, quod contradicere videtur his, quæ in libris Regum narrantur. Inscriptio Psalmi, quem dixi, sic habet: *Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusi filij Iemini.* Secundi verò Regum c. 16. v. 16. dicitur: *Cùm venisset Chusai Arachites amicus Dauid ad Absalom, locutus est ad eum.* Itaq; in Psalmis vocatur Chusai filius Iemini, in historia Regum filius Arachi. Quomodo rectè accipiemus illa tam distincta, & diuersa nomina?

Euthymius iubet indagare significatum nominis Iemini, atque inde accipere dubitationis declarationem. Quid ergo sibi vult Iemini? Respondet Euthymius: *Iemini dextera interpretatur.* Dextera autem sagacitatis, solertiæ, industriæ, & discretionis est symbolum. Chusai prudentia, & industria, & dexteritas tanta fuit, vt per illam dissipauerit machinationes omnes proditoris Absalom, totique regno pacem attulerit, & Dauidis iniuriam vltus fuerit. Nisi consilium Chusai obtinuisset, magna hominibus, rebusque omnibus vastitas allata fuisset. *Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel,* dicebant Absalom, omnesq; illius consiliarij 2. Reg. 17. 14. ex quo factum fuit, vt regnum quiete potiretur, & Dauidi pristinus suus splendor rediret. Cùm ergo tanta esset dexteritas, tanta solertia, sagacitasque Chusai, deinceps filium Iemini, & non de patre Arachitam nominare voluerunt. De quo Euthymius ita: *Ab huiusmodi strenuo opere appellationem hanc Chusi consecutus est, vt Iemini filius diceretur, siquidem Iemini dextera interpretatur.* Cùm quisq; suorum operum sit filius, & illud tam sagacis consilij factum valde insigne, & memorabile fuerit, obliti homines nomen patris Arachi, putârunt illum vocandum filium Iemini, siue dexteræ, industriæ, solertiæ, magis enim nobilitant præclara facta propria, quàm sanguis illustrium auorum. Propterea dicit Euthymius: *Mos est scripturæ sacræ ab studijs, tanquam à parentibus filios nominare, veluti filium pacis, filium sapientiæ, filium perditionis.* Est enim quisque suorum operum filius, adeòq; ab illis appellationem suam trahit magis, quàm à patre, qui genuit.

Non importunum huc veniet quoddam Onosandri consilium, qui suadet in electione supremi militum ductoris merita illius, cui hoc officium demandandum est, expendere, quæ verò à maioribus illius gesta sint, non inspicere. Verba eius in Stratagematis c. 1. sic habent: *Nam & gentilem quoque, siue maiorum virtutem amare licet præsentem, nefas quærere absentem, aut huius tantùm gratiâ, & fauore dignos imperio existimare. Vt autem animalia, quorum strenua opera est, generosa dicimus, sic generosi homines ex sua, propriaque, non aliena, aut adscititia virtute iudicandi. Amentis enim est, quod præclarè à maioribus gestum sit, inspicere, nec quid ipsimet eligendi præstare possunt, expendere.* Ex his ita pronuntiamus, neminem debere curare vel natale solum, vel truncum, ex quo pullulauit, vel maiores, à quibus sanguinem accepit, nisi ipse talis sit, vt ab illis ducere originem meruerit: Actiones enim propriæ sunt, quæ verè existimationem, dignitatemque conferunt, quisque enim suorum operum est filius, siue bona ea sint, siue mala; ac propterea homini probo parentes improbi nihil derogare, neque scelerato famam conciliare gloriosam aui illustres possunt.

*De vera nobilitate inuenies plura in 1. p. Politicì cœlorum lib. 2. c. 3. & alijs in locis ad finem illius c. adscriptis.*

## CAPVT VI.

*Cùm in nostra potestate sit facere nobis genus, & excitare domum, neminem contristare obscuritas, & vilitas maiorum, ex quibus oritur, debet.*

HOc capitulum necessariò sequitur ex præcedente. Nam vt multis honorificum quidem est, quòd ex illustribus parentibus oriundi sunt, ad veram tamen nobilitatem parùm facit, nisi maiorum suorum esse similes studeant, & nobilitatem illam generosis moribus testatam faciant. Ita nonnullis adferre mœrorem potest, quòd cum animo ad proa-

uos suos recurrunt, ex viris obscuris, abiectis, tenuibus, mendicis se natos vident. Verùm vt hos consoler, tristitiamq; omnem illis adimam, volo vnumquemque monere, quòd in potestate cuiusque positum est, facere seipsum magnum, clarum, illustrem, & generosum, sic vt nihil illum suorum fuligo maiorum obscuret. Nam si præclara facinora edat, si heroicarum virtutum exercitationi studeat, si opera strenua tractet, peculiare sibi genus faciet, & prosapiam singularem, & stirpem propriam, quâ & parentum suorum obscuritatem illustret, & posteris omnibus splendorem adferat.

Salomon Ecclesiastæ sui c. 3. v. 2. ait: *Tempus nascendi, & tempus moriendi.* Cùm omnia tempus habeant, certè ijs tam communibus rebus, natiuitati, dico, & morti suum deesse tempus non poterat.

Sanctus Gregorius Nyssenus homil. 6. in Eccles. ait, hæc non de corporali tantùm, verùm etiam spirituali natiuitate, & morte accipienda. Quomodo ergò intelligemus illam mortem, & natiuitatem, ortum istum, & occasum? Respondet Sanctus Doctor, esse quandam mortem, & natiuitatem, quæ in hominum potestate, & arbitrio sit posita. Verba illius ita habent: *Nobis ipsis quodammodo patres sumus, quando per bonum animi institutum, liberumq; arbitrium nosipsos formauerimus, & genuerimus, & in lucem ediderimus.* Quod ergò Salomon ait: *Tempus nascendi*; tale est ex interpretatione Nysseni, quale si dixisset: Si quis fortè queritur, quòd ex ignobilibus, obscuris, infimis parentibus descendat, non proptereà lugeat, neque consternatur animo, aut quidquam doleat, vt qui cum diuinæ gratiæ opitulatione ipse sibi nouum virtutum, & bonorum operum genus excitare possit, quo & naturalis familiæ, stirpisque vilitatem tegat, & illustret nebulam. Verum enim genus, & antiquissima nobilitas ea est, quæ à virtutibus descendit, quoniam *nobis ipsis quodammodo patres sumus*, & in nostra potestate situm est, vt multa virtutum heroica opera edentes, gloriosissimam propagemus posteritatem, & nobilissimam successionem.

S. Hieronymus obseruauit, quod & vos omnes aduerteritis, in diffusa illa, prolixaque recensione maiorum Redemptoris nostri Christi quatuor mulierum fieri mentionem, quæ fuerint peccatrices. Eæ sunt Bethsabee, Thamar, Ruth, Rahab. *Notandum*, inquit ille, *in genealogia Saluatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas Scriptura reprehendit.* Et verè sua habet momenta, quòd tantus Doctor expendendum putauit. Quid verò est, quòd Saluator noster ex prosapia nasci voluit, in qua & mulieres non paucæ fuerunt flagitijs insignes, & viri multi multis sceleribus cooperti, qui poterat sibi homines, ex toto mundo intaminatissimos, integerrimos, sanctissimos deligere maiores, ex quibus nasceretur, postquàm semel illi constitutum fuit naturæ suæ diuinitatem nostrâ humanitate tegere, & carnem nostram in consortium suæ personæ admittere?

Euthymius in c. 1. Matth. respondet huic quæsito dicens: *Per talia docemur, non de progenitorum peccatis, sed de proprijs erubescere, neque de maioribus gloriari, sed propriæ curam habere virtutis.* Quòd ergo Dominus non dedignatus est ex ijs maioribus suam temporalem ducere originem, qui vitam in peccatis duxerunt infamem, hoc fecit, primùm vt nos moneret, quàm parùm damni ac turpitudinis nobis adferre maiorum nostrorum malefacta possint, dum eorum modò turpia vestigia non consectari velimus, deinde vt instrueret, quòd parùm nobis prodesse illustria clarissimorũ auorũ gesta queant, si nos tanquã viles, & nothi deflectamus ab itinere, quod illi tenuerunt, & ab eorum virtutibus degeneremus. Nam cùm ipsi nobis prosapiam peculiarem nostris operibus faciamus, in nostra potestate est nostra infamia, in nostro arbitrio nostra nobilitas.

Sanctus Iob de impijs ex translatione LXX. Interpretum c. 21. v. 8. ait: *Semen eorum secundùm animam, filij eorum in oculis.* Hanc versionem secutus Sanctus Ambrosius quærit, quidnam hoc sit generationis, & posteritatis, de qua exemplar patientiæ ait, & animã suam habere originem natalem (*Semen eorum secundùm animam*) cùm tales prosapias non nôrint genealogi, qui nobilium familiarum fontes indagant, & primordia inuestigant. Respondet Sanctus Doctor, sanctam, & castam esse, atque ex electione, libertateque nasci eam prosapiam, qua de Beatissimus Iob loquitur. *Filios ergo Scriptura pro operibus frequenter vsurpat, eò quòd locupletior in factis, quàm in filijs sit nostra posteritas*, inquit ille lib. 2. de interpellat. Iob. c. 4. Posteritas itaque, & successio, de qua hîc Iob agit, ab anima descendit (*Semen eorum secundùm animam*) suntque opera seu bona, seu mala, quæ facit homo. In sua anima habet quisque aliud solum, in sua anima habet alium locum, in quo sibi excitare possit nobilissimam domum, & fundare generosissimam nobilitatem. Ergo non magni facienda domus, ex qua quis originem ducit, cùm perfacilè sit vnicuique, sibi ipsi genus facere, & posteritatem.

Philo Iudæus obseruauit, quòd Textus sacer, cùm

genus inclyti Patriarchæ nostri recensere institueret, magno verborum compendio ad eam narrationem vsus fuit. Sic nimirùm habes Genes. 11. 27. *Hæ sunt generationes Thare. Thare genuit Abraham, Nachor, & Aran.* Quàm citò retraxit diuinus historicus calamum, quo ad scribendam genealogiam Abrahæ vtebatur! *In tantum autem Scriptura magni fecit hunc virtutis amatorem, vt in stemmate eius non more aliorum auos, proauos, maioresque cæteros, siue paternos, siue maternos recenseat*, inquit ille lib. 1. de Abraham. At quàm parcus in maioribus illius indicandis, tam prolixus in commemorandis, prædicandisque virtutibus eius Sanctus Moyses fuit. Notauit hoc Philo consequenter ibidem, dicens: *Sed virtutes, tantùm non disertè clamitans, nullam aliam familiam, cognationem, patriam sapientis esse præter virtutes, & harum actiones* ostendit. Docuit ergò eo mysterio, quemque hominum intra se habere genus suum, nec debere aliam diu indagari prosapiam illius, qui se studio virtutum consecrârit, & operum bonorum exercitationi tradiderit, vt cui illa sint antiquissimi, & nobilissimi tùm maiores, tùm posteri.

Secundùm hæc multùm debemus nobis ipsis, vt qui ex nobis tam facilè augescere genere, & familiam, posteritatemque pro nostro arbitratu amplissimam generare possimus. Plurimùm etiam nos fœdaremus, si turpibus actionibus obscuraremus sanguinis claritatem, & dehonestaremus, cùm vtrumq; in nostra sit potestate, de quo Sanctus Gregorius Nyssenus in lib. de vita Moysi ista: *Electione propriâ vnusquisq; nascitur, vnde fit, vt nosipsi patres quodammodo simus nostri, qualescunque nos volumus electione gignentes, & aut marem, aut fœminam victus, ac virtutis ratione fingentes, licet inquam, nobis mares nosipsos gignere, ac parentibus nostris, cogitationibus scilicet, bonis, quæ virtutem pariunt, voluptatem adferre, iucunda enim est cognatio virtutis.* Quid aptius in rem præsentem dici, aut expeti potuit? Vnusquilibet sui arbitrij filius nascitur, ex quo sequitur, quòd sibi quisque velut parens sit, & suam originem, posteritatemque, qualem vult, pro sua libidine pingat, formet, effigiet, & siue masculos bonorum operum, siue malorum fœmellas generet. Nobis datum est, excitare familiam, qualem, quantamque libuerit, in cuiusque potestate namque est, liberos, quos sibi magis honorificos putet, producere. *Electione propriâ vnusquisq; nascitur.* Ergò ne luge obscuram originem, sed cura sanctam cum virtute exigere vitam, cùm enim sis pater tui ipsius, qualem duxeris vitam, tale habebis genus, parque erit familiæ tuæ nobilitas, & operum.

## CAPVT VII.

*Cùm mores pueris quendam velut indelebilem characterem imprimant; expedit à teneris illos exercere, & erudire ad pietatem, & probitatem, vt certam spem faciamus, quòd in actionum bonarum studio per omnem vitam reliquam perdurabunt.*

ADoleuit infans noster Isaac, *cùmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham, Eijce ancillam hanc, & filium eius*; Genes. 21. 9. Oleastri annotatio moralis in hæc verba talis est: *Parentibus elaborandum est, vt non sinant pueros suos cum malis versari*, idq; propter ingentia damna, quæ ex malorum consuetudine accipere possunt, tam enim tenaces sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, illaque tam profundas in anima radices agunt, vt velut impossibile videatur ea deinceps obliuisci, vel abijcere.

Theophylactus cùm suis commentationibus Euangelium Sancti Ioannis illustraret, & ad illa verba peruenisset, quæ Saluator noster de Iuda loquutus fuit, videtur indicare defuisse animo, vt præ deliquio illius persequi expositionem cœptam non posset. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est!* inquiebat Dominus Ioan. 6. 71. Vbi Theophylactus: *Admirare autem, quòd diabolus in tantum infestus est, vt potuerit etiam vnum ex duodecim abripere, qui suscitabant mortuos, & faciebant miracula, & fruebantur spirituali, & viuificâ doctrinâ Domini*, & quis non obstupescat videns, tantum odij sui pertinaci contentione potuisse infensissimum dæmonem, vt transuersum ageret, & in propudiosissimum flagitium abduceret quendam è medio choro, & collegio thaumaturgorum Apostolorum, qui cùm prodigiorum suorum magnitudine, ac frequentiâ mundum attonito similem redderent, etiam in sinu Christi, & sub eius sanctissima versabantur?

Quid hinc instituto præsenti opportunum eruimus? Id quod Theophylactus ibidem subiungit: *& vbi posthac salutis spes nobis, qui sponte à iuuentute nosipsos malitiæ mancipamus?* Si tanta fuit vis, potestasque mali dæmonis, vt euerteret, ac peruerteret Apostolum, qui operabatur miracula, reuocabat in vitam mortuos, semperque stipabat vitam, & fontem sanctitatis indiuiduus comes Saluatoris, quam expectare salutem possumus, qui penè simul & viue-

& viuere, & vitijs nos tradere cœpimus? Bonum est hoc argumentum, & valida ratiocinatio à maiore ad minus, & legitima consequentia. Non est magnum, quòd diabolus aliquem à puero malum occupet, qui Apostolum miraculis illustrem prosternere potuit. Hæc victoria cuidam velut miraculo tribui debet, nam quòd alium abripiat, qui ab incunabulis se vitæ sceleratæ consuetudini addixerit, nihil mirum, res enim ipsa loquitur, quòd in malis vsq; in supremam senectutem perseueraturus sit, qui à primulis annis consuetudinem malè agendi contraxerit. Quod enim teneris illis, ac blandis annis insidet, quendam velut characterem imprimit, qui vix deleri, & aboleri posthac queat.

Non possum, quin huc adducam quædam peruulgata Salomonis verba, quæ tamen cum ope insignis Paræmiarum Salomonicarum interpretis Salazar nouâ expositione dilucidabo. Dicit ergo Salomon: *Prouerbium est, Adolescens iuxta viam suã, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*; Prou. 22. 6. Quod puer terere iter cœpit, huic tam pertinaciter insistere solet, vt vsque ad incanæ senectutis hyemem studia floreant iuuentutis.

In his illud primò notandum, quod Salomon, cùm prouerbij nomine donasset omnia huius libri monita, cunctasque eius sententias, hanc etiam singulariter eodem vocabulo denotare voluit, dicens: *Prouerbium est*; ac si pluribus, & apertiùs dixisset: Quanquàm veritates, quascunq; in hoc libro trado, sunt manifestæ, & perspicuæ, hæc vna tamen, quòd nunquàm relinquuntur, quæ rudibus annis frequentari sunt cœpta, tam est notoria, tam trita, tam vulgaris, tam crebro experimento comprobata, vt videatur mundus præter hanc aliam non habere veritatem, itaque speciatim de illa etiam affirmo, *Prouerbium est*, & commune adagium, & euangelium abbreuiatum.

Litera originalis eorum verborum sic habet: *Innoua puerum ab adolescentia sua.* Commentator Salazar, quem dixi, in hæc ita habet: *Ni fallor lectio ista ad agros pertinet, qui nouari dicuntur, atque inde noualium nomen fluxit.* Quid faciendum noualibus, vt magnâ copiâ edant fructus?

Theophrastus lib. 3. de causis plant. c. 5. ait: *Cura noualium tempore vtroque suscipitur, æstate, ac hyeme, vt terra solem, ac frigora sentiat*, aruum enim, quod recens proscissum ferre solem, & hyemem, calorem æstiuum, & gelu hybernum assueuit, nullas posteà temporis iniurias sentiet. Asperum est cælorum iter, scabrumque, & confragosum, sentibus, & tribulis consitum, & multa habet, quæ proscindi, & subigi oporteat, hostesque complures, qui superari debeant, in quibus illecebrosa caro, fallax mundus, pertinax diabolus. Vt ne ergò blanda caro suis ardoribus inflammatum superet, neque fraudulentus mundus, suis fictis promissis subuertat, neque dæmon improbâ contumaciâ prosternat, inquit Salomon, *Innoua puerum ab adolescentia sua*, sic illum habe, quemadmodùm tractari noualia solent, vt fructus optatos proferant. Fac vt puer ab adolescentia consuescat flagris carnem verberare, ieiunijs extenuare, ciliciorum gestatione affligare, passionibus frænum inijcere, in duro strato somnum capere, *vt solem, ac frigora sentiat*, vt cuiuis temporum inclementiæ se exponat. Nam si à primis annis mutum seruare silentium, pauco, parabilique cibo vti, & pati inediam, & ferre flagra, & asperum stratum, austeriorisque auræ inclementias tolerare assueuerit, suauia ea illi hæc & facilia deinceps accident.

Eapropter Ieremias Propheta Thren. 3. v. 27. aiebat: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Quanquàm enim in prouectiore ætate etiam portari possit, maiore tamen cum difficultate hoc agitur, inquit Sanctus Ambrosius. Nam qui illud à teneris annis excepit, vnum tantùm laborem habet, sed qui se illi iam senex submittit, duplicem habet molestiam, & primam quidem, eamque maximam hanc, quòd pugnare cum vetere consuetudine sua debet, alteram verò, quòd nouis armis vti, & assuescere insitatis virtutibus. *Luctandum est diu huiusmodi viro, vt abolefaciat inueterata, atque diuturna*, inquit ille Serm. 2. in Psal. 118. At si tantùm temporis dare debet euellendis antiquis, & profundè radicatis moribus, si tam acriter, contentioseq; pugnandum, vt expugnet vitia, quæ arcem animæ perdiu obtinuerunt, quid illi reliquum erit, vt insitata virtutum ornamenta, sibi comparet, vel acquirat? Ergo sanum, saluberrimumq; illi, qui saluare cupit, consilium est, vt mox à puero Domini iugo sese oneret. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua*, vnum enim tantùm habet laborem, quem superet, vnum hostem, quem subigat, difficultatem, aio, assuescendi aspero iugo, & austeritate pœnitentiæ. Difficultatem autem illam paulatim, ac leuiter tollit exercitatio, & vsus à teneris vnguiculis susceptus.

Propterea singulari mysterio factum, vt notauit eruditus Salmeron, quòd Magi Christo infanti *obtulerunt aurum, thus, & myrrham*, Matth. 2. 11. Nam si myrrha significat amaritudinem pœnitentiæ,

tiæ, & thus ardorem deuotionis, Christo recens edito pupulo thus, & myrrha oblata fuerunt, vt inditio esset, quòd pueri à primis diebus, quibus sapere incipiunt, ad pœnitentiæ, orationisque studium sunt erudiendi. *Nec sine causa oblata est Christo puero myrrha à Magis, nisi vt discamus pueritiam mortificatione, & disciplinâ indigere, quià illa ætas mollis facilè, vt virga, flectitur in quamcunque velis partem, si adsit pædagogus*, inquit ille de Christi infantia tract. 5. Tenera iuuentus ceu mollis cera, & gracilis virga facilè flecti, formariq; in quamuis figuram sinit, & leuiter combibit mores, quibus vel parùm assueuerit, sic vt neque processiori ætate vir, nec grandæuus senex eos dimittat?

Cardinalis Caietanus superiora verba sic legit: *assuefac puerum*, subaudi, exercitatione operum bonorum. Verùm dices mihi: Si puer tam est immaturo iudicio, vt non intelligat, quod docetur, neque sciat, quod sit, quod agit, quomodo ille assuefaciendus, aut imbuendus? Respondet egregiè Caietanus: *Assuefac illum, quià quamuis non sit capax doctrinæ, est tamen capax consuetudinis, hoc est, vt incipiat assuescere bonis actibus, verbis, moribusque.* Et rationem subiungit: *Quià quæ primùm imbibimus, retinemus etiam in senectute.* Quanquàm puer nesciat, quid commodi adferat silentium, erudiendus tamen est ad taciturnitatem, vt quando ex vsu fuerit, linguam coërceat, & muteat. Quanquàm puer ignoret, quid boni includat auscultatio Missæ, adducendus tamen est, vt audire consuescat. Quanquàm non intelligat, quanti meriti sit, recensere ad piaculares Rosarij Mariani calculos mysteria vitæ Domini nostri, & Virginem Matrem illius cum Archangelo salutare, assuescat nihilominùs vel ebalbutire, quod etiamnum articulatè, perfectèque effari non potest. Quanquàm non sciat, quid ieiunium valeat, aut quid momenti habeant alia opera bona, assuescat tamen ijs, quià quod puer vsitatus est, id adultioribus annis per omnem vitam posteriorem suauiter, faciliter, & continuatè persequetur. Consuetudo enim à primis vitæ annis cœpta velut character est, qui per omnem ætatem reliquam quasi indelebilis sit.

Quare alia translatio habet: *Initia puerũ ab adolescentia sua.* Quid est initia? *Sacris imbue, inaugura.* Sic Ambrosius Calepinus, & Ioannes Passeratius. Ordo sacer, ex certa fidei Catholicæ doctrina, & cõmuni bonorum Theologorum sententia imprimit characterem animæ indelebilem, vt qui nunquàm aboleatur. Dicit nunc Salomon: *Initia puerum*, sacris imbue; hoc est, institue puerum ad virtutem, & bonos mores, id enim tantundem erit, quantùm si sacris quoquo modo inaugures: Vt enim in ordini sacro imprimitur character, qui nec deleri, nec eradi ab anima potest: Sic videntur puerorum pœnitissimis cordibus tam profundè immergi, quæcunque primis annis hauserunt, vt quasi euelli nequeant.

Quintillianus lib. 1. c. 2. in hanc rem dixit ista: *Naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.* Quàm eleganter dictum illud, *Tenacissimi sumus*! quo videtur indicare Quintillianus, quòd pueris tanquàm character imprimitur, quidquid illud est, quo primis annis consuescunt.

Non intempestiuè veniet, quod Euangelicus Propheta ætatis suæ calamitates deplorans clamat: *Vbi est legis verba ponderans: vbi doctor paruulorum?* Isa. 33. v. 18. velut dixisset: Perditam illam arbitror Rempublicam, quæ non habet homines, qui vel sententias legis expendant, vel adolescentulos erudiant: *Vbi doctor paruulorum?* Hæc verba apud Lucam Menapiensem alij sic transtulerunt: *Vbi numerator turrium?* Sed quid commune habent doctor paruulorum, & numerator turrium?

Magna est amborum affinitas, si benè vtrinque expendas. Qui enim alium à puero instituit, & ad virtutis studium à teneris annis assuefacit, velut turrim quandam, eamq; inexpugnabilem, & arcem inaccessam exædificat. Virtus enim, quæ in pueritia condiscitur, tam profundas validasq; in anima radices agit, vt tam ægrè euelli queat, quàm difficilè arx, aut turris in edito scopulo sita occupari potest. Ergò erudire pueros, & excitare turres, idem sunt, *Quasi paruuli ab infantia benè edocti turres sint, & tot Respublicæ defendendæ turres erigantur, quot paruuli bonis moribus instruuntur*, inquit F. Lucas Wadingus in Reg. S. Claræ, c. 2. n. 12. Hinc æstimare possunt, quibus puerorum informandorum munus ex officio incumbit, quantùm teneantur illos primis statim maturescentis ingenij diebus ad omnem probitatem, ingenuitatem, & piorum morum elegantiam fingere, ac formare. Possunt nimirùm ex his, quæ diximus, arbitrari, si aliunde fortè nesciunt, quantum sit robur, quantaq; vis, & potestas consuetudinis in teneris annis, & primula ætate contractæ.



CAPVT

# CAPVT VIII.

*Non sunt per ludum ferenda vitia, tametsi videantur ludicra, grauis enim semper est negligentia, quæ irreparabilium damnorum potest esse occasio siue causa.*

MEeritò notes, quòd sacer Textus cùm subiratam Saram narrat, indignationis eius causam aliam nullam commemorat, quàm quod *vidit ludentem* filium Ægyptiæ ancillæ *cum filio suo Isaac*; Genes. 21. 9. Fané verò re tam vehementer commoueri, & exasperari Sara debuit? Omninò debuit? Nam lusus ille, vt affirmant Lyranus, Tostatus, Oleaster, Istella, & alij, non erat alius, quàm quòd Ismael fingebat è luto paruula idola, vt paruulus Isaac ea venerari disceret, quòd tunc quidem per ludum fiebat, sed posthæc seriò fieri poterat, cùm ambo adoleuissent. Atque vt Sara sagax, & prudens erat irà citum attulit malo remedium, extinxitque scintillas, ne exurgeret incendium. Non enim debent esse ludus vitia, quantumuis videantur ludicra, ex quibus timeri possunt grandia damna, & quæ restitui non possint incommoda. *Parua enim parua non sunt*, inquiebat sanctus Ioannes Damascenus lib. 2. de imaginibus, *ex quibus magna proueniunt*, neque per iocum dissimulari debent, quæ paulatim adferre exitium possunt. Quàm hæc vera sint, experientia testis docet.

Magnus Origenes plurimùm admiratur, quòd inter alia tam varia, quàm terribilia, & dura supplicia, quibus iratus Dominus durum Pharaonem, barbarosq; Ægyptios castigauit, etiam sciniphum plaga fuit, de qua Exodi 8. v. 16. sic dicitur: *Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ, & sint sciniphes in vniuersa terra Ægypti.* Extendit Aaron manum cum illa tot prodigiorum opifice virga, & ingentia extemplò schiniphum examina in hominibus, & iumentis orta sunt, omnisque puluis in id genus animalcula versus per omnem Ægyptum fuit. Hæccine plaga dici bebuit? inquit Origenes. Hæccine nomen terribilis pœnæ meruit? Quòd atræ, densæque, & palpabiles tenebræ totam obscurârunt Ægyptum, quòd aqua in sanguinem versa est, quòd cœlum immugijt, & fulgurauit, velut totam igne, & fulmine vastare terram vellet, quòd tanta strages illata pecoribus, quòd primogenita omnia non iumentorum tantum, sed & hominum contrucidata, vt nulla esset sine funere domus, hæc supplicia appellari horribilia meritò possunt, & porrò debent. Sed quid in his numerentur etiam schiniphes, tantillulæ musculæ, quæ tamen si non attulissent grauissimum, terribilissimumque cruciatum, in catalogo horribilium plagarum cum cæteris recensitæ à Spiritu sancto non fuissent? Quid habent schiniphes, vt ex earum proprietatibus conijciamus mysterium?

Origenes homil. 4. in Exod. ait: *Hoc animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans, sed ita subtile est, & minutum, vt oculi visum, nisi acutè cernentis, effugiat, corpus tamen, cùm insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita vt quem volantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.*

In his notate illa, *Acerrimo terebrat stimulo*, & acerbissimam plagam infligit. Quis hoc cogitare potuisset, quòd tantillum animalculum tam cruciabiliter fodicare, & sauciare valeret? Ille hoc testari potest, qui inuitus, nolensque expertus fuit. Vt ergo videamus, quantâ curâ, & vigilantia propulsare à nobis vitia, quæ minima videntur, debeamus, quàm solicitè, & studiosè fugitare peccata, quæ apparent ludicra, & exigua, propterea numeratur sciniphum plaga in alijs immanioribus, & atrocioribus Ægypti; quia sæpè ex peccato, quòd sciniphus, aut muscula videtur, elephas nascitur, quem posthac fortè subigere non possimus, & ex dolore, quem hic de musca genitus elephas adferre solet, æstimare possimus, quanta fuerit plaga prioris leuis, ac minutulæ culpæ, quæ per nostram oscitantiam subingressa lamentabilium posthæc tragœdiarum est causa: *Quam volitantem quis videre non valeat, sentiat stimulantem.*

S. Petrus Damianus videtur auscultasse Origeni, quando serm. 73. ait: *Parua quidem cinipes superbi Pharaonis, & totius Ægypti superare virtutem.* Docemur tali exemplo, ne ludum habeamus parua errata, neque eas culpas quas parùm scrupulosi, & qui sunt laxiore conscientiâ, ineptias, & longos logos, & pueriles nænias vocare amant, quæ tametsi grauia infligere damna nequeant, ob hoc tamen cauendæ summoperè sunt, & abolendæ, quòd grandibus incommodis fores aperire soleant.

Dæmon quidam tam ferox, & sæuus, vt domare illum nemo posset, aduenientem procul inde Dominum vix senserat, quando ad pedes eius affusus magnis vocibus succlamauit: *Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas*; Marci 5. 7.

Cardinalis Caietanus in eorum verborum expositione ait: *Fingit dæmon, nihil sibi commune esse, & Christo, hoc est, nihil negotij habere cum eo, cùm tamen multùm*

*multùm negotij cum eo haberet, tentando*, & explorando, vtrum esset filius Dei, vt inde occasionem lacessendi illum pertinacissimo, & sanguinolentissimo bello haberet. Quando malus dæmon dicit, nihil commertij habere cum Christo, quando dicit, nolle habere quidquam negotij, tunc dolos struit, & negotia machinatur pernitiabilissima. Affirmat, exigui momenti reculam esse, quâ de cum Christo communicare velit, atque interim grauissimum bellum meditatur, Christoque adornat: *fingit dæmon, nihil negotij habere cum Christo, cùm multùm negotij haberet cum eo, tentando*. Habet hoc consuetudo dæmonis perpetua, vt extenuet errata, diminuat de mole, & pondere peccatorum, nosque fascinet, vt eadem tanquàm ludum habeamus, atque ità nos crudeli bello infestet. Quare peruigiles viuere debemus, & cogitare, quòd ex neglectu minimarum imperfectionum toti montes damnorum irreparabilium exurgere soleant.

Huc facit, quod eminentissimus Cardinalis Ostiensis sanctus Petrus Damianus serm. 73. ait: *Breue tempus est hora, sed dum hora horæ continuâ successione coniungitur, totius vitæ nostræ cursus impletur.* Tantundem in leuibus istis culpis accidit, inquit Damianus. Vnaquælibet per se solam incommodare nihil potest, sed tam possumus esse oscitabundi, earumque negligentes, vt dùm illam hodie, cras hanc susque deque habemus, paulatim anima nostra ità intepescat, vt omne virtutis studium deponat. Itaq; de omnibus curandum est, sic vt nullum sit tam exiguum vitium, quod non pertimescamus, idque propter damna, quæ redundare in animum ob eius neglectum possunt.

Facultatem, quacum discipulos suos ad prædicandum in mundum Christus emisit, commemorat beatus Lucas c. 10. v. 19. vbi Dominum ità loquentem inducit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes, & scorpiones.* Et Propheta regius loquens de iusto ait in Psalmo 90. v. 13. *super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.*

Sanctus Gregorius Nyssenus ait, quòd de iusto dicitur, ambulaturum super aspides, & basiliscos, id otiosum videri, cùm de eodem affirmetur, quòd leones, draconesq; conculcabit. Sic & superuacaneum videtur, quòd discipuli feruntur calcaturi minores scorpiones, qui maiores serpentes pedibus protrituri dicuntur. Nam cùm aspides, & basilisci, & scorpiones animalcula sint exigua, accepisse in hæc potestatem, non videtur res tanta esse, vt de ea nos tantoperè commonere Propheta debuerit, quòd facit, cùm ait: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis.* Quid ergo sibi vult illa tam ampla in scorpionem potestas?

Respondet Nyssenus homil 5. in Cant. *Similiter conculcantur leo, & draco, qui eminent, atq; serpens, & scorpius, qui videntur inferiores, in omnes ex æquo plantam immittit, hac & fugans, & ab his ad alia transiliens*, tanquàm apertiùs dixisset: Non est cur ludum putemus culpas veniabiliores, & minutiora peccata, quià scorpij, aspides, basilisci, animalia exigua, ità calcari iubentur, vt serpentes, dracones, leones, quæ & corporis mole, & magnitudine ferociæ excellunt, soloque aspectu inijcere horrorem solent, *In omnes ex æquo plantam immittit.* Contrà omnia miles Christi armatur, nulla tam est exigua culpa, quæ non sollicitare illum, nullus tam modicus defectus, quem non magno studio cauere debeat.

Vna quippè scintilla totum sæpè depasta montem fuit, & paruus viperæ morsus lethalem pestem nonnunquàm peperit. Monet hoc S. Gegorius Magnus Magni Basilij amicus, dùm hic canit:

*Scintilla magnam parua flammam concitat,*
*Semenque pestem vipera sæpè attulit.*
*Id cùm scias, vel paruulam labem fuge,*
*Discrimen ingens namque gignit paruula.*

Quicunque nôsti, quàm ingentia mala nasci è paruis soleant, inquit magnus ille Theologus, caue, caue ea, sunt enim scintillæ, à quibus vasti conflagrare montes, semina sunt, vnde proceræ, opacæ, prolixæ exurgere arbores soleant. *Vel paruulam labem fuge, discrimen ingens namq; gignit paruula.* Quot domus incendio sunt absumptæ propter vnam in foco relictam, neglectamque scintillam? Quot animæ perierunt, quia parua non statim excluserunt, atque emendârunt errata, quæ cùm ineptiæ reputarentur, maximorum, & grauissimorum occasionem damnorum posteà præbuerunt? Quàm multi cùm non paucis iàmentis fatebuntur huius doctrinæ veritatem, & necessitatem, qui plurima sæpè nec qualiacunque mala incurrerunt, eò quòd leuioris notæ errata non fugitârunt, neque fores peccatis minoribus oppessulârunt?

*Vide in Secunda parte Politici cultorum lib 8. cap 5. & loca ad finem illius ex alijs Tomis appressa, vbi similis hortus colitur.*

# LIBER XI. VITÆ ABRAHAM.

## CAPVT I.

*Languidus, & remissus, & ignauus operarius est, cuius plura opera plus vno non valent, ille verò robustus, & strenuus, cuius vnum opus pluribus par est.*

PEruenimus iam ad factum omnium, quotquot vel in voluminibus temporum, vel in annalibus sæculorum, vel in sacris oraculis Scriptores, & historiæ referunt, memorabilissimum, prodigiosissimum, portentosissimum. Ingressi sumus, inquit Chrysostomus, vt videamus sacrificium maximè nouum omnium, quæcunque aræ aliquando imposita sunt, & oblata, in quo (mirùm!) pater *sacerdos pueri factus est*. Quis vnquàm vidit patrem, qui pro solius Dei obseruantia eximeret gladium, manusque & pedes alligaret filio, vt eius sanguinem funderet, illumque Domino victimam mactaret? Hic hic est, vbi vnus Abraham vicit Iephte, superauit Codrum, excessit Brutum, transcendit Decios, & quod oppidò maius est, ipsum adeò Dominum, qui operis autor fuerat, velut admirabundum, & attonito similem reddidit, vt diceret: *Quia fecisti hanc rem*; Genes. 22. v. 16. vbi Oleaster in annot: moral. ait: *Hic Dominus non solum opus commendat, sed tanti facit, vt nomen, quo laudis, aut operi imponat, non inueniat.* Vidit Deus ingentes senis patris animos, vidit pectus, cui non certum exequi iusso, vt ad cædem iam constrictum, saxoque impositum haberet filium, illum vnigenitum, illum tenerrimè, & vnicè charum, illum, in quo gloriosæ posteritatis spem omnem repositam haberet, simul autem atque hoc vidit, velut obstupuit, & dixit, *Quia fecisti hanc rem*. Tam longè namque prætergressus fuit, inprimis quidquid illud ab humanis viribus expectari possit, vt ipsum Deum videantur destituisse verba, quibus factum illius satis declaret, & pro dignitate extolleret. Hæc est quædam earum actionum, quas strenuus Christi miles inprimis imitari debeat. Insigne hoc inclyti Patriarchæ nostri facinus quædam velut summa est omnium illius præclarè gestorum, & quòd acta illius cætera velut obscuret, & vnum plurium instar sit. Hæc sunt opera, quæ vehementiùs appetere, & æmulari enixiùs debeamus: Nam multa facere opera, quæ vix vno sint digna, ignaui, & remissi animi est, generosi verò & magnifici pectoris, vnum aliquod agere, quod valeat quantùm plura.

De Salomone refert sacer Textus, habuisse mille vxores, cùmque de liberis eius agit, ait tres tantùm genuisse, in quibus duæ filiæ, filius vnicus. Hoc secum reputabat Suidas, quando verbo *Salomon* cum admiratione aiebat: *Ex mille vxoribus solus illi mas natus est Roboam filius, & ipse ex aliena Naama Ammanitide.* Hic rei ieiunitas, & exilitas admirationem non paruam gignit, maiorem autem pareret, si peperisse mille filios matrem vnam audiremus. Nam facere opera multa, quæ ad pretium vnius operis vix accedant, magna operandi remissio est, sed vnum aliquid tam enixè, affectuosè, ardenter, ac studiosè agere, vt valeat quantùm multa, is præstantissimus, & laudabilissimus agendi modus est.

Oecumenius obseruauit aliquid dignum, vt ego quidem arbitror, notatu, & consideratu, nimirùm, quòd Euangelistæ varia Christi ante mortem patrata miracula narrent (de quo S. Petrus quidem Actor. 10. v. 38. ait, quòd *pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo*, alij verò referunt excitasse mortuos, illuminasse cœcos, curasse ægros, malisque, & infirmitatibus omnibus medicatum fuisse) non tamen leguntur aliquod commemorasse prodigium, quod fecerit, postquàm seipsum suæ diuinitatis brachijs ex funesto sepulchro in gloriosam, & triumphabundam vitam erexit, vi propriâ factus rediuiuus. Oecumenij verba in cap. 10. Act. Apost. sic habent: *Non signum aliquod post resurrectionem fecit.*

Quid causæ esse queat, quòd pius & potens benefactor tam stupenda, & innumera miracula fecit, quando in carne passioni, & morti obnoxia etiam dùm vixit, demùm verò manus à signorum operatione auocauit, cùm à morte per dies quadraginta cum discipulis familiariter conuersatus fuit? Destituitne illum potentia? Nequaquàm. Immò verò valentior quodammodò resurrexisse videtur, postquàm mortem subegit, strauit dæmonem, omnesque præclarissimi

clarissimi nominis sui hostes superauit. Cur ergo inclytus victor nullum per id tempus prodigium fecit?

Respondet Oecumenius: *Resurrectio ipsa satis magnum miraculum fuit.* Quòd supernus Magister nihil signorum post suam resurrectionem fecit, id non accidit, vel quòd potentia illum destituerit, vel imminutæ fuerint eius vires, sed quòd resurrectio ipsa ad commendandam ipsius magnitudinem, & fidem diuinitatis adferendam abundè sufficeret: *Resurrectio ipsa satis magnum signum fuit.* Quod enim vnquàm aliud tam inauditum miraculum, tam nunquàm visum prodigium, quàm quòd seipsum tam gloriosè excitauit, qui vili in patibulo tam propudiosâ morte defunctus fuerat? Hoc miraculum tam rarum, vt postremum, sit & epitome, & breuiarium omnium fuit. Hoc opus tale fuit, vt vnum valeret, quantùm multa, quo vitæ mortalis actiones omnes, & illustria facinora, & acta quæcunque egregiè, insigniter, & magnificè comprobauit, & confirmauit. Hic est clarissimus operandi modus, facere vnum, quod par sit multis, & vno miraculo plura complecti; facere autem multa, quæ vix vnum exæquent, magna ignauia est, & languentis animi remissio.

Acutè notauit Philo, quòd Deus, cùm promitteret Abrahæ mercedem, quam illi pro relicta ex ipsius iussu patria dare vellet, hoc vnum in multis alijs præmium ei designauit: *Faciam te in gentem magnam*; Genes. 12. 2. tanquàm dixisset pluribus: Ne verearis exulare à patria, ego namq; omnia possum, scioque abundè remunerare, quæ mihi cunque exhibentur officia, ac faciam, vt magnæ gentis patrem omnis te posteritas admiretur. Philo lib. 1. de vita Abraham ait: *Non sicut ordo verborum poscere videbatur, multam multitudinem, sed magnam dixit.*

Cur verò sic locutus est ex Spiritu Sancto Scriptor sacer? Respondet Philo: *Sciens multam per se imperfectam esse magnitudinem, nisi accedat vis intelligentiæ, scientiaque. Quid enim prosunt multæ contemplationes, nisi singulæ conuenïens incrementum accipiant? Nam ne ager quidem probatur, in quo innumeræ plantæ sunt humiles, nulla verò stirps satis exculta, quæ tam fructum proferre possit.*

Quàm admirabilia in his illa, *Quid prosunt multæ contemplationes, nisi singulæ conuenïens incrementum accipiant?* Videtur mihi Philo, cùm talia diceret, defixos habuisse oculos in huius nostri tristis, & miseri sæculi tepidos, frigidos, gelidos, ignauosq; Christianos. Quid vtilitatis habet, crebras ore fundere salutationes angelicas, & plurima orando exsoluere Rosaria, si id tanta cum desidia, & mentis euagatione fiat, vt mille Aue Maria, & Rosaria non valeant quantùm vnum Aue Maria, & vnum Rosarium attentè, deuotè, perfectè, recitata? Quid commodi adfert recitare Horas canonicas, & per omnes vitæ dies dicere Missam, & sacram synaxin frequentare, dare orationi horam vnam, & multas, idque semel, & sæpiùs, si tanta cum animi distractione omnia fiant, vt ex tam crebro sacramentorum vsu, tam frequente Missarum auscultatione, Horarum canonicarum, & Missæ recitatione, orationis exercitatione non plùs fructus sequatur, quàm si nihil horum vnquàm fieret? *Quid prosunt multæ contemplationes, nisi singulæ conuenïens incrementum accipiant?* Non dico ego, vt nihil eorum, quæ iam dixi, fiat, ità tamen sentio, quòd ex ijs non tantam accipiunt homines, vtilitatem, quantam Dominus ab eiusmodi operibus requirit. Nonné videtis, summam rei non in eo positam esse, quòd multa bona opera fiant, cùm vnum opus bonum aliquando valeat, quantum multa?

Sacer Rauennatum Archiepiscopus Sanctus Petrus Chrysologus serm. 86. obseruauit modum peculiarem, quo beatus Lucas describendum putauit, quòd Zacharias, & Elizabeth fuerint improles. Id verò his verbis executus est: *Non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processerant in diebus suis*; Lucæ 1. 7. Sancti coniuges erant, sed illiberes, præterquàm enim, quòd sacra vxor à natura sterilis esset, ex senio etiam infœcundus vterq; erat. Chrysologus inquit: *Non dixit, non erant illis filij, sed non erat illis filius.* Mos loquendi hodiernus, id habet, vt cùm quis absque hærede successore decedit, dicatur, *absque liberis mortuus est*, aut *nullos habuit ex eo matrimonio liberos*, semperq; in numero plurali rem eam efferimus. Cur ergo Euangelista communem illam, triuialemque loquendi consuetudinem deseruit, inquiens, *Non erat illis filius*, quando videtur dicere debuisse. *Non erant illis liberi*, vt receptam passim dicendi formulam non prætermitteret?

Respondet Chrysologus vbi suprà? *Vt in filio singulari tota fœcunditas pensaretur, quando in vno nascebatur numerositas congesta virtutum.* Hoc est, quod dicit: Quod Lucas ait, quòd parentes Baptistæ absque filio erant, id singulari cùm mysterio dixit, vt nos doceret, non esse omnem felicitatem in eo positam, vt quis multos numeret filios, qui plus vno non valeant, sed hanc esse eximiam beatitatem, si cui vnicus sit filius, qui multos exæquet, in quo vno

no ſit *numeroſitas congeſta virtutum*. Si habuiſſent multos filios Zacharias,& Elizaberh, & quiſque eorum vnam aliquam Ioannis virtutem, ſeu prærogatiuam obtinuiſſet, eamque conſummatiſſimam, abſolutiſſimam, & in ſummo, vt aiunt, gradu, non tam laudabile eſſet, quàm honorificum, quòd vnus ſolus tantum præſtantiſſimarum gratiarum cumulum, tamq; ingentem incomparabilium donorum copiam habuit. Ergo operandi magnificentia non in eo poſita eſt, quòd quis multos liberos habeat, aut effectus plures cauſa vna producat, ſi omnes exigui ſint ponderis, ſed in eo, quòd quis eâ animi intentione, & contentione illos faciat, vt vnus valeat quantùm plures.

Hinc factum èſt, vt magni Patriarchæ noſtri inclyta actio tam celebris haberetur, quæ cætera illius quantumuis illuſtria facinora non ſolùm longè tranſcendit, verùm etiam plurimùm ſuo lumine obſcurauit, cùm ipſa, quanquàm vna, nomen multarum commeruerit, & reportârit.

Sanctus Iacobus de hoc immortalis memoriæ opere loquens, ait: *Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaacum filium ſuum ſuper altare*; Iacobi 2. v. 21.

Doctus quidam illius epiſtolæ Interpres (Pater Paez) in ea verba ſic monet: *Illud inprimis adnotandum occurrit, quòd Iacobus dicit, Abrahamum ex operibus iuſtificatum, & aſſignans qualia fuerint ea opera, vnicum profert ſacrificium, quòd non plura fuere opera, ſed vnum duntaxat.* At cur operi vni plurium operum tribuit appellationem? Quià vnicum illud immolandi filij propoſitum, & deliberata, certaque illius ſacrificandi voluntas valuit, quantùm alia plurima opera. Languens ergo, & torpidus, remiſſuſque, & ignauus eſt, cuius multa opera vix vnum exæquant, ille verò heroicus, & ſtrenuus, qui vnum facit, quod multis par ſit.

*Vide Perſocham V. Dominica XXIII. poſt Pentecoſt. To. 2. pag. 312. & calcem illius.*

## CAPVT II.

*Vera obedientia tam grandem confert exiſtimationem, vt omninò ſanctum, virtutibusq́; omnibus confertum arbitrari poſſimus illum, qui eam enixè colat, & humiliter, demiſsèq́; exerceat.*

NOn mihi inepta videtur ratio iam dicta, ob quam vnicùm ſacrificium, quo Abraham filium ſuum offerre volebat, multorum operum nomine eſt donatum, cùm ille ait: *Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?* Sed vt ſententiæ eruditi illius, quem dixi, Interpretis inhæream, dico, obedientiam Abrahæ fuiſſe appellatam multa opera, ad indicandum etiam, quàm ſublimis, quàm excellens, quàm Deo grata ſit obedientiæ virtus, vt in qua virtutes omnes videantur incluſæ. *Cuius dubij* (nempè cur de vna obedientia tanquàm de multis operibus locutus ſit ſanctus Iacobus) *ſolutio in eo videtur conſiſtere, quòd obedientia perfecta multiplex eſt, & inſtar multorum actuum apud Deum reputatur.* Neſcio quid habeat illa tam accepta Dei oculis, & heroica obedientiæ virtus, vt qui vnam illam poſſidet, multis affluere videatur virtutibus, totumq; confeciſſe perfectionis curriculum, qui illâ ſolâ perfectè eſt excultus.

S. Paulus Apoſtolus probatum dare volebat, fieri non potuiſſe, vt humanum genus ſanguine hircorum, taurorum, cæterorumque animalium, quæ in veteri lege offerabantur, redimeretur, atque ex eo concludebat, ſolum innocentis agni ſanguinem ſatis fuiſſe perpurgandis maculis ſcelerum totius mundi. Præuiderat hoc ipſum Propheta regius, quando ex nomine diuini Redemptoris ait: *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*; Pſ. 39. 7. velut dixiſſet: Cùm tibi ô pater æterne, placere deſierit hircorum, ouium, arietum, taurorum, & cæterorum animalium ſanguis, qui per aras illas funditur, & omne genus veterum oblationum, ſic vt ad placandam iram tuam nihil ampliùs valeant, ecce me promptum, paratumque ad vertendum ſanguinem meum, quo & indignatio tua mitigetur, & genus humanum libertate donetur.

Sed notandum eſt, quòd illud Pſalmiſtæ, *Aures perfeciſti mihi*, apud Paulum Heb. 10. v. 5. ità habet. *Corpus aptaſti mihi.* Quid eſt aures alicui perfici? Fieri obedientem, ſic vt alacriter faciat quæcunque illi imperentur. In omnibus enim literis tam ſacris, quàm profanis, tam diuinis, quàm humanis aures humilem, & perfectam obedientiam ſymbolo referunt. Sic affirmant Pierius Valerianus, Hieronymus Lauretus, Petrus Berchorius, & Antonius Ricciardus, quibus patrocinantur ſancti Hieronymus, & Gregorius.

Nunc exurgit dubitatio, cur Paulus dicat, *corpus aptaſti mihi*, quòd rex pœnitens tam multò ante dixerat, *Aures perfeciſti mihi*. Vt aures obedientiam ſignificant, ità corpus, eiuſque membra ſymbolum ſunt virtutum reliquarum. Sic aiunt Philo Carpathius, Hugo, & Guilielmus Cardinalis, Ailgrinus,

Diony-

Dionysius Carthusianus, ad quorum commentarios in librum Canticorum remitto lectorem. Quod cùm ità sit,& Propheta rex de sola obedientia in auribus adumbrata loquatur ( *aures autem perfecisti mihi*) quomodo Apostolus pro toto corpore, in quo virtutes cæteræ omnes repræsentantur, id accipit, dicens, *corpus optasti mihi?* Causam quæris? Ea est quòd tam insignis, & heroica sit obedientiæ virtus, vt quem perfectè obedientem videris, illum omnibus virtutibus ornatum, cumulatum, exornatumq; sentire, & pronuntiare possis.

Nam vt sanctus Patianus epist. 2. To. 3. Biblioth. Vet. PP. aiebat: *Ergo qui Catholicus, idem iusti obediens.* Catholicus ex sancto Augustino, Doctore Angelico, Cardinali Bellarmino, & alijs idem est, quod *Vniuersalis, Vel generalis*, siue qui doctrinam sanam totam complectitur. Dicit nunc Patianus: *Ergo qui Catholicus, idem iustitenens*; vbi videtur has facere permutabiles, siue conuertibiles propositiones: *Vniuersalis est in omnibus Virtutibus, ergo obediens: obediens est, ergo Vniuersalis in omnibus Virtutibus*; tanquàm putârit, quod & verè ità habet, perfectè obedientem omnes complecti, & possidere virtutes.

S. Ioannes Chrysost. homil. 1. de laudibus sancti Pauli quærit tale quidpiam: *Quid in Angelis magnificum prædicamus?* A quo illos commendare amplissimè, & extollere plurimùm possumus.

Vt respondeat quæsito, iubet nos sacer Doctor ad Regem cantorem pergere, vt qui hanc facilè diluat dubitationem. Ille de Angelis sic ait: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes Virtute, facientes Verbum illius, ad audiendam Vocem sermonum eius*; Psal. 102. 20. Ecce promptam Prophetæ responsionem, inquit Chrysostomus. Cùm plurima essent, à quibus prædicare beatos illos spiritus posset, postquàm generatim dixisset, esse illos *potentes Virtute*, omnibus gratijs cumulatos, cunctis prærogatiuis cumulatos, & perfectionibus insignes, mox ad obedientiam eorum speciatim efferendam conuertebatur, inquiens: *Facientes Verbum illius.* Vt enim probes quem virtutibus omnibus circumfluere, & sanctum esse, & omnium gratiarum cimeliarchium, & omnibus spiritualis perfectionis ornamentis, insigniter excultum, vnus testis sufficere, idque solum satis esse videtur, quòd esse verè obedientem dicas, quod vbi persuaseris, etiam indubitatum feceris, nihil ad absolutissimam sanctitatem, consummatissimamque virtutem deesse. *Quid ergo in Angelis magnificum prædicamus? Profectò quia cum omni cura obediunt Deo.* Hoc maximum in illis commendamus, quòd tam expediti prosiliunt, tam celeres aduolant ad omnia, quæcunque Dominus facere imperat. *Quod Dauid quoque admirando dicebat*, Potentes virtute, facientes verbum illius. *Huic enim bono æquale est nihil, prorsùs etiamsi sint millies incorporei; hoc est enim, quod maximè præstat eos beatos, quià obediunt præceptis Dei.* De quo nobis persuasum habemus, quòd sit perfectus obediens, si eundem omni sanctitate, & perfectione ornatum credamus, nihil temerè egerimus, extraque omne præcipitis iudicij, aut erroneæ sententiæ periculum erimus.

Ad hoc propositum spectat illa Theophylacti obseruatio, quòd in Euangelijs, cùm princeps Apostolorum de suo nomine *Simon* appellatur, illud plerumque nomen adiungitur, quo illum Christus donauit, quando Petrum vocauit Matthæi c. 10. v. 2. in recensione Apostolorum *primus Simon, qui dicitur Petrus.* Iterùm Matth. 16. 16. *Respondens Simon, Petrus dixit.* Lucæ 5. 8. *cùm Videret Simon Petrus.* Ioan. 6. 8. *Andreas frater Simonis Petri*; & ibidem v. 69. *Respondit ei Simon Petrus*, & apud eundem Ioannem alibi sæpè. Cur tantæ curæ fuit Euangelistis, vt hæc duo nomina coniungerent? Simon, quod alibi quoque diximus, idem est quod obediens, & Petri nomen à petra, quæ firmitatis symbolum est, venit. Quòd ergo obedientia cum petra copulatur, perinde est, ac si dicatur, obedientiam esse lapidem fundamentalem, cui virtutes aliæ omnes innitantur, nam vt quempiam firmiter inhærere virtutibus credas firmiter, illud solum facere potest, si verum, perfectumque obedientem esse scias. *Qui habet obedientiam, etiam ipse Petrus efficitur, per obedientiam proficiscens, Vt firmetur in bono*, inquit Theophylactus in ca. 1. Ioannis.

Cùm extollere virtutem alicuius volumus, dicere solemus: *Yo trecara mi alma por la suya*, hoc est, *Cum ipsius anima meam commutarem.* Nam vt homines oderunt iacturam in suis permutationibus, & anima valde pretiosum monile est, sic nunquàm suam cum alia permutare vellent, nisi lucrum alterius multò sanctioris, & opulentioris ex mutatione sperarent. Interrogemus nunc Sanctum Ignatium martyrem, quam ille animam pro sua arriperet, si deligendi optio, & commutandi facultas concederetur. Respondet ille epist. 11. To. 3. Biblioth. Vet. PP. *Meam animam cum animabus eorum, qui Episcopo parent, lubens commutauero, faxit Deus, Vt cum illis mihi portio contingat à Deo.* Ex toto ergo sacrosancto pulcherrimarum virtutum choro nulla inclyti Martyris

tyris ad se oculos rapuit, nisi obedientia, neque cum alio animæ suæ commutationem fecisset, nisi cum eo quem obedientiæ perstudiosum, & obseruantem sciuisset: *Meam animam lubens commutauero cum animabus eorum, qui Episcopo parent.* Maximæ dignitatis, & incomparabilis pretij est obedientia, quæ sola pretium virtutum cunctarum includere videtur. Qui ergo perfectè obediens fuerit, hunc statim, vt videtur, virtutibus diuitem, & prorsùm sanctum censere possumus, & habere.

*In secunda Parte Politici lib. 6. cap. 7. Versus medium habes, optimam orationem esse, cùm alia quæuis opera bona ex obedientia facimus, quæ cum his cohærent.*

## CAPVT III.

*Pœnalius tormentum est animi pendere, quàm duro ligno fixum hærere.*

EAmus nunc examinatum verba, quibus Dominus Patriarchæ nostro, vt filium suum Isaac immolaret, imperabat. Dicebat itaque Deus: *Tolle filium tuum Vnigenitum, quem diligis Isaac*; Genes. 22. 2.

Nicolaus Lyranus, & Abulensis ex Hebræorum opinione aiunt multas fuisse hìc reuelationes, & præcepta, quæ successiuè acceperit sanctus Patriarcha. Primò dicebatur illi: *Tolle filium tuum*; ex quo dubius factus est sanctus Patriarcha, cùm duos haberet filios, nesciens vtrum illorum tollere deberet. Secunda reuelatio fuit: *Vnigenitum*; quæ illum magis perplexum reddidit, Isaac enim, & Ismael ambo vnigeniti ex duabus matribus erant, ignorabatque quo de loqueretur Dominus, qui hoc tunc nondùm aperiebat. Tertia reuelatio talis erat: *Quem diligis*; hæcque obedientis Patriarchæ anxietatem plurimùm augebat, & exasperabat, vtrumque enim filiorum non parùm amabat. Si iussus fuisset illum tollere, quem vehementiùs diligeret, in re aperta nihil amplius hæsitare potuisset, Isaacum enim Ismaele oppidò chariorem habebat. Quid causæ fuit, quòd Dominus, priusquàm voluntatem suam Abrahæ planè aperiret, illum tam diu animi pendere, tamque crebris dubitationibus semel, & iterùm, ac sæpiùs exagitare voluit, & afflictare? Respondet Lyranus ex sententia Rabbinorum, id factum, *Vt maiorem haberet mercedem*, vt quò dubitationum fidiculæ fortiùs tendebantur, & acerbiùs cruciabat, eò amplius, opulentiusque præmium illi pro constante tolerantia rependeret. Certè si rem probè, ac diligenter expendas, inuenies neque Siculos tyrannos tormentum maius inuenisse, neque atrociorem crudelitatem excogitasse barbarum Maxentium, quàm sit cruciatus animi dubij, perplexi, incerti, fluctuabundi, pendentis.

Vidit Daniel visum, quod illi magnum attulit terrorem. Venit autem sanctus Gabriel Archangelus, vt visionem interpretaretur, inquiens: *Ego ostendam tibi, quæ futura sunt in nouissimo maledictionis*; Dan. 8. 19. Viderat Daniel animalia, quorum significata sic exposuit Gabriel: *Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est. Porrò hircus caprarum, rex Græcorum est*; ibid. v. 20. 21. Postquàm hæc audierat Propheta, inquit: *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies*; ibid. v. 27. Vnde verò ille Danieli languor? vnde ægrotatio? Respondet ille ibidem: *Et stupebam ad visionem, & non erat, qui interpretaretur.*

Hoc in loco videtur pugnantia locutus Daniel, inquit sanctus Hieronymus, dicens: *Si non erat, qui interpretaretur, quomodo suprà interpretatus est Angelus?* Et si Angelus illi enudauit mysterium bestiarum, quomodo inopia expositoris fuit illi causa ægræ valetudinis?

Occurrit dubitationi Doctor maximus, inquiens: *Reges audierat, & eorum nomina nesciebat, futura cognouerat, & quo tempore futura essent, dubius fluctuabat.* Vt fragilem cymbam sursum, deorsùm, & quaquauersùm ventorum libido, & vis tempestatū iactat, sic animum Danielis in diuersa raptabat, quòd incertum haberet & euentum rerum, quarum portenta viderat, & nomina regum inexplorata, quorum imperia nouerat. Num fluctus, & dubitatio, procella, & animi hæsitatio, tempestas, & aparia, siue consilij inopia, vnum, idemque sunt.

Hoc adeò verum est, vt sanctus Ambrosius dicere ausus fuerit, esse reos, qui vitam, quanquam pretiosissimam gemmam, sibi adimi mauelint, quàm incertâ expectatione dubij pendere, quis causæ eorū futurus sit euentus, maiusque beneficium interpretabuntur, si citâ morte, quod malè fecerunt, luant, quàm diu suspensi hæreant. Fundat hoc suum dictum sanctus Doctor in illis pœnitentis regis supplicibus verbis, quibus vehementer rogabat, de causa sua citò pronuntiari, vt per hoc à terribili quadam vexatione liberaretur, *Iudica iudicium meum*, inquit, *& redime me, propter eloquium tuum viuifica me*; Psal. 118 v. 45. tanquàm dixisset: Age sis, Domine, & celerem profer de mea causa sententiam, & ab ærumnosa hac, miseraque captiuitate me quamprimùm euoca, & exime, & vitam mihi per

sancti, & diuini verbi tui virtutem imperti. Sanctus Ambrosius Octon. 20. in ea Psalmistæ verba sic disserit: *Quos miseratur, citò castigat, vt non diutiùs afficiantur futuri expectatione iudicij.* Ex singulari gratificandi voluntate, & peculiari beneuolentia Dei fit, quòd mox à perpetratis sceleribus aliquos plectit, *vt non diutiùs afficiantur futuri expectatione iudicij*, ne inter dubitationem tempestates incerti fluctuent, ne imaginationis suæ ligno clauis hæsitationis fixi pendeant, idque per omne illud tempus, quo timent supplicium, quòd nesciunt, & formidãt pœnam, quam ignorant.

Quapropter exaggerat hanc rem sanctissimus Mediolanensium Archiepiscopus, dicens: *Optant etiam hi, qui grauibus flagitijs vrgentur, pœnam mortis celeritate transigere, vt aliquanta pœnarum compendia lucrentur.* Hinc videre est, quantum dubitatio vexet, affligatque, quod etiam insolentissimi, & impudentissimi in lucris numerent, si iacturam vitæ, etiam per sæua tormenta, citam faciant, vt incertæ expectationis carnificem euadant, & quem res suæ finem habituræ sint, certò videant.

Dicit consequenter ad ista Propheta rex: *Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum viuifica me*, velut alijs verbis diceret: Quod te magnum in modum, Domine, oro, & obtestor, illud est, vt causæ meæ verbo finem imponas, quamdiu enim suspensus, timidusque, & incertus hæreo, quem res mea exitum sit habitura, acerbiorem vitam duco, quàm infelicissimus quisque, & miserrimus captiuus. *Ergo propter eloquium tuum viuifica me*, quod feceris, si metam perplexum vitã de suo fine tam dubiã exueris. Nouæ vitæ me debitorem tibi constitueris, si ab hac tam ancipiti, ambiguaque eripueris. Nec enim videtur alia dulcior esse, iucundiorque vita, quàm mors, quæ omnem adimit dubitationem, & perplexitatem.

Non parum roboris addet hisce id, quod Plato de vita rusticã in Axioco habet. Dices mihi, inquit ibi, *dulcis est agricultura.* Non repugno, *est sanè.* Verum expecta, & videbis, quid agatur. *Nonne tota tamen est, quod aiunt, vlcus, semper paratam doloris habens causam, nunc quidem siccitatem, nunc pluuias, nunc vredinem, nunc rubiginem, nunc vel æstum intempestiuum conquerens?* Nunquid misera & laboriosa rusticorum vita talis est, vt quandam velut sagittam cordi infixam pauperes perpetuò circumferant agricolæ? Per autumnum metuunt pluuias, quæ sementem impediant. Per Aprilem, & Maium incerti aquam expectant, vt adolescere, & facere incrementa fruges possint. Posthæc nebulam, subsolanumque & grandinem dubij pertimescunt, ne per ea maturescentia iam frumenta exarescant, aut decussa intereant. Etiam demessis, & in horreum inuectis frugibus timent, ne vel illas inundatio tempestatis obruat, vel has gurgulio absumat. Cùm ærumnosa ruricolarum vita tot inter formidinum, dubiorumque casuum scopulos fluctuet, & cum infinitis quotidiè laboribus, timoribus, doloribusq; pugnet, *nonne tota vlcus est?* Nonne immortalem intùs vermem nutriunt agricolæ, qui viscera eorum rodit, ac depascitur, falcatosque vngues circumferunt, quibus animi eorum miserabiliter laniantur? Nonne velut in equuleo semper agunt? Nonne strato aculeatis tribulis consito affixi ægre viuunt? Nonne omnis eorum vita censu crucis perpetuo est onerata? Quis dubitet? Totum verò hoc (inquit Plato) est dubium hærere, & animi pendere.

Adeò vera sunt, quæ diximus, vt sancto Ambrosio videatur, quòd Dominus post æternam illam damni, sensusque pœnam non habeat cruciabiliorem equuleum, in quem dæmones inijciat, quàm quòd illos suspensos, dubiosq; habeat, quid de pœnis illorum futurum, & an aliquando augenda sint supplicia. Sic enim habet vbi suprà: *Diabolus nequaquam puniri ad iudicium demonstratur, nequaquàm adhuc pœnis esse subiectus, nisi quas ipse tantorum conscius scelerũ soluit timore perpetuo, ne aliquando securus sit.* Non vult Deus ostendere dæmoni, quas deinceps sit luiturus pœnas, vt interim semper sit reus, in pœnis, semper improbitatis suæ innexus catenæ, semper conscientiæ suæ hoc sustineat iudicium, & supplicium, quod scire nequeat, quondam illud post supremum iudicium dependet supplicium, & hinc interim intolerantissimè crucietur, quòd de futuris suis tormentis dubius, quibusnam posthac cruciandus sit, incertum habeat & ignoret. Non vult illum scire dolores, quos aliquando sentiet, *ne aliquando securus sit*, vt incertam illam subeundorum dolorum expectationem nunc acerbiùs sentiat. Vbi videtur sanctus Ambrosius dicere, tam acrem esse, quem dubij euentus incerta expectatio adfert cruciatum, tam intolerabilem esse, quam parit angustiam, vt & diabolus pœnas suas (quanquam eæ omnem suã amaritudine, & terribilitate transcendant ingenij humani, & imaginationis captum) minùs iniquè, aut moderatiùs ferret, si hoc solùm, qualesnam illæ, quantæque futuræ, scire posset. Vt ergo præter illud supplicium, quod nunc stigicarceris custos patitur, aliud intereà fustuarium verberabilissimus

mastigia subeat, & ab alio carnifice malis modis affligatur, dubium illum, ac suspensum Dominus habet, vt hoc nunc sit illi molestissimum, quod molem molestiarum quas tandem feret, conscire nequeat. Patiatur alium interim ambiguitatis infernum perfidiosus spiritus (inquit Dominus) alias interim dubitationis & hæsitationis vltrices flammas desertor apostata toleret, *ne aliquando securus sit.* Scire enim qualis, quantaque pœna futura sit, ea etiam, quæ alioquin crudelissima, certa quædam redemptio, nonnullum certè leuamen tum est illi, qui sic à dubitationis vexatione, & incertitudinis tormento liberatur. Sæpè namque plus cruciat timor eius, quod cruciabit, quanquàm fortè nonnimis pœnale sit, quam affligant pœnæ iam notæ, tametsi peracerbæ futuræ.

Nolite hoc demirari, quoniàm sanctus Gregorius Nyssenus censuit hunc cruciatum esse quantam velut epilepsiam animæ, dicens: *Quæ suprà nos sunt, ægritudinem afferunt, quæ efficit, vt quodammodò desperemus de ijs mente percipiendis, quæ non possunt comprehendi*, Hæc ille homil. 5. in Cant. Inuisit medicus infirmum, videt crebras apud illum intermissiones, intercardines, pausas, & desperans ægrū, dicit, lethali morbo laborat. Ægra in lectum anima, dicit, inquit Nyssenus, visensque illam quæsiui, quo malo affligaretur, & responsum accepit, non alio, quàm perplexitatum, quos euadere nequeat, & dubitationum, quas decidere non possit, & succlamaui: *Quodammodò desperemus*, fodiatur sepultura, tumulus paretur homini, cui ex morbo tam acuto, & crudeli est malè. Omnia enim mala videntur suum habere remedium, homini dubio, & fluctuabundo, & incerto, quamdiu hæsitabundus animi pendet, nullam scio inuenire medicinam, quoniam incurabilem puto illius ægritudinem.

Accedit ad Nyssenum frater illius germanus sanctus Basilius Magnus, cum ait: *Anima omnes quasi vertigine ratiocinationis laborans, & claudicans malè afficitur.* Animam, quam dubitationum sæui carnifices torquent, similem cogita tauri, quem duo immanes, & sanguinarij molossi lacessunt, auribusq; mordicùs apprehensum pertinaciter exagitant, & tam diu in orbem circumagitant, donec vertigine correptum, vel lassitudine debilitatum humi dijciant, & prosternant. Tantundem apud animam efficiunt dubitationes, quæ tanquàm canes venatici sic illam exagitant, vt non ante dimittant, quàm fatigatam, fractamque in præcipitium perditionis adduxerint. *Anima omnes quasi vertigine ratiocinationis laborant*, &c. Multum subest his verbis, & quod ea volunt, tale est, quale si dicas, quòd dubitationes animam in orbem agunt, & vertiginosam reddunt, vt neque videre, neque sentire rectè possit, & corrumpunt illius iudicium, omnemque exhauriunt patientiam. Si verò tàm est ingens dubitationum tormentum, si tam atrox incertæ expectationis cruciatus, vos ipsi iudicate, an non intolerabiliùs sit animo hærere, quàm è crucis ligno pendere.

*Pulchra in eandem rem habes To. I. Periochâ primâ Feria IV. post Domin. V. Quadrages. pag. 403.*

## CAPVT IV.

*Ex acribus pœnis, quibus viri sancti leuia sua errata plectunt, possunt sumere peccatores exemplum asperæ pœnitentiæ pro suis grauibus peccatis suscipiendæ.*

AVstere factum videtur, quòd Deus imperauit Abrahæ, vt filium suum immolaret, & mactaret victimam, cùm dixit: *Vade in terram visionis, atq; ibi offeres eum in holocaustum*, Genes. 22. 2. Quid peccauerat innocens adolescens, vt ad eum modum præciperet Dominus obtruncari, & subiecto igne in cineres, fauillasque exustum verti? Quod enim in holocaustum offertur, id totum consumitur, vt nihil illius, ne memoria quidem maneat reliqua.

Respondet Abulensis, fuisse apud homines quidem innocentem Isaacum, coram Deo verò non item, sed veniale saltem aliquod peccatum commisisse, propterque illud solum morti obnoxium fuisse. Verba magni illius Doctoris ità habent: *Isaac non erat innocens, licèt enim esset innocens apud homines, quia nulli eorum nocuerat; Deo tamen non erat innocens, quià peccauerat veniali peccato, propter quod ad mortem homines obligantur.* At si vnum peccatum veniale morti obnoxium reddit, quibus supplicijs digna erunt tot enormia, immaniaque flagitia, quibus homines in dies & Deum grauiter offendunt, & se turpiter contaminant? Hinc natus scelerum horror, qui sanctos perfudit, hinc eorum implacabile aduersùs peccata profectum est odium. Hinc & factum, quòd tam grauibus pœnis culpas suas quantumuis leues ipsi mulctârunt. Nam si vnum peccatum veniale mortem meretur, mortale quo non supplicio dignum fuerit! *Peccauerat Isaac peccato veniali, propter quod ad mortem homines obligantur.*

Propheta Euangelicus ait, vidisse Dominum totius maiestatis in solio excelso, & eleuato, iuxtaque illum

illum duos ardentes spiritus, qui alternatim illi contentis vocibus acclamârint ter *Sanctus*. Cùm tantam gloriam cerneret Propheta, & maiestatis magnitudinem attentiùs consideraret, compunctus, & mœrens aiebat: *Væ mihi, quia tacui*; Isaiæ 6. 5. Forerius inquit, perinde hoc esse, ac si dixisset: *Perij*, vitæ dispendium, quantum vereor, mihi adferet dolor, & anxietas, quæ cor meum affligunt. Vnde verò Prophetæ suus ille tantus animi cruciatus? Vnde illa tam acerba pœna? Vnde illa pectoris angustia, quæ Prophetam sic prostratum, tantumque non prorsùs mortuum habet? Ipse hoc statim exposuit, dicens: *Quia vir pollutus labijs ego sum*.

Sanctus Basilius Magnus in illorum verborum expositione ait: *Obserua delictum Prophetæ, nequaquàm se effudisse per omnem improbam operationem, & actionem, sed labiorum, ac sermonum tenus constitisse*. Meritò notes illud *Væ* Prophetæ, illiusque tam luctuosam exclamationem indicem doloris tam grauis, & acerbi, quasi adducendo illi in confinia mortis satis fuerit. Et quænam furta exercuit? Quæ homicidia perpetrauit? Quæ scelera alia commisit? Nihil talium rerum fecit, inquit Magnus Basilius, sed venialia quædam erratulla non omnino effugit, quæ tamen talia fuerunt, vt labijs squalorem adduxerint, & fœditatem qualemcunque attulerint; ad animam verò diffundere venenum suum non potuerint, quià *labiorum, & sermonum tenùs* constiterunt. At si leuia quædam linguæ peccatula, si verba incauta paucula tam ingentem Prophetæ mœrorem, ac dolorem attulerunt, vt exanimando illi satis essent, qua in tristitia, quoue in mœrore versari debent, qui immensam, infinitamque Dei bonitatem, & clementiam tam varijs, indignisque sceleribus diu, ac plurimùm irritauerunt?

De sancto Petro certum, indubitatumque est, fuisse coniungatum, nisi fortè gener esse potuerit illius suæ *socrus*, quæ *tenebatur magnis febribus* (Lucæ 4. 38.) & non habuerit eius filiam vxorem, quod nemo, qui non prorsùm insaniat, affirmârit. Sanctus Petrus Damianus serm. 72. de Petro Apostolorum Principe quà coniugato dicit aliquid magna profectò expensione dignum; *Petrus autem*, inquit, *nuptiarum sordes abluit cruore martyrij*: Hic ante omnia pono, nec potuisse, nec voluisse ijs verbis indicare Damianum, quòd sanctus Petrus in vsu matrimonij mortaliter vnquàm peccârit. Nam cùm non desint Doctores sancti (in quibus B. Ambrosius) qui negationem Petri, illud tam manifestum peccatum, excusare velint, quomodo illum quis criminari ausit de re, in qua deliquisse non constat?

Quæro ergo nunc, quomodo accipiendum sit, quòd Cardinalis Ostiensis ait, sanctum Petrum suas matrimonij labes sanguine martyrij emaculasse? *Petrus autem nuptiarum sordes abluit cruore martyrij*. Respondeo, Damianum ad id respexisse, quod viri etiam sanctissimi sub expirantis animæ tempus agere solent, cùm istud de sancto Petro affirmauit. Plerique eorum, qui Deo in maxima sanctitate studiosissimè seruierunt, cùm hora vitæ suprema appetit, vario metu, & magnis affligi timoribus solent, cuius rei exemplum sanctus Hilarion, alijque reliquerunt. Itâ fieri potuit, vt & sanctum Petrum, cū in hora mortis, & cruce positus animam ageret, aliquæ incursarent formidines, mouerent, & angerent scrupuli, neque enim tam facilis, ac secura est ista ab hac vitâ in illam emigratio, vt non tremorem etiam sanctissimo transitus incutiat. Cum ergo Petro è cruce pendulo, & vitam actam animo obeunti occurreret, fieri potuisse, vt in vsu matrimonij, quamuis concesso, saltem venialiter deliquerit, neque satis auocauerit animum, dùm corpori permitteret voluptatem, neque sanctè, vt dignum fuisset, semper coluerit castitatem coniugalem, dùm verteret in cruce sanguinem, & varia secum reputaret, ob quæ benè, rectèque illum funderet, etiam Deo fortè obtulerit pro culpis (tametsi mortales nullæ fuissent) quas in matrimonij vsu, & vxoris commertio commisisse potuerit. Et hoc est, quòd sanctus Petrus Damianus significare voluit, cùm ait: *Petrus nuptiarum sordes abluit cruore martyrij*. At si Apostolorum princeps, ille tam gratiosus Christi, ille tantis à Deo donis cumulatus, & exornatus, ille tot priuilegijs, & prærogatiuis suprà alios exaltatus, & honoratus tantum hausit doloris ex leuibus peccatis, quæ commisisse magis timuit, quàm sciuit, vt putauerit solo martyrij sanguine dilui posse & expiari (animæ quippè lues, tametsi tenues, aliter quàm exprompto è venis cruore, vt videtur, emaculari nequeunt) quam non de se repetere vindictam insolens peccator debet, qui supremum benefactorem Deum tam multis, & magnis, & fœdis, & execrandis modis clam palàmque, cùm sæpè, cùm impudentissimè, & propudiosissimè offendit?

Non ineptè huc venit id, quòd de Sancto Hieronymo Magnus Augustinus affirmat, qui cùm de illius austera pœnitentia, cui in vasta eremo vacauit, sermonem haberet, sic habet apud Meffret in serm. de S. Hieronymo, qui est 108. To. 3. *Ità leuissima fleuit peccata venialia, vt quis eum æstimasset homi-*

*nem interemisse.* In remota solitudine agebat Hieronymus, Doctor maximus, sed pœnitentiæ operibus seipso maior. Ibi corpus suum aridum & exsuccum excarnificabat, quantùm iratus hostis vix potuisset. Ibi flagris in carnem suam ferociebat, & fragile pectus duro saxo sæpè diu, semper cruciabiliter verberabat. Ibi è demersis intrà concauitates suas oculis amarissimarum, & calentissimarum lachrymarum ingentia maria,& tota diluuia fundebat. Ibi ardentibus suspirijs proximum aerem inflammabat. Ibi fractis longo senio, & diuturno, pertinaciq; non literarum solùm, sed & pœnalium operum studio artubus eam solùm requiem concedebat, quam capere possent in scopulis, & saxis, quæ per æstatem ardentia, per hyemem omni gelu magis gelida erant. Vidisset illum aliquis tam acriter se macerantem, tam cruciabiliter lacerantem,tam austerè corripientem, tam crudeliter verberantem,tam miserabiliter lamentantem, & eiulantem, dixisset, credo, nisi nouisset illum: Hominum, quos mundus habuit, pessimorum, haud dubium, iste quidam fuit, quem terra, nisi tanta esset eius patientia, dehiscens dudum deglutisset. Valde enormia vtiq; sunt illius crimina, & immania flagitia, qui tam terribilia de seipso sumit supplicia,tamque sæuâ se propè mactat, & enecat pœnitentiâ. Quid si tunc adueniret alius, & diceret: Quem putas hominem,qui tam inhumanè in seipsum animaduertit? Scire volo,Hieronymum esse. Illené tam immitis sui censor, tam sæuus iudex Hieronymus! diceret ille prior. Hieronymusné, ille sæculi nostri Phœnix! Hieronymusné ille humanarum,& diuinarum literarum oraculum, nouique, ac veteris testamenti interpres optimus, tractator incomparabilis! Hieronymusné, ille coronatus eremi leo, cuius eruditi, & sapientes rugitus timorem malis Christianis, terrorem perfidis hæreticis, tremorem toti incusserunt terrarum orbi! Hieronymusné, ille,quem de grauissimis scripturarum difficultatibus consulebant Augustini, venerabantur Damasi, colebant Innocentij, reuerebantur Theodosij! Hieronymusné, ille Euangelij vocalis lituus, & grandisona tuba! Hieronymusné, ille controuersiarum Ecclesiæ contra hostium illius calumnias arbiter! Hieronymusné, ille, cuius inculpatæ vitæ sanctissimos mores per omnia mundi spatia fama garrula latè disseminauit! Hieronymusné,qui sub sacro Magni Basilij instituto est exemplar perfectionis, amussis piæ vitæ, norma religiosæ conuersationis! Hieronymusné, ille, qui tanquàm Angelus in carne viuit, iam non ille, quia in illo viuit Christus! Illené pro tam leuibus culpis pœnas à se tam graues exigit! Illené pro peccatulis, quæ perpetrasse magis metuit, quàm nouit, pro exiguis delictis, quæ commisisse solùm suspicatur,ac timet, tam atrociter se flagris concerpsit, tam sanguinolentè laniauit, ac propè exanimalem fecit! O Deus Sancte, quis non contremiscat! Tam sancti viri pro tam venialibus culpis tam crudeles, & inexorabiles sunt sui ipsorum carnifices, & peccatores, qui suis fœdis, & abominabilibus flagitijs toti mundo ex se præbuerunt offendicula, in vtramque aurem metu vacui dormiunt, omnemque vitam in delitijs,& voluptatibus blandi sui ipsorum palpones transmittunt! Certè res de exteriori specie arbitrantibus videbuntur peccatores esse,qui sunt sancti, tam sunt hi austeri ergà seipsos, & sancti esse, qui sunt peccatores, tam præfidenter hi, & prælicenter agunt. Ad hunc modum discurrere de hac re quisq; cordatus, & prudens posset, qui pœnitentiæ opera, quibus operam in deserto Sanctus Hieronymus dedit, animo recolere vellet.

Concionabatur Sanctus Theodorus Studita suis monachis, quorum erat tantus obseruantiæ rigor, tamque rigida obseruantia, vt illorum ascetérium vocatum fuerit conuentus *Acœmitarum*, siue quod idem est, eorum, qui non dormiunt. Tantum erat pœnitentiæ studium, tanta disciplinæ austeritas, & arctitudo in illo ordinis Sancti Basilij monasterio. Postquàm horum sanctorum monachorum exploratam haberet vigilantiam, sciretque quàm admirabili attentione Deo seruire, & gratificari studerent, aiebat catech. 34. *Itaque flemus hortor animosè in contemplando defixi, tacti compunctione supplicio relucentes.*

O quàm commoda sunt præsenti instituto illa extrema istius sententiæ verba, *Supplicio relucentes*! Quid est relucere supplicio? Dicam. Metaphora est deducta à gladio, aut quouis ferro rubigine obsito, quæ cùm expolire,pristinoque suo nitori restituere volumus, semel, & iterùm, sæpiùsque terimus, tergimus, abstergimus, & defricamus, quousq; primus illi splendor redeat. Ad hunc modum iubebat Theodorus, vt illi suarum culparum maculas tantâ diluerent copiâ lachrymarum, carnem suam flagris, & tribulis tam acriter macerarent, peccata sua sic plecterent, corda sua tam validè ac sæpè perfricarent, tamque enixè, & pertinaciter expolirent, vt non auocarent manum, donec solem splendore exæquarent: *supplicio relucentes*.

Ampliùs rem exaggerauit vir sanctus, cùm addidit:

dit: *Lachrymosi, tacti compunctione*; tanquàm lamentari illos voluisset, vsq; dum tangerentur compunctione. Quid est tangi compunctione? Admirabilis subest verbo illi amplificatio. Tactus apud profanos authores accipitur pro eo, qui fulmine percussus, & in puluerem est versus. Sat est vnus Cicero, qui lib. 2. de diuinat. ait: *Natta statua, aut ara legum de cœlo tacta.* Dicebat ergo Theodorus, vt starent *lachrymosi compunctione tacti*, hoc est, nunquàm satis fecisse putarent, donec apud illos egisset compunctio, quod apud alios tactus fulminis, vt quemadmodùm fulmen in cinerem vertit omnia, in quæcunque incidit, sic illi nunquàm à plorando cessarent, neque lachrymandi finem facerent, quousq; *compunctione tacti*, velut in puluerem vi lamentorum solu-rentur.

Si hoc suadebat Sanctus Theodorus suis monachis, & monachis tam sanctis, tam obseruantibus disciplinæ regularis, tam enixè deditis pœnitentiæ, vt diximus, quid non consulendum peccatoribus tam perditis, tam scandalosis, vt iratum Deum mitigare, & placare, & tam grauia scelera sua pœnitendo diluere, & expiare queant.

## CAPVT V.

*Quod homines scelere perditi ibi sperant, vbi viri sanctitate conspicui timent, desperatio est, quam fiduciæ specie dæmon colorat.*

PErgebat noster magnanimus senex, vt Dei iussionem opere expleret, hoc est, vt filium suum illi victimam mactaret, & aræ impositum combureret, *cumque concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum, quem præceperat ei Deus.* Genes. 22. 3.

Nonné sacrificium in monte oblatus erat? Res perspicua est, & indubitata. Dixerat enim Deus: *Ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi*; ibid. v. 2. Quorsùm ergo ligna eò tam solicitè contulit? Fortean in mare aquam, in syluam, seu montem ligna portare, hoc est, remotiosam, & superuacaneam agere voluit?

Respondent omnes Interpretes, fuisse prudentem curam, & bonam prouidentiam, *quia fortè in loco immolationis ligna non inueniret.* Non omnes montes ferunt ligna, & si Abraham abijsset præfisus, quòd ibi reperturus esset ligna, fieri potuisset, vt se delusum videret, & spe suâ fraudatum, quo tempore id minimè speraret. Vt ergò verè, & benè fisus iret, ligna secum portauit. Res magna est rebus animæ magnis diligenter prospicere, & studiosè ad ardua quæcunque negotia se præparare. Sanum ac salubre consilium est, vt quisque Christianus imitetur nostrum Patriarcham, & ad horam mortis accuratè se, suaque omnia componat, ligna iam concisa conferens, & quæcunque supremum illud vitæ tam periculosum tempus requirere potest, vbi quamuis non sunt naufragati, fluctuarunt tamen anxijque contremuerunt ij etiam (vt superiore c. diximus) qui à primis ætatis maturæ horis vsque in curuam, & occiduam senectam hoc vel solum, vel maximè egerunt, vt se quantâ maximâ possent vigilantiâ ad felicem obitum, & abitum præpararent. Vbi autem viri tales timent, ibi perditi sperent! Fieri potest, vt illis spes sua feliciter cadat, sed omnibus dubius est eiusmodi spei euentus. Certè incertam esse illorum expectationem illud certum facit, quod pessimus, & versutissimus dæmon tantoperè laborat, tamque solicitè & seriò curat, vt omnis ad bonam mortem præparatio in ipsam horam vitæ postremā differatur? Huic ergò inhærere debemus, quod Spiritus Sanctus tam seriò nobis commendat, & Viri sancti tam crebrò, vehementerque nobis consulunt, nimirùm vt ad mortem feliciter obeundam res omnes necessarias tempestiuè præparemus, vt certam habeamus beatæ illius æternitatis, rei tantæ, expectationem.

Si quis ab amico nocte concubiâ panes commodatò petat, quibus amici alterius, qui hospes famelicus, & ab itinere lassus venit, necessitatem leuet, potestné ille, qui rogatur, eas preces repellere, vt non exorari sinat, maximè si sit importunus orator, qui obsecrat? Potestné ferre supplicis pertinaciam, si fortè dissimulat amicitiam? Hæc ferè Christus Redemptor noster apud Sanctum Lucam sciscitabatur. Sed audiamus quibus verbis excuset se amicus apud amicum mediâ nocte panes petentem? *Noli mihi molestus esse*, inquit, *iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili*; Lucæ 11. 7.

Otiosum fuerit probare, quòd Christus sit ille amicus, qui dare panes fuit rogatus. Hoc nempè affirmant Sancti Petrus Chrysologus, & Ambrosius, Hugo de S. Victore, Hugo Cardinalis, Caietanus, Toletus, Stella, & alij. Sed cùm cubile, in quo Christus quiescit, sit gloria, siue cœlum, quid est, quod pueri esse dicuntur, quos secum habere aiebat? *Pueri mei mecum sunt in cubili.* Nonné hoc derogat supremæ illius, & absolutæ maiestatis dignitati, quòd aulicos non habeat alios, quàm teneræ huiusmodi ætatis pueros, cùm tam magnum Dominum cano capite, & grandæui palatini magis deceant? Quid

ergò

ergò est, quòd tantus Imperator ipse dicat, tam immaturos, iuuenesque habere assessores?

O quàm procul aberrasti à sensu verborum Christi qui sic loqueris! inquit Sanctus Gregorius Nyssenus. Nam quòd pueri cum illo regnare, pueri assessores illius aulici esse feruntur, non eò dicitur, quòd non plurimos à lateribus habeat senes, ac longæuos, sed vt significaretur, eos, qui à primis pueritiæ annis ad postremam mortis horam se præparant, maiorem simul securioremque obtinendæ beatitudinis spem sibi parare. Nam studium curandæ bonæ mortis in illud tempus suspendere, & differre, quando omnia, quæ ad eam rem spectant, solicitè confecta esse oporteat, impostura est, quam pessimus dæmon fraudulentissimè adornat, & solertia, quâ plurimos circumuenit, sic vt raró illi sua ista industria sit frustranea, & non obtineat, quod cupit.

Audite Nyssenum ex homil. 4. in Cant. *Pueri mei mecum sunt in cubili. Rectè autem eos, qui per arma iustitiæ sibi comparârunt impatibilitatem, pueros nominat, quòd bonum, quod nobis accedit ex industria, ac diligentia, non est aliud bonum, ac honestum, quàm id, quod ab initio est nobis repositum.*

De vectibus, quibus illa veteris Testamenti Arca circumferebatur, illud singulariter præcepit Dominus Exodi 25. 15. *Semper erunt in circulis, nec vnquàm extrahentur ab eis.* Nō semper sciebant Israëlitæ tempus, quo Dominus Arcam è loco in locum transferri vellet. Vt ne ergò quidquam obstaret, quo minùs statim, ac ille vellet, aliò perferri posset, iussit vectes illos semper manere insertos suis aureis circulis, vt semper ad manus essent, quoties vsus id postularet, ne moras adferrent profectioni, Deusq; ad irrogandas pœnas permoueretur, si ad subitarium, inopinatumque ineundæ viæ præceptum ab imparatis, turbatisque custodibus, & Arcæ illius baiulis tam citò ac par esset, inueniri, inserique non possent. In ea sententia est Sanctus Petrus Damianus, cuius sunt ista ex Serm. 14. *Ad hoc vectes in circulis semper esse iubentur, vt cùm portari Arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus nulla portandi tarditas generetur.*

O quàm bene dictum illud, *de intromittendis vectibus nulla portandi tarditas generetur*! quod validissimè nostrum confirmat conceptum. Semper insertos suis circulis voluit Deus illos vectes, ne fortè inter repentinæ profectionis tumultuationem, vel si proximè ad manum essent, tam citò à præoccupatis & turbatis insperatâ iussione, & obedire festinantibus intrudi in annulos suos non possent. Exempla similia occurrunt quotidie. Hominem videas, quem improuisus casus in publicum derepentè euocet, qui subito, insperatoque vel nuntio, vel imperio, vel periculo perculsus nec vestire rectè, nec pallium decenter humeris inijcere, nec gladium cingere, nec pileum inuenire præ turbatione queat, sed omnia vel inuertat, vel prorsùm euertat, & obruat, & inter tumultuariam accelerationem, quid agat, videre non possit.

Itaque vt illi suos vectes ad omnem subitum, dubiumque euentum semper insertos circulis habebant: Ita quisque Christianus debet fecisse confessionem, confecisse testamentum, perfecisse omnia, quæ ad bonam mortem obeundam pertinent, vt Deus, quandocunque illum ad ineundam vitam vniuersæ carnis euocat, semper paratum ad suscipiendum iter inueniat, ne incautum, immunitumque ex insidijs mors inexpectata inuadat, & ante abripiat, quàm exomologesin, & cætera, quæ ex vsu illius tam ancipitis horæ sunt, facere queat? *Ad hoc namque vectes in circulis semper esse iubentur, vt cùm portari Arcam necessitas exigit, de intromittendis vectibus nulla portandi tarditas generetur.* Sic & iubemur semper esse parati, & habere in promptu omnia, vt cùm portari non arcam ligneam, sed animam immortalem necessitas exigit, de præparandis necessarijs nulla tarditas (quod fatuis virginibus, eam ob causam etiam cœlo æternùm exclusis, accidit) generetur. Nam relinquere hæc tunc curanda, cùm innumeris alijs curis, & cogitationibus, & doloribus pressus animus nihil eorum facere potest, exitialissima, & damnosissima fraus est.

Apud Sanctum Marcum nocte cœnæ aiebat Dominus Discipulis suis. *Omnes scandalizabimini in me*; quando Petrus præfisus de constante sua in illum fide iactanter dicebat, se nunquam scandalizandum, quidquid alij facerent. Tunc Dominus: *Priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*; Marci 14. 30. velut dixisset: Vide sis, Petre, quàm longe aliter, atque existimas, eueniet, ante enim ter me pernegabis, quàm bis gallus cantet. Ad probationem res deducta est, nam cùm primùm negauit Petrus, mox succinuit gallus, cùmque posthæc ille iterùm, atque iterùm negaret, *statim gallus iterùm cantauit, & recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Iesus*; ibid. 72.

Exclamat Euthymius: Quid hoc rei dicam! Quomodo tam citò obliuisci Petrus potuit cantaturi galli signum, vt cùm semel iterùmque negaret, gallusque neganti succineret, non recordaretur verborum

borum Domini sui, & vel tunc vix reminisceretur, atque ab illo suæ obliuionis lethargo expergefieret, quando secundò gallus perstrepere voce cœpit? Quid causæ esse possit, quòd tam leuiter memoriâ lapsus Petrus fuit?

Respondet Euthymius in c. 14. Marci: *Dictum Verbum præ timore exciderat.* Tam multi erant, qui Petrum exagitabant, & accusabant, & hinc quidem garrula famula, illinc circumstantes barbari ministri vellicabant, & infestabant, ne liberè quidem respirare sinentes, vt quanquàm verba Christi cum singulari affectu ab illo prolata plurimam mererentur considerationem, & gallus semel cantaret, ille tamen nec recogitaret Domini comminationem, nec audiret galli cantum primum, sic illi metus, vexatio, turbatio animum distraxerat, & memoriam omnem ademerat. At si Petrus intrà tam exiguum tempus oblitus fuit verba Christi, & signa suæ negationis, quæ ab illo audierat, quòd inter multos homines ageret, ab eisq; incursaretur, sic vt sibi præsens non esset: Quomodo tu vis tui satis compos esse in hora mortis, quando infirmitatis dolores premunt, quando phrenitis memoriam, mentemque omnem auferre, afferre delirium potest, quando tot peccata te accusant, quando tot dæmonia exagitant, quando mundus vocat, caro trahit, curæ angunt? Tunc in ea rerum tuarum confusione, & turbatione sensuum, & tumultuatione cogitationum tantam tibi promittis tranquillitatem, vt rationes tuas vltimas rectè, tutò, securèque componere possis? Rationis iudicium corruptum habet, & perditè desipit, quem spes tam incerta lactat. Homines pij, & quibus sua curæ est saluatio, tempestiuè sese præparant, vt eorum studia, & desideria prosperum, optatumque sortiantur effectum.

*Veniunt hæc ex eadem lapicidina, ex qua Caput V. Libri IV. partis secundæ Politici Cœlorum. Vide etiam illius calcem.*

## CAPVT VI.

*In domo Dei gratum, probatumq; habetur, quod volumus, & non possumus, non verò illud, quod possumus, & non volumus.*

FVit in eo Patriarcha noster, vt immolaret filium suum (quod tam illustre, insignitumque facinus satis extollit, qui solùm commemorat) inclamansq; illum Angelus, sic ex Deo appellabat: *Nunc cognoui quòd times Deum, & non pepercisti Vnigenito filio tuo propter me*; Genes. 22. 12. hoc est, nunc toti mundo innotescet, qualem te habeam seruum, qui vt mihi officium deferres, vitam filio tuo, eique vnigenito tam certum habuisti, quàm deliberatum.

Hærent Interpretes omnes in ijs Angeli verbis: *Non pepercisti.* Quomodo non pepercit? Immò verò pepercit, nec enim demessuit ab humeris caput. Quid ergo Angelus ait, non pepercisse? Dixit hoc, quià Sanctus Abraham ad sacrificium peragendum, quidquid in ipso erat, fecit, neque holocausto voluntas defuit, & sic non pepercit, qui si à Domino relictus fuisset, ferro, & igne filium, vt volebat, confecisset. Cùm ergo voluntas illi non deesset, operis loco habita, proque eo à Domino acceptata fuit. Propterea Sanctus Ioannes Chrysostomus aiebat: *Proposito dextram cruentauit.* Hinc accipitur, quòd Dominus semper spectet voluntatem, quæ cùm prompta est, sic eam remunerat, ac si opus ipsum expletum fuisset, si tamen perficiendi facultas non fuit. Sic è contrà non probat, neque acceptat Deus, quod facere quis potest, & intermittit.

Prædicabat cœlestis Magister Scribis, & Pharisæis æterni Patris sui, suamque potentiam, quæ ex eo etiam elucesceret, quòd gregem suum tam diligenter, ac vigilanter custodirent, vt ex ipsorum manibus nemo aliquid pecoris rapere posset. Commemorabat illis prolixam suam liberalitatem, quæ tanta esset ergà oues suas, vt primùm eas benè pasceret, posthæc etiam in vitam æternam induceret. Tam vehementer illis stomachum hæc, aliaque talia Domini verba mouerunt, vt Sanctus Ioannes dicat: *Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum*; Ioan. 10. 31. vulneraque illi, aut etiam necem inferrent, cui deferre obseruantiam pro sacra institutione, & referre gratiam pro beneficio exhortationis debebant. Quando hanc illorum immodestiam, impudentiamque vidit Dominus, ait: *Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* ibid. v. 32.

In his notandum illud, *Propter quod eorum opus me lapidatis?* neque enim reapse saxis appetiuerunt Dominum, quod ex contextu est videre. Quid ergò quærit causam, cur ab eis lapidaretur? Delicatuli homuli videretur querimonia, eius qui occidi se clamaret, vbi nemo quidquam ageret, per quod illi mortem consciscere posset. Cùm hæc ità habeant, quomodo Christus se lapidari aiebat? Si dixisset, *Propter quod opus me* lapidare vultis, iusta videretur, & rationi consentanea expostulatio. Cur ergò absolutè dicit, *Me lapidatis?*

Respondet Cardinalis Caietanus: *Non dicit, Vultis*

*Vultis* me lapidare, *sed* Lapidatis, *vt intelligamus, quòd erant in procinctu lapidandi, immò quòd quantùm ex ipsis erat, Lapidabant.* Respiciebat Dominus damnatæ voluntatis propositum, per quod lapidibus illum obruissent, nisi diuina potentia pessimis cogitationibus obstitisset, quare & arguuntur, tanquàm saxa in illum reapse iactassent, quoniam ibi non voluntas facultati, sed facultas voluntati defuit. Cùm autem primam voluntatis rationem babeat Dominus, idcircò incusat eos tanquàm lapidassent, quibus lapidandi certa voluntas erat.

Iam si Dominus voluntatis malæ, cui facultas deest, propositum castigat, & coarguit, palàm est, quòd promptam voluntatem eius conceptum opus bonum, per imbecillitatem virium exequi non potest, multò magis remunerabit, vt qui oppidò promptior sit ad conferendum beneficia, quàm ad inferendum supplicia. Qui vellet, nec potest, tantam habebit, quantam acciperet, si opere, quod vult, perficeret.

Vidit in transitu apud Sanctum Marcum nonnullibi Dominus hominem quendam, iussitque sequi. Et ille dicto hilariter, celeriterque obsecundans, extemplò *relictis omnibus surgens secutus est eum.* Ità Beatus Lucas c. 5. v. 28. Ex his signis intellexeritis, Matthæum esse, quo de loquimur. Hic sedebat in telonio, incubans quæstibus, immersus in lucra. Audiebat Christum vocantem, nec mora, & cambiorum libris, & acceptorum, expensorumque codicibus, & omni illâ negotiatione sese abdicauit, comitemque Domino adiunxit.

Sed posthæc dicunt Euangelistæ aliquid, quod nonnullam habet difficultatem. Lucas enim c. iam dicto, v. 29. sic ait: *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua, & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.* Res est, quòd Matthæus, vt qualem qualem posset suæ magnæ felicitatis ostentationem faceret, splendidissimum, dapsilissimumq; conuiuium instruxit, ad quod plurimi confluxerunt hospites negotiationis, & officij consortores, velut ad gratuitas mensas frequens solet esse parasitorum concursatio. At si *relictis omnibus*, vt Lucas dicebat, *surgens secutus est* Christum, vnde habuit ædes, numos, sumptus, reliquumque apparatum, vt Christo, alijsq; tam multis conuiuis tam magnificum, tam pollucibile, & opiparum exhiberet conuiuium? Vnde tanta impendia homini, qui se iam rebus omnibus nudauerat?

Mouit hanc quæstionem iam pridem Sanctus Paschasius in c. 9. Matthæi dicens: *Quæritur, cum sicut Lucas insinuat, relictis omnibus secutus sit Christum de telonio* Matthæus, *quomodo postea in domo sua suis sumptibus pascat eum cum publicanis, & peccatoribus?*

Respondet verò ità: *Ex quo liquet, quòd res voto magis, quàm manu relinquitur.* Quanquàm Matthæus de sua domo nondùm decesserat, neque bonis se abdicârat, dicit nihilominùs Euangelista (cuius calamum moderabatur Spiritus Sanctus) reliquisse illum omnia, idque propter voluntatem, quâ se obstinauerat ad renuntiandum domui, familiæ, & omnibus opum facultatibus. Erat Matthæus obnoxius accipiendis, reddendisque rationibus, habebat res, quas cum alijs componeret, & relinquere eas indigestas sine aliorum iniuria, & offensione conscientiæ propriæ non poterat, & propterea conueniebat, vt non statim abijceret omnia. Et quamuis res ità habeat, quòd non statim de rebus omnibus decessit, quià tamen cunctis sese exuerat, voluntas hæc Matthæi pro opere accepta fuit. Sic Deus vbi facultas deest, voluntatem remunerat, tanquàm expletum fuisset, quod animo solùm propositum fuit.

Spiritus Sanctus Prouerb. 14. v. 22. ait: *Errant, qui operantur malum, misericordia, & veritas præparant bona.* Notandum cum Caietano, quòd illa ex Hebræo sic transferri etiam possunt: *Nonnè errabunt cogitantes malum?* Sed quomodo conuenit vni translationi cum alia? Vulgata versio ait, errare eos, qui operantur malum, Hebraica affirmat, eos hallucinari, qui cogitant malum. Qui cogitant malum, quomodo operantur illud? Respondet Caietanus, eâ loquendi formulâ indicatum, quo loco Deus habeat affectum ad bonum, seu malum, propositum benè agendi, aut malè. Apud Deum qui bonum, aut malum cogitat, non tamen effugiet pœnam, nam quod malum non facit, non fit quià nolit, sed quià non possit. Et cùm Deus attendat affectum, etiam is suum dependet supplicium, qui solâ illum voluntate offendit.

Vt verò in bono, sic & in malo, & quidem multò magis, voluntatem Deus respicit, & digno præmio remunerat. Huius rei pulchram probationem habemus in verbis Salomonicis proximis, ex quibus illa, *Misericordia, & veritas præparant bona*, sic etiam verti possunt ex Hebræo, *Misericordia, & veritas his, qui fabricantur, architectantur, cogitant, arant bonum.* Vbi ex sententia docti Interpretis Salazar hoc vult dicere illius libri author Spiritus Sanctus, diuitem

diuitem mercedem accepturos in cœlis illos, qui animo, & voluntate designant magna, & concipiunt grandia, quæ pro Dei honore facere vellent, si vires suppeterent. Dicit quidam: Vtinam possim excitare monasterium, in quo Dei laudes noctu, diuque cultu religioso, eoque perpetuò exsoluantur. Vtinam possim construere nosocomium, siue domum hospitalem, in qua subueniatur pauperibus, tectoq; excipiantur egeni! Vtinam eas habeam opum facultates, quibus remedium orphanis, & omnium hominum necessitates leuare queam! Qui talia ex animo loquitur, habebit suam à Deo pro istis pijs propositis, proque tam enixa voluntate remunerationem. Pius enim hic pater non tam effectum spectat, quàm affectum, propterea dicit, *Misericordia, & Veritas his, qui* apud animum suum *fabricantur, & imaginando architectantur* monasteria, nosocomia, census, ac prouentus annuos, ex quibus religiosi, & egeni viuere possent. Quidquid magnum pro Dei honore promptâ voluntate decernimus, hoc magno loco habet Dominus, tametsi explicare in opus non possimus.

Denique in domo Dei illud gratum habetur, & admittitur, quod quis facere vult, & non potest, non verò id, quod potest, & non vult. Parùm enim proderit, quòd quis circumfluat diuitijs, quibus opitulari egenis possit, si nolit. Nam Dominus non respicit quod potes, & non vis, acceptum tamen habet, quod facere paratus es, sed non potes.

Quarti Regum 7. c. de illo mari æneo, & fusili lutere dicit facer Scriptor v. 26. *Duo millia batos capiebat.* Paralippomenon liber 2. c. 4. v. 5. de hoc eodem mari fusili sic ait: *Capiebat tria millia metretas.* Facilè hîc est animaduertere, quòd ista mutuò pugnare videantur. Certè duorum millium batorum à tribus millibus metretis magna est distantia, ac propterea nonnullum Expositoribus sacris laborem attulit istorum locorum conciliatio. Quomodo ergò accipienda, quæ vtrimque dicuntur?

Cardinalis Caietanus in 2. Paralip. c. 4. ad hunc modum respondet: *Solutio est, quod ibi*, hoc est, in lib. 4. Reg. *describitur mensura secundùm quantitatem aquæ in communi Vsu, hic autem secundùm quantitatem aquæ, quæ poterat apponi implendo illud Vsq; ad summum.* Verbo hoc dicam. Capacitas ænei maris tanta erat, vt tria metretarum millia excipere posset, cùm bis mille bati plerumq; solùm illi infunderentur. Liber ergò Regum quartus eam solam aquæ mensuram censet, quæ communiter in lutere illo reapse erat, non quæ esse poterat. Tantundem in re nostra euenit. Si duo minuta des, cùm possis tria, duo solùm numerabuntur, & munerabuntur. Si autem nihil eroges, cùm possis aliquid, nihil etiam in rationibus tuis probabitur.

*Periocha septima Dominicæ in ramis palmarum To. 1. pag. 459. habet nonnihil affinitatis cum istis.*

## CAPVT VII.

*Facilè intereunt virtutum opera, quæ Deum non spectant, & ab illius amore, obseruantiaq; non proficiscuntur, quare vt perdurent, benè agentes illum solum respiciamus.*

FAcinus illud Patriarchæ nostri profectum fuit ab obseruantia Dei, & quanquàm arduum, ac perdifficile esset, gloriosum tamen finem habuit quod originem tam nobilem. Hoc est, quod Dominus voluit, cùm ait: *Non pepercisti Vnigenito filio tuo propter me*; Genes. 22. 12. tanquàm apertiùs dixisset: Quòd rem tantam fecisti, hoc inde venit, quòd me ob oculos habuisti, & respexisti, nam si aliud quiduis propositum habuisses, ab opere concepto facilè destitisses. Virtus, quæ plausu nititur, & alitur humano, tam facilè intercidit, quàm caducum est fundamentum, & fragilis basis, cui inhæret.

Dissèrebat Sanctus Ioannes Baptista apud regem Herodem, arguebatque illum de incesta, & scandalosa cum fratria sua consuetudine, dicens: *Non licet tibi habere Vxorem fratris tui* (Marci 6. 18.) non licet tibi eâ per tyrannicam lasciuiam ad explendam turpem libidinem abuti, quam frater tuus fide coniugali sibi soli obligatam pridem habuit. Vide proinde, rex quantum, quamque enorme offendiculum non subditis solùm tuis, verùm & regnis vicinis præbeas. Quo animo salubria boni monitoris verba acceperit, ex eo licet arbitrari, quòd trucidasset illum nisi vulgi metus manum à cæde absterruisset: *Volens* enim *illum occidere, timuit populum,* inquit S. Matthæus 14. 5. Itaque prædicatorem virginem præuaricator incestus exuere vitâ voluit. Cur intermisit? Quid illum à nefario scelere abstinuit? *Timuit populum.* Non amor Dei, non horror tam grauis, & iniustæ occidionis viri tanti, & tam sancti, sed populi motus, & motus publici formido illum tantisper coërcuit.

Hoccine verò solum tibi manus obstringit, vt ne vim, mortemque Ioanni inferas? noli metuere, ne diu ille posthac viuat, noli putare, quòd multos videat soles. Factum itâ, nam paulò post *misit, & decollauit Ioannem in carcere*; Matth. 14. 10. Quomodo

modo enim non statim corrueret, quòd in tam imbecillo fundamento constructum erat? *Facilè deuiat à iustitia* (quod vobis è sacro prædicabilium subtilitatum ærario acceptum dono) *qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem.* Ità S. Petrus Chrysologus serm. 127. Quem non Dei amor, timorq; à peccato auocat, hunc metus hominum non diu morabitur, quamuis enim facere possint hæc retinacula, vt non possit malum, quod propositum habet, exequi, vt tamen nolit, efficere non possunt.

Vt ergo sit stabilis virtus, & perdurabile bonum opus, quid facto opus? Illud, vt solum Deum respiciamus, cùm charitatis, aliarumque virtutum pijs studijs nos tradimus. Solida namque, & firma, & perpetua erunt, quæcunque in tam valida basi construxerimus opera. *Solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, perpetem tribuit facultatem*, inquit rursùm Chrysologus ibid. Quòd vnius Dei intuitu fit, perdurabile est, cuius aliò fertur inter benè operandum respectus, eius facilè intercidit studium, quià & citò languet, torpetque animus tam fragili fundamento nixus.

Sponsus aiebat: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*; Cant. 6.7. Tum v. 8. *Vna est columba mea, perfecta mea.*

Curiosus quispiam sciscitabatur ex sancto Isidoro Pelusiota, quid sibi vellet, quod illi dicebatur, sexaginta fuisse reginas, octoginta concubinas, adolescentulas innumeras, vnam verò consummatam, & perfectam. Respondebat Pelusiota, illâ enumeratione comprehendi varios homines, qui propter varios respectus consectantur virtutem. Reginarum nomine designantur ij, qui intuitu præmij Deo seruiunt. Concubinæ eos repræsentant, quos metus supplicij excitat ad obseruantiam legis Dei. Columba eorum symbolum est, qui neque præmium, neque supplicium, neque cœlum, neque inferos, sed Deum solum respiciunt, atque inde permouentur, vt illi studiosè obseruiant, & omnibus religiosi cultus, pietatisque gratificentur officijs. *Et iuuenculæ* sunt (inquit Isidorus, quem dixi, lib. 4. epist. 5.) *quæ ob aliquos prætextus humanos temperantiam colunt, & iustitiam sectantur, quæ nec regni cœlestis desiderio, nec iudicij, & condemnationis metu officium faciunt.* At cùm cæterorum, qui Deo famulantur, & placere student, certa sit, neque nimia multitudo, quamobrem *adolescentularum non est numerus*? Forteàn Sponsus harum summam nesciuit, cùm numerum aliarum teneret? Minimè omnium, quià Sponsi omniscientia diuini omnia pernouit, perquespecta habet. Quid ergo sibi vult, quòd dicitur adolescentularum non esse numerus? Illud, quod vulgò dicimus, cùm aliquem frugiperdam, & nauci hominem denotare volumus, quòd his verbis plerumque facimus: *Nullo in numero*, siue *nullo numero est*. Sic & Cicero loquitur in Orat. in Anton. & in lib. de claris oratoribus. Quòd ergo Sponsus ait, adolescentularum nullum esse numerum, perinde est, ac si dixisset, nullo numero esse, nec quicquam curandos eos, qui solo hominum intuitu, & priuatæ vtilitatis suæ amore seruant legem Dei, sectanturq; quod bonum est, & iustum, nam eorum virtus vt in fragili fundamento construitur, ità intercidit facilè, leuiterque extinguitur. *Solus est Dei timor, qui fugat crimina, innocentiam seruat.* Solus ille timor est exturbator flagitiorum, excubitorque virtutum vigilantissimus.

Quærit Theophrastus, cur malorum granatorum tam facilè decidant flores, quorum vt sunt cortices duriores, ità diuturniores videntur esse debere flores. Causam exponit l. 2. de causis plantar. cap. 11. inquiens: *Punica flores facilè amittunt, quià nexus eorum debilissimus est.* Vertebras teneras, & delicatulas, & perimbecillas habet flos punicorum, eam ob rem leui aspiritu deijcitur. Diu perdurare, & cohærere non potest, quod tam infirmo nodo retinetur. Si quæras, cur ille à vita pœnitente destitit, cur illa studio vitæ solitariæ, & modestiæ deposito depositum semel mundum muliebrem resumpsit, & ad inanem putidæ cuticulæ cultum, superioremque vanitatem est reuersa, respondebo, *quià nexus eorum debilissimus*. Illius pœnitentia populari aurâ, & plausu hominum spectatorum nitebatur, ista recessum coluit, & latebras petijt, vt in admiratione esset, & opinionem sibi sanctitatis conflaret, ac propterea amborum bona cœpta leuiter corruerunt.

S. Ignatius Martyr epist. 15. to. 3. Vet. PP. ait: *Nihil perpetuum quod videtur.* Hoc est, quod dicit. Quidquid agitur solùm, vt videatur, & non pro solo Deo, diu stabile ac fixum esse non potest. *Solus est Dei timor, qui fugat crimina, innocentiam seruat.* Vt ne veterem domum peccata semel exclusa repetant, atque vt innocentia matrisfamilias locum retineat, rectore, & gubernatore opus habet timore Dei, quod non tali fundamento nititur, facilè occidit, & occumbit.

## CAPVT VIII.

*Nulla magis illustria, nobilioraq; pericula, quàm quæ pro honore, & vtilitate suscipiuntur aliorum.*

COronabat Dominus inclytam hanc Patriarchæ nostri actionem mille benedictionibus, totidemque promissis, dicens: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*; Genes. 12. 17. possidebuntq; posteri tui portas hostium suorum.

Sed notandum cum Paulo Burgensi, non fuisse Dominum pollicitum Abrahæ has benedictiones, nisi postquàm ille sacrificauit arietem, quem vepres implexum, innexumque habebant. Moyses ait: *Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio*; ibid. v. 13. Burgẽsis verò in suis annotationibus ista. *Non fuit sibi factum iuramentum diuinarum promissionum vsque tunc, scilicet post arietis immolationem, quod non debet vacare à mysterio.*

Quid verò sit mysterij, quòd Abraham non habuit illud tam magnificarum iuramentum promissionum, quousq; arietem immolârat? Cur tunc non accipiebat, quando Isaacum offerre victimam certum habebat? Dicit Burgensis, Isaacum fuisse figuram Christi. Affirmârunt hoc ante illum sancti Ephræm, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, aiuntque omnes Expositores. Ratio figuræ est, quià sicut ille aries pro Isaaco cæsus soluit, quod soluere Isaac debebat. Ità Christus pro totius generis nostri culpis sacrificio oblatus debita mundi luit, diuinæque iræ ictus excepit, vt æternum Patrem suum placaret, & reconciliaret. Tunc ergo Abraham benedictionibus cumulatus, & maximis promissis recreatus, honoratusque fuit, quando pro Isaaco aries occisus, vt illo exemplo institueremur, in illos magnâ vi, & copiâ descendere benedictiones, gratias, dona, beneficia Dei, qui pro aliorum commodo, & vtilitate, facultatum opes, honorem, vitam, seque, suaque omnia deuouere discrimini, & offerre periculo nouerunt.

Cùm mortis triumphator, & vitæ reparator vitam cum morte in fatali crucis stipite commutasset, *Venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu*; Marci 15. 43. Erat Ioseph defuncti Magistri, & collegarum amicorum ipsius fidissimus, integerrimusque. Cùm hoc ità habeat, obseruauit Christianus Druthmarus in cap. 27. Matth. quòd nullus aliorum Euangelistarum facit illius tam nobilis, & pij viri aliquam mentionem, nisi hoc in loco, & hac occasione: *Non in alio loco Euangelij de hoc dicitur*, nisi hìc, inquit ille.

Quid est, quòd hâc vice tantùm Euangelistæ meminerunt illius Iosephtis, cùm aliàs sine dubio non paucæ sese obtulerunt actiones, quæ cum laude ipsius commemorari potuerint, & Chronicis sacris inseri meruerint? Cur illud solùm, quòd tam animosè ad Pilatum ingressus fuerit, prætereaque nihil, quod ad illius commendationem facere possit, narratur?

Respondetur, huius solius operis fieri ab Euangelistis mentionem, eò quòd illud solùm videatur sat esse nobilitando illi, & toti prosapiæ eius illustrandæ. Quid enim fecit Ioseph? *Audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu*, hominis, quem homines alij plerique aspernabantur, & abominabantur, execrabilemque de execrabili ligno æstimabant, in quod illum rabiosa hostium suorum inuidia clauis fixum egit. Erat Ioseph diues, & opulentus, atque vt sanctus Ioannes c. 19. v. 38. ait, *Discipulus Iesu, occultus autem, propter metum Iudæorum*: Nihilominus quanquàm præuideret, quòd petens illius cadauer, diuitias suas, & officium, & vitam periculo iacturæ exponeret, contemptis, & calcatis vniuersis, omniq; timore posthabito defuncti corporis pignus depoposcit, vt sumptuoso monumento inferret. Itaque *non in alio loco Euangelij de hoc dicitur, nisi hic*. Nam vt Ioseph æternæ memoriæ consecraretur, & de omni triumpharet obliuione, satis est hâc vnam, solamque innotuisse eius actionem. Qui enim pro honore, & existimatione alterius fidenter opes, honorem, & vitam, periculo exponit propriam, in supremum fortitudinis, & generositatis fastigium peruenisse videtur.


Commendabat Sponsus formæ liberalioris decentiam, & venustatem dilectæ Sponsæ suæ, dicens: *Pulchra es, amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*; Cant. 6. 3. LXX. Interpretes legunt ità: *Pulchra es, proxima mea, sicut ipsa beneuolentia.* Quænam ista beneuolentia, cum qua hìc Sponsus elegantiam Sponsæ suæ componit?

Perspicuum est (inquit sanctus Gregorius Nyssenus) non posse esse aliam, quàm verbum Dei incarnatum Christum, qui opulentum pretiosarum venarum suarum thesaurum in vsum generis humani piè, liberaliterque effudit. Quis ergo subest sensus laudationi Sponsi, dictisq; eius, quibus ait, tunc Sponsam videri elegantiorem, maioremque suæ pulchritudinis ostentationem facere, cum flagranti amori Sponsi magis est assimilis?

Respondet Nyssenus homil. in Cant: *Pulchra sicut ipsa beneuolentia, quæ alijs hoc sit, quod Christus humano generi fuit.* Quod Sponsus ergo dicere voluit, tale fuit: Quando appetentias tuas ô dulcis,& chara Sponsa, gladio cædis, & iugulas concupiscentias, & liberæ carnis voluptates infrenas, pulchra mihi & formosa, (nec enim negare possum) videris. Verùm quando pro commodis alienis discrimini te animosè exponis proprio, quando charitatem tuam exornas similitudine charitatis meæ, quæ fecit, vt ego pro incrementis aliorum curandis detrimenta tam ingentia subierim propria, tunc mihi forma tua dignior,& elegantior, tunc pulchritudo tua cœlestis videtur, & venustas lineam festiuitatis, generositatisque extremam attigisse. Hoc enim periculorum omnium pulcherrimũ ornamentum, cùm pro commodis suscipiuntur, & tolerantur alienis: *Quippè quæ alijs hoc sit, quod Christus humano generi fuit.*

Arreptâ hinc occasione ventilabimus hoc loco quæstionem, quam mouet sanctus Ioannes Chrysostomus, interrogans, cuiusnam maior fuerit charitas, Moysisné ergà suum populum, an Pauli ergà suos cognatos. Nemo inficias ierit, fuisse ingentem Moysis amorem. Cùm enim Dominus cœcum populi peccatum plectere,populumq; ipsum pro fœdo illo, & sacrilego idololatriæ scelere mactare vellet, procurrens Moyses, & medium se objiciens, & stans à populo aiebat: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me, de libro tuo, quem scripsisti;* Exod. 32.31.32.quod ex communi omnium sententia perinde fuit, ac si dixisset: Aut vnam omnibus veniam dona, aut me vnâ cum omnibus obtrunca. Laudabilis hæc, quià generosa actio fuit,& illustre facinus, quod promeruit, vt multi sacri Scriptores noctibus plurimis ad lucernam laudes sacri huius ducis elucubrauerint. Transeamus nunc ad Pauli Charitatem. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis,qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Roman.9. 3. Esse anathema à Christo, idem est, vt aiunt Expositores,quod subire iacturam quietis,vitæ, & omnium bonorum huius mundi pro bono cognatorum spirituali curando,aut promouendo. Neque est nemo, qui dicat, voluisse Paulum ijs verbis dicere,quòd si aliorum gloria & beatitudo in eo posita esset, vt suam ipse perderet, velle beatâ illâ quiete carere, vt ipsi æternùm beato gauderent otio.

Quærit nunc diuinus Constantinopoleos Archiepiscopus Chrysostomus, cùm Moyses, simulque Paulus discimen subierint,vter eorum maiore animi fortitudine, & cordis generositate se periculo obtulerit. Difficilè mihi est hac de re pronuntiare, verùm Christianus Demosthenes eam facilè soluit quæstionem, dicens, valentiorem, ardentioremque Moyse fuisse Paulum. Quamobrem istud? *Quia Moyses cum cæteris optauit perire, Paulus pro cæteris, non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alij ipse de gloria æternitate decedere.* Hæc ille in homil. 1. de laud. Pauli. Moyses vnam cum alijs subire mortem cupiebat. Paulus suâ solius morte sospitare alios optabat. Moyses decedere vitâ paratus erat, verùm seruare alios viuos non curabat: Paulus mori desiderabat,si tamen per mortem suam posset alios relinquere superstites. Ergo quanquàm ingens charitas Moysis,maior tamen Pauli fuit,quæ ad similitudinem, & modum amoris Christi accessit. Propterea sanctus Gregorius Nyssenus homil. vlt. in Cant. affirmat, Paulo, cùm aiebat, *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, dici potuisse: *Talis est animi tui pulchritudo, qualis fuit ergà nos beneuolentia* Christi, qui pro omnium vita mortem tam probrosam appetijt. Mori velle cum omnibus, magnum quiddam est, sed vitam offerre periculo, ne quisquam moriatur aliorum, pro salute aliena contemnere propriam, præstantissimus amor est, & supremus charitatis apiculus.



LIBER

# L I B E R XII.

## V I T Æ A B R A H A M.

### C A P V T I.

*Maxima Christiani securitas est, hoc sibi persuasum habere, nullam esse in hac vita securitatem.*

QVod de fortunæ inconstantia profanus lasciui amoris magister Ouidius affirmat, idem nos in hoc capitulo, quod solicitudini nostræ, & vigilantiæ consecratum est, dicere possumus. Ille aiebat, fortunæ non esse aliam constantiam, quam quòd nunquàm firma, stabilisq; permaneret. Sic vt Christianus in hac vita degat securus, nullâ re meliùs efficiet, quàm si persuasum sibi habeat, nullam posse esse securitatem, atque vt interritus viuat, id obtinebit, si vitam in timore transmittat.

Propheta regius Dauid aiebat: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Videtur hæc esse oratio hominis cuiusuis alterius potiùs, quàm Prophetæ tam cordati, tam sapientis, tam exacti dictorum suorum examinatoris. Nam petere liberari ab eo, cuius tantùm suspicionem habeas, & incertam coniecturam, videtur tale esse, vt in prudentem cadere non possit. Vt tamen assequamur rectum illius petitionis sensum, videamus quidnam Propheta dicere voluerit. Sanctus Ambrosius ait, quod Dauid precatus fuit, id eiusmodi fuisse, ac si apertiùs cum sancto Paulo dixisset: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*; 1. Corinth. 4. 4. non me alicuius admordet conscientia peccati, neque inde tamen fit, vt ego me iustum censere velim, Sic & dicit Propheta: *Amputa opprbrium meum, quod suspicatus sum*, aufer peccata, quibus vereor ne sim implicatus, & contaminatus.

S. Ambrosius serm. 5. in Psal. 118. ait: *Sciebat se hominem esse, & sibi cauebat, vt poterat.* Dauid, & Paulus cognoscebant se homines esse ex nihilo factos fragiles, & quamuis inter suæ imbecillitatis considerationem, non videbant certò peccatum aliquod, quo obstricti essent, non tamen sibiipsis fidebant, hanc maximam interpretati securitatem, quòd se minimè securos putarent. Itaque Dauid dicebat, quòd plurimis ergà seipsum suspicionibus laboraret, & per exiguam sibi à seipso promitteret securitatem, vt cum nonnulla securitate viueret.

De nostro magno Patriarcha iam legimus, quòd *transgrediens ad montem, qui erat contrà Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum*, Genes. 12. 8. vbi LXX. transferunt: *Castra metatus est*, ad modum, quo exercitus figere suos papiliones solent.

Sanctus Ioannes Chrysostomus ait: *Alienâ dictione videtur vsa diuina scriptura*; & quæ tum peregrina sit, tum inepta proposito. Nam sacer Patriarcha tam erat mitis, & pacificus, vt neminem offenderet, aut ad iram prouocaret. Hoc satis probatum dedit, cum suo consobrino optionem dedit, cessionemque fecit terræ, quam illecunque suæ habitationi deligere vellet, vt omnem iurgiorum, contentionumque occasionem amputaret, quod suprà vidimus. Et quando semel arma corripuit, id vrgente necessitate coactus fecit, vt cognatum suum Loth à captiuitate vindicaret. Quorsùm ergo, *castra*, vt illi aiunt, *metatus est*, tanquàm in hostes moueret?

Respondet Chrysostomus, LXX. fuisse eo verbo vsos, *vt ostenderent Patriarcham fuisse semper expeditum, atque accinctum*, & sic vixisse in media pace, vt miles vigilantissimus iuxtà propiùs absitos hostes solet. Et Abraham quidem nullos tunc habebat hostes, neque tamen securus ab illis erat, qui enim hodie non sunt, cras formidari possunt. Et nimiùm præfidere, periculosa incuria est, vt maxima securitas, in quauis securitate timere. Itaque Patriarcha noster *castra metatus est*, *vt ostenderet, semper fuisse expeditum, atque accinctum.* Maxima namque securitas est, minimam habere in maxima securitatem.

Cùm valediceret Redemptor mundi Discipulis suis, iamque hora appetijsset redeundi ad Patrem æternum, hæc ad illos apud Euangelistam Lucam cap. 24. v. 49. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

Theophylactus plurimùm hæsit in eo, quòd Christus *non dixit, accipiatis, sed induamini.* Quamobrem verò diuinus Magister ità locutus est ad Discipulos suos?

Respondet Theophylactus: *Non dixit*, accipiatis, *sed* induamini, *declarans custodiâ spiritualis armatura omninò muniendos.* Non ergo ornandos, sed induendos siue armandos virtute ex alto dixit, tanquàm

quàm indicare voluisset, tunc maximè securos fore, si nunquàm curâ vacui viuerent, vt propterea eos facere cataphractos, & à summo vertice vsq; ad extremos pedes armare vellet loricâ virtutis, quæ non alibi, quàm in ipsa cœlorum officina fabrili cusa esset, *declarans custodiâ spiritualis armaturæ omninò muniendos.* At si Apostoli, illi militantis Ecclesiæ validissimi pugiles, fortissimi duces, inuicti propugnatores semper gladium, scutumque præferre, semper galeâ tecti, loricâque onerati, ac muniti esse debuerunt, quis tam stultè de se præsidere, tantùmque præsumere de fortitudine sua potest, vt putet posse aliter habere securitatem, quàm si se nunquàm securum existimet?

Præclarè hanc tam vtilem, & salutarem doctrinam tradidit patientissimus Iob, quando ait: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Iob. 31. 23. Prudentes nautæ nunquàm tranquillo confidunt mari, solet enim sæpè inopinatò sæua exurgere tempestas, & labantem, vacillantemq; sorbere nauem. At si nemo cordatus, & prudens vel pacato mari credit, quis in concitato, procellosoque securitatem sibi promittat, quando turbidum, & tumultuosum elementum tam sæuis fluctibus fragile lignum verberat, & ad certum naufragium, interitumque impellit? Quis hostem, qui semper gladium vibrat, sic vt nunquàm brachium illis delassetur, nunquàm virium robur attenuetur, non pertimescat? Hoc est, quod sanctus Iob aiebat, cùm diceret: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum*, quando enim me vnius calamitatis fluctu tundit, manet illi brachium liberum, & expeditum, suspensumque ad ictum, vt aliâ nouâ calamitate me feriat, & percellat, ideòque semper viuo ad omnem ictum, calumque paratus, sic enim leuiùs fero, quæcunque accidunt. Ità optimus modus parandæ sibi securitatis est, nunquàm se putare securum.

Concœnârunt Christus, & Discipuli eius, cùmq; dulcissimum nectar, & cœlestem ambrosiam corporis, & sanguinis illius prægustassent, *hymno dicto exierunt in montem Oliueti;* Matth. 26. 30. Mons ille repræsentabat misericordiam, cuius symbolum tritum est arbor Oliuarum.

Percunctari libet, quid mysterij habere possit, quod post susceptum sanctissimum Sacramentum, supremum illud diuinæ liberalitatis donum, post cantatum etiam immortalium gratiarum hymnum, adducere in montem misericordiæ, & indulgentiæ Discipulos suos Dominus voluit?

Respondet quidam Doctus Matthæi Interpres (Paulus de Palatio) inquiens: *Indicatur, quòd etiamsi Eucharistiam susceperis, etiamsi hymnum lætum cecineris, adhuc in montem Oliuarum conscendere, id est, ad Dei misericordiam* confugere debeas. Pretiosissimo corpore, & sanguine Domini roborati, obfirmati, & obarmati erant illius Discipuli, sacro cantu adhæc sese obmunierant, & nihilominùs postquàm illud pretiosissimum donum acceperunt, receperunt se in montem, non securitatis, sed misericordiæ. Nam quamuis homo in supremum gratiæ Dei culmen peruenerit, semper tamen ad illius clementiam confugere, semper illius opem, auxilium, tutelam implorare, præsidioq; commendare se debet. Nemo quippè in hac vita securum se putare debet, quantumuis sibi tectus communitusque videatur. Qui enim nulli suæ firmitudini se credit, qui in molli securitatis suæ lecto nunquàm incurius dormit, ille arx est adamantina, ille turris fortissima.

Quis non putasset conquieturas procellas, maximamque fluctuum, & totius ærumnarum maris fore tranquillitatem, postquàm Dominus Patriarcham nostrum illa tam immani immolandi filij vnigeniti tempestate diu, acriterque exagitauit? Quis non cogitasset, illum tam amarum haustum fore postremum? Alius nihilominùs superest haustus, quem sumat, alia tempestas reliqua, quam sustineat. Haustus ille, & tempestas illa est luctuosus obitus formosæ, quàm honestæ, tam charæ coniugis, quæ cùm illi annis plurimis fida, & indiuidua vitæ socia fuisset, *mortua est in ciuitate, Arbe*, Genes. 23. 2.

Sanctus Ioannes Chrysostomus in illius capitis commentario ait: *Postquàm à sacrificio illo nouo, & admirabili rediji, excepit eum Saræ luctus.* Quando intrà dilectæ coniugis suæ complexus conquiescere sanctus Patriarcha debebat, tunc rigidum, frigidumque illius cadauer deplorabat, & cùm sibi gaudium promitteret, incidit in feretrum, versaq; est in mœrorem lætitia. Nullam habet vita præsens securitatem, cùm enim calamitas abit, mox altera illam sequitur ærumna, & cùm vna subsidit tempestas, exurgit alia, fluctumque fluctus, & procella procellam excipit, & cùm vna deuicta est tentatio, statim alio lacessimur prælio. Optima ergo securè viuendi in spiritualibus, & temporalibus bonis industria est, nunquàm curâ, & metu vacuum esse, neque certam sibi vnquàm promittere securitatem.

*Vide Partis secundæ Politici cœlorum lib 8. cap. 1. & calcem illius, & Tom. 1. in Indice rerum Verbo,* Securitas.

## CAPVT II.

*Vt nostræ actiones felicem sortiantur effectum, ad prudentiæ regulam, & discretionis amussim dirigi debent.*

Deplorauit Abraham charam coniugem suam, sumptuosisque exequijs funus illius cohonestauit, & post funebrem pompam exactam monumentum perquirere cœpit, cui venerabiles reliquias inferret. *Cùm surrexisset ab officio funeris*, inquit sacer Scriptor Genes. 23. 3. vt indicaret, iustum illius supremi officij curandi tempus obseruasse, postque illud ad alia rediisse negotia. Neque perpetuo, neque nullo luctu prosequendi sunt mortui. Nam qui semper deplorant mortuos, aberrant à regula prudentiæ, & discretionis, & qui nunquàm eos deflent, inhumanam præseferunt feritatem. Vt ergo in neutrum extremum incurras, moderatè charis mortuis ingemisce, & illachrymare. Idem in omnibus qualibuscunque actionibus faciendum, nimirùm vt ad prudentiæ regulam, ad discretionis perpendiculum, ad cautionis normam exigantur, quò rectè fiant, omnia enim extrema sunt perniti abilia, & damnosa. Nam vulgo dicitis: *Tanto es pecar por carta de mas, como por carta de menos*, quod hunc habet sensum: Tantundem peccat, qui minùs debito agit, quàm qui plùs iusto, velut recto chartarum lusui æquè ob est folium, quod deest, ac quod superest. Propterea homines pij, qui rectè agere sua cupiunt, constringunt se sapientia patrum spiritualium, vt ij vel pro fræno sint, cùm nimis feruet spiritus, vel pro calcaribus, cùm obtorpescere incipit spiritus.

Propheta regius consuluit laudare æternum benefactorem, ex cuius liberalibus manibus innumera quot dies accipimus beneficia, hortaturque vt harmonicorum instrumentorum sono eum glorificemus, dicens: *Laudate eum in psalterio, & cithara, laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo*; Psal. 3. 4. *In chordis*, inquit, vt sint consonæ voces.

Sanctus Gregorius lib. 20. Moral. cap. 21. ait: *Pensandum est, quòd chorda in cithara, si minùs tenditur, non sonat, si ampliùs, raucum sonat:* Vt ergo gratum sonum edat, & cum alijs consonet, neque plus satis adduci, neque remitti nimiùm debet. Hoc est in morum nostrorum, actionumque musica obseruare rex cantor iubet, quandoquidem eæ omnes ad Dei honorem dirigi, eiusmodi laudibus consecrari debent, dicens: *Laudate eum in chordis*, hoc est, este instrumenta musica per omnia, quæ agitis, & neq; tam remissi, ac tepidi, vt sint ingrata vestra opera, immò ne reputentur quidem opera, neq; tam præproperi, & conciti, vt per intemperantiam peccetis.

Exemplo abstinentiæ rem hanc declarat beatissimus Papa, inquiens: *Sic virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet, aut valdè inordinata est, si corpus atterit plus, quàm valet.* Cuius exigua est à cibo temperantia, eius chorda ex nimia remissione est muta: Qui sic emaciat corpus, vt propè mactet, eius absona est chorda, idque ex immoderata contentione. Itaque nisi manu discretionis moderereris habenas, & prudentiæ pede calcaria regis, non progredientur actiones, vt debent. Sic & chordæ sunt, quas necessum sit tendere, sunt quæ relaxatione opus habeant. Sunt quidam tam grauibus, & impeditis pedibus, vt calcaria requirant, sunt alij tam celeres, & impetuosi, vt fræno egeant.

Sanctus Paulus hoc nobis dicet, magnus vitæ spiritualis Magister. Hic alijs quidem præcipiebat vitare cibi, potusque intemperantiam, vt *non in commessationibus, & ebrietatibus* (Rom. 13. 13.) viuerent, dilecto verò discipulo suo Timotheo scribebat: *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*; 1. Timoth. 5. 23. in quæ sanctus Gregorius vbi suprà sic habet: *Alijs suadenda est abstinentia, Prædicatori autem charissimo scribit, vtere modico vino.* Fræno, & calcaribus opus est, vt rectè moderemur opera nostra. Discipulo, cuius quotidianus potus aqua, suadebat Paulus paululo vino vti: ijs autem, qui se in vina semper ingurgitabant, imperabat aquam bibere, nulla enim fructuosa est actio, quam non prudentia regit, & discretio, quoniam optatum finem per talem actionem nemo assequitur.

Quærit supernus Magister, quisnam sit fidus, commodusque erogandæ in familiam annonæ minister. Et ne operosa nobis accideret responsionis indagatio, quibus verbis quærit, ijsdem respondet, dicens: *Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Matth. 24. v. 45. quasi dixisset: Ille ipse est necessarius Domino suo ad ministrandum domesticis victum, qui fidelis, ac prudens.

O quàm dextrè gubernabit, quàm bonus pater, & magister erit, in quo hæc duo concurrerint, qui ambabus his virtutibus ornatus fuerit? *Vide autem*, inquit Euthymius, *quòd duo hæc habere oporteat eum, qui præpositus est, puta fidem, ne retineat, quæ sunt conseruo-*

*conseruorum, aut inutiliter consumat, & prudentiam, vt decenter ea diuidat, quæ sibi tradita sunt, & cum iudicio, tam in qualitate, quàm in quantitate.* Qui boni dispensatoris partes rectè exequi vult in domo Dei, debet primùm neque sibi arrogare, nec erogare prodigè aliena, deinde etiam curare, vt omnia ex æquo, prout spiritualis animarum gubernatio requirit, distribuat, & paria humeris onera cuique imponat, vires singulorum examinet, nec plura, quàm per eas possit, à quoquàm exigat, nam si in extrema declinet, omnia perdet, vt si giganti onera imponat pygmæi, & pigmæo inijciat pondera, quæ gigas vix, ac ne vix quidem ferre queat.

Huc allusit Apostolus, quando nonnullibi dixit: *Nolite pueri affici sensibus* (1. Corinth. 14. 20.) siue infirmo, ac tenui rationis iudicio, alibi verò ait: *Christus dilexit Ecclesiam, &c. vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam;* Ephes. 5. 27. Neque pueros vult Paulus, neq; rugosam, squalidamq; Ecclesiam Christus, hoc est, non prorsùm decrepitos, & omninò fractos longo senio, vt exponit sanctus Gregorius Nyssenus. Qualesnam ergo illas animas vult Dominus? Eas, quæ extrema defugiunt, neque tam exiguâ sunt ætate, vt non valeant iudicio, neque tam prægrauatæ annis, vt sint attritis viribus. *Sola ea anima, quæ statum transit infantilem, & ad spiritualis ætatis florem peruenit, ac vigorem, nec maculam accepit, aut rugam, & neque propter infantiam caret sensu, neque ob vetustatem est imbecilla, ea paret præcepto legis.* Ità Nyssenus homil. 2. in Cant. Pueritia, & senectus duo quædam extrema sunt ætatis. Hæc declinare Paulus, Christusque iubent, vt neque puerorum insipientiam imitemur, neque torpentes simus ad officia pia, quemadmodùm ad corporalia senes, nisi enim vtraque fugias, nihil rectè ages, nullum ad normam prudentiæ conficies opus. Mediam talium extremorum ætatem vult Paulus, vt declarat Nyssenus.

Appositè ad illa Nysseni dicebat magnus illius amicus, & Theologus sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 12. *Sic statuo, nec segniorem quenquam esse debere, quàm par sit, nec feruentiorem, ità vt vel ob leuitatem ad omnes se aggreget, vel ob temeritatem, & insolentiam ab omnibus se remoueat.* In omnibus discretè, & prudenter agendum, vt rectè agatur.

*Vide Partis secundæ Politici cælorum lib. 7. cap. 9.*

## CAPVT III.

*Si tam contagiosa sunt vicina corpora mortuorum, quorum fuit vita bona, quàm periculosa erit societas viuorum, quorum sunt tam mala opera?*

Dignum consideratione est studium, & diligentia, sollicitudoq; quacum Patriarcha noster indagabat agrum commodum, quem deligeret monumento vxoris, & sepulchro proprio. Agrum, vt dixi, pro tumulo suo, defunctæq; coniugis comparandum perquirebat. Solennis enim, & constans olim Hebræorum, ac Romanorum consuetudo fuit, sepulchreta sua ruri habere, ibiq; mortuos suos humare, quod cultus Hispanæ eruditionis Apollo D. Laurentius Ramires de Prado Pentecontar. c. 17. doctè, atque eleganter probat ex Genesi, Paralippomenis, Sancto Matthæo Euangelista, Flacco Siculo, Frontino, Iuliano Imperatore, Pomponio Iurisconsulto, & alijs multis. Verba sapientissimi consiliarij sic habent: *Equibus morem etiam antiquum Iudæis, & Romanis communem elicio, solitum scilicet strui sepulchra in finibus agrorum iuxta viam.* Mysterium autem sepulchrorum iuxtà viam construi solitorum, alteri occasioni magis opportunæ enudandum seruo. Magnus ergo Patriarcha noster ad filios Heth aiebat: *Date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum;* Genes. 23. 4. Quare hoc fecerit? Respondet Oleaster in annot. morali: *Non solùm in vita, sed etiam in morte voluerunt iusti ab iniustis separari.*

Societatem malorum tantoperè fugiunt boni, vt & viui & mortui eos deuitent, neque vicinos habere velint, tanquàm adeò contagiosa sit illorum vicinitas, vt & mortuis suum afflare virus & adferre pestem possint. Hinc accipiam occasionem tradendæ disciplinæ omnium, quæ ad morum reformationem facere possunt, vtilissimæ. Hoc est, quòd Dominũ nostrum rogare absque intermissione, & maximum in modum etiam atque etiam obsecrare debemus, vt per pientissima immensæ misericordiæ suæ viscera nos ab omni malorum societate abstrahat, nescio enim quid aliud in mundo sit, quod maiorem habeat etiã ad perfectissimũ quemq; deprauandũ vim, efficacitatemq;, quàm talium cõmercium, & conuictus.

Sanctus Lucas Euangelista, in libro actuum Apostolicorum refert, quòd sanctus Barnabas socio ad prædicationis officium vti voluerit quodam Discipulo Ioanne, cui agnomen fuerit Marcus. Cùm hoc intellexisset beatus Paulus, impedire hanc coniunctionem, quibus modis potuit, conatus fuit: *Paulus*

*lus autem rogabat eum ( vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus ) non debere recipi*, Act. 15. 38. Ille Ioannes Marcus in alueari Ecclesiæ quasi quidam fucus erat, vt *qui non isset cum eis in opus*, inquit Lucas, & segnis operarius erat, & ignauus miles eo tempore, quo strenuè dimicare necessum erat: Eapropter nolebat Sanctus Paulus, vt Barnabas comitem sibi adsciſceret Ioannem Marcum. In hanc rem sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 6. de laudib. Pauli ait: *Quoniam in ipsa aciei fronte constitutum nimis inutiliter egerat, eum meritò Paulus abiecit, ne illius quasi contagione vires corrumperentur aliorum.* Fuit quando Ioannes Marcus ad pugnam missus, cùm primus irruere in hostem, primus aduersam frangere aciem deberet, primus fractus animo magnam ostendit ignauiam. Dicebat ergo Paulus: Malè tam timidus in exercitu miles ponitur, vnus enim inertiam suam in cunctos diffundet, vt omnes tanquàm meticulosi, & pusillanimes fugiant: Exercitum totum deses vnus reddere ignauum, & integrum hominum bonorum cœtũ deprauare improbus vnicus potest: *Eum meritò Paulus abiecit, ne illius quasi contagione vires corrumperentur aliorum.*

Benè conueniet cum his quidpiam, quod sanctus Ambrosius refert. Differere ille aliquando apud populum de auium natura cùm vellet, non satis recordabatur eorum, de quibus dicere propositum habebat (quod ipse ingenuè fatetur, ad eorum concionatorum, qui sunt labili memoriâ, non paruam consolationem) cùmque dilapsam ex animo nonnihil reuocasset materiam, aiebat: *Fugerat nos necessaria de natura auium disputatio, & sermo huiusmodi nobis cum ipsis auolauerat.* Hæc ille lib. 5. Hexæm. c. 12. Ità solet homo ad eorum, quibuscum communicat, mores sese componere. *Fit enim natura quadam, vt hi, qui aliquid intuentur, vel dicendo exprimere volunt, eorum qualitatem, quæ vel intuentur, vel loquuntur, assumant, vt & cum pigrioribus immoremur, & cum velocibus celeri rapiamur aspectu, stylo quoq; aut tardiore vtamur, aut rapido.* Morum affinitatem coniunctio societatis, facilè parit, Balbutire, aut præcipitare verba familiare est eis, qui balbutientibus, aut præcipitantibus, sunt familiares, procliuiterque sequimur eò, quò ire amant, quibuscum frequens habemus commertium.

Admirationem cuipiã adferet illa sanctorum Angelorum solicitudo, qua sanctum Loth ad abitum impulerunt, cùm Sodomitas, vrbemque eorum flammis absumere vellent. *Cùm esset mane, cogebant eum Angeli*; inquit sacer Scriptor Gen. 19. 15. & quantumuis illi accelerare iuberent, quantumuis ad maturandum egressum vrgerent, & cogerent, hærebat tamen Loth, tanquàm non intellexisset, quæ Angeli monebant. Itaque *dissimulante illo apprehenderunt manum eius*, illùmque, & vxorem eius, & liberos amborum velut per capistrum extraxerunt magis, quàm eduxerunt.

Vnde nasci potuit, quòd Loth ità, dissimulauit ad voces Angelorum, ità tergiuersatus fuit, & non attendit; non animaduertit monita salutaria cœlestium nuntiorum, sic vt non satis credere videretur, quòd intentatæ ab eis minæ effectum habituræ essent, cùm ex obscœnorum illorum hominum consortio se proripere iubebatur? Quis hoc sancto Patriarchæ vel aspergere, vel allinire potuit, vt fides illius nonnihil turbaretur, & obscuraretur?

Angelicus Doctor sanctus Thomas in c. 19. Gen. ait: *Mirum est, quòd cùm prius ità credidisset Angelis, quòd modò ita tardabat, & negligebat exire.* Initiò Loth fidem dabat omnibus, quæ dicta fuerant ab Angelis, humiliterque eos colebat, & domesticos suos, generosque ad obtemperandum eorum iussionibus solicitè, ac vehementer exhortabatur. Vnde ergo tanta illi posthæc & cunctatio, & hæsitatio?

Respondet Theologiæ magister Angelicus: *Ex derisione generorum suorum aliquantulùm obscurata, & turbata fuerat fides eius.* Dixerant Angeli ad Loth, vt si quos haberet sanguinis, vel affinitatis necessitudine coniunctos, eos moneret, vt fugæ se accingerent, relictâque ciuitate certum exitium, idq; proximè imminens euaderet, & quòd illam igne, ac flammis vastare vellent. Fecit ille quod iussus, monuitque generos, *& visus est eis quasi ludens loqui* (Genes. 19. 14.) & iocum interpretati sunt minas Angelorum narrationem soceri cum risu acceperunt, tantùmq; non obiurgarunt eum, quòd nugamentis talibus tam facilem fidem daret. Sola eorũ, quo à generis contrà dicebantur, auditio ità concutiebat fidem sancti Loth, vt titubaret, & penè ad partes eorum transiret, ac ferè ipse etiam ludum putaret, quæ Angeli nũtiauerant: *Ex derisione generorũ suorũ aliquantulùm obscurata & turbata fuerat fides eius.* Mirum, ac terribile eousq; virũ talem taliter, tam facilè abductum fuisse! Videat ergo vnusquilibet, quibuscum consuescat, & conuersetur. Nam si sanctus Loth, qui paulò ante tam firmiter credebat, quæcunque ab Angelis acceperat, & tam studiosè perficiebat, quæ ab illis iussus fuerat, & tam ardenter, anxièque ad quærendam effugio salutem, ad so-

ſpitandam diſceſſione vitam ſuos omnes cohortabatur, tam facilè poſteà intepuit, & refrixit: Quid nō timere debet, qui crebrò combibit, conueſcitur, cōmunicat cùm improbis, & contaminatis, & peruerſis? Quis inter malos ſocios ſecurum ſe putabit, quando Loth, quædam velut turris fidei, & tam feruens, tamque magnanimus, ac robuſtus ſancti Patriarchæ Abrahæ conſobrinus ad primum impetum vacillauit, & primo tormenti bellici globo tantùm non deiectus fuit?

Propheta regiùs aiebat: *In æternum, Domine Verbum tuum permanet in cœlo;* Pſal. 118. 89. tanquàm pluribus dixiſſet: Scio Domine, huius vitæ fragilitatem, expertus noui præſentis ſæculi viciſſitudines, & variam mutabilitatem, proinde & fateor, quòd apud te ſolùm, & in tua imperiali aula omnia perpetuò conſtant, durant, firmiterq; perſeuerant.

Sanctus Ambroſius Serm. 12. in illum Pſalmum ait: *In cœlo permanet Verbum, quia inde deiectus eſt diabolus, in terris non permanet, quià hic totus aduenit.* Ratio perdurantis ſemper in cœlo firmitudinis vna è multis eſt, quòd dæmon inde exturbatus.

Admirabilis loquendi modus. Quid enim ibi mali facere peſſimus dæmon poterat, vbi Monarchæ ſupremi tremenda maieſtas reſidet, vbi totum eſt gloria, poteſtas, ſecuritas? Quam ibi metus occaſionem præbere diabolus, aut quid procurare incommodi poterat? Hinc arbitrari poteſtis, inquit Ambroſius, quàm ſit contagioſa malorum ſocietas, quantumque valeat ad inficiendum, ad peruertendum. Sentire nimirùm ſanctiſſimus ille Doctor videtur, neque cœlum ſatis ſecurum eſſe potuiſſe, ſi ibi relictus fuiſſet diabolus, tanquàm ille totam cœlorum regiam ſimultatibus, diſſidijs, motibus inteſtinis, tumultibus implere, perque turbare valuiſſet. Ob hoc ergo ſolùm videtur cœlum eſſe ſecurum, & tranquillum, quià ſocietate malâ eſt vacuum; *In cœlo igitur permanet Verbum, quià inde deiectus eſt diabolus.* Infernus è cœlo, vt videtur, fieret, niſi improborum conuictus inde procul abeſſet.

Hic ego huius capituli quemcunque lectorem oro, & obſecro, vt attentè diſpiciat, & diligenter conſideret, quos vitæ, conuictusque ſocios deligat, mali enim ſuâ conſuetudine corrumpunt eos, quibuſcum conuerſantur. Et nemo ſuis virtutibus fidat, quià incolumi æger ſuam contagionem affundit, ſanus autem ſuâ viſitatione infirmum nullus vnquàm curauit.

*Vide Perìocham II. Domin. XIII. poſt Pentecoſt. To. II. pag. 196. b. o. & quæ ad finem adſcripta.*

## CAPVT IV.

*Reliquis vitæ humanæ ſtatibus minutatim dantur labores, coniugati, & matrimonio iuncti prægrauantur omnibus.*

POſtquàm, tumulo illatæ, & in monumento repoſitæ fuerant venerabiles reliquiæ, quod Patriarcha noſter ab Ephron quodam coemerat, cœpit agere de vxore inquirenda primogenito ſuo Iſaac, in quo maximam inclytæ poſteritatis ſuæ, & glorioſæ proſapiæ ſpem repoſitam habebat. Monet autem ſacer Scriptor Moyſes, grandæuum fuiſſe per id tēpus Abrhamum, inquiens: *Erat Abraham ſenex dierum multorum;* Geneſ. 24. 1.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ibi quærit: *Quare hæc nobis aſſignauit Scriptura?* Quo conſilio narrat Moyſes decrepitum fuiſſe Abrahamum, quando collocandi in matrimonium, filij cogitatum ſuſcepit?

Reſpondet: *Quia curaturus erat, vt ſponſa Iſaaco adduceretur, ideo nobis eius ætatem aſſignauit. Quādo ad extremam, inquit, ſenectutem peruenit.* Experientiâ doctus Abraham pernouerat, quantis curis, ac peruigilijs plenum eſſet matrimonium, eorum etiam, qui pacatam concorditer, vnanimiterque ducerent vitam, proptereà videtur filij ſui coniugium prorogaſſe, ac diſtuliſſe, quouſque poterat. Quare capulo proximus, & Charōticus ſenecio erat, quando filio ſuo prouidere de nuptijs, cùm aliud iam non poſſet, debuit: *Quando ad extremam ſenectutem peruenit.* Reuerà negari non poteſt, ſanctum illum ſtatum multis ſubiectum eſſe miſerijs, & calamitatibus. Habent etiam ſtatus alij ſuas ærumnas, & difficultates, ſed minutas, in coniugij ſtatum confluunt omnes.

Diſcurrebat ſanctus Auguſtinus per vniuerſos præſentis vitæ ſtatus, cùmque ad eos deueniſſet, qui ad continentiam, cœlibatumque voto ſe obſtinarūt, ſic inquiebat in Pſal. 86. *Alius ex munere Dei maius aliquid vouit, & ſtatuit nec nuptias pati, qui non damnaretur, ſi duxiſſet vxorem, poſt votum, quod Deo promiſit, ſi duxerit, damnabitur.* Nonné animaduertitis miram egregij Doctoris phraſin? *Statuit nec nuptias pati,* ait de illo, qui continentiæ votum Deo nuncupauit. Sed qualis ille loquendi modus? Qui politioris literaturæ, & terſioris latinitatis ſunt ſtudioſi, alijs verbis eam rem efferre, & dicere ſolent, *vxorem ducere, nubere, matrimonium contrahere, coniugium inire,* &c. at quis dixit, *nuptias pati?* Quis? Quiſquis matrimonij miſerias, & ærumnas nouit,

idem non nescit, iungi vxori tantundem esse, quantum adire passionem, & addici remo calamitatum, curarum, anxietatum, quas magno agmine secum ducit tristis hic, & ærumnosus status. Itaque acutè sanctus Augustinus nuptias vocat passionem.

Si etiam mortem quis vocaret, non multùm à vero aberraret. Certè Dardanenses Illyrici satis hoc indicârunt, de quibus Ælianus lib. 4. de varia historia c. 1. sic habet: *Dardanenses Illyricos ter solummodò per vniuersam vitam audio lauari consueuisse, post partum, cùm nuptias ineunt, & cùm mortem obierunt.* Quando hîc rem aliquam molestam, & acerbam, pœnalemque exaggerare volumus, dicere solemus: *Esto es cosa, que se puede hazer vna vez en la vida, y otra en la muerte*; hoc est: *Res ea talis est, quæ semel in vita, iterumque in morte fieri possit.* Ægrè adducebantur Dardanenses, vt lauarentur, persuasi fatale prognosticum esse, sæpius lauari. Putabant nihilominùs non omnem omninò intermittendam lotionem, itaque lauabantur & cùm nati, & cùm denati, tam infelix enim omen arbitrabantur lauari, vt nonnisi semel in vita, rursumque in morte lauarentur. Et quando præterea? *Postquàm nuptias ineunt*, quo significabant, tam sinistri portenti loco habere, inter nuptias (quanquàm non facere non possent quàm nasci, ac mori, vt proinde etiam eisdem cæremonijs vterentur ad nuptias, quibus ad primum ortum, & extremum obitum vtebantur alij. Neque iniuria illud: Nam vt ad miserias nascuntur, qui in lucem eduntur, & vermium esca fiunt, qui è viuis decedunt; ità illi putabant, eos, qui matrimonio copulabantur, simul obligari ad colluctandum perpetuò cum toto, eoque numeroso, & ingenti curarum, molestiarum, angustiarum nocturnarum, diurnarum, corporalium, spiritualium exercitu. Et veluti is, qui moritur, occidit, vt sit cibus vermium, sic is, qui vxorem ducit, coniugatur, vt sit pabulum, & fomes solicitudinum, & ærumnarum.

Nihil magnum hîc affirmamus, quod dicet, quisquis consideraverit veterum morem, qui tædas nouis nuptis præferre solebant, cuius consuetudinis meminerunt Virgilius, Alexander Neapolitanus, Andreas Triaquellus, Iustus Lypsius, & alij plures.

Quid ritu illo, & cæremoniâ indicare volebant? Doctus quidam Ecclesiastici interpres, Tufus in c. 9. Eccles. v. 1. Respondet: *Qui matrimonio coniungitur, & amori coniugali se mancipat, tanquàm morti se dat. Faces igitur illæ, quæ coniuges comitantur, tædæ sunt in eorum accensæ morte.* Tædis olim prosequebantur recens nuptos, quibuscum ad sepulchrum educi mortui solent, vt significarent, quàm parùm differt à tumulo thalamus, tam exiguum discrimen esse inter eum, qui matrimonium init, & qui mortem subit.

Res est omnibus, qui etiam parùm versati sunt in sacris literis, explorata, quòd illud tetragrammaton, siue quatuor literarum nomen tantam habebat venerationem, & existimationem, vt nemo illud nisi summus sacerdos pronuntiaret. Itaque pro illo abscondito, & sacrosancto nomine vtebantur ad implorandam Dei maiestatem alijs vocabulis. Fundatur hoc in illo Exodi 6. 3. *Nomen meum Adonai non indicaui eis*, & hoc nomen, vt aiunt Expositores, est illud ineffabile IEHOVA. de quo Abulensis in illud c. 6. Exodi sic inquit: *Nomen Dei tetragrammaton, vt quidam volunt, tanta sanctitatis est, quòd à nullo debeat nominari, nisi à sacerdote magno.* Cùm autem illud tam sanctum, tam sublime, tam augustum nomen nonnisi à summo sacerdote proferri posset, procul dubio non proferebatur nisi ad inuocandum in magnis calamitatibus, & vrgentissimis necessitatibus Deum. Quibusnam verò illis? An fortè, cùm atrox aliqua, & mortifera populo Hebræorum minabatur pestis? An cùm hostis populabatur agros, vastabat messem, omnemque patriam diripiebat? An cùm cœlum factum æneum aridæ, steriliq; terræ fœcundum negabat rorem? Non profectò. At si ad bella, pestem, sterilitatem, (qui sunt infensissimi, & turbulentissimi hominum hostes) non proferebatur sanctum illud, & ineffabile, & mysticum nomen, quòd nemo vsurpare ore poterat, grauissima necessitas fuisse debuit quæcunque illa, ob quam summus sacerdos illud ad precandum adhibebat, sicut deuotissimæ imagines Guadalupensis, & Montisferrati, nonnisi cùm luctuosissima calamitas Hispaniam premit, suis locis efferri in publicum solent. Quid ergo tandem erat, cuius gratiâ illud sanctissimum, & augustissimum nomen ex ore sacerdotis, in quo velut quodam sacrario recunditū latebat, proferebatur?

Respondet Abulensis: *In benedictionibus nubentium* proferebatur magnum illud, & venerabile nomen, quod alioquin, vt maiorum haberet cultum, & obseruantiam, silentij aulæis tectum seruabatur. Itanè tunc solùm eò ad orandum vtebatur sacerdos magnus, cùm benedicendi erant, qui nupturi, & non ad depellendum à patria pestem, famem, bellorumque, & temporum iniuriam? *In benedictionibus*

*nubentium* tantum vſurpabat ſacerdos, vt tali myſterio ſignificaretur tot, tantaſque eſſe curas, miſerias, calamitates, quæ ſtatum matrimonij inſeparabiliter comitantur, vt nullæ ſunt ærumnæ, nullæ miſeriæ, quæ comparari cum illis queant. Et propterea in celebratione nuptiarum proferebatur illud ſacroſanctum nomen, quod in quauis alia neceſſitate ſeruabatur tectum, abſconditum, ſecretum.

Huc facit illud ſancti Gregorij Nyſſeni ex lib. de virginit. c. 3. *Si fieri poſſet, vt ante periculum rerum, quas poſteà quis eſt expertus, diſceret, aut aliquâ aliâ coniecturâ is, qui in hac vita verſatur, res perſpicere poſſet, quantus profectò fieret illorum concurſus, qui ad virginitatem à nuptijs confugerent?* Si quis ante ſuſceptum matrimonij iugum facere periculum poſſet moleſtiarum, rerumque incommodarum omnium, quibuſcum vita coniugatorum eſt alligata, quãto impetu, & numero ad expeditum illum iniugum ſtatum, & beatum Virginum chorum plerique concurſarent, & perpetuum nuptijs valedicerent?

Si plurimi in vna porticu eſſent homines, taurusque ferox, aut leo inopinatò ſolutus adueniret, quàm celeriter, quàm anxiè, quàm inhianter, quamque contentioſè, & tumultuoſè omnes portam appeterent, fugaque elabi, cornuaque, & vngues euadere, & vitam ſoſpitare ſtuderent? Tale quidpiam eſt, quod ait Nyſſenus: *Quantus fieret illorum concurſus, qui ad virginitatem à nuptijs confugerent*, ſi intelligerent, quòd inire matrimonium non eſt ſolui, ſed coniugari laboribus magnis, curis varijs, ſolicitudinibus perpetuis? Totâ pedum pernicitate à propoſito nuptiarum defugerent, atque ad ſacra virginitatis remis, quod aiunt, ac velis contenderent, ſi ea ante exploratè perſpecta haberent.

Dicunt ſæpè prædicatores, & magiſtri ſpirituales, neque malè, ſi quis ad inferos deſcenderet, ſuppliciaque ea oculis vſurparet, vel ad breue tempus toleraret, & poſthæc in vitam hanc rediret, eum hilariter, lætanterque ſubiturum quamcunque pœnitentiam, & corporis afflictationem, atque emaciationem, peraſperam licèt, & peracerbam, ac terribilem: Nam qui illas inferorum pœnas ſemel deguſtaſſet, illi omnis vitæ huius pœna gloria omnis præſentis temporis cruciatus videretur paradiſus, omne martyrium quies, & refocillatio. Ad eundẽ modum videtur dicere Nyſſenus: Si quis extrà ſtatum matrimonij experiretur ſtatus illius pœnas, labores, tœdia, anguſtias, grauitatemque iugi eius, quod ſubeunt, quicunque connubium ineunt, *quãtus profectò illorum fieret concurſus, qui ad virginitatem à nuptijs confugerent?*

Alia mihi reliqua eſt dubitatiuncula, quam diſcutere in verbis Nyſſeni debeam. Verba hæc ſunt: *Si aliqua alia coniecturâ is, qui in hac vita verſatur, res perſpicere poſſet*, atque ex eis æſtimare, quantæ ſint matrimonij ærumnæ, virginitatem vtique amplecteretur tum ille, tum alius quilibet earundem miſeriarum conſcius. *Si coniecturâ res perſpicere poſſet*, inquit. Ergone coniectura nulla eſt talis rerũ aliarum, quâ ducti proſpicere poſſimus, quantæ ſint curæ, & miſeriæ matrimonij? Pono hominem obſcuro ergaſtulo incluſum, qui dulci libertate orbatus non alio quàm tribulationis pane veſcitur. Pono alium vinculis ferreis prægrauatum, & triremibus addictum, vbi maximæ blanditiæ ſunt virgæ, flagra, ſcuticæ. Pono tertium militem miſerum in illo Hiſpanorum ſepulchro (Belgium, credo, indigitat) poſitum, & cingulo tenus in palude defixum, qui parte ſui mediâ ſepultus, totus quantus morti eſt expoſitus. Annon poſſet quis ex talium hominũ infelicitate coniecturam capere moleſtiarum, quibuſcum coniuncta eſt vita nuptorum? Nyſſenus negat poſſe, omnes enim illæ miſeriæ videntur pictæ eſſe, ſi cum eis conferantur, quæ excipere, & perſequi coniuges ſolent. Si aliter ſentis, interroga multos nuptos, & dicent, pluſquàm vera eſſe, quæ dixi.

*Vide primæ partis Politici lib. 3. c. 2. & alium locum ex Tomo II. ad finem adſcriptum, vbi de hoc argumento plura, & meliora.*

## CAPVT V.

*Quod hominem non proximè attingit, tametſi proximum habeat, tanquàm procul poſitum aſpicit.*

CVm Redemptor mundi ſecum reputaret, quàm contumaces eſſent, & proterui homines quibuſcum verſabatur, quàmque prompti ad maledicendum, ſic vt ſanctiſſimum Baptiſtam, ſeu ieiunaret, ſeu cibos caperet, criminarentur, & proſcinderent, tantâ eorum peruicaciâ, & conuitiandi licentiâ exaſperatus inquiebat: *Cui ergo ſimiles dicam homines generationis huius?* Lucæ 7. v. 31. Subdit autem ſtatim: *Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus, Cantauimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis, lamentauimus, & non ploraſtis.*

Qualiſnam erat ille puerorum ludus, cuius mentionem hîc facit Dominus?

Theophylactus id exponit his verbis: *Erat quodam*

*dam ludi genus apud Iudæos, in partes enim duas pueri multi diuidebantur, & quasi vitam deridebant. Alij ex vna parte lamentabantur, alij ex altera tibijs canebant, & neque lugentes curabant hi, qui ex altera parte* canebant, *neque tibicines ipsos curabant hi, qui lugebant.* Quod ludus ac iocus apud illos erat, id seriò apud nos agitur, & reapse quotidie in mundo experimur. Nimirùm alij lachrymas fundunt, risu alij diffluunt, alij abundant diuitijs, alij laborant inopiâ; alij miseram in luctu, alij inter prospera lætam, ac iucundam vitam ducunt. An verò opulenti fortè miserantur infelicitatem egenorum? An pauperes solatium sibi ex abundantia diuitum aliquod accersunt, aut de prospera eorum fortuna gratulantur? id ex acerbo animi sensu, quocum & res suas aduersas, & aliorum secundas vident, æstimare possis: *Neque lugentes curabant hi, qui ex altera parte, neque tibicines ipsos curabant hi, qui lugebant.* Quàm parùm mouetur satur pœnis ieiuni? Quàm parùm consolationis haurit ieiunus ex saturitate benè pasti? Denique suum quisq; negotium curat, & quæ illum proximè concernunt, ea dolet, cætera neque solicitant illum, neque insomnem faciunt.

Cùm insani Iudæi internecino aduersùs Christũ odio furerent, & Pilatus præses iuberet, vt ipsi eum acciperent, & secundùm suæ legis statuta in crucem abriperent, in quo ille nihil inuenire posset, quod damnando ad mortem satis esset, respondit Hebræorum vulgus, legem se habere, & iuxtà eam mori debere, eò quòd se filium Dei fecisset. Expendit hæc verba Pilatus, ingressusq; prætorium, interrogauit Dominum nostrum: *Vnde es tu?* Ioan. 19. 9.

Quærit Simon de Cassia, quamobrem iniquus præses innocentem reum illud percunctatus fuerit, à quo paulò ante audierat: *Regnum meum non est de hoc mundo*; Ioan. 18. 38. Et si fortè patriam illius indagabat, tam certò sciebat Gallilæum esse, vt proptereà illum miserit Herodi, qui Gallilææ per id tempus imperabat. Verba Simonis de Cassia sic habent: *Mirandum, quòd Pilatus interrogauit, vnde esset, cùm patriam antè cognouerat, quia Gallilæus erat.* Quid ergò nunc inquirebat in patriam Christi Pilatus, quam paulò ante benè habuerat exploratam?

Respondet Venerabilis Doctor: *Quærit vnde sit Christus, quià obliuioni tradiderat.* Erat Christus pauper reus, omnes illum destituerant, exiguum quæstum ex illius causa Pilatus sperabat, & quoniam parùm vtilitatis expectare poterat, *obliuioni tradiderat*, & quanquàm paulò ante audierat, ex Gallilæa oriundum esse, Gallilææ tamen omnis memoria sic illum præterierat, ac si nullam sol ille vnquàm vidisset, aut mundus hic aliquando habuisset Gallilæam. Nullius rei tanta sunt pondera, vt non leuis videatur ei, qui nullum sibi inde posse nasci commodum videt, & si perituram cernat, quam nullum parituram fructum videt, parùm curat, aut dolet.

Apud Matthæum c. 16. v. 24. aiebat Christus Discipulis suis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; velut alijs verbis dixisset: Neminem contubernalem admitto, nisi qui sibiipsi renuntiare, & crucem subiectis humeris excipere, atque eâ onustus me comitari velit. Nullus est sacrorum Expositorum, qui non hæserit in consideratione istorum verborum, *Abneget semetipsum.* Quid ergò est abnegare seipsum?

Prætermissis varijs expositionibus solam Theophylacti interpretationem, quam ex homil. 56. Sancti Ioannis Chrysostomi in Matthæum mutuatus est, causæ nostræ percommodam huc adferam, quæ sic habet: *Quid sit abnegare semetipsum, discemus, si didicerimus, quid sit abnegare alium.* Quid est ergò abnegare alium? Respondet: *Qui abnegat aliũ, etiamsi flagellari illum viderit, & occidi, non aduertit; non dolet, non compatitur semel ab eo alienatus.* Proximorum mala, quæ nos proximè non attingũt, tametsi eos lamari flagris, mactari verberibus, secari in frusta, & raptari in patibulum videamus, neq; lachrymas nobis exprimunt, neq; extorquent suspiria. Dicit ergò nunc Theophylactus? Quamdiu te non velut alterum quendam habes, puta non esse verum Christi discipulum. Hoc itaque est negare seipsum, de se tanquàm de alio sentire, existimare se illum, qui patitur. Nam cùm sua plerumque, & non proximi mala quisque deploret, qui se tanquàm alium habuerit, sua mala non multùm sentiet, & ita satis seipsum negabit.

Congruit cum his quædam Sancti Gregorij Nazianzeni obseruatio. Cùm ille secum reputaret tam varia immanium, & sæuissimorum tormentorum genera, quæ martyribus barbari Catholicæ fidei hostes sanguinem eorum ardenter sitientes intulerunt, constantiamque, & fortitudinem, quâ illi robustissimi athletæ cruciatus omnes perferebant, simul apud animum expenderet, aiebat Orat. 9. *Alacri animo velut in alienis corporibus dimicarunt.* Vt enim parùm doloris nobis adferunt verbera, quæ corpora excipiunt aliorum, ità martyres non magis sentiebant

bant tormenta, quàm si ea in corporibus excepissent alienis. Nam quæ alij tolerant, quantumuis sint acerba, & pœnalia, non multùm plerumque nos afficiunt. Nostra mala deplorare solemus, nec sentire, nisi quæ ad nos proximè spectant.

Itaque nemo miretur, quòd Abraham famulum suum iurare tam exquisitis cum cæremonijs voluit, ne filio suo vxorem Chananæam, aut aliam, quam ex terra, & cognatione sua acciperet, dicens: *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, &c. Genes. 24. 2. 3. Nam cùm hoc negotium non proximè ad famulum spectaret, & ille quantumuis fidelis, famulus nihilominùs esset, necessarium fuit obligare illum, & constringere tot cæremonijs, & iuramentis, vt demandati muneris partes rectè exequeretur. Nemo enim ferè seriò tractat, soliciteque curat, nisi quod ad se proximè spectat, ideòque vices quæstus supplere iuramentum debuit.

## CAPVT VI.

*Facere maiora, & intermittere minora, vel est inopia ingenij, vel infirmitas, aut vacillatio voluntatis.*

POstquàm Sanctus Patriarcha tantoperè commendauit famulo suo, quas nuptias conciliaret filio, qualemque vxorem illi procurare deberet, opposuit illi seruus, dicens: *Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?* Genes. 24. 5. Respondit Abraham in hunc ferè modum: Non te hæc res anxium reddat, aut solicitet, Dominus enim, qui hanc, in qua nunc degimus, terram, cum iuramento mihi, posterisque meis promisit, permouebit etiam mulierem, vt è Mesopotamia huc ad nos in Chanaan transeat: *Ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo*; ibid. v. 7. & prosperum habebit effectum matrimonium, quod meditamur.

Lyranus, Abulensis, Oleaster, Istella Honcala aiunt, validum, & consequens esse Sancti Patriarchæ argumentum, & apud Abulensem tale: *Deus promisit mihi, & semini meo, terram istam, vt possideremus eam: Sed si vxor nolit venire in terram istã, & cogeretur filius meus ire in terram alienam, non possideret semen meum terram istam, ergò Deus mouebit cor mulieris, vt veniat huc. Ponit ergo illam promissam tanquàm maiorem, & fundamentum huius argumenti.* Vis potissima argumenti in eo posita est, vt sibi persuadeat, facilè obtenturum à Deo minora, qui maiora ab illo iam acceperit. Plus est promisisse terram, quàm permouere animum mulieris, vt ad illam terram veniat: Deus autem fecit quod plus est, ergò & id, quod minus est, faciet; de tam largo enim, & perliberali Domino credi non potest, quòd retrahet manum à concedendis minoribus, qui brachium suum ad præstanda maiora exeruit. Nam qui prolixus ampliora concedit, & minora parcus negat, ille vel ingenij inopiâ, vel voluntatis inconstantiâ laborat.

Apud Matthæum comparat Dominus regnum cœlorum cum decem virginibus, quarum pars media sapiebat, reliqua delirabat. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes*; Matth. 25. 1. 2. Prudentes ad beatitudinem admissæ fuerunt, fatuæ cœlo exclusæ, & damnatæ. Prudentes vocantur, quæ saluatæ fuerunt, vt nobis sit documento, quòd solus ille sapit, qui sic viuit in terris, vt æternùm viuat in cœlis, qui damnationem incurrunt, non sapiunt, quantacunq; sciant.

Videamus causam, ob quam damnatæ fuerunt virgines fatuæ (non enim hoc dissimulauerit Dominus) vt fatui alij sapere discant, solet enim stultum pœna facere cautiorem. *Quinq; fatuæ*, inquit, *acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum*. Causa itaque damnationis illarum ea fuit, quod cùm lampades ab oleo necessario benè instructas habere deberent, vt aduenienti sponso cum splendenti lumine obuiam irent, tam negligentes fuerunt, vt lampades ob luminis nutrimentum extinguerentur, cùm maximè lucere deberent: *Non sumpserunt oleum secum*.

Res explorata est (quod & alibi non semel diximus) oleum esse symbolum misericordiæ ergà pauperes, & eleemosynæ, quæ in eos erogatur. Statuamus ergò nunc, quamobrem illæ quinque dictæ sunt fatuæ. Sanctus Ioannes Chrysostomus, & Euthymius rationem eius appellationis reddunt proposito nostro percommodam, qui aiunt: *Oleum vocat eleemosynæ virtutem. Has ergo meritò stultas vocauit, quia cùm acrem, ac vehementem corporis amorem deuicissent, maioremque sustinuissent laborem, tenacitate deuictæ sunt. Illud enim bellum violentius est, magisque tyrannicum.* Charitas ergà egenos, & promptitudo leuandi eorum necessitatem, per eleemosynas oleum erat, quo carebant. Iure ergò stultæ sunt appellatæ, nam cùm habuissent animi robur, quo magis arduum opus perficerent, minorem non superarunt

perarunt

perârunt difficultatem. Subegerant liberas, easque validas carnis appetentias, succubuerunt pecuniæ cupiditati, atque auaritiæ, victæ fuerunt ab hoste imbecilliore, victrices fortioris, vehementiora enim sunt castitatis contra fœdam libidinem certamina, quàm liberalitatis contra auaritiam. *Has ergò meritò stultas vocauit*; eoque nomine reliquit, & abiecit, quæ cùm tam robustæ essent, vt rem operosiorem exequerentur, non habuerunt eas animi vires, vt minùs difficilem curarent. Non rectè valere iudicio indicat, qui cùm ad multa extendat brachium, à paucis retrahit.

Ad hanc rem facit, quod Theophrastus de causis plantar. lib. 1. c. 22. ait: *Vites quoque insana vocata sui generis sunt, quæ non solùm germinãt, sed coquunt, & florent, & racemantur.* Videamus quamobrem eæ vites insanæ sint dictæ, quæ cum florem edant, lachrymam fundant, racemos producant, quidquid sanæ, integerrimæque possunt, aut debent, facere videntur? Respondet Theophrastus: *At perfici non possunt.* Cum maiora præstiterunt, pertingere ad minora, siue eò nequeunt, vt ad maturitatem fructum suum perducant, cuius vnius rei gratiâ tamen alia omnia maiora, & grauiora fecerunt. Propterea ergò *insana vocata sunt*, quià reuerà insignis amentia est, cùm maiores sumptus feceris, sic languescere animo, vt impendia facere minora nequeas.

De Christo Saluatore nostro ait Sanctus Ioannes Euangelista, eum, cùm proximam esse suæ mortis horam nosset, & plurima per omnem vitæ decursum beneficia in homines contulisset, ad extremùm charitatis suæ ostentationem multò ampliorem fecisse. Verba illius sic habent: *Sciens Iesus, quià venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos*; Ioan. 13. 1.

In his considerare possumus, non quòd Dominus horæ, quâ à vita emigraturus esset, aduentum proximum scierit (imperitorum enim talis consideratio esset) sed quòd illam peculiariter ac speciatim notasse, & obseruasse horam nobis innotescere voluit, cùm tot horæ, tot anni, tot adeò sæcula decurrerint, quibus plenitudinem temporis, quo subiturus passionem esset, præstolatus fuit. Quid sibi vult, quòd vbi innumeri anni, & infinita effluxerunt sæcula, ibi singularis ratio habita est vnius illius horæ? *Sciens Iesus, quià venit hora eius.*

Simon de Cassia lib. 13 in Euang. ait: *Qui plenitudinem temporis expectauit incarnationis, atque natiuitatis, similiter expectauit passionis, & mortis,* Qui altâ suâ, profundâque sapientiâ dimensus fuit sæcula, exegitque ad amussim, & velut circino quodam designauit ætates, ac tempora, quibus carnem vestire humanam, & edi in lucem homo velle, ille hanc ipsam ob causam horam vnam singularem singulariter obseruare voluit, in qua mori, & hominem tantisper exuere disposuit: Derogaret namque illius sapientiæ, & prouidentiæ, & attentissimæ circumspectioni, si vnam non accuratè obseruasset, notatamque habuisset horam, qui tota, & tanta sæcula mensus fuerat: *Qui plenitudinem temporis expectauit incarnationis, atque natiuitatis, horam similiter expectauit passionis.* Notam, nec qualemcunq; existimationi sapientiæ eius intulisset, si vnam insuper habuisse, aut præterijsse horam visus fuisset, qui tam longas tot sæculorum ætates exactissimè pensauerat.

Beniamin inter Apostolos ait, admirabilissimum in cœlo portentum vidisse inquiens: *Signum magnũ apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*; Apoc. 12. 1. Fuisse signum Sacratissimæ cœlorum Reginæ, quod Ioannes vidit, plurimorum sententia habet, Andreæ Cretensis, Aretæ, Ruperti Abbatis, Sancti Bernardini de Senis, Bernardini de Bustis, & aliorum plurium. Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyranus, & Glossa cum alijs volunt, Ecclesiam fuisse tali signo adumbratam. Sed hoc peculiaris multorum obseruatio habet, quod numerus duodenarius stellarum, ex quibus illa capitis corona constabat, ingentem stellarum copiam significat, quemadmodùm & illæ duodecim tribus Israëlitarum, & duodecim portæ cœlorum *sacramentum sunt cuiusdam vniuersitatis*; vt Sanctus Augustinus loquitur, siue copiosæ multitudinis. Ergò numerus duodenarius stellarum similiter plurimas stellas significat, & consequenter plurima sunt in hac re, quæ diligentem mereantur considerationem, tanta enim stellarum copia videtur immoderatus esse ad exornandum mulieris caput apparatus.

Non satis rectè miratur coronam illam capitis, inquit Sanctus Bernardus, qui vidit reliquum ornatum corporis. Quod fuit illius vestimentum? Sol: *Mulier amicta Sole.* At si sol illi pro amictu fuit, quid mirum, quòd pro diademate stellas omnes habuit? *Quid ni coronent sidera, quam sol vestit?* linquit mellifluus Abbas Sanctus Bernardus in illud, *Signum magnum.* Si magnificus Dominus tam generoso, & prolixo in illam mulierem fuit animo, vt eo, quod splendidissimum, & præstantissimum tota cœlorum officina vestiaria habet, hoc est, sole vestierit, exco-

luerit, perpolierit, tam parcus demùm esset, vt non ex stellis ei coronam ad ornamentum capitis contexeret, & imponeret, quarum totæ myriades non valent quantum Solis frustulum vnicum? Si dubitas ità esse, vide quàm subitò stellæ, cùm dilucescit, diffugiant, sic nimirùm merces suas coram Sole videri erubescunt, vt eas domi suæ recondant, mox vt appropinquantem illum subolfaciunt. *Quid ni coronent sidera, quam Sol vestit?* Remisisse de beneuolentia, minusq; posse putaretur, si parcior in ornando capite fuisset manus, quæ in corpore excolendo tam larga, prolixaq; fuerat. Maiora rectè curare, & errare in minoribus, turpe electionis probrum est.

Commodè in hanc rem notat Cassianus multorum ascetarum religiosorum insignem stultitiam, qui cum profano vestitu ingentem sæpè opum vim, & opulentissimas possessiones relinquunt, & posthæc, si imagunculam, si cultellum, si calamum scriptorium, aut eiusmodi recularum aliud quidpiam eis adimas, ità commouentur, & lugent, vt monasteria vocibus querulis tantùm non euertant, aut deijciant. *Nonnullos mundi huius maximas facultates, & non solùm multa auri, atque argenti talenta, verùm etiam prædiorum magnificentiam contemnentes, posthac videmus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoueri,* inquit ille lib. 4. Collat. cap. 9. O magnam amentiam! ô stoliditatem religiosorum! Qui auro renuntiauit, illum acus ablata contristet! Quàm inops iudicij est, qui cùm grauiora fortiter, & animosè tolerârit, non est ferendo leuiora!

## CAPVT VII.

*Cùm Deus fons sit, & origo omnis boni, quando ille nos deserit omnibus destituimur.*

SEnior & fidelis Abrahæ seruus abibat in Mesopotamiam, onustus varijs donis, ac muneribus, vt optatas procuraret nuptias, cùmque iam propiùs abesset ab vrbe Nachor, Deum supplex obsecrauit, vt cœptis annueret, & bonos conatus, suæ auxiliaris gratiæ ope promoueret, dicens: *Domine Deus Domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham;* Genes. 24. 12.

S. Ioannes Chrysostomus, Nicolaus Lyranus, Abulensis, Oleaster, Pererius, Honcala aiunt, nihil vnquàm rectiùs Abrahæ seruum agere potuisse, quàm nunc egit, cùm ad Deum confugit, cùmq; rogauit, vt suâ inspiratione, & opitulatione, graue illud, quod curatum ibat, negotium felicitaret. Tametsi vasa aurea, & argentea, & mundum muliebrem, quàm multùm, tam diuitem secum ferret, hæc tamen parùm profutura, vel potiùs prorsùm nihil effectura prudens famulus putabat, nisi Deus adiutor, & primus nuptiarum conciliator accederet. Nisi Deum beneuolentem, & partibus nostris fauentem habeamus, nudi, & præsidijs, rebusque omnibus destituti sumus, tametsi totus mundus nobis sit adminiculo. Absque Deo namq; nihil rectè agitur, absque illius subsidio nihil fit benè, atque vt debet.

Quòd muri, & portæ ciuitatum sint earum munimenta, nemo ignorat. Itaque in perditis censeri possunt eæ vrbes, quarum diruta sunt mœnia, & deiectæ portæ. Propheta regius aiebat: *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino;* Ps. 117. 19 Eorum verborum occasione dicebat sanctus Ambrosius serm. 24. de Sanctis: *Cernimus armari ciuitatis portas.* Cùm hostem venturum timemus, statim arma corripimus, muros lustramus, portas, turres, & munitiora loca omnia diligenter perspicimus, & reficimus. Bonum studium, & ad arcendum hostem vtilis diligentia. Dices, non commodum tantùm, sed omnium optimum etiam, & ad conferendam securitatem præstantissimum esse illud studium. Sanctus Ambrosius verò ait, aliud esse, quod nos magis collocare in tuto possit. Quidnam illud?

Respondet sanctus Doctor, nullâ re tam validè muniri ciuitates, quàm cùm nos ingredimur portas iustitiæ, sacrificijsque, & orationibus illum conciliare, & demereri studemus. Parùm enim proderit munire portas ciuitatis, nisi nos ingrediamur per portas iustitiæ. *Cernimus armari portas ciuitatis,* inquit ille, *debemus etiam prius in nobis portas armare iustitiæ. Tunc autem ciuitatis porta munita esse poterit, si priùs in nobis portæ iustitiæ muniantur. Caterùm nihil prodest muros munire propugnaculis, & Deum prouocare peccatis, Illa enim constituitur ferro, saxis, & sudibus, hac armatur misericordiâ, innocentiâ, castitate. Illa telorum multitudine custoditur, hæc orationum frequentiâ defenditur.* Princeps, qui optat habere suas ditiones pacatas, & securas, debet ante curare, vt habeat Deum beneuolentem, & propitium, quem nisi auxiliarem habeat, nullam potest fructuosam sperare victoriam, nihil enim proficiunt studia humana, ad quæ non accedunt subsidia diuina: *Nihil prodest muros munire propugnaculis, & Deum prouocare peccatis.*

Vt vanam hominum præsumptionem, & inanem confidentiam reprimeret, dicebat S. Paulus Apostolus:

stolus: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; Roman. 9. 16. tanquàm apertiùs dixisset: Hoc te scire volo, homo, quòd tametsi manibus, pedibus, omnibusq; viribus coneris consequi finem tuum, tametsi quantùm conniti animo, & contendere labore potest, facias, tametsi acceleres passum, & quâ maximâ pernicitate fieri potest, non curras tantùm, sed & voles, tardiùs tamen aduenies, nisi Deus te iuuet, ac protegat. Quàm pulchra exempla adfert sanctus Ioannes Chrysostomus apud Anastasium Nicen. q. 59. To. 1. Vet. PP. duorum, quorum alter diu, ac multùm discurrit, & non promouit gradum, alter vix mouit pedem, & longè prouectus est. *Non volentis, neque currentis dicit propter Esau*, inquit ille, *de quo etiam bene dictum est. Non volentis accipere patris benedictionem, & currentis iussu patris sui in campum ad venandam venationem, vt cùm comedisset, ei benediceret, sed Iacob, cuius Deus est misertus, propterea quòd ipse non est fictus, sed bonus, non autem Esau hanc benedictionem est assecutus, quod esset fornicator, & profanus.* Multùm, enixèque laborarunt pater, & filius, Isaac, & Esau, & ille quidem, vt daret benedictionem, hic verò vt acciperet. Isaac volebat benedicere, quià iubebat, vt Esau caperet venationem, ex capta pararet cibum, qualem paterno palato gratum sciebat, paratum inferret, referret benedictionem. Esau obtemperauit, perq; agros, montes, syluas insectatus feras nequicquàm discurrit, quià Iacob illi benedictionem præripuit, qui ne domo quidem pedem extulit. Nonné videtis, inquit Chrysostomus, quàm verum sit, quod Apostolus ait, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* Nam quamuis & pater vellet, & Esau conaretur aliud, cursu etiam contenderet, vt illud obtineret, Iacob tamen vicit, & triumphauit, quià cùm Deum à se haberet, absque pedibus cucurrit, sine alis volauit. Si Deus desit, nulla, quantumuis magna, quidquam proficit diligentia, nulla valet solicitudo.

Quando sancto Patriarchæ Abrahæ renuntiatum fuit, consobrinum illius Loth captum esse à barbaris, extemplò trecentos & octodecim robustorum valentissimos armauit è vernaculis suis, & *diuisis sociis irruit super eos nocte, & persecutus est eos vsque Hoba, reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque, & populum*; Genes. 14 15. 16. Quatuor potentissimi reges erant, contrà quos tam exiguam armatorum manum cùm produxisset, primo statim impetu profligauit eos, & ad relinquendam seu prædam, seu vitam coëgit. Fuit ea victoriarum, quæ vnquàm auditæ sunt, admirabilissima, videreturque suspecta, si alium, quàm Spiritum sanctum haberet autorem, vel scriptorem. Quis enim legendo vnquàm inuenit Capitaneum, qui trecentis, decem & octo, nec pluribus militibus comitatus, primâ statim nocte in hostem irruptione factâ intrà pauculas horas quatuor regum fugauerit, fuderitq; exercitus? Quibus medijs tam inopinatum, & nunquàm visum obtinuit triumphum? Sanctus Chrysologus ait: *Vide quantâ velocitate contigit victoria.* Cuius verò subsidio, & opitulatione ea parta victoria fuit? Respondet: *Erat manus superna, qua adiuuabat, & commilitabat, & ideò neque armis, neque machinis opus habebant, sed tantùm vt comparuit cum famulis, alios quidem percussit, alios autem fugam inire fecit.* Vbi Deus concurrit ad pugnam, & fert opem, non est cur quisquam timeatur, cùm ille nostras sequitur, & iuuat partes, omnia habemus, vitam, salutem, victoriam, triumphos.

Quòd inter primordia Ecclesiæ fuerint magnæ persecutiones, & ærumnæ, & sæui hostes, qui sanguinem asseclarum, sectatorumq; Christi auidè expetierint, nemo ire inficias potest. His verò qui acerbam inter eas calamitates vitam ducebant, aiebat Paulus: *Gaudete in Domino semper*; Philipp. 4. 4. Sed heus, vide quid loquaris, Apostole sancte. Christi oues, & agni in medio cruentorum luporum agunt, & tu vis eos lætari, & exultare! *Iterùm dico, gaudete, nihil solliciti sitis*, nullum vos periculum anxios, nulla cura tristes habeat. At quid habes, ob quod illos tam erecto, & hilari inter res tam exulceratas vis esse animo? *Respondet Dominus enim propè est*; ibid. v. 5. quod perinde est, inquit Primasius, ac si dixisset: *Dominus propè est ad liberandum, nolite timere persequentes.* Si Deus partes nostras iuuet, inquit Apostolus, totum mundum ridere possumus, qui formica est nobis comparatus. Si Deum ad manum habeamus, lupos vincere, quanquàm oues simus, & agni leones superare possumus.

De magno illo duce Agesilao refert Ælianus, plurimùm semper gauisum fuisse, quando barbari hostes illius violabant religionem, & iuramenta, quibus se obstrinxerant, profanabant. Quamobrem verò lætabatur periurijs hostium? *Eò, quòd peiurando illi Deos sibiipsis infestos redderent*, inquit Ælianus lib. 3. de var. hist. cap. 4. sciretque nihil feliciter seu domi, seu foris, seu in bello, seu in pace facere posse, quamdiu alienos à se, & infensos haberent Deos, quantumcunque studij, industriæ, laboris, & apparatus ad

sua negotia adhiberent. Optima namque præparatio est habere Deum addictum, in quo tota felicitas nostra, & omnis prospera fortuna est posita.

## CAPVT VIII.

*Quanquàm Deus suâ bonitate, & misericordiâ nos saluet, & beet, non tamen vult nos omni solicitudine vacuos, & feriatos, seu otiosos.*

VT prosperè suum iter eueniret famulo Abrahæ, obsecrabat Dominum, & his verbis appellabat: *Occurre mihi, obsecro, hodie.* In verbo, *occurre,* magnum subnotârunt Interpretes mysterium. Non rogat Deum, vt *succurrat,* sed vt *occurrat,* petit. Occurrere est obuiam ire. Fieri ergo obuiam sibi Deum optauit, qui orauit, vt occurreret. Fit autem obuiam Dominus, cum suâ misericordiâ iuuat nostra studia, & pios confirmat conatus. Itaque concurrere debent misericordia diuina, & industria humana. Quanquàm enim vita æterna sit gratia Dei, & salutatio nostra mera misericordia, non propterea nos intermittere studia nostra, laboremque, aut committere debemus, vt nihil agamus, & vacemus. Multum est, quod agit Dominus, ac tam multum, vt omnem excedat intellectum non hominum tantùm, sed & Angelorum.

Duo nomina dantur formosæ, & charæ Sponsæ, quæ tametsi mutuò pugnare videantur, magnum tamen habent mysterium, idque causæ præsenti opportunum. *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium* vocatur, Cant. 4. 15. Fons est perennis, qui largâ venâ tantam vim gelidarum fundit aquarum, vt non vnum tantùm hortum irriget, verùm & plures fœcundet. Est etiam *puteus,* isque profundus, *aquarum viuentium.* Hîc iam in oculos difficultas incurrit. Si fons est Sponsa, quid egebant horti puteo? Aut si habebant puteum, quid fonte opus erat?

Huic dubitationi satisfacit doctissimus Cardinalis Hugo, dicens: quòd hortis Ecclesiæ vtrumque est necessarium, & *fons* quidem, *in quantum gratis labitur: puteus verò, in quantum cum labore foditur. Item fons quantum ad gratiam industriæ, puteus, quantum ad industriam gratiæ, quæ duo benè iunguntur, nec separantur, quia se inuicem iuuant.* Fontis aqua sine difficultate promanat, & absq; impedimento promptè, expediteque hauritur, ex puteo cum labore operosè exantlatur. Quòd ergo diuina Sponsa, & fons, & puteus dicitur, quorum ille aquam liberaliter fundit, hic nonnisi haurientibus, & adlaborantibus permittit, hoc fit, vt significetur, quòd Ecclesia & liberaliter nobis de fontibus Saluatoris (ij sunt sacramenta illius sacrosancta) propinat aquam gratiæ salutaris, & nostrum nihilominùs exigit studium, ac laborem, quo aquam illam in vsus nostros transferamus, neque enim vult Deus, vt nos sua gratia desides, sua misericordia faciat pigros, ac negligentes, sed vt quod in nobis est, agamus, vt beatitudinem cum opitulante ipsius gratia consequamur; *fons enim est, in quantum gratis labitur, puteus, in quantum cum labore funditur.* Fons est quantum ad gratiam, quæ nos industrios, expeditos, diligentes faciat, puteus quantum ad industriam, quâ strenuè, & operosè cum auxilio gratiæ laboramus. Et hæc modò non contrariantur inuicem, sed etiam valde sunt coniuncta, & mutuò ad opus concurrunt, dum gratia, quæ à Deo liberaliter profluit, industriam excitat, industria cum gratiæ adiutorio laborat. Debet ergo Christianus Dei gratiâ ad spiritualem negotiationem vti, quemadmodùm filius mercatoris ad nundinationem, & quæstum vertit pecuniam, quam à patre ob hoc solùm accepit. Et velut à sola patris liberalitate venit pecunia, à filio autem adhibetur studium, & industria, sic & Deus *fons* est *quantum ad gratiam industriæ, puteus quantum ad industriam gratiæ.*

Tam prodigiosa operabatur Dominus, ac Redemptor noster miracula, vt homines illum & velut obstupefacti sequerentur, & tanquàm attoniti stiparent. Cùm autem post illud panum admirabile portentum præsentiam suam eis subtraxisset, & vehementiùs illum requisierunt, & magis gauisi fuerunt, cùm inuenerunt. Sed quo animo omnia facerent, non nesciebat Dominus, adeòq; dicebat: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis,* Ioan. 6. 26. velut dixisset: An putatis, quòd cordium vestrorum intimos recessus non peruideo? Scire ergo vos volo, mihi perspectissimum esse, quòd vos huc ad me adducunt non miracula, quæ operor, sed annona, & victus, quem præbui. Arripiens autem eam occasionem mox subiunxit: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.*

In hoc Domini consilio videtur quædam manifesta esse verborum contrarietas, & pugna. Dicit enim, *Operamini cibum, quem Filius hominis dabit vobis.* At si nos operari debemus cibum istum perpetuum, consequenter videbatur dicendum: *Operamini cibum, quem dabitis Filio hominis.* Aut si ille daturus est eum cibum, ipse quoq; operetur illum. Sed quomodo

modò hoc accipiendum est, quòd nos iubemur operari cibum, quem ille nobis est daturus?

Respondet acutissimus Cardinalis Caietanus, inquiens: iubemur operari cibum, quem Dei Filius dabit, *Vt intelligamus, ad habendum hunc cibum duo oportere concurrere, alterum ex parte nostri, scilicet opus, alterũ ex parte filij hominis, scilicet dare.* Cum liberalitate diuina debet cōcurrere diligentia humana, ideò Dominus, cùm de pane illo æternùm permansuro ait, quòd eum *dabit* nobis, addit quoq; *operamini*, laborate, & studium vestrum adiungite ad opitulationem Dei; alioquin enim dona illius gratuita non sortientur effectum, nisi cum ijs adlaboret industria nostra: *Duo debent concurrere, alterum ex parte nostri, scilicet opus, alterum ex parte filij hominis.*

Cum vehementi anxietate, & ardenti affectu lachrymosus Cantor pium Dominum suum obsecrabat, dicens: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus*; Psalm. 26. In his verbis prima sunt expendenda, quibus rogat Deum, vt sit sibi consilio: *Adiutor meus esto.* Magnificè dictum? & commodè in rem nostram, prout ab acutissimo Augustino exponitur, qui ex eo, quòd Psalmista Deum vocat adiutorem, hoc ineluctabile conficit argumentum: *Si adiutor Deus est, aliquid tu agis, nam si nihil agis, quomodo te Deus adiuuat?* Cùm alium rogas, vt tibi ad ferendum onus opem ferat, eo verbo satis indicas, quòd tu oneris illius etiam aliquid portabis: Verùm si illi onus ferendum commendares, promptum esset intelligere, te velle humeros sarcinæ subducere. Cùm ergo Propheta regius Domino ait: *Adiutor meus es tu*; hoc est, fer opem molienti opus saluationis, perinde est, ac si diceret, ab vtroque, hoc est, Deo, & homine ferendum onus, sic vt Deus quidem det gratiam industriæ, homo autem adhibeat industriam gratiæ: Nam si nihil agis, quomodo te Deus adiuuat? Si autem Deus adiuuat, inditio est, quòd & nos subijcere humeros, & partem sarcinæ, quæ nos contingit, ferre debemus.

Murmurabant apud Matthæum Pharisæi, quòd Christus manducaret cum peccatoribus, quibus ille aiebat: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*; Matth. 9. 12.

Ingeniosus Hippocrates apud Abrahamum Frabesarium in canon. Medicin. lib. 1. de Cant. 19. ait: *Ad perficiendam curationem oportet non solum medicum suum præstare officium, sed & ægrotantem suum exequi, etenim ægri est, vnà cum medico, morbo reluctari.* Nisi enim ægrotantis obedientia fœderetur cum medici peritia, conspirârintq; ambo in expulsionem infirmitatis, triumphabit morbus, & prius è viuis ægrum exiget, quàm se à corpore illius exturbari sinat. Quòd ergo se medicum Christus vocat, cùm nos simus infirmi, id fecit, vt moneret, quòd debeamus ad ipsius auxilium adiungere studium nostrum, si volumus ab animi ægritudinibus conualescere, & imperium ipsius nostrâ obedientiâ comitari, & opere exequi, quæcunq; ille iubet, si optamus consanescere. Stultarum enim virginum, & sano rationis iudicio, rectâque fide, destitutarum est arbitrari, quòd Deus omnia solus faciet, sic vt nobis non sit necessum quidquam agere.

*Sæpè alibi in hoc argumento expatiatur commentatio Nysseni. Vide partis secundæ Politici lib. 6. cap. 2. & alia loca ad finem adnotata ex Tomis alijs.*

## CAPVT IX.

*Ad conficiendum feliciter aliquod negotium nulla vnquàm superuacanea est diligentia, quò enim studiosiùs illud procuramus, eò illius obtinendi maiorem securitatem nobis paramus.*

QVanquàm famulus Abrahæ reprehendisset omnia signa, quæ in Sponsa Isaaci quæsierat, iamque varia dona, & ornamenta in eam contulisset, interrogabat nihilominùs: *Cuius es filia?* Genes. 24. v. 23. in quæ Oleastri annotatio moralis sic habet: *Non fuit seruus iste contentus, sicut orauerat, accidisse, se vt sciret, an Dominus iter eius præcessisset, voluit scire, an esset ex cognatione Domini sui.* Voluit etiam suo exemplo nos docere, quòd immodica diligentia, & abundans cautio, præsertim in rebus grauioribus, non nocent.

Cùm filius prodigus secum reputaret miserum statum, in quem illum sua viuendi effusa licentia coniecerat, decreuit repetere domum patris sui, certamque verborum formam concepit, quæ lamentabilibus cum gemitibus coniũcta gratam auribus paternis essent præbitura harmoniam. Redijt ergo ad patrios lares benè iam consultus adolescens, quem cùm procul inde indulgentissimus Pater vidisset, concurrit obuiam, *& misericordiâ motus cecidit super collum eius, & osculatus est eum*; Lucæ 15. 20. Tantâ humanitate totô animo commotus pœnitens adolescens has contrito è corde, multisque cum lachrymis dedit voces: *Pater, peccaui in cælum, & coram te*; ibid. v. 21. fuique cœlo iniurius, in te impius.

Ingeniosissimus Cardinalis Caietanus ait: *Susce-*

*ptâ gratiâ exequitur sanctum propositum.* Conceperat ille paulò ante hoc animo consilium, quòd patrem adire supplex, atque apud illum sese peccatorem omnium, quos mundus habet, contaminatissimum fateri vellet. Sed expectare confessionem peccatoris filij, amor patris non potuit, priùsque condonauit culpas, quàm ille exponeret. Filius nihilominùs, quanquàm noxarum gratiam assecutus, executus tamen, quòd primò decreuerat, fuit. At quorsùm illa post obtentam culparum veniam pœnitudo, quorsùm confessio, quorsùm actus contritionis, & satisfaciendi propositum? Apagete cum istis sermonibus, inquit Caietanus, non enim vides, quid loquaris: *Susceptâ gratiâ exequitur propositum*, & quanquàm patrem videat placatum, insistit tamen conceptæ ante illud tempus sententiæ, & peccata superiora, prout semel deliberârat, confessione humili, lachrymisque, & submissâ suijpsius accusatione damnat, quià in rebus tanti ponderis abundans diligentia nunquàm est superuacanea, nunquàm damnosum immodicum studium, sed peruigilare semper consultum, & semper commendanda solicitudo.

Nam vt sanctus Ambrosius in serm. de obitu Traiani ait, *nunquàm superflua fundamenta virtutis.* Vt fundamenta materiata quò sunt profundiora, & validiora, eò firmiora, durabilioraque faciunt ædificia, quæ eis nituntur: *Ità nunquàm superflua* sunt *fundamenta virtutis*, sed vt ea sit perpetua, stabilisque perseueret, multâ diligentiâ, & pertinaci eius colendæ studio fieri potest, adeò consultum est, nihil intermittere, quod ad eam confirmandam, corroborandam, amplificandamque facere potest. In rebus tam momentosis nulla abundans cautio potest esse superuacanea, oscitantia verò, & desidia sæpè est periculosa.

Postquàm à Barnaba discessit S. Paulus, Silam comitem deligens inuenit Derben, & Lystran, sed priùs *perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum*; Act. 15. v. 41.

S. Ioannes Chrysostom. homil. 34. in Acta sic ait: *Vide sapientiam Pauli. Non priùs transijt ad alias ciuitates priusquàm eas, quæ acceperant verbum, confortasset.* Quamnam illam sapientiam Pauli vocat Chrysostomus? An quòd Ecclesijs, quæ ad fidem satis iam eruditæ erant, obseruantiam mandatorum Apostolicorum, & doctrinæ monita denuò commendauit, & inculcauit? Alius superuacaneum laborem hunc potiùs dixerit. Nam cùm illorum locorum homines fidei Christianæ rudimentis iam probè imbuti essent, videtur magis ad alios pertransire, quàm ad hos recurrere debuisse. Hanc ergo vocat sapientiam: Immò hoc nomine dono illam Pauli solicitudinem, inquit Chrysostomus: Nam ad res tales, quò maior adhibetur diligentia, eò tutiore in loco illæ constituuntur, faciliùsque obtinetur finis, cuius consecutioni studetur. Itaque Paulus reuisit loca, quæ verbi diuini semen acceperant, solet enim vberiores fructus reddere terra, ad quam impiger crebrò recurrit agricola.

Nam vt sanctus Cyrillus lib. 1. apologor. moral. cap. 10. ait, *multiplicati radij plus illustrant, & maior facultas est plurium, & ratis pluribus nautis securius gubernatur.* Si quid ad plures luces quæras, non propterea difficiliùs inuenies, & plerumque viribus superiores sunt, qui numero, & feliciore cursu sub pluribus rectoribus fertur nauis, nam vbi multi clauum moderantur, attentiùs circumspiciuntur pericula, faciliùs vitantur scopuli, & tractus viarum indubitatiùs cognoscuntur. In rebus momentosis repetita nunquàm damnosa fuit, semper autem vtilis esse solet diligentia.

Dixerat aliquando diuinus Præcursor coram Discipulis suis: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; Ioan. 1. 30. Vidit posthæc idem Lucifer solem suum ambulantem, rursùmque ait quibusdam discipulis: *Ecce agnus Dei*; ibid. v. 36. Sed cùm ea Ioannes semel dixisset, quamobrem denuò auribus ingerenda putauit, quæ nihil efficere potuisse videntur repetita?

Theophylactus ait: *Propter audientium ignauiam cogitur Ioannes eadem dicere, vt vel crebro testimonio aliquid efficiat.* Optabat Ioannes, vt Christus ab omnibus, qui erat, Dei Filius crederetur, & mundi instaurator, & quia hoc obtinere vnâ illius proclamatione non potuit, identidem hoc facere testatum voluit, *vt vel crebro testimonio aliquid efficiat.* Si repetitis ictibus claui caput cædimus, donec quantum satis est, ligno infigamus. Non potuit Ioannes primis verbis agnitionem Messiæ animis suorum discipulorum imprimere. Quid remedij? *Cogitur eadem dicere*, & nouam adhibere diligentiam, & eandem denuò tentare portam, iterata enim studia non obsunt, sicut *neque falsus est* Ioannes, neque superiores inaniter reperiuit sermones, *Christo enim statim duos Discipulos obtulit*, qui primâ vice sua nequicquàm eiecerat retia, inquit Theophylactus. Ex his discipulis vnus, non vulgaris quidam, sed Andreas frater Petri fuit, quem etiam paulò post ad scholam, & collegium Christi Andreas adduxit. Videte num vtile

sit frequentare diligentiam. Ioannes certè iterato effecit studio, quod non obtinuit primo.

Sponsam suam ità commendat in Canticis Sponsus: *Hortus conclusus, fons signatus.* Mos regum veterum habuit (quod doctissimus P. Sanchez annotauit) vt fontes, ex quibus reges bibebant, obsignarentur, præcluderenturque omnibus alijs. Hæc & Persarum, vt autor est Athenæus, consuetudo fuit, hodieque obseruatur in fonte Carpensi non procul Compluto, qui solius regis Catholici vsibus seruit, reliquis omnibus inaccessus. Ad hunc morem allusisse videtur Sponsus, (quæ est eiusdem Sanchez obseruatio) cùm Sponsam ait esse fontem signatum, sibi soli seruatum. Nec tantùm *fons signatus*, sed etiam *hortus conclusus*, siue in horto concluso erat. At cùm fons ille sigillo munitus, serisque obfirmatus esset, quorsùm prætereà horto, eoque validis mœnibus fortiter cincto, inclusus fuit? Nonnè sua fonti septa satis erant? Non negauero, satis fuisse illi sua claustra, sed neque concessero, damnosa fuisse horti sepimenta: Nam quò validiùs etiam horti muro cinctus, eò & magis tutus fons fuit, magisque à periculo violandæ clausuræ abfuit. Nulla est superuacanea, nulla nimia in rebus momentosis solicitudo & cura. Quanquàm semel in anno facta confessio, & sumpta sacra communio sufficiant homini Christiano ad salutem, frequentatio tamen exomologesios, & synaxios magis certam faciunt nostram saluationem. In rebus magnis magna sedulitas magno esse vsui solet, & plurimùm commodare frequentatum studium, ac diligentia crebra.

*Similis argumenti est Periocha IV. Dominicæ in Quinquages. Tom. 2. pag. 510. b. o. Vide, quæ ibi ad finem adscripta.*

## CAPVT X.

*Deus est fidelis amicus, & qui cumulatè vices mutuas rependit, ideoq; sicut Abraham nunquàm deseruit Dominum in vita, sic ille Abrahamum non destituit in morte.*

Remunerauit Dominus gloriosi Patriarchæ nostri merita, & famulo illius seniori pro suâ cura, solicitudine, vigilantia, fidelitate, ac synceritate, quâ demandatum sibi negotium procurauit, mercedem reposuit, Deo enim fauente & adspirante sponsam inuenit Isaaco, qualem sanctus Patriarcha ab illo causæ tam grauis legato tractatore expetierat. Honesta namque, & rectè instituta, benèque morata mulier tam pretiosum donum est, ac tam diues munile, vt solo virtutum, & benè factorum merito cõparari possit. Sic enim habet Spiritus Sanctus Eccl. 26. v. 3. *Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Fidus ergo ille seruus, & felix paranymphus domum rediјt gaudibundus, & exultans lætitiâ, quòd tàm prosperè iniunctum sibi negotium perfecisset. Rebecca excepta cum incredibili plausu, & gaudij voluptate, & festiuis acclamationibus fuit. Isaac mœrorem, & dolorem, quem ex morte matris contraxerat, iucundis nouæ nuptæ amoribus temperauit. Abraham iugũ matrimonij iteratò subijt, neque spes illum nuptiarum harum posteriorum fefellit, quanquàm enim capularis iam senex esset, & præmodùm decrepitus, copiosam tamen sobolem, & abundantem successionis fructum ex illo coniugio habuit.

Charum Isaacum suum bonorum omnium ex asse hæredem instituit, reliquis liberis facultatum partem aliquam dedit, accuratâ æquitatis, & æqualitatis ratione seruatâ, vt dissidiorum, iurgiorumq; causam nullam haberent. Vt verò bona dispertijt, sic & habitationum loca distribuit, suos cuique terrarum limites, & figendorum domiciliorum certos terminos designans, solùm charissimum Isaacum primogenitum, & caput posteritatis ab alijs separatum relinquens. Neque hoc Isaaci ab alijs disterminandi negotium alijs post mortem curandum reliquit, nam diuellere à suspecta societate liberos, res est, quam ipse tractare debeas, non alijs post funus perficiendam dubio euentu credere. Postquàm omnia sua tam benè, ac prouidè digesserat, & disposuerat, vltimam vitæ periodum beato fine gloriosus Patriarcha, sanctus senecio clausit, & plenus virtutibus felicem quietem cœpit, atque inter suaues, sui Creatoris complexus blando mortis somno sopitus animam Domino, à quo acceperat, reddidit, cùm centum septuaginta quinque Annos inter varia pietatis studia & Dei officia impiger, & infatigabilis omnium bonorum operum sectator, fidei columen, hospitalitatis specimen, obedientiæ exemplum, totius probitatis viua, perque elegans imago, transmisisset. Parentarunt illi liberorum præcipui Isaac, & Ismael, sacrasque reliquias intulerunt sepulchro, quod ipse sibi in agro, quem ab Ephron, coëmerat, in viuis adornârat. A morte Abrahæ cumulauit Dominus filium eius Isaac plurimis benedictionibus, habet enim Deus officiorum, quæcunque à fidis seruis vnquàm fuêre exhibita, memoriam, & voluntatem remunerandi æternam. Tam beatâ morte defunctus est Patriarcha noster Abraham, inclytus credentium omnium

omnium Parens, à quo omnis ætas, & sexus perdiscendæ virtutis, & excolendi animi rationem tanquàm in fulgentissimo, tersissimoque speculo possit inspicere. Nimirùm ille virtutum omnium, sed præstantissimarum, sed heroicarum, quoddam recõditorium fuit, & singulas tam enixiè, diligenterque in animæ suæ hortó coluit, vt in vnaqualibet omne suum studium posuisse, & ad eam exornandam totum ingenium conuertisse videretur. Talem vitæ clausulam habet, qui Deo humiliter seruit, qui supremi Imperatoris castra dum hîc viuit, non deserit. Deus enim fidelissimus est bonorum officiorum remunerator, & mutuas vices accuratissimè reponit.

Cùm è monte cœlestis Magister descenderet, illo, inquam monte, quem in cathedram diuinæ suæ doctrinæ verterat, pius quidam viarum latro, vt est apud sanctum Matthæum, illum incursauit, vt omnipotentiæ eius thesauros depecularetur? Leprosus erat, qui hanc meditabatur rapinam. Is Dominum supplex adiens, & adorans sic appellabat: *Domine, si vis, potes me mundare* (Matth. 8. 2) & ab his luridæ cruciabilisque lepræ fœdis maculis perpurgare. Vix ea dixit, quando ille protensâ manu tetigit eum, & dixit: *Volo, mundare.*

Magnus Origenes hac in re obseruauit celeritatem, quâ supernus Medicus hanc curationem perfecit, quæ tanta fuit, vt inter obsecrationem ægri, & protensionem brachij, depulsionemque morbi vix pauxillulum temporis intercessisse videatur. Non perpetuus, sed nec frequens ille prodigioso benefactori mos fuit, sæpè enim cunctabatur, sæpè moras, neque breues, trahebat, priùsquàm ægram aliorum supplicum valetudinem curaret, & diu plerumque orari voluit, antequàm exorari sineret, vt sanitatem miraculo restitueret. Quod suspirijs constitit surdi illius, & muti curatio? Quanta fecit, vt lumine oculorum donaret eum, quem naturæ malignus error cæcum ediderat? Quomodo non infremuit, & irrugijt hic leo de tribu Iuda, cùm Lazarum tanto prodigio redanimatum ibat? Cur ibi tam promptus, hic tam tardus? Cur hîc tam cunctabundus, ibi tam velox, & expeditus?

Origenes eam vult esse causam, vt nimirùm cognoscamus, quàm iustè atque exactè Deus respondere, quam pares rependere vices soleat. In his posterioribus miraculis vacillabant fide, qui ea requirebant, nec satis dignam de Christi virtute, atq; omnipotentia habebant æstimationem. Satis id confessæ sunt Martha, & Maria, quarum hæc erat de Christi potestate opinio, quòd nihil efficere valeret, nisi vbi corpore præsens esset. Quapropter lugentes, & eiulantes aiebant: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* Ioan 11. 21. Sicque mortem fratris absentiæ Domini acceptam ferebant. Simile quidpiam in cæteris miraculis accidit, ad quæ patranda tardiùs adduci permisit Dominus. Verùm leprosus tam latè extendit potentiam Domini, vt non posset ampliùs, exæquauit nam quod eam illius immensæ voluntati, quod tum fecit, quantùm fieri potest, eam dilatauit, & infinitæ virtutis esse confessus est. Nec Propheta regius aliter potentiam Dei extollere posse putauit, quàm vt diceret, idque semel, & iterùm: *Omnia, quæcunq; voluit, fecit*; Psal. 13. 11. & Psal. 134. 6. velut pluribus dixisset: Vultis nosse, quò se vsque Domini potentia extendat? Immensitati voluntatis eius par est. In creaturis, quæ maximis viribus valent, nulla potest semper, quidquid vult, facere: Verùm Dominus omne quodlibet, agit, idque ità, vt nihil sit, quod illi obsistere queat.

Dicit nunc Origenes: Qui tam magnificè honorauit Dominum, meritò ille sine cunctatione curatur, vt qui promptè credit, subitò sanetur. Deus enim iustam seruat vicissitudinem, & qualia sunt cuiusque officia, talia beneficia reponit. *Magnificè credis* (inquit Dominus apud Origenem Domin. III. post Epiphan. in Biblioth. homil. Tom. I.) *magnificè & mundaris, plenissimè confiteris, plenissimè lætificaris, non dubitasti credere, non dubito sanare, non distulisti confessionem, non differam te mundare.* Hinc accipiamus, quàm grato Domino seruimus, quàm parato ad respondendum his, quos impigros habet famulos.

Duas parabolas prædicauit cœlestis hic Magister, quæ cum more agendi communi parùm congruere videntur. In vna harum pingit quosdam seruos, qui dominum suum à nuptijs reuersurum præstolantur, idque domi, vt veniente cum accensis facibus excipiant, foribusque apertis in domum admittant. *Vos similes hominibus expectantibus Dominum, quando reuertatur à nuptijs.* Lucæ 12. 36. In altera virgines describit, *quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ*, Matth. 25. 1.

Itané verò teneræ & delicatæ virgines, quæ latere, & domus claustra seruare debeant, prodierunt foras, vt quærerent sponsum, & viri fortes, ac robusti desederunt domi, expectantes herum suum, vt reuersum à nuptijs admitterent, & cum ardentibus tœdis exciperent! Nonné consultiùs fuisset, si permutassent officia, & famuli viri virginum munus cu-

randum

randum suscepissent, virgines autem intrà domestica septa, quod viri faciebant, dominum præstolatæ fuissent? Quid ergo Dominus hanc ordinationem, & vices, vt videtur, inuertit?

Paulus Aresius in suis emblematis spiritualibus emblem. 28. discursu 2. n. 4. ait: in his parabolis adumbratum, quo discrimine Dominus eos, qui ei seruiunt, remunerare soleat, idque simul indicatum, quòd sit prolixior ergà eos, qui fuerint ad famulandum, & gratificandum magis expediti, & officiosi. Dispiciamus ergo quo præmio donet eos, qui domi Dominum suum, inter vigiliarum molestiam quidem sed cum nonnulla commoditate etiam expectant. Præmium horum sic habet apud sanctum Lucam ibid. v. 37. *Faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Compensatio ergo ministerij est ministratio mutua cibi. Quid verò mercedis habuerūt virgines, quæ domibus suis digressæ non paucis se exposuerunt periculis, nec paruo labore custodierunt & lampades suas, ne extinguerentur, & corpora, ne fœdâ commixtione contaminarentur, sed intemerata seruarentur? *Intrauerunt cum eo ad nuptias* (Matth. 25. 10.) Superioremque in gradum euectæ fuerunt, sublimior enim dignitas est, ad nuptias cum sponso ingredi, quàm cibo ab eo recreari. Hinc intelligimus, quàm sit æquitatis obseruans Dominus, cùm suorum officia remunerat, sic vt ampliore præmio eos cumulet, qui ad seruiendum fuerunt prolixiores, magisque & prompti, & strenui.

Sponsi sui elogia sponsa ab eo exorditur, quòd vbera illius fortitudine vinum, fragrantia quoduis odoratissimum vnguentum superarent, dicens: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1. v. 1. & 2. Sponsus è contrà cùm sponsæ venustatem prædicat, sic ait: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulchriora sunt vbera tua vino;* Cant. 4. 10.

Sanctus Gregorius Nyssenus homil. 4. in Cant. ait: *Similibus vocibus vicissim sponsus excipit Ecclesiam, quibus illa anteà illius in procemijs laudauit pulchritudinem.* Quid sibi vult, quòd paribus verbis suorum vberum vtilitatem sponsus & sponsa, Christus, & Ecclesia extollunt, & prædicant? Respondet Nyssenus: *Ergo hoc dogma discimus à diuina Philosophiâ, quòd talis sit nobis Deus, quales nos Deo ostenderimus.* In codice acceptorum Dei accuratè describuntur labores, sudores, defatigationes, operæ, & quidquid ad gloriam, famulatumque illius vertimus, vt tempore opportuno cumulatè & suprà merita remuneret. Huius tam exploratæ veritatis luculentum exemplum habemus in nostro gloriosissimo Patriarcha, qui postquàm Domino fidelissimè, integerrimeque per omnem vitam seruierat, *deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum, congregatusq; est ad populum suum.* (Genes. 25. 8.) & perlatus in locum, vbi sancti Patres Reparatoris mundi, & optati Messiæ expectabant aduentum. Doctrinam Nysseni superiorem callenti facilè erat cogitare, quòd Deus non destitueret eum in morte, cuius officijs in viuis plurimùm fuerat vsus.

*Vide suprà lib. 8. c. 3. & alia loca ad finem illius adnotata, in quibus simile argumentum tractatur.*

*Benedicta sit Sancta, & indiuidua Trinitas, quia fecit, & facit, & faciet nobiscum misericordiam suam. Amen.*

FINIS.







# POLITICI COELORVM,

## Quem in mysticis actionibus Sacri Patriarchæ Iacob reperit

*Reuerendissimus D. P. Didacus Nissenus, Ordinis Magni Basilij Abbas.*

## PARS PRIMA.

### POLITICO ÆTERNÆ FELICITATIS SVÆ STVDIOSO AVTHOR S. P. D.

TAM arctâ obligatione deuinctus est homo suæ animæ, tamq; solicitè & enixè salutem illius æternam, & quæcunq; ad eam obtinendam faciunt, curare debet, vt Sanctus Eucherius Lugdunensis non satis putet, hoc cuiusq; præcipuum esse studium, nisi & vnicum sit, ac solum. Ille in epistola parænetica sic habet: Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, summasque sibi solicitudinis partes salus, quæ summa est, vendicet. Hæc nos occupet in præsidium, & tutelam sui, iam non planè prima, sed sola. Omnia vincat eo studio, quo præcedit omnia. *Quod potissimum habemus, eidem potissimùm attendamus, inquit sacer Antistes: Animâ verò, eiusq; salute nihil præstantius habemus; sit ergò nobis illius semper antiquissima cura. Huc cuncta studia nostra vadant, huc labor omnis, & vires totæ vertantur. Vna sola cuiq; est anima, eaq; incomparabilis pretij velut quædam gemma, quapropter illam etiam vnicè, solùm, ac diligentissimè curare debet.*

*Cùm hanc apud me reputarem tam veram, & Catholicam sententiam, quam Christus supremus Magister tantoperè commendauit, & cùm verbo docuit, tum sanguine obsignauit, & Catholici Doctores vehementer semper prædicârunt, & viri*

*sancti præclaro suo exemplo plurimùm illustrârunt, hoc opus ad commune bonum eorum, quibus animarum suarum emolumenta, & profectus sunt cordi, adornandum suscepi, atq; in duas partes diuisi. Nomen libro indidi,* POLITICVS COELORVM. *Hæc enim, vt præfati sumus, summa & vnica politia, cura, solicitudo esse debet eius, qui æternum conditorem, Dominum, ac reparatorem suum per veram fidem nouit, vt cœlum meditetur, animæ curam gerat, vitamq; suam sic instituat, vt cum Dei auxilio (quo sine nihil boni sperari potest) obtineat, quod expetit, & finem vltimum, ob quem creatus fuit, consequatur.*

POLITICVS COELORVM *erat S. Paulus Doctor Gentium, quando in epistola ad Philippenses c. 3. 20. aiebat:* Nostra conuersatio in cœlis est; *quod ex Velasquez, insigni, diligente, & erudito huius epistolæ interprete, tale est, ac si dixisset:* Sic viuimus, agimus, loquimur, cogitamus, vt cœlestia tantummodò spectemus, hoc munus est nostrum, hæc nostra Reipublicæ administratio. POLITICVS *ergò* COELORVM *fuerit, qui Christiani nomine censetur, si omnia sua ita fecerit, & instituerit, vt quantùm fieri potest, ad emolumentum animæ, & salutem illius æternam, & habitationem cœlestem dirigantur, cuius obtinendæ gratia conditus, ac redemptus fuit. Hoc mihi in præsenti Opere propositum, vt formem* POLITICVM COELORVM, *monitisq; meis in viam beatitudinis adducam, vt eam & certus ingrediatur, & securus teneat, teratq;, & persequatur. Sanctos Patriarchas* ISAAC, *&* IACOB *duces adscisco huius tam momentosi itineris, pro facibus autem, quæ viatores illuceant, erunt illorum mysticæ actiones, in quibus inueniemus doctrinam Catholicam, & eruditionem veram, quæ nostris profectibus multum vtilitatis sit allatura.*

*Cùm verò iter sit nonnihil prolixum, carniq; & sanguini arduum & salebrosum, variâ doctrinâ illud conspergere studui, vt eâ pascam, & oblectem viatores, laboremq; illis leuiorem, ac tolerabiliorem faciam. Nam vt S. Ambrosius lib. 1. de Iacob c. 1. ait:* Nudus sermo ad monendum vtilis, ad persuadendum infirmus est; *& quanquàm aliquis petens ciuitatem sciat quàm in ea non solùm comiter, humanèq; excipiendus, sed & opiparè, ac dapsiliter tractandus sit, si tamen asperum, & confragosum sit iter, operosa illi, & permolesta accidit profectio. Nouerit licet æger, totam curationis suæ spem, & valetudinis instaurationem in cibo positam, ni gratum tamen illi ex condimento saporem adsciscas, non sumet quantumuis salutiferam alimoniam. Sic viator, si nunc fontem, nunc montem offendat, nunc in vallem incidat, nunc*

plano

*plano itinere per campos vadat, nunc flumen, nunc prata transeat, nunc hortos, nunc arbusta prætereat, minus sentit fatigationem, & molesta viæ fastidia fert leuiùs. Et infirmus, cuius languet orexis, & fastidio stomachus laborat, conditurâ nauseam depellit, & excitat auiditatem, vt sumat cibum, quem si quâ salubris appetit, quâ nutrimentum est, horret. Tantundem ego hac occasione facio: Nam vt studiosus* POLITICVS *cum nonnulla voluptate per viam pergat, & cibus veritatis non tam insuauis sit palato, quàm solet, ego illum coquo, & quantâ maximâ possum eruditionis varietate condio, ac præparo. Conuenit enim inaurare pilulas disciplinæ perquàm amaræ gustui vitiato, & cœlestia, atque æterna plurimùm fastidienti, idque iam oraculis Scripturæ, quæ prima regula est, ad quam si dirigantur nostræ actiones, tum demùm, neque aliter rectè fiunt, iam sententijs Patrum, iam acutè dictis Doctorum, iam pronuntiatis Philosophorum, nonnunquàm etiam vel itinerantis viam, vel ægrè decumbentis stratum iucũdis sæcularis literaturæ flosculis inspergere, vt allecto ad hunc modum intellectu, iudicioque, parte hominis tam principali, vi exemplorum, rationisque, & sententiarum, & diuinarum Scripturarum efficacitate ad consentiendum adducto, memoria aptetur, inflammeturque voluntas ad suscipiendum, & complectendum hoc summum, atque vnicè necessarium bonum.*

*Hoc vno institutio nostra* POLITICA *cæteras humani regiminis, & temporalis status disciplinas certò, euidenterque antecellit, quòd hæ non sint semper certæ, vt quæ à dubio euentu, & occasione ancipiti pendeant, cùm noster* POLITICVS *nihil tale adferre queat, quod illi obsistat, quò minùs quod vult efficiat, nam si animum huc tantùm adijciat, quidquid hic docetur, faciet, facere autem cum auxiliaris gratiæ diuinæ ope posse, exploratissimum est: Nihil enim hîc est, quod ab incerto casu pendeat, doctrina verò vna est, vnus scopus, quem illa spectat, & petit, cœlum inquam, lux eius inuariabilis, & via nunquàm mutatur, & Dei opitulatio semper in promptu est, vt in sua potestate habeat felicem suarum actionum, ac lucubrationum successum. Ex meis doctrinam huc adfero quamcunque inuenire per ingenij vires licuit. Quod habeo, hoc do, vt sic cum S. Petro ex Actis Apostolicis loquar, quod vitæ meæ ratio petit, & status professio exigit, hoc offero, disciplinam erudiendis animabus aptam, lucem vitæ cœlorum indicem, & ducem, antidotum aduersùs peccatorum venenum, deniquè iter, quod in felicem illam patriam ducit, ostendo. Patrem luminum, è cuius liberali manu omne bonum descendit, oro, & obtestor, vt hunc meum laborem felicitet, sic vt* POLITICVS *Catholicus cumulatè ex illo referat fructum, & emolumenta, quæ spero, & opto.*

*Pars secunda, hoc est, Sancti Patriarchæ Iacob historia prælo, si Deus iuuerit, propediem subijcietur. Posthæc tribus alijs Tomis tradam artem comparandæ gratiæ Dei, eamq; ex actionibus trium charissimorum, & familiarissimorum Apostolorum Petri, Iacobi, & Ioannis acceptam. Christianus Lector, quod obsecro, Deum pro me interpellet, vt is, siquidem gratos habuerit hos meos conatus, salutem, viresq; concedat, quibus hæc, aliaq; plura præstare possim, vt certè præstabo, si plura per vitam posteriorem inuenire contigerit.*

Fr. Didacus Nissenus.

# POLITICI COELORVM, PARS PRIMA.

## LIBER PRIMVS.

### CAPVT I.

*Cùm homo seipsum vnà conducat, quocunq; vadat, felicitas eius non in mutatione locorum, sed in emendatione morum sita est.*

POstquàm beatâ morte hanc vitam conclusit, & in illam sempiternam optatâ vicissitudine demigrauit gloriosus, & inclytus Patriarcha Abraham, cùm sacris eius manibus pro debito filialis obseruantiæ duo nati illius, Isaac & Ismahel, tristes religiosè parentassent, secesserunt ab inuicem, ex quibus ille cœlestium promissorum primogenitus, & paternarum virtutum æmulator *habitat*, vt Scriptura affirmat Gen. 25. 11. *iuxta puteum nomine Viuentis, & videntis.* Auius ille locus, inculta ea solitudo, & tam celebris puteus is est, vt volunt sacri Interpretes, apud quem Angelus apparuit Agari, quando illa è domo Abrahæ eiecta in hospitam eremum peruagabatur. In ea sententia sunt D. Ioannes Chrysostomus, S. Ambrosius, Lyranus, Tostatus, & alij non pauci. Verba Tostati sic habent: *Iste puteus est sic nominatus ab Agar, vt patet suprà c. 16.* Ex quo accipitur doctrina plurimùm profutura nostro Politico, & quæ nobis quoque erudiendis perutilis esse queat. In quo loco Angelus Agari visus fuit, in eo cœlestis nuntij præsentiâ consecrato Isaac cum ingenti animæ suæ vtilitate, & profectu vixit, cùm fugitiua famula nihil spiritualis emolumenti inde collegerit, nam si talis commodi quidpiam reportasset, non id sacer scriptor tacitus præterijsset. Id hic notare, & monere volui, vt omnes intelligant, curandarum animæ infirmitatum, & spiritualium morborum sanandorum remedium non in locis, sed in morum correctione esse positum: Parùm enim prodest homini, quòd mutet regionem, nisi vitæ quoque consilium mutet; & si animæ passiones emendet, quandoque non refert deserere locum, in quo degit.

Ibat dilecta sponsa per incultos syluosæ eremi saltus magnam, gratissimamque de vestitu, deque corpore toto aromatum fragrantiam exhalans, quam cœlorum ephebi conspicati, & admirati, agilitatem eius, ac velocitatem, quacum sursùm tendebat, tali verborum plausu celebrabant: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij!* Cant. 3. 6. Rupertus Abbas, Honorius, Cardinalis Hailgrinus, Hugo Cardinalis, Philo Carpathius, Aponius, S. Iustus Orgelitanus, & alij plures per hanc variorum odoramentorum fragrantiam intelligunt copiam diuersarū virtutum sacræ sponsæ, & excellentias eiusdem.

Sed notandum, quod Angeli aiunt: *Quæ ascendit per desertum*; tanquàm à solitudine gratissimum suum odorem illa contraxerit. Et S. Gregorius Nyssenus hom 6. in Cant. inquit: *Num desertum, vt videtur, est causa, quòd ipsa sicut virgultum ascendat in altum?* Beati illi spiritus certè videntur incrementa animæ, quæ sponsa fecit, auiæ eremo, & desertæ tribuere solitudini, ex qua diues virtutum, & gratiæ donis collocupletata ascendit. Ergòne verò loco adscribenda sunt tantarum ornamenta virtutum, quibus sponsa tam admirabiliter exculta, & perpolita fuit?

Respondet Nyssenus, loco nequaquàm ea tribuenda, sed diligentiæ, sedulitati, industriæ, laboribus sponsæ, quibus illa Dei auxilio confirmata sese exercuit. *Ex suis laboribus per continentiam, & diligentiam acquisiuit pulchritudinem*, inquit ille. Parùm profuisset remotior ab hominibus locus, parùm commo-

commodasset absita eremus, nisi illa assiduo studio, & totâ neruorum contentione etiam atque etiam terram animæ suæ excoluisset, illiusque profectus viribus omnibus curasset. Neque enim omnis semper in loco sita est salus, sed in vitæ correctione, & dispositione animi.

Quàm præclarè hanc doctrinam Politico nostro tradet Princeps Prophetarum coronatus! sanctum ille ab hominibus secessum, & solitariæ vitæ securum otium sibi optabat, itaque sic anxiè exclamabat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Psal. 54. 7. O si tam felix forem, vt reperirem quempiam, qui me alis columbinis donaret, & instrueret, quarum remigio è medijs procellosi mundi turbis in quietæ solitudinis amœnam tranquillitatem me subueherem, vbi animus ab omni cura vacuus, & procul ab omni inquiete solis cœlestibus studijs operam nauaret, totumque me dulcis, & amabilis Domini mei officijs traderem. Expletum fuit hoc illius desiderium, cùm ait: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine*; ibid. v. 8. Iam sacer Rex in penitissimæ eremi absconditissimo, & secretissimo loco, quem tam ardenter suspirabat, degit. Nunc ergò magnâ quiete perfruetur, & pace, liberque ac securus viuet, non habens scilicet hostem, à quo impetatur, neque appetitum, à quo impugnetur. At ipsum, quid dicat, audiamus, ipse nobis vitæ suæ, quam in solitudine egit, statum, rationesque exponat: *Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate*, inquit ille ibid. v. 9. velut dixisset: Omnipotentem Dominum, cuius auxiliares manus semel expertus fui, præstolabar, & porrò appellabam, vt me deiectum animo erigeret, eximeretque à procellis, quibus miserùm iactabar. Sed quid ais, Sancte Propheta! Habetné etiam eremus pusillanimitatem spiritus, & solitudo tempestates! Nonné dicebas, *Volabo*, cùmq; inter latebras procul extra homines, & omnem mundi strepitum positus morabor solus, *requiescam*, atque in eremo non secùs ac in cœlo, quod nullas patitur impressiones, viuam? Quod si ità est, quomodo ibi tam graues cooriuntur tempestates, quomodo turbines tam sæui excitantur? Vnde illa tibi eo in loco cordis ignauia, & timiditas, vt *à pusillanimitate spiritus, & tempestate* per horas, ac momenta diceres, è cœlo sperare auxilium Dei, qui à coniuratis in tuam pernitiem tot hostibus te liberaret, cùm aiebas: *Expectabam eum* etiam hîc in abstitiore solitudine, *qui me* alibi sæpè *saluum fecit?*

Nonné videtis, inquit ferè Sanctus Paschasius l. 4. in c. 4. Matth. vt homini sit benè secundùm animam, atque vt spiritu augescat, & virtutum incrementa faciat, non in solo loco esse positum? David enim *necdum in solitudine liberum se intelligit à periculo, dum adhuc se flagitat liberandũ*. Hæc ille ibid. Cùm verò ille in solitudine, quam velut tutissimum perfugium appetebat, iuuari, & liberari oret, quòd in ea sæuas procellas, tempestatesque pertimescat, euidenti inditio est, non satis esse mutasse locum illi, qui inuariatos seruat vitæ mores. Ergoné & secessus ex hominibus habet infestos dæmones! Immò verò habet. Dicat hoc spiritualis ille athleta, & validissimus pugil, & magnus eremi Pater Sanctus Antonius, quem iuratus generis humani hostis tam varias figuras indutus, tam multis, ac magnis modis oppugnauit, & infestauit. Totum hoc Deus sic disponit, & ordinat, vt nos doceat, non debere confidere loco, in quo degimus, nam cùm homo seipsum vbique conferat, etiam prælij occasionem, & pugnæ causam, quocunque pergat, conducit.

Quàm præclarè hanc rem docuit Faustus Rhegiensis Serm. 2. ad Monach. To. 2. Biblioth. PP. talibus verbis: *Quid prodest, quòd discedis, qui vndiq; adstrictus es vinculis passionum? Quem hinc, atque hinc circumuallant vitia sua? Dignè aliquis discederet, si eò ire posset, vbi eum diabolus inuenire non posset. Nemo se fallat, non fugiet aduersarium de loco ad locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem. Si eum fugiat, sequitur. Emenda te, & fugiet te, sicut ait Apostolus: Resistite diabolo, & fugiet à vobis*; Iacobi 4. 7. Sunt religiosi, qui cùm se alicubi nonnullis tentationibus vexari, aut grauiore tristitiâ premi vident, in alia monasteria transmitti vehementer rogant, vbi tamen eisdem vrgentur bellis, & eò peiùs semper habent, quò crebriùs è loco in locum demigrant. Dicit nunc Faustus: Quid iuuat variare loca, mutare asceteria, si te cupiditatum tuarum vincula vbique arctissimè obligatum habent, si te vitia tua hinc, atque illinc inuadunt, & sinistra indoles, improbumque ingenium per deuia abripiunt? O quàm felici fugâ elabereris, si in locum dæmoni inaccessum, eiusque telis imperuium euadere posses! Non seipsum quisquam decipiat, nemo hostem effugiet, quantumuis hac, atque illac fugiat, euadet tamen, si corruptos mores exuat, & à contaminatæ vitæ consuetudine ad pietatem, sanctitatemq; transeat. Velis licèt, ac remis aliò atque aliò te recipias, hostem semper à tergo habes, qui te sequitur, ac persequitur quocunque

pergas,

pergas, aliudque nihil agit, quàm vt loca omnia famelicus, ac rabiosus, iram, ingluuiemque suam explere desiderans, circumeat. Optimum ab hoste effugium est vitæ sanctioris studium & morum prauorum, qui te cruentissimo bello vel vnicè, vel maximè infestant, correctio. Sic enim habet magnus Hispanorum patronus: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*; non ait: *Mutate locum ex loco*, sed *resistite*, repugnate; quod tale est, ac si diceret, pugnam spiritualem non semper, nec per omnia similem esse corporalis conflictus, in quo locus præcipua sæpè causa, & pars maxima victoriæ esse solet, in spiritus autem certamine plurimùm valet obnitentia, & faciliùs triumphat, qui vitæ mores emendat. Locus enim quamuis nonnunquàm ad victoriam conferat, vt tamen superior euadas, non ille semper, neque solus facit. In foro sanctus, dæmon in reconditissima eremo esse potes.

Eapropter beatissimus Pontifex Gregorius de illustrissimo Patriarcha Benedicto lib. 2. Dialog. c. 8. aiebat: *Sanctus vir ad alia demigrans loca, non hostem mutauit.* Non est idem euadere locum, & hostem, quin hic nos non secùs ac vmbra corpus, lux solem sequitur. Ergo morum mutatio tota non in sola loci mutatione est posita. Vnde & Horatius nonnullibi dixit:

*Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* Qui per maria nauigio vehitur, is regiones varias licèt subeat, ingenium tamen idem, indolemque veterem semper retinet. Seipsum confert homo, quoquò pergat, seipsum comes sequitur, & omnis itineris sui socios habet mores suos, natiuasq; propensiones.

Admirabiliter disserit hoc de argumento insignis Cordubensis noster Seneca, ijs suum errorem aperiens, qui sibi persuasum habent, se simul & noua loca, & vitæ consuetudinem aliam inituros, & mutaturos cum regione animi ingenium. His ait illud euenire, quod ægris, qui valetudinem suam curandam existimant, si locum ex loco mutent: *Proprium ægri est nihil diu pati, & mutationibus vt remedijs vti*, inquit ille de tranquillit. animi cap. 2. Cùm infirmum in lecto feruens, & maligna febris adustulat, quàm crebrò intrà ardentem strati, in quo inquietus intolerabili incendio conflagrat, fornacem se hac, atque illac versat, putans ardoris sui refrigerium in loci mutatione situm! Verùm morbi pertinacia suum illi errorem detegit; nam cùm suum secum ignem conferat, & affectæ valetudinis malum effugere non possit, quocunque se conijciat, coniunctissimum semper habet carnificem, à quo affligitur, proximum tyrannum, qui eum insectatur, & vexat, nec enim omne in locorum, sed morum maximè mutatione positum est remedium.

Non parùm altercantur sacri Expositores de sensu illorum diuinæ Scripturæ verborum, quæ hoc habent, quòd supremo cœlorum vertici graue aquarum pondus impendeat, de quibus Propheta regius Psal. 148. 4. hæc: *Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*; & tres è fornace Babylonica pueri ista: *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino*; Dan. 3. 60. Sancti Augustinus, & Hieronymus, & Doctores alij dubitant, nùm hæ aquæ ex ijs sint acceptæ, quæ hîc infernè creatæ, an verò ibidem, vbi nunc sunt, conditæ fuerint. Varij de hac re sentiunt sacrarum literarum periti. Oleaster cum alijs existimat, aquas illas supercœlestes ex his esse, quæ terræ parti inferiori incumbunt, & cùm Deus fecit firmamentum, ac diuisionem aquarum, tunc alias hîc infernè mansisse, alias suprà cœlorum cacumen euectas, & illas humilibus inclusas alueis, has sublimissimo orbium istorum cœlestium impositas fastigio.

At quæ tam altùm sunt euectæ, tamque nobilibus, ac sumptuosis exceptæ palatijs, num propterea mutàrunt naturam, genitalesque proprietates deseruerunt? Respondet Oleaster in c. 1. Genes. *Facto firmamento, seu diuisione non videntur mutasse naturam.* Tametsi locum mutàrunt aquæ, manserunt nihilominùs aquæ, nec quia in tantam celsitudinem elatæ fuerunt, idcircò abdicàrunt à se, quas in terra habuerunt, proprietates: *Non videntur mutasse naturam*; nihilo proinde ex tam sublimi loco feliciores, ac sublimiores, neque enim in loci mutatione omne bonum positum est, sed in emendatione earum, quæ à natura insunt, imperfectionum.

Nam vt D. Bernardus apud Ioannem de S. Geminiano lib. 3. c. 7. obseruauit, *nec Lucifero profuit locus cœli, nec Adæ locus paradisi, nec Loth locus montis excelsi, nec filijs Israel deserti*, Lucifer enim in cœlo intumuit, in paradiso Adam ægrè habere cœpit, Loth in monte peccauit, Israëlitæ in eremo deliquerunt. Si locus vel beatos, vel reprobos faceret, certa esset omnis Religiosi saluatio, indubia quorumuis sæcularium damnatio. Propterea Ioannes de S. Geminiano dicit: *Nota quòd peccatori non prodest transmutatio loci sine mutatione animi.* Vt peccator quispiam ab animi ægritudinibus conualescat, & saluâ spiritus vitâ euadat, parùm confert mutare patriam, aut vertere solum, nisi animum simul mutet,

tet, & consilia saniora capessat, & ad studia meliora se conuertat.

Seneca noster huc redeat, salutaribusque monitis suis nos iterùm erudiat. Lucretius apud illum lib. de tranquillit. an. cap. 2. aiebat: *Hoc se quisque modo semper fugit*, si loca identidem muret, & noua quotidie domicilia quærat, terrasque alias ex alijs perpetuus hospes oberret. Sed illi occurrit Seneca, inquiens: *Se semper fugit, sed quid prodest, si non effugit? sequitur se ipse, & vrget grauissimus comes.* Quid prodest illi, cui ex passionibus suis est ægrè, quem praui affectus malè sanum habent, quòd velut in continua peregrinatione positus terras in dies nouas adeat, cùm seipsum euadere, quocunque vadat, non possit; sed se haud aliter, ac vmbra corpus, vbique sequatur, suijpsius semper indiuiduus, sed molestissimus, & onerosissimus socius? *suijpsius grauissimus comes.* Ergò si homo seipsum circumfert, sicvt se exonerari non possit, neque à graui passionum, affectionumque pondere se liberare, operam perdit, qui vt curetur, non ex morum emendatione, sed ex locorum variatione remedium petit. Vitæ correctio est vitiorum vera medicatio, & abolitio.

Hanc in rem dicebat gloriosus Pater Sanctus Hieronymus: *Non Ierosolymis fuisse, sed Ierosolymis bene vixisse, laudabile est.* Viuere in locis sanctis nihil vtilitatis adfert ijs, qui non etiam ibidem sanctè viuunt. Nec laudabile est, neque securum degere in monasterio, & conuentu religioso, nisi vita loco respondeat. Parùm refert frequentasse scholas Salmanticenses, nisi diligenter in literarum studia incubueris. Neque aula comem facit, nam & Tantalum non iuuit proxima ori eius aqua, & auaro diuitiarum affluentia nihil commodat, cùm & ille sitim in medijs aquis passus sit, & hunc nulla exsaturare auri abundantia queat. Sic parùm solatij adferre locus potest, nec quisquam cogitare debet, omne in illo malorum nostrorum remedium, & infirmitatum antidotum esse positum, præstantissimum nempè omnium nostrarum ægritudinum medicamentum est, nouæ vitæ sanctæ consilia, & studia suscipere, & efferatas passiones cicurare, ac perdomare.

*Vide To. 2. Persecham II. Domin. II. Aduentus pag. 338.*

## CAPVT II.

*Qui maximum consequi non potest, non proinde committere debet, quin minora prenset, ac procuret.*

NON absque singulari mysterio sacra historia memorat, Sanctum Patriarcham nostrum habitasse proximè puteum, qui viuentis, & videntis appellabatur, inquiens: *Habitabat iuxta puteum nomine viuentis, & videntis*; Genes. 25. 11. In quæ Origenes ho. 11. in Gen. ista: *Tam magnam benedictionem accipere à Deo meruit Isaac, vt habitaret ad puteum visionis.* Non omninò, vt sic loquar, obtinuit Isaac, vt intrà ipsum puteum habitaret, illud verò solùm assecutus fuit, vt iuxtà puteum (qui donorum, & consolationum Dei quoddam symbolum erat) viueret, vt doctrinam quandam, nobis Politicus noster traderet, quâ multæ negligentiæ propulsantur, & expelluntur, quæ diffidentiæ nomine artificiosè in mundum sunt introductæ. Multi sunt, qui cùm in stadio virtutis totum consequi non posse vident, neeò quidem anhelant, vt vel aliquantum obtineant; & quia in culmen Apostolorum ascendere nequeunt, etiam non laborant, vt ad eos perueniant, qui in tantum fastigium non subierunt. Vt horum ignauia, ac diffidentia nullam habeat excusationem, de nostro Patriarcha dicitur, quòd *habitabat iuxta puteum* visionis, vt intelligeremus, cùm totum assequi non possumus, coronari debere, vt partem illius totius, quantam possumus, assequamur, & vel propè puteum degamus, quibus ire intro per vires imbecillas nondum licet.

Eiusmodi comparationibus magnus Ierosolymorum Patriarcha Cyrillus catech. 6. vel teporem nostrum arguere, vel diffidentiam, pusillanimitatemque corroborare voluit, cùm ait: *Quià totum flumium ebibere nequeo; quod commodum est, & vtile mihi non sumam? Virum quià totum solem oculorum intuitu capere non possum, nec ad meam vtilitatem; quod satis sit, non aspiciam? Et quoniam in hortum amplum ingressus vniuersa non possum poma comedere, visne vt omninò esuriens, fameque laborans discedam?* Certum est, eum, qui nec flumen totum combibere, nec solares radios omnes haurire, nec fructus horti vniuersos comedere potest, non propterea omnem relinquere aquæ, lucis, & fructuum vsuram debere. Iuxta hæc ait Cyrillus: Num quià in ipsam mysteriorum Dei abyssum descendere non possum, ne hoc quidem conabor, vt quantulumcunque illud reconditiorum sacramentorum eius inuestigem, & peruidere intellectu queam? Num quià spiritus alis in summum perfectissimæ virtutis verticem euolare non valeo, etiam paulatim progredi, & pedetentim à terra assurgere intermittam? Non habet bonam status rationem, qui cùm efficere, vel obtinere maius nequit, etiam minus negligit, ac relinquit. A vera cœlorum politica aberraret, si quis ità desiperet, &

hoc-

hoc paruum, quod poteſt, agere non vellet, quoniam illud magnum, quod vellet, non poteſt.

Cùm ſupremùm pro tribunali Iudex ſupremus ſedebit, vt virtutibus noſtris præmia, laboribus coronas decernat, tunc ijs, quibus illa æterna, & indeficiens requies eſt parata, dicet: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus, & cooperuiſtis me, infirmus, & viſitaſtis me, in carcere eram, & veniſtis ad me*; Matth. 25. 35.

Euthymius quærit, quamobrem pientiſſimus, auidiſſimuſque ſalutis noſtræ Iudex tam longum catalogum texuit operum miſericordiæ, quorum exercitatione cœleſtes manſiones promereri homo chriſtianus poteſt, dum nunc annonâ eſuriem famelici leuat, nunc potu ſiticuloſum refocillat, nunc peregrinum tecto excipit, nunc ægrum viſitationis officio ſolatur, nunc veſtimenta nudo miniſtrat, nunc captiuum præſentiâ ſuâ oblectat. Quò ſpectat illa tanta operum varietas? Quid cauſæ, quòd tam multa recenſentur miſerationum genera? Permouendo ad perbeneficæ ergà pauperes, & egenos liberalitatis amorem Chriſtiano ſat erat vnum quoddam miſericordiæ opus, & præmium, quo illud largiſſimus Deus prolixiſſimè remunerat, ob oculos ponere. Quid ſibi ergo vult tam longa, ac multiplex tot operum recenſio?

Reſpondet magnus Euthymius, dicens: *Varias humanitatis partes recenſet, vt ſiquidem poſſumus, omnes impleamus, ſin autem, ſaltem eas, quas poſſumus.* Tam multos itaq; beneficentiæ modos Dominus enumerauit, vt quiſque pro viribus in ijs ſeſe exerceat, & qui non omnia eiuſmodi opera, non etiam partem maiorem poteſt, quantam quantam poteſt, faciat. Cui per tenues facultatulas non licet dare veſtem nudo, ei per corporis vires licebit viſitare infirmum, & qui ne hoc quidem per affectam valetudinem propriam poteſt, poterit vel calicem frigidæ dare ſitibundo, & quibus tam eſt exiguus cenſus, vt exerere munificentiam ergà omnes egentes nequeant, non propterea licet totam exuere humanitatem, ſic vt nulli vel quidpiam benefaciant, neque opellam, quam poſſunt, impendant.

Hinc accepit S. Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus argumentum magnificandi prolixitatem reginæ Mathildis, quando hæc ad ornamentum Eccleſiæ illius opulentiſſima ex auro candelabra miſit. Eam deuotæ, ac prudentis Principis generoſam, & religioſam largitatem talibus verbis deprædicat ep. 16. To. 3. Bibl. Vet. PP. *Porrò ex hoc etiam manifeſtum eſt, quàm deuota interes ſacramentis, quæ quia miniſtrare non potes fœmina, prouides inſtrumenta.* Graui certè, ac luculento teſtimonio ſuam adſtruebat Mathildis animi liberalitatem, & pectoris deuotionem, palàmque omnibus faciebat, quanto pietatis cum ardore ſacramenta adibat, quando, cùm ſacramenta, per ſexus conditionem adminiſtrare ipſa non poſſet, miniſtrabat inſtrumenta, quæ ad ſacramentorum decentiorem vſum, qui hoc ex officio poterant, verterent. Hæc eſt præclara ratio ſtatus, vt vbi totum attingere non potes, vel propiùs accedere labores.

Hâc doctrinâ vſæ fuerunt deuotæ illæ mulieres, quæ cùm ſalutis ſuæ autorem è duro ligno in Caluariæ monte pendulum cernerent, cum lachrymis illi adſtabant: *Ad crucem cum lachrymis prius, dehinc ad monumentum cum aromatibus acceſſerunt*, inquit Hildebertus, ſiccine verò vel à probroſo ſupplicio innocentem liberant, vel à fatali monumento mortuum exſuſcitant? Neutrum ſanè, ſed deuotæ, & luctuoſæ mulieres *pro ſuccenſa deſiderio, quibus potuère ſtudijs, & crucifixo compaſſæ ſunt, & obſecutæ tumulato.* Ità pergit ille. Non erat tanta lachrymarum illarum efficacitas, vt vindicare à morte autorem vitæ valerent, neq; aromatibus id efficere poterant, vt anima Chriſti priſtinum ſuum repeteret hoſpitium: Quod commodè tamen potuerunt, id agebant, miſerabanturque illius cruciatus, & ſacrum cadauer honorabant, neque prudenter feciſſent, ſi aut pœnas illius ob id non deploraſſent, quod auferre non poſſent, aut defuncto non lachrymis, non pijs deuotionis, ſiue legis cæremonijs parentaſſent, quòd vitam illius à tyrannide mortis eximere nequirent: *Quibus potuère ſtudijs, & crucifixo compaſſæ ſunt, & obſecutæ tumulato.*

Nam vt ſanctiſſimus Claræ vallis Abbas S. Bernardus epiſt. 176. aiebat: *Sanum, iuſtumq; propoſitum nunquid omittendum ex toto fuit, quia ex toto adimpleri non potuit?* Nequaquàm. Faciendum vel aliquid, cùm fieri totum nequit.

Inhoſpita in eremo aiebat Chriſtus plurimis comitatus conuiuis. Cogebat ſua illum quodammodò pietas, vt turbæ ſequaci annonam miniſtraret. Diſcipulorum conſilium erat, vt famelicos à ſe dimitteret, quò ſibi quiſque remedium ipſius pararet. Reſpondit autem Dominus: Nihil neceſſum eſt id facere, *date illis vos manducare*, Matth. 14. 16. Anxios reddidit hoc iniunctum officium Diſcipulos, qui & quàm demiſsè dixerunt: *Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces*; ibid. v. 17. quam tantillam

annonulam si dispertiri in tam numerosam turbam vel maximè velimus, qui fieri potest, vt tam ingenti necessitati satisfaciat? Tunc generosus Magister: *Afferte mihi illos huc* (ibid. v. 18.) panes, ac pisces.

Res explorata est, voluisse Christum miraculo, cui accingebatur, fidem asserere doctrinæ, quam prædicabat, vt existimant Sancti Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Beda, & alij multi. Sed quo propterea consilio voluerit sibi Dominus illos tam pauculos panes, ac pisces adferri? *Afferte mihi illos huc.*

Euthymius respondet: *Iussit quidem panes, ac pisces afferri, docens quòd etiam illa pauca oporteat præbere indigentibus.* Quòd cœlestis Magister tenuem illam, modicamque alimoniam pro subleuanda tam copiosæ multitudinis necessitate sibi adferri præcepit, eo facto nos instituere voluit, vt nunquam despondeamus animum, tametsi videamus fieri non posse, vt rem quampiam totam conficiamus, sed aliquid semper agere curemus, sic enim optimè, quantùm fieri potest, agemus, & satisfaciemus. Nam vt nihil agamus, quia peragere totum non possumus, id quidem inimicus noster diligentissimè laborat, nostram tamen remissionem, & ignauiam non excusat.

Admodùm congruit cum hac re, quod S. Ioannes Chrysostomus ait, cùm de virtutibus varijs, & actionibus loquitur, in quibus sese exercitârunt ij, quorum vel in sacris fastis, vel in alijs grauibus historijs, authenticisq; annalibus crebra fit mentio, inquiens: *Tanquàm ornamenta quædam proposuit Patrum certamina, vt vnusquisq; nostrûm ad quam voluerit certationem seipsum conformet.* Hæc ille Orat. in Ioseph, To. 5. velut dixisset: Constituit nobis ob oculos Dominus pugnas, & virtutes, & benefacta sacrorum Maiorum nostrorum, & quos vetus lex peperit, & quos noua edidit, vt ex his sibi quisq; sumat, quæ statui suo magis conueniunt, ac se magis decent. Illud in verbis S. Chrysostomi percommodum est rei præsenti, quod ait; *Tanquàm ornamenta quædam*, siue monilia *proposuit* nobis Dominus virtutes Sanctorum. In officinis mercatorum, & abacis aurifabrorum sunt varia genera pannorum, sericorum, monilium. Ad illos ingrediuntur Rustici, & Patritij, Dominus, & subditus, Princeps, & qui ab illius officijs, nobilis, & pauper, omnesq; inueniunt, quod emant, & sibi accipiant, quia pro omnibus est aliquid, est linum, est lana, est sericum, est sagum, est toga, est vestis conchyliata, est bombycina, est plebeia, famularis, squalida, obsoleta, est margaritum, est vitrum, est quod maximo, est quod minimo paretur, & quisque sibi quòd & facultas, & status exposcit, mercatur. Ad hunc ergo modum ait Chrysostomus, quòd Dominus *tanquàm ornamenta quædam proposuit Patrum certamina*, præstituit abacum, aperuit officinam, explicuit merces virtutum seruorum, & amicorum suorum, vt ex his imitandum sibi quisque deligat, quod per vires meliùs exequi posse putat. Hic est inuenire Apostolos, Martyres, Confessores, Doctores, Virgines, Viduas, Coniugatas, Pauperes, Opulentos, iniuriarum Condonatores, Ieiunatores, Pœnitentes, Solitarios, Eremicolas, Ciues, *vt vnusquisque nostrûm, ad quam voluerit certationem, seipsum conformet*, vt ex hac diuite taberna hoc sibi quisque, quod magis adlubescit, accipiat, & cui non est ea facultas, vt inæstimabile margaritum & radiantissimum adamantem virginitatis comparare possit, emat castitatis vitrum, & qui veneream à se abdicare voluptatem omnem nequit, coniugalem saltem castitatem obseruet, *meliùs est enim nubere, quàm vri*, vt Paulus aiebat 1. Corinth. 7. 9. Qui non est tam ardente spiritu, & magno animo, vt possit transmittere ad Iapones, vbi pro Deo sanguinem vertat, sit ille suorum desideriorum tortor, sit martyr suo modo quo potest, plectatque per omnia pœnalia, quæ malè egit, fundat lachrymarum sanguinem, quo turpes maculas suas diluat, ac deleat. Cui tam imbecillæ vires, vt opibus, quibus affluit, se nudare nequeat, totum tamen animum ijs inordinatè non addicat, ne sint illi laquei, quæ benè merendi occasio esse possunt. Si fortè totum facere Politicus noster non potest, vt nonnihil tamen agat, curet. Aperta est taberna, patent officinæ fores, vt pro virium suarum modulo, quod sibi magis commodum, & conueniens, eligat. Non omnia omnes possunt, sed non propterea etiam pars operis prætermittenda, quòd totum confici nequeat. Cui per tenuitatem suam non licet vestire purpuram, & aurum, & gemmas pretiosas, non illi proinde fas est omnem cultum negligere, omnemque vestimenti decentioris, congruentiorisque curam abijcere: *Tanquàm ornamenta quædam proposuit Patrum certamina, vt vnusquisque nostrûm, ad quam voluerit certationem, seipsum conformet.* Si nihil pro Deo pati velis, quòd mortem pro illo martyr oppetere non possis, manifestè falleris, & erras, qui neque castus esse vis, quòd virginitatem conseruare integram nequeas. Si misere luditur, qui pauperi, cui dare vestem nequit, etiam frustillum panis, quod potest, non ministrat. Nihilò indubitatiùs illi hallucinantur, qui nec vnam salutationem Angelicam recitant, quià totum ad precarios

precarios calculos exsoluere Rosarium non possunt. An tu fortè nudus mundum obis, quòd vestire holoserica nequis? An ab omni prorsùm cibo abstines, quia decem discos, aut lances exonerare in ventriculum non potes? Transfer hæc in rem præsentem, sicque exstimulaberis, vt vel aliquid facias, cùm totum agere, & assequi nequis, nec enim à parte operis tentanda excusatur, qui totum perficere non potest.

*Idem argumentum pertractat Tom.2. Periocha III. Dominica I. post Pentecosten, pag. 89.*

## CAPVT III.

*Summa est illius temeritas, qui summum statim posse attingere præfidit.*

QVòd puteus in sacris literis sit profundorum mysteriorum, & reconditiorum diuinæ legis sacramentorum symbolum, id constans sententia vtriusque Glossæ, Interlinearis, & Ordinariæ, D. Hieronymi, Ioannis de sancto Geminiano, Origenis, Berchorij, Pagnini, Laureti, & Ricciardi habet. Glossa Interlinearis sic ait: *Habitabat iuxtà puteum, morabatur in discutiendis profunditatibus scripturarum.* Quòd ergo Isaac proximè illum tam celebratum puteum sedem fixit, eorum operam, & studium præfigurauit, qui plurimùm laborant, & desudant, vt diuinorum mysteriorum obscura illustrent, intricata explicent, abscònsa in lucem proferant. *Iuxtà puteum habitabat*, non primo statim momento in altitudinem mysteriorum penetrauit, non totas primo intuitu difficultates peruidit, neque repente è vestigio in ipsa secretiorum dubitationum penetralia peruasit. Hac re docemur, quomodo stulta quorundam inconsultorum temeritas infrænanda, qui in finem sine medijs peruenire volunt, & cathedras magistrorum ante inire, quàm se in disciplinam tradiderint, & doctoribus erudiendos submiserint. Est hæc communis multorum ægritudo, & familiare arrogantium malum, qui vix gradum in virtutis curriculo promouerunt, quando iam se consummatos, & admodùm perfectos esse præfidunt, cùm tamen res sic habeat, quòd nemo primo statim passu perfectionem assequatur, neque repentè in fastigium quisquam perueniat, maximè cùm præcelsum est, in quod aspiratur.

Nam vt Quintilianus lib. 10. cap. 3. ait: *Nihil rerum ipsa natura voluit magnum effici citò, prapopsuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem, quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutiùs visceribus parentum continerentur.* Præclarissimas operas, & elegantissimas structuras pluribus difficultatibus voluit esse obnoxias, & maioribus cunctationibus prouida natura alligauit, quòd in iumentis videre licet, quæ lucem communem eò tardiùs aspiciunt, quò vastiore sunt corporum mole. Discere hoc est ex Elephantis, de quibus Plinius, Pierius Valerianus, Ælianus, Bartholomæus Anglicus aiunt, suprà biennium aluo maternâ gestari. Tantam nempè derepentè sibi promittere, aut arrogare magnitudinem, magnam vanitatem & immodicam temeritatem arguit.

Propheta Ezechiel cap. 8. v. 3. tale quidpiam de se narrat: *Similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter terram, & cœlum, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* Nemo inficias ierit, hoc factum esse, quandam imaginem eius, quòd animabus cum diuino spiritu accidit, donec in cœlestem Ierusalem perueniant, quæ omnium votorum, desideriorumque nostrorum finis est, & meta suprema. Sed notandum, quod & S. Hieronymus obseruauit, quòd sacer Propheta ait, eleuatum se à spiritu *inter cœlum, & terram*, posthæc verò adductum *in Ierusalem*. D. Hieronymus sic habet: *Spiritus non eum statim ad cœlum leuat, sed inter terram & cœlum.* Sed cur tam parca, vt quidem videtur, fuit Domini manus, neque primo statim momento in supremum cœli fastigium euexit, quem eò promouere certum habebat? *Non enim statim ad cœlum leuat.* Sed quid causæ, quòd paulatim, ac velut per gradus quosdam illum subduxit, sic vt primùm à terra assurgeret, dein aërem calcaret, denique maiore virium contentione, & imitatiore volatu in ipsam summi cacuminis celsitudinem ascenderet? Factum hoc, inquit Doctor maximus, vt instituueremur, quem proficiendi, & discendi modum tenere in schola dominica debeamus, vt progressus noster, & studia nobis feliciter cadant: Nimirùm pedetentim progrediendum; & per singulos ex ordine gradus sensim ad altiora conandum; nam velle ex humili terræ pauimento in supremum cœli apicem vno velut saltu penetrare, præfidentia plusquàm temeraria est, & insignis ex omni parte stultitia.

Psalmus 118. complectitur summam nostræ eruditionis, & profectus nostri spiritualis præcipua monita. Versibus 176. constat, cuius singulos octonarios Dauid per singulas Hebræorum ex ordine digessit literas, à primo *Alpha*, vsque ad extremum *Tau*.

S. Ambrosius serm. 14. in Psal. 118. lit. *Nun* quærit, quid causæ sit, quòd hic Psalmus per prima alphabeti elementa ita est distributus, cùm nulla penè sit in sacra Scriptura litera, quæ non singulare aliquod mysterium, & secretum monitum contineat. Eam autem his verbis explanat dubitationem: *Ideò per literas Hebræorum Psalmum hunc intelligimus, esse digestum, vt homo noster tanquàm paruulus, & ab infantia per literarum elementa formatus, quibus ætas puerilis assueuit, vsque ad maturitatem virtutis excrescat.* Vt puer quispiam discat legere, primùm ei alphabetum, siue tabella, quam abecedariam vocamus, datur, vt ab his rudibus principijs exorsus, demùm artis consummatæ perfectionem consequatur. Per tam inculta initia pulcherrimarum scientiarum decentissima ornamenta sibi parat. Tale quidpiam in virtutis schola euenit, inquit diuinus Mediolanensium Archipræsul: Nam vt in summum apicem peruenias, necessum est rudimenta huius diuinæ Philosophiæ primùm terere, & à tam humilibus principijs ordiri, eamque ob causam Psalmus, in quo illa Philosophia traditur, per alphabeti literas singulariter, ac minutim digeritur, vt omnis, qui diuinæ huic scholæ se tradunt, intelligant, velut pueros esse debere, & à paruo inchoare, vt ad magna perueniant, & à pauculo incipere, vt multa aliquando consequantur: *Vt homo noster tanquàm paruulus, & ab infantia per literarum elementa formatus vsq; ad maturitatem virtutis excrescat.* Qui enim ætatis masculæ vigorem antè vult adipisci, quàm infantilium annorum imbecillitatem tolerauit, ac transierit, aut ad fructus maturitatem priùs peruenire cupit, quàm floris teneritudinem expertus fuerit, næ ille plurimùm & fallitur, & præcipitat.

Venit œconomus Abrahæ in Mesopotamiam, cùmque propiùs abesset à ciuitate, in qua degebat Nachor, incidit in Rebeccam Isaaci nostri dulcem, & sanctam coniugem. Vidit eam Elizer (hoc Procuratori nomen) arbitratusque ab inditijs eam esse Sponsam, quam Deus parasset filio Domini sui, *protulit*, vt sacer Textus loquitur Genes. 24. v. 22. *inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem.* Ferebat ille secum supellectilem ex argento, auro, monilibus copiosam, ac diuitem, atque vt aduentus suus feliciter illi caderet, & prospera haberet primordia, duas inaures, & armillas binas, vtrasque aureas, pulcherrimæ virgini dedit, quarum illæ faciei venustatem, hæ manuum elegantiam addito splendore amplificarent, decentioremque, & auctiorem facerent. Post multa vltrò, citròque actitata, post matrimonij tabulas confectas, & pacta vtrimque inita, *prolatis vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere* (sic ibid. v. 53.) explicatoque cimeliarchio suo non oculis tantùm, sed & vsibus, & arbitrio modestissimæ Rebeccæ opulentorum thesaurorum suorum copiam exposuit.

In eorum, quæ hic gesta feruntur, consideratione positus beatissimus Pater S. Gregorius sic aiebat in Glossa Genes. 24. *Quæ priùs inaures, & armillas acceperat, iam vasa aurea, & argentea, & vestes accepit.* Quæ sub initium leuioribus inauribus, armillarumque ornamentis donata, ea postmodùm insignitioribus, ac pretiosioribus vasorum, & vestium muneribus cumulata fuit. Sed cur non primo statim congressu omnem ei supellectilem obtulit, cur non gazas totas, mox vt illam alloqui, & pro Sponsa Isaaci agnoscere cœpit?

Respondet sacer Doctor: *Quia quæ ante per fidem, & operationem percepit, excrescens ad spiritualia conualescit, vt prophetiæ spiritu, & virtutum gratiâ repleta ampliatis muneribus crescat.* Quòd animæ cuipiam non omnes statim thesauri patefiunt, & exponuntur, quòd non inter ipsa conuersionis exordia omnes mox gratiæ dono offeruntur, id fit, vt intelligatur, neminem repentè fieri summum, neque in primulo statim initio consuetudinis cum Deo prædiuites virtutum illius, & gratiarum thesauros totos offerri, sed necessum esse sursùm conari, ac paulatim ad altiora ascendere, primùm rudimenta pueritiæ ponenda, vt per ea perfectionem ætatum prouectiorum deinceps assequaris, & qui rectè aliquando imperare, aut docere velit, eum ante humiliter subesse, & diligẽter literis operã nauare debere.

Ita docet S. Gregorius Nyssenus Orat. 1. de pauperibus amandis, inquiens: *Ecclesiæ duces initiò documenta quædam, quæ sint instar elementorum, auditoribus proponunt, deinde gradatim ea, quæ perfectiora, magisque recondita sunt, patefaciunt.* Quæ magis obuia, & patentiora, & faciliora captu, ea primùm rudibus discipulis tradunt, quotquot docendi munus in Ecclesia rectè, decenterque obeunt, vt ij, quos instituendos susceperunt, velut per gradus quosdam paulatim in cognitionem abstrusiorum mysteriorum, & sacramentorum assurgant. Hic est bonus procedendi modus, quem si quis prætermiserit, & infima primùm non presserit, vt ab ijs ad superiora anhelus adspiret, nihil fecerit, neque quod cupit, obtinuerit.

*In eadem re versatur Tom. 2. Periocha II. Dom. VI. post Epiphaniam, pag. 462.*

## CAPVT IV.

*Non quis dicat, ſed quid dicatur, attendendum, auditorum enim ſalus non in eo, qui loquitur, ſed in eo, quòd docetur, poſita eſt.*

CAtonis, qui bonis ſuis monitis plurimùm lucis rectè, ac féliciter inſtituendis hominum actionibus attulit, ſententia fuit, cùm quiſquam alios docet, conſilioque, & ſcientiâ imbuit, non perſonam, ſed doctrinam loquentis obſeruandam, animumque non ad illum, qui verba facit, ſed ad verba ipſa aduertendum: *Non quis dicat, ſed quid dicatur, attendendum eſt*; inquit ille. Salus enim, & profectus, pernities etiam auditorum non in magiſtro, ſed in eius inſtitutione, non in vitâ, & moribus Doctorum, ſed in monitis eorum, & verborum ſententijs rectè, aut ſecùs intellectis poſita ſunt.

Abſcondit ſe Propheta Elias, Deo ità iubente, in torrente Carinth, ſic vt nullis hominum oculis ſe permittere poſſet, atque vt omnis præoccuparetur neceſſarij victus difficultas, occurrit ei Dominus, inquiens, certa quædam iam deſtinaſſe animalia, quæ annonam illi, alimoniamque, quamcunque vitæ nutricatio requireret, miniſtraturæ eſſent: *Coruis præcepi, vt paſcant te*; ait ſacrorum faſtorum Autor 4. Reg. 17. 4. Factum ità. Nam corui diuinæ iuſſioni accuratiſſimè obtemperantes *deferebant ei panes, & carnes manè, ſimiliter panem, & carnes veſperi*; ibid. v. 6. Et abditus Propheta non dedignatus tales promos condos, citrà nauſeam, quin & auidè, hilariterque de illorum manibus, roſtris dicere debui, ſumebat, & comedebat, quæcunque illi adferebant.

S. Ioannes Chryſoſtomus homil. de Petro, & Elia Tom. 5. tale quid ſciſcitatur: *Quomodo Elias à coruo nutriebatur? Coruus enim in lege impurum animal habetur. Quomodo ergo ab impuro coruo nutriebatur Propheta?* Quomodo cibos acceptabat à volucri, quam ſic abominatæ fuerunt, exoſamque habuerunt literæ ſacræ?

At quid corui miniſtrabant Eliæ? *Deferebant ei panem, & carnes.* Vnde verò? Ex opulentiſſimo, & affluentiſſimo penu Achab regis, vt annotauit Abulenſis, quòd inditio eſt, panem è mero polline fuiſſe, & carnes opimiſſimas, atque electiles. Elias ergo ſic apud ſe diſſerebat: Si panis eſt bonus, & caro pinguis, ac lauta, & alimonia nutricationi commoda, quid refert, quòd allata fuit miniſterio auis, à qua lex abhorret? Hac in re namque non diſpenſatoris conditio, ſed cibi bonitas attendenda, neq; hoc conſiderandum, quòd coruus eſt, qui miniſter venit, ſed illud cogitandum, quòd vitæ ſoſpitandæ vtilis eſca, quam adfert, nam ſi venenum etiam columba aſportaret, non proinde mortiferum eſſe deſineret.

Tantundem in rem præſentem dicendum. Sanctus Gregorius homil. 12. in Euang. ait: *Verbum Dei cibus eſt animæ.* Qui hunc cibum nobis miniſtrant, ſunt diſpenſatores Eccleſiæ, hoc enim nomine illos donant ſacræ literæ. Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus tali titulo eos honorant. Ac Petrus quidem primæ ſuæ canonicæ cap. 4. v. 10. inquit: *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Paulus verò 1. Corinth. 4. 1. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quid ergo in hac cauſa attendere debemus, diſpenſatoreſné, an cibum, quem nobis offerunt? Res in aperto eſt, id nos ſpectare debere, quòd ſpectauit Elias. Videre nimirùm debemus, an panis, an conducibilis annona, quæ apponitur, nam tametſi improbus ſit diſpenſator, nihil id bonitati alimoniæ officit. Sit doctrina ſana, ſit Catholica exhortatio, ſit verum, quod dicitur, ſit vtilis, & fructuoſa admonitio, & non erit quod curetur, qualis ille ſit, qui docet, vel inſtruit, ſolet enim Deus per malos diſpenſatores erogare cibos bonos.

Ingrediebatur cœlorum Paranymphus ſacrum, ſecretumque cubile virginum, quotquot fuerunt, ſunt, eruntque intaminatiſſimæ, & reuerentiſſimè illam his verbis nunquàm ante auditis conſalutabat: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; Lucæ 1. 28. *Cùm audiſſet* caſta Domicella exquiſitam ſalutationem, & verba, quæ tam non cogitârat aliquando, quàm pro ſubmiſſione profundæ humilitatis non intelligebat, *turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio*, ibid. v. 29. ibatque illius in diuerſa animus, incertus, quid ſibi vellet iſta cœleſtis nuntij tam blanda, inuſitataque appellatio.

Euſebius Emiſſ. ſuper *Miſſus eſt* ait: *Turbata eſt non in vultu, ſed in ſermone eius.* Tametſi plurimam, eamque amabilem lucem, vt videtur, per oculos, perque faciem, & corpus totum verteret Angelus, tamque magnifico ſplendoris ornamento excultus eſſet, quàm decebat eum, qui ſummi Dei orator ad tam diuinam Dominam veniebat, nihil tamen turbationis maieſtas Angelici vultus animo puriſſimæ, & tenerrimæ Virginis incuſſit. Quamobrem verò inconcuſſo ſtetit animo, ad aſpectum pulcherrimi iuuenis, & ex ſolo illius nuntio audito commoueri cœpit?

Reſpondet Euſebius: *Non enim Angelum, ſed Verbum*

*bum Angeli attendit*, non statum Legati considerabat, sed mandatorum, quæ perferebat, momenta, rationesque attentissimis cogitationibus apud se prudens, & sapientissima Domina pensiculabat: Tametsi enim faciei venustas securitatem illi adferre videbatur, salutationis tamen nouitas suspensam tenebat. Nam vt non, quis loquatur, sed quid loquatur, cogitandum, vt non ille, qui docet, sed id, quod docet, considerandum, vt non magister, sed eius doctrina attendenda: Ità cùm hæc non est, aut non videtur secura, nihil refert, quòd ille integerrimi speciem præferat; idcircò consultissima Regina *turbata est in sermone, non in vultu, non enim Angelum, sed verbum Angeli attendit*. Nam quod maximè expendendum, non illud est, vtrùm Angelus sit, qui docet, sed an doctrina, quam tradit, sit Angelica, nec tam diligenter discutienda eius vita, quàm institutio, & monita, hæc enim sunt, quæ nutriendis animabus congruunt, in his earum vel theriaca est, vel toxicum, in his mors, aut vita spiritus. Quod namque medicina efficax est, ac salutaris, id non à vase habet, cuius vires semper eædem, siue aureum sit, quo propinatur, siue testaceum, aut vitreum vas, è quo hauritur.

Conuenit cum his dictis quædam Tertulliani obseruatio. De Christo sacri Euangelistæ ferunt, illum aliquoties inscendisse nauem, atque vt maria, vel stagna traijceret, lembo sæpè vsum, tum vestijsse ad morem hominum aliorum. Vtriusque rei obuia passim habemus testimonia. Nam dormijsse in naui, transmisisse mare Tiberiadis, ligno in patriam vectum, è nauicula Petri fecisse cathedrã, ex qua docuerit, alij, atque alij narrant. Vestitus illius satis meminit sacra historia passionis, quæ hoc habet, quòd exutus tunicâ fuerit, quòd vestes illius diuisæ, quòd sortes missæ à militibus, quis integram sibi tunicam illius inconsutilem haberet.

Dicit nunc Tertullianus lib. de corona milit. c. 8 *Minerua molita est nauem, video nauigantem Ionam, & Apostolos, plùs est quod & Christus vestitur.* Minerua naues reperisse, ac texturam ad conficiendas vestes inuenisse dicitur. Vt ergo sciatur, & aduertatur, inuentionem, cùm est bona, & vtilis, & necessaria, non deæstimari, aut de pretio cadere propter autorem debere, Redemptor mundi & naui vtitur, quâ ab vna regione ad aliam transmittat, & inuentione creaturæ Creator, quando non secùs ac homines alij vestes induit.

At si mulier quædam fuit, quæ nauigandi, texendique artem excogitauit, cur viri vtantur nauibus, & vestes sibi adhibeant? Et hunc Deus ipse morem probârit, quem scimus & nauigasse, & vestitu vsum fuisse! *Minerua molita est nauem.* Et quod mulier reperit, hoc viri sequantur! *Plùs est, quòd & Christus vestitur!* Factum benè. Nec ob aliud, quàm vt illo doceremur, non autorem, sed inuentum attendendum. Si inuentum vtile, necessarium, licitum, honestum, quæstuosum fuerit, esto inuentor qualiscunque, esto mulier, esto vir, esto bonus, esto malus, dignus tamen est, quem sequamur, cuius inuenta ad vsus nostros transferamus. Quot instituti-ones à brutis animantibus accepimus? Quàm multa, ac varia ab eis didicimus? Quis enim docuit putare vites, nisi iumentum? Quis minuere sanguinem, nisi equus marinus? Quis purgare aluum, nisi Ægypti ciconia, vt refert Polidorus Virgil. lib. 1. cap. 21. de inuent. rerum? Ergo non attendendus autor, non magister, non doctor, sed doctrina illius, & institutio animaduertenda, quandoquidem nos, qui gloriæ ducimus, quòd ratione valemus, non erubescimus, in quibusdam rebus esse discipuli brutarum pecudum, ipseque adeò Saluator, & Creator vsus fuit inuentione, & arte cuiusdam creaturæ, & quidem mulieris, vt nos moneret, dùm doctrina modò sit bona, parum referre, si fortè doctor sit improbus, quanquàm res bona sit, & sancta, si doctor sit bonus, & sanctus, & ad persuadendum efficaciùs, plurimùm conferat illius integritas. Verùm vitiosa, & flagitiosa doctoris vita dissimulari potest, doctrina corrupta tolerari non debet. Modò lac sit bonum, & salubre, nihil ad rem facit, quòd nutrix est deformis. Sit doctrina sana, & Catholica, tum verò magister qualis qualis, plus nobis confert illius doctrina, quàm vita, quoniam nostra vita est illius institutio.

Alterum filiorum Patriarchæ nostri fuisse venatorem, hominem agrestem, & efferatum (Esau is dicebatur) & indole ad malum propensa, mox videbimus. Et quanquàm res ità haberet, *Isaac* nihilominùs, vt memorat sacer Scriptor, *amabat Esau*; Gen. 25. 28. Et quamobrem diligebat? *Eò quòd de venationibus illius vesceretur.* At cùm ille tam insignitè flagitiosus esset, & abominabilis, decuitne talis hominis manibus curatum, allatumque cibum sumere?

Guilielmus Ebroicensis in c. 25. Genes. ait: *Venatio erat bona, etsi non bonus venator.* Ob venandi operam charus erat Isaaco Esau, pro tali officio illum diligebat. Quando ergo comedebat Isaac, non curabat venatorem, sed ex venatione allatam

ferinam:

ferinam: Quando ea erat bona, & saporata, & rectè apparata, quid referebat, quòd venator esset barbarus, ferox, denique etiam flagitium hominis? *Venatio erat bona, etsi non bonus venator.*

Tantundem dico nostro Politico, vt cùm bonum aliquod consilium ei suggeritur, cùm salubri hortatu ad studia bona excitatur, non personam attendat consultoris, aut monitoris, sed id quod docemur, siue monemur, consideret, non magistrum spectet, sed ad illius doctrinam animum studiosè aduertat. Cùm sacros fortè sermones auscultas, pensa, & rumina quæ dicuntur, hæc nimirùm è re tua sunt, tibique conducunt, vitam autem, & actiones Ecclesiastæ relinque, hæ enim proposito tuo, quocum auditurus venisti, parùm seruiunt. Sit medicina salubris, tum Medicus viuat, vt volet. Auditor enim non vitæ sui magistri, sed doctrinæ, quam tradit, daturus est rationes. Sit bonus, & opimus venatus, & actionum venatoris nulla nos cura tangat.

Cùm Tobias iunior se compararet ad iter, quod ferebat in Rages ciuitatem Medorum, iussit illum pater Senecio pergere, & inquirere aliquem virum, qui comes per viam illi esset, & saluâ mercede seruiret. *Egressus* filius, vt patris mandata expleret, *inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* Tob. 5. 5. Erat hic S. Raphael Angelus viatorem hominem indutus. Arripuit occasionem Tobias, interrogatumque socium, qui se offerebat, de his, quæ per viam ab illo expectare poterat, ad patrem suum lætus, gaudensque adduxit. Tobias senior, cùm illum denuò de his, quæ ad propositum iter spectabant, percunctatus fuisset, audissetque Angelum ad omnia sese adofferentem, & plura, quàm rogaretur, promittentem, aiebat: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* ibid. v. 16. multam enim voluptatem mihi attuleris, si genus tuum, patriam, parentes aperueris. Respondit Angelus: *Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat?* ibid. v. 17.

Prudens sanè, & dignum cœlorum Palatino responsum! Quid enim domui, tribui, generi, parentibus, & officio, ad quod Raphael expetebatur? Comitem consultum, circumspectum, expertum, non sanguinem, prosapiam, tribum causa tunc illa postulabat. Quid profuisset, si è nobilissima tribu, atque illustrissimo stemate oriundus Raphael, si officio, ad quod deposcebatur, ineptus fuisset? At si per virium facultatem ab omni periculo tutari, aut eximere Tobiam minorem potuisset, quid obesse tribus illius, tametsi infimarum extrema, potuisset?

Ita quoties audimus sermonem pium, correptionem, doctrinam, non attendamus genus, vitam, mores illius, qui monet, obiurgat, docet, sed admonitionem ipsam, & doctrinam, quæ traditur. Hæc nobis vtilis, non illa prosunt. Sit lux clara, & candelabrum qualecunque. Doctrina inquirenda, non morum conditio, institutio, non prosapia, eruditio, ex qua benè viuamus, non vita, quam ille viuat, qui nos viuere rectè hortatur.

In illa tam peruulgata seminis parabola ait supernus Magister, exijsse quendam agricolam, vt seminaret semen suum, quod cùm faceret, tres seminis partes interijsse, vnam de quatuor solam fructificasse. Pars enim vna iuxtà viam lapsa, vel à viatoribus protrita, vel ab auibus comesta fuit. Incidit alia in petras, simulque & nasci, & siccari cœpit. Aliam inter spinas siue propria infelicitas, siue incauta agricolæ manus coniecit, à quibus cùm extincta essent grana, exurgere in stipulas, & proficere in spicas nequiuerunt. Postrema in terram bonam, probè excultam, & fertilem incidit, fructumque & plurimum, & optimum attulit. Rogabant Magistrum discipuli, vt hoc eis tam obscurum ænigma explicatum daret. Cessit illorum precibus sacer Doctor, & ait: *Semen est verbum Dei, qui autem secùs viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum*; ibid. v. 12. ne radices agat, & producat fructum salutis æternæ. Quod *suprà petram* cecidit, hi sunt, *qui cùm audierint, cùm audito suscipiũt verbum* diuinum, at cùm radices non habeant, quæ sat sint, *ad tempus credunt, & in tempore tentationis*, ceu ignaui, *recedunt*, & deficiunt. ibid. v. 13. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum* expectatum. ibid. v. 14. *Quod autem* semen *in bonam terram* cecidit, hi sunt, qui verbi diuini expetitum, desideratumque fructum cumulatè producunt.

Obseruauit hoc in loco Haymo Halberstadius (quod alibi etiam à nobis subnotatum) quòd sacer Magister *exposuit quid sit semen, quid via, quid petra, quid spina, quid terra bona*, & vix quidquam reliquit, in quo nostra desudaret inquirendi solicitudo, & industria, *tamen quid esset seminator, non exposuit*, vt illud reliquisse obscurum videatur, quod ad ipsam maximè substantiam parabolæ pertinet, & auditor non prorsùm incuriosus inprimis scire tunc voluerit, atque etiamnum velit. Aperuit supremus Doctor

ctor pericula, quibus expositum esset semen, vt defugerentur, ostendit difficultates, vt cautè declinarentur, admonuit de iactura, vt caueretur omne damnum, & incommodum, deniq; bonæ terræ qualitatem indicauit, vt iustam maturitatem verbum diuinum assequeretur, *tamen quis esset seminator, non exposuit.*

Quid causæ sit, quòd tam attentos esse voluit auditores ad circumstantias doctrinæ in semine adumbratæ, qui Doctoris qualitates, seu conditiones non curasse admodùm videtur? Cur has dissimulauit, illasque tam studiosè, & enucleatè explicauit?

Factum haud dubium, vt intelligeremus, in doctrinam, in verba prædicationis, in monita sacra nostram ferri præcipuè debere attentionem, non in Ecclesiasten, qui nobis loquitur. Perinde ac in agricola, qui seminat, fieri debet. Si bonum est semen, quod effundit, si terra fœcunda, si cætera accommoda fini proposito, & ille probi agricolæ regulas rectè obseruat, parùm refert quòd sit vel diues, vel pauper, rusticus, siue nobilis. Sic quanquàm Ecclesiastes, & doctor sint mali, dum bona sit illorum doctrina, sana institutio, & auditor illi suscipiendæ sese, vt decet, aptet, non propterea fiet, quò minùs vel doctrina suum effectum sortiatur, vel optatum fructum auditor consequatur.

Cùm Iethro videret molestias, quas Moysi genero suo adferebat tam numerosæ plebis procuratio, quam gubernandam susceperat, miseratus onerosam prouinciam, quâ intolerabiliter prægrauabatur, consuluit illi, vt tam grauis præfecturæ partem in alios exoneraret, sociosque operosi laboris adhiberet viros quosdam potentes, & timentes Deum, in quibus esset veritas, & qui odissent auaritiam, sic enim & illi leuius futurum partitum in alios onus, & populi negotijs ex voto illorum satisfieri commodiùs posse. Erat Iethro homo ethnicus, & nihilominùs Moyses, quod sacer Textus memorat Exod. 18. 24. *fecit omnia, quæ ille suggesserat.*

In quæ Origenes: *Audit Vocem eius, & facit omnia, quæ dixit, & non quis dicat, sed quid dicat, auscultat.* Hortatum soceri Moyses attentus accepit, cùmque eum salutarem vidit, dicto obedijt, omniaque ex illius præscripto egit, & non in eum, qui benè monebat, oculos, sed in ipsa bona monita animum vertebat. Quoties enim doctrina est bona, & salutaris, amplectendum, sequendumque est consilium, non pensandus autor.

Exemplum huius doctrinæ habemus in eo, quod sacer textus ait: *Et habitabat* Isaac *iuxta puteum nomine Viuentis, & Videntis.*

Abulensis inquit: *Iste puteus est nominatus sic ab Agar.* Quòd gentilis, barbara Agar, vile mancipium, & ancilla diuinorum mysteriorum parùm gnara nomen puteo suprà cap. 16. primùm indidit, hoc ille perpetuò conseruauit.

Sed cur eam appellationem semper retinuit, quam vilis famula, & barbara Ægyptia illi imposuit? Quia id nominis aptissimè congruit summo Numini, quod agnoscimus, quadratque naturæ, & maiestati Dei, quem adoramus. Ille enim æternùm viuit, & perspicaci illius visui nihil est obscurum, nihil absconsum, nec secretum quodpiam est, quod oculi eius lyncei non examinent, ac peruideant, nec abyssus aliqua, in quam alta illius scientia non penetret. Posito autem, verissimam veritatem esse, quòd Deus omnia videat, qui totus est oculus, & mera vita, quid refert, quòd ea veritas ab ore seruilis mulierculæ profecta fuerit, quòdque ab ancilla barbara ea doctrina accipiatur, non enim quis dicat, sed quid dicatur, attendendum, salus enim, felicitasque auditorum non tam in probitate doctoris, quàm in veritate doctrinæ, non tam in conditione, & moribus magistri, quàm in vtilitate eorum, quæ suadet, est posita.

## CAPVT V.

*Homines eam non dandi excusationem prætendere solent, quòd semel dederunt, Deus suis beneficijs, quæ erogauit, ad plura danda incitatur.*

Elegit Patriarcha noster Isaac sibi domicilium proximè illum tam celebratum puteum, & locum, vbi Dominus suam ergà fugitiuam ancillam perliberaliter exeruerat munificentiam. Dicit hic Oleaster: *Multùm Vita confert, si eum ad Viuendum locum deligas, Vbi noueris Dei præsentiam peculiariter adesse.* Ad excolendum spiritum, ad animæ profectum, ac virtutum incrementa procuranda plurimùm confert, ibi habitationem instituere, vbi noueris copiosioribus donis consecratum, frequentioreque munificentiâ illustratum locum. Sed cur illum ex omnibus potissimùm deligamus locum, quem sciamus peculiari, & effusiore Dei beneficentiâ ditatum? Videtur namque non esse rogandum Deum, vt ibi largitatem suam denuò prodat, vbi liberalitatis suæ ostentationem luculentiorem semel fecisse accepimus. Rectè, ac meritò illud videretur, si manus, quæ gratiarum, ac fauorum munera erogaturæ, humanæ, siue hominum essent: Homo enim cùm semel quidpiam dedit, sic ferè exhauritur, & exinanitur, vt propter tenuitatem suam benefacere

nefacere deinceps nequeat: Verùm immensus Dominus, quem adoramus, magnificus benefactor, quem agnoscimus, plurimùm aliter habet, & contra facit, nam ob hoc ipsum, quòd manum semel ad benefaciendum extendit, & pectus generosæ prolixitati aperuit, ad vlteriorem, amplioremque liberalitatis exercitationem à natiua sua conditione incitatur, vrgetur, impellitur. Itaque & locus, vbi munificentiæ suæ specimina iam dedit, singulari incitamento illi est ad nouam misericordiæ ostentationem faciendam. Non sic miser, & aridus homo, qui si vnum fortè beneficiorum erogauit, hoc illi pro gladio fuisse videtur, quo sibi manus præsecuerit, vt deinceps illis ad erogandum vti non possit.

Hanc in rem ità olim dicebat Sanctus Ioannes Chrysostomus in Psal. 43. *Multi, qui donant, hoc præcipiunt, ne id aliis dicant, ne in vnum facta gratia, ei, qui dedit, multos petitores excitet.* O quàm pulchra sunt hæc postrema verba: *Multos petitores excitet!* quæ hoc significare videntur, quòd homo, vt est restrictus, & perparcus, cùm semel dedit, in profundissimum somnum omnes mendicos conijcere, & inijcere altissimam obliuionem omnibus egenis vellet, vt nulla vnquàm ad animos eorum petendi memoria subiret, & quiduis aliud potiùs, quàm rogare recordarentur.

Quàm longè diuersa est nobilis, & permunifica generosissimi Domini nostri indoles, qui de suis beneficijs stimulos facit nouæ, & amplioris liberalitatis excitatores, & *multos petitores excitat!* Cùm pectus erogandis beneficijs semel aperuit, mox ore, velut dato signo, ad ea excipienda miseros conuocat, sic vt illius munificentia cum aliorum egestate, & cum necessitate promptitudo iuuandi, & leuandi velut certet.

Superam hanc Philosophiam, & magnificam Dei indolem, ac prolixitatem nouerat Propheta regius, quando volens illum obligare, vt solitâ ergà se misericordiâ vteretur, sic aiebat: *Clamabo ad Deum altissimum*; Psal. 56. 3. magnis vocibus dulcem Dominum, & pium Patrem meum appellabo, ac rogabo, vt cum hostibus confligenti suppetias, interq; angustias posito opem ferat. At videamus, Propheta sancte, quid illud habes, ex quo tibi certam precum efficacitatem, & gratiam, pro qua obsecras, indubitatò obuenturam promittas? *Ad Deum, qui benefecit mihi*, inquit, clamabo, velut dixisset: Vt nullus dubitem, quin de manibus Dei accipiam gratiæ beneficium, quod suspiro, illud facit, quòd infinita illius clementia me cumulare donis cæpit, *benefecit mihi*, ac proptereà spero, quòd beneficentiæ insistet, largitatemque suam ergà me porrò vltrà exerere perget. Est enim illius vna liberalitas mater alterius, & gratia prior pignus posterioris. Istam horum Dauidicorum verborum sententiam paucis verbis expressit Lyranus: *Benefecit mihi de præterito, & sic spero, quòd faciet de futuro*; non enim Deus hominum similis est, qui ex eo, quod semel dederunt, velut prohibentur ampliùs dare.

Expeditus à seruitute populus Hebræorum grauem inculta in eremo sitim patiebatur, pro quorum depellenda necessitate communem libertatis vindicem dux Moyses interpellabat. Permotus ad misericordiam precibus Moysis Dominus, iussit adsciscere comites seniores populi, & sumere virgam, illam prodigiorum operatricem, tum adire petram, & percutere, atque in vicem ignis, quem velut impatiens verberum saxum eiaculari solet, magnam aquarum abundantiam ab ea expectare: *Virgam, quâ percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade*; Exod. 17. 5.

Quærunt hîc multi, cur Deus hoc loco mentionem faciat singularis illius in flumine Ægypti patrati miraculi, cùm aquas eius in sanguinem vertit. Videtur enim non satis opportuna venire præsenti rei talis commemoratio. Quid enim consequentiæ habebat, vt eâ ad proliciendam siticulosis tum hominibus, tum brutis animalibus ex petra frigidam virgâ vteretur, quæ paulò ante ad transmutandas in sanguinem fluminis aquas adhibita fuerat?

Sanctus Ioannes Chrysostomus aiet, fuisse hoc admirabile artificium, quòd Deus adducere Moysen voluerit, vt ex priore illius beneficentia, & perliberalis conditionis eius solenni more pollicitationi noui miraculi facilem fidem commodaret. Virgâ in gratiam populi Hebraici fecit illud in flumine prodigium. Virgâ ergo illud in petra miraculum alterum perficiatur, vt ex beneficio priore certitudo posterioris intelligatur, & nuperam beneuolentiam experti, nouam sibi indubitatò promittant. Prentissimus nempè hic Dominus vno beneficio inuitatur ad aliud, & cùm vnius memoria illi refricatur, ad nouum conferendum excitatur: *si Dei beneficia commemorabimus, ad maiorem eum beneuolentiam excitabimus*, inquit, Chrysostomus homil. 2. c. 1. 2. ad Corinth.

In Psalmo nonagesimo Propheta regius has adornauit preces, quibus apud Deum iustus, vt ait, vtetur: *susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum, quoniam ipse liberauit me de*

*laqueo venantium, & à verbo aspero.* Psal. 90. v. 2. & 3. Hæc est confessio humilis iusti, qui debita cum submissione, & gratitudine agnoscit, prædicatque beneficia, quæ de prolixis Domini manibus accepit.

At videamus, quas vices dulci commemorationi sacrorum & nuperorum donorum suorum pius Pater rependat: *scapulis suis*, inquit, *obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis* ibi. v. 4. Vices ergo, quæ iusto gratam memoriam beneficiorum dominicorũ agenti redduntur, eæ sunt, quòd pluribus beneficijs cumulatur,& amplioribus donis augetur. Ait iustus Domino: *susceptor meus es tu, & refugium meum*; commemorans bonum, quod ab eo habuit. Respondet Dominus per suum spiritum: Non solùm asylum erit iusto (parùm enim hoc est perliberalibus ipsius manibus) sed incitatiore pietate, & abundantiore beneficentiâ etiam *scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis*, tanquàm tenellum pullum paterno gremio excipiet, pietatisq; alis inumbrabit, & confouebit, & ab omnibus aduersis tutabitur.

Fuit hæc sanctissimi Bernardi obseruatio, qui ser. 4. in Psal. 90. ista habet: *Confitenti humiliter, & deuotè gratias referenti non immeritò ampliora beneficia promittuntur. Itaq; respondit spiritus: Non id solùm faciet, sed & scapulis suis obumbrabit tibi.* Si Dei beneficia priora fores oppessularent posterioribus, pectusque illius permagnificum mox stagnaret, cùm semel effundi cæpit, prœmodùm vt tenues homuli solent, non suo generoso more augustissimus hic Imperator, & supremus Conditor ageret. Huc huc aptissimè cadit tanquàm verissima, & debitissima laus,quòd per impudentissimam assentationem impio suo,& atheo Iuliano turpis palpo Mamertinus in Panegyr. dixit: *Ecquis Deus vno in annomultiplices fructus agro vni dedit? Num quisquã in eadem nouali, æstate vna, ampliùs quàm semel messuit? Num cui vno autumno, vnoq; vinoso vindemia triplex fuit? Vna certè vnius est hyemis oliuitas. Sed in nostri Principis beneficijs miraculo caret multiplicata fœcunditas. Dein cùm agri assiduitate fructuũ in maciem decoquantur, Imperatoris nostri posterior liberalitas vincit priorem, nec fit effœta gignendo, sed per vices fructuum fœcundatur.* In nostrum Principem hæc suis ponderibus cadunt, quæ ille in Iulianum nefandissimum mendacissimus adulator confinxit. Nam quæ in agro, autumno, hyeme, oliueto miraculum foret, ea Deo vsitatissima est, & *miraculo caret multiplicata fœcunditas*, immò verò inauditum, inuisumque prodigium esset, si non in illo ea videretur vbertas, quam ibi sine prodigio videre non licet. Fertilissimum agrum sua consumit liberalitas,& debilitat prolixitas: Verùm diuinus Princeps noster ad munificentiam suã largitate accenditur, vt priorem posterior velut ex æmulatione superet, & vnde ager marcessit, inde ille augescit, & benefaciendo benefaciendi vires maiores comparat, & *posterior liberalitas vincit priorem*, cumque vnum beneficium contulit, sudabundus anhelat, aut anhelus sudat aliud, quòd enim semel dat, inditio est dare ampliùs velle.

Digna notatu est animositas, confidentia, & familiaritas, quacum secundus populi Hebraici Imperator mandabat soli sistere gradum, & igneos, pernicesq; caballos suos adductis habenis à cursu prohibere. *Sol contrà Gabaon ne mouearis, & Luna contrà vallem Aialon*, Aiebat Iosue 10. 12. Ad felicem euentum belli, quo hostes nominis Domini perurgebat solis à cursu quies, itaque magno vocis imperio iubet figere pedem, quòd lux illius ad triumphũ faciliùs parandum faceret.

Quæro hîc, quid mouere Iosuam potuerit, vt solis, ac Lunæ à suo cursu conquiescentium nunquàm visum prodigium expectare, immò & expetere auderet?

Videte quid paulò ante sacra historia memoret, inquit Nicolaus Lyranus,atque inde accipietis,quid eos ausus Iosue fecerit, vt tam confidenter soli dux sanctus imperaret. Narrat illius libri scriptor,quòd *Dominus*, cùm pagani idololatræ filios Israël fugerent, *misit super eos lapides magnos de cælo*, ibid. v. 11. velut explosis illis cœlorum tormentis bellicis hostes populi sui sternere voluerit.

Dicit nunc Lyranus: *Videns primum signum à Deo datum de cælo aëreo, ex hoc confidens petiuit signum de cælo sydereo.* Descenderant lapides ex procellosi aëris caliginosa regione proiecti. Vt hoc coniunctum cum miraculo beneficium sibi exhibitum Iosue vidit, statim maiora de optimo Deo sperare, & fauorem è superiore loco ampliorem expectare cæpit, ac propterea soli præcepit, vt subsisteret, ac Lunæ, cursum suum ne prosequeretur. Nouerat scilicet immensam liberalitatem Dei, sciebatque eum ab vno beneficio, quod dat, velut prouocari ad dandum aliud maius: *Posterior liberalitas vincit priorem.*

Secundum Orbis Instauratorem filius quidam illius Cham insolente impietate grauiter offenderat, vt è contrà duo alij nati Sem, & Iapheth suâ obseruantiâ

uantiâ plurimùm sibi demeruerant. Postquàm ergo prioris improbum, atq; impudens factum abominatus, execrabilibus maledictis confixisset, quo veniabilem patris nuditatem in publicum extulerat, tum Sem hac benedictione prosecutus fuit: *Benedictus Dominus Deus Sem*; Genes. 9. 26.

Nonnè his verbis sanctus Patriarcha Noë benedicere filio suo voluit, vt Deus, ad quem spectat remunerari honorem, quem parentibus liberi exhibent, plurimis illum donis, ac beneficijs cumularet? At *hoc fortè quis dixerit, non est benedicere Deum*, inquit Chrysostomus hom. 39. in Genes. non illi procurare gratiam, non exposcere beneficia, sed Deum magnificare, & extollere.

Respondet tamen sacer Pontifex: *Immò valde benedixit illum*, nec satis assecutus es mysterium verborum, si existimas non ampliora illi à Deo beneficia depoposcisse: *Quando enim Deus benedicitur, & aguntur illi gratia ab hominibus, tunc vberior ab illo solet benedictio dari, itaq; benedicens Deum, debitorem ipsum facit maioris benedictionis.* Vocauit Noë Deum, Deum Sem, quod cùm Sanctus Patriarcha fecit, beneficia, quæ ab illo in obedientem filium profecta fuerant, confessus, *valde illum benedixit:* Commemorare enim apud Deum gratias, quas ille contulerit, sagax industria est, & solers ratio cùm deuinciendi illum, tum permouendi, vt abundantiore venâ gratias fundat, & plura, maioraque beneficia impertiat: *Benedicens Deum Debitorem ipsum facit maioris benedictionis.*

Quis talem contrahendi debita modum audiuit? Qui accipit, is fit debitor, qui dat, ille creditor est, habetque obnoxios eos, quibus dedit. In Deo plurimùm contrà accidit, ille enim dando fit debitor dandi, & dona illius priora sunt pignora posteriorũ, & securturæ liberalitatis. Quis ergo non colat, non amet tam prolixum Dominum? Quis non obtemperet, non placere, atque gratificari studeat tam liberali, & munifico patri?

## CAPVT VI.

*Negligentia nostra, & incuria, lapsusq; omnis inde nascitur, quòd non satis profundè scrutamur, quàm multum officij nostri ratio à nobis requirat.*

RVrsum hîc nobis necessaria sunt verba Glossæ Angelicæ, quibus de sancti Patriarchæ nostri domicilio disserit. De illo ait sacer scriptor: *Habitabat iuxta puteum*; in quæ Glossæ commentariolus sic habet: *Morabatur in discutiendis profunditatibus scripturarum.* In his illud premite: *Morabatur in discutiendis*, perscrutandisque abstrusioribus diuinarum literarum mysterijs. Hinc sua sancto Patriarchæ nascebantur lucra, hinc ille sua sibi accumulabat profectus augmenta. Et reuerà si Politicus noster in virtutis itinere proficere, si magnos facere progressus cupit, necessũ est faciat, quod Patriarcha noster egit, sic vt attentè cogitet, studiosè meditetur, & vigilanter perscrutetur quæcunque legerit, audierit, sciuerit, tum his omnibus diu, assiduèque immoretur.

Ieremias Propheta namque orbi fatalem stragem, calamitosamque ruinam inde potissimùm illatam affirmat, quòd officij sui obligationes obiter tantùm, ac perfunctoriè aspexit, leuibusque passibus momenta suorum debitorum pertransijt: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde*; ait ille c. 12. v. 11. Vnum hoc totam in rudera detraxit terram, quòd non fuerit, qui fixis cogitationibus pensaret, quàm multis, & magnis modis Deo seruire obligati omnes essent.

Notandum in his, quanto cum mysterio Propheta terræ appellatione donet hominem, qui non reddit fructum, quem debet Domino, cui tam magnũ in modum est obnoxius. Quænam præcipua causa sit, quòd terra non satis fructificat, neque respondet expectationi eius, qui tritici semina illi credidit? Ea, quòd nec aratro, quantum par, subijcitur, nec vomere satis proscinditur, ac perstringitur, vt exurgere in culmos grana, atque in spicas explicare sese possint. Nam vt benè dicendi magister Hispanus Quintilianus lib. 10. c. 3. ait, *terra altè effossa generandis, alendisq; seminibus fœcundior est.* Quæ verò leuiter solùm, & secundùm superficiem tantùm tenuiter rumpitur, raditurque magis, quàm sulcatur, ea seminis iacturam facit, & dominum suum suo labore defraudat, sudoremq; illius plerumque lædit, & lassitudinem frustratur. Ad hunc modum vitio hominum fit, inquit Ieremias, quòd terra vastetur, *quia nullus est, qui recogitet corde*, aratrum meditationis non penetrat terram pectoris, obligationum suarum momenta nemo satis expendit, nec quisquã est, qui animum, vt debet, aduertat ad statum, cui se consecrauit. Quid enim non à se obtineret homo, si altiùs seipsum scrutaretur?

Anxia circumibat sponsa, dilectum suum multa cum solicitudine inquirens, quem cùm post molestæ indagationis graues labores reperisset, exultans pro felicitate aiebat: *Inueni quem diligit anima mea*, Cant. 3. 4. certet fortuna mea cum omni alia felicitate, postquàm in centrum meorum votorum, illum, inquam,

inquam,incidi, per quem cum angustum pectus meum respirare, & omnis ab animo abstergi mæstitudo possit,est etiam oculorum mihi lumen,& omnis nubili serenitudo: *Tenui eum,nec dimittam*; & postquàm tam magnum bonum mihi occurrit, faciam deinceps quicquid per virium facultatem licet, vt non me destituat.

Videamus nunc quâ re inueniatur sponsus,& quâ sic constringatur, vt nunquàm abeat. Duobus verbis id sanctus Ambrosius indicauit,qui serm. 7. in v. 7. Psal. 118. Sic habet: *Fide eum inuenit, meditatione constrinxit.* Vt sponsum,quem fide repererat, ad perpetuò duraturam inter illius brachia quietẽ, & æternam suam voluptatem insolubilibus vinculis obligatum apud se sponsa cohiberet, meditatione ad hanc rem vsa fuit, *meditatione* illum *constrinxit.* Cùm enim attentiore consideratione apud se reputaret, primùm quidem quomodo illum perdiderit, quantis laborum impendijs requisitum inuenerit, quot pericula, vt reperire posset, subierit, tum verò nullum esse absque illo bonum, inde factum est, vt nunquàm posthæc ab illo distrahi, sed tam arctè complecti eum vellet, vt perpetuò retinere posset: *Meditatione constrinxit.* Tales fructus reddit animæ terra, quam meditationis aratrum penitiore vomere profundiùs perstrinxit.

Postquam venusta Sara, inclyti Patriarchæ nostri Abrahæ honestissima coniux,vitæ annos 127. exegisset, diem supremum clausit in Hebron. Deplorauit illius mortem superstes viduus, multisque lachrymis amaram tam pretiosi monilis iacturam testatus fuit. Posthæc egit cum Ephron, vt speluncam duplicem, quam in extrema parte agri cuiusdam sui habebat, ipsi venderet, cui venerabiles charæ vxoris suæ reliquias inferre posset.

Sed est hoc loco studiosè obseruandum illud sacri textus: *Cumq; surrexisset ab officio funeris*; Gen. 23. 3. quod in originali hebræo sic habet: *Et surrexit Abraham desuper facies mortui sui.* Quid volet insinuare textus hebræus, cùm ait, Abrahamum à facie dilectæ coniugis suæ defunctæ surrexisse?

Respondet Cardinalis Caietanus: *Insinuatur quòd Abraham exercuit officium luctus, iacens in loco superiore respectiuè ad faciem cadaueris,tanquàm continuè spectans faciem Vxoris.*

Excutiamus diligentiùs in his verbis ista: *Tanquàm continuò spectans faciem Vxoris.* Vt ad ploratum sese excitaret,ipsumque cor cum lachrymis per oculos verteret, quid sanctum Patriarcham permouit? Illud, quòd oculos suos à rigido suæ sponsæ cadauere nec momento auertit, sed attentus considerauit, qòud oculos quidem, illos decoros, & paulò ante radiantes mors atra obscurauit, florentissimam verò de toto amœno venustatis horto plantulam barbara manus inexorabilis Parcæ acutâ securi suâ demessuit. Viderat lachrymabundus, quòd illa liberalis formæ incomparabilis dignitas, illa fauentioris Naturæ profusiore beneuolentiâ, & solertiore industriâ, & quodam velut miraculo adornata vultus, & corporis totius elegantiâ, (quæ non alio, quàm sui aspectus lenicinio, non vulgi tantùm animos, sed etiam regum corda in sui amorem, cupiditatemque accenderat, ) nunc esset miserabile, ac funestum mortis trophæum, atque hac ratione *surrexit* sanctus Patriarcha, seipso maior meliorque effectus, & magnis profectus incrementis auctus. Et quis non plurima animæ suæ emolumenta,& abundantissimos vitæ melioris fructus ex attenta meditatione, & profunda consideratione capiat? O quantum vtilitatis nobis adferret, si illo exemplo vsi, Christi defuncti, & pro nostris peccatis expiandis è cruce penduli imaginem ob oculos positam haberemus! Si quis Christianus studiosè cogitaret Dominum, qui ibi patitur, si cogitaret vitam à morte, & vitam tam innoxiam à tam probrosâ morte peremptam,si cogitaret propter sua flagitia,& enormia scelera sacrosanctum Agnum in illo ignominiosissimo ligno immolari, si cogitaret, infinitas vices, quibus (quantum in se fuit) suos illi innouauit cruciatus, & vulnera exulcerauit, amarissimè haud dubium noxarum suarum grauitatem deploraret, maximè quando inter eiusmodi considerationem,suam etiam propudiosam ingratitudinem, & infamem rusticitatem ad animum aduocaret.

Immanem gigantem Propheta iuuenis singulari certamine fudit. E quinque lapidibus, quos in promptu habebat,vnum quendam fundæ impositum cùm magna lacertorum contentione iactasset,vastam illam carneam turrim, & formidabilem ex ossibus fabricam solo afflixit, & non contentus animosus iuuenis superbæ illius vitæ funestam facem extinxisse, *præcidit caput eius*, 1. Reg. 17. 51. & inculti corporis superbum verticem deiecit.

Quærit Salomon Hispanus (Tostatus) quid mouere potuerit gloriosum triumphatorem, vt præfectum gigantis caput ad consternatos animo Hebræos adferendum putârit, cùm ad victoriæ summam, & triumphi finem non conduxisse videatur, quòd Israëlitarum oculis caput illud expositum fuit, vt enim & si à metu suo respirarent, & Philisthæi exanimati

mati in pedes se darent, satis erat, quòd obtruncatum illum vtrimque solo auditu perciperent.

Respondet insignis Doctor, id factum, vt tam felicis pugnæ gloriosissimam victoriam maioribus plausibus, magisque festiuis acclamationibus lætantissimè omnes celebrarent, quando rudem illam, & immanem, formidabilemque, & horribilem iactabundi, & irati hostis sui faciem cernerent. At nonné expauefacti Hebræi sæpiculè illum iam viderant, qui toties in medium campum prodibat, phalangasque Israelitarum ad singularem concertationem magno cum fastu præfidentissimè euocabat? Viderant, sed è longinquo, & procul abstitum, & cassi de tectum: Atque ità *dato quòd videretur, non poterat considerari vultus eius, quià forte quando veniebat ad castra, erat galeâ coopertus, & quanquàm videretur, non videbatur horribilis.* Tametsi arrogantissimum gigantem crebrò viderant, procul inde tamen, vt diximus, viderant, terrorque, à quo occupati erant, & tectum galeâ caput illius non permittebant, vt omnem truculenti vultus feritatem rectè arbitrari possent. Vt ergo maior triumpho existimatio accederet, attulit Dauid caput, vt Hebræi, cùm illud è proximo cernerent, hostis immanitatem attentioribus oculis vsurparent, & Domini pietatem, per quam ab eiusmodi inimico seruati fuerant, magnificentiùs prædicarent. Hoc consilio sanctus adolescens superbo giganti caput detruncauit.

Quid causæ est, quòd peccatum non prorsum pertimescamus, tametsi nos aliquantùm terreat? Quî fit, quòd tam leuiter in scelera ruimus, quanquam eorum grauitatem non nescimus? Inde fit, quòd vel procul aspicimus, vel illa se nobis iam voluptatis pallio, iam vtilitatis specie, iam boni cuiusdam alterius velo tecta offerunt, quæ si è vicino vir Christianus studiosiùs inspiceret, detractaque laruâ, & voluptatis fugacissimæ breuitatem, & mortalis noxæ horribilitatem suis momentis pensaret, dein & hoc cogitaret, quòd pro momentanea oblectatiuncula, & caducis bonis bonorum æternorum iacturam facit, Deoque exosus redditur, quâ non est grauior, acerbiorque infelicitas alia, certè non tam perditè viueret, non tam licenter peccaret, neque in tam fœdam flagitiorum voraginem sese ingurgitaret, neque in tam insignitas stultitias prorumperet.

Huius doctrinæ vtilitatem, necessitatemque cùm apud se expenderet mellifluus Bernardus apud Hugonem Cardinalem in Psal. 46. sic aiebat: *Cibi in ore, Psalmus in corde, non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ suæ, ne si fortè illum integrum glutiat, frustretur palatum sapore dulciori super mel, & fauum.* Qui cibos in ventriculum transmittit integros, duplici bono se priuat, quorum alterum principale, alterum quamuis accessorium, nonnunquàm tamen necessarium. Primum est, quòd cum dentibus non facit primam concoctionem, cibus illorum attritu non commolitus malè digeritur in stomacho, itaque optatum effectum, & expetitam operationem non consequitur, nam aliquando occidit, qui nutrire debebat, semper verò in crassos, & noxios humores vertitur, & quod alimoniæ seruijsset, si probè dentibus comminutum fuisset, dolores, infirmitatesque adfert, quià minùs, quàm par erat, tritum. Alterum, quo seipsum orbat, est grati saporis bonum, qui palatum fugit, dum integer tumultuariè infarcitur cibus.

Dicit nunc sanctissimus Abbas: *Cibi in ore, Psalmus in corde;* hoc est, quod in ore cibus, hoc in corde Psalmus: *Non negligat illum terere dentibus intelligentiæ suæ;* vt quod vel in Psalmis legitur, vel in concionibus auditur, sit vsui, & ad profectum cedat, necessum est digeri crebrâ meditatione, atque identidem ruminari, & sæpè ad memoriam reuocari, altâque consideratione expendi quod cantatur, legitur, consulitur, prædicatur. Hinc enim duo nascentur cōmoda. Primū, quòd omnia in vitam conuertentur, & in alimoniam transibunt: Alterum, quòd omnia cum voluptate, & gustu fient, meditatio nāque & diligens consideratio plurimùm valet ad leuandam difficultatem eorum, quæ ardua alioquin sunt, & operosa.

Seneca Cordubensis Philosophus lib. 1. Quæst. natural. c. 2. ait: *Lapillus in piscinam, aut lacum missus circulos facit innumerabiles, & hoc idem non facit in flumine.* Quid causæ, quòd non eosdem in præterfluente, quos in stagno proiectus lapis facit circulos. Respondet: *Quià omnem figuram fugiens aqua disturbat,* pernicique descensu suo abripit, & obruit. Tantundem in rebus spiritualibus euenit, atque in dies experimur. Quî fit, quòd sæpè qui plurimas & audit exhortationes spirituales, & libros pios totos euoluit, nec spiritualis, neque deuotus efficitur, nec fructum aliquem ex tanta lectione, auscultationeque, & doctrina haurit? Quomodo nihil illi adhæréscit, nihil imprimitur ex omnibus, quæ siue pro concione ab Ecclesiaste palàm, siue domi ab amico consultore priuatim audit, siue in libris ipse legit. *Quià omnem figuram fugiens aqua disturbat.* Quia cursim prætereuntur, & obiter leguntur, & velut in transitu auscultantur, idcircò nihil efficiunt,

unt, nec quicquam fructus afferunt sermones exhortatorij, monita pia, sermones, aut libri sacri. Si quis in secretioris cubilis recessum sese abderet, atq; ibi diuculè, paulatimque ac feruenter meditaretur, & intrà pectoris stagnum cohiberet, quæ vel audiuit, vel legit, ô quot illa intrà animum circulos facerent! Vnus solus lapillus, verbulum duntaxat vnicum fat est innumeris orbiculis in corde totidemque cogitationibus salutaribus, ijsque talibus excitandis: O quàm vehementer insanit, qui sempiternæ gloriæ pro breui voluptatula renuntiat! O quàm perditè ingratus est, qui eam Maiestatem offendit, à cuius liberalibus manibus infinita quotdies beneficia accipit! O quàm cæcutit, qui mundo vano, & vafro, qui carni fragili, & caducæ, qui dæmoni præferoci tyranno seruit, cùm gratificari Domino queat, immenso & generoso, & qui temporalia officia mercede remuneret æternâ! O quàm fatuus est, qui cùm in paradiso securæ conscientiæ degere valeat, mauult infernum portatilem intrà animam gestare, & cruciabilem, immanemque remorsum de tam amabili, dulci, & facili Domino offenso! Hosce, aliosque plurimos effectus, & cogitatus operatur minimus quisque salutaris consilij, sacræ doctrinæ, piæ exhortationis lapillus, quando in stagnantem animā incidit: *Lapillus in piscinam, aut lacum missus circulos facit innumerabiles, & hoc idem non facit in flumine.* Tantum vtilitatis parit attenta meditatio, tantum mali generat negligens, & oscitabunda consideratio.

Filius Siracidis nos ad eadem exhortatur, inquiens: *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbijs eorum conuersare*; Eccles. 8.9. Syrus ea sic habet: *In parabolis eorum esto disputans, calcans*; quæ modernus quidam (Cornelius à Lapide) sic dilucidat: *Calcans assiduè, eas terendo, in ijsq; incedendo.* Vt veterum adagia, & maiorum documenta fructum, vtilitatemque adferant, necessum est sic ea tractare, vt cibū solemus, & diligenter terere, vt nutricationi magis seruiant, aut instar agrorum ea habere, à quibus cùm opimos, copiososque fructus expectamus, semel, iterumque eos subigimus, ac proscindimus, nam qui semel tantùm, leuiterque cultus vberem messem proferat, rarus est. Ad hunc ergo modum, inquit Ecclesiasticus, *esto calcans*, necessum quippè est crebrò trāsire, ac terere calcareq; iter consiliorū, vt opportunos in agro animarū nostrarum fructus generent, quæ si nonnunquàm vt saxa obduruerint, non eas vna quædam considerationis gutta emolliet, neque etiam duæ meditatiunculæ gelu pectoris nostri soluent, assiduum tamen studium, & pertinax diligentia subiget eas, cicurabitque.

Qui ergo optat videre felicia profectuum animæ suæ incrementa, sit ille multus in exercitatione meditationis, obligationum suarum momenta attentus penset, debita sua, magna, & grauia, quibus supremo Creditori plurimùm obnoxius est, & strictas rationes, quas pro ijs daturus, studiosè animaduertat, sic enim vel ad melioris vitæ studia transibit, vel mores emendabit, multùm enim valet apud cor humanum fixa, & profunda meditatio, maximè cùm è leni, ac tractabili carne, non rigido ære sit factum.

*Affine est his argumentum Periocha V. Feria II. post Domin. I. Quadrag. pag. 79. a. Tomo I.*

## CAPVT VII.

### *Ex aliena clade discere, quid debeas vitare, est pulchra ratio curandi commoda propria.*

VBi fugitiua ancilla vagabūda circumibat, ibi Patriarcha noster habitabat, intrà solitudinem, vt inquit Abulensis in cap. 25. Gen. *per quam errabat Agar*, fixo domicilio. Hæc est bona, & commoda nostro Politico doctrina. Vbi perdita circumferebatur famula, ibi lucra sua reperiebat Isaac, hic rectè agebat ibi, vbi illa errabat, & ex intuitu incommodorum, erratorumque alienorum quomodo prosperè res suas curaret, rectèque ageret, sanctus Patriarcha discebat. Sic benè ex malis aliorum discimus, quid fugere, aut agere debeamus, vt rebus nostris sit benè: Et salubre consilium est, attendere vbi cæteri lapsi fuerint, vt illa pericula deuitemus, vtileque documentum est, intelligere vbi frater noster pessum ierit, vt ex illius iactura lucrum nobis captemus. Sint ergo nostri magistri errores alieni, sint nostri ductores prolapsiones vicinorum.

Id nobis consilij strenuus martyr Cyprianus in *lib. de singularitate Clericorum* Cum verborum non exigua elegantia suggessit, inquiens: *Nimiùm præceps est, qui transire contendit, vbi alium conspexerit cecidisse, & vehementer infrenis est, cui non incutitur timor alio pereunte. In subuersione labentium vos experimenta perterreant.* Suprà quàm temerarius est, qui se ingerit loco, in quo alium miserabili prolapsione corruisse vidit, & proiectè impotens est, quem alieni periculi intuitus non coërcet. Sit ergo vobis documento, sit institutioni propriæ infelicitas, & ruina aliena. Errata quippè aliorum boni libri sunt, ex quibus discere possis, quomodo rectè agas,

plusquàm

plusquam insanus enim sit, qui aliorum stultè facta cernens, non sapere incipiat, & fiat cautior.

Ad Christum Hebræorum quidam hæretici, qui resurrectionem mortuorum inficiabantur, quondã veniebant, quæstionemque illi in doctrina Moysis fundatam proponebant de septem fratribus, qui eandem mulierem per vices ex ordine duxerunt coniugem, cùm enim primus absque liberis improlis decessisset, secundus (sic enim legis præscriptum habebat Leuit. 20. v. 28. & Deuteron. 25. v. 6.) eam vxorem accepit, & post illum cæteri vsque ad extremum. Sciscitabantur ergo Christum, cuiusnam illa secundùm hanc vitam futura vxor esset, quæ singulis nupserat, discentes: *In resurrectionem cuius erit de septem vxor? Omnes enim habuerunt eam*; Matth. 22. 28.

Theophylactus ait: *Rem fingunt, quæ nunquàm contigit.* Commentum fuit, & fabula, quam Domino de muliere vna septem fratribus nupta narrârũt, & res ficta, quæ nihil vero simile habuit.

Sed cur factum, quòd Sadducæi recensuerunt, nihil veri simile habere potuit? Respondet magnus Bulgarorum Archiepiscopus: *Pone quòd duo acceperint ipsam, & mortui sint, qui fieri potuit, vt tertius, omen auersans, nuptias non recusauerit, periculis præcedentium admonitus?* sit ità, quòd secundus spe liberorum supparandorum duxerit, quàm frater illiberem reliquerat, tertius certè, & cæteri plusquàm stulti fuissent, nisi eos priorum infelicitas docuisset cauere præcipitium: *Qui fieri potuit, vt tertius, omen auersans, nuptias non recusauerit, periculis præcedentium admonitus?* Insignis namque amentia est, non eruere sibi documenta ex erratis aliorum, vt magna prudentia est, alienis defectibus vt libris vti, atque ex ijs, quomodo rectè agamus, discere.

Quærit Petrus Cellensis Abbas, cur illi cælestes Palatini tantoperè submittant intellectuum suorum alas, tamque humiliter seruos se supremi Domini profiteantur, quem religioso cultu reuerentissimè semper deuenerantur, & adorant, sic vt nec extendere manum ad mensam Diuinitatis audeant, nec iuxta illum, à quo conditi sunt, sedere ambiant, sed compressis digito labijs, & adductis ad reuerentiam humeris, submissoque capite taceant, ac tremant? Quid sibi vult illa Angelicorum, & beatorum spirituum tam demissa humilitas?

Respondet ille lib. de Panib. c. 1. apud Ascan. Martinen. in Glossa magna: *Vidit namq; consortem naturæ suæ Luciferum aliquando gulam desiderij ad hanc mensam extendisse, & non exinde diuinitatem, sed mortem degustasse, idcircò abstinet, & superponit digitum ori suo, nec manum conferens mensæ, nec os aperiens negatæ diuinitati, vt velit eam deglutire.* Diuinitatis ambitio Luciferum vesana incesserat, liberamq; manum ad diuini ESSE sacram mensam protenderat, Talia inurbanè, atque impudenter ausus, pro cibis, quos expetierat, venenum comedit, & mortis æternæ toxicum deuorauit. Cùm pars Angelorum reliqua vidisset, quod socio acciderat, abstinuit, & superposuit *digitum ori suo*, verita ne similem fortunam experiretur, abstinentiæ, & ieiunio, inediæq; se volens, ac lubens addicens, quòd illum per diuinitatis auiditatem perijsse videret. Ex immoderata Luciferi cupiditate, ex damnatorum Angelorum miserabili iactura documenta, & lucra captârunt spiritus humiles. Seruare se, vbi alij perierint, & sapere alieno periculo, prudentium, & cõsultorum opus est.

Commodum huc veniet, quod in libro sancti Iob scribitur: *Visitans speciem tuam, non peccabis*; inquit ille c. 5. v. 24.

Quid voluerit talibus verbis sacrum oraculum? Richardus de S. Victore in cap. 4. Cant. sic exponit: *species nostra est proximus noster, in quo inspicimus quid nos sumus.* Nemo potest videre, num probè satis depexa coma, num facies munda, num vestitus omnis rectè aptatus. Quid remedij? Consulitur speculum, atque in illo, si quid desit, quod ad decẽtem ornatum requiritur, videtur. Tale quid est, quod Richardus ex sententia sancti Iob ait: *species nostra est proximus noster, in quo inspicimus quid nos sumus.* Proximus noster speculum nostrum est, in quo nonnulla errata, & lapsus aliquos, & multas imbecillitates cernimus. Vt ergo non prolabamur, bonum fuerit illos defectus intueri, vt fugiamus, & aliena vitia aspicere, vt emendemus propria. *Visitans speciem tuam, non peccabis.* Nam si quis attendat vbi proximus ceciderit, sciatque quomodo perierit, satis amens fuerit, si tam prænitens speculum ob oculos habens turpi lapsu corruerit, & monitus deliquerit, aut neglexerit corrigi.

Cùm in parabola illius, cui de quatuor seminis sui partibus tres perierant, voluerit repræsentare Dominus fructum vnius, dubitare possumus, quamobrem priùs recensuerit iacturam trium, quàm lucrum vnius.

Respondet magnus Bulgarorum Archiepiscopus, id factum, vt doceremur, quàm vtilia monita ad suos defectus corrigendos ex aliorum erratis alij haurire possint. Nam cùm prudens verbi diuini auditor

tor attendit modum, quo apud illos semen illud sacrosanctum perijt, & viam, in qua seipsos perdiderunt, eorum damno edoctus curat rectè vti, & ad profectum suum vertere doctrinam, sic labor Ecclesiastæ ex profectu auditoris elucescat.

Prima seminis iactura inde consecuta est, quod *cecidit secùs viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud*, Lucæ 8. 5. Damnosâ illâ negligentiâ cauti facti auditores auidi verbi diuini *in corde bono, & optimo audientes verbum retinent*, ibid. v. 15. vbi Theophylactus: Quod ait, *in corde bono retinent, hoc dixit propter eos, qui per viam intelligũtur, ij enim non retinent, sed diabolus tollit ab eis sermonem.* Primi interierunt, quià non retinuerunt verbum Dei. Posteriores ergo illorum incommodo eruditi, iacturamq; in illo speculo intuiti, cauerunt illam, conseruantes in corde suo verbum diuinum salutare semen, ne vel prætereuntes homines conculcarent, vel cœli volucres, hoc est, maligni dæmones deuorarent.

Altera pars seminis ex eo perijt, quod *cecidit suprà petram, & natum aruit, quià non habebat humorem*, ibid. v. 6. eoque illi designantur *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, ibid. v. 13. & Dei castra deserunt. Quod cùm alij de sua salute soliciti animaduertunt, *fructum afferunt in patientia*, ibid. v. 15. ac tametsi vrgeantur tentationibus, iactentur tempestatibus, exagitentur malis, animæ nauigium anchoris tolerantiæ adstringunt, itaque instituti detrimento alieno cauent proprium.

Tertiæ salutaris seminis parti suus hinc interitus venit, quod *cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ*, humoremque omnem alendo semini necessarium combibentes *suffocauerunt illud*, ibid v. 7. Cùm hanc iacturam adspiciunt, quibus sua est cordi saluatio, *fructum afferunt*, illud secum reputantes, quàm parùm profuerit, esse creditum terræ semen, si per spinas suffocatum prorsùs inutile redditur: Nam seminare, & nihil colligere, est duplicare laborem, & exantlatas molestias nequicquam suscepisse: *Fructum afferunt, dixit propter eos, qui suffocantur*, inquit Theophylactus. Ex quo videre licet, quòd prudentes auditores à neglectæ terræ damnis didicerunt, quomodo facere possent, vt sibi fructum cœleste semen adferret. Ex alienis erratis scholas sibi, in quibus rectè agere discerent, construxerunt. *Vides quomodo per tria distinxerit eos ab ijs, qui non retinent, & ij sunt, qui iuxtà viam, ab ijs, qui fructum non adferunt, & ij sunt, qui inter spinas, ab ijs, qui non sustinent tentationis insidias, & ij sunt, qui super petram.* Vides quomodo ex imprudentum defectibus suam vtilitatem prudentes captant? Nam vt S. Cyprianus in lib. de singularitate Cleric. ait: *Amator est salutis suæ, qui euitat alienæ mortis incursum, & ipsi sibi est prouidus, qui solicitus sit cladibus cæterorum.* Omninò suam ille salutem verè amat, qui ex aliorum erratis discit, quomodo rectè agat, & benè, prudenterque rebus suis prospicit, qui vicinorum in periculis suam quærit securitatem, & in aliorum morte suam vitam reperit.

Non intempestiuum huc veniet illud Sancti Ennodij *de sua vita*, sic in seipsum inuehentis: *O mens rigore inebriata venefico, nec exemplis instructa, nec monitis! Sed desunt tibi venerabilium magisteria librorum. Ad perfectum informare supplicijs, & nisi te cæno perditionis immergis, habere potes de pœna doctrinam.* O anima mundanarum infatuata fascino vanitatum, quam nec mores aliorum boni, nec verba sana erudiunt! At libris te destitutam causaris, à quorum inopia fiat, vt saluti tuæ, & profectui satis studere non possis. Benè habet. Si ita, vt obiectas, Sis librorum inops, *desint tibi venerabilium magisteria librorum.* Sed non est hæc excusatio talis, vt per eam intermittere studium incrementorum tuorum possis. Alios ego tibi libros ministrabo, quos diu, noctuque euoluere cum ingenti fructu queas: *Ad perfectum informare supplicijs.* Aliena errata tibi pro Bibliotheca sunto, in qua perpetuò verseris, ac discas. Aliorum lapsus possunt esse tuæ columnæ. Gratioso sit pro libro Aman, auaro ille de Euangelio sordidus, qui deciduas è mensa micas Lazaro mẽdico negauit, præfidentissimo cuique Dauid, qui tam fœdâ prolapsione corruit, sapienti Salomon, qui idololatriæ flagitio se contaminauit, robusto Sason, quem illi exoculârunt, & molam circumagere coëgerunt, superbo Antiochus, qui plenus rabie, seque ipsum horrens infelicem Orco transcripsit animam, helluoni populus Israëliticus, qui ex cibo, quem maximè demoriebatur, hoc est carnibus, mortuus fuit. Sic itaque ex alienis casibus Politicus noster copiosam Bibliothecam sibi adornare potest, ex qua prudentiam, & bona consilia hauriat.

Hanc in rem aiebat Sanctus Zenon serm. 6. de Isai. *Compendiosum est felicitatis genus, alterius periculo discere, quid debeas deuitare.* Nulli tales libri, ex quibus discere possis, quomodo rectè agas, quales errata aliorum. Libri ergo deesse possint? Cùm quisque inconsultus, & stultus, sit liber, & quæuis illius ignorantia folium, & omne illius erratum velut linea, & quilibet insipiens plurimas edat

stultitias,

stultitias, & *stultorum*, vt Spiritus Sanctus affirmat Eccles. 1. 5. *infinitus* sit *numerus*, quomodo libri, & Bibliotheca deficere eos queant, qui discendi studio tenentur? Obeat Politicus noster compita, & forum, & loca publica alia, inuenietque innumeram copiam fraude circumscriptorum, erronum, imperitorum, fatuorum, atque in eis abundè aderunt libri, in quos toto studio incumbere possit, nec deerunt folia, quæ euoluat, neque varia perperam acta, ex quibus cautior fiat, & sapere discat. Totus mundus Bibliotheca quædam est stultis, ceu libris, confertissima, eapropter perfacilè reperiuntur libri, quibus operam nauare, & ad rectè instituendos vitæ mores vti quisque possit.

## CAPVT VIII.

*Insanit, furit, & suprà quàm brutum pecus præceps est, qui Deum offendit, cuius vita est æterna, regnum omnipotens, & sapientia attendit, perudetq; omnia.*

ILlustris fuit appellatio, celeberrimumque nomen Putei, iuxtà quem sibi constituerat sedem noster Isaac, quo tempore pater illius vitâ perfunctus fuit. *Habitabat iuxtà puteum nomine Viuentis, & Videntis.* Hoc ergò erat cognomentum illius putei, quòd *Viuentis*, & *Videntis* appellaretur. Viuere, & videre, duo attributa sunt, quibus plurimùm gloriatur Dominus, qui ad promissorum suorum confirmationem plerumque indeficientis, & æternæ vitæ suæ authoritatem supremam adhibere solet, ac dicere: *Viuo ego*; quod ferè tale est, ac si diceret: Vt vita mea finem nescit, ità certitudinem habebunt mea promissa. Quapropter prorsùm delirat, perditissimusq; est peccator, qui Deum offendere audet, cui sua vita æternùm constat. Præpotens enim hostis, cùm in viuis agit, quem non metu percellat, & expauefaciat?

Propheta regius, cùm Deum permouere vellet, vt per ipsum ab æmulorum suorum efferata rabie vindicaretur, liberq; euaderet ab eorum manibus, qui in ipsius perniciem proteruè coniurârant, hanc ferè adfert rationem, ob quam illum ad ferendum opem imploret: *Inimici mei viuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè*; Psal. 37. 20.

Hæsit gloriosus Pater Sanctus Basilius Magnus in primis Dauidicis verbis, quibus Dominum inclamat, inquiens: *Inimici mei viuunt*; velut dixisset: Si inimici mei diem suum obijssent, non esset, cur eos timerem, quantumuis feroces, & truculenti fuissent, mortuum enim hostem nemo metuit; at qòud inimici mei viuunt, simulq; potentiâ plurimùm valent, quomodo non mihi tremorem incutiat? *Viuunt, & confirmati sunt, non enim mortui sunt*, (ait Magnus Pater) *nec vbi semel in me quiduis moliti sunt, sic abierunt.* Viuunt, vt me insectentur, valent viribus, vt me onerent iniurijs, animosq; habent ad omnem mei offensam audaces, quomodo non corde toto collabascam, prorsùmque consterner? Nam si præpotentis hostis vita non adfert timorem, quid tandem esse possit, quod horrorem injciat, & perterrefaciat?

Nihil est, quod æquè perhorrescamus, ac rugitum leonis. Itaque Salomon, vt præferocis alicuius regis furiosam iram expressam daret, non aliâ comparatione id commodiùs facere posse putauit, quàm rugitus, quem hæc immanis fera edere solet, inquiens: *Sicut rugitus leonis, ita terror regis*; Prouerb. 20. 2. Et Propheta Amos cap. 3. v. 8. ait: *Leo rugiet, quis non timebit?* cuius non erigantur præ formidine capilli? cuius non cor intrà corpus emoriatur? cuius non contabescat metu animus? Quodnam aliud magis ignauum, ac meticulosum animal, quàm lepus? Vt ne hanc veritatem accersitis aliunde argumentis confirmare curemus, illud facit, quòd hoc animalculum pro natiuæ timiditatis suæ magnitudine in symbolum triuiale meticulosorum apud vulgus iam transierit. Vt nihilominùs nobis indicaretur, hostem potentissimum, qui viuus erat terrori, mortuum esse omnibus ludibrio, exanimalem leonem septum irrisoribus leporibus pinxerunt Veteres, cum hac adscriptione: *Leoni mortuo lepores insultant*; quod est apud Pierium Valer. Manutiũ, Erasmum, & alios, quo significatur, eum, qui in viuis adferebat horrorem, risus materiam à morte de se præbere. Iam si potens semper viuit, si Deus est leo, cuius vita essentiam illius exæquat, cuius potestas est immensa, cuius virtus inexpugnabilis, & brachium tale, vt resistere ei nemo possit, qui illum offensum non timet, non horret irritatum, is vel non credit, vel non sapit rectè. *Puteus Viuentis.* Insigne illius est *viuere*, sicque nunquàm desinere, nunquàm non esse potest.

Si potens quispiam offendatur, id reliquum est solatij, quod scelus in ipsum commissum scientiam illius fugiat, notitiamque prætereat. Apud potentes terræ id accidere, & ratio ista valere nonnunquàm solet, nec enim semper ij vel vident, vel audiunt, quæ contrà ipsos aguntur, sicque offensæ illorum,

rum, & iniuriæ impunè transeunt. Sed hoc locum non habet apud nostrum supremum Conditorem, & Iudicem. Nam vt Philosophus noster Seneca loquitur epistola 83. & fides præclariùs docet, *nihil Deo occlusum est, interest animis nostris, & cogitationibus medijs interuenit*, nullæ fores lynceis illius oculis imperuiæ, in abstrusissima cordium nostrorum suam habent oculi eius iurisdictionem, nihil tam reconditum in penitissimis animis nostris, quod non studiosè aduertat, non attentè notet, non perspicaciter arbitretur, & expendat. Iuxtà hæc quis illum offendere etiam in abditissima animæ suæ parte possit, vel ausit, cùm nulla tam sit remota ab oculis, nulla tam absita, & occulta, quam ille non velut in medio sole luculentissimè peruideat?

Cùm innocens Propheta efferati Regis furorem declinaret, venit in ciuitatem Nobe, vt sacrorum fastorum Scriptor 1. Reg. 21. narrat, vbi per id tempus morabatur Abimelech Sacerdos. Qui cùm Dauidem solum vidisset, aduentumque eius demiraretur, sciscitabatur, cur sic absq; omni pompa, & solitæ maiestatis authoritate incomitatus veniret, qui plurimos circùm se habere stipatores milites consueuisset. Cernens tam attonitum Abimelechũ Dauid, respondit: *Rex præcepit mihi sermonem*; vbi suprà vers. 2. velut dixisset: Impera, sis, animo, neque grauium sinistrarumque cogitationum tempestate concuti patere, rex namque imperauit quidpiam, vt facerem, & de mandato illius nata est occasio aduentus mei. Fac sileas, ne quis alius hoc consciscat.

Quærit Abulensis, cur sacer Propheta, qui alioquin erat tam circumspectus in verbis suis, tam attentus ad omnia, quæ agebat, non erubuerit mentiri, ac dicere, quòd iussa regis perfecturus veniebat, qui regis infensi rabiem, fractus metu defugiebat.

Occurrit huic quæstioni magnus Doctor, inquiens: *Non erubuit mentiri, sciens non esse deprehendendum.* Hæc ille quæst. 5. in 1. Reg. 21. Quòd non puduit Dauidem præterire veritatem, id factum, quòd sciuit, non esse coarguendum ab Abimelecho de falsitate, alioquin si ab illo animaduertendum, reprehendendumq; mendacium putasset, nihil tale cùm existimationis suæ imminutione affirmasset. Videns ergò non detegendam suam falsitatem, neque cognoscendam fraudem, etiam *non erubuit*, nec puduit illum veritatem officioso mendacio violare.

Benè id habet. Nam quòd Dauid, cùm certum haberet, non se deprehendendum in mendacio, neque coarguendum imposturæ, falsum affirmârit, fraudemq́ue concinnârit, nihil mirum: At quòd homo Christianus offendat Dominum, ad iram prouocet Deum, qui omnia intelligit, & comprehendit, *sciens se esse deprehendendum*, sciens ab illo omnia peruideri, quæcunque reconditissimo in pectore aguntur, sciens scientiam illius esse clauem, quâ vnâ cordis penetralia omnia reserentur, & aperiantur secreta, quòd ista sciens, vidensq́ue non erubescat talem irritare, quo id loco reponemus? Phrenesi ab omni parte correptus est, & in vincula meritò compingatur, quicunque hoc facit.

Diuturnam æquè, ac pudendam infirmitatem mulier quædam patiebatur, cùmq; intelligeret prodigiosa miracula, quæ cœlestis Magistri omnipotens dextera tam crebrò operabatur, tempestiuam occasionem nacta, pio furto suam sibi parare salutem constituit. Coram numerosa multitudine, quæ magnum Dominum sequebatur, accedere, & pœnalis morbi leuamen petere, audacia illi videbatur, quæ non satis deceret: non procurare remedium, grande piaculum putabat. At quid inter has animi dubij fluctuationes faciam? dixerit. Adibo sine tumultu, petam absq́ue strepitu, rogabo tacita, vt nemo aduertat, sacri vestitus illius fimbriam extremis digitis libabo, talique studio rem meam totam conficiam. A tergo accedam, talique industriâ, & astu, fiet, vt stagnet malum meum, nec in vulgi notitiam tamen veniat. Perfecit illa magno animo, quod cogitârat, statimq; exaruit fons, vnde infirmitas eius promanârat: *Venit in turba retrò, & tetigit vestimẽtum eius, & statim siccatus est fons sanguinis eius*; Marci 5. 28. Vix illi sanitas miraculo reddita erat, quando religiosi furti certior factus Dominus ait: *Quis tetigit vestimenta mea?* ibid. v. 30. quis thaumaturgam virtutem meam furatus mihi fuit?

Quæro hîc? Mulier ista nonné à tergo aduenit? *Accessit retrò*, inquit Euangelista. Nonné sagaci cum dissimulatione vestem attrectauit? Nonné confertæ, & confusæ multitudinis, quæ tumultuariè sequebatur, frequenti concursatione ad industriam suam vsa fuit? Hæc omnia fecit. Quomodo ergò illam Dominus in flagrante furto tam citò deprehendit? Quomodo se ab illa attrectatum sensit? An à tergo visus erat, qui notauit, an oculus, qui conspexit?

Hinc videas, quid discriminis Christum inter sit, & homines reliquos, inquit S. Petrus Chrysologus. Cæteri hominum in vultu sua habent lumina, nullos in dorso oculos. Quoties fit, vt vel vitâ quis exuatur, vel malè vapulet, vel alia plurima incommoda

moda accipiat, quòd ab ea parte non habeat oculos? Sed Christus non habet tergum ad eum sensum, quoniam vigilantissimus Argus est, qui omnia videat, notet, attendat, sic vt nihil prætereat, nihil fugiat illius plus quàm lynceum visum. *Accessit retrò. Sed vbi? Retrò nil erat, vbi faciem, quam declinabat, inuenit. Erat in Christo corpus multiplex, sed erat Deitas simplex, erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat.* Vt misera hæc non videretur mulier, quàm parùm illi conferebat, quòd à tergo accederet? Quàm parùm commodi adferebat confusæ, & numerosæ plebis tumultuarius comitatus? Verum est, quod in Christo, quâ homine, frons erat, & tergum, velut in cæteris, idem tamen vt Deus, totus frons erat, & merus oculus, itaq; & illa in tergo vultum reperit, in tergo oculos, à quibus conspiciebatur, in tergo lumina, à quibus manifestabatur, & in publicum forum producebatur, quod illa secretò, occultèq; agebat: *Retrò nil erat, vbi faciem, quam declinabat, inuenit.* Mirum, quòd ægra, quæ vultum medici defugit, (retrò enim accessit) retrò vultum, oculosq; inuenit, qui arbitrabantur, quæcunque cogitabat, dicebat, faciebat! Sic nihil est, quod præterire illum, ne cogitatus quidem vllus etiam secretissimus, qui ex lynceis illis, aut aquilinis oculis elabi possit. *Erat totus oculus, qui post se supplicem suum sic videbat.* Quis ergo præsidenter peccabit, quis licenter delinquet ob oculos tam experrectos, & peruigiles, quibus omnia sunt nuda, manifesta sunt omnia, omnia patent? O quàm stultus est, qui in talem peccare ausus!

Nam vt diuinè Beatissimus Pater Sanctus Gregorius lib. 2. Moral. c. 8. ait: *Ipse manet intrà omnia, ipse extrà omnia, ipse suprà omnia, ipse infrà omnia, & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per sublimitatem, sursùm regens, deorsùm continens, extrà circumdans, interiùs penetrans, nec alia ex parte superior, atque alia manet interior, sed vnus, idemq; totus, vtiq; præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans, vnde superiùs præsidens, inde inferiùs sustinens, & vnde exteriùs ambiens, inde interiùs replens, sine inquietudine superiùs regens, sine labore inferiùs sustinens, sine extenuatione penetrans, exteriùs sine extensione circumdans. Est itaq; inferior, & superior sine loco, est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione.* Quis illam tam immensam sapientiam, tam infinitam potentiam, tam indeficientem vitam fugiat?

Huc spectauit Innocentius III. lib. 3. de contemptu mundi, cap. 14. cùm ait: *Quis non timeat Iudicem potentissimum, sapientissimum, iustissimum? Potentissimum, quem nemo potest effugere, sapientissimum, quem nemo potest latere, iustissimum, quem nemo potest corrumpere?* Iuxtà hæc, quis est, qui videns talem potentiam, tam magnum Dominum offendat, qui cognoscens talem sapientiã, exasperet talem Deum, talem Iudicem irritet, non ignorans talem iustitiam?

FINIS LIBRI PRIMI.

# LIBER SECVNDVS.

## CAPVT I.

*Magnitudo, & præstantia rei non est alligata eius moli, sed virtuti, non enim de facie, aut aspectu, sed de valore æstimatur.*



I rudis vulgi falsa mihi opinio confectanda esset, secundum hunc Librum à primi Capituli superiore Periocha non ordirer, in qua volo defendere, quod mundus plerumque noluit intelligere. Communis sententia vulgi habet, quod maius est, idem maius semper pretium, & æstimationem commeruisse: Verùm si adderet, quod maius, præstantiusue bonum est, verum haberet, certumque esset, quod affirmat. Nam si ad lucem veritatis rem consideres, pretium eius non de mole, aut copia, sed de bonitate æstimari debere intelliges, videmus nimirùm rara esse, quæ bona, malorum verò nullam vnquàm animaduerti penuriam. Magnitudo ergò rei non de pondere, & grauitate, sed de valore, non de vultu, sed de pretio æstimanda, semper enim quantitati qualitas præferenda, & valor numero anteponendus.

Postquàm è terra, & aula regis Abimelech Patriarcha noster expulsus fuit, apparuit ei nocte quadam Dominus, vtq; timore perculsum, & anxium in medijs solicitudinibus consolaretur, ait: *Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum*; Genes. 26. 24. quamdiu enim ego lateri tuo adhære-

adhærebo; non erit quod formides coniuratos in tuam perniciem hostes, aut persecutores aduersarios pertimescas.

Videtur hoc loco Dominus imperium suum angustis limitibus circumscripsisse, & plurimùm coarctasse iurisdictionem, inquit ferè Sanctus Ioannes Chrysostomus, cùm se vnius tantùm subditi Dominum facit. At nonnè ad ostentandam magnitudinem potentiæ, & amplitudinem regni sui meliùs fecisset, si terræ, cœlorumque dominum, & totius vniuersi monarcham absolutum se pronuntiasset? Quid ergò est, quòd iurisdictionem suam, & monarchiam sic contrahit, vt vnius tantùm hominis Dominum vocet?

Respondet Chrysostomus homil. 52. in Genes. *Orbis conditor vnius hominis Deum se dicens, non concludit, & abbreuiat cum Patriarchæ appellatione suum dominium. Ita, inquit, eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tanti, quanti alij homines.* Quòd ergò vnius Abrahæ Dominum Deus vocauit, eâ re non in arctum coëgit suum imperium, sed indicare voluit, vnum Abraham sibi omnium reliquorum hominum instar esse. Docemur eâ re, verissimum esse, quod huius capitis titulus habet, nempè magnitudinem rei cuiuspiam non in multitudine, neque pretium in mole, sed in valore, & qualitate positum esse: Nam vnius Abrahæ in vna bilancis parte positi pondera apud Deum grauiora erant, & pretium maius, quàm totius mundi reliqui: *Ita eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tanti, quanti alij homines.* Sic videmus vnum Solem stellis omnibus potiorem esse, & adamantem vnum multis rudibus saxis præstantiorem.

Concepit sterilis nostra Rebecca, & geminos, Esau & Iacob, quanquàm magnis cum doloribus, enixa est, quorum ille abominabilis fuit Deo, hic pergratus oculis supremæ illius maiestatis. Fuit conceptio miraculosa, & postquàm Iacob peperit, alios posthæc edidisse liberos, sacer Textus non memorat, qui tamen hoc non dissimulasset, si illa prolem aliam mundo dedisset.

Quærit ergò nunc eruditus interpres Guilielmus Ebroicensis in cap. 26. Genes. claus. 4. q. 12. quamobrem formosa Rebecca finem pariendi fecit, postquàm mundum felici illo partu Iacob nobilitauit.

Respondet quæstioni: *Quòd non plures filios ediderit, hoc ideò fortè fuit, quia post dictum miraculum rediJt ad pristinum statum, scilicet sterilitatis, debuit enim illi sufficere genuisse Iacob, qui appretiari poterat super mille alios filios.* Plùs satis erat sterili matronæ, quòd Deus illi aperuerat fœcunditatis fores, per quas ad illustrandum mundum prodiret tam magnus, & insignis Patriarcha, quàm erat Iacob, qui solus liberos millenos exæquare poterat.

Propterea Spiritus Sanctus, vt patrem quendam, qui numerosâ posterorum multitudine immodicè gloriabatur, sui erroris commonefaceret, aiebat Eccles. 16. 1. *Ne iucunderis in filijs impijs, si multiplicentur*; non efferaris lætitiâ, neque gaudeas nimiùm de nouis, crebrisque partubus, in quibus posteritatis tuæ spem reponis. Sed cur non exultet, qui augetur liberis? Nam si mali futuri, quid confert numerus? Aut si impij, qui bono multiplicantur? Quænam felicitas, multos degeneres, & sceleratos numerare filios, cùm vnus probus improbis innumeris præstet? Sic enim Ecclesiasticus ibid. v. 2. mox subiungit: *Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij.*

Ad hanc rem facit illud Sancti Gregorij Nazianzeni Orat. 32. *An tu vniuersos Chananæos vni Abraham antepones? An Sodomitas vni Loth? An Madianitas vni Moysi?* Nullus tam ab omni sensu alienus fuerit, qui non sentiat, trium illorum insignium virorum, quod ad spiritualium copiarum, hoc est, virtutum, & verarum animæ diuitiarum pretium attinet, pondera oppidò grauiora fuisse, quàm omnium illarum Gentium, vel si in vnum cumulum congererentur: Nam vt rem quampiam rectè arbitreris, non quantitas illius, aut moles, sed qualitas pensanda, & pretij valor æstimandus.

Vt decantatam illam de Amorrhæis victoriam Iosue reportaret, necessum habuit, vt Sol à cursu suo pauxillisper conquiesceret. Itaq; ardenti fide, quâ catholicum illius pectus deflagrabat, confirmatus, elatâ fidenter voce succlamauit: *Sol contrà Gabaon ne mouearis, & Luna contrà vallem Aialon;* Iosue 10. 3. Obtemperârunt animosi ducis audaci voci ambo luminaria, stiteruntque cursum suum, vt fuerant iussa, quò ille optatum triumphum consequeretur.

Factum memorabile, cui aliud simile nulla vnquã anterior ætas viderat. Sanctus Ioannes Chrysostomus homel. 27. in epist. ad Hebr. ait: Videte quantùm vnus quidam homo valeat, & quòd solus Iosue plus potuit, quàm totus mundus. Sed quid ego aio? *Veniat omnis mundus, magis autem duo, aut tres, aut quatuor, aut decem, & viginti mundi, dicant, & faciant hoc.* Cuius tantum erit robur, vt tam concitos planetas à suo cursu cohibeat? Cuius ea fortitudo, vt impetum pernicissimorum istorum luminarium

narium

narium sistat? At si duo, tres, quatuor, decem, viginti mundi essent, iiq; virium suarum totum pondus huc verterent, non hoc possent, quod vnus Iosue effecit, quis præstantiam rei in multitudine positam, & numero adstrictam affirmet?

Sacer Textus id nobis dicet, qui cùm memoraret posteros Ismaelis, ait decem liberos genuisse, cùmq; nostri Patriarchæ Isaac successionem narraret, dicit illum ex Abrahamo prognatum, inquiens: *Hæ quoq; sunt generationes Isaac filij Abraham, Abraham genuit Isaac.* Quid est quòd vocat generationes, quæ fuit vnius filij natiuitas? Id factum, vt nos moneret, quòd magnitudo rei non in multitudine, sed in bonitate consistit, nam vnus hic filius cum reliquis, quos Abraham habuit, compositus, plus valuit solus, quàm alij omnes. Hinc accipimus, quòd rerum præstantiam non de quantitate, sed de qualitate arbitrari debemus.

*Vide in hanc rem Periocham V. Dominicæ XXIII. post Pentecosten Tomo II. pag. 312. a. o. & Periocham VII. Dominicæ in Ramis Tom. I. pag. 459. a. o.*

# CAPVT II.

*Tam vocari filius illius quisque suo modo potest, à quo in spiritu eruditur ad virtutem, quàm eius à quo in carne genitus est in vitam.*

A Multis quæsitum, quid causæ sit, quòd tam notanter hic dicitur, quòd *Abraham genuit Isaac*, cùm alios liberos, neque paucos habuerit, quorum & sacer Textus meminit. Quamobrem ergo vnus ex omnibus Isaac tam speciatim appellatur filius Abrahæ?

Huic dubitationi occurrit Abulensis, inquiens: *Magis vocatur Isaac filius Abrahæ, quià licet alios filios habuerit Abraham, tamen non erant ità speciales ei, sicut Isaac.* Fuit plurium liberorum pater Abraham, sed morum, actionum, vitæ, sanctitatisque similitudine nulla ei tam affinis proles erat, quàm Isaac, eamque ob causam hic etiam singulariter illius filius dictus. Vt hinc accipiamus, quod affirmare possimus, Abrahamum bis patrem fuisse Isaaci, semel cùm hominem genuit, iterùmque cùm pium suâ institutione fecit, semel in carne, atque iterùm in spiritu. Reuerà enim suo quodam modo tam pater noster est, qui nos erudit ad æternam vitam, quàm qui producit in mortalem vitam. Hinc nascitur lex, quæ magistros honorare tantoperè nobis commendat, quòd sint alij quidam patres, qui nos secundò generant, & prosapiæ morum inseruati-

De impio rege Ioachaz narrat sacra Historia, intrà vnum trimestre tam multis, ac grauibus se contaminasse flagitijs, vt difficile sit intelligere, quòmodo in tantam improbitatem deuenire tantillo tempore potuerit. Scriptor diuinus 4. Reg. 23. 37. sic habet: *Et fecit malum coram Domino iuxtà omnia, quæ fecerant patres eius.* Sceleribus parentes exæquauit.

Est in hac sententia illud perdifficile quomodo dici queat, Ioachaz fuisse tam improbum, quàm patres eius, cùm pater illius fuerit Iosias, rex sanctissimus, & religiosissimus, cuius gloriosam mentionem facit Ecclesiasticus, & laudes perhonorifico panegyrico celebrat, inquiens: *Ipse est directus diuinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem*; Eccles. 49. 3. Tanta ergo fuit Iosiæ sanctitas, vt è cœlo submissus ad sui æui homines videatur, qui expiandorum per veram pœnitudinem scelerum subditis exemplum præluceret, & vitæ emendandæ formam de se præberet. Idololatrias, sacrilegia, blasphemias, & omne genus flagitiorum, quæ in ipsius regno contrà cultum, ac venerationem veræ Deitatis velut vsuceperant, & præscripserant, aboleuit, tantaq; fuit animi illius tum pietas, tum fortitudo, vt quanquàm contrà frenderet, & obniteretur tota solutissimorum hominum colluuies, quæ plurima per omne illius imperium erat, legis nihilominùs cæremonias reformaret, instauraret ritus, & veram religionem constabiliret. At si Iosias tam præstans vir, tam studiosus virtutis, tam sanctus, & religiosus Princeps fuit, quomodo dici potest, filium illius Ioachaz fecisse *malum iuxtà omnia, quæ fecerant patres eius*, tamque impium fuisse, ac illos, qui sanctissimi patris filius fuit?

Doctus quidam Ezechielis Interpres (Pradus in cap. 19. Ezech. n. 13.) hanc diluit dubitationem, inquiens, in his patribus, quorum scelera imitatus est Ioachaz, non censendum Iosiam, sed eos tantùm numerandos, qui illi autores fuerunt flagitiorum, quæ perpetrauit, & generârunt in ipso improbitates, quibus se obstrinxit, eò quòd in aperto sit, *non minore iure eius, cuius mores imitatur, quemque dicendum esse filium, quàm eius, à quo genitus est.* Complures habuit rex ille magistros à quibus ad enormia, & immanissima scelera, qualia ferè sunt, quibus se per omnem vitam impurauit, institutus fuit, & ille tam excellens, discipulus euasit (peccandi enim non difficilè hauritur doctrina) vt doctores suos non secutus modò fuerit, verùm & præuerterit. Propterea

pterea ergo vocantur *patres*, tam pater nimirùm est, qui moribus alium informat, quàm qui vitâ illum donat.

Ad conseruandas virtutes plurimùm facit timor Dei, sine quo nulla est, quæ constanter perduret. Id sacræ literæ pluribus in locis satis docent. Cùm ergo sacer Propheta ingentem huius virtutis necessitatem videret, hæc ardente cum affectu aiebat: *Venite, filij, audite me, timorem Domini docebo vos*; Psal. 33. 12. & ad rem instituam, quam nosse & vtilissimum sit, & porrò pernecessarium.


Quibusnam illis dat voces Propheta sanctus? An liberis suis? Res ipsa id loqui videtur, quando ille sic clamat: *Venite, filij.* At si non alios, quàm suos appellat, exiguus zelus est, & perpusilla charitas, quæ ergà pauculos solos tam parùm sese exerit. Hoc verò de religiosi Prophetæ desiderio vehementi, quo pectus illius conflagrabat, cogitare nec possumus, nec debemus. Si ergo omnes (quod certum) ex toto mundo homines inclamat, & aduocat, quomodo nomine filiorum eos donat, cùm fieri non potuerit, vt consanguinitatis necessitudine ad illum omnes pertinerent?

Magnus Basilius ait, obuium esse propheticæ locutionis istius sensum. Cùm enim dixisset, *docebo vos*, non mirum quòd filios appellârit, quos erudiendos suscipere volebat, inquiens: *Venite, filij, audite me.* Hæc enim, ait ille in eius Psalmi commentario, *Vox est magistri amantissimi, ac per viscera patria ad disciplinam inuitantis, nam & discipulus magistri filius est spiritualis, quicunque enim ab aliquo pietatis formam accipit, is profectò ab eo quasi fingitur, & in lucem educitur.* Hinc factum, quòd Paulus se Galatarum matrem vocauit, propter singularem curam, quàm illis Christo regenerandis impendit: *Quemadmodùm mulier prægnans, quæ in vtero formatos infantes, ità Paulus omnem Galatarum Ecclesiam ex prima excidentem disciplina, & veluti abortiuam rursus resumens, atque Christum in illis reformans, filios appellat, Filioli, inquiens, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis*; Galat. 4. 9. Tam enim pater, & mater est, qui nos erudit, quàm qui in vitam edit.

De magno illo Græcæ eloquentiæ parente Demosthene aiunt Plutarchus, Quintilianus, Cicero, & alij, eum inter initia iuuentæ magnâ solicitudine curasse, vt primam artis, quam affectabat, literam distinctè, expresseque effari posset, & vitia quædam alia emendasse, atque expugnasse, quæ plurimùm illi oberant, ne omnium Græcorum oratorum facilè Princeps esse posset. De illo namque fertur, vadosis littoribus institisse, & declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edidisse, & multos versus vno impetu spiritus complexum, eosque aduersa loca celeri gradu scandentem pronuntiasse, talique artificio, & industriâ robur pectoris confirmasse, animum verò ità perpolijsse, vt Oratorum, quos sæcula tulerunt, primus, & consummatissimus haberetur. *Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est*, inquit Valerius Maximus lib. 8. cap. 7. Et mater quidem illum multis defectibus obnoxium edidit, pronuntiatione enim, & respirandi difficultate, & pectoris debilitate grauiter laborauit, at præliatus tamen cum natura, victor abijt, malignitatemque eius pertinacissimo animi robore superauit. Plurimùm sua illi industria profuit, studio suo se perfecit, labor illi magister fuit, defatigatio ipsum docuit: Vocetur ergo Demosthenes suæ industriæ filius, cuius ope, & contentione tam absolutus Orator effectus est, *alterum Demosthenem industria enixa est.* Quisquis enim nos instituit, format, elaborat, idem patris nostri, ac matris nomen etiam commeretur.

In Paralipomenis narratur aliquid, cui historia I. Libri Regum aduersari videtur. Hic liber affirmat, Cis fuisse patrem Saulis, & filium Abielis. Sic enim habes de Cis 1. Reg. 9. 1. *Et erat vir de Beniamin filius Abiel.* Paralipomena autem tradunt, Cis natum patre Ner, sic enim dicitur 1. Paralip. 8. 33. *Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul.* Quid est, quòd Cis alibi Ner, alibi Abielem fertur habuisse patrem?

Satisfacit huic dubitationi S. Hieronymus in tradit. sup. Paral. inquiens, Ner dictum patrem Cis, *non quòd eum genuerit, sed quòd educauerit*, & à morte patris curandum susceperit, hancque ob causam patrem illius appellari potuisse, vt cui nouam institutionis, vitæ, ac morum formam indiderit, tam enim parentes nostri sunt, qui nos ad bona studia erudiunt, quàm qui autores sunt naturalis vitæ. Hinc discat Politicus noster, quantam obseruantiam debeat magistro, à quo docetur, quantam Ecclesiastæ, à quo monetur, quantam consultori, à quo instruitur, magister enim, vt affirmat Aristoteles, terrestris quidam Deus est, quem post supremam illam Deitatem summo venerationis cultu honorare debeamus.



CAPVT

# CAPVT III.

*Vera nobilitas non tam est illa, quæ suam à sanguine originem trahit, quàm ea, quæ de virtute descendit.*

ITaque cùm Patriarcha Abraham tam sanctus fuerit, & noster Isaac virtutes illius imitari, vitamque paribus moribus exprimere studuerit, idcircò specialiter ex illo natus dicitur: *Abraham genuit Isaac*; vt hinc accipiatur, quod is patris sui filius appellari debeat, qui hoc in se exprimere studet, quod in illo est præcipuum, hoc est, bona illius opera, & laudabiles mores æmulari conatur. Nam si is, qui filium vita donat, simulque honestâ educatione ad probitatem informat, bis pater efficitur, pater scilicet carnis, & pater spiritus, filius, apud quem studiosa patris educatio nihil obtinet, in liberis eius censeri non meretur, tametsi enim nobilissimo patre sit genitus non est cur nobilis vocetur, nisi virtutem amet, colatque, vera namque nobilitas non tam ab illustri sanguine, quam à virtutis claritudine suam trahit originem. Eapropter dicebat sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 27. *Qui generis splendorem iactatis, date operam, vt mores quoque nobilitetis*, & vitæ studia melioris sectemini, & aurum sanguinis emblematis sanctitatis exornetis. Princeps enim familia, & vera nobilitas est, quæ de virtute nascitur, non quæ à sanguine oritur.

Vidit Discipulus, quem diligebat Iesus, numerosissimam hominum cateruam, qui stolis albis induti throno Dei, & agni immaculati assistebant, palmas manibus præferentes, & contentis vocibus triumphos, laudesque illius decantabant. Accedebant ad confertam hanc multitudinem plurimi Angeli, & seniores quidam, qui solo affusi supremam illam maiestatem humillimæ adorationis cultu supplices deuenerabantur, ac benedicebant. Cùm admiraretur sacer Apostolus eos, qui palmas manibus gestabant, & albas stolas induti, Deum laudabant, dixit ad eum quidam de senioribus: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* Apocal. 7. 14. Respondit Ioannes: Quis hoc sit, vt tu, dicere possit, qui id pernosti? Quare te oro, & obsecro, vt mihi exponas. Acquieuit precibus venerabilis senex, & ait: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione*; ibid. v. 15. ac si dixisset: Si nosse cupis, vndenam hi prodierint, quos tam splendido amictu excultos vides, scias velim, esse homines, qui ab ærumnarum & magnarum, & plurimarum longanimi tolerantia huc euaserunt, vt has palmas consequerentur, & quiete potirentur sempiternâ.

Est quod in hac quæstione, & responsione subnotari debeat. Sciscitabatur ex Ioanne senex: *Qui sunt hi? Et vnde venerunt?* Duo sunt, quæ percontabatur. Primum, quinam essent, ij stolas albas induti, alterum, vnde venissent. Quid ergo est, quòd responsione soli secundæ satisfacit quæstioni, dicens: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna* ad horum subselliorum occupationem, & thronorum possessionem? Cur prima interrogatio tam parùm curatur, vt prorsùm tacita prætermittatur? Quid causæ esse queat, quòd nullo responso declaratur?

Dicam. Primum illud quærebatur, quinam essent: *Qui sunt hi?* quòd tale fuit, ac si in personas, earumque originem, & conditionum qualitates inquisitum fuisset. Talis ergo interrogatio sine responso, & velut contemptui habita fuit, in domo enim Dei nulli datur gloria, nulli beatitudo pro qualitate prosapiæ, hæc namque res parùm valet, nisi cum virtute sit coniuncta. Sanctitas est, quæ homini veram confert nobilitatem: Itaque quòd ille senex non fuit dignatus respondere, quinam essent illi beati, id tantundem fuit, ac si dixisset; sint qualescunque, sint diuites, aut inopes, sint nobiles, aut rustici, sint reges, aut subditi, sint liberi, aut serui, nihil horum hîc attenditur, virtutis ac sanctitatis solùm ratio habetur in hac superna patria, & laudabilium operum, non generis, siue nobilitatis, vnde & illos ad beatitudinem prouexit tribulationum æquanimiter toleratarum meritum, non genus illustre, aut plebeium. Verum scilicet genus virtus confert, non origo natalium procurat.

Tria prosapiarum genera habet mundus, inquit sanctus Gregorius Nazianzenus. Primum è cœlo per creationem venit. Secundum à sanguine habet, vnde ab alijs discernatur. Tertium virtus tribuit, quo à cæteris differat. In primo, inquit ille Doctor, omnes pares sumus, omnes eiusdem speciei, ac naturæ corruptibilis, omnes occasui obnoxij, caduci, mortales. De secundo, quòd à sanguine venit, affirmat magnus Theologus, nescire an quicquam æstimari debeat, vt quod tam debili, & infirmo fundamento nitatur, quàm est miseria, & corruptio. Tertium ergo genus, quod de virtute nascitur, est, quod magni æstimari debeat: *Reliquas autem nobilitates, quæ vel feruntur, vel Principum diplomatibus comparantur, vt viles, & adulterinas, nulloque pretio habendas procul submouebit*; inquit ille Orat. 28. Qui vera gloriâ splendescere, qui genuinam apud regem

regum nobilitatem appetit, virtutem sibi comparet, sitque admodum sanctus: Nam regum aliorum, siue Imperatorum diplomata, in quibus maiorum præclara facinora, & auorum encomia, & progenitorum insignia vanè ad ostentationem recensentur, quid illi vtilitatis adferunt, qui ea obscurat, & atrore vitiorum suorum denigrat, & morum infamiâ coinquinat?

Cùm hæc apud se reputaret rex Theodoricus, aiebat, eos, qui sanguine gloriantur regio, ex officio curare debere, vt ne illum sordidis actionibus suis fœdatum obscurent. Verba illius apud Cassiod. l. 5. Epist. 12. sic habent: *Hos omnia decet sub laude gerere, vt regiæ possint fulgorem consanguinitatis ostendere.* Iactat alius suam, nescio quàm veterem, & quibus è montibus originem: Alius suum in Gothos genus refert, seque tam bonum, quàm rex sit, prædicat. Dum verò talia dicit, Iudâ ipso interim est deterior. Vbi est ergo ista nobilitas, & genus illud ex quo arbitrabimur? Ex operibus, an ex solo natali? Ex ampullosis verbis, an ex virtutibus? Rex Theodoricus, qui & ipse ex Gothis erat, de virtute æstimandam nobilitatem affirmat, inquiens: *Hæc enim indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata*; apud Cassiod. vbi suprà. Nobilis est, qui honestam, laudabilemque vitam ducit, qui secùs facit, nobilitatem suam, quâ gloriatur, turpi maculâ notat.

Parentibus fortè humilibus natus es? Deploras generis tui obscuritatem, & originem tenuem, & nominis exilitatem? Vanè te hæc affligunt, inquit magnus Theologus Nazianzenus. Cur tristaris, cui tam procliue est siccare lachrymas, abstergere mœrorem, & solatij remedium accersere? Magnificentiæ tuæ par tibi arbiter nemo esse potest. Tu tibi pater esse, teque ipsum nouè fingere, & facere illustrissimum, splendidissimumq; potes. Quàm diuinè hoc Nazianzenus verbis non ampliùs quatuor expressit Iambico 19. dicens: *Alia fictio mores probi.* Vitæ sanctitas pater noster est, qui nouo generi, & sublimiori sanguinis dignitati nos generat. Propterea idem vir sanctus ait: *Deum æmulatur quisquis hic est nobilis.* Qui vitæ consuetudinem diuinæ affinem ducit, is in primoribus, & magnatibus, & Principibus, & Regibus numerator.

Id Saluator mundi indicauit, qui vt felicitatem fortunatorum Discipulorum suorum prædicaret, quorum hæc erat in terris beatitas, vt ipsum carne nostrâ indutum, & hominem pro salute humani generis factum oculis vsurpare possent, sic inquiebat: *Beati oculi, qui vident, quod vos videtis, dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & reges voluerunt videre quod vos videtis, & non viderunt*; Lucæ 10. 24.

Notandum hîc, quòd sanctus Matthæus cap. 13. v. 16. hæc eadem verba referens, ait: *Quia multi Prophetæ, & iusti, &c.* De Prophetis vterq; Euangelista affirmat, sed quos Lucas *Reges*, hos Matthæus *iustos* appellat. Obseruauit hoc venerabilis Beda, & transmutatarum vocum hanc causam reddit lib. 3. in Lucam cap. 40. *Quos Lucas multos Prophetas, & reges dicit, Matthæus apertiùs Prophetas, & iustos appellat, ipsi enim sunt reges magni.* Qui ex præscripto legis diuinæ vitam suam instituunt, ij veri nobiles sunt, & magni reges, & monarchæ inclyti. Discat hinc noster Politicus, veram nobilitatem ex virtute esse oriundam. Nam qui carne nobilis, animo rusticus, idem Deo vilis, in cuius domo sola virtus nobilitat, & sanguinis splendor in sanctitate vitæ consistit.

*Eundem remum trahit Periocha IV. Feriæ IV. post Dominicam I. Quadrag. Tom. 1. pag. 98. a. 0.*

## CAPVT IV.

*Vt quis peccandi artis peritissimus euadat, alio quàm se magistro non eget, ipseque sibi & supremus architectus, & prototypon esse potest.*

NOn possumus, quin deploremus miseram conditionem fragilis naturæ nostræ, ob Protoparentis culpam tam malè exceptæ, tam grauiter afflictæ, ex vna quippè infirmitate, quâ caput nostrum laborauit, sic debilitata, & fracta totis viribus fuit, vix vt conualescere ab illo morbo queat. Hinc nobis illa praua ad malum propensio, hinc tam grauis, & impedita benè agendi difficultas, hinc tam agilis ad peccandum promptitudo, hinc tam molestum virtutis onus, & opus. Quàm veloces, concitique ferimur ad ea, quæ nobis perniciosa, quàm cunctabundi, tardi, ignaui, ad ea, quæ nobis commoda, & vtilia! Quàm expediti ad culpam, quàm inuoluti, & constricti sumus ad gratiam? Hanc in rem sic ait sanctus Cæsarius homil. 27. Tom. 2. Biblioth. Veter. PP. *Quod peius est, faciliùs inuenimus, & ea, quæ sunt deteriora, quàm quæ meliora, sectamur, prona enim est ad imitationem mali humana fragilitas.*

Refert sacrorum fastorum scriptor virtutes sancti Enoch, quamq; accuratè vitam suam ad præscriptum legis diuinæ composuerit. Annos in terris 365. exegit, post quos illum Dominus ab humanis oculis exemit: *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit*

*tulit eum Dominus*; Genes. 5. 24. Textus Græcus habet: *Placuit Deo, & non est inuentus, quoniam transtulit eum Deus.*

Quid sibi velit, quòd Moyses, cùm de viro iusto loquitur, ait: *Non est inuentus?* Philo lib. 1. de Abraham vult sic dictum, vt significaretur, *quòd non facilè inueniatur, qui ad potiorem ordinem transeat, quià vitium suapte naturâ latè patet, ideò vulgò notissimum virtus rara est, vt vix paucis contingat.* Cùm magna est panis penuria, eam necessitatem talibus verbis amplificare solemus: *Ne vnum quidem frumenti granum reperitur.* Vt ergo indicaretur, quanta esset virtutis per omnem mundum raritas, quamque ægrè vnus quidam vir sanctus reperiretur, inquit sacer Textus: *Non apparuit*; rarum namq; est incidere in hominem iustum, qui mores suos ad amussim legum Dei formet, voluntatemque eius per omnia faciat. Nihil tale de peccatoribus affirmaueris, vitium enim passim vbiuis obuium est, & tam mali seminis abundantissima semper seges. Ad malum omnia semper præstò sunt, ad bonum nulla vnquàm inueniri posse videtur occasio, & opportunitas.

S. Gregorius Nyssenus quærit, quamobrem cœlestis Magister, cùm nos orare docuit, hoc enixè petere iussit, vt quæcunque Deus vult, ea sic exequamur in terris, quemadmodùm beati faciunt in cœlis, ac dicere: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*; Matth. 6. 10. Videtur namque superuacanea petitio. Quid enim magis consentaneum rationi, quàm vt per omnia expleatur voluntas tam amantis, & benigni Patris, è cuius munificis, & perliberalibus manibus noua quotdies in nos beneficia redundare iugi experimento, & maximo bono nostro discimus? Secundùm hæc *quare precamur, vt à Deo bonum nobis animi propositum contingat?* inquit ille Orat. 4. in orat. Dom. Cur rem, quæ seipsam nobis tantopere commendat, plurimisque, & magnis modis est debitissima, tam vehementer à Deo postulemus?

Respondet Doctor sanctus, inquiens: *Quià infirma ad bonum est humana natura, posteaquàm semel per vitiositatem eneruata est, non enim ita facilè à malo rursùs ad bonum homo conuertitur, vt à bono ad malum accessit.* Nemo hanc admiretur petitionem, quòd certò fiet, si consideret miseram caducæ naturæ nostræ fragilitatem, quàm illa sit prauè prona ad malum, quàm difficilis ad bonum: Post peccatum enim tam languida remansit, tam infirma, & labilis, & nauseabunda, vt quò bonum appetat, & salutare amplectatur, necessum sit Deum etiam, atque etiam rogare, vt vitiatum hunc appetitum persanare, & vires addere dignetur, quibus ea, quæ virtutis sunt, consectetur. Si quâ facilitate homo à bono ad malum deficit, eadem à malo ad bonum se reciperet, aut reuocaret, Dei voluntatem nullo negotio perficeret. Verùm quantâ diligentiâ opus est, quot curæ ad instaurandam animæ sanitatem necessariæ! (inquit Nyssenus) Quantis difficultatum, & studiorum impendijs illa è culpæ strato erigitur, & curatur! Quàm pauculo infirmitas illi conflatur! Vt homo salutis iacturam faciat, exiguo conatu fit, propter facilitatem, quâ morbis succumbit. Vna buccea, aspiritus vnus, vnus solis radius satis est harmoniæ rectæ valetudinis confundendæ, quam tamen si ad concordiam reducere velis, quale, Deus, artificium, quantamque diligentiam, & solicitudinem res ista requirit! Et cùm homo per se infirmetur, pluribus opus habet, vt conualescat, medicis, antidotis, curatoribus, & tam multis alijs, quæ ad instaurandam sanitatis iacturam pertinent: *Morbi profligatio multis solertibus inuentis, & rationibus excogitatis, multa cum difficultate, & artibus medicis conficitur,* inquit insignis frater Magni Basilij. Pauci conscripti sunt libri, in quibus salutis, ac vitæ prodigendæ rationes tradantur, nam cùm vtramque perdere perfacilè sit, & mori proximum semper, pauco labore fit, vt earum iacturam facias, verùm curandæ valetudini multa sunt procusa volumina, plurimæ typo expressæ lucubrationes, nam cùm sanari sit difficile, & perarduum conualescere, vbi multa concurrunt mala, multa etiam adhiberi remedia necessum est, enixioreque contentione pugnare oportet, vbi maiore vi resistitur. Quod in corpore accidit, hoc simili prorsùs modo in anima euenit, inquit Nyssenus, & quod in carne notamus, hoc in spiritu experimur. Vt in culpæ stratum quispiam incidat, quàm pauculo opus est! Auræ aliquis lenis, ac leuis aspiritus, turpis cogitatiunculæ sensus, si modò momentaneus accedat consensus, sat est conijciendæ in lethalem morbum animæ. Verùm vt istud resarciatur malum, & instauretur damnum, quot occurrunt difficultates! quot sese montes obijciunt impedimentorum, & inconuenientium, vt ad faciendam exomologesin quis adducatur! quot necessariæ exhortationes, vt illicitæ renuntiet familiaritati! quot opus est commonitionibus, & comminationibus, vt malè parta, & quæ iniustè possidentur, restituantur! quot modi perquiruntur, quot artes excogitantur, quæ non industriæ, astusque ab animarum medicis inueniuntur! atque

vtinam ea omnia & sat sint, & vtilitatem adferant. Cuncta hæc inditio sunt, quàm citus, expeditusque sit homo ad suam perniciem, & quàm piger, atque ignauus ad salutem.

Vix ea legeram, quando Tertullianus mihi præclaram, perque commodam huic rei ministrauit obseruationem. Agit ille nonnullibi de multa procliuitate, quâ homo in quæuis flagitia præceps labitur, & sic ait: *Vitium dum videtur, addiscitur*, atque vt peccandi peritus fias, non alio opus est, quàm vt peccantem videas. Si pictor quidam perfectissimam, elegantissimamque ex authographo delineasset imaginem, in qua naturam ars superaret, deq; magistro suo, à quo doctus esset, interrogatus responderet, se ex eo solùm, quòd semel tantùm pingi vidisset, consummatissimum euasisse artificem, & ad cuiusuis alterius operis conficiendi peritiam comparandam, non alio egere, quàm vt ab alio construi quidquid illud vel semel videat, quid de tali homine diceremus? Attonitos redderet eius facilitas, cui ad perdiscendam quamlibet artem maiore non esset opus studio, quàm vt eam vnâ solùm vice ab alio exerceri cerneret, tuncque ex vno illo intuitu tam promptè, accuratè, & elaboratè eam imitaretur, ac si plusculos annos in eius vsu versatus fuisset. Hoc est, quod loquitur Tertullianus, quando ait: *Vitium, dum videtur, addiscitur*. Vt quis perditus, & perfectus peccator exeat, & dexterrimus omnis sinistræ actionis architectus, non opus habet graues, ac diuturnos Discipulorum peccare discentium subire labores, primo enim statim intuitu tam peritus magister euadit, vt extemplò docere alios queat. Hæc nimirùm peccandi ars absque difficultate hauritur, & promptè, expeditèque exercetur.

Constabiliendæ huic veritati seruiet id, quod de infelici illustris Patriarchæ nostri nepte Dina sacer Textus narrat. Illa sexus sui natiuâ curiositate excita, parentibus inconsultis, inscijs fratribus foras prodijt, vt illius gentis, per quam transibant, fœminas arbitraretur: *Egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius*; Genes. 34. 1.

Difficultas oboriri solet in definiendo, quid permouerit Dinam, vt in alienam ciuitatem se reciperet, & quæ in ea degebant, mulieres cerneret. Et quid in illis tam aspectabile, vt Dinam ex vmbra secreti domestici in media compita abstraheret? Insignis Genesios interpres (*Pererius*) ait: Ingenia, & mores, & studia, & habitum, atque cultum illarum mulierum Sichemiticarum auidis legere oculis cupiebat, mundumque earum, & omnem semel vanitatem, quâ stultè præsidentes fœminæ vel propriam reddere auctiorem, vel adscititiam sibi accersere venustatem solent, vt spectatorum omnium ad sese oculos arripiant. Hoc est, quod Dinam à suo recessu, & laribus patrijs euocauit, & secreti negligentem fecit.

Sed obseruandum, quod nostra Vulgata versio habet, *Vt videret*, id à sancto Augustino num. 140. in Genes. translatum, *Vt condisceret*, quasi ob id Dina effusa in publicum fuerit, vt ab Sichimitis mulieribus acciperet, quomodo ad instar earum comere, & perpolire sese posset, ac deberet. In his illud expendendum, quòd sub hac occasione idem esse videntur *videre*, & *condiscere*, vbi enim vnus textus eam affirmat egressam, *Vt videret*, alter ait, exijsse *Vt condisceret*. Quo significatum fuit, tam expeditum esse hominem, tam dextrum, tamque propensum ad malè agendum, tam velocem, & acutum ad vitia, tam procliuem ad vana, & noxia, vt illi idem sit videre mala, quod condiscere. Intrà pauculas horas omnibus numeris absolutus magister euadit, vixq; pedem intulerit Scholæ vitiorum, quando extemplò facultatis peccandi doctor inaugurari possit.

Mihi videtur rem hanc plurimùm exaggerasse Tertullianus, cùm ait: *Vitium, dum videtur, addiscitur*; quòd indicat magnam, ac promptam peccandi tùm facilitatem, tùm dexteritatem: Verùm alius quidam maior Theologus humanam fragilitatem, nostramque hac in parte miseriam grauiore verborum pondere magis detexit. Magnus Nazianzenus is est, atque illius in Apologet. illud: *Nihil minoris negotij, difficultatisq; est, quàm malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat, rara tamen, atque ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multis modis ad eam innitemur, ac retrahamur*. Nonnè videtis, quod Gregorius ait, hominem absq; magistro magistrum sibijpsi esse, ductoremque ad culpam? *Etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat*, leuiter tamen ad peccandum prosilimus. Quæ maior excogitari, ac deplorari, nosque affligere infelicitas potest?

An deesse nobis potest, quo & hanc adstruamus veritatem? Primum animo repetamus homicidium, quod primi defleuerunt Parentes. *Consurrexit* perfidus *Cain aduersùs fratrem suum Abel*, funditque innoxium ac virgineum sanguinem, & *interfecit eum*; Genes. 4. 8.

Sanctus Basilius Seleucus Orat. 4. ait. *Laboriosus auditor pro animi sui perspicientia penitùs inquirat, à quo Cainus cædem facere sit edoctus, vnde sciuerit.*

*rit plagam mortem inferre. Hominem mortuum conspexerat nullum, nullius cædis audaciam suam antegressa spectaculum, quod ad imitandum inuitaret, hausit. Qui cædis igitur euasit perpetrator, qui nondum fuerat spectator?* Vnde illi vel suspicari in mentem venit per hiatum vulneris euadere vitam, subintrare mortem? Trucidati hominis cadauer nullum eatenus oculis vsurparat, à quo id arbitrari potuerit. Quis ergo illi tam immanis sceleris Doctor, quis ductor ad tam enormem insultum fuit? Quis, dicis! Non alius, inquit Nazianzenus, quàm qui talia facere sciat, soleatque. Nonné peccatum erat, quod Cain perpetrabat? Nonné malè factum erat, quod sanguinem vertebat? Quid ergo huc magistro opus erat? Ad vitium namque, *etiamsi nemo ducem se nobis præbeat*, etiamsi nemo per manum ducat, nemo pedes regat, nec vlla magistrorum sit copia, nos ipsi viam facilè reperimus, nostrisque viriatæ naturæ ponderibus vrgemur. Itaque Cain sine magistro occidit, & sine doctore sciuit fundere sanguinem, tamque inaudito, & feroci delicto se obstringere.

Dicant nobis vtrumque ambo Patriarchæ nostri, filij Esau, & Iacob, quos vbi mater cum non exigua difficultate pareret, inque lucem proferret, primum Esau appellauit, cuius nominis etymologiam dum Interpretes tradunt, interque hos Honcala in c. 25. Genes. aiunt, idem significare, quod *Factus*, eò, *quòd natus fuerit velutì perfectus, & ætate plenus, villorum enim, pilorumque eruptio adultioris, perfectiorisque est ætatis inditium.* Esau peccatorem typicè refert, Iacob hominis iusti imaginem præfert. Animaduertendum itaque, quòd is, qui homines flagitiosos præfiguratum veniebat, dictus est Esau, siue factus, tam scilicet hirsutus etiamnum recens editus infans, quàm processiore vir ætate esse queat. Ei verò, qui huc nascitur, vt peccatorem repræsentet, vix dum nato facti, hoc est, maturioris viri, & consummati peccatoris nomen indatur: Nam ad malè agendum perfectus vir esse videtur, qui iam iam natus, velut ad peccandum sint cum illo ipsi omnia simul nata, neque semper magistro, ac duce ad hanc rem opus habet: *Nihil minoris negotij, difficultatisque est, quàm malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat.* Nonné hoc apud infantes licet videre, qui vix ruditer sciunt articulare voces, quando talia ebalbutiunt, tam fœda & abominabilia, vt admirationem & horrorem pariant audientibus? Et ignari licèt, quid sit iniuria, iam tamen irâ perciti meditantur, expetuntq; vindictam. Quòd si alius quispiam eorum iniuriosas vlciscatur, gaudent, & exultant, & magni faciunt, & gratias agunt. Quid hoc, nisi deprauatæ naturæ nostræ inditium; quæ tam leuiter erumpit in culpas, & prosilit ad vitia?

Videamus nunc quid de Iacob dicatur, qui Iusti imago est, vt diximus. De illo sic habes Gen. 25. 27. *Habitabat in tabernaculis*, postquàm scilicet adoleuisset. Vbi notandum, quòd Targum Hierosolym. ea textus nostri verba sic transfert: *Erat minister doctrinæ.* Vbi ex opinione Hebræorum Abulensis, Lyra, Istella, Pererius, Martinus Del-rio, Cornelius, & alij aiunt, quòd Iacob frequentauit Scholas, (quæ Vulgata nostra versio vocat tabernacula) Heber, & Melchisedechi; qui vt tam sancti Magistri, & Prophetæ, ad res diuinas, & cœlestes erudiebant suos discipulos, docebantq; modum, quo timendus, & amandus supremus conditor, & benefactor: *Et volunt Hebræi, quòd Iacob habitauit quatuordecim annis in tabernaculo Heberi*; ait ille, vt per id tempus Deo seruiendi artem perdisceret. Totosné verò quatuordecim annos habitauit in tabernaculo Heber, & sub eius disciplina meruit Iacob! Tam longiturnâ Scholæ frequentatione, & disciplinâ opus habuit, qui tam docilis, tam facilis, promptusque ad omnia diuina officia fuit? Opus habuit. Nam vt Nazianzenus ait: *Rara, atque ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multis modis ad eam inuitemur, atque retrahamur.* Expeditissimo licèt ad Dei cultum animo operosa est virtutis exercitatio. Etiam Iacob quidam videtur egere tam longo temporis curriculo, vt artis seruiendi Deo benè doctus, & consummatus discipulus euadat: Nam cùm ille sit exemplar Iusti, in illo nobis exprimitur, quàm arduum, & difficile sit virtutis negotium, quàm accliue iter, quod illi conscendendum, qui salutis suæ æternæ causam rectè tractare cupit, cùm è contrà promptissimè feratur ad malum, tamque pronè in illud inclinet homo, vt vix natus sit, quando sibijpsi est peccandi magister, nulliusque ad hanc rem ducis, nullius doctoris alterius indigus. Totum hoc aperit, ac declarat deprauatæ naturæ nostræ peruersitatem: Nam cùm tot habeat magistros, tantam lucem, tot ad bonum vias, tot virtuti proposita præmia, vix tamen est, qui se det in pedes, ac gradum promoueat; cumque peccato & grauia, & varia, & certa sint constituta supplicia, & peccandi magistri nonnunquàm desint, absque horum tamen institutione, & pœnarum deposito omni metu, præcipites sese homines agunt, & velut è sublimibus scopulis

expeditè deijciunt in fatalem suam ruinam, & perniciem æternam.

Huc facit illud Cornelij Taciti in vita Agric. *Natura infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia, quàm mala, & corpora lentè augescunt, citò extinguuntur.* Valetudo mala aduolat, bona plumbeis pedibus paulatim accedit. Tardum, serum, crastinum est, quidquid ex vsu nostro, quæ incommoda, quæ noxia, præstò semper ad manum sunt.

Confirmat hanc veritatem mysticus, & allegoricus sensus eius, quod de his fratribus, Isaaco, inquã, & Ismaele sacer Chronographus refert, nimirùm quòd priusquàm Isaac vllum habuerit filium, Ismael duodecim genuisse liberos narretur, quos & per capita, arces, populos distribuerit, tanquàm Principes suarum tribuum, & suæ prosapiæ autores primos. Quamobrem verò Ismael tam diues liberorum, quando Isaac adhuc prorsùm improlis? Ioannes Ferus, & Guilielmus Ebroicensis id factum volunt, vt disceremus, *quòd mali semper citiùs crescunt, & augentur, quàm boni*, idcircò & *duodecim filios habebat Ismael, antequàm Isaac vel vnum haberet*, aiunt illi, adduntque, hinc elucescere, quàm verum sit illud, quod vetere adagio fertur, *quòd mala herba magis crescunt, & multiplicantur, quàm bona.* Hoc est, quod indies, pro magno scelerum nostrorum merito, eheu, nimium quantum experimur. Quàm breues, quàm dulces, ac suaues nobis videntur horæ, quas murmurationi largimur! quàm amarum, & prolixum tempus, quod orationi impendimus! si horam prætergrediatur vel paululùm, qui pro concione dicit, quàm molestus nobis accidit! Si in annum extrahatur lusus, effluit sine vlla nostra animaduersione tempus. Quàm hilares sumus in mensa, quàm tetrici in Missa! Quàm prompti ad exigenda, quàm tardi ad præstanda debita! Expeditè volamus ad mala, ægrè reptamus ad bona.

*Affinia his tractat Periocha III. Dominicæ II. post Pentecosten, Tom. 2. pag. 98. b. o. Vide quæ ad finem illius ex Tom. 1. adscripta.*

## CAPVT V.

### De nulla re cautiùs loquendum, quàm de aliorum erratis, & vitijs.

GEstorum Ismaelis pauculorum perparcè meminit sacer Textus, qui cùm numerum filiorum eius breuissimè recensuerit, etiam non absque mysterio factum fuerit, quòd facta illius profundo silentio inuoluit. Quòd autem *Moyses nihil de vita eius scribit*, id magnus Moguntinensium Ecclesiastes Ioannes Ferus ob id factum putat, *quià parum boni de ipso Ismaele scribi poterat.* Quod ad qualemcunque gloriam Ismaelis facere videbatur, vt quòd fertilem habebat successionem, & numerosam tot filiorum posteritatem, hoc memorauit, cætera silentio reliquit, tacitusque dissimulauit, non enim virtus aliqua erat, quam recensere posset, eoque satiùs putauit tacere, docere nos eâ ratione volens, quam cautionem, & attentionem, adhibere debeamus, quoties de proximorum nostrorum moribus, ac vita loquimur, & quàm studiosè defectus eorum tegere, obnubere errata.

Sanctus Ioãnes Chrysostomus obseruauit, sæpè & cæteros Apostolos, & Petrum vel maximè, cùm in libro Actorum prædicasse feruntur, commemorasse triumphalem Christi resurrectionem, quâ mortis victor, & vitæ restaurator in vitam redijt, mortis autẽ, quam Scribæ, & Pharisæi illi per infamium Gentilium manus consciuerunt, vix comminisse, quanquàm per occasionem loqui de ea crebrò potuissent: *Resurrectionis quidem sæpè memor est Petrus, sceleris autem illorum semel*; inquit ille hom. 6. in Acta. Quid autem causæ sit, quòd Apostolorum vertex, cùm de anastasi Domini persæpè dissereret, & consequens esset, vt de probrosa morte illi à conscelaratissimis Iudæis per summam iniuriam adornata tunc simul loqueretur, nonnisi semel tamen eius mentionem fecit? Cur non illam iterùm, atque iterùm inculcauit malitiam, & impietatem? Respondet sanctus Doctor: *Vt ne illos grauaret*, subpudefaceret, opprimeret tanti sceleris, tamque immanis flagitij odiosa commemoratio. Monuit nos eâ re, quàm parcè, temperanterque loqui de alienis defectibus debeamus, sic enim & Petrus semel tantùm atrocissimam Pharisæorum, Pontificum, & Scribarũ insolentiam memorauit, idque cùm dissimulare nequiuit, qui si aliud facere potuisset, silentio illam fortè præterijsset. At si ille scelus tam patens, & publicum tam cautè narrauit, quomodo nos proximorum nostrorum prolapsiones obtegere non debemus, maximè cùm eæ sunt secretæ, & absconditæ?

Multis dubitare in mentem venit, vnde occasio arrepta fuerit, vt Isaaco id nominis imponeretur, quod latinis, vt exploratum, *risus* dicitur.

Sanctus Hieronymus de Tradit. Hebræis in Gen. ait, quosdam in ea fuisse sententiâ, vt existimarent, hoc eum nomine donatum propter risum matris Saræ, quo illa diffluxit, quando Abrahæ marito eius Angeli spoponderunt, quòd filium è coniuge sua esset habiturus. Præmodùm vetula erat sancta

Patriar-

Patriarchæ vxor, sic vt iam per effœtas naturæ vires edere liberos nullos ampliùs posset. Vt ergo audiuit Angelorum promissum, *risit post ostium tabernaculi*, Gen. 18. 12. ac velut ludibrium habuit, quod cœlestes hospites affirmabant. Ex hoc risu volunt aliqui nomen *risus* impositum filio, dictumque illum *Isaac*.

Verùm B. Hieronymus ait: *Hoc falsum est*, At si Sara risit tunc, quando filium marito Angeli pollicebantur, cùm in scriptura ex actionibus matrum desumpta sint crebrò nomina filiorum, vt de Beniamin, & nonnullis alijs res habet, quid incommodi habere possit, quòd & Isaaco ab eo, quod mater egit, indita sit appellatio? Quid? Quòd Sara risit, id non sine culpâ factum fuit, quare & Angeli dicebant: *Quare risit Sara?* ibid. v. 13. hoc est, cur ludum interpretata fuit, quòd se demùm effœto iam corpore concepturam, & porrò parituram audiuit, cùm Dei potentiæ nihil sit impossibile? ob hoc ergo, quòd non citrà qualecunque piaculum Sara risit, arbitrari nemo debet, ex tali risu impositum illud Isaaco nomen: Nam scriptura sacra perstudiosè attendit, curatque, vt vitia nostra occultet; & satis fuit, illum semel Saræ exprobrasse risum, ne deinceps perpetuò à filio ad sempiternũ matris probrum circumferretur, quod necessariò factum fuisset, si ille de tali risu nomen traxisset, nemo enim id Isaaci nomen pronunciasset, quin memoriam culpæ, quâ se cunque Sara ridendo obstrinxit, auditoribus refricuisset.

Pulchrum est Magni Basilij annotamentum, quòd sanctus Paulus Apostolus, cùm Timotheum, quomodo aliorum defectus, & populi errata arguere deberet, instituit, id tam cautè, & attentè ab illo fieri præcepit, vt neminem singulariter perstringeret, quando communiter omnes obiurgaret: *Prædica verbum, argue, obsecra, increpa in patientia, & doctrina*, inquit 2. Tim. 42. nunquàm verò illi permittit, vt in publicum efferat, aut palàm in os cuipiam sua flagitia obtrudat.

Sanctus Basilius in Psal. 14. de hac re sic ait: *Cum Apostolus in suis ad Thimotheum institutionibus permiserit redargutionem, obsecrationem simul & increpationem, nusquàm tamen assumit opprobrium, quod fraternæ correctioni aduersetur.* Dicere conuitia auditoribus non est discipulorum Apostolicorum, inquit Basilius. Producere in publicum theatrum errata peccatorum, per quæ innotescant, non est mos seruorum Dei, nam qui in his numerari gloriæ ducunt, cùm prædicant, arguunt, sed non confundunt, corripiunt, sed non offendunt, rogant, at non infamant. In schola quippè Dei hoc magno studio agitur, vt aliorum vitia, & errata infodiantur, & obtegantur.

Apparebat gloriosus mortis Triumphator, hortulani os, habitumque præferens, lachrymosæ Pœnitenti, quæ sacrum illius cadauer ardentibus cum suspirijs anxia perquirebat. Manifestabat se ei Dominus, cumque illa exultans gaudio ad sacros eiusdem pedes accidere vellet; ille exprompti ad tale obsequium animi impetum cohibens, *noli me tangere*, inquit, *sed vade ad fratres meos*, Ioan. 20. 17. & anastaseos meæ ijs perfer Euangelia.

Sanctus Chrysostomus hom. 2. de Resurrect. cùm diligentiùs secum expendisset, quòd Magdalena iussa est ire, & dicere fratribus, resurrexisse Dominum, admiratus loquendi modum ait: *Non dixit, dic errantibus, dic fugitiuis, dic latentibus, dic negantibus, sed, dic fratribus meis. O admirabilis bonitas Saluatoris! appellat fratres, quos nouerat negatores.* Verè obstupescenda clementia indulgentissimi nostri Assertoris, qui eos fratrum honorificentissimâ appellatione ornat, à quibus inter sanguinolentas hostium efferatorum manus per summam ignauiam derelictus, destitutusque fuit, & neque Petro, à quo negatus, eiusdem nominis gloriam negauit. Totũ hoc factum, vt institueremur, quemadmodum loqui de proximis nostris debeamus, sic vt quanquàm multos eorum defectus nouerimus, & vitia non pauca sciamus, cùm tamen de ijs loquendi sese offert occasio, hoc agamus, quod Magister noster, eosque honoremus, & magni faciamus.

Dignum notatu est, quòd Dominus noster, quando supplicium meditabatur, quod de infanda Sodomitarum obscænitate sumpturus erat, hæc in ipso à domo Abrahæ exitu velut intrà se aiebat: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Genes. 18. 17. Quomodo possum, quin Abrahæ amicorum familiarissimo, familiarium amicissimo consilium meum aperiam? Quis me prohibere queat, vt non illi itineris mei propositum enudem? *Quomodo potero?* Hæc verba impedimentum sonant, impotentiam olere videntur. Sed quis ille tibi obsistit, Domine, aut impedimento est, vt quod animo destinasti facere, alteri non aperias? Videamus, amabo, quid illud est, quod Dominus vult dicere? Quid indicare propositum habet? Peccata, & flagitia Sodomitarum. Eane verò res tantam habet difficultatem, tam varia impedimenta?

Immò verò, ait Doctor Angelicus in cap. 18. Genes.

nes.

neſ. *Quia Deus eſt valde difficilis ad publicandum occulta crimina noſtra, vnde vix ſecretò ſoli Ioanni voluit ſubinnuere Iudam proditorem, quamuis nobis expedire videretur hoc adſciendum, quòd Chriſtus eſt voluntariè paſſus, tanquàm præſcius proditionis contrà ſe fiendæ.* Prorsùm noſtra referebat ſcire, quòd Chriſtus noſſet infamem proditorem, à quo ſibi captiuitas, morsque adeò adornabatur, vt intelligeremus, magnâ voluptate, & ſuapte ſponte mortem illam oppetijſſe, quam vt prænouerat, ſic & præuertere, & defugere poterat. Quanquàm verò è re noſtra eſſet, noſſe Iudam, tacebat nihilominùs, & diſſimulabat, neque infamem, & perfidioſum proditorem ſingulariter manifeſtabat. Vt hinc accipiamus, quàm ægrè adducatur Dominus, vt vitia noſtra euulget, prodat peccata: *Valde* namque *difficilis eſt ad publicandum occulta crimina noſtra.* Itaque vt Sodomitarum flagitia deoperiret (quanquàm ea talia eſſent, vt in cœlum ſucclamantia inde vindictam expoſcerent) vim ſibi, nec qualemcunque, intuliſſe videtur, quâ ſe perurgeret, vt eorum conſcium faceret, etiam tam amicum, tam fidum, ac familiarem, quàm erat Abraham. Iam ſi Deus, qui eſt ſupremus iudex, tam difficilè ſcelera patefacit humana, vt per vim ſe huc permouere videatur, quomodo alius quiſquàm audebit ſuórum in lucem proferre errata proximorum, cùm multis nominibus plurimùm obſtricti ſimus obnubere illa, & ſilentij velo tecta ab aliorum notitia defendere? Cogitet Politicus noſter, hominem ſe eſſe, & velut hominem varijs obnoxium miſerijs, & fragilitatibus, qui vt ſuos non vult manifeſtari næuos, ita detegere non debet alienos.

*Tomo I. pag. 176. b. o. Periochâ III. Feriæ IV. poſt II. Domin. Quadrag. habes, quàm amet Deus peccata noſtra obnubere.*

## CAPVT VI.

*Vt homo lethaliter infirmetur, ſola vita eſt ſatis, nec alius morbus huc requiritur, omnes namq; ex eo malo morimur, quòd nati ſumus.*

MOrtem Iſmaelis ſacer textus narrat, qui frater Iſaac Patriarchæ noſtri ex eodem patre fuit. Refert autem illius obitum verbis, quæ diligentem mereantur conſiderationem. De illo hoc affirmat, quòd poſtquàm centum, triginta & ſeptem annos in viuis exegiſſet, *deficiens mortuus eſt*, Gen. 25. 17. *Deficiens* idem eſt, quod ſenſim occidens, ſiue corruens, velut ædificia dicimus deficere, quæ vitium agere, ſiue collabaſcere videmus. Quòd ergo Iſmael fertur *deficiens* eſſe mortuus, admirabili verbi talis proprietate fragilitas noſtræ conditionis, & caduca noſtra mortalitas expreſſa fuit. Senſus ergo eorū verborum eſt, quòd Iſmael è vita deceſſit, id non ex alio malo natum, quàm quòd in vitam hanc natus fuerat. Nam vt quis ad mortem infirmetur, hæc vita ægritudo ſatis eſt, nec aliâ re prætereà opus eſt.

Tres illi ſancti, ac religioſi Reges ex Orientis regione veniebant, meliorem lucis æternæ Orientem perquirentes. Ingreſſi compita Hieroſolymitana ſtudioſè indagant locum, vbi tantum bonum natum eſſet, palàmque aiunt, non ob aliud ſe veniſſe, quàm vt illius radios venerabundi ſuſpicerent, & numini debita humillimæ adorationis tributa exſoluerent: *Venimus adorare eum*; Matth. 2. 2. atque vt ſubiectiſſimorum animorum religioſum affectum externo officio aliquo teſtatum darent, ſimul vt viderunt bonum illud, quod ardentiſſimè ſuſpirârunt, *obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*, ibid. v. 18.

Sancti Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius cum B. Auguſtino, Gregorio, Beda, Iuuenco Hiſpano, & toto ſacrorum Interpretum cætu aiunt, in tribus illis donis includi, declarari, & ſignificari tria, quæ in Domino, Creatore, ac Redemptore noſtro confiteri debeamus. Et in auro quidem Diuinitatem adumbrari, thure ſacerdotium indicari, myrrhâ humanitatem demonſtratam. Sed audiamus Sanctum Mediolanenſium Archiepiſcopum, qui lib. 2. in Luc. cap. 2. ait: *Aurum Regi, thus Deo, myrrha defuncto*, ſubaudi, offertur, ſiue dedicatur.

Difficultatem habet, quod poſtremum ait: *myrrham defuncto* conſecratam. Quòd huic diuino Infanti aurum tanquàm ſupremo Regi, & thus velut immenſo Deo oblatum fuit, obuiam habet rationem, quam quiſq; facilè capiat, quia & tunc, & ante, & ſemper erat Deus infinitus: At quòd myrrham, non iam vt mortali, ſed tanquàm defuncto, dederunt, id quomodo rectè intelligi queat, non ſatis video. Quomodo enim fieri potuit, vt tanquàm defuncto myrrham tunc dedicarent, quando hic diuinus Infans tam procul à ſepulchro aberat, vt in cunis illum repererint ſancti Reges, cùm illi ſuorum donorum tributa detulerunt? Quomodo ergo Ambroſius affirmare potuit, myrrham defuncto oblatam? Præclariſſimè, ac veriſſimè hoc ab illo dictum. Quid enim de ſacro Infante ait Euangeliſta, cùm oblatam illi myrrham narrat? *Cùm natus eſſet*, inquit,

*ecce*

*ecce Magi venerunt* adorare eum. Vt ergo agnouerunt hominem, vt viderunt natum, mox obtulerunt myrrham (quod mortuis dedicari solet donum, quia myrrhâ olim vngebantur, qui è viuis excesserant) vt indicarent, tantundem esse mori, quod nasci, quia quòd morimur, ex eo nascitur, quòd nascimur, & ortus noster nostri causa est occasus. Itaque simul natum Christum cernunt, & myrrham ei exhibent, quæ mortuorum signum est, & in defunctis illũ recẽsent. Quid mirũ ergo, quòd velut mortuorũ habebant, quem natũ videbant? Nemo proinde annos sibi æternos promittat in vita, quæ nonnisi cum ineuitabili mortis onere suscipitur.

Affine huic est, quod Propheta Isaias ait, cùm in mystica horum sanctorum, & religiosorum Principum munera figens oculos dicit: *Omnes de Saba venient, aurũ, & thus deferentes*; Isai. 60. 6. Omnes, inquit, venient, hoc est, primores Sabæi, qui omnium instar sint, venient autem cum auro, & thure, vt recens nato Infanti, qui angustis in cunis imperialis maiestatis suæ amplitudinem ostentabit, tributa pendant, & suam subiectionem testentur, accidui[q]; ad sacros illius pedes, eos humiliter deosculabuntur, prostrati autem purum putum aurum tanquàm coronato Principi, & legitimo æternitatis hæredi litabunt, fragans thus verò velut supremæ Diuinitati, & absoluto Numini, cui ex rigidissima iustitia omnis reuerentissimæ adorationis cultus est debitus, dedicabunt.

Hugo Cardinalis in c. 2. Matthæi inquit: *Quare non nominat Isaias myrrham?* Cùm tria fuerint munera, quæ obtulerunt tres Reges Domino, aurum, vt regem testarentur, thus, vt Deum assererent, myrrham, vt mortalem indicarent, quamobrem vrbanus Propheta, cùm tam honorificam mentionem faceret thuris, & auri, quæ Deitatem, regiamque Christi dignitatem signabant, myrrham silentio inuoluit, quæ mortalitatem symbolo referebat? Occurrit huic quæstioni Hugo, dicens: *Quia eius mortalitas satis erat aperta, sed diuinitas, quæ per thus, & regia dignitas, quæ per aurum designatur, erant latentia.* Deitatis maiestas, & regia dignitas Christi in tenera illa, pauperculaque ætatula latentissimè abscondebantur: Quis enim cogitare poterat, in tam angustis spatijs præduri, & arcti præsepis, in tam incommodo hospitio, in tam inornato, neglectoque, & squalido stabulo potentiam regiam, & Dei immensitatem diuersari? Huc ergo Prophetiâ opus fuit, quæ talia totis sæculis ante prædiceret, quàm fieri viderentur. Verùm de myrrha, quæ moriturum illum designabat, quidquam prænuntiari, nihil fuit necessarium: Hoc enim perquàm manifestum erat, quòd ex more communi, & cursu generali moriturus esset, qui per humanam natiuitatem oriturus. Hoc nempè cuique malum, quòd nascitur, sat est, vt in mortuis mox numerari possit: *Aurum Regi, thus Deo, myrrha defuncto*: in aperto namque res est, quòd qui vitæ possessionem adijt, in mortis extemplò manus iurare debuit.

Etenim *mutuum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate, forma moriendi causa nascendi est. Christus mori missus, nasci quoq; necessariò habuit, vt mori posset, non enim mori solet, nisi quod nascitur*, inquit Tertullianus *de Carne Christi* cap. 6. Non potest homo per mortis portam egredi, nisi priùs per vitæ fores intrârit, & cùm per has semel introierit, non potest quin per illam aliquando exeat: Nam vt Sanctus Chrysostomus hom. 42. in Math. Oper. imperf. ait, *ideò morimur, quia nascimur*, & ratio moriendi alligata est causæ nascendi, cùmq; in viuis homo esse incipit, tunc albo mortuorum adscribi potest.

Hanc tam infallibilem veritatem assecutus Seneca, de Consolat. ad Heluid. c. 11. aiebat: *Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur.* Quisquis pedem infert in vitam, mortis possessionem adit. Ergo mors vitam loco pignoris arripit, vt certum habeat debitum.

Commodum huic rei veniet, quod de Herode refert Flauius Iosephus lib. 1. de bello Iudaico cap. 16. nimirum inter varia ædificia magnifica, quæ excitauit, opulentissimum etiam, sumptuosissimum, amplissimumq; construxisse sepulchrum: *Tumulum*, inquit ille, *in mãmæ formam manufactum, qui stadiorum sexaginta spatio ab Hierosolymis aberat, similiter nominatum munificentiùs accurauit.* Non procul ergo ab Vrbe Hierosolymorum sepulchrum sibi magnificentiâ regiâ parauit, nempè tam potens est aulæ fascinum, vt etiam solutus in puluerem homo longiusculè ab ea secedere nequeat. Verùm admirabilis fuit ea tumuli *in mammæ formam* compositi figura. Quis eiusmodi formam excogitando inuenire potuit? Si illarum superbarum Ægypti pyramidum instar fuisset, aut quale illud Artemisiæ Mausolæum, neminem in admirationem adducere nouitas figuræ posset: Sed quòd ad similitudinem vberis confectus fuit tumulus, quis tale quidpiam aliquando vidit! Inauditum videtur eius sepulchri artificium. Sapientissimum nihilominùs fuit, si omne illius mysterium attentè expendas. Nam si natiuitati

ciuitati cum mortalitate mutuum inter se est debitum, vt paulò antè ex Tertulliano dicebamus, prudens inuentum fuit, quòd tumulum ad formam mãmæ muliebris fingi, componique fecit, vt inde acciperemus, vbera materna, vnde primulæ vitæ alimoniam recens natus infans haurit, tumulumque, cui denatus infertur, ità sibi mutuò respondere, vt tunc in mortuis statim numerari homo possit, quando in viuis esse cœpit, & quòd arripere papillas ad nutriendam vitam, diligens quoddam studium est curandi sepulturam, mors enim ex natiuitatis malo nascitur.

Pulchrè hoc noster Castellanismus exprimit, qui de recens mortuo sic loquitur: *Agora acabò de morir*; hoc est: *Iam iam desijt mori.* Quomodo desiit mori? Aut quando cœpit mori? Quando! A quo natus est. Exinde namq; extrema illi hora minari cœpit. A prima vitæ hora mortis suprema illi denuntiatur. Quid magnum ergo, quod Ambrosius aiebat, *Myrrham velut defuncto* oblatam vix dum in lucem edito pupulo Iesu, nam qui illum iam tunc natum videbant, mortuorum catalogo extemplò inserendum putabant.

At si hæc cuipiam fortè non prorsùm satisfaciunt, videamus quod ipsa superi Infantis Mater cum illo egit, quæ illum ab intemeratissimo vtero suo progressum in præsepe mox deposuit: *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio*, inquit S. Lucas 2. 7.

At quid hoc cæremoniæ, quòd ille vix hanc lucem oculis corporeis vsurpauit, quando diuina Mater cœlestem filium pannutijs, quanquàm mundis, pauperibus tamen obligauit? Dicam. Artemidorus in Oneir. lib. 1. cap. 14. ait, si quis æger se infantem somniet, *ægrotanti mortem prænuntiare hoc somnium, quandoquidem & mortui laceris inuoluuntur pannis, & linteolis, quemadmodùm etiam infantes.* Mortuos inter, & infantes magna est similitudinis cognatio, hos nimirùm iam iam natos non aliter habent, atque illos recens vitâ perfunctos. Vt quisque animam egit, simul & corpus, brachiaque, & pedes eius institis obstringuntur. Ad eundem modum recens editi pumiliones in fascias arctantur. Itaque si quis per nocturnam quietem sibi infans videatur, tantundem est, ac si mortuum somniet. Quando ergo in carne passioni, & morti obnoxia natus est author vitæ, quid mater illius egit? *Pannis eum inuoluit*, brachiaque, & pedes fascijs obligauit, & caput contexit, atque vt apertiùs dicam, funebre linteum ei circumposuit, eoq; modo illum habuit, vt haberi mortui solent, talibus ergà illum cæremonijs vsa, qualibus alij ergà defunctos vti consueuerunt. Factum id autem exemplo, & documento omnium, vt cuncti hinc discant, tunc quemq; in mortuis deputari posse, quando in viuis agere incipit, nam & Deus ipse vt mortuus habitus fuit, mox vt homo natus. Et vnde mors nascitur, nisi ab infirmitate vitæ?

Ad hunc modum, & consequenter ad ea, quæ siue Artemidorus dixit, siue Regina mater cum cœlorum Infante egit, disseruit de hac re Clemens Alexandrinus in caten. Olympiodori in cap. 1. Iob, dicens: *Simul atque editus in lucem, & susceptus est, manus, pedesque eius fascijs constringuntur, atque ijs vinculis impeditus fruitur vberibus. Nuper est infans ad vitam ingressus, nec interpositâ morâ mortuorum pannis amicitur, natura enim finis memoriam reuocat ijs, qui nascuntur. O vita primordium mortis prodromum!* Vix communis lucis vsurâ per violentos conatus, & lachrymas matris frui pupulus cœpit, quando præparatis ad hanc rem nexibus, quos pietas fascias dicere voluit, in pedes, manusque iniectis impeditur, atque ita nutricationis suæ genitalibus fontibus admouetur. Vix terræ possessionem suscepit, quando extemplò vestem mortuorum fatalem induitur. Nam fascijs inuolutus infans, & funebribus indumentis amictus defunctus hoc solo differunt, quòd ille plorat, hic deploratur. *O vita primordium mortis prodromum!* Morti sepulchrum, velut diuersorium, feralis metatrix vita præparat, atque vt frigida aurora optatæ diei est iucunda prænuntia, sic natiuitas est infelix, & infallibile suæ mortis cuiq; prognosticum. Nati enim, ac denati paria sunt indumenta, nam vt mortuus manus, ac pedes ligatus infertur tumulo, sic illum, qui recens in mundum effusus, secundùm pedes & manus obstringunt, mortuoque similiter habent, vt intelligat, quòd nascitur, id fieri, vt moriatur, & natiuitatis infirmitatem quandam mortis velut denuntiationem esse.

Huc respexit gloriosus martyr S. Zenon, quando hominem singulari cum acumine homel de Lazaro resuscitato appellauit, *optimum luti liquorem.* Peculiare hominis ethymon, quòd *liquor luti* vocatur. Quis talem in mundo liquorem vidit? Olei, mellis, vini, taliumq; rerum seu natiuarum, seu factitiarum liquores passim obuios cernimus, sed luti liquorem nescio quis ille vnquàm conspicatus fuerit. Quid ergò Zenoni homo *optimus luti liquor*, dicitur? Ad confirmationem rei, quam versamus, facit, quod sic dicitur. Quòd enim homo liquor luti

nuncupa-

nuncupatur, tale est, ac si diceretur, falli eos, qui non consumi hominem putant, tametsi ità videatur, est enim lutum, quod simul & animari incipit, & diffluere, non secùs acsi in vas porosum quidpiam tenuioris liquoris infundas, paulatim dilabitur, atque ità dilabitur, vt cantharum ante vacuum videas, quàm quâ effluxerit, cernas. Talis est vita humana, inquit Zenon, terræ liquor est, liquorum omnium præstantissimus, *optimus luti liquor:* Nam vita humana cùm in vas corporis infunditur, per rimulas fragilitatis sensim exhalat, donec planè soluatur, idemq; est nasci, & incipere consumi. Nam vt Tertullianus lib. de Anim. cap. 50. ait: *Publicâ totius humani generis sententiâ mortem naturæ debitum pronuntiamus, hoc spopondit omne, quod nascitur.* Mox vt in vitam ingreditur homo, mortis clientem se profitetur, eique homagium, vt vocant, præstat, & velut in manus promittit. Quid ergò miramur, quòd cœlorum Regina Filium suum non secùs ac mortuum habuit, quando ille frui hac vitâ cœpit? Est enim homo candelæ instar, quæ cùm lucet, & ardet, sibiipsi exitium adfert, & parat interitum.

Sic pinxit humanam vitam eruditissimus Don Ioannes de Orozco Sirgenti Episcopus lib. 2. emblem. 9. cum hoc dicto ad extremum candelæ adscripto: *Quotidie morimur*, & omnes, & singuli. Nam vt candela ipso suo ardendi vsu sibi finem ipsa adfert, & quò vehementiùs ardet, eò celeriùs se conficit: Ità ipsum viuere, incitatissimum est moriendi studium, quò enim diutiùs viuimus, eò magis morimur, dumque ardet, & lucet vitæ candela, quò hoc ampliùs facit, eò contentiosiùs finem sibi adornat.

Id nobis palàm faciet Dominus ipse eâ actione, quam exercuit, quando constitutum habebat mortis manibus vitam suam permittere, vt ex illo mortuo mortuus viueret homo. A mystica cœna peracta, *egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse.* Ita Sanctus Ioannes c. 18. v. 2.

D. Ioannes Chrysostomus hom. 60. in Ioan. ait: *In horto quasi in carcere morabatur*; quod ex docti cuiusdam moderni, (*Patris Magistri Auendano*) interpretatione talem habet sensum, acsi in horto Christus versatus fuisset, quemadmodum reus quidam in sacello, vbi supremum viaticum est percepturus, qui cùm in talem aliquem locum adducitur, certissimo id illi inditio est, proximæ mortis sententiâ paulò post feriendum, ac tantundem est, habere illum in sacello, ac in mortuorum albo. Sic ergò Christus *in horto tanquàm in carcere, aut sacello morabatur*, mortem vicinam expectans.

Sed cur iturus ad mortem priùs hortum ingressus est, atque inde ad mortem pergere decreuit? Videamus vnde suum vocabulum hortus, nominisque appellationem traxit. Simon de Cassia lib. 13. in Euang. (quod & alibi notatum reliquimus) sic habet: *Hortus ab oriendo dictus est.* Itaque hortus, & ortus paronyma esse, idemq; significare videntur. Quòd ergò Dominus ex horto, qui ortum significat, mortem adijt, tale fuit, ac si dictum esset, vt hortus ab ortu appellationem ducit, sic suam à vita originem trahere mortem, nam mox vt natus est homo quispiam, in mortuis recenseri potest.

Hinc est, quòd Tertulliano homines perquàm ingeniosè dicuntur, *initiati mortis*, quamprimùm enim quis nascitur, morti initiatur, & in ordinem illius admittitur, decretumque cœli hoc habet, vt homo, quamprimùm est natus, mortis iurisdictioni subiaceat, sic vt eam declinare nemo queat.

Hoc mysterio Veteres natiuitatis, vitæ, ac mortis nostræ præsides deas appellàrunt *Parcas*, de quo multis agunt Natalis Comes, Antonius Verderius, & omnes alij Mytologiarum concinnatores. Varro, & apud illum Aulus Gellius volunt *Parcas à pariendo* dictas. At cùm Parcæ sint eæ, quæ vitam eripiunt, quæ humani anhelitus vitale stamen texunt, ac succidunt, quomodo à pariendo rectè vsurpare nomen possunt? Nonne mortis appellatio aptiùs in illas caderet? Respondet (*Cerda*) Poëtarum maximi optimus interpres in lib. 1. Æneid. vers. 30. *Credo* Parcas à pariendo dictas, *quòd statim à partu infantis vitam succidant.* A pariendo ergò nomen suum mutuatæ sunt Parcæ, hanc ob causam, quòd homo, à quo illum mater enititur, in mortis statim manus incurrit, & ab ea extemplò tanquàm captiuus attinetur.

Præclarè hoc nobis exposuit illustrissimum patientiæ exemplar Iob, quando de misera, caduca, & stabili conditionis suæ instabilitate loquens, ait: *Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea*; Iob 13. 28. Eâ similitudine mysticè, vt ait Cyprianus Cistertiensis, declaratum fuit id, quod hîc tractamus. Non dicit luctuosus Pœnitens, sanguinolento ferro se, militis instar, perimendum, non ait, exacutæ securis repetitis ictibus, vt virides arbores solent, obtruncandum, neque affirmat ità conficiendum, vt purpuream rosam sedulus agricola, dum terram proscindit, rudi aratro stirpitùs euulsam vitâ exuit, verùm

sic consumendum, vt vestem duro mollis oris sui stimulo fodicans edacula tinea vitiat, & perdit. *Quasi Vestimentum, quod comeditur à tinea.*

Cur Sanctus Iob supremi exilij sui, & interitus qualitatem similitudine tineæ, quæ vestes furtiuè depascitur, voluerit indicare?

Respondet Cyprianus,quem dixi, in cap.13.Iob: *Vestis ex se generat tineam.* Pannus, à quo in textrina parari incipit, suæ perniciei occasionem alit. Pannus suorum inimicorum pessimum circumfert, in seipso authorem sui interitus parit, & de suis visceribus generat, ex quo pereat. Ipse sibi suæ destructionis est sator, tineam producens, à qua posthæc esitetur, & conficiatur. Itaque priusquàm in manus extraneorum inimicorum incidat,priusquàm culter, aut forfex illi aliunde admoueatur, ipse sibi & cultrum, & forficem, quibus demutiletur, fundit, cuditque, & proprij studij manibus destruitur. Quod ergò Sanctus Patriarcha ait, se non aliter, atque à tinea vestimentum solet, consumendum, tale est, ac si dixisset, sibi, vt in mortis insidias, potestatemq; incideret,non longâ,non qualicunq; præuentione, & præparatione opus, sed hoc satis esse, quòd natus esset. Sufficit hominem esse, vt quis secum habeat quæ morti adferendæ sunt necessaria, sic vt aliam huc gladij, toxici, alteriusué rei vim adhibere, aut aliud instrumentum, quod mortis sententiam, quasi quidam minister exequatur, accersere superuacaneum sit. Homo se, quòd natus est,circumfert suæ mortis seminarium, & consumendo vitæ panno vna satis est tinea natiuitatis. Nam morti adsciscendæ non aliud malum est necessarium,quàm quòd sumus nati.

## CAPVT VII.

*Non est alius liber, qui magis vel luculentè tradat, vel ad viuum exprimat vitæ humanæ miserias, ærumnas, infelicitates, quàm vnicus mortis vacuus folijs codex.*

VItæ suæ curriculum Ismaël absoluit, fatalemq; terminum conclusit, idq; cùm fratres illius omnes præsentes aderant. Hoc sacra historia talibus verbis refert: *Coram cunctis fratribus suis obijt*; Genes. 25. 18. vbi filij appellantur fratres, pro familiari Scripturæ more, quæ cognatos, qualescunque illos, fratrum vocabulo donare solet, quod obseruârunt Tostatus, Lyra, Pererius,Ferus, Fernandius, & penè omnes. Quòd autem Ismaël coram fratribus diem clausisse fertur, eo quidam significatum volunt, superstites reliquisse omnes liberos suos, quæ non est exigua felicitas: Alij verò contendunt, id sic dictum,quòd ad se conuocari omnes iusserit, vt moribundo assisterent, & cum extremo spiritu confligentem præsentes cernerent,nec enim leuis momenti, aut qualemcunq; doctrinam ex spectaculo hauserint,qui illum in medio filiorum exspirasse viderunt, quorum imbecilliores erant vires, etiamsi totas ad hanc rem conuertissent,quàm vt illum à mortis tyrannide vindicare possent. Præmuniendo aduersus quascunq; fraudes, & instituendo ad omnem probitatem homini efficacissimum exemplũ & documentum præbere poterat intuitus è vita decedentis Ismaëlis,si quis intereà cogitasset, nihil illi ad euadendam mortem profuisse, quòd celeberrimi, & sanctissimi Patriarchæ primogenitus, quòd primus, cuius & natiuitas è cœlo prænuntiata, & nomen inde transmissum, nunquàm eatenùs viso, aut cuiquam concesso honore. Fieri non poterat, quin filij, dum hæc, aliaq; plura secum reputarent, multa ex ijs documenta eruerent, atque ex ea morte, velut in schola quadam, plurima, quæ ad vitam rectè instituendam pertinebant, discerent. Neque enim est Vniuersitas aliqua, aut gymnasium, in quo eruditionem sibi quispiam citiùs compararet,quàm in domo mortui queat. Et in mortis consideratione positi dixerunt quidam, libros esse magistros mutos, & mortuos. Quamobrem sapiens nonnemo cuidam ad vitæ studia melioris, & morum emendationem aspiranti, hoc consilij suggerebat, *que tratasse con muertos*, vt cum mortuis communicaret,hoc est,cum libris, ex quorum lectione discere posset, quomodo rectè viuere deberet. Et quanquàm id ita sit, dico nihilominùs ego, non esse alios tales libros, quales sunt homines mortui, ij nimirùm sunt doctores omnium, quot inuenire possumus, maximè viui, & ad nos instituendos efficacissimi, quod enim mortuus quidam apud viuum non obtinet,id alius apud illum nemo impetrabit.

Sacer Historicus narrat, illam, in qua ad omnem oculorum gratiam fingenda, & conuenustanda omnes exprompsisse vires solers Natura videtur,illud formæ incomparabilis prodigium, illam pecudum formosissimam custodem,pro qua ingenuus,& honestus quidam procus totos quatuordecim tam libens volensque seruiuit annos, ac si totidem momentis breuiores fuissent (Rachelem, dico) è viuis decessisse. Florem ergò illum admirabilis pulchritudinis mors inexorabilis manu rusticâ succidit. Gazophilatium autem illud, in quo gratiarum copiæ omnes

recon-

reconditæ videbantur, mœstus maritus tumulo in via mandauit: *Mortua est Rachel, & sepulta est in via, erexitq́; Iacob titulum super sepulchrum eius*; Genes. 35. 19. In itinere, quod in Bethlehem ferebat, defunctæ charissimæ coniugi sublimem pyramidem excitauit, quæ viatoribus velut altum impressis characteribus, aut mutis signis indicaret, illam tot plausibus persæpè celebratam, & decantatissimam ibi iacere sepultam pulchritudinem.

Hæsit Tostatus in consideratione istius, quòd Racheli suæ Sanctus Patriarcha Iacob erexisse titulum fertur. Quid sibi vult, quòd mausolæum excitasse vxori suæ dicitur? Respondet magnus Doctor: *Erat sepulchrum corporis in profunditate terræ defossum, sed post ad indicandum, ibi corpus iacere, erectus fuit titulus, id est, memoriale, & fuit factum sepulchrum à Iacob ex duodecim lapidibus satis magnis.* Penitiori terræ illatus Rachelis sarcophagus absconsus latebat. Vt ergò omnibus quotquot per viam illam transibant, innotesceret, depositum quiescere eo in loco formosæ Rachelis coniugis suæ cadauer, caculminosum tumulum, duodecim grandibus, & sublimibus è lapidibus construxit, qui eo in loco sepultæ perpetuum essent monimentum.

Sed cur publica in via illum composuit tumulum? Cur tam sublime, tam excelsum, tam conspicuum istud voluit esse monimentum? Cur? Vt sepulchrum illud mulieris omnium facilè venustissimæ in via positum, & expositum oculis eorum, quicunque præteribant, & Rachel ipsa in eo condita, è suo tumulo tanquàm è cathedra viatoribus lectiones traderet, & vitæ huius fallacias detegeret, monitrixq́; esset, vt animaduerterent, florentissimæ elegantiæ, & liberalissimæ formæ, & decentissimæ pulchritudinis non alium esse finem, quàm vt septem pedum humo obruta graueolentium fœda fiat alimonia vermium, quæ oculos suauissimè pascere nuper solita. Non est schola aliqua, ex qua tantum eruditionis referre quisquam possit, quantum ex mortui sepulchro.

Insequebatur Abnerum Asaël, cui respiciens post tergum Abner ait: Quid tibi vis, aut quid quæris? Cui ille: Te volo, & quæro. Et Abner, cùm monuisset, promptum sibi esse inferre illi, modò vellet, necem, iussit aliò quouis ire, & ab insectando desistere, nisi peruicaciæ pœnas certâ vellet morte luere, quâ ipsum absque magno laboris sumptu perimere posset. Noluit Asaël acquiescere vrbano, & vtili consilio Abneri, qui cùm tantam contumaciam diutiùs ferre non posset, lanceâ confixum fecit exanimalem. *Asaël cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis, quæ morantur in syluis.* Ita sacer Scriptor 2. Reg. 2. 18. Qui propiùs transibant per viam, in qua inconsultus Asaël in suo volutabatur sanguine, videbantque apertam præpilatæ lanceæ claue portam, quâ egressa vita morti introeunti locum cesserat, spectaculi tragici nouitate attoniti figebant gradum: *Omnes, qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asaël, & mortuus erat, subsistebāt*; ibid. 23. velut in stuporem acti ab infelici morte Asaëlis, qui cùm velocissimis esset pedibus, nihil illi sua agilitas profuit, vt effugere cursu mortem posset, quin & suâ pernicitate impegit, implicatusque fuit, vt miserandum in modum occideret. In ea consideratione positi viatores *subsistebant*, quanquàm grauia haberet, quæ aliò vocarent, negotia. Mortui enim aspectus omnem aliam sistit occupationem, & impedit pedes, & obliuionem adfert earum rerum, quas maximè alioquin cogitare solemus, & effusissimum quemque ad se reuocat, vt rebus suis, quarum erat negligentissimus, attendat.

Altiores recessus, & profundiores sensus mihi habere videtur, quòd *subsistebant*, qui defunctum Asaëlem videbant. Nam si *subsistendi* verbum sic accipiamus, vt seueriores, accuratioresque Philosophi solent, amplissimam commendationem reperiemus efficacitatis eius, quâ mortis speculum ad excitandam, promouendamque vitæ emendationem valet. Philosophis illud subsistit, quòd seipsum sustentat, sic vt fulcri, aut rei alterius, cui innitatur, adminiculo extraneo nullo huc indigeat. Itaque aiunt, accidens non habere subsistentiam, vt quod per se consistere nequeat, nisi baculo substantiæ incumbat. Quòd ergò ij omnes, qui confossum Asaëlem videbant: *subsistebant*, vt ait sacer Textus, perinde est, ac si dictum fuisset, vt quis emendatè viuat, & omnem possibilem perfectionem habeat, & cum diuino auxilio per seipsum absque sustentaculo alio pergere possit, non alio studio eget, neque vel libros legere, vel consultores adhibere alios opus habet, nisi vt in mortui alicuius consideratione animum defigat, hic enim attentior cogitatus illi & optimæ institutionis liber, & saluberrimorum monitorum suggestor consultissimus, & omnis ad benè, beatèque viuendum necessariæ veritatis efficacissimus prædicator fuerit.

Quæ si ità non haberent, magnus ille Ecclesiastes, & mundanæ vanitatis proclamator non dixisset: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit*; Ecclesiast.

ſiaſt. 7. 3. Præſtat frequentare ædes, in quibus viui illachrymantur mortuis, quàm vbi morituri viuam nimis intemperanter curant cuticulam. At quid commodi referamus ex domo, quam defunctus hoſpes frigido ſuo, ac rigido cadauere funeſtat? *in illa finis cunctorum admonetur hominum*, & ad omnes, quales quales demùm ſint, ſpectant monita, ac documenta, quæ ibi traduntur, eaque talia, vt nemo non intelligat. Solent Concionatores, qui acutuli eſſe, ac haberi amant, tam ſublimia, & ſubtilia, velut è media Metaphyſica, nonnunquàm adferre, vt neceſſum habeant præfari apud auditores, & hæc ſeu vanè, ſiue vrbanè proteſtari: *Eſto no es para todos*; hoc eſt, non ad omnium captum eſt, quod iam dixi. Et cùm eorum doctrina ſit eiuſmodi, quam qui audiant, non aſſequantur omnes, perfecta vocari nequit, vt neque conſummatus dici Prædicator, qui vacuum remum trahit, & laboris ſui fine fruſtratur, cùm ſenſum ſuum aperire auditoribus non poteſt. Mortuũ ergò quempiam attendite, & quàm ille ſit accuratus, perfectus, ſuiſque numeris abſolutus prædicator videte, quippè in cuius domo, tanquàm communi Schola, & feretro, ceu pulpito *finis cunctorum admonetur hominum.* Is doctrinam tradit tam luculentam, ac patentem, vt puer intelligat, tam facilem, vt robuſtiſſimus aſſequatur, tam claram, vt ſupremus monarcha percipiat, opulentiſſimus auſcultet, nobiliſſimus audiat, formoſiſſima æquis, attentiſque auribus excipiat. Nemo eſt, qui in mortuo non inueniat, quod in vſus ſuos transferre queat, itaque & *viuens cogitat.* Cùm viuens videt poſtridie marcidum florem, qui pridie elegantiſſimus fuerat, obſcuratum ſolem heri rutilantiſſimum, fortiſſimos viribus fractos, & ſolo afflictos, ſupremam maieſtatem ſubactam, omneſque tanquàm miſeros captiuos inſuperabilis mortis triumphali currui vinculis ferreis adſtrictos, ſiue ij Samſones ſint, ſiue Alexandri, ſiue Cæſares, ſiue Crœſi, ſiue Salomones, ſiue Semiramides, ſiue Racheles, *cogitat*, & plurima cogitandi materiam aſpectus rerum talium miniſtrat. Quiſquis enim diligens, attentuſque earum ſpectator fuerit, *ſedebit, & ponet in corde ſuo loquelas mortis, & ſi eſt in ipſo quidquam mali, deponet illud, & conuertet in pœnitentiam.* Ita Paraphraſtes Chaldæus. Tantum poteſt aſpectus, & conſideratio mortui: Nam *qui videt mortuum alium*, vt aiebat Campenſis, *non poteſt non aliquo modo animus eius commoueri*, vt vitæ accurandæ ſtudioſiùs inuigilet.

Sed eſt hac in re quidpiam animaduertendum, quod apud Interpretes, Olympiodorum, Salonium, Hugonem Victorinum, Hugonem Cardinalem, Lyranum, Titelmannum, Oſorium, alioſque non inueni annotatum, nempè quòd Eccleſiaſtes domum mortui quidem vocat domum luctus, veruntamen domum conuiuij non appellat domum gaudij, & lætitiæ. Sic enim habet: *Meliùs eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.* Domum mortui nominat domum luctus, accipiens effectum pro cauſa, velut dies vocatur triſtis, quia adfert, ſeu generat triſtitiam, & Spiritus ſanctus dicitur gemere, quia facit, vt nos gemamus. Hoc ita conſtituto, cur epuli domus non vocatur domus lætitiæ ab ea voluptate quam parere ſolet, vti domus, in qua mortuus iacet, dicitur domus luctus ab ea mœſtitudine, quæ de mortui intuitu naſcitur? Cur non æquè ſuam vtraque domus à ſuo effectu appellationem trahit? Fit hoc, vt intelligatur, quantùm mors operando à rebus alijs differat, quòdque illa ſemper è ſuis effectis tanquàm cauſa infallibilis cognoſci poteſt, ac ſi apertiùs diceretur, fieri poſſe, vt conuiuium nullam adferat voluptatem, & feſtiuitatem ſua deſtituat lætitia, & neq; vrat ignis, neque ſol luceat, vt verò mors attentè conſiderata, & defuncti ſtudioſa apud animum expenſio non proliceat ab humano corde lachrymas doloris, ſcelerum per ſeriam pœnitentiam damnatorum vel indices, vel filias, id fieri minimè poſſe. Tantum valet mortuus, vt ex illius conſideratione rectè agat viuus, tantam habet efficacitatem detegendi fraudes, & commonendi, & perſuadendi vitæ ſtudia melioris.

Hoc ità obſeruauit ſanctus Petrus Chryſologus ſerm. 64. inquiens: *Mors cùm ſatis viuentibus ſit amara, ſatis turbat ipſo exitu, plùs conturbat exemplo. Mortuum quoties quis viderit, toties ſe morti ewlat deſtinatum. Sic de morte non poteſt non dolere mortalis.* Acerbum, ſi quid aliud, eſt mortis experimentum, neque minùs tamen terribile illius in alio perſpectæ exemplum, ſemper enim ſe natum ſepulchro, ac deputatum corruptioni deplorat, qui proximum exanimem attentioribus oculis vſurpat. Ex quo fit, vt alium vitâ defunctum videre abſque mœrore, & doloris ſenſu nemo poſſit: *Sic de morte non poteſt non dolere mortalis.* Nonné vides, quòd Chryſologus triſtitiam cordis, luctum, anxietatemque, & afflictionem animæ in effectis conſideratæ mortis infallibilibus numerat? Hoc ipſum Spiritus ſanctus affirmat, cum *domum luctus* vocat eam, in qua habitator viuere deſijt. Quem enim non exterreat, quem non ad luctum, miſerationemque moueat aſpectus purpureæ roſæ decentiſſimæ formæ ſanguinolentâ efferatarum

ratarum Parcarum securi deiectæ, & robustissimorum iuuenum ad infirmos huius communis inimicæ, pallidæ mortis, inquam, pedes affusorum? Quis non stupeat, falcis imperium absolutum cernens, eius, quæ decutiat thiaras, humiliet, soloque affigat sceptra, idque promptiùs, ac leuiùs, quàm rustica barbari agricolæ manus concerpere florem, aut eradicare arundinem possit? Quis tam crebra exempla sic videat, vt non collachrymet? Quod æneum pectus tali spectaculo non soluatur? Quis non mollescat adamas?

Benè hoc dixit, benè indicauit sacer Propheta, quando inter Ægyptiarum plagarum commemorationem de Domino, qui contumacem plectebat regem, loquens ait: *Viam fecit semitæ iræ suæ*; Psal. 77. v. 50.

Quid sibi voluit sanctus Propheta, cùm de Domino affirmat, *Viam* fecisse *semitæ iræ su*æ? Modernus quidam autor hoc ità exponit. Semitam inter, & viam hoc est discrimen, quòd illa sit angusta, hæc lata, & ampla. Quòd ergo Propheta ait, Dominum fecisse viam semitæ iræ suæ, tale est, ac si dixisset, dilatasse, & amplificasse furorem suum, hoc est, asseuerasse manum, aggrauasse flagra, exaggerasse supplicia. At quonam modo? *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti*; ibid. v. 51. ne regni quidem parcens hæredi. Quòd ergo Dominus omnia Ægypti primogenita vnâ occidione semel deleuit, hoc Prophetæ fuit, amplam, spatiosamque viam iræ ex semita fecisse: Ranæ namque, & muscæ, & versa in sanguinem aqua, & id genus reliqua, velut semita exiguæ iræ, & modici rigoris erant; at cùm primogenitorum fundere sanguinem cœpit, tunc & furere, vehementerque efferari, & ferocire cœpit.

Quid verò hinc consecutum? Quid! illud, quòd *abstulit sicut oues populum suum*; ibid. v. 52. atq; ab illa prædura seruitute exemit, non maiore negotio, quàm quo pastor innoxias suas pecudes emittere ab ouili soleat. Plagæ, & flagra eò spectabant, vt per Pharaonem è regno illius liberè excedere filij Israel possent. At ille quò grauiùs cædebatur, eò magis indurescebat. Quid ergo fecit Dominus? Acerbioribus illum supplicijs mactauit, & *percussit omne primogenitum*, cùm prioribus pœnis nihil profecisse cerneret. Rex autem, & populus illius gentilis cùm tantam stragem vidissent, attoniti atrocitate luctuosissimi spectaculi liberrimum Israëlitis permiserunt abitum. Ex quo videas quàm potenter subigat, emolliatq; durissimum quemque, & peruicacissimum hominis mortui aspectus: Pharao namque, qui ex verberibus magis indurescebat, & obstinatior reddebatur ex supplicijs, cum filium suum, aliosque mortuos cerneret, extemplò laxauit carceres, soluit vinctos, & compedes suorum mancipiorum confregit, sic vt Hebræi ab Ægypto tam expediti emigrarent, quàm promptè ex vmbraculis suis oues erumpunt. Tantas habet ad subigendos animos vires mortui intuitus, tamque facilè cicurare ferocissimum defuncti aspectus solet.

*Vide Vtriusq; Tomi superioris Indices Verbo* Mors, *Vbi plurima reperies, quæ cum hac re congruant.*

## CAPVT VIII.

*Turpissima, & grauissima est desperatio eius, qui ibi diffidit posse reperire veniam, vbi alij obuiam habuerunt misericordiam.*

Cùm mortem Ismaelis narrasset Moyses, ait: *Appositus est ad populum suum*; ex qua loquendi formula quidam Expositores piè colligunt, Ismaëlem consecutum beatitudinem. In hac sententiâ sunt Nicolaus Lyranus, Alphonsus Tostatus, Pererius, Guilielmus Ebroicensis, Hugo Cardinalis, Ioannes Ferus, & nonnulli alij. Tostati paraphrasis in ea verba sic habet: *Appositus est ad populum suum, id est, ductus est ad limbum Abrahæ, in quo erat totus populus ciuitatis Dei*; aduentum promissi Messiæ expectans. Lyranus quoque his affinia scribit, inquiens: *Decessit in gratia*, & amicitia sui Conditoris Ismaël. Roboratur tali exemplo ignauia quorundam peccatorum, & pusillanimitas, vt nemo diffidat, sed omnes de immensa Dei bonitate benè sperent, quantumuis enim perditè flagitiosus quisquàm sit, si se, vt debet, disponat, (quod cùm diuinæ gratiæ ope non est difficile) semper apertas diuinæ clementiæ fores inueniet, atque in eis Dominum, qui passis brachijs illum præstoletur, vt indulgentissimi pectoris pientissimo sinu excipiat. De Ismaële Angelus Agari matri hæc dixit, & prædixit: *Hic erit ferus homo*; Genes. 16. 12. barbarisque, & agrestribus moribus. Vixdum duodennis erat, quando idololatriæ magisterium exercebat, ludus enim, quo cum fratre suo ludebat, non fuit alius, quàm quòd deastrorum simulachra fingebat, & ad eorum cultum innocētem Isaacum instituebat. Sic Abulensis, Lyranus, Paulus Burgensis, & alij. Quanquàm res ita haberet, & à puero tam immanibus deditus flagitijs Ismaël, inuenit nihilominùs portam veniæ, & locum veræ pœnitentiæ, *decessitque in gratia*, & nunc fruitur Deo, æternùmque fruetur. Quam ergo suæ desperationis

nis excusationem inueniet, aut quâ re culpam suam adumbrabit peccator, si tale habens propositum exemplum, spem tamen abiecerit, fiduciamque à se abdicârit?

Nam vt admirabiliter dixit noster Hispanus declamator Quintilianus lib. 1. cap. 10. *Turpiter desperatur, quidquid fieri potest.* Pudendæ ignauiæ, & fœdæ animi pusillitati tribuendum, atque in maximo flagitiosæ desperationis vitio ponendum, si quis illud tentare detrectet, quòd superari, obtinerique potest, aut non ambire velit, quòd impetrari valet. Ergo si nullum absque venia peccatum, neque vllus est peccator, qui consequi eam non possit, hinc colligitur, quàm graue piaculum sit diffidere, quàm turpè non benè sperare, postquàm etiam Deus corda ærea, ferreaque in blandam ceram emollire scit, & liquare.

Cœlestis Magister cùm de peccatis dissereret, quorum alia sunt veniabilia, alia misericordiæ perpetuò clausam habent portam, dicebat discipulis suis: *Omnis, qui dicit Verbum in filium hominis, remittetur illi, ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur*; Lucæ 12. v. 10. Videtur hæc dominica sententia pugnare cum ea doctrina, quam in hoc capite tradimus, & tractamus. Dicimus namque, nullnm esse peccatum, quale id cunque sit, quod non paratam habeat veniam, non facilem clementiam: Quomodo ergo autor misericordiæ, & penes quem clauis est totius pietatis, ait, *Non remittetur*, siue esse quoddam scelus, cui non ignoscatur? Ergoné si quis peccator spem condonandarum sibi noxarum abijciat, extrà culpam erit, diffidens clementiæ? Aut quomodo hanc natam ex verbis sacri, & supremi Magistri nostri difficultatem rectè diluemus?

Sanctus Athanasius ad Antiochum quæst. 71. ait: *Oportet significari, non dicere Deum*, blasphemanti & resipiscenti non remittetur, *sed* blasphemanti, *quoniam nullum peccatum est irremissibile apud Deum in eis, qui dignè & sanctè faciunt pœnitentiam.* Diuinus ergo Magister (quod diligenter animaduertendum) non ait, non condonandum blasphemiæ scelus illi, quem blasphemasse pœnituerit, sed ei non ignoscendum, qui blasphemiam dixit, neque dolet dixisse: Nam qui vera, & dignâ pœnitentiâ superioris vitæ malefacta damnauerit, non habet cur vel rustico de peccatis nato pudore impediatur, vel perturbetur sceleribus, vel plùs satis affligatur ex anteactis sacrilegijs, nec moras sibi inijci ferat in curriculo vitæ nouæ à recordatione blasphemiarum veterum, tametsi enim vasti maris guttas numero superent, quæ olim perpetrauit flagitia, omnia condonabuntur, & remittentur, nullum quippè est tam immane crimen, cui non sit parata venia, dum peccator illud commisisse ex animo doleat, seriáque, & dignâ, vt præfati sumus, pœnitudine damnet.

O quàm præclarè hanc suffulciet doctrinam Propheta regius, qui ex nomine omnium peccatorum loquens, hæc plena totius consolationis verba dixit: *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè*; Psal. 64. v. 6. acsi apertiùs ità dixisset: Humilibus precibus nostris aures faciles, clementissime, & dulcissime Domine, quæso præbe, tu nimirùm firma fiducia es omnium, & qui absitissimos orbis terminos incolunt, & quos naufragos per maria remotissima ventorum libido, & tempestatum ferocia miserùm iactitat.

Sanctus Dorotheus doctr. 12. Tom. 2. Biblioth. Vet. PP. ait: *Qui, oro, sunt in finibus terræ? Qui autem in mari longè?* Si vultis scire, accipite verbis pauculis explicatum: *Ij, qui in perfecta iniquitate sunt*, & in tantam improbitatem deuenerunt, vt progredi vlteriùs non possint, facti scilicet perditè flagitiosi, hi sunt, qui velut in extremis terræ finibus degunt.

At quinam ij, qui in altissimo mari, & abysso profundissima hærent? *Qui in extrema ignorantia sunt*, inquit sanctus Abbas. Ijsné verò, qui per ignorantiæ pelagus profundissimum naufragij raptantur, perq; omnia cursu insano feruntur errata, & scelera, ijsne, inquam, reliqua est misericordia? Talibusné spes indulgentiæ est super? Est omninò, nam *horum omnium Christus spes est. Non igitur opus nobis est multo labore, elaboremus modicum, & misericordiam multam consequemur.* Omnibus criminum generibus parata est venia, siue in fines terræ extremos quis peruenerit, siue in abyssum maris imam peccando descenderit, spes illi certa, & portus tutissimus est Christus, qui tam immenso cum amore mortem pro omnibus oppetijt. Itaque absque magno negotio (dùm se modò, vt debet, huc comparet) misericordiæ portum peccator inueniet. Vnicum *eheu*, (sed illud pœnitente ab animo profectum) satis est in tranquillitatem adducendis flagitiorum maris quantumuis procellosi fluctibus, permouendoque ad ignoscendum Deo. Nonnihil ergo studij hac in re ponamus, indulgentiamque facilem, & copiosam referemus. Donec enim in hac mortali carne agimus, non est cur diffidamus de salutis remedio, aut desperemus

remus

remus sanitatem, sint licet plurimis, ac grauissimis ægritudinibus obnoxiæ nostræ animæ.

*Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.* Ità Dominus apud Sanctum Lucam 10. 30.

Theophylactus plurimùm admiratur, quòd ij latrones, cùm & tam multi essent, & tantam haberent ferociendi tum occasionem, tum libidinem, miserum viatorem semiuiuum reliquerunt. Nam qui punctim, cæsimque illum inuadebant, non potuerunt suam tam vrbanè moderari crudelitatem, neque sic armorum gubernare ictus, vt nonnisi ad vitæ mediETATEM adimendam peruenirent. Cur non prorsùs totâ vitâ exuerunt infelicem illum, qui in tam immanium sicariorum incurrit insidias? Hic homo, qui Hierosolymis (quæ visio pacis dicitur) Ierichuntem (quæ idem est, quod mutatio lunæ) petijt, figura est peccatoris, illius, qui è gratiæ felici, ac sublimi gradu in culpæ statum miserum descendens, in magnus dæmoniorum incidit, à quibus animæ opibus omnibus nudatus, etiam multis efferatè vulneribus oneratur. Ita exponunt venerabilis Magnus Simon de Cassia, Dionysius Carthusianus, Gagneius, Guido Carmelita, Stella, & alij plures, quos & longum, & otiosum esset recensere.

Ex his iam emergit dubitatio, quomodo semiuiuus relictus fuit, qui in illorum tam crudelium grassatorum sæuas manus incidit.

Respondet Theophylactus: Quòd parte sui alterâ confectus vulneribus, alterâ viuus relictus fertur hic homo, id factum, vt inditio esset, *quòd non omninò desperata erat humana natura*, atque vt intelligeremus, quantisuis flagitiorum vulneribus saucietur anima, non desperandam eius vitam, vt cui vitæ pars aliqua semper maneat reliqua, & manere locum veniæ, donec vitæ quidpiam superest, & quamdiu anima in carne agit, spem de illius salute instauranda non abijciendam. Nam si homo se, vt debet, disponat, & quibus potest viribus conetur, sanabitur, vitaque illi tota redibit, & veniam inueniet, cui tam viua plurimorum perditissimorum hominum proposita sunt exempla, eorum, qui superi Medici pharmacis benè vsi, è strato lethalium infirmitatum suarum exurrexerunt, tantamque incolumitatem sunt consecuti, quantus non fuerit morbus, à quo conualuerunt.

Nam vt quidam peccando miserè conuulneratus, atque ob id bonus artis benè sperandi magister aiebat: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*; Rom. 5. v. 20. hoc est, quanquàm nonnullis hominibus peccatum plurima inflixerit vulnera, accedens tamen misericordia, & post culpas ingressa tantis eorum animas cumulauit gratijs, vt indulgentiarum multitudo numerum plagarum magnum in modum superaret. Confortetur ergo animo noster Politicus, vt qui Deum habeat, in cuius pientissimis visceribus omne peccatum inuenit remissionem, omnis noxa suam veniam.

*Adi Periocham I. Dominica XVI. post Pentecosten, Tom. 2. pag. 228. a. 0. & vide, quæ ad calcem illius adscripta.*

# LIBER TERTIVS.

## CAPVT I.

*Dominus sua ita & dicit, & facit, vt necessum sit ipsum omnis gratiæ autorem, & omnis boni originem agnoscere.*



Ostquàm generationes sancti Patriarchæ nostri sacer Historicus pertexuit, narrat illius cum Rebecca connubium, quæ filia Batuelis Syri in Mesopotamia erat, soror Labani. Posthæc consequenter refert, quàm ardentibus precibus Deum obtestatus pro vxore fuerit, vt eàm, quam iniquior natura sterilem fecerat, ipse fœcundam redderet: *Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis*; Genes. 25. 21.

Notant hoc loco omnes Expositores, quòd illustriorum veteris Testamenti matronarum, pleræq; steriles fuerunt, in quibus Sara, Rebecca, Rachel, Anna mater Samuelis, Elizabeth mater Præcursoris Christi, & optimæ matrum mater beata. Obseruârunt hoc Abulensis, Lyranus, Pererius, Ferus, Guilielmus Papinius, & Hugo Cardinalis. Factum id, quoniam cùm illæ tam insignes, & celebres edituræ essent filios, voluit Dominus claue sterilitatis portas claudere fœcunditatis, vt cùm tanto bono aperirentur, tam opulentorum pignorum possessio magis tribueretur manui ipsius diuinæ, quàm industriæ humanæ. Hâc namque attentâ prouidentiâ sic omnia disponit Dominus, vt quæcunque vel dicit, vel facit, ea ita dicat, faciatque, vt in illius munificas

manus, tanquàm omnis boni scaturiginem referamus, quicquid vel fauoris impetramus, vel habemus gratiæ.

Regius Propheta, cùm apud hunc Dominum de obseruantia diuinorum illius præceptorum dissereret, sic aiebat: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*; Psal. 118. v. 4.

Quod Propheta ait, Deum mandata sua nimis custodiri præcepisse, id difficultatem quandam olere videtur, quæ in illorum obseruantia occurrat, vt notârunt Titelmannus, Boquius, Rainerius, & Arnobius. At quomodo fieri potest, quòd Deus nos ad legis obseruantiam permouere velit commemoratione difficultatum, incommodorum, & impedimentorum, cum quibus eius studium sit coniunctum? Certè qui hoc facit, is magis eam violari, & conculcari, quàm coli, & obseruari velle videtur. Et quoniam persuadere nobis non possumus, cùm Deus laboris grauitatem, quam mandatorum illius custodia fert secum, indicauit, quòd id ex eorum à nobis negligendorum, contemnendorumuè desiderio fecerit, cùm ille ea accuratissimè, & exactissimè obseruari vehementer cupiat, quid mysterij subesse potest istarum commemorationi difficultatum, vt illius rectè à Domino institutæ rationes sufficientes inueniamus?

Respondet Doctor mellifluus serm. 2. in Vigil. Natiuit: *Propterea mandata sua mandauit custodiri nimis, vt videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam.* Quòd legem suam in modico studio tam perdiligenter à nobis obseruari præcepit, eâque iussione, quàm sit operosa illa obseruantia, indicare voluit, id fecit, vt dum homo virium suarum imbecillitatem agnoscit, ad Dei auxilium confugiat, vt cum eius opitulatrice gratia consequatur, quod suo conatu obtinere nequit, & postquàm semel intellexit, quàm nihil sine illius adiutorio possit, si quandoque mandata ipsius rectè custodiat. Conditori suo istam obseruantiam acceptam referat, à cuius manibus omne bonum descendit, sic vt beneficium quodpiam, sine gratiæ illius beneuolentia, & adminiculo consequi nemo possit: *Vt videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam.*

Percommodum dictis veniet Cardinalis Caietani aliquod in quædam cœlestis Magistri verba annotamentum. Emisit ille ad prædicandum suos Discipulos, doctoresque illos instituens, binos, ac binos ablegauit, qui præirent in omnem ciuitatem, locumque pararent, in quem Dominus maiestatis per gratiam suam hospes intraturus erat. Atque vt illos ad diligens studium, peruigilemque solicitudinem curandarum, & promouendarum ad meliorem frugem animarum exstimularet, sic aiebat: *Messis quidem multa, operarij autem pauci*; Lucæ 10. v. 2. tam rari sunt, qui metendi laborem suscipere velint, quàm copiosa messis, quæ falcem opperitur.

Quòd ea sit metaphorica locutio, id facilè quisque videat. Sed animaduersione diligente dignum est, quòd prædicandi, siue euangelizandi populo ministerium labori seminandi, ac metendi comparatur. Sic enim & suprà Dominus, cùm dixisset: *Exijt qui seminat seminare semen suum*; Lucæ 8. 5. paulò post subiunxit: *Semen est verbum Dei*; ibid. v. 11.

Quæri nunc potest, cur prædicationis munus, & animarum iuuandarum studium plerumque magis serendi, metendique exercitio, quàm alteri cuiuis operi, vel officio comparatur.

Huic quæstioni respondet Caietanus in cap. 10. Lucæ, inquiens: *Aptè officium euangelizandi, vt exercetur per Discipulos, assimilatur messioni, vt autem diuina in eo operatur virtus, assimilatum est seminationi, vt intelligamus, quòd sicut metens, fructus non suos, sed seminis refert, ita Discipuli fructum non suum, sed diuini seminis in cordibus auditorum vegetati referunt.*

Magno ergo, & singulari mysterio officium prædicationis, vt quidem ab homine administratur, messioni comparatur, seminationi autè, vt ex Deo habet suam apud auditorum animos efficientiam. Mysterium porrò est, vt sicut is, qui metit, non suæ industriæ, & defatigationi tribuit abundantiam frugum, sed virtuti seminis, sic Discipuli videntes magnam sequi ex sua prædicatione emendationem morum, vitiorum fugam, virtutis profectum, intelligerent, se nihil ampliùs, quàm messorum officium facere, causam verò tam copiosæ messis esse semen verbi Dei, eiusque efficacem virtutem, non suæ falcis vim, nec verborum energiam. Omnis quippè gratia, donum omne ex diuinis, & liberalissimis Domini manibus, velut per canales, aut tubos quosdam ad nos descendit.

Hic Dominus paucis horis ante acerbam passionem suam, & nunquàm audita probra Discipulorum charissimos, vt ferunt Euangelistæ, secum in horti Gethsemani partem secretiorem abduxit, facturusque orationem, quantum iactus lapidis est, ab eis secessit. Fudit ergo suam ad æternum Patrem obedicns Filius orationem, à qua reuersus conuenit

Discipu-

Discipulos,inuenitque alto somno demersos,& hanc illorum negligentiam culpitans, talibus verbis eos ceu amantissimus magister appellauit: *Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum?* Matth. 26. 40.

Simon de Cassia pressit hæc verba, *vigilare mecum.* At cur illos Dominus non absolutè de neglectis vigilijs accusat, sed hoc nomine magis obiurgat, quòd non simul cum ipso vigilauerint? Respondet venerabilis Pater lib. 13. in Euangelia: Mecum *ideò dicit, quià sine ipso nihil possumus facere.* Quòd Dominus ait, absque se neminem vigilare posse, eâ re imbecillitatem virium nostrarum, & roboris exiguitatem significare voluit, quæ tanta sit, vt nisi ille in suo auxilio infirmitati nostræ succurrat,nec vigilias, nec aliud quidquam agere possimus, quod vel laude dignum sit, vel remuneratione, ac præmio, ille nimirùm omnis boni autor est, & causa totius gratiæ.

Non prætereamus quandam Cardinalis Caietani subtilitatem præsenti causæ aptam. Postquàm prædicatorij sui muneris partes discipuli executi essent, sanassentque ægros, & dæmonia ab obsessis exegissent, læti, hilaresque venerunt ad Dominum, ac dixerunt: *Etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo;* Lucæ. 10. 17. Caietanus ait, Illa è textu græco sic legi posse: *Subijciuntur nobis, & in nomine tuo.* Audiens illos tam gaudiloquos, & effusè exultabundos cœlestis Magister, inquit: *In hoc nolite gaudere, quià spiritus subijciuntur vobis*; ibid. v. 18.

Obseruauit hic sapienter doctissimus Cardinalis, quòd cùm duo complecteretur Discipulorum lætitia,quorum illud primum,quòd se illis dæmonia submisissent, alterum verò,quòd ad imperium nominis dominici, soloque eius auditu strata, ac subacta essent, hoc solùm in eis reprehendit, quod dixerunt, sibi acheronticos illos tenebriones cessisse, ac succubuisse, inquiens: *In hoc nolite gaudere, quià spiritus subijciuntur vobis.* Sed cur hoc dissimulans, quòd propter dæmonia diuini sui nominis potestate subjugatâ gestiebant lætitiâ, illud reprehendit,quòd ob eosdem spiritus à se fugatos efferebantur.

Respondit ille acutè dicens: *Quia non erat culpabile gaudium, quòd spiritus subijcerentur nomine Iesu, sed quòd subijcerentur eis, culpabile gaudium erat.* Lætè ferebant Discipuli, quòd dominici virtute nominis stygiorum fugabantur legiones lauerniorum. Id citrà noxam fiebat, quin & laudem merebatur. Gratulabantur etiam sibi, efferebanturque animis, quòd ipsi quoque subiectos haberent cacodæmones, tanquàm propriâ, & non aliunde acceptâ virtute proteruos illos spiritus subegissent. Hoc verò piaculum erat,dignum quod obiurgatione perstringeretur. Nam putare, quòd homo vires eas habeat,quibus dæmones prosternere aut miracula aliter, quàm potestate diuinâ operari possit, est manifestus error, & stulta præsumptio: Nempè omnes pendemes ex supera manu supremi Domini,sine cuius auxilio,& fauore nihil laudabibilis operis inchoari, nec quicquam perfici potest, quod laurum æternam, & immarcescibilem mereatur coronam.

*Differit Autor de eadem re Periochâ I. Domin. IV. post Epiphaniam To. 2. pag. 432. b. e. Vide quæ ad finem eiusdem Periochæ subnotata.*

## CAPVT II.

*Quanquàm Matrimonium sit sanctum Sacramentum, non tamen hoc facit, quin statum illius plerumq; comitentur plures ærumnæ, & labores non pauci excipiant.*

QVòd Matrimonium sit vnum è septem Sacramẽtis Ecclesiæ à Christo, Redemptore ordinatum, institutumq; à Deo sub primulum mundi initium, res est tam constituta, & explorata inter Catholicos, vt me probandi labore indubitata eius notitia leuet.

Verùm quanquàm ità sit, & fides dictet, quòd sit Sacrosanctum Sacramentum, vt omnes confitemur, experientia tamen cogit dicere,illud ipsum, quâ status est, tam plenum esse spinis,tam obseptum tribulis, tam consitum curis, & solicitudinibus, vt solus ille miserorum, ærumnosorum, calamitosorumque status appellari, idque nominis absolutè sibi arrogare posse videatur. Cætera namque vitæ genera tametsi non careant suis molestijs, hæ tamen cum illis compositæ,quibus expositi & obnoxij sunt,qui coniugati, non videntur illud vocabuli mereri. Meritò proinde à iugo dictum coniugium, vt ipsum nomen præferat, & loquatur subiectionem, calamitates, afflictiones, quibus se exponunt, qui matrimonio tradunt. Authores huc adducam, qui huius veritatis theoriam afferant, & confirment, praxin enim probare nihil necessum.

Sanctus Theodorus Studita, cùm Monachos hortaretur, vt immortales Deo Patri referrent gratias, quòd ipsos in amœnum status religiosi viridarium adduxisset, aiebat: *Quod post studium est iuge in Domino gaudium.* Hæc ille catech. 110. tanquàm pluribus dixisset: Exercitatio monastica quidnam aliud est, quàm terrestre cælum, vbi non secùs ac in delitioso paradiso, in perpetuo laudum diuinarum cantu, & Angelorum iucundissima societate viuitur?

Subijcit autem mox vir ſanctus: *Nam vbi matrimonium eſt, ac ſeruitus, & quæ ex ijs moleſtiæ manant, miſera hæc hominum generi diuinitùs inſita diſtractio, difficile eſt in Domino gaudere.* Reuocanda ad trutinam verba Theodori, atque in ijs illud expendendum, quòd vir ſanctus cùm ex aduerſo pacatiſſimi ſtatus religioſi collocare omnes huius vitæ aduerſitates, miſerias, anxietates vellet, nullas citiùs, nec maiores inuenit, quàm matrimoij, ac ſeruitutis ærumnas. Dicit namque: *Nam vbi matrimonium, & ſeruitus.* Nihil in hac vita dulcius, optabiliusque libertate, vt econtrà nihil miſerabilius, ac triſtius ſeruitute. Id tam eſt euidens, ac manifeſtum, vt ſit ſuperuacaneum probare, ac propterea prætermitto illum tam tritum verſum:

*Non benè pro toto libertas venditur auro;* quod ſciam, neminem eſſe, qui hæc legat oculis, quin eūdem adducat, & ſic commemoret, acſi ego ignorarem. Quòd ergo Theodorus matrimonium cum ſeruitute coniungit, tale eſt, acſi diceret, non videri plura, quàm duo eſſe in mundo mala, ſcilicet Matrimonium, & ſeruitutem, niſi mauelimus dicere, vtraque in vnum recidere, & coniugem ſeruo nihilo eſſe meliorem. Atque vt in hac eum fuiſſe ſententia pateat, notandum quod ait, ex his duabus rebus, nempè Matrimonio, & ſeruitute, totas vitæ huius ærumnas reliquas ſcaturire: *Et quæ ex his moleſtiæ manant.* Nam vt flumen ſiccari neceſſum eſt, cùm fontem aqua deſtituit, vnde illud deſcendit: Ita ſi neq; ſeruitus eſſet, neq; Matrimonium, etiam vita præſens abſq; omni pœna, & miſeria, vt videtur, eſſet. Si enim illa duo, Matrimonium, & ſeruitus, quidam velut fontes ſunt, ex quibus ærumnæ, infelicitatesque, vt videtur, omnes profluunt, omnia miſeriarum, curarum, ac ſolicitudinum, flumina deficient, dum fontes ij modò exundare, aut prorsùm eſſe deſinant.

Non inopportunum rei, quàm tractamus, fulcrum erit illud Apoſtoli, cuius tam crebra, cùm de Matrimonio agitur, ſolet fieri mentio: *Alligatus es vxori? Noli quærere ſolutionem*, 1. Corinth. 7. 27. caue cauſas comminiſcaris, vt te expedias nexibus, quibus obſtrinxiſti.

At quiſnam hic dicendi modus, *Alligatus es vxori!* clamat maximus Eccleſiæ Doctor B. Hieronymus. Ergoné alligatus eſt qui nuptus! *Alligatus*, inquit Apoſtolus. Nonne verò aptiùs diceret, copulatus, ſiue ſuauiter illaqueatus, aut amabiliſſimo nuptialis fœderis nodo coniunctus, velut perpetuùm virens hedera editos ſcopulos, & quidquid aliud proximum, blando complexu ſibi deuincit? Verùm *alligatus!* Quid ſibi voluit tali vocabulo Paulus?

S. Hieronymus lib. 1. in Iouinian. Tom. 1. reſpondet: *Qui vxorem habet, & debitor dicitur, & ſeruus vxoris, & (quod malorum ſeruorum eſt) alligatus.* Dum Paulus maritum coniugi ſuæ alligatum dicit, ſic illum, vt & debitorem, & mancipium vxoris habet, & non qualecunq; mancipium, ſed viliſſimum, & miſerabiliſſimum, & quales ſunt, qui intrà obſcura, & arcta ergaſtula validis compedibus, ferreisq; catenis conſtricti. Vxores itaq; vincula ſunt, quæ vi, & tenacitate matrimonij ſic obligant, & arctant ſuos viros, vt ſe exſoluere, & euadere nequaquàm poſſint: *Et quod malorum ſeruorum eſt, alligatus eſt* quiſquis vxoratus. Miſerum eſt perdere libertatem, ſed ità perdere, vt infelici captiuo neque compita relaxandi animi gratia obire, nec familariùs cum quoquam loqui, nec ſua mala cum alijs communicare liceat, ea duriſſima ſeruitus eſt, per quam infortunatiſſimus captiuus in tenebricoſiſſima, horribiliſſimaq; carnificina iacens moritur. Talis efficitur, qui vxorem ducit, inquit Hieronymus, ſi cum eis conferas, qui alterius ſtatus ſunt, & iniuges. Quàm enim omnis vitæ conditio ſuas habet moleſtias, ſuos mœrores, & labores, eos tamen ſi cum Matrimonij miſerijs componas, id tale fuerit, ac ſi hominem ſolutum, qui liber plateas obit, comedit, bibit, genio, & familiari cum alijs conſuetudini indulget, cum illo compares, qui Algirij à Mauris, ſiue à Turcis alibi vinctus in obſcuro carcere detentus, ſuamq; deplorans captiuitatem gemit, ſuſpirat, & neq; lumen cæli videt, nec vocem audit humanā, nec habet, cum quo exulcerati cordis ſui anxietates, & afflictiones communicet. Qui ergo conniugatus, idem velut ſeruus eſt, iſq; carceri addictus, & conſtrictus inſolubili catenâ vxoris, inquit Hieronymus, mille ærumnis, curis infinitis, perpetuiſq; laboribus, & calamitatibus expoſitus. Quid mirū ergo quòd S. Theodorꝰ miſerias ſeruitutis cum moleſtijs Matrimonij coniunxit, & captiuorum infelicitatē cum rebus incommodis copulauit; quas nupti deflere ſolent? *Nam vbi matrimonium eſt, ac ſeruitus,* &c. Tantas enim plerumq; experiuntur calamitates coniugati, quantas ferè pati ſolent captiui.

Præmodùm conſequenter ad hanc ſententiam locutus eſt Tertullianus, quando lib. de Virginib. velandis cap. 17. ait: *Et vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidiſtis,* Eruditus magni Africani interpres Ludouicus Cerda hoc in illius verbis preſſit, quod ait *Incidiſtis,* Vt cum mu-

lieribus,

lieribus coniugatis loqueretur, non dicit, vos appello, quæ Matrimonium profitemini, quæ datâ manu maritis vestris sponsas vos tradidistis, quæ sub iugalibus nexibus vitam exigitis, sed *quæ in nuptias incidistis, si non vt in malum, certè vt minus bonum*, inquit Cerda. Quod ergo Tertullianus ait, eas, quæ in Matrimonio erant collocatæ, incidisse in nuptias, perinde est acsi dixisset; eis, quæ nubunt, id quodammodò accidere, quod euenire viatoribus solet, qui cùm iter seu pedibus, seu nauigio securi, & omni metu vacui faciunt, sæpè vel in latronum insidias, vel Turcarum triremes incidunt, & ab illis quidem rebus suis nudantur, ab his verò ferro onusti in captiuitatem abducuntur. Misera vtrinque, ac deploranda infelicitas. Ita quibusdam Matrimonij status est suo modo vel grassator, qui ipsorum quieté impediat, vel pirata, qui libertatem adimat. Quid namq; aliud est coniugatus, quàm vinctus captiuus, aut per vim factus seruus, cui nullá ante mortem Redemptio, vt tantundem videatur incidere in nuptias, & incurrere in grassatorum, piratarumq; manus, vt sunt multæ, & magnæ calamitates, ærumnæ, curæ, solicitudines, variaq; incommoda, & impedimenta, quæ persequi eos solent, quos huius magni Sacramenti vincula constrictos habent.

Hoc expertus affirmabat sanctus Gregorius Nyssenus, quando de status huius ærumnis loquens lib. de Virginit. c. 3. aiebat: *Multiplex, ac varia est malorum copia, quæ à nuptijs existunt: Tu velim in huius vita theatro tragœdias spectes, quarum omninò mistiæ hominibus nuptiæ sunt.* Vocat hîc tragœdias Nyssenus vitam, quam nupti agunt, perpetuo namq; in gemitu, & luctu versantur, querimoniarum, curarum, solicitudinum apud eos nullus aut modus, aut finis. Nunquàm aliud dicere nouerunt coniugati, & vix de alijs rebus verba faciunt, quàm de infinitis pientissimi Domini beneficijs, quibus viros religiosos cumulat, dum eorum ceruices à iugo matrimonij seruat immunes, quod cùm non fertur æqualiter, non ducitur concorditer, omni monte grauius est, omni scopulo, & rupe magis premit, & obruit.

Eapropter aquilá Doctorum S. Augustinus, cùm secum reputaret molestias, & onera, quæ status iste fert secum, *hæc tria seruo Dei seruanda monebat. Primum vt vxorem nunquàm cuiquàm posceret. Secundum, vt militare volentem ad hoc non commendaret. Tertium, vt in sua patria petitus ad conuiuium non iret*, Sic de illo Possidonius in eius vita cap. 27. E tribus ergo, quæ Religioso magnopere fugienda Augustinus putabat, hoc primum erat, ne quis alteri nuptiarum author, conciliatorq; pronubus esset. Huius autem consilij sui talem reddebat Doctor sanctus rationem: *Ne dum inter se coniugati iurgantur, eum maledicant, per quem coniuncti sunt.* Nemo ergo prudens, aut seruus Dei procurare cuiquam vxorem debet, sed hoc officij, quantùm licuerit, magis recusare; vt execrationes, diras, & varias verborum iniurias effugiat, quas in eos, quos matrimonij sui suasores habuerunt, nupti euomere solent, quoties corrixantur, & molestia illis, quantumuis leuis, accidit. Vt enim crebra sunt coniugatorum iurgia, frequentes rixæ, & simultates, sic & hoc ijs perusitatum, inuehi statim in eos, qui nuptiarum consultores fuerunt, maledictisq; illos, & omni improperiorum genere perstringere.

In quam rem sic ait sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 9. in c. 4. Epist. 2. Corinth: *Nam & pronubos sæpe diris omnibus deuouerunt etiam ipso die, quo thalami strati sunt.* Vt proxima sæpe, & coniunctissima sunt nubere, & facti pœnitere, ita & multas videas mulieres, quæ ipso nuptiarum suarum die, in medio effusissimæ hilaritatis, & sub ipsis iucundissimis choreis, in furias infernales conuersæ, contumelias, quales, quantascunq; rabies suggerit, expuunt in eos, qui nexum procurârunt, quo sunt constrictæ, suaque diligentia fabricârunt iugum, quo prægrauantur.

Amplificat rem Doctor sanctus, quem dixi, inquiens ibid: *Quin & multi iuuenes cùm ineundi matrimonij potestas esset, non aliam ob causam ab vxore ducenda abhorruerunt, quàm ob molestias, quas id vitæ genus haberet.* Hinc est, quòd cùm plerique adolescentes inter ætatis suæ flagrantioris ardorem, & virorem, vigoremq; iuuentutis omnem facilem putent laborem, & cuiuis periculo audacter se obijciat, non pauci tamen sint, qui pedem reuocârint, & velut ignaui fugam arripuerint, exterriti magnitudine, & grauitate onerum, curarum, ærumnarum, molestiarum, quæ illum statum, & hoc vitæ genus comitantur. Iuuenem inuenias, qui patens intrepidè pectus fulminaris machinæ tonitruo obijciat, tormentique bellici etiam vastioris, quod plures mortes, quàm globos vomat, ictum nihil formidet, onus tamen matrimonij subire, vel talis vitæ pondera excipere non audeat, non quòd non sit valde sanctus ille status, in quo beatitudinem sibi comparare possunt, qui eum profitentur, sed propter labores, curas, negotia, ærumnas, & defatigationes, quibus plurimùm expositi sunt, qui vxoribus copulati.

 Celebra-

Celebratissimus est tener, ac singularis amor Redemptoris mundi in Beniaminum suum Ioannem, quem actionum suarum humanarum, diuinarumq; scriptorem elegit. Crebrò hunc Christi ergà se amorem confitetur charus Discipulus, qui vix sui mẽtionem facere sciuit, quin hoc magnifico elogio, & illustri dilecti Discipuli appellatione se coornaret, dicens: *Quem diligebat Iesus*; quod in illius Euangelio sæpiculè reperias. Quibus verò ab effectis amorem superi Magistri ergà Ioannem arbitrabimur, qui tantus fuit, vt vnum illum præ omnibus deperierit?

Venerabilis Beda ait, multas causas esse, ob quas enixiore beneuolentiâ prosecutus Ioannem Dominus fuerit, variaq; ergà illum egisse, ex quibus pronum sit æstimare, propensiore fuisse in illum voluntate, præcipuum tamen peculiaris, ac vehementioris dilectionis argumentum esse illud posse, quòd ipsum à mulieris amore abduxit, cauitque ne coniugium iniret, demùm etiam tantâ puritate donauit, vt virgo per omnem vitam maneret: *Vocauit Ioannem de nuptijs*, inquit ille Serm. de S. Ioan. Euan. To. 7. *& ipse reliquit coniugem, & secutus est eum, & propter hoc amauit eum Iesus plus omnibus Discipulis, quià traxit eum de amore mulieris, & castus permansit.* Quòd Ioannes sponsus fuerit earum nuptiarum, quas Canæ in Gallilæa celebratas ipse memorat, id sancti Antonini, Ioannis Maioris, Scoti, Nicolai Lyrani, & aliorum multorum authorum constans habet opinio, quod alibi probatum dedimus. Dicit nunc venerabilis Beda: Absoluit Christus Ioannem à iugo Matrimonij, è captiuitate & seruitute, quæ illi minabatur, eum exemit, *propter hoc amauit eum Iesus plus omnibus Discipulis*; certè dilectionis enixioris, & flagrantioris hoc luculentum inditium dedit, quòd à graui coniugij onere illum liberauit, & posthæc Discipulum suum fecit. Nam quòd illũ à nuptijs auocatum collegio suorum Discipulorum adscripsit, tale quid est, ac si ex aspero senticeto, aut rudi spinosaq; sylua euulsum in hortum rosis, cariophyllis, alijsq; id genus lectissimis, elegantissimisq; floribus omni ex parte consitum transtulisset.

Sic enim Antiphanes apud Stobæum serm. 68. Tom. I. aiebat: *Infortunium extremum nuptiæ sunt*, & infelicitatum, calamitatumq; quæ accidere in hac vita homini queant, quædam summa, propter ærumnas, & afflictiones, quas in hoc statu pati necessum.

Sanctus Ambrosius in exhortat. ad Virg. dum indagat, vnde nuptiarum etymologia suam duxerit originem, vult nuptias à nubibus dictas, inquiens: *Nubes itaq; sunt, & graues nubes, quæ nupserint, nãque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror, & verè graues nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonij.* Quando per verni temporis dies videmus obscurari cælum, nubemq; densam, nigricantem, ac grauidã inde aduenire, quantũ hæc res metũ adfert! Videas alios toto corpore, & artubus omnibus contremiscere impendentis nimbi timore perterritos, alios à terribili eius aspectu fugere, veritos ne fulminarem aliquem radium abortiat, qui omnia in cinerem vertat, in quæcunque inciderit. Exorcistæ conceptis scripturæ diuinæ verbis, & fide animosâ eam adiurant, vt solutam, effusamq; illius feritatem infrenent. Omnes Deum precibus, ac votis interpellant, rogantes, vt incommodum, quod formidant, impediat, auertatque, atq; illud tunc vel maximè, quando vident omnibus ab imminente imbre frugibus certum imminere exitium, & indubitatam satis, plantisq; vniuersis paratam vastitatis perniciem.

De nuptijs ergo sic nunc pronunciat Beatus Ambrosius: *Nubes sunt, & graues nubes*, graues curarum grandinibus, graues solicitudinum fulminibus, graues inquietudinum radijs, graues miseriarum plurimarum largifluis nimbis. Hæc omnia status ille ærumnosus fert secum. Cùm itaq; de nuptijs celebrandis agitur, cùm de ineundo matrimonio fit sermo, quis non contremiscat, si curas tamen, miseriasq; cruciabilissimi istius status perspectas habeat? Quis non vehementer timeat tanquam si crassam aduolare nubem videat, quæ fulgura, grandines, inundationes, interitumq; vnum omnibus proximum comminetur? Talia nimirùm, & his cùm plura, tũ deteriora, & acerbiora inueniri apud nuptos solent, inprimis, vbi sub impare iugo, inter perpetuas offensiones, alterationes, animorumq; simultates onus illud fertur, & luctuosa vita agitur.

Hanc ob rem Socrates apud Stobæum serm. 68. Tom. I. interrogatus, quos homines maximè pœniteret eorum, quæ semel egissent, respondit: *Qui vxores duxerunt*; quo significare voluit, luctum, miserias, tœdia, quæ ex alijs factis nascuntur, tolerabilia esse, verùm matrimonij miserias, & infelicitates nullum vel leuamen habere, vel solatium, itaq; nec mirum, quòd ex solis nuptis fiant pœnitentes, vti artifices industrios longum experimentum parere solet.

Huc respexit celebratissimus ille legislator Lycurgus apud Stobæum iterùm serm. 68. quando cuidam sciscitanti, cur non grauiores pœnas in eos decerneret,

cerneret, qui nuptias defugiebant, vt sic eos ad officium cogeret, respondit: *Graue onus est mulierum*, velut dixisset: Non debeo tam subausterus esse in meis legibus, non tam immodicè rigidus in decretis, vt Lacedæmonijs meis inuitis, ac repugnantibus tam molestum onus, quàm est mulier, per vim injiciam, quacum plurimas solicitudines, peruigilia, curas, ærumnasq; tantas quisq; in ædes suas introducit, quãtas domi suæ experietur quisquis coniugatus.

Quærit Franciscus Georgius Problematum suorum sect. 3. Num. 119. cur Isaac *eo tempore*, quo sciebat nuptiarum suarum causam alibi tractari, *deambulabat per viam, quæ ducit ad Puteum, cuius nomen est Viuentis, & Videntis, & egressus fuerat ad meditandum, inclinatâ iam die*, Gen. 24. v. 62. & 63. Secessum petijsse, vt precationis studio expeditiùs vacaret, conspiranter affirmant Interpretes, indicatque Paraphrastes Chaldæus, cùm sic transfert: *Exierat ad orandum.* Notat verò Procopius, valde attentam, flagrantemq; fuisse orationem, cui tunc operam dabat.

At cur per illas horas tam ardenter ad preces incumbebat, tamq; amanter, & enixè Deum obsecrabat?

Respondet Franciscus Georgius: *Nonne fieri debuit in negotio tam arduo, quàm est indissolubile vinculum matrimonij?* Erat Isaac in eo, vt proximè cõiugium iniret. Nouerat inexplicabilem esse nexum, quo cùm se vxori adstringebat, simul grauissimum humeris suis onus imponeret, quod decutere, aut abijcere nunquàm posset. Eapropter oratione se ad hanc rem præparabat, vtq; eam feruentior prometret flagrantis animi affectus, in solitarium locum secedebat, vbi cùm nihil esset, quod cogitatus ab oratione aliò abstraheret, tota mentis contentione vacare Creatori suo posset. Et hæc procul dubio causa est, quòd Isaac, vt sacer Textus monet, *cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam*, Gen. 25. 20. Tam negotiosum enim opus, tam operosum negotium, tam consitus spinis, tam confertus tribulis, tam obnoxius afflictionibus, & solicitudinibus status, nisi ab adultiore, & matura iam, consultaq; ætate virò rectè suscipi non potest. Trito apud nos adagio dicitur: *Antes que vno se case, es necessario mirar loque haze*; hoc est: Qui vxorem ducturus est, is ante, quid agere instituat, necessùm vt præuideat. Sed quomodo hoc præuidere queat, qui iugi, quo se grauat, & oneris, quod sibi assumit, atq; imponit, notitiam habere non potest?

Itaque & Oleaster cùm in hanc considerationem incidit, quòd Isaac nonnisi processioribus vitæ annis matrimonio se addicere voluit, sic ait: *Non possum non taxare nostri temporis homines, qui filios suos vix viginti annorum vxoribus coniungunt, qui non solùm domum suam regere nesciunt, sed nec seipsos.* At si eius ætatis adolescentes tam non rectè procurare familiam, remq; domesticam, quàm nec seipsos moderari possunt, quid de ijs dicemus, qui cùm talibus sint inferiores & iudicio & annis, matrimonij onera nihilominùs suscipiunt?

*In hanc rem Vide Tom. II. Periocham II. Dominica II. post Epiphaniam pag. 409. a. o. atq; ibi pulchra.*

## CAPVT III.

*Nullum tale connubium, quale risus cum patientia, nemo enim adibit gloriam, nisi ante subierit pœnam.*

CVm *ad nostram doctrinam scripta sint, quæcunq; scripta sunt*, vt ait Doctor Gentium Rom. 15. 4. institutioni nostri Politici non parùm commodabit, si attentus consideret mysteria harum sacrarum nuptiarum, & coniugij Isaaci cum Rebecca. De illo sic ait Scriptura: *Accepit eam*, puta Rebeccam *vxorem*, Genes. 24. 67. Res benè explorata est, quã sæpè diximus, & nemo, quantùm existimò, ignorat, nomine *Isaac* significari *risum*: Hoc loco autem necessum est animaduertere, *Rebeccam* ex sanctorum Hieronymi, Cyrilli Alexandrini, Venerabilis Bedæ, Nicolai Lyrani, Santis Pagnini, Laureti, aliorumqs notatione idem esse, quod *patientiam*. Quid verò mysterij habere possit, quòd mutuò copulata sunt, datisq; dextris iugalia fœdera inierunt risus, & patientia? Illud haud dubium, vt intelligeremus, quàm coniuncta sint in domo Dei, quamq; coniugata, *pati, & ridere*, fatigatio, & quies, pœna, & gloria, sic tamen, vt prior quiete sit delassatio, labor otio anterior. Hæc nempè lex est, quam supremus Legislator sanciuit, & Paulus promulgauit, quòd nulli diadema obtinget, qui non ante in palæstra huius sæculi masculo animo strenuè pugnârit, vitæq; præsentis ærumnas magna cum patientia tolerârit: *Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit*; 2. Tim. 2. 5. Nam putare quòd gloria gloriam, & quies quietem alia aliam excipiet, & quòd cæli gloria gaudebimus absque toleratis ante huius vitæ aduersis, est error, quem & sacræ literæ damnârunt, & falsum esse experti sunt, quotquot nunc Deo fruuntur, qui lapides sunt istius sempiterni

ni ædificij, sed tunsionibus, pressuris, ictibus expoliti, & ad ornamentum superæ basilicæ elaborati.

Abiecit Dominus regem Saulem pro violata obedientia, dein verò hoc egit, vt alium constitueret populo Principem, virum secundùm cor Dei, vt is filijs Israël imperitaret, eosq; moderaretur. Vngendi illius in regni iuratum Principem mandata ferebat Samuel, de quo sacer Scriptor 1. Reg. 16. 13. ista: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius*, quibus neglectis, ac repudiatis solus Dauid delectus ad coronam, solus purpurâ, & sceptro dignus, solus Rex inauguratus fuit. Fecit hæc Samuel, atq; ità abijt.

Rupertus in hanc rem sic ferè ait. Qui tale quid ad eum modum agi vidisset, filiorum Isai natu minimum Dauidem magis ferro constrictum, & seruituti addictum, quàm vnctum in regem cogitare potuisset. Nam qui sacram historiam attentis percurrerit oculis, videbit, quòd ille à Samuele regno initiatus fuit, perinde fuisse, acsi persecutionibus, calumnijs, facultatum discrimini, honoris dispendio, vitæ periculo, solisq; ærumnis, ac miserijs omnibus consecratus fuisset. Illum nempè & fratres vexabant, & Saul persæpe quærebat, bibendi sanguinis illius percupidus, & nulla extera natio tam securum habebat, quin de vita crebrò periclitaretur. Quando tandem ergo imperabit ille delectus ad coronam, ille vnctus in regem?

Respondet Rupertus lib. 1. cap. 27. in lib. Reg. *Non statim sceptriger in solio sedit, purpurâ insignis, & diademate clarus, vel coronâ aureâ splendidus, sed priùs egenus, & vagus, profugusq; errauit, & exul omnibus quoq; modis, priùs amaritudinis totius, & infelicitatis, quàm nectareos, aut mellitos Regum poculi liquores epotauit.* Vngitur in Regem Israël, ante autem, quàm illustrem purpuram vestiat, aut radiantem capite coronam excipiat, & sublimem regalis throni sedem occupet, pauper, miser, ærumnosus, per montes, per antra, per syluas, perque omnes iniquioris fortunæ iniurias exul, ac profugus raptatur, neq; priùs ex auro ambrosiam promissi regni haurit, quàm è vase fictili amaritudinem totius miseriæ combibat. Cur ante tam calamitosus fuit, quàm regnaret? Si regni illi spes facta, si inunctus imperio Dauid, si à Deo coronæ deputatus, cur priùs, quàm sceptrum manu vsurpet, aut tempora laurus cingat, tot aduersis affligatur, tot exagitatur malis, ipsasq; non rarò mortis in manus incurrit? Monemur tali exemplo, quòd tametsi in baptismo vncti sumus reges, & inaugurati Principes æternæ coronæ gloriæ, necessariò tamen animaduertendum, priùs, quàm eius possessionem ineamus, Dauidis fortunam nobis subeundam, sic vt ante patiamur famem, sitim, lassitudinem, & alia id genus incommoda, quàm beati regnemus in cœlis, nemini enim sceptrum quietis obueniet, nec otij purpuram æterni quisquam vestiet, qui non illa sibi afflictionum, & ærumnarum fortiter toleratarum vi cōparârit.

Sponsa de Canticis aiebat, non posse quin duplex iter susciperet, quorum alterum ad myrrhæ montem, ad collem thuris alterum duceret, inquiens: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; Cant. 4. 6. Esse hunc ænigmaticum, & metaphoricum loquendi modum, facilè est intelligere, vbi enim seu montes myrrhæ, seu colles thuris reperiri queant? Hoc ita cōstituto, quæro quid sibi velint hæc duo à Sponsa suscepta itinera, atque ità suscepta, & perfecta, vt necessarium duxerit, ante myrrhæ montem pertransire, quàm ad collem thuris perueniret? Nemo in sacris literis versatus ignorat, myrrham, propter suam natiuam, & ingratam amaritudinem, esse tribulationum, & ærumnarum symbolum. Quid enim tam obuium in libris SS. Ambrosij, Hieronymi, Bedæ, tum Laureti, Ricciardi, Pagnini, Berchorij, & Pierij, quàm istud. Quòd etiam thure repræsentetur immmensa Dei maiestas, id constitutissimū apud eosdem authores, quibus accedunt Haymo, Eusebius Emissenus, & Iuuencus Hispanus, qui versu pene vnico, cui non parùm applausit Beatus Hieronymus, mysticam donorum à tribus Regibus Magis oblatorum significationem perstringens, ità canebat:

*Aurum, thus, myrrham, Regiq;, homini,q;, Deoq;*
*Dona dabant.*

Causa autem significatæ per thus Deitatis hæc est, quod id huc consecratum esset, vt supremæ Diuinitati offerretur.

Quid ergo mysterij habet, quòd Sponsa, vt in collem thuris perueniret, myrrhæ montem priùs pertransiuit? Cur hoc illi tam necessarium visum iter, quasi putârit, ad illum penetrare non posse, nisi per hunc priùs viam instituerit?

Respondet sanctus Gregorius Nyssenus hom. 6. in Cant. dicens: *Per hoc ostenditur, quòd qui cum Christo fuerit myrrha particeps, omninò erit etiam particeps thuris, nam qui fuerit cum eo passus, simul etiam conglorificabitur.* Quòd per montem myrrhæ, quæ est symbolum passionis Christi nostri Redem-

ptoris,

ptoris, perrexit Sponsa, vt in collem pertingeret thuris, quod est Deitatis hieroglyphicum, eâ re significatum fuit, vt quis in æternæ illius gloriæ collem penetret, fieri non posse, nisi asperum amaræ myrrhæ montem ante ascenderit, ac pertransierit. Nulla enim cuiquam obuenit sine labore corona, nulla sine sudore palma, nulla sine delassatione priore quies.

Cùm Patriarcha noster Isaac filium suum Iacob (quem tamen arbitrabatur esse Esau) benedicere institueret, mirum est quàm multa semel, ac sæpiùs illum interrogauit, quàm crebrò attrectauit, quàm studiosè examinauit, antequàm illi osculum daret pacis, ac benedictionis, quam illi ex Deo optaturus erat. Priùs comedit, priùs tetigit, posthæc demùm benedixit. In hanc rem sic scribit Moyses Gen. 27. v. 21. 24. 25. 26. *Dixitq́; Isaac, accede huc, vt tangam te, fili mi, &c. Tu es filius meus Esau? &c. Affer mihi cibos de venatione tua, &c. quos cùm oblatos comedisset, &c. dixit ad eum, accede ad me, & da mihi osculum.*

Hugo Cardinalis in hanc rem istud submonet: *Nota quòd non statim receptus est Iacob ad osculum patris, sed post tactum, post prandium, tunc demùm fit osculum.* Quid nobis eâ re præfiguratum, indicatumque fuit? Respondet Hugo: *Tunc demùm fit osculum, id est, post patientiam flagellorum, & fortitudinem bonorum operum.* Quòd Iacob patrem conuenit, ab eoq́; sibi benedici rogauit, is verò non statim exorari se passus est, verùm cunctatione, & variâ percunctatione moras gratiæ, quæ expetebatur, attulit, priùsque & tetigit, & de manuum eius labore cibos sumpsit, hoc factum, vt disceremus, eum, qui osculum pacis, & quietis æternæ suspirat, & primogenituram voluptatis, & felicitatis illius perpetuæ obtinere cupit, debere priùs à Deo flagello afflictationum temporalium tangi, suisq́; ponderibus examinari, qualis sit, quàm fortis ad toleranda aduersa, quàm strenuus ad tractanda bona opera, ac postquàm hoc exantlatorum legitimè laborum, studiorumque in virtutibus colendis ritè collocatorum examen subijt, *tunc demùm fit osculum*, tunc in gradum æternæ beatitudinis euehitur, ac promouetur.

Diligenter notandum id, quod Dominus præcepit nouo populi sui ductori, quando ad occupandam terram promissionis pergebat. Voluit euerti Ierichuntem, & ciuitaté Hai solùm affligi, sic vt hominum nullus omninò, qualiscunque is esset, maneret superstes locorum illorum excidio. Verùm animaduertendum, quod de Ierichuntis euersione sic dicitur: *Quidquid auri, & argenti fuerit, & vasorum æneorum, ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris eius*; Iosue 6. 19. Cùm autem vrbem Hai in rudera detrahi, ferroque ac flammâ vastari iuberet, id ità fecit, vt supellectilem, vestes, monilia, pecora omnia inter milites, eorumque duces diuidi permitteret, inquiens: *Prædam, & omnia animantia diripietis vobis*; Iosue. 8. 2.

Hinc nunc quæstio suboritur, quamobrem in cæde, & strage Ierichunti illatâ tam seuerè prohibuit Dominus, ne quis recularum istius ciuitatis vel minimùm quidpiam sibi retinere auderet, idque tam exactè obseruari voluit, vt Achan, qui hanc temerè violârat iussionem, lapidibus obrui, facultatesque illius omnes subiecto igne concremari præceperit, cùm in ciuitatis Hai excidio totam illius supellectilem, copias omnes potestati, libidini, spoliationi militum permiserit, dicens: *Prædam, & omnia animantia diripietis vobis?* Quid ampliùs habuit Iericho, quàm Hai? Cur Ierichuntis nihil contingere licebat, cùm rebus Hai quibuscunque afferre manus possent?

Respondet eruditissimus Andreas Masius in cap. 8. Iosue, inquiens: *Nullam operam contulerant milites ad expugnandam Ierichuntem, at hic aliquis est militaris virtutis vsus.* De Ierichunte sic ait sacrum oraculum: *Iericho erat clausa, atq́; munita*; Iosue. 6. 1. editis, vastisq́; muris validè incincta. Atque hi muri quomodo corruerunt in terram? Absque vllo ducum, militumué sudore, aut labore, ad aspectum Arcæ, simulatq́; increpuerunt sacræ iubilæi buccinæ omnia illius ciuitatis munimenta solo æquata fuêre: *Populo vociferante, & clangentibus tubis muri illicò corruerunt*; Iosue. 6. 20. Itaq́; populus non diligentiæ, non laboris alicuius singularis impendia fecerat, vt vallis eam vrbem nudaret, propugnacula illius deijceret, fossas aquâ exhauriret, impleret lignorum fasciculis, arces demoliretur, turres prosterneret, tantùm circumierat eam, buccinis insonuerat, & voces aliquas dederat, & hoc solum, quantulum Deus! studium huc verterat, vrbem vt euerteret. Secùs in expugnatione ciuitatis Hai accidit. Ibi enim dicebat Dominus ad Iosue: *Pone insidias vrbi post eam*, stratagematis, artibusque & astibus militaribus ad eam subigendam vtere, quod cùm sanctissimus ille Imperator, tum exercitus eius totus perdiligenter fecit. Hîc verò, hîc industria, ingenium, cura, studium strenui ducis eluxit, hic disciplina, & vigilantia enituit. Et Dominus: Hic ergò sibi habeant expugnatores supellectilia, monilia, &

reliquas opum copias, puta brutas pecudes ciuitatis Hai: *Prædam, & omnia animantia terræ diripietis vobis*; hîc enim sudârunt milites, hîc vires suas exprompserunt, solicitudinemque & vigilantiam maximam adhibuerunt: At in obsidione, & occupatione Ierichuntis non accipiant, non vel digito libent etiam vilissimam quampiam eius ciuitatis reculam: *Videre ne quidpiam contingatis*; nihil enim hîc præclarè, fortiterque ab eis gestum, nullum alicuius momenti facinus editum: *Nullam operam contulerant milites ad expugnandam Ierichuntem.* Vbi ergò nullus fuit labor, nec sit præmium, vbi nulla defatigatio præcessit, nulla sequatur corona; vbi nullus siue sanguis funditur, siue sudor vertitur, ibi etiam neque palma, neque laurus expectetur: Verùm in expugnatione, ad quam plurima solicitudo, vigiliæ, stratagemata adhibita fuerunt, vti factum, cùm ciuitas Hai subacta, ibi oportet erogari præmia, fieri remunerationem. *At hic aliquis est militaris virtutis vsus.*

Hisce mysticis iussionibus, & decretis voluit indicare Dominus, illum posse sibi in ipsius domo promittere coronam, illum expectare laurum, sperare præmium, qui vt strenuus miles laborârit, qui pugnârit vt animosus belli ductor, non verò otiosum, non malè feriatum, qui suæ voluptati tantùm studet, & vitiosas consectatur delitias. Soli enim labori paratæ sunt coronæ; soli præsentium ærumnarum tolerantiæ sua est quies constituta. Otium æternum legitimus hæres est, & successor sanguinolentæ colluctationis, contentiosi certaminis, quod contrà nostras infrenes cupiditates, & immoderatas appetitiones, & carnis peruicaciam, & mundi vanitates, & insidias diaboli suscipitur. Huius contrarium (eheu malitiam!) in palatijs, & aulis Regum accidit, vbi sæpè indignis præmia decernuntur, & præfecturæ tribunalium quidem ignorantibus, & imperitis, belli verò administratio meticulosis, & ignauis, dignitates otiosis, rudibus tyronibus prima stipendia, mitræ idiotis conferuntur. Non sic in rectè instituta domo, & aula Supremi Domini, vbi nemini conceditur corona, nisi qui manus cum hoste fortiter conseruerit, nemini immarcescibile diadema immortalitatis tribuitur, nisi qui multas aduersitates æquanimiter acceptas suæ patientiæ testes produxerit. Denique nemo ibi gaudebit, qui non hîc antè in mœrore fuerit.

Quid enim? Læteturné ibi aliquis, qui non hîc antè in tristitia passionis fuit! Adeatné quisquam illam possessionem, pro qua non priùs hîc desudârit!

Videte quid sanctus Archangelus Gabriel cœlorum Reginæ dicat, quando ei nuntiatum venit, quòd gloriosa mater futura esset non inferioris Filij, quàm cui Pater æternus erat: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium*, inquiebat ei Lucæ 1. 31. tanquàm dixisset: Vide tuam, castissima Domicella, felicitatem, in eburneo namque, & castissimo ventre tuo hospitium sibi deliget, vt sit filius tuus ille, qui est ipsius Dei summi Filius vnicus.

Hæsit in hoc dicendi modo Sanctus Petrus Chrysologus, quo hac vice vsus fuit Archangelus, & non item, quando huius splendidissimi Solis pulcherrimum Luciferum, Ioannem dico, nasciturum annuntians Zachariæ, aiebat: *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium*; Luc. 1. 13. Cur non similiter ibi ad Virginem dicebat: *Concipies, & paries tibi Filium?* Cur absolutè affirmat, & inquit: *Concipies, & paries*, neque addit illud, *Tibi*, quod Zachariam allocutus addebat?

S. Chrysologus serm. 142. ait: *Non dixit* Tibi, *non dixit* Tuum. *Quare?* Quid causæ, quòd hanc miraculosam Filij Dei conceptionem & natiuitatem sic annuntiari voluit, vt videatur non pertinere ad Sanctissimam Virginem, in cuius intaminatissimis visceribus absconditum hoc Incarnationis sacramentum celebratum fuit?

Id ex verbis Chrysologi accipiemus, quæ sic habent: *In tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor aucta est castitas; integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseuerauêre virtutes. Virgo si tibi salua sunt omnia, quid dedisti?* At si nihil hîc deperijt Virgini, si integra illi, atque inoffensa cuncta permanserunt cùm Dei Filium concepit, quidnam huc contulit? Quibus impensis hunc sibi Filium parauit? Cùm plurimæ sint rationes, nulla tamen reperiri videtur, ob quam Maria Christum vocet Filium suum.

Tantundem ego cuicunque gloriæ, & quietis æternæ ambitioso dico. Christianorum omnium vnum votum est; frui cœlo, & illâ beatitudine sempiternùm duraturâ. Viri proceres, ac mulieres Principes felicitatem desiderant perpetuam, sed ità, vt pro eius adeptione non vnius alicuius diei aduersæ iniurias pati, non insomnem tolerare noctem, non tantillùm suis cupiditatibus, & prauis appetitionibus detrahere velint, non vel hoc agere, vt pro Deo prætermittant ludum, intermittant obambulationem, omittant hortorum, comœdiarum, hominum otiosas, & noxias frequentationes, remittant de supercilio, & authoritate, dimittant delitias, & relaxationes,

xationes, quas intemperantia commenta est, & vanitas excogitauit humana: Et postquàm cuticulam suam studiosissimè accurârunt, & indulgentissimè habuerunt, Patrem æternum appellant: *Adueniat regnum tuum*; Matth. 6. 10. gloriæ tuæ cohæredes, & palatini cœlorum esse velimus. Sed heus tu, quisquis ista optas, & precaris Princeps, seu vir, seu fœmina, *si tibi salua sunt omnia, quid dedisti?* Gloria afflictatione carnis, ciliciorum gestatione, pœnitentiæ laboribus, spontaneæ tolerantiâ famis, & sitis, flagellatione corporis, mortificatione cupiditatum malarum, pertinaci orandi studio, taliumque rerum pretio comparatur: Vos autem voluptatibus vestris ne hilum quidem detraxistis, & flagrorum acerbitatem nullam hactenùs vel primis, vt aiunt, labris gustastis, mortificationis omnis, & pœnitentiæ tam ignari estis, quàm qui prorsùm nescij, quomodo ergò, dicite mihi, vultis illo regno frui, pro quo nulla impendia fecistis? Occurret mihi illustre, & Princeps par hominum, dicetque, sic esse viam è Palatijs, & mollibus vestibus ad cœlum, vt è monasterijs. Verum est, quod aiunt, ex aulis enim, & eburneis lectis nonnulli cœlos petunt, aut ex asceterijs quidam, & duris stratis ad astra vadunt. At velim dicant mihi, quotnam Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites albo Sanctorum hoc tempore adscribantur, & qualem vitam duxerint olim ij, qui catalogo illi iam sunt inserti. Res in aperto est, quòd byssum cum cilicijs commutârunt, & precibus dederunt otium, quod consalutationibus dare soliti, & inediæ se addixerunt, qui vacare conuiuijs consueuerant, & omnium vestium procul à se abdicârunt luxum, & profana Palatia in sacra, & religiosa oratoria verterunt: Verùm non parcere ludo, non prætereire pratum, per quod non lubricis prælicenter tua luxuria feratur pedibus, in obscœnas amicitiolas, & sæculares stultitias prodigere Dominiorum suorum prouentus, qui à Deo ad sublevandas pauperum necessitates sunt concessi, quis hæc gloriæ merita dicat, nisi fortè cœcus quidam atheus, aut spurcus sordidi Epicuri de grege porcus? Et si contrà opponat Politicus cœlorum, flagra, ieiunium, inediam, pœnitentiam, clausuram, solitudinem, appetentiarum prauarum castigationem, & coërcitionem Ascetis religiosis seruata esse, respondebo, eisdem etiam gloriam, & quietem æternam, & beatitudinem, & Dei visionem seruatam esse. Nisi enim per hos gradus ascendas, & hanc viam teneas, peruenire ad possessionem quietis, & felicitatis æternæ non potes.

*Vide Persocham II. Dominica XVIII. post Pentecosten Tomo II. pag. 252. & quæ ad calcem illius subnotata. Vide etiam Persocham IV. Dominica I. post Epiphan. pag. 401.*

## CAPVT IV.

*Ex magnitudine sumptuum, quibus peccator breuem, ac momentaneam voluptatulam sibi parat, potest felix Iustus æstimare, quàm paruo sibi duraturam semper à Deo quietem emat, tam exiguo enim, ac vili eam sibi nundinatur, quantumcunq́; pro illa eroget, vt velut inuenisse in compitis, aut furto sustulisse videatur.*

POlitico nostro videbor nimium quantùm verbis extulisse doctrinam capituli superioris, ingensque, ac permagnum esse pretium, quo venditur cœlum. Verùm tam nihil me pœnitet doctrinæ suprà traditæ, vt ampliùs dicam, tametsi summum, & extremum pretium regno cœlorum constituissem, peruelle hoc in illo emendo collocare. Addo, quòd si nostro rudi more loquendi de hoc negotio disseramus, posse dici Deum velut fraudem pati, quoties rem tantam tantillo vendit. Videamus quanti constet misero peccatori sua breuis, & momentanea delectatio, quidq́; illi detur in hac vita pro cruciatu, quem in futura sempiternùm luet, atque inde accipiemus, Iustum tam exiguo comparare sibi gloriam, vt gratuitò eam accipere fateri debeat, quantumcunq́; sanguinem pro illa fundat, & qualescunque siue corporis afflictationes, siue pœnalium operum labores ad hanc rem vertat? Pro falsa, & fugacissima voluptatula comparat sibi cœcus peccator, secundùm præsentem iustitiam, nihil minus quàm atrocem pœnam, quæ totam Dei æternitatem exæquabit. Adhæc animæ iacturam facit, quæ non minore, quàm sanguinis Christi impendio reparata fuit, & monile tam pretiosum est, vt ex aduersa parte eiusdem sanguinis ad eandem libram expendatur, *quasi Deum valere videatur*, vt ait Eusebius Emissenus. Si quis adamantem, qui centum millibus ducatis æstimatur, pro vno teruncio dari videret, quid de tali venditore diceret? Stultum, prorsùmq́; amentem pronuntiaret eum, qui rem tantam pro tam vili, ac nihilo pretio erogaret. Sed perexigua est hæc comparatio ad rem, qua de agimus, explicandam. Quid enim est adamas, qui etiam totum mundum pretio superet, si cum anima conferatur? Secundùm hæc ergò, si miser peccator fœdam, & imaginariam voluptatem non leuiore, quàm animæ

suæ, tam incomparabilis monilis, sumptu emit, & post hoc dispendium nihil lucri facit, nisi quòd se inferni vernulam facit, in quo intolerabiles pœnas æternùm dabit, quid mirum, quòd Dominus pro gloria vera, & semper duratura temporariam, momentaneamque passionem exigat?

Ah! quàm infructuosè miseri reprobi in illis Inferorum triremibus (vbi perpetuum inter ardentissimas flammas remum trahent) & deplorabunt, & dicent, quod Ionathas patri suo Sauli, qui cùm publico edicto sub certa capitis pœna cauisset, ne quis, ante confectum cum Philisthæis bellum, quicquàm cibi sumeret, & hanc à filio violatam iussionem intellexisset, adeòque neci eum dedere vellet, priùs, quidnam fecisset, interrogauit, quando ille hæc multis cum lachrymis effleuit: *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululùm mellis, & ecce morior*; 1. Reg. 14. 43.

Notandum hîc, quod est apud Hugonem Cardinalem, nimirùm Scripturam hoc in loco per eiusdem verbi iterationem de rei magnitudine detrahere, quâ alioquin ferè ad amplificandum vti solet. Verba illius in cap. 14. 1. Reg. sic habent: *Hic præter solitum morem geminatio notat diminutionem, cùm sæpiùs notet augmentum, vt ibi, Benedicens benedicam.* Voluit ergò Ionathas cibi paucitatem extenuare, vt exaggeraret grauitatem pretij, & exiguum illud, quod comedit, plurimùm defleuit, vt sumptus, quos in eo fecerat, extolleret, & tale ferè fuit, quod dixit: Quòd tantilli mellis delibatio mihi vitæ, rei omnium carissimæ, & expetitissimæ pretio constet, durum telum est, & acerba miseria.

Mel istud, ex Petro Berchorio, Laureto, Ioanne de S. Geminiano, & Pierio, caducas delitias, & falsas, fluxasque huius vitæ voluptates significat. Hoc ergò est, quod infelix damnatus inter suos cruciatus sempiternos gemebundus planget, dicens: *Gustans gustaui paululùm mellis, & ecce morior*; ô quàm miserè circumuentus, & cœcus mercator fui, qui pro voluptatula momentanea, eaque vmbratili, & fictitia hanc mihi pœnam æternam nundinatus sum, & animam meam, tam inæstimabile monile, vendidi!

Putas non expectoraliter suspirauit, non ipsos penè cum lachrymis oculos effudit Sanctus Ambrosius lib. 2. de interpellat. Iob. c. 7. cùm ait: *In exigua delectatione amaritudo perpetua est.* Eheu stultos, præcipites, oculis & mente captos mundi mercatores! qui pro fugacissima oblectatiuncula cruciatus vobis æternos, & pœnas, doloresq; nunquàm desituros comparatis. Videte quidnam illud detis, quidué inuicem recipiatis. Vilem, eamque perbreuem voluptatem accipitis, æternæ autem sunt pœnæ, quas pro ijs dabitis, pauxillulùm mellis est, quod hic gustatis, amaritudinis autem, & absynthij, quod ibi pleno ore, & corpore toto haurietis, nullus vnquàm finis erit.

Quid ergò queritur homo Christianus? Quid lachrymas inter quascunque illas aduersitates vertit? Quid dolet, & ægrè afficitur animo, quantùmuis in hac vita mortali vapulet? Si peccator breuem voluptatem æternis cruciatibus luit, quas dare querimonias potest iustus, cui pro temporaria passione datur gloria, cuius nullus terminus, paradisus, cuius amplitudo immensa, pulchritudo inexplicabilis, quies denique, cuius nullus finis? Quis hîc fraudem patitur? In priore negotiatione homo, in posteriore commertio Deo imponeretur, si circumscribi ille dolo posset, vt à quo iustus vilissimo pretio emit ditissimum, & pretiosissimum, & inæstimabile monile beatæ, & æternæ visionis, quod tametsi permagno comparare sibi videatur, vbi tamen hæreditariò possidere cœperit, tam paruo emisse fatebitur, acsi inuentum gratis accepisset.

Vt constabiliam, quæ iam iam dixi, non possum præterire quædam præ:nodùm trita Apostoli verba, vt ab ijs feliciter auspicer illius veritatis confirmationem. Cùm sacer ille Prædicator apud animum suum reputaret ærumnas, calamitates, iugesq; molestias, & aduersitates, quas fideles pro defensione prædicationis Euangelicæ, tutandaq; eius immunitate patiebantur, vt spem illorum aleret, animosq; confirmaret, hortabatur per literas, ferre fortiter, perseuerare constanter in palæstra, & arena martyrij, quin & gaudere, ac lætari etiam, dicens: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; 2. Corinth. 4. 17.

Glossa Angelica, S. Anselmus, Hugo Cardinalis, Haymo, Dionysius Carthusianus, & alij magnum in his Pauli verbis mysterium inuenerunt. Res quatuor Apostolus posuit, & his alias quatuor ex aduerso opponit. Prima est vita, quam hîc viuimus morituri: *Id quod in præsenti*, subaudi, vita, seu tempore. Secunda est momentanea duratio calamitatis, aut aduersitatis, quam patimur. Tertia est illius leuitas. Quarta tribulatio ipsa: *Momentaneum, & leue tribulationis nostræ.* Atq; hoc est pretium, quo constat id, quod emendum. Videamus nunc quid pro tribulatione nostra, eaque præsenti, momentanea, & leui reddatur. *Suprà modum in sublimitate*

*æterna*

*æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Dicit nunc Glossa: *In sublimitate contrà id, quod in præsenti, æternum contrà momentaneum, gloriæ contrà tribulationis, pondus contrà leue.* Nemo itaque de emptione queri potest, qui præsentibus futura acquirit, & rei grauis lucrum leui facit, & pro momentaneo æternum nanciscitur, & tolerantiâ tribulationis comparat gloriam, non alteri, sed sibi, ipse namque est, qui omnibus istis bonis, illâ gloriâ, & opibus fruetur. Quàm contrà misero, & cœco peccatori euenit! quandoquidem eâ, quæ in præsenti est, voluptate futuram sibi pœnam mercatur, momentanea oblectatione æternitatem inferni acquirit, leui recreatiunculâ graue supplicium comparat. Gaudeat Iustus suâ tam felici, & fortunatâ sorte, qui tantillo malo, quod tolerat, tam ingens bonum sibi nundinatur, & tam magnum pondus gloriæ tam leuibus, & momentaneis pœnis lucratur, quod ille velut gratis assequitur, quantumcunq; illud sit, quod ad gloriam promerendam, & adipiscendam impendit.

Ad lucem huius doctrinæ possumus vindicare Theophylactum à reprehensione, quâ moderni aliqui eleuant illius commentarium, quo Scripturæ quendam locum illustrare voluit. Res est, quòd ille nobilis, diues, & religiosus senator Ioseph, vt ferunt Euangelistæ, postquàm vitæ author in probroso Crucis stipite animam egit, audacter, magnoque animo ingressus ad Pilatum præsidem, gratiam cadaueris Dominici sibi fieri obsecrauit, vt supremi honoris officium illi impenderet. Pilatus simulut expirasse Redemptorem certò accepit, exorari se passus *donauit corpus Ioseph*, vt est apud Marcum 15. 45.

Theophylactus in c. 28. Matthæi, cùm in huius rei commentatione versaretur, sic scribebat: *Quùm Ioseph diues esset, verisimile est, quòd Pilato aurum dederit.* Nam cùm Dominus facinorosi, ac turbulenti hominis existimatione laboraret, perarduum fuit impetrare, vt honorifico sepulchro à morte inferri posset. Hæc autem difficultas nullâ re sic auferri potuit, vt auro, quod est aries, quo obfirmatissimæ, & validissimæ portæ sternuntur, & machina fulminaris, quâ fortissimæ arces deijciuntur, & cuniculus, quo toti montes funditùs euertuntur. Ità sentit Theophylactus, inquiens: *Porrò pro magno donatum est illi corpus Iesu, nam cùm vt seditiosus esset occisus, reliquum erat, vt insepultus abijceretur.* Alui, & ventriculi animalium erant olim tumuli maleficorum. Quod cùm aduerteret Ioseph, videretque quàm arduam, inusitatamque, & pugnantem cum more communi rem peteret, inprimis cùm flagitaret corpus Christi, qui efferatos, infensissimosque habebat æmulos, *Verisimile est, quòd Pilato aurum dederit*, inquit Theophylactus.

Hoc loco quidam neoterici insurgunt in magnum Doctorem, voluntque deceptum in eo, quòd ait, Christi corpus à Iosephte auro emptum, cuius contrarium ab Euangelio affirmari videatur, dicente Marco, quòd *Pilatus donauit corpus Ioseph*, donare autem est gratis, & absque pretio aliquid concedere. Et verbum Græcum, pro quo noster vertit *donare*, eandem significationis vim habet, idemq; est, quod gratuitò, absque solutione, remuneratione, compensatione, pecunia mutua quidquam dare. Secundùm hæc malè dixit Theophylactus, cùm ait, quòd Ioseph magnam vim auri numerauit pro Christi cadauere, videtur namque Euangelista satis indicare, quòd gratis, & absque vllo pretio donatum liberalissimè à Pilato fuit.

Verum hanc facilè dilues obiectionem, si dicas, quòd Theophylactus in media Græcia natus, & educatus, illiusque idiomatis peritissimus ignorare nequiuit, quod illi opponitur, & securè affirmare potuit, quòd Iosephti corpus Christi quadam, neque paruâ pecuniæ summâ stetit, quanquàm Euangelista asserere videatur, fuisse à Pilato donatum, siue gratuitò datum. Nam cùm diuinum illud cadauer esset tam ingentis pretij gemma, & inæstimabilis valoris margarita, & monile, cui aliud nullum comparabile, quantùmuis auri, rerùmque aliarum pretiosissimarum pro illo dedisset, & omnes semel totius orbis terrarum thesauros expendisset, nihilominùs velut gratuitò donatum à Pilato accepisset. Quidquid enim pro illo erogari potuisset, quantumcunq; illud, comparatum cum tanti doni pretio, & præstantia, tam vile fuisset, vt velut inuenisse putare potuisset, qui etiam totius mundi opum copijs illud sibi comparasset.

Sic & vindicauimus Theophylactum, & confirmauimus rem, in qua versamur, simile enim quidpiam in causam præsentem dicere possumus, nimirùm gloriam, beatitudinem, pulcherrimam Dei faciem esse tam ingens, ac sublime bonum, vt quantùmuis patiamur, quantoscunque labores pro illius consecutione suscipiamus, & toleremus, totum sit paucum, leue, momentaneum, & perexigui momenti, cùm omne illud, nostro modo intelligendi, tale sit, acsi cum gemmis paleas, fœnum cum argento, cum auro lutum, vitrum cum margaritis côponas.

Hinc elucescet nobis sensus quorundam difficiliũ Tertulliani verborum ex lib. de resur. carnis c. 51. vbi vt spiritum, & carnem, corpus, & animam inter labores, & dolores, quos in hac mortali vita patiuntur, consolaretur, aiebat: *Securæ estote, caro & sanguis, Vsurpastis & cælum, & regnum Dei*, ferte vitæ præsentis qualescunque molestias, & ærumnas, vestris enim laboribus quies, vestris cruciatibus gloria est præparata. Est in his magni Africani verbis notandum illud, *Vsurpastis cælum*, quod insignis illius interpres studiosè animaduertit. Sed quid est vsurpasse cœlum? Eruditissimus Iurisconsultus Alciatus, Albericus de rosa, Alexander Scotus verbo *Vsurpare*, id exponent, quorum est illud: *Vsurpare est aliquem contrà rationem, ius, Vsum, Vel consuetudinem capere, inuadere, Vel præsumere*. Ex his nunc manifestum euadit, quod ait Tertullianus: *Vsurpastis cælum*; perinde enim est, acsi dixisset: Per vim, ac tyrannidem regnum cœlorum in vestram potestatem coëgistis. Sed quomodo id affirmari potest? Quænam possunt esse tantæ vires hominum, vt per eas sibi patiatur Deus auferri suam gloriam, & à carne, ac sanguine vsurpari, hoc est contrà rationem, ius, vsum, & consuetudinem capi, inuadi, eripi regnum, quietemque adimi? Aut si hæc fieri nequeunt, quomodo affirmat Tertullianus, quòd quisquis cœlo potitur, magis illud furto, quàm iure sibi acquirat, & vsurpet potiùs, quàm recto titulo comparet? *Vsurpastis cælum*. Dictum itá, vt ostenderetur magnitudo gloriæ, præstantia beatitudinis, immensa regni cœlorum amplitudo, quodque illius tam est ingens, sublime, & incomparabile pretium, vt tam exiguũ sit quidquid pro illo erogatur, quantuscunque sanguis funditur, qualescunque pro eius consecutione cruciatus perferuntur, vt magis per vim, contraq; fas inuasisse, quàm iure adeptus esse, magis vsurpasse, quàm legitimo nomine comparasse dici etiam is possit, qui pro illius adeptione & omnium fortunæ, corporisque bonorum dispendium passus sit, & cum sanguine vitam libens, gaudensque profuderit. Tantum valet gloria, & quies æterna, vt in leuibus, infirmis, infimis, & momentaneis numerari queat, quidquid pro ea erogari potest, sic vt qui etiam acerbissimorum, atrocissimorumque cruciatuum tolerantiâ eam sibi commeruerit, & comparârit, potiùs vsurpasse, depeculatus fuisse, quàm legitimè acquisiuisse videri possit.

O quàm probè hoc intelligebat Sponsa, quando inquiebat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*; Cant. 1, 12. Quid ais, Sponsa sancta! Cùm per myrrham (quod pono) intelligantur omnes cruciatus, dolores, & quidquid amaritudinis, aduersitatis, tormentorum in præsenti vita, æquanimiter tolleramus, vt in futura tui Sponsi aspectu æternùm fruamur, quomodo illum martyriorum imbrem, & tantam pœnarum inundationem, & vastum illud tribulationum pelagus, & immanem illam, sæuissimamq; flagrorum tempestatem, fasciculum appellas? *Fasciculus myrrhæ*!

Respondet pro Sponsa Doctor mellifluus serm. 43. in Cant. dicens: *Benè fasciculus, quià non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Erit ergò quandoq; nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò est fasciculus myrrhæ*. Sapientissimè vocat Sponsa omnes huius vitæ passiones, & ærumnas fasciculum myrrhæ, hoc est, rem leuem, ac debilem, quidquid enim dari, quidquid tolerari potest pro æternis mansionibus, quidquid laboris suscipi pro illa delitiosissima, & voluptuosissima statione, & habitatione, id momentaneum, paruique & ponderis, & momenti est, vt ait Apostolus Rom. 8. 18. infinitùmque abest à pretio eius gloriæ, quæ præsentium passionum tolerantiâ comparatur. Et quoniam Sponsus in illa paradiso cœlesti erit ingens gloriæ, quietis, voluptatisque cumulus, cùm hunc, vnaq; huius temporis passiones, & ærumnas eidem trutinæ Sponsa imposuisset, atque inuicem perpendisset, inuenit has tam leues esse, vt dicere debuerit: *Fasciculus myrrhæ*; velut dixisset: Agedum, fasciculus est, nihil est, quidquid hîc tolerari potest, si cum gloria conferatur, & quiete, quam expectat, quisquis nunc patitur, & laborat. Iuxtà hæc benè dixit Tertullianus: *Vsurpastis cælum, & regnũ Dei*; quod prout est immensum & incomparabile, sic magis furto accepisse, quàm iure acquisijsse videtur, quisquis illud est adeptus, quantumcunque illud sit, quod pro eo erogauit.

Quàm aptè huc cadet, quod nunc ex Sancto Euangelista Luca subijciam. Pendebat ex arbore mortis fructus vitæ, medius inter lignum aridum, & plantam virentem, inter latrones duos, quorum alter blasphemus, humilis alter. Ex quibus hic, cùm prodigiosam Domini constantiam cerneret, videretque illum apud Patrem pium esse Oratorem, solicitumque aduocatum, & patronum eorum etiam, à quibus in crucem actus, intereà grauiter offendebatur, innocentiam eius confitens, protentosamque perseuerantiam admirans, ac suspiciens aiebat: *Domine, memento mei, dum Veneris in regnum tuum*; Lucæ 23. 42. tanquàm pluribus

dixisset;

dixisset: Qui tam libero est pectore, tam generoso animo, vt propriarum iniuriarum, & pœnarum oblitus, culparum condonationem alienarum tam enixè procuret, is haud dubium suprà hominem est. Obtestor te itaque, Domine, vt quandoquidem noxarum gratiam ijs exposcit, qui eam non petunt ipsi, supplices preces meas ne repellas, quibus cùm scelerum meorum grauitatem confiteor, tum vt mei, vbi in regnum tuum redieris, recorderis, obsecro. Memoriam tu mei tantùm habeto, & nulla posthac felicitati meæ fiat accessio. Audijt Dominus demissam orationem, dicens, pro humillimæ, & fortunatæ confessionis merito non tantùm in memoria præsentem, verùm etiam in paradiso socium habere velle, idque ipso die, quo obsecrabat: *Amen dico tibi; hodie mecum eris in paradiso*; ibid. v. 43.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. de cruce, & latrone Tom. 3. ait: *Iste latro de ligno mercatur salutem, hic latro furatur cœleste imperium.* Videntur hæc verba secum ipsa pugnare: Nam si Dimas cœleste imperium nundinatus fuit, quomodo depeculatus? Aut si furto arripuit, quomodo mercatus fuit? Affirmare possumus, vtrumque verum esse, mercatúmque salutem, & furatum fuisse imperium. Quando apud nos quispiam prædium opulentum exiguo pretio emit; ad exaggerandam eius felicitatem, dicere solemus, *Que es robado*, furtó partum est. Nam vt sine vllo numorum impendio paratur, quòd furto acquiritur, sic velut per viam raptum dicitur, quidquid magnum paruo emitur. Nunc itaque intelligemus, quàm præclarè dixerit Chrysostomus: *Iste latro de ligno mercatur salutem, hic latro furatur cœleste imperium*; quòd perinde est, ac si dixisset: Felix Dimas è patibulo, vnde pro atrocissimorum latrociniorum suorum merito in profundum inferni descensurus erat, vno contritionis actu, quo exanimitùs & Deum offendisse doluit, & ætatis malè actæ errata detestatus fuit, omnium scelerum suorum indulgentiam sibi parauit; & palus, ex quo in ardens damnationis pelagus præceps abiturus erat, pro gradibus illi fuit, per quos ad delitiosas cœlestis paradisi stationes ascendit; cumque habenas tormenti præsentis, à quo ad æternos cruciatus ducebatur, obtorqueret, ad semper duraturam gloriam illum sua pœna duxit. Secundùm hæc dici potest, quòd furatus videatur gloriam, qui eam etiam vel bona faciendo, vel mala tolerando sibi comparauit, eò quòd rem tantam tantillo emit. Ergo si gloria pro tam vili datur, cuius ea est magnitudo, vt perparùm sit, quidquid illud sit, quod pro ipsa offertur, & si cruciatus æternùm duraturus tam exiguo, leui, ac vili comparatur, nullas habet Politicus noster iustarum querimoniarum causas, quantumcunque grauia, & acerba sint, quibus in hac vita affligatur, commutare namque pœnas tam breues cum gloria æternùm duratura, est nundinatio, quæ in magnam emptoris commendationem, & vtilitatem cedit: At verò quòd dæmon momentaneam, spurcissimamq; voluptatulam pro cruciatu, qui nullum habiturus finem, vendat, ea misero peccatori, & cœco emptori damnosissima, & perniciosissima est mercatura, qui tam grauibus animæ suæ impendijs damnationem sibi procurat, & comparat sempiternam.

## CAPVT V.

*Quòd Dominus precibus nostris cunctanter occurrit, tardiúsq; annuit, non id facit, quià vehemens illum dandi cupiditas non teneat, sed vt mora consecutioni beneficij ampliorem apud nos conciliet existimationem.*

INclitus patronus, dux, & doctor noster S. Iacobus, qui suo calamo perstringit hæreticos, erudit Catholicos, suo gladio sternit Mauros, subigit Paganos, cùm extolleret munificentiam Dei Patris luminum, in vestibulo suæ canonicæ epistolæ, ait tantam esse manuum illius largitatem, vt velut planetarum pulcherrimus Sol radios suos terræ, sic ille se creaturis suis infundat, neque cuiquam tamen dona, quæ dedit, obiectet, vel obtrudat: *Dat omnibus affluenter, & non improperat*, inquit ille cap. 1. v. 5. Verùm quanquàm ità sit, nonnunquàm tamen Deus contrahit manum, & oppessulat pectus, vt non facilè inde accipiamus, quod petimus, non quòd generosa illius indoles non sit cupidissima dandi, sed ne leuiter dissipemus illius dona, & sint infructuosa beneficia. Pernouit enim hominum ingenium, scitque ab ijs vt quæque nullo negotio obtinentur, ita per obliuionem contemni, neque satis reuerenter haberi ea, quæ absque lassitudine inueniuntur, & sine labore obtinentur. Et quoniam ex contemptione, ac despicientia beneficij nascitura est pœna supplicij, propterea misericorditer differt Dominus concessionem eorum, quæ suspiramus, & rogamus, vt maiorem apud nos habeant venerationem, & existimationem. Itaque necessarium quandoque est, vt se diuculè rogari Dei liberalitas sinat, vt illam, cùm se in preces nostras inclinat, magis suspiciamus, & admiremur. Facilè namque de pretio suo cadit, quòd facilè inuenitur.

Sponsa

Sponsa cum anxietate non modica, & multis gemitibus aiebat, quòd videret, quidem Sponsum, attamen cum ingenti difficultate & labore, inquiens: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*; Cant. 2. 9. velut dixisset pluribus: Amātissimus Sponsus meus per sui palatij fenestras emissitijs me arbitratur oculis. At miseram me! quæ frui illo prorsùm ex integro, vt velim, non valeo, nam hinc quidem ex familiari agendi artificio, gratiâ, festiuitate, ac lepore ipsusmet mihi esse videtur, inde verò à perfecta illius notitia, & agnitione me quidam cancelli, quos sibi obtendit, impediunt. At si diuinus Sponsus ardentissimè per omnem vitam sese impertire desiderat, cur septis cancellorum contegit, vt omninò totus quantus videri non possit? Videtur namque, quòd dùm agnosci cupit, vsurpari oculis nolit.

Huic quæsito Magni Basilij eloquentissimus frater S. Gregorius Nyssenus satisfecit, dicens, in fenestris denotari Prophetas, in cancellis figuras, in quibus depictus, promissusque erat Sol iustitiæ, & mundi Redemptor. At si hic Sol à Patre venturus erat, vt cœco mundo lucem adferret, cur per fenestras, cancellosque diu prospicit, suique desiderium in veteris legis tot figuris, sacrificijs, & imaginibus excitat? Causa ea est, quam tractamus, inquit Nyssenus. Nam si ea lux, simul vt mundus illâ egere cœpit, allata, omniumque oculis, & vsibus palàm exposita fuisset, homines, pro suæ indolis more, non tanti fecissent. Vt ergo iustam habeat id beneficium, & illa tam insignita misericordia existimationem, priùs desideranda offeratur per Prophetas, delineata monstretur in sacrificijs, præfigurata exhibeatur in Prophetis, videant illam, nec inueniant, gaudeant eâ, nec teneant tamen, vt denique cùm repeterint, & apprehenderint, maiore sit pretio, quæ diuturniore fuit in desiderio, enixiùsque venerentur, quam expetierunt diutiùs.

Audite Nyssenum, cuius sunt hæc ex homel. 5. in Cant: *Priùs ergo splendores Prophetarum intelligentiarum animæ illucescentes per à nobis mente intellectas fenestras, & cancellos immittunt desiderium videndi Solem sub dio, deinde sic id, quòd desideratur, procedit ad effectum.* Quòd non magno lachrymarum impendio paratur, exiguum locum apud hominum æstimationem habere solet. Nam vt est in communi iurisconsultorum adagio, *merces vltroneæ vilescunt.* Quidquid venale circumfertur, ex hoc ipso contemptui est, sit licet pretiosissimum: Quòd autem ab auido nundinatore quærendum domi seruatur, sit licet vilissimum, & abiectissimum, putà grāueolentissima tabaci herba (quâ nihil magis vel rancidum, vel putidum, vel infame, ac propudiosum, pudendumque) id in pretio habetur, vt sordidæ, & fœtulentæ illi herbæ accidit, quæ magnâ dæmonis solicitudine ex Indijs in Hispanias, aliasque mundi superioris oras inuecta videtur.

Considerabat Propheta regius infirmitates, & mala, quæ ex adulterio, & homicidio anima illius contraxerât, cùmque simul videret, quantâ curæ, & remedij necessitate laboraret, gemebundus ac suspirabundus superum medicum appellabat, dicens: *Anima mea turbata est valde, sed tu, Domine vsquequò?* Psal. 6. 4. tanquàm apertiùs dixisset: Quid hoc rei, mi dulcis, & amabilis Domine, quòd tantâ cunctatione vteris, vbi & plurimæ angustiæ opem, & grauissimæ anxietates leuamen, & tot morbi, ac vulnera medicinam citam inclamant? *Sed tu, Domine, vsquequò?* quamdiu auxilium differs, prorogas solatium? Beatissimus Pater Gregorius in Psalm. 1. pœnit. hac paraphrasi verba Dauidica illustrat: *Ecce in conspectu boni medici, & curare valentis assisto, vulnera detego, preces emitto, dolores augeo, lachrymas effundo. Cur ergo dissimulas, cùm non sit tibi minor potentia, quàm voluntas?* Quæ causa esse queat eius, quod video, Pater superne? Tu medicus es, qui omnem, quantùmuis grauem, & prolixum morbum leuare possis. Ego, quantum quidem æstimo, vt conualescam, quidquid possum, facio, nam & plagas meas oculis tuis subijcio, & infirmitates meas aperio, & remedium non vocibus tantùm magnis, verùm & plurimis, ijsque ardentissimis lachrymis, suspirijs, gemitibus pertinaciter deposco. Qui fit ergo, quòd differs curationem, protogas valetudinis restitutionem, cuius par est voluntati facultas, sic vt si me exurgere de strato infirmitatis meæ velis, verbulo, vt exurgam, facere queas, cùm sit vna vtriusque omnipotentia? *Cur ergo dissimulas?* Quid cunctaris, & in longos menses extrahis medicationem? Videris namque aurium fores vocibus meis occludere, neq; satis attendere, quòd gemo, & suspiro.

Respondet sanctissimus Doctor, Pontifex Maximus: *Omnis curatio, quantò difficiliùs acquiritur, tantò acquisita cautiùs custoditur.* Quòd non statim accurrit suauissimus, & pijssimus Dominus siue ad gemebundi voces, siue adplorabundi lachrymas, non facit vel defectus amoris, vel quòd non vehementer cupiat mœrorem lugentis abstergere, supplicumq; votis annuere, sed quòd sæpè expediat moram inijcere petitis, & non extemplò concedere postulata, vt

maiore

maiore in pretio sint, quæ impetrantur, cariorem enim habemus, studiosiúsque obseruamus bonam valetudinem, quam diu suspirauimus, & ægrè obtinuimus: *Omnis curatio quantò difficiliùs acquiritur, tantò acquisita cautius custoditur.* Itaque quòd Dominus tardat nostris rogatibus satisfacere, quanquàm abalienatio videatur, nonnisi pietas est, ac tametsi dedignationem olere videatur, amor tamen est, non aliud quidquam. Vult in pretio esse sua beneficia, ideòque longis ea desiderijs concedit. Vult æstimari sua dona, propterea cunctabundè ea dilargitur, sciens leuiter contemni gratiam, quæ facilè conceditur.

S. Marcus Euangelista occasionem refert, ob quam multo mane surgens Dominus, vt concurrentes magno numero homines declinaret, in solitudinem se receperit, inquiens: *Et diluculò valde surgens, egressus abijt in desertum locum, ibique orabat*; Marci 1. 35. Prosecutus fuit Magistrum suum Petrus, & nonnulli alij, qui cum illo erant, cùmque inuenissent eum orationis studio deditum (tali nimirùm exercitationi apta est eremus, vt precibus, & excolendæ animæ opera ibi detur, non vt lusibus, vanis oblectationibus, delitijs indulgeatur) dixerunt: *Omnes quærunt te*; ibid. 37. nec quisquam est, quem non anxia tui videndi cupiditas teneat.

Euthymius ait: *Vide autem quomodo secessio desiderabiliorem eum reddiderat*; velut dixisset: Nonné animaduertitis, quàm perspicuum sit, quid efficiat, cùm quis alijs nonnisi desiderantibus, & percupidis copiam sui facit? Vix enim Sol iustitiæ sese abdiderat, quando omnes lucem illius suspirabant, expetebant radios, atque ad præsentiam eius anhelabant, quod fortè non egissent, nisi absentiæ nubem suos splendores inter, & homines mediam obtendisset.

Vt enim mellifluus Bernardus in quadam epistola ait, *rebus raritas pretium facit.* Res vilissima simul vt rara esse cœperit, cara efficitur. Sordidæ merces augescunt pretio, si difficilè inueniantur venales.

Sapiens ait, viri docti, prudentisque & verba, & anhelitum pretiosa esse: *Pretiosi spiritus vir eruditus*; inquit ille Prouerb. 17. 27. Quanquàm respiratio res sit vulgaris, & tam vsitata, quàm necessaria, apud virum peritum nihilominùs incipit esse in pretio. Alia litera habet: *Pretiosi spiritus vir prudens, & sagax.* Viri prudentis, & sagacis omnia pretiosa sunt, omnia suam ab illo habent æstimationem, omnia velut reliquiarum instar habentur. Quonam verò artificio, & astu vir prudens vtitur, vt ea pretij singularis momenta suis verbis, & sermonibus conciliet? Id Solomon exponit ibidem dicens: *Moderatur sermones suos*; quæ verba modernus quidam, & doctus interpres epistolæ sancti Iacobi (*P. Didacus Daza*) v. 19. lib. 2. num. 7. hoc commentariolo illustrat: *Ità se tardum præbet ad loquendum, vt vix rogatus verba sua proferat, quare pretiosi spiritus meritò appellatur*, ein Mann der seinen Athem gar hochwerth helt. *Accedit etiam verbis, vt & rebus ex ipsa raritate commendatio.* Viri solertes, & consulti tam solent esse parci suorum verborum, sicque ea cohibere, vt velut per alembicum guttatim destillent. Vt sermonem ab eis vel pauculum exprimas, magnum in modum perurgendi sunt. Vt parùm loquantur, plurimùm rogari sinunt. Hinc nascitur, vt anhelitus, quem spirant, tantam habeat venerationem, quòd non facilè sua auribus verba permittat: Et velut ex taciturnitatis pertinacia, & verborum parcitate fit, vt mysterium putetur, quidquid dicit, ità cùm loquitur, verbis suis pretium parit; quod enim desideriorum sumptu paratur, idem humanæ cupiditati admirationem adfert.

Berchorius in Reductorio moral. lib. 5. cap. 34. num. 7. ait, (quis verò credat dicenti?) quòd stellæ, illæ firmamenti portatiles faces, quò propinquiores sunt oculis nostris, eò ampliùs de admirabili magnitudine rutilantis suæ maiestatis perdant. Exemplum constituit in Sole, & Luna, quæ maiora videntur cùm oriuntur, vel occidunt, quàm cùm verticem orbium suorum, & fastigium cœli supremum occupant: *Stella quantò magis est propinquior, tantò videtur esse minor, & econuersò, quantò à nobis est remotior, tantò videtur esse maior*; inquit ille vbi suprà, qui vt non relinqueret, quo se nobis obnoxios faceret, nosque à commentandi labore vindicaret, moralitatem illius rei in causam præsentem percommodè exponit, dicens, ad eundem modum viros, qui in hac vita virtutum splendore, vt quidam Luciferi, emicant, & Solis instar fulgore sanctitatis radiant, quò magis loco à nobis absunt, eò propinquiores nobis esse magnitudine existimationis, quoque familiariùs nobis consuescunt, eò maiorem pati suæ apud nos autoris imminutionem. Accipite eius verba, vt in promptu habeat, si cui fortè ea aliquando sint opus: *Sic verè stellas viros profectos consideramus, quando sunt à nobis remoti, & quando non sunt nobis familiares, tunc de ipsis meliùs iudicamus, & eos maiores reputamus, & econuerso quando nobis sunt amici, & familiares, tunc minores, & imperfectiores nobis videntur, quià familiaritas parit contemptum.* Res explorata est, quòd quæ bona vulgi passim sunt è vicino exposita

expoſita oculis, & vſibus, ea procul abſita maiorem ſibi ex remotiore loco conflare admirationem, & ſublimius pretium.

Sponſa in Canticis cùm mulieribus Ieroſolymitanis Sponſum ſuum à lineamentis, & partibus corporis, quod illæ petebant, principalibus deſcriberet, vt indicaret, quàm iuſtè illius honeſto, cœleſtique amore arderet, tam elegantem, perfectum, a ſpectabilemq; illum depinxit, vt ipſam ſuâ pulchritudine venuſtatem ſuperaſſe videatur. Ac primam quidem oculorum gratiam, tum maxillarum flagrantiam, poſthæc labiorum viuos colores prædicat, dein verò manus ſic delineat: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*; Cant. 5. 14.

Quid in ſenſu ſpirituali potiſſimùm voluerit docere Sponſa, cùm de Sponſi manibus ait, fuiſſe velut ad tornum elaboratas?

Hugo Cardinalis ait, Sponſi manus dictas tornatiles, *quia* ille *quaſi torno quodam dona largitur.* Quòd ergo illa affirmat, Sponſi ſui manus, à quibus beneficia proficiſcuntur, quaſi ad tornum fuiſſe factas, id fecit, vt indicaret, quanto artificio, quàm ſolerti, & ingenioſâ liberalitate ad ea eroganda vtatur. Quod tornatur, id paulatim fit, neque longuli temporis moras tantùm requirit, verùm & regulam, & lineam, & perpendiculum, circinumque, & plurimam attentionem poſtulat. Talem ergo inquit Sponſa eſſe ſui pulcherrimi, & munificentiſſimi Sponſi largitatem. *Manus eius plenæ ſunt hyacinthis*, ait, ſed *tornatiles*, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, quòd ad illum attinet, eſſe peropulentum, prædiuitem, circumfluere theſauris, eorumque erogandorum magnâ cupiditate teneri; vt ſua tamen illis dignitas, & exiſtimatio conſtet, non ſecùs illos elargiri, ac ſi ad tornum elaborarentur, hoc eſt, cunctanter, & magna cum procraſtinationis induſtria, vt cùm abundè tribuuntur, vel hoc nomine ſint magis cari, quòd diuculè, ardenterque deſiderati, & expetiti. Nempè id ſolùm videtur habere venerationem, & æſtimationem, cuius aſſecutio habuit dilationem, ſuſpiriorumque pretio velut venditum, emptumque fuit.

Huc reſpiciens Tertullianus lib. de habit. mulier. aiebat: *Semper abundantia in ſemetipſam contumelioſa eſt.* Affluentia rerum, quanquàm præſtantiſſimarum, & pretioſiſſimarum, ſibi ſemper iniurioſiſſima eſt, & ſui contemptus ſatrix, ſartrix, parens. Nam cùm tanta ſit auri præſtantia, adamantum dignitas tanta, tantum margaritarum pretium; ſi talium rerum tanta eſſet abundantia, quanta penuria, aut tam obuius vſus, quàm magnus ſtultorum numerus, nec adamantes pretium haberent, neque æſtimationem margaritæ, & aurum nihili fieret.

Nunc itaque cauſam è multis vnam intellexerimus, ob quam factum ſit, quòd Iſaac ſuum Iacob nonniſi plurimarum lachrymarum, ardentiumque ſuſpiriorum, & flagrantium orationum magno ſumptu impetrauit, quod ex ſacro Textu colligitur, obſeruatumque fuit ab Expoſitoribus, Chryſoſtomo, Lyrano, Toſtato, Iſtella, Pererio, Cornelio. Viginti annis Dominum enixè obteſtatus fuit, vt fructum benedictionis concederet. *Cùm quadraginta eſſet annorum, duxit Vxorem Rebeccam*, inquit Sanctus Moyſes Geneſ. 25. 20. *Sexagenarius autem erat, quando nati ſunt ei paruuli*; ibid. v. 26. Ex quo accipitur, annos propè viginti Deum precibus interpellaſſe, vt poſteritatis ab eo ſeminarium obtineret. *Deprecatus eſt pro Vxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis*, inquit rurſùm Moyſes ibid. v. 21. Infœcunda erat Rebecca, quare Dominum chariſſimus eius maritus obſecrabat, vt ex illa habere prolem mereretur. Conſtitutum autem erat Deo, dare illi filium non inferiorem, quàm Iacob, illum perinſignem Patriarcham, illum plurimis reuelationibus illuſtratum, illum duodecim Iſraëlitici populi tribuum principem, & caput. Ingens donum erat. Sit ergo magnitudini beneficij par magnitudo gemituum, dixerit Dominus, viginti annos ſuſpiret filium, qui ſæcula omnia, cunctaſque ſecuturas condecorabit ætates, vt obtentum donum eò ſit cariùs, quò maiora ſunt impendia, quibus paratum. Hæc præcipuarum rationum vna quædam eſt, ob quam prouidè pius Dominus non ſtatim concedit precibus noſtris, non extemplò largitur, quæ petimus, ſcit nimirùm tales nos eſſe, qui beneficia ob hoc ipſum non ſatis æſtimemus, quòd ea facilè conſequamur. Vix enim non vileſcit, & leue habetur, quod leui negotio impetratur.

*Multò, & plura, & meliora reperies in hanc rem, Tom. 2. Periochâ I. Dominicæ IV. poſt Pentecoſten, pag. 116. a. o. & in locis alijs ad pedem eiuſdem Periochæ adſcriptis.*

## CAPVT VI.

*Synceritas, integritasq́, amoris in ſublimiorem celſitudinem peruenire non poteſt, quàm cùm ærumnas alienas ſic deplorat, ac ſi eſſent propriæ.*

RAdiantiſſimi Solis illuſtriſſimus Lucifer tenebricoſi carceris obſcurâ nube contectus occultaba-

rabatur, idque per obscæni regis, & salaculæ mulieris pellicis eius tyrannidem. Vinctum inuiserunt quidam eius discipuli, ex quibus ille ( vt veri Solis lucem, promissumque Messiam omnes & cognoscerent, & venerarentur ) duos amicissimorum fidissimos ad Christum ablegauit, vt cùm rex illo; num ipse verus Orbis reparator esset, sciscitarentur, ex eiusdem responsis certò intelligerent, aliunde quàm ex ipsius tantorum prodigiorum operatricibus manibus salutem mundi expectari non posse: *Mittens duos de discipulis suis, ait illi, Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matth. 11. 2. 3. Euidens est Ioannem non potuisse ignorare, quisnam verus esset Messias, cùm enim illius & præcursor, & metator, & paranymphus esset, nescire illum non potuit, maximè cùm & apud Iordanis fluenta potentiam illius humiliter agnouerit, & mandata promptè, obedienterque expleuerit. Ergo hæc legatio ad aliorum commoda dirigebatur, & vtilitati alienæ destinabatur. Cui hoc dubium esse queat?

Sanctus Ioannes Chrysostomus, cùm hoc Baptistæ factum secum expenderet, aiebat: *Vis scire quod est super humanam naturam?* Vis nosse facinus, quod longè antecellit omnia, quæ vulgò ab hominibus aguntur, quæq; humanæ non sunt vsitata cupiditati? Vis prodigium videre, quod te obstupefaciat, aut portentum cernere, quod in admirationem rapiat? Iam nunc videbis. Quid verò prodigij spectabimus, aut quid rei, quòd limites rerum tam longè prætergrediatur aliarum?

Respondet Chrysostomus: *Missus in carcerem non de suo periculo Ioannes solicitus erat, sed de aliorum salute cogitabat.* Hærebat facinorosos inter latrones innocens Præcursor, & cùm esset humanæ vox, & tuba salutis, non aliter habebatur, ac si in omni rep. seditiosissimus, turbulentissimusq; esset, validis, ac ferreis catenis in media sceleratissimorum colluuie adstrictus. Inter illam ignominiam, tam arcto in carcere inclusus misit duos discipulos, vt sui remedij fontem inuenirent, vt mundi Saluatorem agnoscerent, oblitus suorum vinculorum; oblitus periculi, quod vitæ suæ impendebat ex rege tyranno, qui minabatur necem, & muliere lasciua, quam habebat infensam, ex alijs pluribus, qui propterea in illum coniurare poterant, & ne cogitans quidem multiplex, ac proximum discrimen, quod sibi imminebat, totum se tradit saluti alienæ, totum se addicit curæ remedij, & vtilitatis cæterorum, neque aliquam sui memoriam habet, vt pro se obsecret. Qui verò talis est, & eiusmodi amore præditus, vt immemor periculi proprij studeat emolumentis alienis, ac si essent commoda propria, idem *super humanam naturam est*, illum & admirari possumus ceu rem nunquàm visam, & venerari tanquàm prodigium nemini aliquando auditum, inquit Chrysostomus, mos enim, & consuetudo communis hoc habet, vt quisque rem suam curet, commoda propria quærat, suo studeat, inuigiletque remedio.

Mirumné vobis videtur dictum Chrysostomi? Audite ergo quid Iustinianus affirmet. Accumbebat mensæ mundi Saluator cum suo charo grege nocte cœnæ extremæ, & velut amantissimus, & suauissimus Dominus hæc ad eos aiebat: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar*; Lucæ 22. 15. tanquàm dixisset: O Discipuli mei dulcissimi, & dilectissimi, si rectè, atque vt res est, intelligeretis, quantæ fuerint meæ anxietates inter huius tam diu, ardenterque expetitæ horæ expectationem, quâ vobiscum postremùm cœnare optaui, & mensam vobis dapsilem instruere lautitijs lectissimis, & pretiosissimis, cuius vno in cibo ministratur, proponitur, gustatur quidquid cupediarum, quidquid boni esse, & excogitari potest. Cùm eo in epulo ego remaneam, & remaneam alimonia animarum, maius aliquid nemo expetissere potest. Huius tanti beneficij conferendi tempus opportunum, optatamque occasionem vehementissimo desiderio, quoad inter mortales mortalis vixit, solicitissimè appetijt.

Cùm ea mellitissima Christi verba sacer Venetorum Protopatriarcha animo volueret, aiebat: *Mira res!* & quæ in stuporem adducere omnes possit. At quid hîc miraculi, ac prodigij videtur? Quis Sol eclipsin patitur? Quinam axibus suis mouentur cœli? Quæ terra contremiscit? Qui montes è sedibus suis aliò transferuntur? Vt nihil horum tunc acciderit, *mira res* tamen, quæ euenit, ingensque portentum fuit, quod tunc factum, si illud ex opinione hominum, & eo, quòd mundi vsus perpetuus habet, æstimes. Quodnam verò illud tam stupendum prodigium?

Ego dicam, inquit S. Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone cap. 2. num. 2. *Proximus erat passioni, noueratque quantas ferre debebat contumelias, & tamen attendebat aliorum commoda, proprij immemor ludibrij.* Cùm ob oculos posita, & præsentissima haberet omnia proximè impendentis passionis probra, & tormenta, quibus iam iam crudelissimè excarnificandus esset, eorum velut oblitus, in eo totus erat, vt consolaretur Discipulos, & conuiuium

uiuium eis appararet, nectarque, & ambrosiam sacræ carnis, & pretiosi sanguinis sui exhiberet. Hoccine miraculum? Hoccine tam rarum prodigium? Immò verò, inquit Iustinianus, nam hoc factum *præter vsitatum, & communem ordinem naturæ est*, & valde alienum ab hominum solenni more est, quòd quis suorum malorum immemor bona procuret aliorum, & propriorum opprobriorum oblitus solatio attendat alieno. Quid illud vulgò dicitur miraculum? Quid prodigium? Id, quod præter communes leges, regulas, ordinemque naturæ consuetum agitur. Cùm ergo diuinus Magister, quando tot illi probra minabantur, quando cruciatus illum quàm graues, tam diuturni opperiebantur, tantâ solicitudine curauit commoda aliena, vt velut oblitus videatur tormenta, & detrimenta propria, mira res, & quæ pro miraculo, ac portento haberi debeat: Nam si prodigium est id, quod naturæ lineas communes egreditur, qui vtilitatis alienæ bonam habet memoriam, nullam propriæ, qui commodis solicitè studet aliorum, suarum incuriùs ærumnarum, & angustiarum, næ ille taumaturgus est, quia præter hominum consuetudinem, præter leges receptissimas, *præter vsitatum, & communem ordinem naturæ est*, quod agit. Hinc videat noster Politicus, quàm syncerum, integrumque amorem monstrabit, quoties suorum malorum oblitus, cum charitate, Zelo bono, solicitudine, ac diligentia malis aliorum succurrerit, periculaque eorum, & necessitates depulerit, tunc enim rarum, ingensque miraculum operari videbitur, nec enim progredi vlteriùs charitatis studium posse videtur, quàm vt propriarum miseriarum immemor calamitates doleat alienas.

Nobilis Sara contemptui se à famula sua Agar haberi vidit. Ancillæ superbia inde nascebatur, quòd Abrahæ nupta, ex illo concepisse, adeò posteritatis spem certam in vtero gestare cerneret, talemq; felicitatem dominæ suæ negatam non nesciret, ex quo fiebat, vt se iam dominam arbitrata, minùs quàm deberet, heræ suæ deferret, quæ insolentis famulæ probris offensa has dedit marito suo querimonias: *Iniquè agis contra me, iudicet Dominus inter me, & te*; Genes. 16. 5. velut dixisset: Non est æquum dissimulari tantam petulantiam, aut permitti in domo benè instituta tam insolentem proteruiam, vt heram famula ludibrio, ac despectui habeat, quare Deum obsecro, vt is de te, ac me pronuntiet, ac meas immeritas iniurias supremus Iudex vlciscatur.

Oleaster quærit, cur Sara, cùm apud maritum querula expostularet, ad diuinæ iustitiæ tribunal prouocauit, vt Deus arrogantis famulæ contumaciam plecteret, & flagitium illius vindicandum susciperet. Quamobrem coniugem suum, apud quem suas deplorabat iniurias, non fecit suæ causæ iudicem, qui id muneris obire, & ancillæ ethnicæ tumorem comprimere perfacilè poterat?

Respondet autem, putasse Saram, id sibi cum Abrahamo euenturum, quod apud humanos plerumque accidere iudices solet, qui vix seriò, ardenterq; causam tractant, ex qua non certum lucrum sperant (quid faciant, cùm etiam damnum ex ea accipere possunt?) cùmq; videret, quod in Abrahamum nihil quidem vtilitatis, detrimenti verò non parum redundare posset, si posteritatis suæ depositum, Agarem, inquam, grauidam cæderet, Deum appellauit Sara, inquiens: *Deus iudicet*; illi hanc causam relinquo, homines nimirùm vix nôrunt seriò studioseq; quidquam agere, quod absq; secuturo lucello agi vident, nec unquàm sciunt dolere ærumnas alienas, ex quibus non expectant vtilitates proprias: *Prosequitur iustitia humana alterius causam tepidè valde, quasi non sit magis sua, quàm patris*; inquit ille in annot. moral. in cap. 16. Gen. Languet iustitia humana, dum negotia tractat aliena, & vix rectè aliquid circà ea egere nouit, vbi proprij non affulget spes quæpiam emolumenti. Propterea Sara Deum adijt tanquàm iudicem, qui defendit, non secùs, ac si ipsius quoq; interesset, tanquàm patrem, qui propugnat, ac si negotium ipse suum ageret.

Percontatur Sanctus Ioannes Chrysostomus, quamobrem Dominus attentâ prouidentiâ suâ fecit, vt validus exsurgeret ventus, qui omnes in præsentaneum vitæ periculum adduceret tunc, quando ille nauigio cum Discipulis per mare ferebatur. Dormiebat in media tempestate, fisus suâ potestate, stipatus suâ magnificentiâ magister omnipotens. Succlamabant Discipuli, Dominusq; & horum clamoribus & irati elementi fragoribus expergefactus, verbulo concitati maris ferociam cicurauit, ac perdomuit: *Surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*; Matth. 8. 26. Quærit ergo Doctor sanctus, cur tam prodigiosum beneficium præstiterit Discipulis, feceritque, vt in illud periculum inciderent, à quo eos per miraculum eximeret.

Respondet hom. 28. in Matth: *Vt sensus eorum apertior ad videnda miracula redderetur*, vt perspicacioribus & attentioribus oculis arbitrarentur portenta, quæ deinceps facturus esset, deuinctioresque

illos,

illos, & magis obnoxios sibi redderet. Ergone quæ in alijs operabatur non satis erant permouendis illis ad cultum, amoremque cœlestis Magistri, sed necessum fuit, vt & in seipsis experirentur illius effectricem prodigiorum virtutem? Respondet idem S. D. percommodè ad rem præsentem, opportunam attexens similitudinẽ: *Quemadmodum non aliquis pariter sentit quæ in alienis fiunt corporibus, & quæ in seipso; ita oportebat Discipulos eius, qui plurimos indies liberari videbant, vt magis obligarentur, in seipsis omnipotentiam eius inspicere.* Quantocunq; in pretio medicum quis habeat, nunquàm tanti facit, cùm alios curat, quàm cùm ipsum à periculosa infirmitate liberat. In seipso enim experiri bonum, maiorem adfert æstimationem beneficio, eò quòd tam coniunctum sit, & proprium. Ad hunc ergo modum, cùm Dominus sciret, gratiora, potioraq; cuiq; ea esse, quæ in ipso fiunt, talibusq; magis deuinciri, fecit vt tempestatis periculum Discipulos inuaderet, vt cùm prodigiosam eius clementiam in sese experirentur, magis suspicerent virtutem, deuenerarentur omnipotentiam. Beneficia enim, quæ in alijs experimur, nunquàm magnæ sunt nobis admirationi, quibus vsitatum, ac perfamiliare est ea solùm attendere, & æstimare, quæ nobis conducibilia. Itaq; *Discipulos eius, qui plurimos indies liberari videbant, oportebat, vt magis obligarentur, in seipsis omnipotentiam eius inspicere.* Nam qui beneficia, quæ alijs obueniunt, eodem loco habet, quo emolumenta propria, is à via regia abit, & semitam ingreditur, quam perpauci terunt.

Quòd Loth liber euasurus esset communem suæ ciuitatis conflagrationem, id iam certissimò nouerat ex cœli oratore, qui cum mandatis inde aduenerat, vt nefandum locum, in quo degebat, subiecto igne exureret. Iussus autem in cacuminosum montem se recipere, atq; ibi vitam suam sospitare, gratè reuerenterq; ingens illud excipiens beneficium, pro alio prætereà demissè obsecrat, inquiens: *Est ciuitas hæc iuxtà, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea;* Genes. 19. 20. eritque pro asylo, ad quod ab irati Dei vindice iustitia perfugiens, in tuto collocabo vitam meam.

Quo consilio sanctus Loth Angelum tale quid obtestatus rogârit? Abulensis, Guilielmus Papinius, Pererius, Cornelius à Lapide volunt, id fecisse, vt secum illud simul sospitaret oppidulum, in quo figere domicilium cogitauerat, existimans fore, vt Deus sui causâ hanc loco illi præstaret gratiam, ne cum reliquis destrueretur, simulansq; in monte vitam satis commodè neque agere, neque seruare posset, pio dolo vsus est, quo paruam illam ciuitatem ab interitu vindicaret. Audijt supplicem Angelus, & ait: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam Vrbem, pro qua locutus es*; ibid. vers. 21. Textus græcus horum verborum apud Chrysostomum sic habet: *Admiratus sum preces tuas.* Quid hac in re, quod tam mirum, nouumque accidere potuit Angelis è cœlo? Quid? Illud, quòd viderunt ab homine quopiam tam solicitè curari sospitatem ciuitatis, in qua ille nec facultates, nec amicos, neque consanguineos vllos habebat, quodque causam alienam tam anxiè tractaret, ac si propria fuisset, & pro vita aliorum tam enixè obsecraret, acsi sua simul periclitaretur. Vidit itaq; hoc Angelus, & ait: *Admiratus sum* tam rarum miraculum, quale est videre hominem tam studiosum vtilitatis alienæ, ac si esset propria.

Obsignemus hoc capitulum totâ sancti Isidori Pelusiotæ Epistolâ, quæ lib. 3. Epistolarum est trigesima octaua, & sic habet: *In publicis, & grauissimis malis commiserationi locus non est, omnes enim priuatas calamitates deplorantes non tantum otij habent, vt ipsis alienas miserias luctu, ac lamentatione prosequi vacet.* Suum enim quisque dolorem sentit, & sua damna deplorat, sic vt nec tempus reliquum habeat, quo aliena defleat, nec in corde locum, in quo proximorum ærumnas per commiserationis affectum excipiat.

Hinc eruunt sacri expositores, quàm ardens fuerit nostri Patriarchæ Isaac ergà suam Rebeccam amor, vt qui per totos viginti annos supremum Dominum solicitè etiam, atq; etiam pro illa obsecrauit, vt eam prole felicitaret, bearetque: *Deprecatus est Dominum pro vxore sua.* Pro illa omnes ipsius vertebantur lachrymæ, pro illa iuges pertinaciter fundebantur preces. Nam quod ad Isaacum attinet, illi ex fide verbi diuini, & vi promissionis Dei fallere nescij indubitatum, certumq; erat, quòd liberos habiturus esset ex muliere, quamcunq; illam vxorẽ sibi delegisset. Ita S. Ioannes Chrysostomus, Lyranus, Tostatus, Istella, & cæteri interpretes omnes. Ergo illi deesse posteritas non poterat, omneq; illius studium, labor, votum eò spectabat, Deum vt exoraret, ne illâ gloriâ sponsa sua Rebecca fraudaretur, sed in illa quoq; promissa explerentur diuina. Causam itaq; Rebeccæ sic egit, tanquàm negotium proprium tractasset. Quæ huic par amoris synceritas, & integritas alia esse queat? Maior certè videtur nulla esse posse, quàm illius, qui curat, & dolet fortu-

fortunam aduersam alienam, ac si esset infelicitas propria.

*In eandem rem differit Periochâ IV. Dominica II. Aduentus Tom. II. pag. 344. a. o. & Tom. I. Periochâ II. Feria V. post Cineres, pag. 27. b. o.*

## CAPVT VII.

*Ibi maiore auxiliorum vi succurendum, vbi grauiores necessitates opem enixiùs inclamant, & postulant.*

CVm noster Politicus debeat esse ex illo hominũ genere raro, ac singulari, quibus curæ est aliorum opitulari necessitatibus, leuare miserias, siquidem generoso animo apud se statuat, quòd causis proximorum solicitus procurator studere velit, velim prudentiæ regulas ea in re sequatur, quò fructuosè tantum negotium tractet, quod faciet, si miseriarum pondera diligenter, attenteq; pensârit, postquàm miserorum patrocinio nobile pectus semel totum addicere cœpit, sic vt vbi multæ concurrunt necessitates, maiori primùm subueniat penuriæ, & grauiorem ante omnia curet calamitatem. Ita fiet, vt duplicem laudem ex duplici, puta magnifici benefactoris, & prudentis iudicis officio sibi conflet, vt qui momenta ærumnarum tam accuratè expendere, & suum cuique egestati locum designare nouerit.

Propheta regius Dauid, cùm dulces laudum modulos meditaretur, adornaretq; munifico Benefactori, cuius ingentem ergà nos prolixitatem perpetuo experimento discimus, sic inquiebat: *Misericordiâ Domini plena est terra;* Psal. 118. v. 64. tanquàm dixisset: Quis ille est, ô pientissime Domine, quem non infinitis obstrictum habeas beneficijs? Quisnã terræ angulus, quantumuis secretus, & abditus, qui non magnis vocibus iugem manuum tuarum prædicet liberalitatem?

Sanctus Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. v. 8. ait: *Fortassè dicas, Quâ ratione non dictum est, Misericordiâ Domini plenum est cœlum?* Certè in ista beata viuorum regione, in illa superiore lætitiæ sempiternæ Germania etiam manifesta prædicantur, & extolluntur diuinæ largitatis, & regiæ munificentiæ illius inditia. Quod cùm ità sit, cur non æquè dicitur, cœlum perfusum esse misericordiâ Dei, vt terrarum orbis esse illa plenus affirmatur? Nonné Angelos valida magnificentiæ diuinæ basis sustentat? Res nota est. Cur ergo terræ solùm, neq; cœlorum similiter fit mentio, quandoquidem vt in illam, sic & in hos beneficentia Domini redundat?

Respondet huic quæsito sacer Mediolanensium archipræsul, inquiens: *Licet auxilio Domini fulciantur etiam cœlites; tamen non tantâ eius indigent misericordiâ, quantâ ea, quæ sunt inferiora, ac terrena, non enim illi carnis inuolucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra.* Cantant etiam ij, qui sunt in cœlis, misericordias Domini, vt ad quos hæc res plurimùm spectet, terra tamen dicitur plena esse eius misericordiâ, eò quod hæc maiore diuinorũ auxiliorum necessitate laboret. Ad iuuandos homines magis brachij sui neruos, vimq; contẽdit, quàm ad opem ferendam Angelis. Vehementiore impetu, & abundantiore copiâ exonerant se miserationum Dei flumina in homines caducos, & fragiles, vtpotè pluribus, ijsq; ad nocendum potentibus hostibus circumdatos: Eapropter cùm Dauid cantat, quòd *misericordiâ Domini plena est terra,* perinde est ac si diceret, validioribus præsidijs esse communitos terrenos, quàm cœlites, *quia hi non tantâ eius indigent misericordiâ.* Hoc exemplo docemur, maiore auxilij efficacitate ijs succurendum, quos adiumento magis indigere videmus.

Non absque mysterio Euangelistæ notârunt Reges, & Præsides Hebraici populi, qui cùm potestate præerant tunc, quando diuina bonitas carnẽ humanam induta è cœlo in terram, vt eam visitaret, descendit. Ex ijs Matthæus cap. 2. 1. sic ait: *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis.* Post Lucas ait, Israeliticam Monarchiam in partes sectam varios habuisse moderatores, nempè alterum quendam Herodem, Philippum, & Lisaniam.

Quid ergo Sacramenti habeat, quòd vitæ author, cœlestis Magister tunc inde huc aduenit, quando patriam ipsius temporalem extranei Principes, & tetrarchæ tam multi occupabant? An idcircò tunc descendit, vt populo ipsius prædicaret? Verùm vt sæcula superiora tulerant prophetas, quid muneris obirent, sic eo quoq; tempore tales deesse non poterant, qui suam ea in re operam nauarent, vt olim fecerant. Quid itaq; causæ sit, quòd tunc potiùs ad hoc prædicationis officium obeundum Dominus ipse descendere voluit, quàm cùm Reges Israëlis, & Iudæ legitimi imperabant?

Satisfacit propositæ quæstioni Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 2. Opp. imperfect. percommodè in rem præsentem dicens: *Quamdiu gens Iudaica quamuis sub peccatoribus, tamen Iudaicis regibus tenebatur, Propheta mittebantur ad remedium eius. Qualis necessitas, tale & auxilium Nunc autem quãdo lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, id est,*

*iustitia Dei sub Dominatione Romana premebatur, nascitur Christus, quia magna, & desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem quaerebat.* Quo tempore sub regibus legitimis, tametsi consceleratis, Hebraei militabant, maiorem diuinae legis notitiam habebant, quorum errata vt coargueret Dominus, sat erat quosdam è sua schola discipulos, & medicae artis tyrones Prophetas mittere. Par erat infirmitati remedium, & congruens egestati leuamen. At postquàm infelix populus, & sacra lex tyrannidem Principum extraneorum, & barbarorum pati cœpit, Christus natus fuit, & cœlestis protomedicus aduenit, aegritudo enim incrementa fecerat, & vulnera recruduerant, & plagae artem superabant humanam, *magnaq; & desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem quaerebat.*

Quando viro principi cuidam est aegrè, si non sit grauis, & periculosa infirmitas, ex qua decumbit, qualiscunq; medici curae se credit, & pulsum venarum etiam rudi in arte medica pertentandum permittit: At si morbo vrgeatur ancipiti, & mortifero, doctissimos, expertissimosq; accersit medicos, vt sit par aegrotationi curatio, & magno malo opem magnam adhibeat. Ad hunc modum Christus, quando populus tempore regum legitimorum infirmabatur, mittebat Prophetas, quòd morbus non esset mortiferus: At cùm ingrauesceret malum, & in periculum mortis sub potestate regum tyrannorum adducerentur homines, *nascitur Christus,* ipse medicae facultatis Decanus venit, & inuisit aegrotum, *quia magna, & desperabilis infirmitas artificiosiorem medicum quaerebat,* debent enim exaequare necessitatem auxilia, & ratio postulat, vt grauioribus morbis medicos quaeramus, & adhibeamus peritiores, ac praestantiores.

Conuocabat quondam Propheta regius omnes ex toto terrarum orbe homines, vt ipsum docentem auscultarent. Totum mundum saluberrimae concionis suae theatrum esse volebat, & tanquàm summus armorum supremi Imperatoris praefectus cunctos, qui sunt, quiq; erunt, publicis edictis, vt ad audiendū concurrerent, vrgebat, tum vocalissimus praeco totâ laterum contentione succlamabat: *Audite haec omnes Gentes;* Psal. 48. 1 audite, audite, qualiscunque status, & conditionis sitis, *auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quiq; terrigenae, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper.*

Peracutè sanè in his verbis notauit Magnus Basilius mysticum ordinem, quo in aduocandis ad salutis suae remedia capessanda, & monita auscultanda hominibus superus Imperator est vsus, inquiens: *Primum in vocatione ordinauit, quod in qualibet congregatione erat dignius reprehensione. Omnium, qui orbem terrae habitabant, Gentes erant pessima. Rursùs terrigenae ante filios hominum in ordine selecti sunt & diuites ante pauperes, quòd illi ad damnationem occasionem longè propensiorem haberent, vocati sunt.* Vt quiq; periculosiùs laborabant, ita citiùs ad subeundam curationem vocabantur. Grauiori morbo priùs medendum, ijsq; ante omnia succurendum, quorum magis desperata salus. *Eius moris est nostri Medici benignitas,* inquit S. Basilius, *vt infirmioribus sua medela impertiat commoditatem.* Hoc illi solenne, vt eos ante curet, quorum mortifera infirmitas manus illius medicas vehementiùs desiderat, & inclamat. Primis ergo Paganis, vt maximè indigis subuenit, dein terrigenis priùs, quàm hominum filijs, denique pauperi opem tulit, postquàm diuiti occurrerat, rariores enim, leuioresq; sunt egenorū, quàm opulentorum infirmitates. Iste scilicet est bonus benefaciendi modus, si maiori necessitati promptiore auxilio adfueris, & eum priùs audias, qui tuam contentioribus vocibus opem implorat.

Voces cœlo dabat Patriarcha noster pro depellenda coniugis suae sterilitate, *deprecatus est, pro vxore sua, eò quòd esset sterilis.* Totum conceptus impedimentum sterilitas, quae & capitalis est hostis fœcunditatis. Vt hoc tam forte vallum deijceret, ac tam validum impedimentum Isaac submoueret, quid egit? *Deprecatus est.* Vt murum solo affligeret, prosterneretq; quò ad obmunitam sterilitate fœcunditatem penetraret, obsecrationum catapultas in eum totâ affectus contentione exonerauit, precumque ardentium ariete tam diu illum percussit, donec diijceret. Litera Hebraea habet: *Multiplicauit preces,* hoc est, magno plurimarum orationum subsidio ad hanc rem est vsus: Nam vt potens, fortisq; erat per naturam hostis; itá necessum erat multiplicare preces, crebrioresque orationum assultu illum tentare, & arma obsecrationum plura aduersùs illum comparare, vt sic propugnaculum subactum fatigatus, fractusq; hostis certa conditione dederet. Vbi enim miserabiliores necessitates voces dant maiores, ibi etiam viribus maioribus, & validioribus auxilijs subueniendum.

*Vide Periocham IV. Dominicae in Septuagesima Tomo II. pag. 482. a o. vbi eandem rem argumentis alijs author copiosiùs demonstrat.*

CA-

# CAPVT VIII.

*Omnis apud Deum plurimùm valet oratio, at quæ constans est, & pertinax, ea illum magis capit, & subigit.*

QVàm sint validæ vires orationis, id omni occasione, quæcunq; eius opem requisiuit, adhibuitque, demonstratum. Diuinæ etiam literæ, & sacri annales conferti sunt varijs experimentis, & exemplis, quibus hæc veritas abundè comprobatur. Verùm quod hîc de precum efficacitate affirmatur, id vel semper, vel plerumq; de illorum orationibus accipiendum, qui cùm Dominum supplices obsecrant; non statim cedunt, nisi quod rogant, mox obtineant, neq; inter primos impetus leuiter cadunt animis, perseuerantia enim demùm impetrat, quod diu petitum, & pertinaci constantiæ Deus concedit. Docet nos hoc præclarè sanctus Patriarcha noster Isaac, qui Deum subegit, postquàm viginti annos in perpetuo precandi studio exegit: *Deprecatus est, multiplicauit preces.* Pertinaci orandi contentione in validissimam pectoris diuini arcem arietabat, nec de animo quicquam remittebat in tam diuturno obsecrationum conflictu, nec intepescebat aliquando pectoris ardor inter precandi assidua, tamque longa certamina, quare & illustre suo labore præmium consecutus est, nam *exaudiuit eum* Dominus, *& dedit conceptum Rebeccæ.* Cessit Dominus, perseuerantia triumphauit, vicit pertinacia, Iacobque post longam obsidionem victor euasit, filiumq; impetrauit, Deus qualem, quantum! Verbo dicam: Iacobtem. Ità vincit qui benè orat, sic obtinet, qui constanter decertat, sic impetrat, qui perseuerat.

Cùm nos exhortaretur cœlestis Magister, vt ad ipsum in ærumnis accurreremus, eiusque opem inter miseriarum angustias imploraremus, illud simul commonebat, ne desponderemus animum, si fortè primis statim precibus non impetramus, quod volumus, sed perseueraremus, certi, quòd constanti orandi studio, quæcunq; diu suspirauimus obtinebimus. Vt autem nos ad orandum alacriores redderet, attulit parabolam eius, qui mediâ nocte amicum quendam suum importunus adijt, & obsecrauit, vt sibi panes aliquot commodatò daret, quibus hospitem suum pasceret, qui concubiâ nocte intempestiuus illi aduenerat. Submorosum, ac perdifficilem exhibebat, variaque precatori importuno obiectabat, qui rogabatur, at cùm animum illius pertinacibus precibus supplex amicus identidem validèque pulsaret, concessit deniq; orantis peruicaciæ, si non amicitiæ ergo, ob id certè, vt ne aures illi inconditis clamoribus obtunderet, & à vexatione euaderet, sic vt improbus precandi labor extorserit, quod sacra amicitiæ necessitudo impetrare nequijt. Tantundem vobis dico, aiebat Dominus: *Petite, & dabitur vobis*; Lucæ 11. v. 9. dùm conueniat modò, quod rogatis.

Theophylactus in horum verborum commentatione ait: *Videte verborum diligentiam. Non dixit, Petetis, & dabitur, sed* Petite, *hoc est continuò quærite.* Dignum certè est, quod diligenter attendamus, quem precandi morem à supplicibus suis obseruatum velit, vt feliciter illis, fructuosèquè sua cadat oratio. Quid ergo faciamus, Domine, vt vota nostra obtineant? Petemusne, & sic statim, quod optamus, consequemur: *Non dixit*, Petetis, *& dabitur sed* Petite, *hoc est, continuò quærite*, constanter obsecrate, orationis enim bombarda, nisi perseuerantiæ puluere nitrato probè infarta, non quatit muros arcis illius cœlestis, vt hominum precibus cedat.

Sacerdos cùm sacrificij Missæ incruenti sacrum canonem orditur, simul extemplò toti mundo indicat, officij se sui partes exequi, quæ hoc habent, vt sit sequester Deum inter, & homines, illumque obsecret, vt iustas iras placatus ponat. Itaq; pro vniuersa primùm Ecclesia, dein pro illius visibili in terris capite Pontifice Maximo, posthæc pro Regibus, ac Principibus orthodoxis, qui veram, Apostolicam, Romanam profitentur, ac propugnant fidem, demùm *pro omnibus orthodoxis, & Catholicæ, atq; Apostolicæ fidei cultoribus* orat. Cùm has tam iustas, & gratas obtulit preces, tùm iteratò & præsentes omnes, & cunctos, pro quibus ante rogauerat, Deo commendat, inquiens: *Memento etiam omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.*

Sed quâ gratiâ, qui superiùs pro omnibus orthodoxis, & veræ fidei cultoribus obsecrârat, nunc eorundem memoriam denuò inculcat, tanquàm Deus vel priores preces non audierit, aut statim atq; audijt, oblitus fuerit, quod nemo nisi inscientissimus de tanto Domino suspicari, nemo nisi impientissimus affirmare potest, vt in quem talium defectuum nihil cadere queat, qui & peruigilanter omnibus attendat, & tenacissimè cuncta commeminerit.

Respondet Venerabilis, & antiquus Pater Adon Episcopus Cameracensis in expositione Canonis dist. 2. Tom. VI. Biblioth. Vet. PP. *Repetitur oratio, quæ priùs facta est pro omnibus, vt saltem importunitate*

*tate vincatur Deus.* Quòd ergo sacerdos sub Missæ sacrificio eandem bis fundit precationem, Deumq; semel, & iterùm pro fidelibus catholicis obsecrat, & resecrat, id fit, vt instituamur, cùm Deum oramus, non statim nobis desistendum, non remittendum ab exercitio, ac studio precandi, sed illud vnicè, strenuèque curandum, vt iterùm, iterumque incursemus Dominum, ardenterq; interpellemus, & perseueranter inclamemus, vt quod meritorum nomine non consequimur, per vim saltem importunæ, & pertinacis orationis obtineamus. Ad expugnandum quippe paternum Dei pectus, vt optata inde beneficia expromamus, pia importunitas, & humilis peruicacia plurimùm valet: *Vt saltem importunitate vincatur Deus.*

Necessum est igitur instare Deo, adire illum semel, & sæpiùs, pertinaciq; contentione atrium cœlestis palatij percursare. Nolim Politico nostro accidat, quod de Tigride sanctus Iob affirmat, nimirùm in mortem ex eo incurrere, quòd in prædam non incurrat: *Tigris perijt, eò quòd non habeat prædam*; inquit ille c. 4. v. 11.

De hoc animali aiunt naturalis historiæ Scriptores apud Philippum Diaz, & Ioannem Osorium Serm. de Letan, cùm frustum carnis, aut aliud quidpiam suo palato gratum è sublimi arbore pendulum videt, bina, ternaue subsultatione id appetere, at si primo, secundo, tertioue conatu non assequatur, quod aprensat, statim intermittere studium, languescere animo, & desistere à proposito. Eapropter Beatus Iob ait, hoc afferre tigridi exitium, quòd non instet cæptis, non perseueret, non porrò prosequatur prędam, cui semel inhiare cœpit, nam si non mox delassaretur, si ampliùs, diutiùsq; in expetitam semel prædam incumberet, votorum suorum potita non interiret. Hæc ipsa causa, cur multæ occidant animæ, quòd tigridis morem imitatæ, cùm se ad orandum componunt, iamq; aliquoties precatæ, & vociferatæ non impetrârunt id, pro quo semel, & iterùm rogârunt, extemplò cadunt animis, & languent, disceduntq; à studio, cui semel se addixerant. Non debent hoc facere, qui beneficij quidquàm à supremo Domino referre volunt, perstent magis, fortiterque insistant precibus, clamitent multùm, ac diu, non deficiant, non demittant animos, non remittant de studio, perseuerantiâ enim omnia impetrantur, & nihil tã est validũ, ac potẽs, quod pertinaciæ nõ cedat.

Docet hoc inclytus, & heroicus noster Hispanorũ patronus, inquiens: *Multùm valet deprecatio iusti assidua*; Iacobi 5. 16. Leo Imperator ea sic vertit: *Oratio operans.* Cardinalis Caietanus: *Oratio agens.* Maximus, Ioannes Cipariosita, & Vatablus: *Oratio efficax.* Itaque quòd oratio est *operans*, *agens*, *efficax*, id à continuo studio, & perseuerante assiduitate habet. Nisi enim pertinaces sint preces, nisi perenni scaturigine profluant lachrymæ, parum virium habere, & exiguæ efficacitatis esse solent.

Audiamus commentarium, quem eruditissimus, & doctissimus calamus Patris Cornelij à Lapide in ea verba dedit. *Talis ergo energia, efficacia, intentio, & contentio requiritur in oratione*, inquit ille, *qualem in opere, v. g. in studio adhibet studiosus, in fabrica architectus, in prælio miles, & dux vt victoriam obtineat, vt scilicet ità animata, ardens, vehemensq; sit, vt ardentia suspiria quasi pilas è tormento bellico ignitas in cœlum eiaculetur, quibus Deum feriat, & quasi sauciet, cogatq; dare, quod flagitat.* An fortè satis putat, qui rei literariæ dare operam cæpit, gymnasij atrio semel intulisse pedes? Nonné dies plurimos, & annos totos, neque paucos transmisit in scholis, vt artis, scientiæq; alicuius peritiam sibi pararet? An fabricæ machinator ab opere manum reuocat, cùm primum lapidem iecit? An cum parietem aliquem excitauit? An milites, eorumq; ductores arma abijciunt, & intepescunt animis, cùm primùm cum hoste concurrere incipiunt? Nonne contumaciter pugnant? Nonné ferociter confligunt? Nonne constanter, totâq; virium, & pectoris contentione in aduersas phalangas insiliunt? Tantundem agendum illi, qui per orationem à Deo beneficia consequi optat. Perseuerare is debet, & insistere, & perstare in precibus, foresq; cœlestes identidem inclamare, & incursare, & tam diu ardentes flagranti è pectore sursùm iaculari orationum ignitarum glandes, donec animum Domini conuulneret, atque in sententiam suam omnem suaui quadam violentiâ coactum pertrahat. Quàm denso pilarum imbre pluit exercitus, quot fulminaribus machinis circumtonat, vsq; dum mœnia demoliatur, deijciat valla, arces solo æquet, & hostilem aciem fundat? Ad eundem modum miles christianus *ardentia suspiria quasi pilas è tormento bellico ignitas in cœlum iaculetur, quibus Deum feriat, & quasi sauciet, cogatq; dare, quod flagitat.* Neque cessare priusquàm impetret, nec quiescere ante debet, quàm assequatur, quod desiderat, consequetur autem, & quæ cupit, obtinebit, dùm perseueret modò.

Nemo me culpabit, si fortè hoc argumentum paulò fusiùs tractaro, nam vt talis doctrinæ necessitatem probè intelligo, ità prolixitatis notam incur-

rere haudquaquàm timeo. Oratio præcipuũ instrumentum est, & vsitatissimum, communeq; medium, quo à supremi Domini munificis manibus omnia tam corporalia, siue temporalia, quàm spiritualia, & æterna beneficia obtinentur, idcircò pernecessarium est eius perseuerentiam persuadere, vt in qua tota illius energia, & efficacitas omnis innititur.

Sacer pictor, & historicus Lucas cœlestis calami sui scriptorij diuino penicillo delineat heroicas virtutes sanctæ illius de Euangelio viduæ, Prophetissæ, filiæ Phanuelis Annæ, cùmq; suis seorsim, ac particulatim coloribus splẽdorẽ piarum actionum eius exprimeret, sic aiebat: *Non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens die, ac nocte*; Lucæ 2. 37. Textus Syrus ea sic reddidit: *Colebat Deum ieiunio, & oratione*; hoc est, ornabat Dominum suo & precum, & inediæ studio.

Notandum, huius verbi, *Colere*, plura esse significata, neque enim solùm significat reuereri quempiam, aut venerari, verùm etiam campum subigere, & futuro sementi aptare, & hoc postremum est illius originale, & primæuum ethymon, quapropter Augustus Cæsar apud Macrobium lib. 2. Saturnal. c. 4. cùm vidisset Veccium quendam, qui aratro humum, quâ pater illius tegebatur, proscindebat, dixit: *Hoc est verè monumentum patris colere*. Æquiuoca vocis *colendi* significatio habet suam apud Latinos venustatis gratiam, & suauitatem leporis, quem Hispanè exprimere non sciam.

Quod ergo de Anna dicitur: *Colebat Deum oratione*; perinde est, acsi dictum fuisset, non secùs illam oratione vsam fuisse, ac solet vomere suo impiger vti agricola, qui rus, vt ei optatos abundè, cumulateq; fructus reddat, non semel tantùm arat, aut proscindit, sed altiùs impressis sulcis crebrò perstringit, nouatq; operas, & iterat labores, atque ità facit, vt meliores, & porrò grandiores, copiosioresq; fœtus edat, sciens nempe, terram, vt sic faciat, frequentem postulare culturam, infatigabiliq; studio exerceri oportere.

Hoc est, quod sancta vidua factitabat: *Colebat Deum oratione*, superam illam cœlorum terram flagrãte perpetuæ orationis vomere perstringebat, nec semel arasse contenta, iterùm, iterùmq; subigebat, & parum arbitrata per diem huic oper. operam dare, noctes huc adiungebat, tanquàm prudens agricultrix cœlorum, quæ nouerat, eum, qui exoptatum ab oratione fructum referre vellet, hoc cum Deo agere debere, quod cum terra facit colonus, vt ei fructus vberes, ac tempestiuos proferat.

Hac industriâ vsus fuit diuinus ille pastor, & Propheta, quando vt alios suo informaret exemplo, narrabat quid ipse facere solitus esset, vt gratiæ dona à Deo impetraret, inquiens: *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo*; Psal. 54. 18. ad fores Domini, & Dei mei vociferabor, & cùm sol occidit, & cùm dilucescit, & die medio, domum ipsius opulentam omni horâ adibo, atque ante ostium stans identidem clamabo petens, & rogans. Et quid illis tam importunis, ingeminatisq; clamoribus fiet? *Et exaudiet vocem meam*, annuet precibus meis beneuolens Dominus, & suspiriorum meorum continuati labores fructum, quem expetij, producent, vt enim impetres quidpiam, nullum validius importunitate remedium. Ità sensit B. Enodius qui lib. 1. Ep. 3. sic ait: *Facessat posthac infidelium malè cauta discussio integritati sine periculis præsentibus quæcunq; obtinet, acceptum ferens; Idoneus mihi testis astipulor, quòd frequenti oratione optata promerui, concessum est precum assiduitati, quod negabitur examini*; quod tale est, ac si dixisset: Non habet deinceps quod nos arguat infidelium quispiam, qui ad intaminatæ vitæ suæ incorruptos mores se recipit, vt nobis persuadeamus, solo talis vitæ merito factum, quod illius precibus Deus facilis, citusque concessit. Huic enim ego me testem commodum contrà obijcio, cui precandi pertinacia maximo semper adiumento fuit, vt apud Deum, quæ volebam, exambirem, operæ quotidianæ indultum, quod non concessum meritis, importunis vocibus extorsi, quod non impetraui virtutibus. Itaq; paulò ante ista sic habet idem sanctus: *Acta est causa desiderij mei beneficio querelarum, meruit impudentia, quod negabat vrbanitas*. Confeci negotium meum, illius autem felicem expeditionem importunitati querimoniarum mearum sanè debeo, obtinui peruicaciâ propriâ, quod comitas renuebat aliena. Ita qui vehementer instat, & constanter vrget, nunquàm vacuus abit, quin consequatur aliquid.

Quàm eleganter, quàm opportunis comparationibus hanc doctrinam illustrat S. Ioannes Chrysostomus! Audite illius verba ex hom. de non contemnend. Ecclesia: *Medicamentum si tibi adhibeatur, nec te purget, nonne alterâ die idipsum adhibes? Sit quispiam incisor arborum, si velit quercum incidere, accipit asciam, deinde incidit Quod si vno ictu arbor non concidit, nonne & alterũ ictum addit? non quartum? non quintum? non sextum? non decimum? itidẽ tu facito. Ingressus es in Ecclesiam, ne exeas, nisi dimitta-*

*mittaris*. Si Deũ oras, neq; statim exoras ne despera propterea, neq; collabasce animo. Vt æger medicinis, vt securi rusticꝰ, sic tu precibꝰ vtere. Ingemina voces, cessa clamare, suspira crebrò, ingemisce identidem, ita consequeris, quod optas, si tamen conducat. Hoc nimirùm est, quod vult Dominus, vt importunis clamoribus ipsum vrgeamus, & interpellemus, plurimùm enim oblectatur precum nostrarúm musicâ, perq; gratam habet nostrarum lachrymarum dulcem importunitatem.

Absens à Sponso suo Sponsa dicebat contubernalibus suis: *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quià amore langueo*; Cant. 5. 8. Apud Venerabilem Abbatem Gilbertum sic ait Sponsa: *Nuntiate, ingerite*, non mihi satis fuerit, si hoc illi semel indicetis, crebrò velim inculcetis, neque finem vllum hæc ex me significandi faciatis. Quid verò istà toties repetita nuntiatio efficiet? *Frequens suggestio dilectum inflectet*, & si fortè suboffensus abijt, frequentia nuntia, & crebrior mei amoris commemoratio cor eius emollient, ac viscera demulcebunt, vt mecum in gratiam redeat, iram mitiget, vultum serenet, indignationem ponat. O quàm commodum Politico nostro consilium! Si is Deum obsecràrit, gratiamq; ab illo quampiam petierit, neque rerum, quas suspirat, statim potitus fuerit, non deficiat animo, neq; spem abijciat, *nunciate, ingerite*, quin petat, & repetat, instet, vrgeat, & à precando importunus orator non desistat, certus, quòd *frequens suggestio dilectum inflectet*, & deliniet, vt quæcunq; desiderat, ab eo consequatur.

Eandem doctrinam nobis tradidit Propheta regius, quando exponens modum, & artificium, quo vtebatur, vt promptè obtineret, quod à Deo expectabat, aiebat: *De profundis clamaui ad te Domine*; Psal. 129. 2.

Magnus Gregorius in sextum Psalmum pœnitentialem inquit: *Notandum quia non ait, clamo, sed clamaui.* Quid sibi vult, quod sanctus Vates non clamare, sed clamasse dicit?

Respondet beatissimus Pontifex: *Habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, immò precibus, & clamoribus insistas. Vult Deus Rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit*, Regnũ cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Matt. 11. v. 12. *Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, vt regnum cœlorum accipias, esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapinâ locupletius? Quid hac gloriosius violentiâ? Bona violentia, quâ Deus non offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed iuuatur, peccatũ minuitur, non multiplicatur.* Tali orãdi contentione, tamq; pertinaci precãdi assiduitate fit vt consequamur noxarum gratiam, scelerum indulgentiã, incremẽtum spiritus, animæ profectum, augmentum gratiæ, beneficiorum diuinorum conseruationem, perseuerantiam in virtute, fortitudinem contrà omne genus inimicorum, tam eorum, qui nos palàm incursant, aut infestant, quàm illorũ, qui clam, & inuisibiliter impugnant. Quis hæc audiens non assiduè oret, non importunè Deum appellet, non instet continuis precibus, quandoquidem tot bona, tamq; ingentes thesauros contentiosa, & pertinax oratio complectitur, & adfert?

Eiuscemodi orationis exemplum præclarissimũ Patriarcha noster nobis reliquit. Totos viginti annos rẽ vnam perpetuis clamoribus depoposcit. In hoc tam prolixi temporis decurriculo quàm crebrò ille orationum suarum vomere terram cœlorum perstrinxit? Quot suspiria dedit? Quoties ingemuit, vt consequeretur, quod tam vehementer, & ardenter expetebat? Quàm elegantem verò fructum (quod ad erudiendum, confirmandumq; Politicum nostrum commemorauero) sua illi contentio pertinaxq; petitio attulit? Quantum lucrum continua oratio peperit, quæ Iacobtem, tam raræ, & admirabilis sanctitatis filium genuit? Facite vos, quod ille egit, qui *multiplicauit preces*, non despondit animũ anno primo, non segnior factus est, vt remitteret secundo, non contraxit precandi vela tertio, verùm vt anno vno, & tribus, & decem, & viginti obsecrauit, ita plures his in eo opere transmisisset, si longior dilatio diutiùs retardasset gratiam, quam suspirabat. Huius exempli ob oculos nemo deficiat animo, sed omnes excitentur potius, & roborentur, vt continuè orare, precari importunè, pertinaciter interpellare Deum ament, qui vt indulgentissimus pater sinet se subigi nostrâ orandi contentione, & mitiorem se reddi nostris rogatibus, & deliniri suspirijs.

*De orationis vi, & efficacitate habet plurima Tomus II. Vide ibi indicem rerum.*

※)(+)(※

# LIBER QVARTVS.

## CAPVT I.

*Vana, & turpis diligentia, ridiculaq́, est illius solicitudo, qui cùm frigidum, pellucidum, abundantemq́, fontem ad manum habeat, turbidos, impurosq́, operosè, ac laboriosè consectatur riuulos.*



Miseratus tandem aliquando Isaacum Pater luminum, aperiensque diuites fores opulentorum thesaurorum suarum misericordiarum, diu incultum, sterilemque campum tristis Rebeccæ omnipotente clementiâ suâ irrorauit, cœlestique irrigatione inclyti Patriarchæ nostri deuotam coniugem fœcundam reddidit, fecitque vt duplicato fructu superiorem sterilitatem cumulatè compensaret. Duos ex concubitu vno filios concepit, qui obscuro in materni vteri carcere tam acriter, efferatèque concertare cœperunt, ac si duo aduersarij exercitus essent, aut ad duellum mutuò euocassent. Turbauit solicitam matrem inauditæ rei nouitas, dum secum reputaret, quid sibi vellet tam ferox in alui maternæ secreto duorum nondum in lucem editorum puerorum conflictus, qui magis periti essent pugnandi, quàm scirent, quomodo curare vitam deberent. In medio tam inopinatæ concursationis, vt sciret quid tam contentiosum duellum præsagiret, adijt Dominum, amarisque infusa lachrymis consuluit diuinum oraculum, vt ex illo acciperet prodigiosæ illius luctæ prognosticum. *Perrexit, vt consuleret Dominum*; Gen. 25. 22.

S. Ioannes Chrysostomus in eorum verborum commentatione aiebat: *Vide mulieris sagacitatem, quoniam viderat, quòd is, qui vuluam eius reserauerat, natura esset Dominus, & infœcundum ventrem repentè ità fœcundum effecisset, & videbat vteri sarcinam magna quadam promittentem*, perrexit, vt consuleret Dominum. *Quid est*, perrexit, vt consuleret Dominum? *Cucurrit ad veram scientiam.* Hæc ille, & paulò ante: *Non ad humanum confugit subsidium, nec se exposuit deceptioni curiosorum, & eorum, qui polliceri audent, quæ sunt suprà humanam naturam, sed perrexit, vt consuleret Dominum.* Non fecit, quod multi stulti, & amentes solent, qui cùm in similes necessitates incidunt, ad vanos, & nugiuendos circumforaneos, & impostores astrologos iudiciarios accurrunt, qui ex stellarum cursu futura contingentia diuinare, & quæ ventura, præscire volunt, quæ tamen Deus in sui pectoris secreto occultæ scientiæ suæ claue obserata seruat. Tu verò *vide mulieris sagacitatem*, inquit Chrysostomus, quæ relictis vilium, & arrogantium homulorum sordidis riuulis, *perrexit, vt consuleret Dominum, cucurrit ad veram scientiam*, fontem ipsum adijt, docens nos, vt in omnibus occasionibus, cunctisque ærumnis, & angustijs nostris tantundem faciamus, qui cùm istũ limpidum, & diuinum fontem tam propè, & ad manum habeamus, grande piaculum fuerit, si eo relicto ad riuulos hominum accurrerimus, è quibus deceptio sola bibitur, & non hauritur, quod expetitur.

Ingrediebatur Dominus regionem Gerasenorum, cuius terram cùm diuinis vestigijs suis sacrare cœpisset, veriti illius inuincibilem potentiam occurrerunt ei duo homines, quos immanes, ac nimis sæui dæmones inuaserant. Non procul inde grex porcorum aberat, damnati autem spiritus rogabant, vt cum ipsius bona venia mutare hospitia, & è fœtidis sepulchris in immunda illa animalia transire possent. *Ait illis: Ite*; Matth. 8. 32.

Mouet hoc loco quæstionem S. Petrus Chrysologus, cur mali dæmones, cùm mutandi diuersorij certum consilium iam concepissent, facultatem à Domino petierint, quibus ea licentia ad talem rem non videtur fuisse opus.

Respondet verò serm. 17. prudenter factum fuisse, quòd Dominum, cuius potentiam nouerant, adierunt, vt is, quid ab illis factum vellet, statueret, namq; *miser est, qui relicto iudice frustrà carnificis requirit fauorem, qui nec vexare, nec parcere, nec minuere potest tormenta, nec addere, sed facit totum addictus ipse verbero ad ius, & arbitrium iudicantis.* Itaque dæmonia, cùm supremam, & absolutam in Christo potestatem agnoscerent, ab illo sibi decerni pœnam, designari carcerem, constitui tormentum rogârunt, nam Domino, penes quem est omne supplicij arbitrium, prætermisso ad lictorem confugere, eiusque humanitatem implorare, extrema dementia est, & proximis fontibus neglectis ad riuos pergere, miseranda stultitia, & manifestus error eius, qui dorsum soli obuertens, aliam lucem requirit.

Impru-

Imprudentiæ arguit Dominus Scribas, ac Pharisæos, quòd legatos Ierosolymis in desertum ad Ioannem destinassent, vt num ipse esset Messias, perquirerent. *Vos misistis ad Ioannem:* inquiebat Ioannis 5. 33. & post pauca: *Ille erat lucerna ardens, & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius;* v. 35.

Vis horum verborum, notante id Sancto Cyrillo Alexandrino, in eo posita est, quòd Dominus Ioannem nomine lucernæ, seu candelæ, aut facis donat. Quid discriminis est inter solem, & lucernam? Lucerna, inquit Cyrillus, lib. 3. in Ioan. cap. 1. *non propriam lucem, sed adiectam, ac forinsecùs ad veritatem possidet.* Fax hoc differt à sole, quòd illa lumen aliundè mutuatum habet, nec lucere aliter, quàm emendicato splendore potest, Sol verò propriâ, & natiuâ luce radiat, & ab vno illo astra omnia omnē suum trahunt fulgorem. Ad eum modum Christus, qui est Sol iustitiæ, omnibus stellis, quæ sunt in vtriusq; Ecclesiæ firmamento, tribuit quicquid habent lucis, *de plenitudine cuius nos omnes accipimus,* Ioan. 1. 16. Hinc iam æstimate imprudentiam, & amentiam Scribarum, & Pharisæorum, inquit Christus, qui relicto Sole adierunt stellam, & obliti Dominum accurrerunt ad seruum, contemnentesque regem accesserunt ad ministrum. Nihil autem tam inconsultum, quàm tandem faculæ lucem adire, cùm Solem præstò habeas, & bibere de riuulo, cùm haurire ex fonte possis.

Quærit Haimo, cur Magi duce viæ vtentes admirabili illâ stellâ potiùs Ierosolymam ierint, quàm in aliam ciuitatem, vt Christi recens editi natalem locum indagarent: *Venerunt Ierosolymam dicentes, vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* Matth. 2. 2. Quamobrem stellæ prodigio exciti hanc magis vrbem, quàm aliam orbis terræ partem petierunt? *Vidimus stellam eius,* inquiebant, hæc nos solicitos, anxiosque reddit, adeò hîc Ierosolymis à dubitatione nostra absolui, & rei, quam nescimus, certiores reddi volumus. Sed cur eo potissimùm in loco portentum stellæ sibi exponi cupiebant?

Respondet eruditus Haimo, consuetudinem gentium exterarum id habuisse, vt quoties insolens aliquod in cœlo prodigium cernerent, mox Ierosolymam, tanquàm ad verum oraculum accurrerent, vbi Dei notitia sedem, aulamque suam regiam habebat, vt quid illud inuisum, & inusitatum præsagibebat, intelligerent, quemadmodum Ezechiæ ætate factum, quando Sol decem lineis in horologio Achaz retrò abijt, de quo 4. Reg. 20. & Isaiæ 38. rex autem Babylonis Berodach misit ad Ezechiam principum legationem, *vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram,* 2. Paralip. 32. 31. *Consuetudo erat exterarum gentium,* inquit ille hom. de Epiphan. Tom. 1. ho. B. B. *vt quando vidissent aliquod portentum in cœlo, Hierosolymam peterent, aut transmitterent, vbi erat Dei cognitio, sicut fecerunt temporibus Ezechiæ, vt interrogarentur, quamobrem Sol ità reuersus esset.* Hunc morem cùm non ignorarent Reges Magi, & stellæ nouitatem viderent, *venerunt Ierosolymam,* vt inde certum responsum referrent, vbi veri Dei notitia florebat. Hæc vna è multis causa est, quòd Euangelista non absque mysterio Magos, siue sapientes eos vocat, qui Reges erant, inquiens: *Ecce Magi ab oriente venerunt;* Matth. 2. 1. insignis quippè prudentia, & sapientia permagna est, relicto riuulo pergere ad fontem, contempto mendacio petere veritatem, fugere fraudem, & quærere scientiam, renuntiare creaturis, & adire Creatorem.

Commodum huic rei veniet quoddam Tertulliani quæsitum, qui lib. de carne Christi c. 18. sciscitatur, cur Dei Filius, postquàm constitutum habuit carnem induere, nasci voluit ex Virgine illibata, pura, intaminata, cuius integerrimam munditiem nullus vnquàm viri temerasset contactus. Respondet verò in hunc modum: *Non competebat ex semine humano Dei Filium nasci.* Sed cur non congruebat viri operâ humanam Verbi generationem perfici? Reponit ille iterùm: *Vacabat viri semen apud habentem Dei semen.* Si Dei Filius in se complectitur gratias, & virtutes rerum omnium, nec qualescunque, sed perfectissimas, excellentissimas, præstantissimas, si est prima causa, & scaturigo omnis boni, quorsum à creatura mendicaret gratiam, & virtutem, quam in seipso continet? Cùm fons esset, ad riuulumné iret! Solné ad stellas, ad effectum causa, Creator ad creaturam confugeret! *Vacabat viri semen apud habentem Dei semen.* Non ridicula tantùm, sed & vana, otiosaque est eius diligentia, qui ad tenues sordidosque riuulos abit, cùm proximè habeat abundos, gratissimos, & saluberrimos fontes.

Magno credentium Patriarchæ in ipso feruore diei pientissimus Dominus, volens diuinâ suâ præsentiâ humilem illius nobilitare domum, apparuit, qui cùm eleuasset oculos, tres viros robustos, ac perelegantes vidit. Vt ne frustrà felix, ac lucrosissima occasio dilaberetur, decrepitus Patriarcha, tanquàm valentissimus quidam iuuenis, festinantissimè accurrit, affususque terræ hac eos verborum comitate

comitate vrbanè appellauit: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum;* Genes. 18. 3. velut pluribus dixisset: Si me tam beatum fortuna faceret, Domine, vt tu hoc meum tugurium cætera ferè pauperculum, sed vnâ diuite voluntate peropulentum, hoc meum gurgustium situ, ac structurâ vile, at bonis desiderijs magnificum inires hospes, quàm gloriosa mea sors foret, quàm fausta dies præsens!

Hoc loco exsurgere dubitatio potest, quamobrem Sanctus Patriarcha, cùm tres quales peregrinos aduenire vidisset, vni tantùm locutus fuit, vni hospitij vsuram officiosè obtulit, vni se inclinauit, & in terram vsque ad reuerentiam submisit? *Apparuerunt ei tres Viri stantes propè eum;* inquit sacer Textus ibid. v. 2. At si tres erant, cur omnem vni obseruantiæ cultum deferebat?

Difficultatem hanc submouet Glossa Angelica in cap. 18. Genes. dicens: *Deum in Angelis sentiens mauult Domino loqui, quàm Angelis.* Personatum in Angelis Dominum totius maiestatis Sanctus Patriarcha agnoscebat, cùmq; Creatorem in creaturis, Superiorem in subditis, magnum in paruis animaduerteret, relinquens paruos, oblitus subditos, prætermittens creaturas, dissimulans subiectos, cum Creatore colloquium inibat, Superiorem comiter deuenerabatur, Conditori hospitium domus suæ offerebat, Dominum in terram prouolutus adorabat: *Deum in Angelis sentiens mauult Domino loqui, quàm Angelis.* Erant ibi fons, & riuuli, Sol & stellæ, Rex & subditi, dux & milites, Deus & Angeli. Abraham ergò, quod prudentis erat, deserebat pro fonte riuulos, pro Sole stellas, pro Rege subditos, pro duce milites, pro Deo Angelos.

Et *quis mendicet Victum suum per domos alienas, in sua abundans panibus? Quis puteum fodere curet, & in terra Visceribus Venas aquarum cum labore rimari, cui Vltrò aquas limpidas fons Viuus emanat?* Inquiebat Sanctissimus Bernardus serm. 5. in Cant. Quis nisi impos mentis ostiatim sibi annonam mendicatò conquirat, cuius horrea, triclinia, cellæ circumfluunt omnibus, quæcunq; victus humanus requirit? Quis duro, ac diuturno labore aquas sibi aliundè accersat, cui proximus fons frigidam diuite venâ fundit? Nemo, qui alioquin sapiat, hoc agat. Tale quidpiam verò faciunt miseri, & cœci homines, qui aquas Domini perspicuas, & patentem fontem omnium bonorum, & gratiarum relinquunt, destituuntque illum supersubstantialem cibum, qui liberrimo vsui, & esui nostro in sacrosancta Altaris mensâ exponitur, & omnes secum delitias, lautitiasque nobis adfert, & consectantur durum panem, & turbidam aquam, & exsuccas arbores, & inania ossa, & debiles arundines, & vanam auram, & falsas voluptates rerum creatarum, & caducarum. O Deus, quanta ea cœcitas! eheu dolor, quàm perditi mores! Itané putei sunt, vbi fontes! Itané cãndelarum vsus, vbi Sol proximus adest! Itané sunt, qui à Creatore ad creaturas deficiunt! Quàm vanum, turpe, friuolum ridiculum, ac pudendum studium, contemnere præcipuum, & quærere accessorium! Prudens, & qui rectâ ratione ducitur, facere debet quod Abraham, & relictis stellis adire Solem, fontem petere contempto riuulo, destituere subditum, & Domino adhærere.

Hoc est, quod cùm fieri maximè deceat, & oporteat, ferè prætermittitur, & negligitur, de qua re sic expostulat S. Basilius Magnus in Psal. 45. *Cùm tribulatione quadam affligamur, ad omnia potiùs, quàm ad ipsum Deum nostrum recurrimus. Vnus tibi pusio ægrotat? quaquauersùm circumfers oculos, requirens incantatorem, Vel ad postremum ad medicum Venis, & medicinas, eo interim cõtemptim omisso, qui restituere potest sospitati.* Cùm aduersis vrgemur, mundum totum, si quod fortè in illo malis nostris remedium inuenire possimus, animo peruagamur, omniaque humana auxilia priùs imploramus, ac tentamus, quàm Dei Reparatoris meminerimus, qui tamen fons est omnis boni, & omnis mali curator vnicus. Si virum quendam principem febris, aut illius primogenitum leue aliud malum fortè inuadat, quot extemplò arioli, & coniectores accersuntur! quot incantatores, & impostores adducuntur! Quot characteres superuacanei, & vani, seu figuræ, & literæ (verba sunt Basilij) puerorum innocentium collo suspenduntur! Posthæc ad medicos confugitur, & quæcunque illi habent, Dei autem inter hæc magna obliuio, qui est fons salutis, & omnis remedij author. Noster Politicus ergò, siquidem rectè agere velit, insignem, & sacram matronã nostram Rebeccam imitari debet, quæ in suis calamitatibus, & mortalibus anxietatibus *perrexit, Vt consuleret Dominum, non ad humanum confugit subsidium, cucurrit ad Veram scientiam.* Tantundem nos faciamus in nostris laboribus, & ærumnis, vt nobis eueniat, quod Rebeccæ, similiterque ac illa scopum in omni re attingamus, in dubijs quodr. ctum est, sequamur, nullo dolo circumscribamur, vt à molestijs liberati optatâ quiete fruamur.

CAPVT

## CAPVT II.

*In domo Dei nulla est nisi meritorum antiquitas, ille quippè annis maior, qui meritis.*

SAcrum Oraculum, quod nostra inter angustias posita Rebecca consuluit, hoc illi responsum dedit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori*; Gen. 25. 23. hoc est, Esau Iacobti. Sed cur minor Iacob reportabit benedictiones, & obtinebit primogenituram, cæterisque priuilegijs domus Isaaci potietur, & meliorem locum occupabit, quàm natu maior Esau? Vna omnium Expositorum responsio est, id factum, quòd Iacob esset vir sanctus, perfectus, & qui ad amussim voluntatis Dei vitam suam instituere, Esau verò homo (vt illum Apostolus vocat Hebr. 12. 16.) *profanus*, simoniacus, gulæ deditus, alijsque flagitijs addictus, quibus animam suam contami·uit, & genus suum dedecore aspersit.

Præcedat ergò sanctus peccatorem, profanum religiosus, quanquàm profanus & peccator tempore sit maior, priorque ab vtero matris in mundum prodeat, vt hinc accipiatur, illum in domo Dei esse antiquiorem, qui virtutum ditior, illum esse maiorem tempore, qui bonorum operum meritis affluentior. *Ille primus est* (inquit S. Petrus Chrysologus Serm. 73. de his ipsis gemellis loquens) *quem cælestis gratia generat, non natura mortalis*, ille primus, quem gratia semper beatè victurum gignit, non quem caduca natura propediem dissoluendum enititur.

Sacer Scriptor cùm ab annis Abrahamum, honestamque eius coniugem describeret, quos habebant, quando Angelus miraculosam, & sanctam illis posteritatem promittebat, sic ait: *Erant ambo senes, prouectaque ætatis*; Genes. 18. 11.

Origenes Adamantius, hom. 3. in Genes. & Philo Alexandrinus lib. de Abraham, hunc sacri Textus loquendi morem diligenter expenderunt, atque illud in his verbis subnotârunt, quòd horum coniugum prouectior ætas prima commemoratur, sic vt maiorum, quos habuerunt, nullus senex factus in vlla Scripturæ parte superiore narretur. *Hunc primum nominant seniorem*, inquit Philo, *quamuis maiores eius triplo, & ampliùs longæuiores fuerint, quorum neminem legimus hac appellatione dignum habitum.*

Quid mysterij habeat, quòd primus hic noster Patriarcha Abraham venerabili senis appellatione cohonestari meruit, cùm illum ad id temporis vsque plurimi annis plurimis superârint, & non pauci sæcula tota, neque pauca suprà quàm ille, vixerint? Seth fuit annorum nongentorum, & duodecim, Enoch nongentorum quinque, Cainan nongentorum decem, Malaleel octingentorum sexaginta quinque, Mathusalem nongentorum sexaginta nouem, Lamech quingentorum nonaginta quinque, & alij plurimi in longiores annos produxerunt vitam suam, quàm Abraham. Quid sibi vult ergò, quòd his tam decrepitis, & Abrahamo tam multò prouectioribus honorificus senum titulus denegatur, cuibus debitissimus videbatur, & vni credentium Patriarchæ ante omnes tribuitur?

Respondet Philo: Proauorum Abrahæ *neminem legimus hac appellatione dignum habitum*, & meritò. Cur meritò? *Nam reuerà senior non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita putatur.* In illa cælorum Regia non vocatur antiquus, qui longos annos exegit, nec qui sæcula pluscula transmisit, sed qui multis meritis excellit: Et quoniam Abraham maiores suos omnes, à quibus ætate superabatur, virtutum copijs, & perfectionis gradu longè infrà se relinquebat, idcircò huic gloriosum senecionis vocabulum conceditur, non illis. Ex quo intelligimus, antiquitatem, vt eam Deus supputat, nach Gottes Rechnung / non à longis annis, sed à multis, & magnis meritis æstimari: *Siquidem*, vt Philo Hebræus in huius rei amplificationem porrò inquit, *qui multum ætatis in tempore vixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt.* Dictum verè. Nam qui longa vitæ spatia, sine vitæ probæ studijs, emensi sunt, ij honorificâ senum appellatione indigni, sed hoc benè meriti sunt, vt exactâ ætate pueri vocentur: *Longæui Pueri.* Quàm pulchrè dictum! Quid prodest Christiano, centum vitæ numerare annos, si tam longo tempore nullum in militia spirituali præclarum virtutis facinus edidit, nec momentosum aliquid, quod ex vsu officiorum Dei sit, aut cultum eius, ac gloriam spectet, fecit? Illum *longæui pueri* nomine donare debemus, vt è contrà pauculorum dierum senecionem hunc dicere, qui in tenera ætate, & rudibus annis bonorum operum exercitationi operam diligentem, ac strenuam dedit. Is nimirùm in Dei domo annis excellit, qui meritis, ille antiquior est, qui virtutis studiosior, senectus enim non diuturnæ, sed probæ vitæ est alligata.

Scribebat Sanctus Apostolus Paulus charo suo Philemoni obsecrans, vt Onesimum seruum, qui

fugâ dilapſus Domini ſui domum deſtituerat, benignè, & humanè in gratiam veterem admitteret, & ſic ordiebatur epiſtolam: *Paulus Vinctus Christi Ieſu, & Timotheus frater Philemoni dilecto, & adiutori noſtro, & Appiæ ſorori chariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro;* Philem. verſ. 1. & 2.

Sanctus Anſelmus in commentario huius epiſtolæ obſeruauit ordinem, quo digeſſit perſonas Paulus, quos ex ſuo, & Timothei nomine ſaluere voluit: *Inter duos viros Apoſtolicos, inquit, inter cooperatorem Pauli, & commilitonem eius medium Appiæ nomen inſeritur.* Magna haud dubium prærogatiua eſt, eſſe Apoſtolorum celeberrimi in officio Apoſtolico cooperatorem. Itâ non vulgare officium, ſed inſigne munus eſt, eſſe commilitonem Pauli in eo prælio, quod contrà Eccleſiæ hoſtes ſuſceptum geritur. Animaduertendum itaque, quod Apoſtolus duos viros inter, eoſq; tam heroicos, & illuſtres mediam conſtituit Appiam mulierem. Sed quid hoc video! Quî fit, quòd Apoſtolus Archippo fidei chriſtianæ propugnatori acerrimo, & ſtrenuiſſimo Appiam anteponit? Itané ille antiquiorem habuit viro mulierem, & hæc locum eminentiorem apud Paulum, quàm ille tenet? Nonné ſi rectum ordinem ſerues, præponi fœminæ maſculus debet? Quid ergò eſt, quòd Paulus minus viro, quàm mulieri deferre videtur.

Reſpondet Beatus Anſelmus, inquiens: *Vt non videatur ſexus ordinem habere, ſed meriti,* & non hoc potiſſimùm cogitaſſe, quod alter vir, mulier altera fuit, ſed eius, quod primum erat, primam habuiſſe rationem, & hoc maximè conſideraſſe, quod maximum, quod illuſtriſſimum in vtroque erat, cùm animaduertiſſet Appiam magnitudine virtutum, & vitæ præſtantiâ Archippo ſuperiorem eſſe, ſuperiorem etiam ſedem, antiquioremque, & nobiliorem locum in ſua epiſtola illi deſcripſit, vt eâ re doceret, in domo Dei ſolam dierum vetuſtatem, niſi comites habeat virtutes, & coniũcta merita, non valere, ſolumque attendi de bonorum operum vſu natum ſudorem, & laborem, qui in ſtudio actionum meritoriarum collocatur, non dies pluſculos, non longulos annos: *Vt non videatur ordinem ſexus habere, ſed meriti.* Apud æquum enim æſtimatorem, & fidum expenſorem vitæ noſtræ is antiquior habebitur, melioremque locum obtinebit, qui meritis auctior fuerit, & virtutum copijs abundantiùs affluxerit.

Ablegabat Dominus Ieremiam ad prædicandum, cum ampliſſima cõmiſſione, vt euelleret, & deſtrueret, & diſperderet, & diſſiparet, & ædificaret, & plantaret, conſtituens illum ſuper gentes, & ſuper regna. Cùm ſe tam ſublimi prouinciæ impoſitum, tantiq; muneris dignitate auctum ſanctus Propheta cerneret, oculoſque ad rudem ætatem ſuam conuerteret, & annos teneros cum aſperitate operoſi officij componeret, deprecabatur tam graue onus, ætatem prætendens, quæ tam arduo, & negotioſo muneri præmodùm impar eſſet. Prætextum alium, quàm ætatis immaturæ, & perimbecillis, nullum reperit, quo præfecturæ tam grauis pondera à ſuis humeris prohiberet. Verùm Dominus reſpondit, longè infirmiſſimam eſſe eam rationem, quâ iniuncti officij ſuſceptionem effugere poſſe putârit, inquiens: *Noli dicere, puer ſum;* Ierem. 1. 7. non eſt bona de paucitate annorum petita excuſatio, non enim in annis poſita eſt virtus, ſed in recto rationis iudicio, & ſenſuum maturitate, hæc enim eſt, quæ annos facit, & annoſos eos, qui rudes ætate.

Nam vt Sanctus Ignatius epiſt. 6. Tom. 3. Biblioth. Vet. PP. habet, *non annoſi continuò ſapientes ſunt, nec ſenes intelligentiam poſſident, ſed ſpiritus, qui in hominibus eſt. Samuel paruulus Heli nonagenarium reprehendit, ſimiliter Ieremias audit à Deo, ne dicas, iunior ſum. Adoleſcentia igitur non eſt contemnenda, quoties Deo conſecrata fuerit, verùm is contemnendus eſt, qui in probo eſt animo, tametſi multorum dierum tempore plenus ſit.* In domo namque Dei qui ſanctior, idem antiquior, & qui virtutum ſplendorem habet maiorem, is decentiore loco honoratur, & cæteris antefertur.

Huc aptè cadet, quod Sanctus Martyr Euſtathius de amygdala, & moro in ſuis Hexameris ſcribit, inquiens: *Floret prima omnium amygdala, poſtremaq; pomum maturat, mori tardè germinant, tamen in fructu ferendo non ſunt alijs poſteriores.* Ergò non ſatis eſt antiquiorem eſſe, aut anteuertiſſe alios. Nam amygdala quanquàm prima omnium arborũ ex hyemis horrore in genialem veris amœnitatem erumpat, & florum ſuorum candida pacis vexilla prima proferat, ſerotinos tamen fructus ſuos ad maturitatem inclinante vix autumno adducit, & morus, quæ ſeriùs quidem floreſcit, ſeſeque oſtentat, cùm tamen exerere incipit, tam feſtina germinat, vt fructus præcoquos, quantum paucæ aliæ arbores edat: *Tardè germinant, tamen in fructu ferendo non ſunt alijs poſteriores.* Non itaque tota felicitatis tuæ ſumma in eo poſita eſt, quòd prior ad agnitionem fidei veneris, prior togam religioſam indueris, diutiùs è cathedra docueris, niſi etiam bonorum operum vſu, exercitatione virtutum, ſcientiæ, & pru-

dentiæ

dentiæ magnitudine cæteris antecellas, vt enim quis magnus sit, non ex eo fit, quòd primus venit, sed quòd facinora præclariora, & admirabiliora edit.

A sola canitie vis tibi accersere commendationem! ab vno senio mutuari existimationem! O quàm turpiter erras, quisquis ex eo solùm vis haberi præclarus, cæterisque præstantior, quòd grauis es annis! *Ignauissimorum quorundam hominum consuetudo est, vt cùm inter vitia senuerint, nullique pares sint, solâ se præferant senectute*, inquiebat Franciscus Petrarcha in quadam Inuect. in Medic. lib. 1. Sunt, neque pauci, qui in solis canis omne existimationis suæ præsidium habent constitutum, & ob vnicam diuculè actam vitam, & exactam ætatem omnibus magnæ venerationi, & admirationi esse volunt. At stultum est, ex ea re sola singularem obseruantiæ cultum in domo Dei expectare, in qua ille antiquior habetur, qui consenuit in vsu virtutum, & incanuit in bonis meritis.

Id procul dubio voluit significare Dominus, quando ex toto, ac tanto numero languentium, claudorum, cœcorum, aridorum, hydropicorum, paralyticorum, qui in illis Probaticæ piscinæ porticibus iacentes Angelum præstolabantur, vt in aquam ab eo motam siue ipsi insilientes, siue ab alijs coniecti sanarentur. Eam felicitatem cùm omnes vehementer expeterent, vnus solus assequebatur, nam *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate*. Ità S. Ioan. c. 5. v. 4.

Quærit Hugo Cardinalis: *Quare sanabatur prior?* Cur illi redibat salus, qui primus in aquas vel se ipse dabat, vel alienâ ope adiutus incidebat? Cur non eo ordine curabantur, quo ad consequendam incolumitatem aduenerant? Nonné æquitas postulabat, vt bonam valetudinem ille ante omnes adipisceretur, qui diutiùs suspirârat, & expectârat? Non deferebatur annis, non expectationi diuturniori, non conualescebat prior, qui prior, vt beneficium sanitatis obtineret, in aliquam porticum, & proximum piscinæ locum aduenerat, inquit Hugo, sed *qui prior descendisset in piscinam, sanus fiebat*, vt tali exemplo institueremur, parùm valere antiquitatem temporis in domo Dei, vt in ea quidquam impetres, aut assequaris, & exigui momenti esse longos annos, aut confectam ætatem, nisi magnos in virtute progressus simul feceris, & ingentes bonorum meritorum thesauros in scrinium animæ intuleris. Expeditiori, & promptiori corona datur, non seniori, dignioris, non antiquioris tempora lauro cingũtur.

Egrediebatur diuinus Christi Præcursor ad prædicandum, eoq; in ministerio Vox Verbum anteibat. Hac de re Sanctus Lucas cap. 3. v. 3. ità scribit: *Venit* Ioannes *in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

Sanctus Petrus Chrysologus serm. 137. admirabundus succlamat: *Quid quòd Vox præcedit Verbum!* Quid quòd Ioannes, qui vox est, ante prædicationis officio fungitur, quàm Christus, qui est Verbum, illi dare operam cœpit! Siccine Ioannes concionando præuenit Redemptorem mundi, vt gloriari meritò, ac verè possit, antiquiorem se illo esse Ecclesiasten? Cur non aliter, atque ità dispositum fuit, vt primus ad hoc munus curandum prodiret Christus, non Ioannes?

Respondet sacer Archiepiscopus: *Præcedit* Ioannes, *non præcellit*. Nihil refert, quòd prior pro concione dicere Ioannes cœpit, & prior indulgentiam peccatorum, quæ per pœnitentiam obtinetur, annuntiare: Quanquàm enim in ministerio Christum Ioannes tempore anteibat, dignitate tamen ab illo aberat interuallo infinito. Præibat illi non præstabat. Neque gloriosum est ante prodijsse, sed velociter progressum fuisse, id perhonorificum. Atque vt intelligeretur, præstabilitatem non in antiquitate, sed in virtute sitam esse, prior ad prædicandum Ioannes erupit, posterior Christus venit, sed tantis gratiarum copijs suprà illum auctus cumulatusque, quantas rectâ fide nouimus, sed verbis explicare nõ possumus. *Præcedit, non præcellit*, is nimirùm in supero illo palatio alios antecellit, qui virtutum vi, & magnitudine excellit.

Nisi enim ità esset, anteire dignitate Soli rubus posset, & herba iactanter gloriari, quòd Lunæ præstaret, *anterior* namque *rubus, quàm Sol, antiquior herba, quàm Luna*, inquit S. Ambrosius lib. 4. Hexam. cap. 1. Quis non cachinnetur, quis non sannis exagitet rubum, ac herbam, si videat ea hoc nomine locum in ordine creaturarum prensare eminentiorem, quòd ante Solem, & Lunam nata in mundo fuére? Nimirùm antiquitas non annis dimetienda, sed virtutibus, & ad bonorum meritorum, non ad temporis longioris pondera expendenda, ille namque annis maior est, qui meritis superior, tametsi inferior ætate.

Sidonius Apollinaris lib. 6. epist. 9. mundi, & æui sui quendam prauum morem reprehendit, qui hoc habebat, vt cùm deligendus episcopus, non merita vitæ, sed annorum spatia pensarent, penes quos designandi præsulis potestas erat: *In antistite conse-*

*crando non vtilitatem volunt eligere, inquit ille, sed ætatem tanquam diu potiùs, quàm benè viuere debeat accipi ad sacerdotium adipiscendum pro omnium gratiarum priuilegio, lenocinamento.* Factum malè, & inconsultè, ait Sidonius, nam in tanti gradus fastigium nullus nisi benè meritus promouendus est, ille autem benè meritus est, non qui vetustate consenuit, sed qui virtutibus excellit, *quià ille primus est, quem cœlestis gratia generat; non natura mortalis,* atque is in domo Dei cæteros loco antecedet, & antiquior habebitur, qui virtutum ornamentis magis excultus fuerit, ac meritis suprà alios abundauerit.

Hæc doctrina omnibus vtilis est, sed nescio an ad religiosos ascetas inprimis spectet, qui omnem suam felicitatem non in eo positam arbitrari debent, quòd illud sacratioris vitæ genus diutius consectati sunt, nisi in exercitatione virtutum simul sint antiquiores, nec enim soli anni prolixiores veram faciunt antiquitatem.

*Tomo II. Periocha IV. Dominica XXIII. post Pentecosten, pag. 310. a. o. & Periocha IV. Dominica XVI. pag. 235. a. o. habes de hac re plura, & acutiora, atque illustriora.*

## CAPVT III.

*Ætatis magnitudo non ex dierum numero, sed meritorum multitudine pensanda est, ille enim solùm viuit, qui meretur, ille plures dies numerat, qui virtutibus præstat.*

EX capitulo præcedente præsens descendit, estq; hæc Periocha filia superioris. Nemo felicitatem suam totam in longis diebus constituat, nemo annis suis quicquam tribuat, neque canos suos magni æstimet, nisi eos virtutum emblemate eleganter exornârit, ac perpolierit, nisi bonorum meritorum viuis coloribus insigniter illustrârit. Illa quippè sola dici vita, illa ætas vera appellari potest, quã bonis meritis paramus. Ille viuere dici potest, qui meretur, ille canus vocari, qui excultus est virtutibus. Ætas præcipua ea est, quæ benè, ac laudabiliter agendo exigitur, & hos quisq; numerare annos potest, quos inter bona merita transmisit.

Multis de hoc argumento agit Sapiens, aitque, eum, quem mors immatura in pubescente ætate, & vernantibus annis è viuis exemit, dum inter eos accumulandis meritis strenuam operam studiosus bonorum operum sectator auidus dederit, non decedere iuuenem, sed vetulum, & longæuum, & plenum dierum. *Senectus enim venerabilis est,* inquit ille Sap. 4. v. 8. & 9. *non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et vers. 13. *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Itaque virtutis studium est vita, quæ hominem in senectute constituit, diu enim viuere, & nihil mereri, est velut non vixisse. Nam vt Lorinus hoc in loco ait, *merces non tempori, quò vir laborat, sed operi respondet.* Qui vno die magnum quæstum facit, is certè opulentior nundinator haberi potest, quàm ille, qui intrà annos plures perexiguum lucrum fecit, itaque & primus intrà horam vnam præstantior mercator factus est, quàm alter intrà dies plurimos.

Refert sacer Textus obitum Ismaëlis, & Abrahæ patris eius mortem quoque narrat. Et Ismaëlis quidem occasum sic describit: *Anni vitæ Ismaëlis centum triginta septem*; Gen. 25. 27. Abrahæ verò totam ætatem ad hunc modum recenset: *Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni*; ibid. vers. 7.

Sed est obseruandum mysterium, quod habet Textus Hebræus in computatione annorum vitæ Abrahæ, qui apud Nicolaum Lyranum, Abulensem, & Honcalam talis est: *Fuerunt dies annorum vitæ Abrahæ centum anni, & septuaginta anni, & quinque anni.* Tam distinctè annos Ismaëlis idem textus non enumerat. Quid ergò sacramenti subsit, quòd Sancti Patriarchæ anni tam articulatim, partitè, distributèque calculantur, filij autem anni confusè, & verbo, vt sic dicam, vnico indicantur?

Respondent Doctores paulò ante nominati, quòd vita Abrahæ per certos annorum articulos tam enucleatè, distinctèque digesta fuit, id factum, vt significaretur, *quià Patriarcha in qualibet ætate congruam ei perfectionem habuit: Illic autem non explicatur nomen annorum per singulos numeros, quià Ismaël pluribus vitæ suæ annis minùs piè vixit.* Sic Lyranus. Vita ergò Abrahæ per certos numeros discreta fuit, Ismaëlis non item, vt inditio esset, quòd Abraham vitam semper integerrimam, perfectamque duxit, ætatem suam fructuosè transmisit, & vitam pretiosissimam, hoc est, cum virtute coniunctam vixit, atque idcircò dicitur, quòd diem suum obijt plenus dierum, ij nempè sunt pleni dies, & vita plena, atque perfecta ea vocari potest, quæ benè, & laudabiliter operando exigitur. Non sic loquitur sacer Scriptor de Ismaële, cuius anni omnes velut conglobatim, aut cumulatim exprimuntur, quasi vnus annus fuisset omne tempus, quo vixit, *quià minùs*

*piè vixit*, & probabile est malè collocasse suos annos, adeò virtutis annum nullum vixit, quæ fortè causa sit, quòd *deficiens mortuus* esse dicitur, hoc est, iam mortuus occubuisse. Nam qui viuit, & vitæ suæ tempus non exigit in actionibus sanctis, & laude dignis, ille cùm moritur, sepulchro infertur non tunc primùm defunctus, sed pridem in vita præmortuus. Ille nimirùm potest dici viuus, qui bonorum meritorum est studiosus, ille multos annos habet, cuius animus multis virtutibus est collocupletatus.

Huc spectat, quod noster Cordubensis Philosophus Seneca epist. 93. ait: *Non vt diu viuamus, curandum est, sed vt satis, nam vt diu viuas, fato opus est, vt satis, animo, longa est vita, si plena est*, si conferta meritis, si diues virtutibus.

Sapiens cùm de annis loqueretur, quos viuendo improbi homines percurrunt, ait perbreues fore, & angustis limitibus circumscribendos, iustorum è contrà prolongandos, & extendendos. Verba illius Prouerb. 10. v. 27. sic habent: *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur.*

Habet suam hæc sententia difficultatem. Nam si ita est, vt Salomon affirmat, quomodo cum illo cohæret, quod in dies crebro experimento discimus, homines sanctissimos magno sæpè compendio exigere vitam, consceleratos verò, qui nullâ, nisi pessimâ ex flagitijs famâ sunt insignes, longos annos degere, & tota viuendo sæcula exæquare, non etiam nunquàm superare? Secundùm hæc quomodo illa Salomonica parœmia accipienda, quæ seram ætatem timenti Deum spondet, impio autem parua temporis spatia minatur?

Occurrit huic difficultati Robertus Holcot. lect. 79. in Prouerbia, inquiens: *Potest dici, quòd dies bonorum augentur, malorum autem abbreuiantur, quià solus ille dies dicitur noster, in quo benè viximus.* Et quoniam vnumquodlibet opus bonum velut dies quidam est vitæ, & iusti opera bona plurima facere student, propterea de ijs dicitur, quòd multos annos viuunt, de improbis verò, concisum ætatis tempus degere, eò quòd illos operum laudabilium, & virtutis spiritus destituat. Itaque plus viuit, qui plus boni operatur, & qui diem quempiam sine boni alicuius operis exercitatione transmisit, illum obliterare, & è numero dierum vitæ suæ expungere potest, adeò non vixisse putet annos, quos malè vixit.

Huc percommodum veniet, quod Iacobus de Lonzana apud Holcot vbi suprà memorat, nempè Rebuspublicis benè institutis olim magnæ curæ fuisse designare homines, qui ex officio totas ostiatim obirent ciuitates, domosque ex ordine singulas inuiserent, & quibus studijs quisque in diem supremũ vsque occuparetur, solicitè perquirerent, diligenter adnotarent, denique post cuiusq; obitum, subductis accuratè rationibus, non alios vitæ dies numerarent, quàm quos benè agendo transmisisset. Postquàm ergo ad calculos omnia fideliter reuocassent, ætatem virtutis, non vitæ dies tumulo eius adscribebant. *Illi dies sic collecti in fine sculpebantur in sepulchris eorum, ità quòd vnus, qui quadraginta annorum erat, etiam quatuor habuit, & sic similiter de alijs.* Hæc ille ibi. Fiebat ergò, vt alicui, qui annos natus quadraginta viuere desierat, eiusmodi monumentum ponerent: *Hic homo quatuor tantùm annos vixit, & mortuus est quadragesimo.* Alterius epitaphium tale erat: *Hic homo obijt quinquagenarius, & nullum diem vixit.* Alterius sepulchro illud ex Sap. 4. 13. insculpebatur: *Consummatus in breui expleuit tempora multa*; siue, *Hic iacet, qui anno ætatis trigesimo mortuus annos suprà mille vixit.*

Nam vt Seneca epistolâ illâ superiore 93. dicebat: *Octoginta annis quis vixit. Interest mortem eius ex quo die numeres. At ille obijt viridis, sed officia boni viri, boni amici executus est, in nulla parte cessauit, licet eius ætas imperfecta sit, vita perfecta est. Octoginta annis fuit, nisi fortè sic vixisse eum dicis, quomodo dicuntur arbores viuere.* Quæ hîc scribit, talia ferè sunt: Dices mihi, mi Lucille, produxisse quempiam vitam suam in annum vsq; octuagesimum. Sed illud ante constituendum, à quo die numerari in mortuis homo iste debeat, nam si annos suos sceleratè viuendo prodegit, primo statim die mortuus fuit. De alio mihi narrabis, admodùm adolescentem viuere desijsse, nec tamen eorum, quæ boni ciuis sunt, & fidi amici, quidquam prætermisisse, & quoad inter mortales egit, hoc vnicè, & strenuè egisse, quod boni, & qui virtutis studiosi, solent. Ille verò diu vixit, cuius tametsi ætas pauca, longæua tamen vita fuit. Sed octoginta mihi rursùm annos obiectas, quos prior vixit. Falleris, si illam vitam arbitraris, nisi vitam putes, qualem ilex, quercus, dumus, sentes, frutices viuunt, quæ terram tantùm occupant, nihil bonorum fructuum adferunt, non in ætate, sed virtute posita est vita: *Nisi fortè sic vixisse eum dicis, quomodo dicuntur arbores viuere.* Vita ab operibus virtutum feriata, trunci magis, aut stipitis vita est, quàm hominis.

Antiquus Pater Algerus quærit aliquid, cuius & alibi meminimus, nimirùm quid causæ sit, cur Do-

minus permittere voluerit, vt charus illius Præcursor in teneris vitæ suæ annis inter mortales agere desineret, in florentissima quippè ætate iussit illum obtruncari effœminatus rex Herodes, *& decollauit eum in carcere*; Marci 6. 27. Fuit Ioannes, si virtutum eius copias spectes, maximus, si vitæ sanctitatem, & prærogatiuas consideres, illustrissimus, & quotquot ex mulieribus oriundorum eminentissimus. Hoc de illo pronuntiauit perfectionum, quæ in hominem cadere possunt, scientissimus, & iustissimus, & falli nescius arbitrator, *spirituum ponderator Dominus*, Prouerb. 16. 2. penes quem sunt pondera, numeri, & mensuræ meritorum omnium, Christus æterna sapientia Patris, cuius est illud effatum: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistâ*; Matth. 11. 11. Quod cùm ita habeat, cur tam parùm vixit, & annos vitæ triginta tres non expleuit? *Triginta duorū, & semis esse voluit*: Triginta duobus annis, & medio solùm spirauit hominū, post Christum, eiusque Matrem Virginem optimus maximus, inquit venerabilis ille Doctor l. 2. de sacram. Alt. cap. 7. Tom. 6. Biblioth. Vet. PP. Cur non exæquauit annos Abrahæ, ætatem Isaaci, tempora Iacob, & vitam Patriarcharum aliorum, quorum fuerunt longissimi dies, & vita prolixissima, vt suprà dicebamus? Cur? Vt intelligamus, annorum multitudinem, & vitæ longæuitatem non de numero dierum, sed de cumulo meritorum æstimandam, adeòque Ioannes diutiùs omnibus vixit, quia intrà paucum illud tempus incitatiore cursu maiora spatia emensus est, quàm alij omnes. Et vt multùm itineratus dicitur, non qui multas horas eundo triuit, sed qui plura milliaria post se reliquit, sic ille multos annos vixisse dicendus, qui multos benè viuendo consumpsit.

Nisi ita esset, quomodo, dic mihi, illud Isaiæ accipiendum foret, quod de quibusdam hominibus affirmat, inquiens: *Non erit ibi ampliùs infans dierum, & senex, qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit?* Isa. 65. v. 20. tanquàm pluribus dixisset: Bona noua nuntio, euangelia optatissima perfero, este proinde hilares, & exultate gaudio. Quod verò illud tam exoptatum, ac voluptarium nuntium, ob quod sui æui homines gestire lætitiâ Propheta cupiebat? Istud, quòd *non erit infans dierum, & senex, qui non impleat dies suos.* Tale quidpiam dicat vrbanus, & ad omnem morum ciuilitatem in media aula enutritus Propheta! Quid aliud tam ridiculum, vt videtur, loqui possit ludio, aut ioculator, quàm est illud, quòd non erit infans multorum annorum, non senecio, qui non dies longos viuat? Palàm est, quòd nemo nesciat, infantem non posse esse annosum (hoc enim illius ætatulæ proprium, pauculas numerare dieculas) & senectutem cuiusque in eo consistere, quòd temporum spatia longa percurrerit. Quid ergo tantus Propheta affirmat, non fore infantes vetulos, neque vetulos infantes? Quid hoc promissi? quid nuntij? quid locutionis nouæ, & inauditæ?

Falleris, homo, quisquis otiosum arbitraris hoc sanctissimi Vatis præsagium, iuxtà doctrinam enim traditam sunt infantes, qui sint vetuli, & vetuli, qui infantes. Infantes vetuli ij sunt, qui percurrerunt annos vitæ multos, ac longos, interq; hoc nihil boni operis, nihil dignum laude, nihil quod ad virtutem spectat, fecerunt. Hi sunt infantes quoad eam ætatem, quæ præcipua est, & ad rem cuiusq; vel maximè facit, & de meritis, atque officijs Deo exhibitis nascitur. Qui ad eum modū consenuerunt, absque vita viuunt, vitam sine annis habent, & grandeuā sine multis dieb⁹ ætatē, & nihili senectutē, nec enim quicquā est vita, cuius studia Dei laudi, gloriæ, cultui non dicantur, cuius non omnes cogitatus, & conatus eò tendunt, vt hoc agat, quod supremo Domino gratum. Exponit hoc quamprimùm Propheta, inquiens: *Puer centum annorum morietur.* Quis ille centum annorum puer? *Peccator centum annorum.* Peccator ergo, tametsi quod ad ætatem illam corpoream attinet, decrepitus sit, Dei tamen existimatione, & cœli calculatione est velut recens natus infantulus, verè enim viuere est benè, meritoriè, & laudabiliter viuere, & qui abundat virtutibus, ille multorum dierum homo dici potest.

At quinam veterani infantes? Ex virorum ordine Ioannes Baptista, qui antra deserti teneris sub annis petijt, ne leui saltem maculare vitam famine posset. Nicolaus Episcopus, qui infans etiamdum bis per hebdomaden à matris vberibus diem totum abstinebat, S. Dominicus, qui puerulus adhuc erat, & fascijs se euoluebat, & cunis excussum corpusculum terræ affligebat, vt pœnas à se exposceret, cùm per ætatem committere culpas non posset, & S. Thomas Aquinas, qui decimumquartum annum ætatis, simulque ascetam Dominicanum agere cœpit, vt iugum Domini ab adolescentia portaret, & è vetere lege beatissimus Samuel, qui *ministrabat ante faciem Domini*, quando *puer*, 1. Reg. 2. 18. atque in ijs rudibus annis Heli sacerdotem valde senem, vt scriptura vocat, erudijt. Ex infirmo mulierum sexu beata Agnes,

quæ

quæ duodennis, vt scribit Ambrosius, fecisse martyrium fertur, sancta, & seraphica Catharina Senensis, quæ esse quinquennis vix cœperat, quando tanta iam erat illius ergà virginem Deiparam pietatis obseruantia, vt quoties scalas domesticas iniret, salutationem Angelicam, quam expendere ad precarios calculos eatenùs nesciret, ad singulos earum gradus adgeniculata, quàm deuotissimè recitaret, vt taceam innumeras puellas, quas per ferrum ire ad regna cœlorum nouimus. Horum omnium vita inter primulos ferè menses veterana fuit, non longis annis, sed multis bonis meritis: Qui ducunt in bonis non benè dies suos, ij hos in diebus vitæ suæ recensere non possunt.

Fulcrum subijciam huic veritati ex responso, quod Barlaam Iosaphato dedit, cùm in illius colloquium primò venit. Venerabatur hic illius canos, suspiciebat vultum, admirabatur senium, quod tam longæuum illi videbatur, tanquàm ex primis mundi hominibus quidam fuisset. Interrogatus autem Barlaam de annis, quos exegisset, respondit: Vitæ annos quadraginta quinque, neque plures numero. Attonitus inexpectatâ responsione Iosaphat, comiter illi, perurbanè his ferè verbis occurrit: Fieri non posse videtur, vt frons hominis non adultioris tam crebris, & profundis sit exarata rugis, & vir decrepitus, qualem te incanum caput loquitur, non longiores vixerit dies. Cui venerabilis, & sanctus senecio apud B. Ioannem Damascenum historiæ Barlaam, & Iosaphat cap. 18. *Si computem annos, quibus Deo vixi, ij tantùm sunt quadraginta quinque, & hos tantùm annos vita computo, cæteros, quos in vanitate transegi, mortis* annos reputo. Itaque desines mirari, postquàm ex his, quæ dixi, accepisti, à Deo illos tantùm recenseri in annis vitæ, quos benè merendo, benè collocamus, illos verò numerari in annis mortis, quos peccando malè prodigimus. Non viuit peccator, nunquàm moritur iustus, & qui in plures incumbit virtutes, is magis longæuus æstimari potest.

Cum magno itaque mysterio dixit Propheta, non fore infantes multorum dierum, seu vetulos, neque senes, qui non expleant dies suos, siue qui non viuant annos plurimos, quod tale fuit, ac si apertiùs dixisset, non fore homines sceleratos, & supremæ illius, atq; omnipotentis maiestatis offensores: Peccator quippè est, qui non viuit, qui nullos habet dies, quantosuis vixerit, eò quòd illum virtutes destituant, & merita, quæ sunt vita, & ætas animæ, & spiraculum hominis interioris. Qui enim meretur, viuit, & pro numero virtutum est numerus annorum vitæ.

Confirmabo hoc ipsum quodam elogio, quod Ecclesia ab Ecclesiastico mutuata cuilibet Pontifici, qui rectè, atque vt decet, sacerdotali suo sit perfunctus officio, tribuit, inquiens: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus.* Ecce sacerdos eximius, qui Deo se quoad vixit, probauit, cuius cùm ad examen vocaretur vita, talis reperta est, quæ laudem, & laurum promereretur perpetuã.

Quid est, quod dicitur, *in diebus suis?* Respondet Innocentius III. ser. 1. de sancto Syluestro: *Non tam in diebus temporum, quàm in diebus virtutum, singula namq; virtutes sunt singuli dies, qui mentem illuminant.* Quòd ergo S. Pontifex *in diebus suis* plaplacuisse Deo fertur, id non tam de volubilis, & variabilis temporis, quàm de virtutum diebus accipiendum, virtus namque lux est, ex qua animæ amicorum, & seruorum Dei splendicant. Si autem virtus dies est, & ex diebus efficitur ætas, consequens est, vt qui virtutes habet, dies habeat: *Singula namque virtutes sunt singuli dies.* Ergo qui meretur, ille viuit, & quò plus merebitur, plus viuet, & quantùm abundabit virtutibus, tantùm affluet annis.

Vt multis, qui de longa ætate, & vita diuturniore, quam in religiosa veste transmiserunt, præfidunt, suum errorem aperiret, aiebat Eusebius Emissenus, siue, quod magis certum, Eucherius Lugdunensis homel. 9. ad Monachos: *Solemus annos nostros, & temporum spatia supputare. Non te fallat quicunque ille est numerus dierum, illum tantùm diem vixisse te computa, in quo malis desiderijs restitisti, quem sine vlla regula transgressione duxisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia commaculauit, qui peccato non cessit, qui diabolo repugnauit. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cuius vsus peruenit ad animam tuam.* Familiare est Religiosis recensere tempus, quo se Dei officijs per vota religiosa consecrârunt, & sacram togam induerunt. Hic numerat decem annos, ille viginti, alius quinquaginta, non nemo sexaginta. Non sit tamen, quem ista falsa calculandi ratio circumueniat, is enim in tabulis temporis solus poni dies debet, atq; in vitæ, & ætatis diebus recenseri, quo quis concupiscentijs suis prauis obsistit, & effusas libidines, ac malè liberas appetentias compescens in officio continet. Ille verus dies est, in quo non violatur regula, non prætermittitur constitutio, non præteritur mandatum, non cæremonia aliqua negligitur. Illud verum tempus vocari debet, quod

absque contaminatione spiritus transigitur, & huc totum vertitur, vt & vitio nulli succumbat monachus, & malo dæmoni fortiter se objiciat, & validè aduersetur. Denique illum diem debemus adiungere vitæ nostræ, qui attulit emolumentum animæ nostræ. Itaque non debet Religiosus numerare tēpus susceptę sacræ vestis, sed rectè vsurpatæ vestis, viuere namque centum annos in domo religiosa, & non facere profectus, est velut non viuere, ille enim vitæ dies censetur, ex quo fructus ad animam deriuatur. Ille itaque viuit, qui meretur, eiusque erit prolixior vita, cuius plura merita. Quod de Religiosis dicimus, idem potest, & debet de quibuslibet Christianis affirmari: Nam qui olim Christo nomen dedit, & interim de illo parùm meritus, semperque inops virtutum fuit, infantium catalogo adscribi debet, tametsi capularis, & acheronticus senex sit; in domo quippè Dei longæuitas vitæ ex ætate virtutum æstimatur, & qui virtutum diues, idem plenus est dierum, & is magis incanuit, qui opulentiores meritorum thesauros cumulauit.

Laconicus historicus, ille ethnicus, Valerius Maximus locuplete testimonio hanc veritatem constabiliet, cuius ex lib. 9. cap. 1. sunt ista: *Si tempore vti benè velis, etiam paruum, amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando, alioquin quid interest inerti morâ gaudere, si magis vitam exigis, quàm approbas?* tanquàm apertiùs dixisset: Præclarum remedium inueni, per quod homo multa sęcula viuere possit, fugitiuo tempore, & fragili, caducâq; ætate nequicquam obsistente. Remedium verò tale est, vt tempus ipsum, ætatemque benè collocet, fructuosè expendat, sic ex ipsius breuibus, & velocibus minutis durationes æternas, & vitam immortalem conficiet. Multitudine virtutum latissimè extendi possunt instantanea horarum, verè namque viuere nihil aliud est, quàm studere virtuti, quare cuius hæc est vel tota, vel potissima voluptas, vt vacuos in otio feriatus dies transmittat, is cassa inaniter vitæ spatia prolongat. Esto ergo assiduus in exercitatione bonorum operum, itâ fiet, vt multitudine laudabilium actionum suppleas dilabentis vitæ, & fugitiui temporis caducam breuitatem, multùm enim viuit, qui multùm laborat, & verè viuit, qui vitam benè merendo transmittit: *Illum diem applica ad vitam tuam, cuius vsus peruenit ad animam tuam.*

Et quoniam ea sola vocanda vita, cuius omnis cura, labor, diligentia in Dei cultu & obseruantia consumitur (virtutes namque sunt dies ætatis) ea-propter Politicum meum oro, & obsecro, vt quando oculis in hæc scripta inciderit, & quæ hîc dicuntur, legerit, seipsum conueniat, & vitæ suæ actæ rationes secum ineat, & dies præteritos computet, videatque quàm longam vitam egerit, & quot annos vixerit. Si Domino non studiosè obseruiuit, si nudum virtutibus, si meritorum inopem nouit, vitam suam nullam reputet, mortuum se existimet, qui enim non laborat, quem Dei officia occupatum non habent, qui illum totis viribus non colit, is non viuit, non habet annos, non dies aliquos, quantumcunq; sit longæuus, & decrepitus. Miserum illum, qui hanc intelligens veritatem, non studet viuere Deo, vitamque suam tanto benefactori, & immortalitati consecrare.

## CAPVT IV.

*Stabilitatem sibi in huius vitæ successibus, & prosperitatibus promittere nemo potest, nam lapsus potest exsurgere, & in sublimi positus ruinæ periculo semper est expositus.*

QVos suæ diuitiæ tam inopes mentis fecerunt; quos potestatis magnitudo tam vanos, & gratia, atque autoritas tam stultos reddidit, vt præfidant tam perdurabilem in hac caduca, & fallaci vita fore propensioris fortunæ beneuolentiam, & illam sui status excelsitatem, vt non sit subiecta varijs frequentium, & repentinarum mutationum incursibus, quas inconstans hoc sæculum patitur, & in mari huius mundi inter illius malè securas vndas non posse incidere in procellosam tempestatem, næ illi magno in errore versantur. Et miser, qui inter scopulos, & cautes grauium ærumnarum, & deplorandæ egestatis miserùm fluctuat, despondensque animum, in fortunam æquiorem incidere, & ad portum felicitatis appellere nauiculam suam posse diffidit, ô quàm ille turpiter desperat! experientia enim, & præsidentem docet, & deiectum, afflictumque monet, vt neque hic meliorem fortunam desperet, neque ille semper stabilem sibi promittat, nam & egentissimus ditescere, & opulentissimus redigi ad incitas, & gratiosissimus de suo gradu cadere, & abiectissimus in editissimum locum assurgere potest.

Diximus suprà, quòd Propheta regius omnes ex orbe toto homines ad suam concionem conuocauit, vt mundi fraudes ad vocalis Psalterij harmonicas fides cantaturum auscultarent: *Audite hæc omnes Gentes*, clamabat Psalm. 48. 2. tum v. 3. *Quique terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper;*

*pauper*; velut dixisset: Ehodum ad me auscultandum vnà concurrant inopes, & locupletes, magni & parui, humiles, & sublimes, Reges, & subditi. Sed quid rei est, quòd Propheta tam prudens, gnarus, ac prouidus, cùm omnes habere auditores vellet, ità promiscuè, simulq; conuenire cupit diuites, & pauperes, tenues, & copiosos, obscuros, & præclaros, vulgus, & Principes? Cur sic pariter adsint, alterutrumque velut per manus ducant ij, quos dixi, tanquàm nihil differat fortunatus à mendicabulo, à mancipio Dominus, subditus à Rege? Cur ità *simul in vnum?*

Respondet Mag. Basilius: Vt *noscat diues, quià æquali cum paupere vocatus est honore, simul in vnum, inquit, diues, & pauper.* Dat voces Propheta egenti, & affluenti, in summo fastigio gratiæ posito, & in ima miseriarum abysso iacenti, vt consociati ad concionem veniant, & diues ex pauperis infelicitate erudiatur, & pauper ex diuitis fortuna fauentiore in spem erigatur, & vterque videat, nec diuitem suis opibus in hac vita nimis confidere, neque pauperem ob suas necessitates despondere animum debere, nam & ille de sublimi statu suo ad pauperum abiectam conditionem decidere, & hic ex infimo suarum ærumnarum loco in celsitudinem eius emergere potest, quem lateri suo proximum habet. Neminem ergo sua felicitas præfidentem, neminem suæ calamitates pusillanimem faciant.

Obseruauit quidpiam venerabilis Abbas Tuitiensis dignum notatu, quod suis ponderibus in rem præsentem aptissimè cadet, nimirùm quòd Christus ex mortuo rediuiuus, postquàm Petrum an amaret, examinasset, & sequi iussisset, ab eodem Petro, qui caput fortè obuerterat, & Ioannem sequentem viderat, interrogatus fuit, quid de illo tam charo, & dilecto Discipulo futurum esset: *Domine hic autem quid?* Ioan. 21. 21. Qua in re illud diligenter animaduertendum, qualem seipsum depingat sacer Euangelista, cùm narrare incipit, quod Petrus quid de ipso futurum esset, sciscitatus fuerit. *Conuersus Petrus*, inquit Ioannes, *vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cæna super pectus eius, & dixit, Domine, quis est, qui tradet te?* ibid. v. 20.

De his Rupertus lib. 14. in cap. 21. Ioan. sic ait: *Quare autem vltrà solitam suæ personæ descriptionem nunc addidit*, Discipulus ille, qui & recubuit in cœna Domini super pectus eius, & dixit, Domine, quis est, qui tradet te? *Cùm enim multis iam locis sui mentionem fecerit dicendo*, Quem diligebat IESVS, *hic in sui designationem addidit*, Qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine, quis est, qui tradet te? Quoties Ioannes sui in Euangelio meminit, meminit autem non raro, vix de alio se indicat, quàm de nomine Discipuli, *quem diligebat Iesus*. Quid ergo sibi vult, quòd hic, prætermisso more vetere, cùm à multis alijs, tum ab illo eximio fauore, & beneuolentia singulari voluit innotescere, per quam & in sacrosanctum Magistri sui pectus caput suum deponere, & Petro animos facere potuit, vt per ipsum, quis perfidiosus proditor futurus esset, percontaretur, quod per se interrogare ille rei inauditæ nouitate attonitus non audebat? *Innuit ergo huic Simon Petrus*; Ioan. 13. 24. Magna erat Ioannis apud Christum autoritas, & existimatio, quando illo Petrus, qui & ipse gratiâ apud eundem non parùm valebat, vti debuit, vt sua illi dubitatio, à qua vehementer affligebatur, admireretur. Sed quamobrem Ioannes hâc vice pluribus verbis beneficentiam Domini ergà se propensiorem, & largiorem recensuit, quàm alibi, & aliàs facere solitus fuit? Quamobrem dicis?

Eam ob rem, vt vicissitudines rerum huius vitæ, quamque eæ varient, & mutent sortes suas, indicaret. Ioannes ergo (qui vltrà solitam suæ personæ descriptionem hoc nunc addidit, quòd in cœna Dominica pectori Christi incubuerit, & à Petro rogatus interrogauerit, quis futurus esset traditor, nunc inquam, quando Petrus de Ioanne percontabatur, quid de illo futurum esset) tacitus tale quid dicere voluit: Nemo in hac vita nimium fidat gratiæ, quâ apud Magnates valet, nemo in statu abiectiore sit animo etiam abiecto; nam ego, qui paucis horis ante conquieui in pectore Domini mei, ego quo vsus Petrus, vt per me certior fieret de re, de qua ipse sciscitari non audebat, nunc Petro velut opus habeo, vt ille de me quærat: *Domine hic autem quid?* Petrus itaque eam iam obtinuerat existimationem, vt de me quoque, qui paulò ante tantùm valui gratiâ, quantùm alius nemo, inquireret, interrogaretque, quæ meæ secuturæ vitæ sors futura esset: Sic nullus in hac vita confidat in eo, quod perire potest, nullus animo deficiat, cùm patitur ærumnas, quæ desinere queunt, nec enim vel magnitudo, vel gratia aliqua est, quæ non esse non possit, nec vlla pauperies, aut mendicitas, quæ non in supremum felicitatis cacumen ascendere possit.

Cùm rex Abimelech videret, quàm prosperâ, & beneuolente fortunâ vteretur noster Patriarcha Isaac,

Isaac, quantis opum copijs illum prolixa Dei liberalitas augeret, quàm fœcundo imbre agros, gregesq; eius manus Domini rigaret, è re sua fore, & vtilem status rationem putabat, pacem cum illo inire, & arctioris amicitiæ nexibus eum sibi adstringere. Iuit ergo quæsitum illum, comitatus Ochozath amico suo, & Phicol militum duce, quem cùm inuenisset, vt in communia fœdera non magno negotio pertraheret, præoccupauit, dicens, vt pactionem secum feriret, id facilè commeruisse, si non alijs officijs, eâ saltem comitate, quod nihil damni attulisset: *Nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet, sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini*; Genes. 26. 29. Habes quidem (nec enim inficiari possumus) eam nonnullius querimoniæ qualemcunque causam, quòd te excedere regiâ, & vertere solum iussimus, verùm non nescis, quòd nec tibi iniurij fuimus, neque tuarum rerum vel minimæ manus attulimus, sed plurimis bonis cumulato abeundi facultatem liberam fecimus.

Non est prætereunda silentio lectio textus Hebræi, nam vbi noster Vulgatus ait: *Auctum benedictione Domini*; Litera originalis sic habet: *Tu nunc es benedictus Domini*, tu nunc gratiosus illius es, is te nunc serenis, & placidis oculis arbitratur, tu nunc ab illo impensiùs foueris, & manu prolixiore ditaris.

Quid sibi vult, quod dicitur: *Tu tunc benedictus Domini*, tu nunc, quem ille videre, & coram habere, & beneficijs ornare amat?

Respondet Honcala, alter Abulensis, perinde hoc esse, ac si iussus fuisset Isaac non efferri animo, non superbire, ob id, quòd rex quidam magno satellitio stipatus ad se veniret, & pacis fœdera sancire, & amicitiæ necessitudini iungi obsecraret, tanquàm dictum fuisset: *Prudentia tua circumspectissima erit, in die bonorum meminisse malorum*; inquit Honcala, poterunt enim mutari sortes, & res ità variari, vt qui pridie rogat, postridie rogetur, & qui nunc ad pacem statuendam inuitatur, pacem posthæc suspiret, & supplex petat. Nullum mare inconstantius, nullus Euripus mutabilior rebus huius vitæ, quæ vt est rota, sic omnia facilè sursùm, ac deorsùm agit, facitque vt qui paulò ante fortunatissimus erat, demùm sit miserrimus.

Dignissimum notatu est, quod Angelicus Doctor obseruauit, nimirùm quòd mundi redemptor Christus, cùm in carne passibili, & cruciatibus, mortique obnoxia degeret, in supremum verticem montis Thabor adduxit tres Discipulorum charissimos, Petrum, Iacobum, Ioannem, prætereque hos è sepulchro Moysen, Eliam è paradiso, ibique magnificam gloriæ suæ ostentationem fecit, perfundens vultum suum splendore tam amabili, & illustri, vt cum Sole de lucis magnitudine certare videretur, reliquum verò corporis vestitum tanto candore tinxit, vt niuem æmulari dixisses: *Resplenduit facies eius sicut sol, Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*; Matth. 17. 2. Redijt ad vitam triumphator mortis in carne deinceps æternùm, gloriosa, apparuitque Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæ lachrymabunda deplorabat sacri cadaueris illius tristem iacturam, apparuit autem in habitu olitoris, personatum hortulanum indutus, sic vt illa existimaret, *quià hortulanus esset*; Ioann. 20. 15. Conuenit posthæc mœstos discipulos, qui Emauntem petebant, sed talis, vt peregrinum putarent, & porrò dicerent, cùm aiebant: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem?* Lucæ 24. 18.

Dicit nunc S. Thomas Opusc. 59. 4. *Christus adhuc existens mortalis secundùm corpus, ostendit se in monte in habitu glorioso, quando corpus suum nondum erat glorificatum, sed gloriosum, quando verò iam post resurrectionem suam corpus suum erat veraciter gloriosum, nunquàm ampliùs habitum gloriæ dimissurum, nihilominùs peregrinis euntibus in Emaus se ostendit sub habitu peregrini, & Magdalenæ sub habitu hortulani.*

Sed causa quæritur, ob quam Dominus, ac redemptor noster permagnifico illo gloriæ splendore in præcelsi Thaboris supremo vertice sese amicire, & ad omnem venustatis gratiam excolere voluit, quando carnem nondum glorificatam, sed passioni, & morti natam etiamnum vestiebat, è contrà verò peregrinum, hortulanumque assimulare, & hoc, quod erat, dissimulare voluit, cùm iam corpus gestaret, quod & gloriosum, & glorificatum, & partam tot cruciatuum tolerantiâ gloriam perpetuò retenturum erat?

Dictum persæpè, & commemorandum iterùm atque iterùm ex sententia sanctorum Patrum, Augustini maximè, & Gregorij, quòd *omnis Christi actio est nostra instructio.* Dubitet ergo quispiam, quid docere voluerit, quando tam gloriosè, cùm humilis, & mortalis, tam humiliter, cùm gloriosus, & glorificatus, vestijt? Nihil aliud, quàm quòd hîc tractamus. Christus carne passibili, & moriturâ circumdatus, gloriæ splendidissimâ veste se amiciuit, cùm verò dote impassibilitatis immortalis & iam gauderet, maiestatis suæ fulgentissimam lucem obscuri vestitus

ſitus velo obnupſit, vt eo exemplo nos inſtitueret, ne quiſquam deſperet, in quantamuis ærumnarum abyſſum infelici prolapſione deſcenderit, quanticunque ſint cruciatus, quibus affligatur, fieri enim poſſe, vt vnus quidam fortunæ mitioris, & fauentioris aſpiritus ex miſeriarum imo ad ſupremum felicitatis cacumen, ſuprà ipſas adeò ſtellas euehat, & ſublimem agat: Adhæréis, qui omnibus, quæ expetiſſere cupidiſſimus animus poſſit, circumfluens in ſumma proſperitate verſatur, nimiùm proinde ſuperbiat, & intumeſcat, fieri enim etiam poſſe, vt idem fluctus, qui pauperem in excelſum faſtigium extulit, ipſum diu fortunatum inde ad infima deijciat, & ex Thabore gratiæ in humilem hortulani conditionem præcipitet, ſic vt deinceps in mendicabulis ſit, & vagis peregrinis, qui nuper in Principibus, & viris, qui ſubmiſſo ad obſeruantiæ cultum capite, & poplite adorari ſolent. Sic habent res huius vitæ. Qui heri triumphabat, hodie victus iacet, qui pridie vinctus ad pompam celebratiſſimi triumphatoris circumducitur, poſtridie victor fauſtis acclamationibus, & communibus lætitiæ plauſibus in cœlum effertur.

*Tomo* I. *Pertocha IV. Domin. in Ramis palmarum, pag.* 454. *a. o. habes, omnem mundi pompam, & gloriam, nil niſi ſomnium eſſe, ac ludibrium. Vide an talibus prudens quiſquam credere, ac fidere vel debeat, vel poſſit.*

## CAPVT V.

### *Infelicitatis genus nullum miſerabilius, quàm fuiſſe felicem.*

PRopterea ſacrum oraculum aiebat: *Maior ſeruiet minori*; primogenitus poſteriùs nato, vt nemo in vitæ præſentis proſperitatibus, nemo in autoritatis, quam hîc habet, magnitudine confidat, poſtquàm videt maiorem eò redigi, vt ſeruiat minori, opulentum ſic deijci, vt ſit pauperi pro mancipio, pauperem autem huc extolli, vt copioſo Dominus imperet.

Quòd ſit admirabilis huius ſæculi volubilitas, & inconſtantia, nemo dubitat. Verùm vt huius viciſſitudinis experimentum cruciabiliſſimè quempiam vexet, & affligat, nihil æquè facere poteſt, ac ſi per felicitates ad infelicitatem tranſitum faciat. Miſerum eſt ex malo vno in aliud dilabi, prægrauari ærumnis alijs, atque alijs, & varijs ex ordine calamitatibus exagitari: Attamen ex affluentia delitiarum ad duram pauperiem deuenire, è culmine ingentis felicitatis in profundum verecundæ mendicitatis præcipitem ruere, hoc tormentorum, quo excruciari homo poteſt, omnium immaniſſimum, & intolerabiliſſimum dixero. Itaque tali quodam ſupplicio inſolentem, & profanum Eſau Dominus plectere videtur. Primogenituram illi adimere, & omnibus primogenituræ gratijs, ac priuilegijs, illum nudare volens, fecit, vt primus ab vtero Matris progrederetur, ex quo cùm alij arbitrarentur, tum ipſe intelligeret, ſe Dominû, & paternæ domus, fortunarumque vniuerſarum ex aſſe hæredem natum, poſthæc autem ordinat, vt hâc dignitate exuatur, & *maior ſeruiat minori.* Cur voluit Dominus, vt Eſau primogenituræ dignitatem priùs adiret, ac paulò poſt ab ea excideret, & minor, ſeruuſque non naſceretur, ſed ex maiore, & Domino fieret? Vt grauior eſſet illius dolor, & acerbior pœna. Nemo enim ferociorem, truculentiorem, formidabilioremq; vulnum vel cogitando ſibi finxerit, quàm infelicitatis, ſi quæ poſt longam, ac ſuauem proſperitatis conſuetudinem occurrat.

Ardebat voluptarius, & auarus ille ex Euangelio helug in picea fornace vindicis flammæ, eleuatiſque oculis vidit mendicum Lazarum in paterno Patriarchæ Abrahæ ſinu velut benigno hoſpitio ſuauiter conquieſcentem, miſeramque vocem, quantùm poterat, contendens ardentis ſitis, quâ cruciabiliter torquebatur, remedium depoſcebat, tanquàm id tunc conſequi poſſet, dicens: *Pater Abrahã, miſerere mei*; Lucæ 16. 24. Cui ille: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua*; ibid. v. 15. recordare, quòd lautè, ac ſplendidè vixiſti, quòd duxiſti in bonis dies tuos, quòd ciborum delicatorum lectiſſimis nuper veſcebaris, vina diuerſa, ſed nonniſi generoſiora potitare ſolitus, lue nunc iſtam epulandi intemperantiam, nulla malis tuis curatio reliqua, nec precibus tuis locus aliquis eſt ſuper.

At ſi Patriarcha non erat conceſſurus, quod rogabatur, cur illlum reprobum, & damnatum ganeonem filium vocat? Miſericordia fuit, an ſeueritas, quòd eo nomine donauit? Ab auſtero, an ab amico, & beneuolente animo iſta deſcendit appellatio?

S. Petrus Chryſologus ait, nuncupaſſe filium, vt acriores redderet illius cruciatus, & magis exacerbaret ſupplicia: *Voco filium*, ait apud illum Abraham ſerm. 123. *vt te grauiter doleas perdidiſſe, quòd natus es. Adhuc voco filium, vt amariùs doleas perdidiſſe te, quod gratia dederat, & natura.* Quòd filium ergo dixit, non de pietate, aut benignitate, ſed de auſteritate venit, quæ dolores illius reddere auctiores

ctiores voluit commemoratione felicitatis, quam per natiuitatem accepit, sed per suam improbitatem dilapidauit. Filium vocauit, vt eâ appellatione acueret eius cruciatus, exasperaret tormenta: Nam quòd excidisse à fortunato statu filiorum se videbat, & refricabatur illi memoria felicitatis, in qua fuerat, & audiebat illam nominis tam gloriosi, & suauis appellationem, quam habuerat propriam, nunc autem acerbissimis supplicijs subiectus, atque ab illa sublimitate in hanc vilissimam humilitatem delapsus ex beato miserrimum se conspiciebat, hoc magnis incrementis sæuitiam dolorum illius, quos inter flammarum incendia patiebatur, incredibiliter amplificabat.

Iulius Cæsar, ille quàm strenuus gladio, tam celebris scriptorio calamo, lib. 2. comment. aiebat: *Dij consueuerunt, quò grauiùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci volunt, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.*

Supremi mortalium moderatoris mos hoc habet, vt flagitiosissimos homines, cùm eorum scelera paribus plectere supplicijs cupit, primùm in magna quiete, & voluptate, & rerum omnium affluentia iucundissimam ducere vitam, posthæc verò ad summam egestatem, & extremam inopiam redigi permittat, *quò grauiùs ex commutatione rerum doleant*, vt intolerabiliùs sua tormenta ferant, & immanior pœna eorum exulceret, laceret, depascatur viscera.

Decreuerat Dominus animaduertere in illam flagitiosam indulgentiam Heli summi sacerdotis ergà consceleratos filios, & plurimùm damnatam remissionem, atque incuriam, cùmque illi denuntiaret calamitates, & ærumnas, quibus domus eius exagitanda esset, aiebat velle illum nudare tam sublimis officij dignitate, eaque alium ornare, qui muneris sui rationem meliorem haberet, omnesq; illius partes studiosiùs, accuratiùsque expleret, tum ista subdebat: *Verumtamen non auferam penitùs virum ex te ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua*; 1. Reg. 2. 33.

Ego sanè, cùm ex Domino audirem, quòd non omnes Heli posteros mouere officio altaris vellet, putare cœpi mitigandi doloris causâ hoc factùrum, vt minus acerbum illi accideret, quòd se, posterosq; suos ab excelso illo summi sacerdotij culmine æternùm deturbandos audiebat. At non ità res habet, inquit apud Abulensem Dominus: Etenim *quòd ego relinquam aliquos de filijs* Heli *ministrantes in altari, non est ad alleuiationem pœnæ, sed augmentum, nam cùm quis fuit in magna prosperitate, incidens in aduersam calamitatem, duriùs hoc quàm mortem tolerat.* Nepotes Heli cùm ante oculos semper haberent veterem suæ familiæ prosperitatem, quâ maiores eorum perdiu ad summam gloriam vsi fuerant, viderentque sæpè, atque in horas ferè singulas supremam sacerdotij cathedram, à qua malo, sed magno suo merito deiecti fuerant, hoc illos affligebat suprà quàm mors potuisset. Cùm enim quis ex sententia viuit, & in apicem felicitatis deuenit, atque inde in extremam miserrimæ vitæ conditionem suo vitio præceps deijcitur, nihil huic intolerabilius euenire potest, nec est infelicitas alia vlla, quæ cùm huius infelicitate certare de magnitudine, & grauitate ausit, quando & mors formidabilium omnium horribilissima illius acerbitate suam esse inferiorem concedit: *Duriùs hoc quàm mortem tolerat.* Nam vt Valerij Maximi habet opinio, nulla est immanior carnificina, nec pœnalior cruciatus, aut cruciabilior pœna, quàm si quempiam per floridulum, & apricum hortum in asperam, incultam, & horridam syluam traducas, & primùm ad instructam mensam lautè, dapsiliterque habeas, dein verò in magnam diræ famis necessitatem adducas, & ex supremo prosperitatis fastigio in extremam infelicitatis abyssum deijcias: *Optima vindex insolentiæ varietas humanæ conditionis.* Sic ille lib. 4. cap. 7. Alterna illa rerum humanarum vicissitudo plectendæ improborum licentiæ tam commodus est tortor, quàm alius nullus. Sit ergo pauperies carnifex affluentiæ, sit seruitus tyrannus libertatis, sit deiectio lictor superbiæ, sit exilium vindex autoritatis vanæ, & superciliosæ, sic enim acriùs puniuntur delicta, quando homines flagitiosi ex fortunatis fiunt miseri, & ærumnosi.

His robur accedet ex eo, quod nemo nescit, & S. Bernardus expendit, nimirùm quòd Dominus, & Saluator noster per Hierosolymorum publica compita cum ingenti plausu, & communi, publicaque omnium acclamatione deduci voluit paulò ante, quàm per easdem plateas tanquàm flagitiosus, & infamis reus raptaretur, videretur, conspicaretur, vt hinc magis amaresceret illius passio, exacerbarentur ludibria, & irrisiones fierent molestiores. Mellifluus Doctor serm. 2. de Ramis palmarum sic ait: *Quid fuit, quòd processionem habere voluit, qui mox futuram nouerat passionem?* Quò clamoris hodierni tam festiui, quos ignominiosa vituperia, & probra insultantiū crastina sunt secutura? Cur voluit Dñs tam magnifico cum triumpho, & apparatu excipi, qui se

non

non diu post varijs ludibrijs, & indignis modis contumeliosissimè dehonestandum præuidebat?

Respondet gemmeus Bernardus: *Vt amarior esset passio, quam processio præcessisset.* Nunquàm enim grauiùs lædunt maledicta, quàm post encomia, nunquàm acerbiùs vulnerant iniuriæ, quàm post præclaram existimationem, nunquàm intolerabiliùs affligant conuitiorum dedecora, quàm post elogiorum ornamenta, & non censetur in ærumnis calamitas, quæ post felicitatem non venit.

Propterea Plautus apud Ioannem Murmellium in librum 2. Boëtij de consol. prosâ 4. dicebat: *Miserum istud Verbum, & pessimum est*, habuisse, *& nihil habere.* Nemo magis deplorandus eo, qui dicere potest, ac debet, quondam abundaui, felix olim fui, opulentum me, & stipatum famulis, & cinctum satellitibus, & clarum subsellijs, & ornatum honoribus, & circumfluentem delitijs Soles me superiores, neque pauci, viderunt, nunc verò, & annonam ostiatim commendico, & conuitia passim audio, sumque opprobrium hominum, & abiectio plebis. Sæuissimum nempè tormentum est post magnas facultatum copias ad inopiam redigi, *habuisse, & nihil habere.*

Id mihi significare voluisse videtur Poëticæ facultatis Decanus, quando primis admirabilium lucubrationum suarum versibus pium Æneam describit, & de illo istud, quòd cum socijs lætus, gaudensque cœlo sereno à portu soluerit, cùm mare pacatum, & aura secunda felicem promittebat nauigationem, mox autem validâ, & atroci per iratam Iunonem excitatâ tempestate mirùm, miserùmque iactatus, & in præsentaneum vitæ discrimen adductus fuerit:

*Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant,*

canit ille 1. Æneidos, v. 39. Quid sibi voluit, quòd tam hilariter, lætanterq; inierunt mare? Cur tanto perfusi fuerunt gaudio, cùm sua ventorum libidini carbasa exposuerunt?

Respondet insignissimus Virgilij commentator Cerda in 1. Æneid. nota 2. *Vt videlicet posteà maiorem conquestionem excitet ab commota tempestate, cùm à summa lætitia omnia reciderint in summam calamitatem.* Prudenter, & perattentè notauit Poeta, totis animis exultasse Æneam, illiusque comites, quando se committebant mari, altumq; petebant, futurum namque erat, vt breui ab insana exagitarentur tempestate, cuius vt maior esset horror, priùs describere voluit lætitiam, quâ gestierunt, cùm è portu euehi cœperunt. Nunquàm enim est immanior, quàm post tranquillitatem, tempestas, nunquàm grauiores, quàm subitarij post longam pacem, & quietem, bellorum tumultus. Infortunatissimus itaque ille est, qui post felicitatem infelix.

Id verbis benè luculentis affirmauit inclytus Martyr Seuerinus Boëtius de consolat. prosâ 4. dicens: *In omni aduersitate fortunæ infelicissimum genus est infortunij, fuisse felicem.*

Calculo suo idem comprobatum dabit Propheta regius, qui cùm prolixam Dei ergà illum peruicacem, & rusticum populum liberalitatem prædicare instituerет, sic inquiebat Psal. 77. 24. & 25. *Dedit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia.* Quando filij Israël ibant per inculta syluarum, & aspera montium, pia clementissimi Domini maiestas ministerio Angelorum è superiore aëris regionis illis submittebat cibum tam dulcem, & saporatum, & prodigiosum, vt eum saporem cuique referret, quem illius orexis, & libido vellet. Hoc beneficiorum Dei præcipuorum vnum quoddam fuit. At merumné beneficium?

S. Zenon, cùm hanc rem ad lucem sui ingenij attentioribus oculis arbitratus fuisset, ait, sibi non solùm beneficentiam videri, sed etiam austeritatem, quòd tam lautè, atque opiparè eos habuit. At quomodo hoc esse queat! Ergoné manna pro supplicio fuit? Aut tam delicatus cibus non tantùm vt tener, dulcisq; ros, verùm etiam vt fulminaris radius inde descendit? Neque clementiæ solùm faciem, sed & indignationis vultum retulit?

Immò verò ità res habet, inquit S. Veronensium Antistes serm. 2. de Exodo: Nam *ad hoc manna de cœlo* populus ille *gustauit, vt cùm esset ad egestatem postmodùm deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torqueretur.* Futurum erat, vt contumaces, & obstinati Hebræi in maximam famis necessitatem adducerentur, & in penuriæ extremæ angustias redigerentur. Vt ergo famis carnificina esset atrocior, & esuriei cruciatus intolerabilior, voluit vt manna ante prægustarent, vt cùm illius suauitas ad memoriam recurreret, augesceret pœna, & *præteritorum bonorum recordatione acriùs torquerentur.* Vt enim cuipiam suæ infelicitatis dolorem acuas, nullâ re id æquè effeceris, ac si ex opulento egenum, ex beato infelicem facias.

Non parùm eleganter hoc expressit docta illa ad Petrum Abailardum Heroissa ep. 2. vbi ista: *Quantò altior ascendentis gradus, tantò grauior corruentis casus, qui vt me miserrimam omnium faceret, omnibus ante beatiorem effecerat, vt cùm quanta perdidi, pensarem,*

*starem, tantò me maiora consumerent lamenta, & tantò maior amissorum succederet dolor, quantò maior possessorum præcesserat amor, & summa voluptatis gaudia summa maioris terminaret tristitia.* Nemo enim maiore commiseratione dignus, quàm is, quem ex delitijs ad egestatem, ex libertate in captiuitatem, ex amplitudine copiarum ad angustias inopiæ sua infelicitas, & iniquior fortuna redegit.

In supremo dignitatis culmine collocatus homo, & imagine sui Conditoris nobilitatus, gratijs etiam, priuilegijs, & plurimis, & maximis collocupletatus, ex tam sublimi vertice delapsus fuit; idque ex vertigine, quâ caput illius laborare cœpit, cùm similiter ac Deus omnia scire, & alter quidam ille in terris esse voluit. De hac tam misera prolapsione sic ait rex Dauid: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*; Psal. 48. 13.

S. Ioannes Chrysostomus in his obseruauit, Prophetam non dicere, quòd homo natus fuit bestia, sed culpâ, & improbitate suâ pecudum similitudinem contraxit. Cur hoc? Vt inde eius fieret acerbior cruciatus, & pœna cresceret. Carere namque ratione ex natiuæ conditionis proprietate quanquàm infelicitas sit, tolerabilis tamen est: At quòd homo ratione præditus brutis irrationalibus fit par habitus, id acerbius tormentum est, valuisse enim rationis iudicio, & propter malum eius vsum in tantam vilitatem descendisse, vt cum bestijs in comparationem venerit, & de sublimi fastigio amœni paradisi in vitæ rusticanæ abiectissimam sortem incidisse, & ex Angelorum sacra societate in contubernium syluestrium animalium deuolutum esse, ea summa infelicitas, & infortunium extremum.

Audiamus Chrysostomum apud Hugonem Cardinalem: Dicit Chrysostomus, *quòd peius est comparari, quàm nasci, supple iumentum, nam naturaliter non habere rationem, tolerabile est, verùm ratione decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis est crimen.* Semper esse pauperem, semper miserum, semper seruum, semper infelicem, infelicitas est, res tristis est, & ærumnosa calamitosi hominis conditio: Verùm post mollem sindonem vestire rude sagum, post purpuram induere saccum, post sceptrum tractare remum, & basilicam cum gurgustio commutare, hoc est quod iniquissimè fertur, & intolerātissimè vexat, & pœnalissimè cruciabilissimèq; affligat, & exulcerat, & suæ acerbitatis mole obruit.

In ea sententia fuit S. Zenon serm. 6. de Exodo, cùm ait; *Commodiùs puto misero in suo statu manenti, quàm beato in vltimas miserias deuoluto*; velut dixisset: Mihi certissimum, atque indubitatum videtur, nonnullam velut felicitatem esse, nunquàm valde fortunatum, sed semper tenui, & humili conditione esse, nec in sublimem dignitatis, aut felicitatis qualiscunque gradum peruenisse, cum enim, qui non gustauit dulcia, minùs offendunt amara, nec sui status humilitas humilis illi videtur, qui vitæ alteri nunquàm assueuit: Verùm qui aliquando felix, fortunatusque fuit, qui prosperè diu egit, & bonis omnibus circumfluxit, & rogabatur, colebaturque ab omnibus, si fortè insana in illum fortuna perbacchetur, & miserum miserè exagitet, & solo afflictum ad aliorum vestigia abijciat, vt ab omnibus rideatur, & conculcetur, alienasque & inclamare fores, & implorare manus necessum habeat, ac sæpè nequicquam inclamet, & imploret, eius miseria tanta est, vt maiorem vix imaginari quisquam possit, & dolor ex infelicitate acerbissimus, & imcomparabilis. Vt enim post sæuam coniuratorum ventorum conspirationem, & nubili cœli tristem aspectum, & atrocem concitati maris tempestatem gratior illucescit serenitas, & maiore in pretio habetur compositorum fluctuum tranquillitas: Ità è contrà cùm post tranquillitatem prosperitatis, post suauè aspirantis fortunæ leues & secundos afflatus, impotens inexpectatò aquilo exurgit, forsque iniquior ferocire incipiens superioris felicitatis ex omni parte nauem non verberat tantùm fluctibus, sed mergit etiã, vt nuperam quietem, beatitudinemque omnem mare aduersitatis sorbeat, maior hinc tristitia, & pœna grauior venit.

Quapropter Politicus noster benè fecerit, si se aduersùs omnes sinistros euentus, & insperatos casus magno studio, & animo præparauerit, & obarmauerit, cùm nullla sit in hac vita stabilitas, nulla in huius sæculi mari securitas, vt cùm Domino placuerit malis quibusuis præsentibus illum exagitandum permittere, minùs grauis accidat aduersitas, quàm meditatione præuerterat, mala nimirùm præuisa non tam cruenta efficiunt vulnera, vt ferè dixit S. Gregorius, minoremque dolorem afferunt tela, quæ ante conspeximus, quàm excepimus.

*Eundem scopum petit Periocha V. Dominica IV. post Epiphaniam Tom. 2. pag. 443. a. 0. & Periocha III. Dominica III. Quadrag. Tom. 1. pag. 219. b. 0.*

CAPVT

# CAPVT VI.

*Aduersitatis tortor funem miseriarum obtorquere, & constringere arctiùs non potest, quàm si quem faciat extremum mancipium eius, cuius fuit superbus Dominus.*

AN fortè aliunde magis augescere dolor, & ampliùs ad acerbiorem torturam extendi fidiculæ, & miseriæ sumere incrementa, & infelicitatum arma fieri cruentiora possunt? Potestnè iniquiorem fortunam quisquam experiri, quàm is, quem illa è summo prosperitatis culmine in extremam paupertatem deturbat? Potest. Quonam modo? Quando per varios successus, & alternas rerum vicissitudines homo ad eam miserrimi status infelicem conditioné redigitur, vt non solùm à prosperitatis suæ fastigio detrahatur, sed etiam ad vestigia eius deuoluatur, quem pedibus ante calcauit, fiatq; extremum eius mancipium, & captiuus, cuius fuit nuper superbus, & tyrranicus dominus. Qui in hanc calamitosam infelicitatem incidit, is videtur nihil habere in hac vita, ob quod iratæ fortunæ morosam faciem pertimescat, nec enim illi quicquam eueniet vel tam asperum, vt non lene putet, vel tam molestum, vt tam leue existimet, vel tam amarum, vt non suaue arbitretur, si cum eo cruciatu componat, qui de infelicitate, quam dixi, nascitur.

Salomon Prouerbiorum 25. v. 21. & ex illo Apostolus Romanorum 12. c. v. 20. ait: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres super caput eius*, hoceſt, si famelico, siticulosoq; hosti victũ suppeditaueris, sic illum mitigabis, & mansuefacies, vt ignẽ à te suo in vertice excitari sinat. Ità interpretãtur nõnulli.

Sanctus Isidorus Pelusiota percommodè in rem præsentem exponit verba superiora, dicens, eam vindicandi de hoste rationẽ talem esse, vt aptiorem, illustrioremq; optare nemo possit. Quid est habere inimicum? Habere hominem, qui me pedibus suis substratum, & suum mancipium esse cupiat, curetq; si potest, qui sanguinem meum bibere, & perpetuò habere oppresum, insolenteq; vestigio semper terræ tenere affixum velit, & vbique ceu iuratus hostis aduersetur. Quod ergo sublimius vindictæ genus esse possit, ac illud, cùm talis inimicus meas supplex pro victu fores inclamat, siti suæ leuamen à me humiliter petit, & vestigijs meis accidit, qui me suis habere subiectum pedibus optabat?

Pelusiotæ hac de re verba sic habent in lib. 4. Epist. 11. *Cùm ille in tantam incidit necessitatem, vt ei opus sit etiam inimici commiseratione, id quauis calamitate, & quouis supplicio acerbius, & grauius esse aio. Atq; ità vulgus hominum sibi id persuasum habet, cùm dicit: Ne eò redigar, vt ab inimicis meis cogar stipem accipere. Quòd si igitur id, quod dictum est, eiusmodi est, vt facientibus quidem optabile, ijs verò, qui patiuntur, supplicij loco sit, quid est, quod mireris, maximè cùm nec simplex sit beneficium, sed maius quoq; afferat supplicium?* Quòd quis aquam bibat eius manibus propinatam, cuius pridem voluisset è venis expromptum sanguinem bibere, quòd ab eo prostratus cibum capiat quem suis nuper habuit affusum pedibus, *non est simplex beneficium*, aut si omninò vocari beneficium debet, quod è talibus manibus venit, certè tam durâ, molestâq; pensione oneratum id est, quàm prægrauari beneficium aliud quodpiam possit, cùm *maius quoq; afferat suppliciũ*. Quod enim atrocius tormentum, quæ terribilior pensio, quis dolor acerbior, quàm videre se eius potestati subiectum, cuius fuerit vel reapse, vel infensæ voluntatis cupiditate arrogans, & superciliosus Dominus?

Tres amici sancti Iob, qui venerant vt consolarentur illum, quando deturbatus ex alto solio iacebat in vili, & sordido sterquilinio, pro eovt suâ præsentiâ, & verbis suauibus durum, ac molestum calamitatum illius onus alleuarent, aggrauarunt magis pondera, irritâruntq; vulnera, dicentes, pro peccatorum suorum, & grauissimorum scelerum magno merito illum à iusto, & recto iudice Deo sic prostratum in illo impuro loco iacere. Seipsos perquàm sanctos arbitrabantur, & amicum suum Iob contaminatissimum, & flagitiosissimum peccatorem putabant, & se omnibus modis inferiorem existmabant. Subsidit tempestas, redijt sua mari tranquillitas, finem habuit persecutio, cessârunt flagra, & verbera, dixitq; Dominus tribus longanimi, & constantis amici sui familiaribus: Grauiter offensum me habet vestra superbia, quâ contrà seruum meum Iob elati, etiam minùs cautè, neque tam prudenter, rectèque, ac ille inter medias suarum ærumnarum angustias, locuti estis, *sumite ergo vobis septem tauros, & septẽ arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis, Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Iob 42. v. 8.

Beatissimus Pater Gregorius Magnus quærit, cur Dominus ordinauerit, vt is suorum familiarium patronus aduocatus esset, illisq; malefactorum suorum indul-

indulgentiam, & noxarum gratiam, sacrificiorum, & precum suarum auxilio procuraret, cuius illi de honore tam plurimùm detraxerant, & famam obscurârant, & vitam omnem, tanquàm cuiusdam pedibus eorum accidui serui, despicabilem habuerant. Itaneij, qui se beato Iob vitæ sanctitate, & virtutum copiâ longè præstare putabant, illum supplices adire, vestigijsq; eius aduoluti rogare debent, vt causam ipsorum apud Deum diligens, & fidus sequester agat?

Debuit ità fieri, inquit sacer Pontifex, atque vt hinc eorum grauiùs plecteretur arrogantia, & augesceret pœna, *illos ad suam gratiam per eum, quem despexerant, reformat.* Hoccine verò ad incrementum cruciatuũ illorum quidpiam fecerit? Plurimum fecit: *Valde quippe elata mens retunditur, si ipsi, super quem se exaltauit, supponatur,* nec acerbius quidpiam euenire homini superbo potest, quàm vt sub illius plantis gemat, cuius vertici incumbens tumescebat. Fundãt sese ergo sancti Iobtis amici ad illius pedes, quem despectui habuerunt, vt hinc eorum exasperetur dolor, nec enim alia est, vt videtur, pœna cruciabilior, quàm illius, qui eorum nunc proteritur pedibus, quorum ipse paulò ante ceruices calcabat.

Propositum erat sancto Apostolo Paulo, consilio, & monitis auocare homines, ne in lethalis culpæ, bestiæ omnium efferatissimæ manus inciderent, quæ tam miserandas strages, totq; fatales vastitates animabus infert, atque vt hoc apud eos efficeret, sic aiebat: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius*; Rom. 6. 12. non dominetur, non imperet vobis quæcunque illa noxa mortifera, ne eius libidini subiecti maneatis.

Obseruauit acutè sanctus Petrus Chrysologus ser. 113. loquendi formulam, quâ vsus fuit Apostolus, vt Romanis horrorem peccati incuteret. *Non dixit* magnus Paulus, inquit ille, *non veniat ad suos, non prouocet, non titillet, sed, non regnet, non dominetur.* Cur verò sic loqui voluit, vt homines à peccato abstraheret, faceretque, vt ipsi totâ virium contentione culpas omnes mortiferas effugerent? Non erat ratio alia, quâ peccatum abominabile redderet, offensæq; horribilitatem, & culpæ, transgressionisque turpitudinem denudaret? Apostolus certè videtur non inuenisse frenum, inquit Doctor sanctus, quo validiùs coërcere à malè agendo posse homines putaret, quàm vt diceret, *Non regnet peccatum*, non dominetur vobis omnis iniquitas. Peccatum vi, & meritis sanguinis Christi nostri Redemptoris velut ferro constrictum, & mancipium hominis factum fuit, cuius ille ante miser captiuus erat. Cùm ergo non sit maius tormentum, non sæuior cruciatus, nec acerbior pœna, quàm in eius seruitutem redigi, cui aliquando dominatus fueris, & imperaueris, proptereà Apostolus Romanos in hunc ferè modum appellabat: Vos nunc domini estis peccati, & de efferatissimo illo tyranno gloriosè triumphatis, illud vester dedititius seruus est; si ergo vos à mali dæmonis tentationibus superari, & suppeditari sinatis, efficiemini misera, & abiecta peccati mancipia, cuius gloriosi dominatores estis, nam *qui facit peccatum, seruus est peccati*, aiebat Christus Ioan. 8. vers. 34. Videte itaq; quò vos conijciatis, quicunq; mortifero piaculo obstringitis. Aciei sæuissimi gladij vos exponitis, & acerbissimis doloribus, & ignominiosissimæ pœnæ subijcitis, quoties peccato seruos addicitis, cuius domini fuistis. Non *regnet* ergo *peccatum*: Nam si hæc comminatio non vos compescit, si talibus verborum terroribus non vos infreno, & ab omni peccandi cupiditate coërceo, videntur omnia defecisse media, & artificia nulla esse reliqua, quibus effici queat, vt nunquàm deinceps peccare lubeat, & peccato sitis insuperabiles. Etenim inter humanas miserias hæc extrema videtur, si homo in eam infelicitatem incidat, vt vilis seruus efficiatur eius, cuius fuerat Dominus, illiusq; pedibus subiaceat, quem suis substratum plantis habuit. Non volo Politicum nostrum aliud quidpiam vtilitatis ex hoc capitulo referre, quàm vt discat horrere culpam, abominari peccatum, detestari Dei offensam, nec enim aliud est malum, quod abominemur, non damnum, quod horreamus, & execremur.

Concurrebant cum Philisthæis Israëlitæ, cumq; ardentissimè vtrimque pugnaretur, in ipso feruore certaminis Arca Domini in castra Israëlitarum illata fuit, quod cùm animaduertissent Philisthæi, & facilè intelligerent, quàm validum illis suppetiarum auxilium cum Arca aduenisset, ità fracti sunt animis, vt eorum suspiria satis proderent, & testarentur metum, qui illos inuaserat. Verùm ad se mutuò conuersi, seque ipsos vtcunque redanimantes, talibus verbis inuicem excitârunt, & confirmârunt: *Confortamini, & estote viri Philisthijm, nec seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis, confortamini, & bellate*; 1. Reg. 4. 9.

Dignissimum notatu est, quòd cùm plurimæ rationes suppeterent, quibus se mutuò ad strenuè dimicandum inflammare possent, aliud nihil repererint, quo suos inuicèm vehementiùs incenderent ani-

mos,

mos, quàm vt hoc omnes ante oculos haberent, hoc studiosè cogitarent, fieri posse vt in manus Hebræorum inciderent, & serui efficerentur eorum, quorum fuerant Domini. Et cùm exercituum ductores, vt milites suos ad conferendum acriter manus, & ad fortiter certandum acuant, diuersis medijs, & varijs vti argumentis soleant (vt videre est apud Thucydiden, & Titum Liuium, & alios historicos) quid est, quod Philisthæi, vt suos in aduersam aciem totis animis efferarent, hoc tantùm dicendum putârunt: *Non seruiatis Hebræis sicut & illi seruierunt Vobis*, neq; efficiamini serui eorum, quorum fuistis Domini?

Respondet Abulensis in cap. 4. lib. 1. Regum dicens: *Reputabant enim Philisthæi pessimam conditionem Viri esse seruitutem, nec aliquid peius fortunā inducere posse, & cùm infelicissima sors ista sit, adhuc infelicior est, cum quis efficitur seruus eius, cuius ante erat Dominus, quia ista seruitus est turpior, tanto enim aliquis Vilior est, quāto magis descendit, sed nemo Videtur magis descendere, quàm quòd efficiatur eius seruus, cuius Dn⁹ erat.* Sciebāt Philisthæi quā misera esset seruorū conditio, sciebant illos longè infelicissimos esse seruos, qui eis subijcerentur, quibus ex loco superiore imperauerant, & ex Dominis fierent suorum mediastinorum mancipia, aut mancipiorum mediastini. Cùm ergo illi pridem Israelitas bello fudissent, & in suam seruitutem redegissent, hac ratione suos ad animosè præliandum efficacissimè permouere posse putârunt, si eis ob oculos constituerent extremæ seruitutis malum, quod eis paratum esset, ni valentissimè pugnando facerent, ne subigerentur ab eis; quos diu subditos habuerant: *Tanto enim aliquis Vilior est, quanto magis descendit, sed nemo Videtur magis descendere, quàm quòd efficiatur seruus eius, cuius Dominus erat.*

Hunc seuerioris fortunæ rigorem expertus fuit Esau. Dicit enim cœleste oraculum: *Maior seruiet minori*, Esau Iacobo, & qui primus ab vtero matris suæ prodijt, & putabatur Dominus futurus illius, qui posteriùs egressus fuit, is seruus minor erit, subijcieturq; ei, quem pro mancipio habiturum existimabat. Profanitates namque Esau; & insolentiæ illius, & plurima inuerecundè, impudenterq; ab eo actitata acriùs, vt videtur, in hac vita plecti, seueriusque vindicari non potuerunt, quàm cùm eius perpetuus seruus effectus fuit, cuius Dominum superbum se futurum confidebat.

*Eandem incudem tundit Periochā V. Feria VI. post Domin. II. Quadragesimæ Tom. I. pag. 202. 4. 0.*

## CAPVT VII.

*Persecutionum potestas huc se exerere potest, vt vexent, non tamen vt officiant, neq; enim plùs incommodare queunt, quàm homo ipse, qui eas patitur, velit.*

VErùm emergit hîc dubitatio non modica, nimirùm quomodo verum sensum habere possit, quod Dominus ait: *Maior seruiet minori?* Nam si oculis percurramus duorum illorum fratrum, Esau, & Iacob historiam, inueniemus quod Esau non tantùm non seruiuit Iacobo, verùm etiam è contrà illum ad mortem insectatus fuit, & vitâ sæpe exuere voluit. Quæ cùm ità sint, quid est quod dicitur, *Maior seruiet minori?*

Hugo Cardinalis, & Guilielmus Papinius in cap. 25. Genes. claus. 4. cap. 8. iam pridem hanc viderunt, & submouerunt difficultatem ad lucem doctrinæ Magni Augustini, qui Serm. 78 de tempore sic habet: *Quomodo maior seruiet minori? Quo, inquis, ordine? Illo Vtiq; quo mali seruiunt bonis, non Vtiq; obsequendo, sed persequendo, quomodo lima, & mallei auro, quomodo molæ seruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, quomodo in fornace aurificis palea seruit auro, Vbi palea comburitur, aurum probatur.* Hæc ille. Proprijssimè ergo dictum fuit, quòd maior Esau seruiturus esset minori Iacob, quē pessimis modis afflicturus erat, mali nempè cùm insectantur bonos, profectui illorum spirituali plurimùm commodant, & benè merendi occasionem illis ministrant. Ex quo apertè colligitur, quàm perpusilla, stricta, & angustis limitibus circumscripta sit persecutionum, & ærumnarum potestas in animum hominis, quàm parùm nocere, quàm exiguam stragem illi afferre possint: Tametsi enim verum sit, quòd humanum adoriri, tentare, & oppugnare pectus queant, expugnare tamen, & subigere, nisi ipsum se dedere sua sponte velit, non possunt. Quatere tentationum machinis, arietare prauis suggestionibus in arcem animæ dæmon potest, non tamen deijcere, non occupare, aut inuadere, si non ipsa illi per ignauiam vltrò concedere velit.

Sanctus Ioannes Euangelista præcipuos tragicæ passionis Domini nostri actus omnes describit, & insigniciora probra, quæ pro nobis amantissimus Saluator excepit, quòd sputo secundùm faciem fœdatus, quòd spinis coronatus, quòd flagris cæsus, quòd ligno clauis affixus, quòd modis alijs contumeliosè, & cruciabiliter vexatus, & postquàm omnia enarras-

enarrasset, his suam illam obsignat narrationem: *Et milites quidem hæc fecerunt*; Ioan. 19. 24. milites fuerunt fatales, & sanguinarij crudelium istarum actionum executores, milites fuerunt, qui Domino turpiter conuitiati, & inhumanè, barbareq; illuserunt.

Quid voluit ijs verbis sacer indicare historicus? Quid est, quod ait, *Et milites quidem hæc fecerunt?*

Respondet Sanctus Abbas Rupertus lib. 13. in Ioannis cap. 19. aptissimè in causam præsentem: *Pulchrè satis Euangelista facta impiorum terminat. Hæc quidem, inquit, milites fecerunt, subauditur* autem, *& quid posthac facerent, non habuerunt. Corpus crucifixerunt, & prædam tulerunt, sed fortitudinem Dei, Verbum Dei, Verbum Deum cum anima sua occidere non potuerunt.* Omninò pereleganter Ioannes recensionem ludibriorum, & cruciatuum, quibus efferati tortores Christum excarnificarunt, absoluit, inquiens, milites truculentos ea quidem egisse, sed hic eorum subsidisse, neq; progredi vltrà potuisse vexationes. Concerpserunt Dominum flagellis, compunxerunt caput illius spinis, corpus probroso stipiti confixerunt, denique nudauerunt vestibus, prætereà nihil potuerunt, non longius ire, non expugnare illius fortitudinem, non subigere robur, non deijcere à suo statu animum, non splendorem eius extinguere. Possunt tyranni cædere corpora, sauciare carnes, potest gladius vertere sanguinem, secare, & demutilare membra, potest inimicus dicere falsum testimonium, irrogare iniuriam, intentare persecutionem, non tamen animæ subigere robur, superare fortitudinem, vires frangere, nisi is, qui appetitur, dedere seipsum velit. Demùm persecutiones possunt vexare, sed non deijcere, minari, at non vincere.

Dixit quidpiam Propheta Ionas, quando orationis domum ex ventre cæti fecit, quod intellectu difficile videtur. Abijciebatur in mare, hauriebant illum vndæ, excepit ventris sui hospitio mons ille animatus, & vates confitens manus diuinæ potestatem, eique se humiliter submittens aiebat: *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me, omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt*; Ionæ 2. 4. velut dixisset: Tu es, Domine, qui me superâ potestate tuâ in profundam salsi maris abyssum deiecisti; tu me procellosi istius palatij hospitio excepisti, flumen me inuoluit, & tota fluctuum tempestas me pertransijt.

Videtur hoc loco Propheta duo quædam pugnantia loqui. Semel quidem ait, mare esse, à quo absorptus fuerit, posthæc verò affirmat, flumen esse, quod illum hauserit, postremò asserit, fluctus omnes super ipsum transijsse. Si mare est, in quod deiectus se ingurgitauit, quomodo flumen vocat? Si hauserunt illum fluctus, obrueruntque, & inuoluerunt, quomodo super illum transierunt? Si quem saxo appetas, & in capite vulneres, non rectè affirmâris, transijsse lapidem super caput eius, hoc enim tunc verè solùm dicitur, quando sine offensione prætervolat, & non impingit in caput lapis. Quid ergo ait, fuisse dulces fluminis, non salsas maris aquas, in quas incidit? Quid item in profundum se vi concitatorum, & furentium fluctuum deiectum queritur, qui fluctus suprà se transijsse fatetur?

Huic difficultati occurrit sanctus Hieronymus, inquiens, valde propriè locutum Prophetam, cùm amarum mare dulcis fluminis appellatione donauit, & de fluctibus, à quibus absorptus fuit, asserit, supernè pertransijsse: Nam si mare, eiusque fluctus, propter suarum procellarum, & tempestatum vesaniam, ac furorem, symbolo referunt humanæ vitæ persecutiones, & calamitates, vt notârunt Pierius, Lauretus, Geminianus, Berchorius, meritò ex eo, quòd ferire possunt, dicuntur mare, & fluctus vocantur de illo, quòd concutere solent, at ex parte illius, quem siue feriunt, siue concutiunt, nominantur flumen, & fluctus suprà absq; læsione transeuntes; tametsi enim huius vitæ aduersa sint amara, quâ persecutiones, & concutiant quâ ærumnæ, ex illius tamen parte, qui ea patitur, possunt esse dulcia flumina, & suaues aquæ, & nihil nocere, vel officere. *Gurgites, & fluctus non oppresserunt, sed transierunt, minantes tantùm naufragium, non inferentes*, inquit B. Hieronymus. Persecutiones ergo terrere, & exagitare fortunæ iniquioris fluctus, sed non sorbere, non suffocare illum possunt, cui minantur, si non ipse per ignauiam se tradat, aut per metum addicat. Cui enim diuinum præsto est auxilium, is omnia vincit, & facilè subigit.

Vt Timotheum discipulorum charissimum sanctus Paulus consolaretur, suarum calamitatum, quas patiebatur, & persecutionum, quas ab infensis hominibus sustinebat, illum per literas conscium fecit. Miseriarum, quas tolerabat, & Timotheo nunciabat, partem non exiguam illi adferebat quidam faber ferrarius à communi generis nostri inimico incitatus, qui crudeliter in Paulum efferabatur, de quo ille sic scribebat: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit*; 2. Timoth. 4. 14.

Expen-

Expendenda diligenter phrasis Apostoli, & loquendi formula, quâ huius stygij Vulcani persecutiones describit, quæ cùm tales essent, vt de illarum authore affirmare debuerit Paulus, ab vno illo vili hominis propudio vehementer repugnatum suæ prædicationi ac dicere *Valde enim restitit verbis meis*, ibid. v. 15. non ait tamen ab eo sibi vel irrogatas iniurias, vel illata incommoda, sed ostensa solùm, inquiens: *Multa mala ostendit mihi.*

At cùm tam grauia essent mala, tam atroces persecutiones, tam pertinacia illius repugnandi, & obsistendi studia, quid est, quod ait ostensa sibi ab illo tantùm, non etiam illata mala, tanquàm summâ persecutionum cuspide leuiter solùm attigerit Paulum Alexander, non impacto profundiùs gladio cruentàrit?

Respondet præclarè Paulinus Hispanus apud Aluarum Gomez in musa illius Paulina 2. Timoth. 4. dicens:

*Ostenditq; malum, non fecit, nam neq; iustus*
*Læditur ostenso, ni velit ipse, malo.*
*Virtutis q; tenax animus non victus ab ira*
*Ludit inopino vulnera passa bono.*
*Sic quicunq; parat patientem perdere, voto*
*Fallitur, inque ipsis dat bona mira malis.*

Magnum ergo mysterium subest illis sancti Apostoli Pauli verbis, quibus ait, sibi ab illo maledico, & sacrilego fabro ærario (homulo quodam è plebeia fece obtrectatorum, quorum procacibus linguis, & calumniandi libidini nemo est, quantùmuis præclarus, quantùmuis ille magnus, & spectabilis, qui non sit expositus) ostẽsa sibi mala, non illata damna, vt eo loquẽdi modo indicaret, viro constanti, & cordato nũquàm officere persecutiones, nisi ipse earũ ictibus cedere, & succumbere vltrò velit: *Ostendit, non fecit.*

Est in superioribus docti paraphrastæ vebis quidpiam, quod commodam propositæ rei comparationem ministrabit: De animo virtutis tenaci ait:

*Ludit inopino vulnera passa bono.*

Qui in ludicro certamine rudibus, & obtusis ensibus ad gladiatoriam exercentur, ij ex illius artis legibus aduersario ictum, quem inferre possent, ostendunt tantùm, non item imprimunt. Tales enses viris iustis, qui gratiæ diuinæ ope rectè vti volunt, sunt persecutiones improborum, inquit Apostolus, enses obsoleti rudes, obtusi sunt (Hispani *espadas negras*, Germani Rapier vocant) qui denotant, non inferunt ictum: *Multa mala ostendit*; non infert iusto, qui illum malè, contrà ac meretur, habet. Nam sub Deo propitio nulla est præsentis vitæ persecutio tam potens, nulla tam grauis, & valida aduersitas, vt lethali vulnere percutere Christianum queat, neq; vllius iniuriæ, vel calamitatis tam est turbinatus mucro, vt configere eum, qui patitur, possit, si non ipse sauciari, & vitâ exui velit, immò verò persecutionibus sibi coronas comparare, & promereri laurus aduersis fortiter exceptis quisq; potest.

## CAPVT VIII.

*Vnaquæq; res ex ea parte consideranda, quâ commodat, & seruit, non quâ officit, & offendit.*

QVòd seruierit, & benè fecerit Iacobti Esau, id vox cœlestis affirmat, quæ & officia, seruitiaque vocat persecutiones, quibus hic profanus illum inuocat persecutiones, quibus hic profanus illum inoxium vexauit. Quanquàm enim Esau sanguinem fratris sui Iacob sitiret, ideòque mortem illi comminaretur, propter primogenituram maximè, & benedictionem præreptam, Iacob tamen illius persecutiones non spectabat, quâ odium, & vindictam præferebant, sed quâ occasionem benè merendi, & concinnandæ coronæ præbebant. Ita ab eo, qui molestijs vacuam, & inoffensam inter huius mundi res vitam ducere optat, sana politicę, & recta prudentia exigit, vt eas, quâ parte commodæ esse possunt, non quâ nocere queunt, aspectet.

Emisit Christus Discipulos suos, vt per omnem latè terrarum orbem semen verbi diuini dispergerent, inquiens: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; Marci 16. 15.

Cardinalis Caietanus hæsit in nomine, quo appellauit Dominus homines, quibus verbum diuinum annuntiari voluit. Non iussit prædicare Mauris, Gentilibus, Paganis, idololatris, malis, peccatoribus, sed *omni creaturæ*. Cur nomine creaturarum donauit eos, ad quos instituendos ablegabat Discipulos, vt illi hoc officium hilariter admitterent, alacriterque, & indefessè apud omnes cuiusuis nationis, status, conditionis, ætatis, sexus, generis curarent?

Respondet Caietanus inquiens: *Appellat creaturam, ad explicandum quare est illis prædicandum, ratione scilicet illius, quod habent à Creatore, & non ratione peccatorum, quæ apposuerunt ipsi, ac si apertiùs dixisset: Prædicate Euangelium omnis conditionis, sexus, status, nationis hominibus, non spectantes ad eorum peccata, & merita, sed ad conditiones creatas in illis, sed ad opus Dei in illis.* Cùm Apostoli mundum obirent sanctum Euangelium disseminaturi, fieri non poterat, quin in multos, & multa inciderent, quæ impedimento essent, & plurimùm obsiste-

obsisterent, quò minùs officio suo rectè vacare, & muneris partes omnes debitè explere possent, cùm hîc idololatriæ, illic homicidia, hîc perfidiæ, illic periuria, hîc sacrilegia, illic blasphemiæ, hîc obscænitates nefandæ, illic flagitia alia per viam sese obijcerent, & repugnarent. Vt itaq; nihil horum illos deterreret, aut retardaret, aiebat cœlestis Magister: *Prædicate Euangelium omni creaturæ, non spectantes ad eorum merita, sed ad conditiones creatas in illis, sed ad opus Dei in illis.* Hac enim ratione, cùm in eis, quibus Euangelizabant, nō hominum errata, sed naturæ conditionem, non maculam culpæ, sed Dei imaginem considerabant, fiebat, vt alacriores redderentur ad executionem sui ministerij, neq; deficerent animo inter quosuis sui muneris labores. Debent ergo res, quâ nos obligare, aut demereri, non quâ offendere possunt, spectari.

Duo miracula in pane operatus est Dominus, & vtrobiq; par, hoc est, perpusilla, & parca tam in secundo, quàm in primo miraculo fuit Discipulorum fides. Nam cùm Christus dixisset, triduum abijsse, à quo illum inesa, iamq; famelica turba sequeretur, & miserari homines diuturnâ esurie tantùm non enectos, statim diffidentes, ac pusillanimes responderunt Discipuli: *Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam?* Matthæi 15. 33. velut dixissent: Opportuno, si dici fas, incultæ, & inhospitæ solitudinis in loco versamur, vbi annonam tantæ hominum famelicorum multitudini procuremus, qui ipsi ad necessarium victum præter septem panes, & paucos pisciculos nihil habemus reliquum!

Hîc quisq; dicet, inquit Euthymius, esse istam apud Discipulos nimiam cæcitatem, & immodicam fidei hæsitationem, & turpem memoriæ lapsum. Poterant enim perfacilè, ac debebant recordari stupendum illud miraculum, quod paucis diebus ante in deserto fecerat cum tam ingenti stupore populi præsentis, vt conspirantibus votis illum ducem suum, & regem constituere vellent. Quæ cùm ita sint, vnde illa tanta Apostolorum vecordia, & diffidentia, vt non cogitarent, idem brachium, quod superiùs miraculum patrârat, posse nunc simile quoddam operari? Certè noui miraculi spem magnam illis facere poterat, quòd viderent in Magistro suo commiserantis animi non obscura signa, quæ magnis vocibus prodebant affectū, & desideriū, quo ad ferendā famelicæ plebeculæ necessitati opē propendebat.

Euthymius ait: *Si tanta eorum cæcitati indignaris, quòd cùm adeò recens præterijsset illud miraculum, adeò velociter obliti sunt, admirare tamen quòd veritatem ita colant, vt scribentes suos etiam defectus non abscondant;* velut dixisset pluribus: Si hoc indignè fers, & cum stomacho accipis, quòd Discipuli pridie factum miraculum postridie non sunt ampliùs recordati, ex quo factum, vt & de potentiæ eius virtute vel subdubitarent, vel non satis rectè sentirent, noli ab ea parte Collegium Apostolicum intueri, sed animi candorem, & synceritatem, & probitatem eorum attende, & quanto in honore, ac pretio veritatem habuerint, considera, qui tam ingenuè sua errata, suæ fidei laborātis hæsitationem in publicum extulerunt, & per mundum euulgarunt. Ergo hoc in illis vide, quod erudire te possit, non quod offendere.

Obscœnissimus rex, & turpissimus tyrannus radiantissimo Lucifero Ioanni manus iniecit, coruscantissimamq; illius lucem obscurâ squalidi & infamis carceris nube contegere voluit. Cùm iam in vinculis diuinus Præcursor hæreret, duos ex discipulis suis ad Christum cum mandatis misit, vt se ipse illis aperiret, doceretq; se esse diu promissum Messiam, se reparatorem orbis, quem omnia superiora sęcula ardentissimè suspirârint, se humanarum infirmitatum curatorem vnicum, & communem medicum. De hac re sic scribit sanctus Matthæus 11. v. 2. & 3. *Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de Discipulis suis, ait illi, Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*

Hoc nuntium quemuis in admirationem adducere potest, qui illud diligentiùs expenderit. Quis misit nuntios, siue legatos? Præcursor, Lucifer, Angelus. Ad quem misit? Ad Solem, ad Regem, ad Creatorem. Vnde misit? E carcere, *cùm esset in vinculis.* Quæ legationis summa? *Vt interrogarent eū,* & ab illo instituerentur rudes Ioannis Discipuli. Et quid est, quòd Ioannes causæ propriæ negligens, neq; captiuitatem suam nuntiari, neq; innocentiam memorari per alios voluit, neq; rogauit ipse Magistrum, vt eximeret vinculis, qui hoc nullo negotio poterat, & vitæ illius inculpatæ mores integerrimos perspectos habebat, neq; contra regem tam propudiosum querimonias dedit, qui beneficia & multa, & magna pessimè rependeret, & contra fas omne in illo facinorosorum infami diuersorio innoxium compeditum attineret?

Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 27. in Matt. Op. imperf. aptissimè in rem præsentem responde t: *Quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio, & irâ eius quasi Dei misericordiâ fruebatur.*

*batur.* Duo inerant in ignominiosa illa captiuitate, quam patiebatur sacer Baptista, alterum ira, feritas, ac tyrrannis obscæni regis, alterum merendi occasio, patientiæ fructus, & animæ quæstus magnus, quem facere in carcere poterat. Ioannes ergo non loci, in quo versabatur, vilitatem, sed occasionem benè merendi, quæ se ibi offerebat, attendebat, & vinculorum non probra, sed lucra spectabat, carcer illi videbatur non præclaræ famæ suæ, & splendidæ existimationis nubes, sed cœlum, & fœnerationis locus, & officina gloriæ, itaque quod Herodes deputabat supplicio, Ioannes acceptabat pro munere, *quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio*, cùmq; carcerem non probri locum, sed benè merendi palęstram cogitaret, & in illa custodia non hoc consideraret, quod famæ officiebat, sed quod animæ, eiusq; emolumentis parandis seruiebat, etiam regis improbi non reminiscebatur, neq; carceris mentionem aliquam apud Christum faciebat. Nam qui in bonam partem omnia interpretantur, iniurias acceptas, vtut possunt, adumbrant, & extenuant, easq; ab ea parte spectant, quâ fructum afferre, non qua generare offensam, & incitare ad vindictam queunt.

Desciscebat à pientissimo patre ille refractari9 filius, & perduellis in Dauidem Absalon vastum derepente exercitum conflabat, talemq; partem filius talis oppugnatum armis ibat. Cumque Dauid præuideret, quàm sinistrum exitum habiturus esset conflictus eius, qui ipsum contrà Dei, ac naturæ leges prælio lacessitum veniebat, belli ducibus, omnibusq; vniuersim grauiter imperabat, vt Absalonem, quisquis fortè comprehenderet, esse viuum sineret, inquiens: *Seruate mihi puerum Absalon*; 2. Reg. 18. 5. neq; durius quidquam in illum statuite. Non fuit obtemperatum iussioni Dauidis: Nam Ioab cum irato cœlo concurrens tribus præpilatis lanceis perfidiosum cor Absalonis transfixit. Simulac sanctus Pater inconsulti filij infelicem mortem accepit, cùm lachrymas comprimere non posset, indulsit oculis, & infaustum, infortunatumq; illius obitum voce flebili, & lachrymosis clamoribus prosecutus, talia suspirabundus ingeminabat: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Absalon fili mi, fili mi Absalon?* ibid. vers. 33.

Sanctus Ambrosius serm. 17. in Psalmi 118. versum quintum hanc in rem sic ait: *Fortassè quærendum sit, quâ ratione ante puerum dixit, posteà filium nominauit. Cur non in vtroq; aut puerum dixit, aut filium?* Abeuntibus in pugnam chiliarchis dicebat: *Seruate mihi puerum*, & manus violentas à meo prę modùm adolescente Absalone abstinete. Vbi trucidatum audiuit, succlamabat: *Fili mi Absalon.* Cur non vtrobiq; seu filium, seu puerum appellabat?

Respondet sanctus Doctor: *Si viueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis, ideoq; vir iustus, quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis, aspexit, Vbi verò est mortuus, apud ipsum patrem personæ crimen defecit, natura nomen remansit.* Itaque quamdiu superstitem putauit Absalonem Dauid, non considerabat quid ille pro filij debito officio agere debuisset, sed hoc solùm cogitabat, quod ille vt insciolus, & fatuus puer facere tentabat. Verùm cùm è viuis abijsset, contrà euenit, nam vt ad pietatem, & miserationem pectus illius paternum moueretur, perduellionis scelus personale oblitus, nomen, quod à natura habuerat, qui iam naturæ concesserat, recordatus fuit, & memorauit: *Quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis, aspexit.*

Cùm viueret Absalon, non reminiscebatur, aut certè dissimulabat pater, quòd filius esset, ne ad iustam iram, & vindictã aduersùs illum inflammaretur, hoc autem solùm tunc cogitabat, quòd immaturo iudicio puer, quòd inconsultus, & præcipiti ingenio adolescens esset, qui in illud flagitium prælicenter, & cæcè effusus fuerat. Post mortem non personæ meminit, sed naturæ, filium vocans, vt lamentis locum daret ampliorem. Quàm præclara doctrina, quâ qui vtatur, næ is per omnem vitam rectè agat, & omnium gratiam sibi non demereri solùm sed & conseruare perpetuò queat. Vbi enim in medio sunt & iniuriæ, & beneficia, in his fige animi cogitatus, illas vel oblitera, vel insuper habe, & contemne, vt illæ non proritent ad vindictam, & hæc excitent ad gratitudinem, amorem, concordiam.

Audiat noster Politicus Senecam, qui hanc conceptis verbis proponit quæstionem, & commodè in causam præsentem definit. Quæstio talis est, *an is, qui profuit nobis, si posteà nocuit, paria fecerit, & nos debito soluit.* Dicat aliquis: Qui mihi olim benefecit, posthæc verò damnum intulit, is posteriore incommodo me ab obligatione satisfaciendi, aut mutuas vices reddendi pro beneficio superiore absoluit, omne enim gratitudinis, & paris compensationis debitum obliterare, & prorsùm adimere quis videtur ab eo, quem cùm aliquando ornasset beneficijs, demùm onerauit iniurijs, affecit damnis, & nũc exstimu-

exstimulare ad vindictam, qui nuper incitabat ad mutuam beneuolentiam.

Multò ego aliter sentio, inquit Seneca Epist. 81. Nam *quamuis iniuria praeponderet, tamen beneficijs donetur, quod ex iniuria superest, plus nocuit, sed prius profuit, itaq; habeatur & temporis ratio. Vir bonus vtrosq; calculos sic ponit, vt seipse circumscribat, beneficio adijcit, iniuria demit.* O quàm admirabilis doctrina, quàm commoda praeoccupandis multis iurgijs, simultatibus, indignationibus! Fac sit ita, ait ille, vt iniuria, quae tibi est illata, sit oppidò grauior beneficio, quod accepisti, tempus nihilominùs diligenter considera, quo tibi vel benè, vel secùs factum, cùmque videris antiquiorem esse iniuriâ gratiam, & damnum beneficio posterius, antiquiorem etiam officij, & meriti, quàm damni rationem habe, fieri enim potest, vt beneficium à maxima generosissimi pectoris propensione descenderit, iniuria verò de caecae, & praeoccupatae voluntatis violentia, siue ab intellectus ignorantia potiùs, quàm animi certa maleuolentia originem duxerit. Vir probus ergo huius litis, & causae dubiae iudex arbiter medias, inter incommoda, quae indignationem clamant, & beneficia, quae gratitudinem deposcunt, constituat causas, quae vindictam exigere, & rationes, quae parem beneuolentiam postulare videntur, & iniurias quidem extenuet, merita verò exaggeret, & illas consideret tanquàm quae ab imprudente, & inconsulto, & quiduis aliud magnis quàm incommodare volente venerint, haec verò à magna, & officiosissima, pronissimaq; voluntate profecta certò statuat, ita fiet vt pro beneficijs, quae ad mutuam beneficentiam incitent, pronuntiet, iniurias verò expugnet, damnetque, ne ad vindictae cupiditatem commoueant. Politicus noster hoc omni tempore, & occasione agat, *vt se ipse circumscribat,* se ipse iudicem, fisci praefectum, aduocatum constituat, & quantum fieri potest (fieri autem cum auxiliaris gratiae Dei ope omnia queūt) illarū rerū partes suscipiat tutādas, quae ad pacem, quietem, amorem fraternitatis, & pacis incrementum, conseruationemq; facere possunt. Conquirat sibi vndiq; quas potest, rationes, quae faciant, vt iniurias acceptas excuset, & malum illatum cum Baptista spectet quâ parte benè merendi occasionem contulit, cogitetq; ab incauta magis, quàm mala & aliena voluntate venisse, ità facilè & teget, & condonabit. Si fortè tardiùs, quàm expectabas, occurrit amicus, puta citiùs ad esse non potuisse, de maleuolentia natam cunctationem caue existimes. Si aiunt, perperam de te locutos alios, minus esse crede, quàm dicitur, neq; à tam infenso animo profectum, vt susurrones ferunt. Demùm vt quietam, pacatamque vitam optata in pace ducas, illud efficiet, si illud in re quauis semper, solùmque consideres, quod te obligare, & deuincire, & demereri, non quod prouocare, lacessere, irritare potest.

*Superiorem sancti Ambrosij conceptum diù ante apud ipsum reperi, quàm hic latinè vertendum inueni. Quare cum Periocha III. Dominica III. post Pentecosten, (quae est Tom. II. pag. 109. & idem hoc argumentum tractat) peropportunum cernerem, eidem inserui, quod hic monendum Lectorem putaui, ne tam inopem rerum factum Authorem putet, vt eandem bis coquere crambem necessum habuerit.*

# LIBER QVINTVS.

## CAPVT I.

*Peccata, & vitia caetera omnia solent esse infirmitates particulares, sola imperandi cupiditas, & dominandi ambitus pestis est tam communis, vt in totum, qua latè patet, terrarum orbem sua contagia diffundat.*

HOmo vt miser est, & ad malè agendum procliuis, sic & periculo prolabendi in quaeuis peccata expositus. Natura nostra humana Protoparentis praeuaricatione plurimùm deprauata, tam grauem, tenacemq; inde morbum contraxit, vt vix conualescere ex infirmitate sui capitis possit. Omnia illam vitia impugnant, omnia peccata persequuntur, flagitia omnia bello lacessunt. Verùm nihil acriore, ac pertinaciore, praelio vexat homines, quàm regnandi ambitio, dominandi cupiditas, & desiderium videndi alios suae potestatis arbitrio subiectos, suo imperio subditos. Hoc desiderium tale est, vt non solùm ac fulmen feriat alta cacumina montium, verùm etiam vt ignis humiles exurat casas rusticorum. Caetera peccata sunt quaedam velut singulares infirmitates, quae cùm vnos inficiant, non inuadunt alios: Verùm excellendi libido, dominandi ambitio tam communis, & latè diffusa pestis est, vt vix homo sit, qui ab illius contagio immunis. Velut in miraculis recenseri potest,

est, si quem hæc lues mortifera non corripiat. Nam vt noster Hispanus Orator Quintilianus aiebat, *habet mens nostra naturâ sublime quiddam, & erectum, & impatiens superiorū*. Hæc ille lib. 11. cap. 1. Est hoc velut genuinum corruptæ conditionis nostræ vitium, vt præesse omnibus, subesse nemini velimus, tantaq; est superbia nostra, vt cæterorum & capitibus imminere, & ceruices subiectas pedibus calcare cupiamus.

Quærit sanctus Gregorius Nyssenus, cur sancta illa, & felix patria, in qua Beati sempiternâ gaudent quiete, vocetur regnum. Primum quippè sermonem, quo doctrinam suam Magister cœlestis initiauit, ( vt auditores attraheret ) à tali nomine est exorsus, inquiens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; Matth. 5. 3. Beati, qui huius vitæ bona temporaria volentes, libentesq; propter me reliquerint, quià in futura vita reges erunt, qui hîc spontanei sunt pauperes. An fortè non erat nomen aliud aptius, quo donari posset illa cœlestis habitatio, quàm regni? Aut non poterat aliâ re validiùs, efficaciusq; ad se adducere Dominus, quàm vnâ pollicitatione regni?

Respondet Nyssenus, potuisse sacrum Magistrum aliâ appellatione cœlestem paradisum denotasse; Verùm vt prudens Ecclesiastes ad ingenium auditorum se accommodare, & sagax piscator suauissimo cibo regere hamū, & incautū allectare piscem solet; ità diuinus Magister, vt homines attraheret, dulcē & expetitissimam imperandi escam hamo prædicationis circumposuit, beatamq; patriam illam vocauit *regnum*, vt auidis auribus, quæ dicebantur, haurirent, & ex desiderio regnandi hamum legis arriperent, atque ità salui fierent. Homini enim nihil antiquius, nihil quod auidiùs expetat, & vehementiùs cupiat, quàm dominari, inter mundi res omnes nulla pretium apud homines maius habet, quàm regnum, nullæ illi cupediæ lautiores, nulla gratiora edulia, hoc primum quoddam mobile est, quo corda incitantur, & raptantur humana, hæc sensuum illius remora, hæ facultatum animæ Sirenes.

Audite Nyssenum: *Quoniam magnum quiddam, & suprà omnia propemodùm, quæ magni faciunt inter se homines, regni nomen in vita est, idcircò vsus est etiam eo ad supernorum bonorum declarationem.* Quem dominandi illicium non abripiat? Quis ab hamo spe regnandi tanquàm dulcissima esca conuestito abstinere queat, vt non hianti ore illum excipiat, & auidis faucibus hauriat? Quis imperij promissione inuitatus non succumbat auditor? *Dominandi enim cupido*, vt magnus ille politicus Cornelius Tacitus lib. 15. Annal. ait, *omnibus affectibus flagrantior est*, nulla æquè in humano pectore feruet, ac imperandi libido, vnâ dominandi appetentiâ appetentiarum cæterarum velut dominâ magis inardescit hominis animus, ardentissimasq; flammas in corde excitat loci superioris ambitus, *flagrantior est*, cæteris affectibus, importunior est, Ætna est, Vesuuius est, qui perpetuos exhalat ignes curarum, quarum nullus neq; modꝰ neq; finis, quamdiu animus præfecturam expetitā nōest assecutꝰ. Extingui ignes illi nō possūt.

Cùm vellet Dominus illum hominum ambitum comprimere, quo velut quibusdam naturę ponderibus eò vrgentur, vt esse alijs illustriores, & aspectabiliores, & suprà reliquos eminere vehementer cupiant, aiebat, vt si fortè opera nostra tam sint manifesta, luculenta, splendida, conspicua, vt occultari, & abscondi nequeant, quicquid tamen gloriæ ab ijs proficiscitur, quidquid præclaræ existimationis oritur, quidquid eximiæ laudis nascitur, id totum in cœlestis Patris honorem, cultumq; referamus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*; inquit Matth. 5. vers. 16.

Subtilis est, qualis ferè esse solet, Cardinalis Caietani hac de re commentatio, qui iubet notare suaue Dei artificium, quo nos à gloriæ, quam naturaliter homo appetit, vberibus abstraxit, quando non omnem semel nobis gloriæ cupiditatem prorsùm adimere voluit, sed tamen ità illam moderari iussit, vt homo ipse à se illam abdicet, quod vt faciliùs ei persuadeat, monet animaduertere, quidquid laboramus, quidquid boni operis agimus, id non in alicuius extranei, sed nostri patris honorem cedere. Tunc enim filius magis contendit neruos, studiosiùsq; operatur, cùm lucrum redundaturum in patrem nouit, vt qui sciat, filij & patris facultates esse easdem, quæstum communem, æqualem gloriam. Cùm ergo Christus cogitare præcipit, quòd operum nostrorū bonorum honor in Deum Patrem nostrum deriuatur, tantundem est, ac si dixisset, hominem tam esse amantem suæ gloriæ, tam auidum existimationis propriæ, tam cupidè, ardenterq; ex intimo pectore, & imis pulmonibus anhelare, & suspirare imperium in alios, vt nec ipsi deferret Deo, nisi inter glorias, quas illi benè, laudabiliterq; operando adfert, ipsū vt Patrem spectaret, atq; ipse vt filius haberetur, & agnosceretur, cui communes essent cum illo opum copiæ, & lucrum idem.

Verba Caietani sunt huiusmodi: *Quià nouerat*

*Dominus amabile bonum esse, quod vnicuique proprium, ideò suauiter disponens praeceptum appetitus gloria, non trahit Discipulos ad appetitum alienae gloriae, sed temperat appetitum gloria propriae, eam transferendo in gloriam propriam, proptereà enim non dixit, Et glorificent Deum omninò à nobis diuersum, sed glorificent Patrem vestrum, patris siquidem proprij honor, & gloria naturaliter quaeritur à filijs.*

Notandum in his Eminentissimi Cardinalis illud: *Proptereà non dixit, Et glorificent Deum omninò à nobis diuersum*, seu qui omninò à nobis diuersus est, *sed glorificent Patrem vestrum.* Homo enim tam efflictim amat propriam suam existimationem, tamque impatiente, & impotente laborat gloriae ambitione, vt eam ne Deo quidem cedere posse videatur, nisi illum vt Patrem proprium spectet & hoc simul cogitet, quòd cũ illũ in partem lucri, & cõmunionẽ gloriae admittit, nihil ipse amittat. Si enim Deum vt prorsùs à se diuersum, & non vt tam arcta amabiliq; paternitatis necessitudine coniunctum, consideraret, ne ipsi quidem, vt videtur, se submitteret. Vt ergo illi deferat, & concedat, necessum est hoc secum reputet, quòd nihil honori eius per hoc detrahitur, nihil decedit, sed in ipso manet, quanquàm in Patrem translata gloria, quodq; perhonorificum est filio, si quid faciat, ex quo pater magnificetur, & fiat gloriosus. Hinc videas quò se dominandi libido, & propriae gloriae desiderium exerat, quando Deus eiusmodi artificio vti necessum habet, vt homo cùm bonis operibus studet, absq; iactura meriti hoc faciat, sed ipse quidem omne ex benè actis lucrum referat, Creator autem solam gloriam habeat.

Non infirmum huic veritati ministrabit suffragiũ Hugo Cardinalis, cuius ea est obseruatio, quod sacrorum fastorum scriptor, cùm plurima de multorum populi Hebraei regum gestis, & moribus dixit, talibus verbis narrationes ferè singulas absoluere solet: *Verumtamen excelsa non abstulit*; quod 3. Reg. 15. 14. & 4. Reg. 12. 3. & 2. Paralip. 20. 33. & alibi reperias, & hunc habet sensum: Quidquid hic, vel ille rex fecerit, hoc tamen non fecit, vt loca profana, & sacrilega in locis editioribus constructa demoliretur, in quibus turpis cultus deastris, & inanibus daemoniorum simulachris, ad insignem veri Dei iniuriam deferebatur.

Hugo ait: *De paucis dicitur, quòd excelsa abstulerint.* Quanquàm nonnullorum regum virtutes aliquas regia historia memoret, vt Asae, Ioas, aliorũq;, descriptiones tamen vitae paenè omnium sic concludit: *Verũtamen excelsa non abstulit*, idolorum aras in montibus, collibus, alijsq; sublimioribus locis excitatas non euertit, cùm multa alioquin benè, laudabiliterq; gesta post se reliquerit. Soli Ezechias, & Iosias communem hanc notam, & reprehensionem euasisse, nec meruisse videntur.

Tali quadam censurâ, inquit Hugo, perstringi posse videntur paenè omnes totius mundi homines, atque in ijs etiam non pauci, qui virtutibus magis exculti maiorem perfectionem sunt assecuti. *Ferè omnibus conuenit illa exceptio, quae toties in libris Regum repetitur*, Verũtamen excelsa non abstulit, *sed nec multi Religiosi auferunt haec excelsa.* Vix quisquã est, de quo non possit affirmari, quod in libris Regũ de regibus illis plerisque dicitur, hoc vnum ferè multis eorum praeclarè factis defuisse, quòd *excelsa non abstulerunt.* Quotusquisq; enim est ex omnibus totius orbis terrarum hominibus, si in his etiam exercitatissimos Religiosos, & perfectiores anachoretas recenseas, qui inter quantosuis virtutum profectus *Excelsa* cupiditatis dominandi prorsùm deiecerit? Ambitionis idolum, & libido imperandi ex loco superiori supremam animi arcem paenè apud omnes obtinet: *Ferè omnibus conuenit illa exceptio*, regnãdi appetitus, dominandi auiditas à primo parente haereditario accepta contagium est tam commune, tam vulgaris pestis, malum tam latè diffusum, vt mortis, quae nemini parcit, simile videatur. Non relinquit perfectum, nõ praeterit laxum, inuadit magnum, tentat paruum, oppugnat pastorem, aggreditur vilem, & vix reperias aliquem, cui caput à vana dominandi cupiditate non intumuerit. Quis tam agrestis paganus, tam syluestris montanus, qui oblatã praefecturae virgam non laetus excipiat, non quaerat ambitiosus? Cui vnquàm displicuit locus sublimis, & sedes superior? Cuius animus exhorruit dignitatem, reformidauit imperiũ, & fugit praefecturam, non secùs ac moyses suam in serpentem trasmũtatam virgam?

Quado hìc videmus multa insolenter, contràque ac mos communis, & consuetudo inueterata habet, fieri, dicere solemus: *Mundus in occasum vergere, & interire velle videtur.* Exemplis quod dixi, illustro. Quando largè, liberaliterq; agere incipit auarus, quando maledicus laudes praedicat, quando perditus aliquis ac profusus nepos contemnit folia lusoria, amat orare, nec iurat amplius, quando mulier tacet, nihilque petit, quando mercator fraudem non facit, quando iudex non admittit munera, quando aduocatus vera loquitur, & rectè monet, quando leno benè consulit, & ad pietatem exhortatur, quando latro

dat

dat eleemosynas, quando Dominus quispiam famulis suis suam iustè mercedem dependit, & cognatis est subsidio, & debita soluit, quando stultus non magnificè de se, rebusque suis sentit, quando proximũ vicinus non obseruat, quando hæc, aliaque talia inusita fieri videmus, dicere solemus, supremum mũdo imminere interitum.

Videamus nunc quid Propheta Euangelicus olim viderit, ex quo certum vrbi Hierosolymitanæ impendere excidium intellexit. Tertio vaticinij sui c. vers. 6. ait Isaias: *Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui, Vestimentum tibi est, princeps esto noster*; hoc est, quem paulò cultiùs cæteris vestire conspexerint, hunc magnopere obsecrabunt, vt imperij fasces suscipiat. Quid verò dicet is, cui illa tam suauis, & expetita dominandi potestas offertur? *Respondebit in die illa dicens: Nolite constituere me principẽ populi*; ib. v. 7. nolite casso frustrà delassari labore, mihi enim certissimũ est, cõstitutissimũq; nũquã publici muneris oneri humeros submittere. Itane verò est quispiam, inquit Isaias, qui imperium detrectet, & dominari, cùm possit, nolit! Itane est, qui obuiam, oblatamque dignitatem declinet, ac refutet! At quid ominis in re, quam tantoperè demiraris, Propheta sancte? Vrbis Hierosolymitanæ, & orbis interitum portendit: *Ruit Ierusalem, & Iudas concidit*, ibid. vers. 8. actumq; de vniuerso mundo, cuius ruinæ certò securæ talia habemus prognostica, tamque insolentia signa.

Diligens, ac doctus Ezechielis interpres Pradus in cap. 4. Ezech. v. 17. ait: *Desperata res est*, conclamatum est de Hierusalem, & Iuda, nec aliud reliquum, quàm vt sepulchrum eis præparetur, & in mortuis numerentur. Nam cùm res huius vitæ sic habere incipiunt, vt miracula rara, noua, prodigiosa, ac stupenda videre contingat, homines, inquam, qui propinatos fasces recusent, oblata imperia reijciant, qui inuitati ad præfecturas abnuant, qui sequentes honores defugiant, quid dicere possumus, nisi mundi propediem occubituri ea esse omina, & adornandum tumulum, cui inferatur? Quid enim tam vsitatum, & peruulgatum, quàm quòd dignitates non solùm obuijs, auidèque protensis manibus lætanter acceptentur, verùm etiam magnâ, & turpi solicitudine, & indignis modis, & sordido aucupio per fœdum ambitum cum ingenti aliorum offendiculo auidè, anxièque perquirantur? Hæc omnia palàm faciunt, quàm anhelent homines ad imperia, quàm sint ardentes dominationis venatores, cùm hoc ferè sit grauissimum mundi ruinæ proximi inditium, quod videre homines contingat, qui nec monitis, nec precibus adduci sinant, vt superiorem in alios potestatem admittant, ad quam alioquin adipiscendam enixè aspirare, & omni ingenij, viriumque contentione conniti solent.

Quærit Plutarchus Problem. 10. istud: *Quid est quòd honori aperto capite rem diuinam faciunt?* Videtur hîc Plutarchus subindicare, sacerdotes cùm cæteris dijs victimas litabant, tecto id capite fecisse, nisi enim ità esset, non tantum mysterij in eo poneret, quòd Honori, quem vt Deum quendam, & numen cæca Gentilitas venerabatur, suos deoperto vertice honores, sacrificiaque offerebant. At cur eâ ad illius deastri cultum utebantur cæremoniâ?

Respondet ille: *Quia splendidum quiddam, & illustre, & apertum, & latè patens gloria est.* Quando procerum, aut magnatum quispiam plateas obit, non illum omnes passim nudato capite honorant, sed noti solùm, & quotquot vrbani, & comes videri amant: At cùm Rex compita transit, omnes assurgunt, omnes ad regiæ coronæ & maiestatis, obseruãtiam, & reuerentiam submittunt poplites, nec quisque est, qui non sibi detrahat pileum. Sic nunc ait Plutarchus: *Honori aperto capite rem diuinam faciunt*; tanquàm pluribus dixisset: Reliquis dijs, Marti, Veneri, Mercurio tecti capita res diuinas faciebant, nam iræ, turpi libidini, immoderato quæstus studio hic, aut ille, & de toto hominum grege nonnulli tantùm suos animos contrahunt, & reuerentiæ cultum deferunt, at verò gloriæ, honori, dominatui, imperio, maiestati nemo est, qui non detecto se capite submittat: *Honori aperto capite rẽ diuinam faciunt* non vnus, & alter solùm, non etiã pauci tantùm, aut plurimi, sed omnes. Nam dominandi appetitus tam est insitus velut à natura penitis hominum animis, & regnandi cupiditas, & gloriæ, existimationisque præclaræ studium ità corda eorum subigunt, vt vix sint, qui illorum tyrannidem effugiant, vix qui ab illa contagiosa infirmitate immunes euadant.

Quàm eleganter, consequenterq; ad sententiam Plutarchi hoc affirmat S. Ambrosius! In suis in Ps. 118. commentarijs v. 6. octonarij 12. describit hominem, quem peccata omnia pro bonis, siue vt veriùs dicam, pro malis, quæ ab ijs habuit, tanquàm debitorem in prætorium ad tribunal pertraxerint primùm, dein verò, cùm viderent non esse soluendo, certatim appetierint, sed vna vehementiùs ambitio inuaserit, idque iure maiore, & antiquiore, quàm vitia reliqua: *Venit libido*, inquit ille, *& dicit, Meus*

*es. Venit auaritia*, & *dicit*, *argentum*, *& aurum*, *quod habes*, *seruitutis meæ pretium est. Venit luxuria*, *& dicit*, *Meus es. Veniunt omnia vitia*, *& singula dicunt*, *Meus es*: Ecce concurrentes aduersùs debitorem hominem creditrices noxas, ecce litem vni à tam multis intentatam, ecce chirographa, testificationes, inditia, quibus libido, gula, auaritia, luxuria, & vitia cætera suarum creditarum rerum tempora, & exactionis iustitiam, æquitatemque asserunt.

Sed vnam hîc ex omnibus peccatis ambitionem desidero. Vbi nam illa hæsitet, aut quî fiat, quòd illa, quæ scelerum princeps est, & creditrix facilè primaria hominis, nihil ab illo suum repetat? Illané verò absit, vbi homo talium debitorum nomine incursatur, & nihil exigat! Audite quid S. Mediolanensium Archiantistes inquiat: *Venit ambitio*, ait illi, & dicit, *Planè meus es*, neque opes tantùm tuas, sed & teipsum, quantus quantus es, magno, & notorio iure mihi vendico. Nonné videtis quo iuris discrimine, & quàm imparibus verbis, ac meritis hominem sibi vitia adscribant? Nam cùm cætera dicant simpliciter, *Meus es*, sola ex omnibus ambitio fidentiùs loquitur, & audacter affirmat, *Planè meus es*, manifesto, indubitatoque iure ad me spectas, nemo æquè ac ego te sibi arrogare potest, luculentioribus testimonijs, quàm mihi, non es obnoxius, deuinctusq; alteri vlli.

Hinc videas, quàm liberè, & clarè hîc loquatur ambitio. Tametsi enim peccata reliqua, libido, gula, auaritia, maledicentia, & quæ sunt huius generis alia conuenire hominem, & dicas ei scribere possint, sed nulla fronte apertiore, quàm ambitio, nulli enim vitio ità succumbit homo, vt illi, nec ab vlla æquè opprimitur passione, vt ab vna dominandi libidine, & auiditate.

Huius dicti veritatem, & cupiditatis vim, potestatemque satis indicârunt duo infantes, qui intrà vterum matris positi confligere cœperunt. Primus inde prodibat Esau, & Iacob, velut iam tunc intellexisset fore, vt ab eodem sibi præriperetur, & primogenitura, & paternæ domus loco dignior, à quo præuertebatur exitu celeriore, *egrediens plantā fratris tenebat manu*, Gen. 25. v. 25. Esau in pedes se conijciebat, vt fratrem cursu præueniret, Iacob autem manum alteri pedum illius inijciebat, vt moras abscurrere volenti afferret, & præoccupare illum posset. Primatum namque ambire, & nolle ab alio quoquam anteuerti tam est naturale homini, vt quando etiamnùm aliud nihil scit, iam hoc nouerit, quomodo primarium locum quærere, & cauere debeat, ne quis illum alius dignitate, aut gradu antecellat.

In hac sententia est Oleaster, quam talibus verbis expressit: *Non mirum, si tanta pro primogenitura sit inter fratres disceptatio, postquam videmus qua pueri faciant propter hoc.* Prorsùs nihil nouum, quòd fratres adultiores de imperio corrixentur, & dominatuum administratione altercentur, quando & pueri nondum in lucem editi tam acriter, ardenterque de primatu, & dignitate dimicant. Obsecret Politicus noster Dominum, vt is ab animo illius hanc prohibeat tam exitialem cupiditatem, ipsumque à tam communi peste seruet, & à tyranno crudelissimo custodiat, detque effugere hoc vitium, quod principatum inter omnia obtinet, & spiritum veræ humilitatis concedat, per quem vanas mundi pompas, fallacesque honores, & dignitates magno animo spernat, despiciat, & conculcet.

*Vide Tom. 2. Periocham III. Dominica XVI. post Pentecosten, pag. 232. & quæ ad calcem ex primo Tomo adscripta.*

## CAPVT II.

*Immoderata dominandi libido ita cœcat, & abripit hominem, quem semel inuasit, vt ille nihili duceret Deum ipsum, si fieri posset, in crucem agere, dum per hoc modò appetentiæ isti satisfacere, & obtinere principatum posset.*

Videor mihi non satis amplificasse ambitionis tyrannidem, nec quantum par erat, exposuisse, quonam illa inordinata, & immoderata, communisque cupiditas progrediatur. Quid non tentat homo, vt in locum dignitatis editiorem perueniat? Quæ pericula non adit? Quos incommodorum montes non complanat? Quas difficultates non aggreditur?

Conuenit mater filiorum Zebedæi Christum, pro duobus liberis totidem subselliorum gratiam ab illo petens. Cùm Dominus, qui rogabatur, facilè intelligeret filiorum esse has preces, & illorum verbis matrem rogasse, illis etiam respondit, inquiens: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. 20. *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Marci 10. 38. Et illi promptè, atque extemplò: *Possumus*; apud Matth. ibid. v. 22. nihil tam anceps, & arduum nobis occurret, quod non hilariter, lætanterque adoriemur, dum cupiditati nostræ solùm, ac desiderio fiat satis. Euthymius ait; *Omnia promittunt petitionem con-*

*sequi cupientes. Chrysostomus autem dicit, quòd nec poculo, & baptismo intellectis, à sola animi promptitudine gratiam quærebant.* Omnia ferre, & facere velle polliciti sunt, quæcunque Christus pro illorum subselliorum impetratione ferri, & fieri voluit, dum possent eò emergere, vbi alijs ex loco superiore cum potestate præsiderent. Et quanquàm nescirent vel quid calix sibi vellet, quem hausturi erant, vel quid baptismus esset, quem subituri dicebantur ante, quàm locum sublimiorem inirent, sine vlla vel hæsitatione, vel cunctatione ad omnia se offerunt, *omnia promittunt.* Omnibus, qualia illa cunque sint, quæ obuenire, vel occurrere possunt, sese obijcit homo, nullum est incommodum, quo deterreatur, nec terror aliquis, à quo comprimatur. Vitam, sanguinem, famam, facultates, omnia denique volens, lubensq; profundet, dum illorum impendijs in gradum penetrare altiorem tantùm queat.

Tam vehementer autem cœcat, & præcipitat ista dominandi cupiditas, vt non curet homo Deum in patibulum agere, si absque illo cruci affixo explere istam suam libidinem fortè non possit. Attentos vos habere velim, vt fulcrum huius veritatis, neque debile, apud Prophetam regium inueniamus, qui Psa. 63. v. 8. sic habet: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.*

Quid commune homini cor altum habenti, & superbo cum Deo exaltato? Non enim superbia, non ambitio, non imperandi desiderium est exaltatio Dei, humilitas autem sola est, quæ Deum sublimem agit, & extollit. Secundùm hæc quid voluit Dauid, cùm dixit: *Accedet homo ad cor altum, incipiet efferri animo, & exaltabitur Deus?*

Vt huius verbi, *exaltabitur*, (quod nobis mouit dubitationem) vim rectè assequamur, videtur necessarium notare, exaltari tantundem esse, atque in crucem agi. Ad hanc rem probandam vnum illud nobis abundè satis est, quod ipse crucifixus Dominus dicere amabat, qui plerumq; cùm de sua crucifixione loqueretur, exaltationem eam vocabat. Sic enim dicebat primùm Nicodemo seorsim; Ioannis 3. 14. *Exaltari oportet Filium hominis*; dein etiam Iudæis reliquis communiter apud eundem c. 8. v. 28. *Cùm exaltaueritis Filium hominis*; & c. 12. 32. *Ego si exaltatus fuero à terra.* Itaq; Christū crucifigi idem est, quod exaltari, & duobus vocabulis res vna eademque significatur. Dicit nunc Propheta pœnitens: *Accedet homo ad cor altum*, efficietur superbus, arrogans, ambitiosus, & regnandi cupido illum exoculabit. Et quid hinc fiet? *Exaltabitur Deus*, hoc est, vt sui illius voti compos fiat, in ligno suspendet, si fieri possit, & cruci affiget ipsum Deum. Hinc æstimare licet, quantùm excœcet, abripiat, & præcipitem deijciat hominem imperandi appetitus, nam vbi is animum semel occupauerit, nihil illum retardare potest, quò minùs pergat, quò sua illum regnandi libido vocat, vt ne Deo quidem deferat, aut parcat, sed in crucem illum rapiat, & ligno adfigat, si fortè per illum minùs assequi posse putet, quod concupiscit.

Et benè cruci, ex qua Dominus pependit, & superbo ea de re conuenit, quòd ambo Christo horrorem adferunt. Ac trepidationem quidem, quâ crux Christum, quâ hominem perfudit, Euangelistæ nobis narrant, inprimis S. Marcus, apud quem habes, quòd Dominus, cùm in prædio Gethsemani in hortum ad orandum secessisset, *cœpit pauere, & tædere*, Marci 14. 33. tristitia verò, & mœror omnis illi de recordatione impendentium atrocissimorum cruciatuum, & mortis quàm probrosæ, tam pœnalis in cruce oppetendæ nascebatur. S. Lucas ait, solam mortis iam adornatæ memoriam plurimùm illi toto è corpore sanguinem expressisse, dicens: *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*; Lucæ 22. 44. Hos effectus, vt inquiunt sancti, operata fuit obseruans animo imago, & repræsentatio crudelis, ignominiosæ mortis, quam in duro, & propudioso crucis stipite subiturus erat.

Accessit eundem Dominum nostrum Scriba quidam apud Matthæum 8. 19. dicens: *Magister, sequar te, quocunque ieris.* Fuit ea hominis præfidentis, ambitiosi, & superbi pollicitatio. Nam cùm diuinus Magister tot prodigia, tamque stupenda miracula faceret, putabat Scriba, quòd magnam in orbe vrbem, aut regiam excitaturus esset, in qua ipse posthæc ad gradum altiorem promoueri posset. Ita sentiunt Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Haymo, Druthmarus, Ericus, & alij.

Quando ergo Dominus vidit illum aduenientem, cuius erant tam vana, & damnata animi consilia, *Scribam exhorruit præsumentem.* Sed quid est, quòd hominem Deus exhorrescit? Quid hominem formidas, qui venisti, vt pro hominibus vitam ponas? Amare magis decet, & gaudere illorum præsentiâ, quorum causâ tam acerba, & indigna dependes supplicia. Et quamobrem ille Scriba tantum tibi incutit metum, tam ingentem adfert trepidationem, vt ex illius intuitu penè dirigescant capilli, & totus ipse expauescas? Non vides, quòd ambitiosus aduenit, percupidusque ineundi subsellia sublimiora, ex quibus

bus alijs prætor imperet? Quid mirum ergo, quòd illum exhorruerit Dominus, non secùs ac crucem, cui clauis figendus erat? Nam vt homo ambitiosùs pro sua præcipitantia, & extrema cæcitate, cæcaque perditione non vel ipsi Deo parcit, quin illum in crucem abriperet, si fieri id posset: Ita cùm talem quempiam videt, æquè illum ac suam crucem pertimescit, quare, & *Scribam exhorruit præsumentem.* Tanta est cæcitas, quam homini misero adfert immoderata dominandi cupiditas.

Si per hæc nondum vobis fortè satisfeci, audite quid nocte cœnæ acciderit. Christus cùm perfidiosum, perque iurum illum præuidisset, à quo efferatissimorum hostium suorum rabiei prodendus erat, inquiebat: *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa;* Lucæ 22. 21. Vix subaudierunt ea Apostoli, quando percunctari mutuò cœperunt, quis ille ingratissimus, ille sanguinarius, ille tam inopinabilis, & immanissimi sceleris autor futurus esset, dumque in hanc rem anxiè, ac solicitè inquirunt, simul *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior;* ibid. v. 24. Dubitationem ergo de traditore altercatio excepit, quâ hoc disceptatum, quis primatum inter illos habiturus à morte Domini sui videretur.

Magnam omnibus Expositoribus attulit difficultatem non sensus tantùm, sed & consequentia horum verborum apostolicorum ad superiora Dominica. Quid enim connexionis habet, quòd illi tunc statim disputare cœperunt, quisnam principatum inter ipsos, Christo per mortem sublato, administraturus esset, aut dominatum ambiturus, quando ab illo acceperant, quòd per quendam de eorum collegio furori Iudæorum tradendus esset, vt crucifigeretur?

Mitto hîc varias expositiones, & rationes, ob quas alij hoc factum arbitrantur. Doctissimi Ludouici Stellæ commentationem præsenti causæ opportunam nunc sequor, quæ hoc habet, quòd Apostoli non modò turbati fuerunt dictis Christi affirmantis fore vt à quopiam illorum crucifigendus traderetur, verùm etiam ex ea turbatione permoti, vt litem inuicem mouerent, altercarenturque, quisnam ex ijs maior esse cuperet, vt de tali vestigio proditorem, bestiam, aio, illam feram, & scelus hominis deprehenderent. Sed quid agnitio eius, qui omnium ambitiosissimus esset, huc faciebat, vt inde acciperent, quis adlaboraturus, vt neci dederetur, & in crucem ageretur Dominus?

Plurimùm. Qui primatum sibi inter nos optabat, is illum ante adire, & suscipere quàm Christus viuere desijsset, non poterat. Hanc ergo apud se rationem inierunt Apostoli: Ambitio sic omne animo lumen eripit, dominandi cupiditas sic præcipitem agit, quem semel inuasit, vt parùm, aut etiam nihil curaturus sit, tametsi vel Magistrum, & Dominum, & Deum, & Creatorem in crucem, mortemque adducat, dum per hoc ad præfecturam perueniat.

Audiamus eruditum Interpretem. *Nullum est flagitium, quod ambitiosus facere non tentet. Non poterant Discipuli excogitare, nec credere, in eorum gremio esse aliquem, qui tam flagitiosum scelus aggredi auderet, vendere scilicet diuinum Magistrum, atque tradere, nisi tantùm illum, qui maior omnibus esse vellet. Nam casu quo quis primatum tenere cuperet, ex consequenti de morte Christi agere deberet, vt cæteris præesset.* Hæc ille, quæ, nisi admodùm fallor, ex serm. 28. ad fratres in eremo mutuatus in suos commentarios transcripsit. Eorum sermonum concinnator, quicunque ille, ait, Apostolos, cùm mœrorem animi, quo Christus intùs laborabat, ex illius oculis legissent, & ab illo intellexisset, fore vt ab vno quodam ipsorum traderetur, percupijsse scire, quis ille consceleratissimus futurus esset, quod cùm certum habere non possent, vt vel de vmbra statuam, ex vngue leonem vtcunq; arbitrari, & diuinare futurum proditorem possent, hoc secum ventilare cœpisse, quisnam eorum maior esse optaret.

At nonne perimportuna ea erat tali & loco, & tempori interrogatio? Christus eorum ibi pedes vixdum frigidâ diluerat, & linteo adgeniculatus absterserat, illosque ad consedandam eam humilis officij exercitationem cohortatus fuerat, & illi primatum constituunt in medio, vt quis illum prenset dignitatis superiorem locum videant!

*Sed quare hoc?* Ita quærit sermonum, quem dixi, autor. Et respondet, non ob aliud fecisse, *nisi quia arbitrati sunt vt homines, ille qui maior est, vt dominari possit, magistrum prodere procurat.* Hinc arbitremini licet, quonam sua ambitiosum cæcitas, & præcipitantia abducat, qui si non curat ipsum Deum suum in crucis supplicium conijcere, tantùm vt potiatur dominatu, quem suspirat, quod aliud scelus tentare non ausit? quæ alia tanta sit noxa quam horreat? quod tam atrox, & immane flagitium, cui non se tradat, si id fortè huc faciat, vt præfecturam, ad quam aspirat, adipisci possit?

CAPVT

# CAPVT III.

*Ad peccandum velut maturi viri ab vtero materno prodeunt homines, ad condiscendam rectè virtutem vix tota vita sat est.*

PRotulit insignis Rebecca in lucem pignora, per quæ multas insomnes transmisit noctes, filios, inquam, gemellos, qui tam acri duello contenderant, in quibus hoc (quod suprà expendimus) notum fuit, videre, quemadmodùm primus ex illo tenebricoso loco euaserit: *Qui prior egressus est, totus in morem pellis hispidus erat, Vocatumque est nomen eius Esau*; Genes. 25. v. 25. Talis erupit, qui primus, vt velut prodigium quoddam, suo aspectu terrorem videntibus adferret, egressus nempè fuit tam pilosus, ac hispidus, quàm adultiore ætate vir quispiam esse possit, tam rufus, ac si multo sanguine tinctus, & hanc ob causam, vt affirmat sacer Scriptor, appellatus fuit *Esau*, siue *factus*, *consummatus*, *absolutus*, hanc enim esse Etymologiam nominis Esau affirmant Nicolaus Lyranus, Abulensis, Honcala, Oleaster, Istella. Magnum certè hominis omnibus partibus suis absoluti inditium erat, quòd cum tam densa, promissaque pilorum lanugine in illa tenera ætatula prodibat.

Dictum iam sæpè, & notum ex Hugone Cardinali, Guilielmo Ebroicensi, Laureto, & Lyrano, quòd Esau allegoricè, & mysticè significat peccatorem, cui sit perpetuus cum virtute conflictus, si multas implacabilis, vt Iacobti Esau semper infensus, & molestus fuit. Quid ergo mysterij habet, quòd Esau ab vtero matris qualis quidam processiore ætate vir perfectus natus fuit? Illud, vt hinc accipiamus, quod & longo (vtinam non etiam tam crebro) experimento nouimus, ad peccandum tam expeditum in omni quantumuis rudi ætate esse hominé, quàm consummatus magister, & vir perfectus esse possit. Peccandi ars momento discitur, & qui pridie discipulus fuit, postridie cathedram inire, & consummati doctoris partes obire potest. Quàm prompti, paratique semper ad peccandum sumus! At quàm languidi, quàm tardi, quàm cunctabundi ad benè agendum, ad studium virtutis, ad sanctitatem consectandam, amplectendamque! Quàm operosa nobis videtur, probitatis disciplina! Quàm plumbeis pedibus ad pietatem pergimus! Quàm impeditis passibus ad conquirendam deuotionem ferimur!

Ingressa fuit templum illa sterilis Anna, vt superam Dei pietatem ardenter interpellaret. Obsecrabat autem supremum Dominum, vt exsuccum sui corporis campum fœcundaret, vt quem benedictionis fructum proferret, illum ipsius ædi, & altaris officijs perpetuò deuoueret, & consecraret. Supplices voces lachrymas coniunctas habebant & plurimas, & peramaras, & de vultu obsecrantis flagrantiam orationis illius arbitrari pronum erat. Os precabundæ Heli sacerdos obseruabat, cùmq; illius labia tantùm moueri cerneret, & vocem pœnitùs non audiret (intùs enim corde loquebatur) *æstimauit eam temulentam*, 1. Reg. 1. v. 13. & ab ebrietate fieri, non à pietate nasci, quòd muta tam diu, multumque motitaret labia, quare & dixit: *Vsquequò ebria eris?* ibid. v. 14. quamdiu vinum immodicè haustum corporis arcem occupatam, cerebrumque, & sensus tuos captos habebit?

Dubitari hìc potest, quid mouerit Heli sacerdotem, vt sanctam, & piam mulierem vino confectam putaret, quæ in conspectu supremæ Deitatis tam feruentes deuoto è pectore preces fundebat. Quid orationi, & ebrietati?

Respondet Abulensis: *Quia nimis morabatur in orando*, idcircò temulentam arbitrabatur. Ex his obscurior effici videtur causa tam sinistræ de Anna conceptæ ab Heli suspicionis. Quid enim? Quòd illa diuculè immorabatur orationi, ideòné fiebat, vt siue stultam, siue quod deteriùs, vinolentam illam quisnam arbitrari meritò posset? Immò verò, inquit Abulensis, *quia oratio breuiter fit*, præter morem communem est, moras trahere inter orandum, diu insistere deuotioni, multum temporis dare cultui spiritus, longas collocare in curando profectu animæ horas nemo ferè solet, talia namque perfunctoriè, cursimque ferè tractantur. Et quoniam Heli vidit Annam perdiu hæsitantem in templo, & tam prolixa spatia tribuentem precationi, ab immodico vino magis, quàm pio animo illam tam longam natam orationem putabat, *quia oratio breuiter fit*, & negotijs animæ, commodisque illius spiritualibus procurandis quàm minimum temporis dari solet, corpori verò molliter confouendo, & ad omnem voluptatem enutriendo omne tempus breue, nulli satis longi soles, ac dies.

Consolatione præmuniebat Christus Discipulos suos aduersùs omnes afflictationes, persecutiones, iniurias, quibus exagitandos, sciebat à praeferocibus, & sanguinarijs tyrannis. Erigebat autem illos tunc ab eo potissimùm, quòd non ex defectu prouidentiæ, aut amoris ergà ipsos diuinæ tam acerba, & indigna passuri essent, sed quoniam conueniret, vt ad eum modum plantaretur, & constabiliretur sa-

crum Euangelium. Nam cui vilis auicula est curæ, quomodo is amicos tam charos obliuisci posset? Et quomodo is vitam, actaque illorum negligeret, quorum capillos numeratos habet? *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; aiebat Matth. 10. 30. Cuius autem calculos non vel vnus capillorum vestrorum fugit, quomodo solicitudinem eius res vestræ maiores, & potiores præteribunt?

Qui mysticè, & allegoricè hæc verba interpretantur, ij aiunt, capillis hîc significatos cogitatus, quorum illi sunt symbola, vt affirmant Sanctus Hieronymus, Origenes, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Pierius Valerianus, & communiter omnes. Sed est animaduertendum cum quodam huius euangelij docto Interprete, quod Christus ait, capillos capitis, hoc est cogitatus omnes hominum iustorum habere numeratos. Sed quid est, quòd dicit habere eos numeratos? Nonné satius fuisset, si cœlestis Magister, quò & illos ad fortiter adeunda pericula, subeundaque discrimina confortaret, & generosi pectoris sui liberalitatem testatiorem faceret, affirmasset, etiam cogitationes eorum diuite velle remuneratione compensare? Quid ergo est, quod potiùs dicit habere numeratos cogitatus, quàm quòd mutuam etiam pro ijs gratiam reddere velit?

Respondet ille Expositor inquiens: *Si capilli bonas significant cogitationes, non mirabor si eas habet Deus numeratas, raræ enim illæ sunt.* Apud nos cùm rerum aliquarum, (siue ij amici sint, siue alia) raritatem, & paucitatem indicare volumus, dicere amamus, esse admodùm numeratas, aut facilè numerabiles. Quod ergo Dominus ait, habere numeratos nostros capillos, hoc est cogitatus, tantundem est, ac si dixisset, esse benè pauculos: Tam enim tardi, & pigri sumus ad curanda animarum nostrarum emolumenta, vt & cogitationes, quæ alioquin velocissimè in omnem partem feruntur, valde raras, & paucas huc conuertamus, cùmque plurimas passim de rebus varijs, & alienis, atque extraneis ad animum admittamus, & non etiam nunquàm aduocemus, illam vix aliquando accersimus, aut adducimus, quæ profectui nostro spirituali solicita inuigilet, & attenta prospiciat, & prouida consulat. Rari namque sunt, & pauci, & quos facilè numeraueris, bald gezehlt/ qui animarum suarum saluti enixè, diligenterque studeant.

Cùm huc respiceret, paucitatemque eorum, qui animarum suarum negotia rectè tractant, secum reputaret S. Ambrosius in Psal. 118. Octon. 10. v. 2. aiebat: *Sicubi iustus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum, pretiosum est videre virum iustum.* Si quis compita nostra obiret, qui staturæ longitudine procerissimam populum, aut excelsissimam turrim exæquaret, speciemque vultus, & lineamenta corporis, & vestitus formam haberet, & arma omnibus superioribus inuisa sæculis, nonné omnes suis certatim effunderentur ædibus; mutuoque euocarent, ac dicerent, *Festinemus*, properantissimèq; accurramus ad monstri, & prodigij spectaculum, nec quisquam esset, qui domo suâ non prodiret, ne tantæ nouitatis fraudaretur aspectu? Neminem planè domi nisi sola, eaque ineuitabilis necessitas cohiberet. Si dicerent nobis, Phænicem Arabiæ huc in hanc aulam regiam allatum, auem illam raram, & vnicam, de qua plurimi multa probabiliter affirmârunt, quis non alia quæuis negotia dimitteret, occupationesque quàmlibet graues tantisper seponeret, vt istam monstrosam auem, & portentosam volucré videre posset? Quem Carthusianum, aut illo etiam parietibus altioribus artiùs conclusum, non è suo recessu, non ex abstitissima, & abditissima solitudine abstraheret? Ad hæc allusisse videtur B. Ambrosius, cùm ait: *Sicubi iustus sedeat, festinemus videre eum* ceu prodigiosum mõstrum, ceu raram auem, & rem nulli ante visam. Tam scilicet pauci, & numerati sunt, qui suarum animarum, & profectus spiritualis iustam curam habent, tam inusitatum est, rebus sacris, & cultui diuino, vt decet studere, seu vacare, vt tantundem sit videre iustum, quod prodigium, & perinde incidere in probum, & sanctum, atque obuium habere Phænicem, aut portentum quodpiam. *Pretiosum est videre iustum.*

Secùs, eheu dolor, & infelicitas! in ijs rebus euenit, quæ in nostram pernitiem vergunt. Quàm agiles sumus ad ea, quæ nobis exitiosa, & damnosa, quàm conciti, & expediti ad ea, quæ nobis interitum adferunt! Quàm promptè respondemus, quacunq; horâ ad mala, & noxia vocamur! Quàm facilè inuenimur, quandocunque ad malefaciendum quærimur!

Quintilianus lib. 6. cap. 5. ait, si quis suo æuo esset ingenio illustri, acri, præstante, acuto, qui omnem facilè solueret difficultatis nodum, omnem nullo negotio dilueret dubitationem, ademeret scrupulum, dilucidaret obscuritatem, tam paratus ad dicendum, velut ab ore eius flueret oratio, & in promptu semper ad manum haberet responsa, quibus omni statim, atque expeditissimè occurreret interrogationi, de tali dicere solitos, *ingenium eum in*

*numerato*

*numerato habere.* Fuit ea ingens, atq; insignis amplificatio præstantiæ excellentis ingenij. Vt mercatoris cuiuspiam locupletis, ac prædiuitis, cui cum opulentissimis orbis nundinatoribus sit commercium, vim opum, copiasq; verbis magnificis extollas, id hac ratione egregiè feceris, si dicas, talem eum trapezitam esse, apud quem omnem omni tempore, & quauis horâ in numerato pecuniam habere queas, quantacunque ea sit, quam ab illo ex publica commutatione, siue cambio, vt vocant, accipere velis. Si hoc tantùm de illo verè affirmes, semper in promptu, & numerato habere numos, ad exaggerandam opulentiam eius nihil ampliùs dicere possis. Quod de talibus mercatoribus copiosis, & magno ingenio hominibus solemus, idem de nostra humana fragilitate dicere possumus, ad malè scilicet agendum semper nos *animum in numerato habere.* Quale illudcunque vitium nos domi nostræ conueniat, extemplò illi occurrimus, & concedimus. Omnis nobis ad peccandum præstò semper copia, promptum habemus omni tempore, quidquid peccatum à nobis expetere potest, in numerato nunquàm non habemus, quod quæstui demus, idq; extemplò, quantumcunq; illud sit, quod exigi possit.

Hoc Oleaster in cap. 18. Genes. in morali affirmat, & experientia magistra optima docet. Oleastri verba sic habent: *Nondum ira animum pulsat, & iam das illi manum, pedem, ensem, & alia bellica instrumenta. Ad primum luxuriæ motum fœminam inquiris. Non remoraris gulam, sed quam primùm os appetit, cibum tribuis.* Quodlibet ad tuam officinam accedat vitium, nunquàm vacuum abit, nunquàm morulam patitur, quin statim votis illius satisfiat, ità omnia, quæ ab illo expeti possunt, in numerato, ac promptu habes. Si vindictam ira exquirat, ecce ad manum manus, os, lingua, ensis, saxum, iaculum, bipennis, titio, & quæ sunt id genus alia furoris instrumenta. Si libido titillet, ecce pedes expromptos, vt cursu ferant ad lupam, & quocunq; illecebra turpitudinis voluptas mala vocat. Si ventriculus latret, si stomachus pruriat, ecce loculos, qui sumptus orexi obuios offerant, vt mensam extruere Syracusanam, & infarcire ventriculum, atq; explere cibis ad nauseam vsq; possis. Si blasphemia, si murmuratio, aut maledicentia, si scurrilitas, si inuidentia, si rei alienæ cupiditas, si otium te vel leuitas appetat, *non remoraris,* ad nutū, omni quorumcunque expectationi respondes, prout in numerato habes omnia, quæ à te illa desiderare possunt.

Aliter profectò atque in ijs, quæ ad virtutem, emolumentumque animarum nostrarum pertinent. *Qualibet aëris intemperies nos ab operibus charitatis impedit. Si enim pluuia solito duriùs exuberauerit, domo exire, & Ecclesiam intrare formidamus,* inquit rursùm Oleaster vbi suprà. Quàm pauculo fit, vt officia apud nos charitatis flagrent! Si fortè pauperem ad ædes nostras sua egestas appellit, occludimus fores. Vt ne orationi diuculè, atq; enixiùs vaces, dolor capitis facit, quem ex ea secuturum times. Tempus, quo peccatorum exomologesin facias, occupationes cæteræ nullum relinquunt vacuum. Nunquàm ille appetit dies, quo oblata restituas. Vt famam proximi læsam resarcias, multa incommoda inde nascitura prohibent. Multò secùs agimus in his, quæ in nostrum exitium cedunt. Ad vana & lubrica nunquàm desunt pecuniæ, ad litem iniquam, & iniustam causam etiam superfluunt. Vt vindictam adornes, nihil occurrit arduum, quod obsistat, nec quicquam tam operosum, ac difficile, quod non superes, vt illicito amore fruaris. Sic ad peccandum semper in numerato est animus, facultas nunquàm deest, ad virtutis exercitationem manci, impediti, imbecilles, debilitatis, fractisque viribus sumus.

Dicat suam quoque hac de re sententiam Sanctus Ioannes Chrysostomus, qui hanc persæpè deplorauit miseriam, & lachrymis plurimis communé prosecutus est infelicitatem. Ille in cap. 9. 2æ. ad Corinth. hom. 19. in morali hæc efflebat: *An non perspicis, quanta histrionibus, ac scortis alij largiantur? Dimidium saltem eorum Christo tribue, quæ illi saltatoribus tribuunt. Tantum saltem homini fame laboranti, quantum illi ambitione ducti scenicis largiuntur. At ita affectus, vt parasitos, & assentatores alas, ac si è fontibus sumptus haurires, cùm autem pauperem vspiam cernis, tum demùm paupertatis metus ingruit.* Non vides quantos sumptus quidam profani, dissoluti, perditi (quos vulgus Dominos, Dominus autem viles seruos vocat) in canes, ludiones, scurras, sanniones, palpones, lenones, pellices, & stultas vanitates vanissimè profundunt? Si te Deus collocupletauit, si te tantis diuitiarum copijs beauit, vel dimidium (si ampliùs nihil à te vel impetrare ipse potes, vel obtineri ab alijs finis) Iesu Christo, hoc est, egenis, quorum habitu ille tectus inopiam patitur, tribue. Non vides quantum illi, quos esse nobiles aiunt, in illam populi fæcem prodigant, comœdorum turbam, dico, in quos quidquid cultioris vestitus, quidquid pretiosorum ornamentorum, quidquid monilium, & margaritarum,

& omne mundi aurum, atque argentum insanus mundus exonerat? Tu ex his vel tantillum famelico, indigentique concede. Et cur non vel guttula ad mendicum deriuetur de tam vasto flumine, quod in illas hominum pestes inutiliter, neq; hoc solùm, sed & perniciabiliter defluit? Cur ex his, quæ malo dæmoni offeruntur, non partem aliquam habeant orphani, viduæ, infirmi, vincti, aut carceribus addicti?

Verùm ô tempora! ô mores! Ad nundinandam condemnationem nostram sempiternam quàm obuius numus, quàm facilis animus, quàm validum pectus, quàm prona voluntas, quàm prompta facultas, quàm neglectus honor, quàm expedita, & abiecta omnia! At cùm æterna salus, & quies perpetua curanda, quàm negligentes, tardi, atque inertes sumus, quàm friget affectus, quàm gelidum est pectus, quàm ignauus est animus, quàm languidus spiritus, quàm prærupti se per viam montes difficultatum, quàm immanes, & horridi incommodorum scopuli obijciunt! Quid hoc fascini! Quid incantationis! Quid illusionis! Quid amentiæ! O fidem! ô rationis iudicium! ô Deum! Quantùm videmus, quantùm audimus, quantùm experimur, & quot dies agi cernimus, fidei quidem splendida fax extincta, & omnem hominibus sensum ademisse malitia, nullus autem esse Deus reliquus videtur, qui meritis præmia decernat, & sceleribus supplicia inferat. Euigilet Politicus noster ab hoc mortali lethargo, si fortè tali vitio laborat, vocat nempè illũ pius Dominus, & magnis vocibus inclamat per fidem, per ecclesiasten, per experimenta, per exempla, & alios absque numero modos. Non sit illiberalis ergà suam animam, hæc enim vnicum monile est, quod vnicè curare, & pluribus oculis, quàm ille Argus habuerit, obseruare debeat.

*Non absimile est hoc argumentum ijs, quæ suprà lib. 2. cap. 4. tractantur. Vide quæ ibi ad finem illius capitis ex Tomis prioribus adscripsi.*

## CAPVT IV.

*Qui præfecturæ nomen admisit, neque officium exercet, is probroso titulo gaudet, quo dedecoretur, & honorificam habet ignominiam, quâ defœdetur.*

MAgnis magna pars hominum titulis, & illustribus insignibus gloriari amat. Dici non potest, quàm auidi sint ampullosorum nominum, & quàm ambitiosè quærant appellationum apparatum. Inter hæc autem susque deque habent coniunctas nominibus obligationes, graues sæpè, ac difficiles, ob quas tenentur operę respondere nominibus, & reapse præstare, quod titulorum officia postulant. Alioquin quid vtilitatis adferunt tituli, & nomina, si hæc aliò spectent, aliò opera tendant? Quid prosit homini, quod ex officij appellatione famam sibi celebriorem comparare cogitat, si malè feriatus, quod talis officij est, nihil agit? Nam habere officium absque exercitio, velut nihil habere est, & tale quidpiam est, ac si animam destitutam facultatibus suis, nudam operibus fidem habeas, turpis honor potiùs est, qui infamiam adferat, quàm illustris appellatio, quæ nobilitet.

Accessit quondam Redemptorem mundi Sanctus Petrus, inquiens: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?* Matth. 19. v. 27. velut pluribus dixisset: Audiuimus ex te, Magister, & Domine, difficilè obtenturos regnum cœlorum, qui sunt diuites, ecce nos hîc, qui omnia à nobis abdicauimus, non ob aliud, quàm vt tecum versari, ac morari possimus, quid nobis proindè fiet? Occurrit Dominus interrogationi Petri, & ait: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël*, ibidem v. 28. vos qui excelso animo, & magno ausu, & generoso pede omnem caducæ vitæ huius pompam, vanitatemque confidenter calcastis, id pro tam heroico facinore habebitis debitæ remunerationis, vt singuli sua solia, eaque magnifica, & sublimia ineant, atque inde seueri iudices de tota Israëlitarum omnium causa suprema pronuntient.

Obseruauit in his doctus Gandauensium Episcopus Iansenius cap. 100. suæ Concordiæ in Euangelia, modum, quo Christus iudicum loca duodecim consiliarijs suis addixit, cùm dixit, quòd suam vnusquislibet occupaturus esset sedem: *Sedebitis super sedes duodecim.* Quid verò in his tribunalibus facient? An fortè otiabuntur, tantùmque sedebunt? An solo, nudoque titulo gaudebunt? Nequaquàm. Sedebunt iudicantes, & quod iudicum est, opere administrantes: Nec otiosè *sedebitis, sed iudicantes duodecim tribus Israël;* non sola inaniter loca consiliariorum, ministrorum publicorum, iudicum occupabitis, sed officia etiam talium propria vos occupatos habebunt. Qui præturæ, aut præfecturæ nomen, non vsum, exercitamentumque habent, ij titulos habent, quales ferè Itali, apud quos multi gaudent vacuâ appellatione absque iurisdictione, & Marchiones, Comitesque audiunt, & audiunt tantùm, neque sunt simul.

Sanctus Lucas Euangelista refert, quòd Redemptor

ptor mundi appetente passionis suæ tempore, cùm Samaritanorum quandam ciuitatem intrare vellet, repulsam ab inhumanis, & barbaris hominibus passus fuit, fortè quòd de morum conditione, & vestitus forma Iudæum, quod res erat, sunt arbitrati. Iacobus & Ioannes, insigne par fratrum germanorum, vbi eam inurbanitatem, ac tam rusticam inhospitalitatem viderunt, subirati hæc magno cum stomacho dixerunt: *Domine, Vis dicimus, Vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Lucæ 9. 54.

Sanctus Ambrosius acutè hic inquirit, quamobrem hic de toto Discipulorum manipulo & grauiùs doluerunt, & iniquiùs acceperunt, & indigniùs tulerunt istam Domino irrogatam ignominiam. Cur Iacobus, & Ioannes præ alijs ad propugnandum Christi honorem, vlciscendumq; illius ignominiam, & contemptum prosilierunt? Cur igne cœlesti potiùs, quàm alio quouis supplicij genere illorum plebi insolentiam, inciuilitatemque expetierunt? Cur non rogârunt, quod poterant, vt vel terra dehisceret, viuosq; orco transcriberet, vel mors subita extingueret? Cur illud vnicè rogabant, *Domine, Vis dicimus, Vt ignis descendat de cœlo?*

Vt hanc submoueamus difficultatem, necessum est recurrere ad appellationem, quâ illos donauit sacer Magister, quando & Apostolos vocauit, & duodecim illorum catalogo adscripsit. Primum locum Petro dedit, proximum, quantùm apud Marcum videre est, his duobus fratribus, *& imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filij tonitrui*; Marci 3. 17. Eodem nomine Virgilius 6. Æneid. v. 844. insigniuit illos valentissimos præliatores

*- - - - - geminos duo fulmina belli*
*Scipiadas.*

Scipionem maiorem, & minorem puta.

Cùm ergo duo isti fratres secum reputarent nomina, quæ à Christo acceperant, *Filij tonitrui* appellati, & occasionem præsentem cernerent, aiebant ad Magistrum: *Vis dicimus, Vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Vis iussu nostro cœlum flammas inde huc submittat, vt omnes intelligant, quòd non solùm inanem tonitrui filiorum appellationem circumferimus, sed etiam fulgure percellimus, & quidquid talium filiorum est, reapse efficimus?

Ambrosius in cap. 9. Lucæ, lib. 7. de hac re sic habet: *Benè præsumunt quià ad sermonem suum ignis de cœlo descenderet, quoniam filij sunt tonitrui.* Nimirùm probro ducebant vocari, & non esse filij tonitrui, habere officium, & munus illius non simul exequi, ludibrium interpretabantur, prouinciam suscepisse, & nullas eius partes obire. Verè namq; deridiculus est, quisquis magnos dignitatum titulos iactitat, & nihil eis dignum actitat.

Misit Dominus duos ex Discipulis suis Hierosolymam, vt inde illi adducerent asinam, in qua triumphabundus inuehi in illam vrbem volebat, vbi tanquàm sospitator populorum, & hostis nostri gloriosus victor magnificis acclamationibus exceptus, & publicis, communibusque plausibus celebratus per omnia compita fuit. Sed notanda est phrasis, quâ legatis suis suam iussionem indicauit, dicens: *Ite in castellum, quod contrà Vos est*; Matth. 21. 2.

Sanctus Antoninus de Florentia 4. p. tit. 15. c. 5. §. 1. quærit, cur Dominus, cùm Discipulos suos Hierosolymam ablegauit, illi vrbi nomen castelli dedit, *Ite in castellum*, & non magis ciuitatem, vt erat, vocauit.

Respondet Sanctus Archiepiscopus, dicens: *Saluator noster cùm misit duos ex Discipulis ad ciuitatem Ierosolymam, quia plena erat sectis, & diuisionibus, & peccatis, non dixit, Ite in ciuitatem; seruans istam regulam,*

*Si re priueris, nec nomen habere mereris.*

Ciuitas Ciceroni in Somnio Scipionis est *cœtus iure sociatus hominum*, qui eisdem legibus concorditer, vnanimiterque viuunt, & vtuntur communiter. Cùm ergo Hierosolymis essent magna animorum dissidia, opinionum pugnæ, factiones partium, voluntatum mutuò repugnantium contrarietates, scelerum ingens, & incredibilis colluuies, propterea Christus non dixit, *Ite in ciuitatem*, sed potiùs, *Ite in castellum*: Nam cùm castella ad hoc excitentur, vt seruiant excursionibus, eruptionibus, vastationibus patriarum hostilium, offensioni aliorum, non rectè ciuitates vocarentur, quibus aptissimè quadrat castellorum appellatio, ob id etiam, quòd velut in castris perpetuis agant, quicunque in illis degunt. Et vulgò dicitur, perperam illi nomen rei cuiuspiam dari, qui rem ipsam non habeat, nomen enim sibi absq; re vsurpare, est sublimem & aspectabilem suæ infamiæ titulum circumferre, debet namque appellatio congruere cum opere, & officium coniunctum habere exercitium.

Eapropter Quintilianus lib. 2. cap. 5. cùm de oratione ageret diligenter exculta, & magno studio ad omnem aurium gratiam perpolita, sed quæ sui authoris labores, conatus, spemq; omnem frustretur, nec obtineat victoriam, quam ille optet, speretque, ait, omnem illius superuacaneum esse & ornatum,

tum, & apparatum, sæpè etiam damnosum, & aduersum: *Pulchra locutio,* ait ille, *nisi ad victoriam tendit, vtiq; superuacua, sed interim etiam contraria est.* Quid est, quòd magnus Aduocatus quis audiat, & iurisperitiæ singularis famâ sit celebris, si nunquàm à tribunali victor abijt? Magis illi hoc incômodat nomen, & officit appellatio, quià in magnam illius ignominiam redundat titulus, cuius vsum nullum habet.

Itaque benè meritus fuit noster Iacob suum nomen, quod illi è cœlo allatum, & ab eo expressum fuit, qui *appellauit eum Iacob,* Genes. 25. v. 25. siue qui tenet plantam sui fratris, in ipso quippè egressu ab vtero matris tenebat manu plantam fratris, vt habes ibidem. Tali actione comparauit sibi nomen Iacobitis, siue supplantatoris, & luctatoris. Tales quærendæ appellationes, eiusmodi expetendi, & assumendi tituli, qui suam de operibus originem habeant, quos præclara facinora edendo sibi commeruerint, ac pepererint, qui vsurpant.

Gemebundus inclamabat pium Dominum suum Propheta regius, noxarum gratiam, & scelerum condonationem petens. Appellabat autem vnam maximè illius bonitatem, & miserationem immensam, aërem ardentibus suspirijs inflammans, & dicens: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam;* Psal. 50. 2. instansque Domino, & vrgens eum precibus vlterioribus sic porrò obsecrabat: *Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam;* ibid. v. 3.

Suprà misericordiam Dei implorabat, hîc miserationes eiusdem. Suntné hæc vnum, idemque? Estné discrimen aliquod inter misericordiam, & miserationes?

Beatissimus Pater Gregorius Papa Magnus in expositione huius Psalmi ait, differre alterum ab altero: *Per misericordiam* enim *miserentis affectum intelligimus, per miserationem verò ipsam misericordiæ exhibitionem signamus.* Misericordia Dei quædam illius beneuolentia est, quâ velut propendet ad hominum miserias leuandas: Miseratio verò quasi beneficentia est, quâ suas hominibus ærumnas, & necessitates opere depellit, & adimit. Itaque & alibi generoso huic benefactori dicit: *Misericors, & miserator Dominus;* Psal. 110. 4. vt qui & possit benefacere, & benefaciat, neque otiosam habeat misericordiam, sed cum miseratione effectrice coniunctam.

Addit mox Gregorius: *Superfluum enim esset vtrumque ponere, nisi esset varietas in significatione.*

Quando ergò Propheta primùm ad misericordiam Dei accurrit, & posthæc ad miserationes illius confugit, certum, indubitatumq; est, hæc inter se distincta esse. Adijcio nunc ego de meo, quod si misericordia est posse, miseratio verò facere, quod potes, nunquàm Propheta istam inclamaret, nisi hanc simul appellaret, deque ea sibi omnem gratiam promitteret. Tale autem ferè est, quod Sanctus Dauid ait, cùm Dei misericordiam, simulq; miserationem inuocauit, acsi dixisset: Quòd Deus sit misericors, id pono, tanquàm quod omnibus notum, certumque, condonare enim noxas officium illius propriū est, atque si ità res habet, ille mihi meorum scelerum veniam sine dubio dabit, turpe namque, & indecorum Deo esset, si officium absque exercitio, & sine operibus nomen haberet. Qui Magnates audiunt, & nihil magnum faciunt, sed homulorum vilium mores fœdos consectantur, qui vrbani appellari amant, & sunt duri, ac rustici, qui comitatis, pietatis, & benignitatis, humanitatisq; titulo oblectantur, & gloriantur, sunt autem quidam Holofernes, Nerones, Phalarides, quid ijs sua nomina, tituli, appellationes nisi probrum adferunt, & ignominiam?

Ad comprobandum id, in quo versamur, facient quædam Scripturæ verba, quæ videntur clara, & aperta, sed apud Interpretes, qui studiosiùs expenderunt, non exiguam habent difficultatem. Inter illa mandata, quæ Dei Filius per Ioannem suum Beniaminum, & nuntium ad Episcopos septem Ecclesiarum dedit, illud ad Episcopum Sardis sic habebat: *Scio opera tua, quià nomen habes, quòd viuas, & mortuus es,* Apocal. 3. 1. Obscurum nuntium! Quid sibi vult dicens: *Nomen habes, quòd viuas, & mortuus es?* Variè hæc exponunt Interpretes. Sed mihi planior, & ad sensum sacri Scriptoris propiùs accedere videtur quidam modernus, verùm profundus, & diligens huius ænigmatici libri commentator. Quid est habere nomen viui? Vocari Episcopum: *Respicitur ad ipsum Episcopi nomen, quod Græcè significat inspectorem siue speculatorem;* inquit doctissimus Alcazar. Episcopus ergò nomen est hominis, qui è specula oculis circumspectat omnia attentis, officiumque soliciti, & peruigilis excubitoris agit, & superintendit, siue ex loco superiori attendit alijs. Ecce culpam, qua de Episcopum Sardicensem Dominus arguit. Nomen Episcopi habes, inquit, hoc est hominis, qui pernox, perdiusque vigil saluti aliorum magna cum solicitudine, & curà prospicit. Tu autem quid agis? *Mortuus es,* negligens,

& osci-

& oscitabundus dormis, & gregis, quem pascendum suscepisti, curam nullam geris, tametsi lupus tuas mordicùs inuadat, & auferat oues, non vociferaris, non clamas, non accurris, vt periclitantem sospites, & prædam raptori eripias. Nomen vacuum habes, quià absque exercitio. Diem te vocant, & nox es, Solem dicunt,& tenebræ es, Pastorem appellant, & lupus es, Excubitorem, Patrem, Episcopum, siue inspectorem vigilantem nominant, somniculosusq; es, & tyrannus, & plurimùm somno demersus iaces. O quàm formidolosa accusatio! Quàm turpe probrum! quàm probrosa turpitudo, vt Episcopus quis sit & stertat, vt Episcopus quis sit, & non excubet! vt nomen tam gloriosum, appellationem tam nobilem habeat, & vitam propudiosam, nomine indignam, & ab officio perquàm alienam ducat! Quid vtilitatis adfert otiosam habere dignitatem? Inanis, destitutusq; operibus titulus quid commodat, quid prodest, quid efficit, nisi vt grauior socordes pœna, & damnatio expectet?

Audiat noster Politicus, quid Sanctus Gregorius Nyssenus moneat: *Tales in omni vita nos præstemus, quales requirit Christiani nominis excellentia*, inquit ille in orat. de Christiana perfect. Sed volo cum illo apertiùs agere, & rem ei distinctiùs proponere. Christiani appellatio gloriosissima est, celeberrima est, & incomparabiliter honorifica. Quæ enim maior felicitas, & gloria sublimior esse possit, quàm suum à Christo, ab omnipotente, & supremo Domino mutuari nomen? Quid verò hinc consequitur? Illud, inquit Nyssenus, vt hoc semper agamus, quod cum inclyta appellatione, quâ gaudemus, & nobilitamur, congruat, & quod vocamur, hoc esse operibus nomine dignis comprobemus. Cùm ergo dicamur Christiani, studia nostra, actionesq; omnes ad normam vitæ, quam ille inter homines homo duxit, & ad amussim exemplorum, quæ nobis hîc reliquit, instituamus, & componamus. Christus ignouit suis inimicis, faciamus tantundem nos Christiani. Christus amator paupertatis fuit, amemus eandem similiter. Christus humilis fuit, sint humiles pariter, quicunq; nomine, quod ab illo habent, gloriantur. Christus misericors fuit, & pius, & zelator, & plenus charitate, & patiens iniuriarum, & longanimis, Christianus eius per omnia similis, quantum fieri potest, esse studeat. Denique virtutes illius reliquas, pro humanarum modulo virium, imitari laboret, vt præstantissimi nominis magnificentiæ opera paria respondeant: *Tales in omni vita nos præstemus, quales requirit Christiani nominis excellentia*. Quid enim est nudum ab operibus nomen?

Si Politicus noster officinam librariam ingressus in varios, (vt Bibliopolarum ædes habent) incideret titulos, quorum ille sic haberet: *Opera Sancti Augustini*; hic ità: *Opera Sancti Basilij Magni*; tertius *Opera Patris Ludouici Granatensis* promitteret, & post extractos expansosque, & expensos codices inueniret, longè alia esse, quæ titulis illis tegebantur, puta Caluini, Lutheri, Zwinglij, Macchiauelli, & aliorum id genus hæreticorum, corruptissimorumque,& pestilentissimorum hominum volumina, quid diceret? quid faceret? Nonné mox succlamaret, dicens: Cur non statim in pyram abripitur, viuusque exuritur Bibliopola, qui blasphemorum, sacrilegorumque talium hæreticorum libris indices præfigit Patrum orthodoxorum? Si has ille, & iurè, ac meritò voces daret, quid putat Christum è suo tribunali, cùm rationes vitæ in sæculi actæ extremas à toto mundo expetet, & excipiet, clamaturum aduersùs eos, qui nomen Christianorum præferentes, operibus dediti fuerunt Turcarum? Vt Politicus noster superiorem Bibliopolam rogo addixit, sic ille, *Ite in ignem æternum*, vociferabitur, ite perfidiosi impostores, periuri hypocritæ, qui sub nomine Christiano vitam Maurorum vixistis, & iudices quidem dicebamini, depeculati autem estis eos, quos tutari contrà aliorum vim, & iniurias debebatis, & Consiliariorum titulum prætulistis, sed fraudulentorum officium interim egistis, & cùm audiretis Episcopi, deglubebatis oues, quas pascere, & curare oportuisset, & cùm regum sceptra, & loca teneretis, subditos non secùs ac tyranni solent, oppressistis. Tanquàm perfidi hæretici ergò subiecto igne conflagrate, quotquot aliud dicti, aliud operati estis, quotquot absque exercitio officium, & sine factis inanem appellationem habuistis. Itaque nominum, & officiorum suorum omnes studeant esse memores, ne propter vacuos titulos rationes dare strictiores & pœnas dependere grauiores aliquando debeant, propterea quòd agere neglexerint, quæ vt agerent, ipsa ab illis honorum, dignitatum, officiorum nomina requirebant. Illud vnum cuncti vnicè curent, *ne*, vt ait Sanctus Ambrosius apud Hugonem Cardinalem in cap. 3. Apocal. *sit nomen inane, & crimen immane, deifica professio, & diabolica actio, religiosus amictus, irreligiosus profectus, gradus excelsus, & deformis excessus, ne locutionem simulemus columbinam, & vitam habeamus coruinam, ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam.* Talia, & his plura solent occultari tam

tam excellentibus, gloriosis, & sanctis nominibus. Sed eheu dolor, & væ ijs, qui tam honorificis nominibus per opera gloriosa non respondent!

## CAPVT V.

*Religiosus velut piscis extrà recessus, & solitudinis suæ aquas facilè perit.*

NAti fuêre ambo fratres, adultiores autem facti studia valde diuersa consectati sunt, & vitæ rationes admodùm dissimiles inierunt. Esau venator erat, & agricola, semperque aut ruri, aut in syluis agebat, omnis illius occupatio erat colere agros, persequi feras, venari setosos apros, tendere retia fugitiuis ceruis, & pernicibus damis, timidisq; leporibus laqueos struere, venatuque, & aucupio dies vitæ meliores, & partem maiorem transmittere.

Iacob diuersum iter secutus, alium viuendi modum tenuit, totumque se recessui, & solitariæ vitæ consuetudini tradidit: *Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis*, ait beatus Moyses Gen. 25. 27. rerumque domesticarum accurationi operam dabat. Textus Hebræus habet: *Sedebat*; & Græcus: *Inhabitans domum*. Mirum erat videre illum foris, cum hominibus alijs rarò conuersabatur. Hinc vult Procopius Sancto Patriarchæ omnem spiritualem profectum ortum, omnia animæ emolumenta, & lucra nata, cuius sunt ista in cap. 25. Genesios: *Proinde nihil inquinabatur contagiosâ reliquorum familiaritate, quæ plurimùm etiam generosos mores inficere consueuit.*

Ex fuga hominum veniebat illi tanta animi puritas, & vitæ sanctitas eximia, & morum ingens perfectio. Eruditus quidam Genesios Interpres, cùm in huius loci dilucidatione versaretur, aiebat, Iacob prototypon esse Religiosorum, qui ad conseruandam animarum suarum munditiem illum imitari, & secum morari, & intrà domesticos parietes manere, & vanas aliorum familiaritates, inutilesque consuetudines vitare debeant. Hoc ille his verbis reddidit: *Typus quidam peregregius Religiosorum hominum Iacob habitans in tabernaculis, & non vago progressu per fora, & mortalium consessus passim discurrens.*

Propterea Eugenius Papa cap. *Placuit* 16. q. 1. ait, Religioso conuenire cum pisce: *Sit claustro suo contentus*, inquit ille, *quia sicut piscis sine aqua caret vitâ, ità sine monasterio monachus. Sedeat itaque solitarius, & taceat, quià mundo mortuus est, Deo autem viuit. Agnoscat nomen suum, monos enim Græcè, Latinè est vnus, achos Græcè, Latinè sonat* tristis; *inde dicitur* monachus, *id est*, vnus tristis. *Sedeat ergo tristis, & officio vacet.* Amet ergo solitudinem suam, qui semel ex hominibus secessit, vt Deo expeditiùs, liberiùs, impensiùsque vacaret, vt enim extrà aquarum elementum piscis facilè moritur, sic extrà septa sua Religiosus plurimùm periclitatur. Turbas ergò, & sæculi tumultus omnes declinans petat secretum, ibique silentio se dedat, & meditationi vacet, quià sæculo defunctus nouam apud Deum vitam agere cœpit. Ex vocabulo nouo, quod illi, simulac asceta factus est, inditum fuit, discere potest, quid sui officij ratione ab ipso exposcat, monachus enim tantundem est, ac vnus quidam mœstus. Solus itaque degat, secreto se includat, ab hominum aliorum conuictu familiari se subtrahens viuum velut sepeliat, vt omnes consummati, & perfecti monachi partes expleat, & vocationis suæ obligationi satisfaciat.

Quidnam ex omni Testamento vetere tam verè, ac viuè præfiguratos dedit Ascetas religiosos legis nouæ, quàm Nazaræi? Nihil hac re magis exploratum, nihil apud sacros Doctores crebriùs inculcatum, & vsitatum. Videamus ergò quid de illis affirmet Ieremias, cùm illius perfidi, & refractarij populi infelicitates, calamitatesque deplorat. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores*, ait ille Threnorum suorum cap. 4. v. 7. Quis elegantiam maiorem, decentioremque venustatem excogitare possit? Quod tamen de liberali eorum forma dicitur, id de animæ pulchritudine, & decente specie accipiendum, taleque est, ac si dictum, Nazaræos fuisse sanctissimos, perfectissimos, suorumq; rituum tenacissimos, & obseruantissimos cæremoniarum. Audiamus nunc, quid sanctus Vates defleat: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis*; inquit ibid. v. 8. O miseriam! ô dolorem! Niueus ille candor mutatus est in atrorem, qualis vix est carbonum, ex quo factum, vt nemo eos vel in compitis, vel in foro medio nosse posthac potuerit.

Quid voluit Ieremias, cùm de Nazaræis ait, *Non sunt cogniti in plateis?*

Venerabilis Abbas Gilbertus Serm. 47. in Cant. hoc ità exponit: *Non sunt vtique pro Nazaræis cogniti iam in plateis*; quod tale est, ac si dixisset, Monachos, cæterosque Religiosos, & omnem vitæ regularis splendorem ex frequentatione platearum, & crebra discursatione per vicos, & domos ciuitatum, & ex vsu familiaritatis cum sæculi hominibus

ità obſcurari, & obfuſcari, & fœdari, vt vix de veſtitu id, quod ſunt, agnoſci poſſint.

Experimento probatam dedit Gilbertus hanc tam notoriam, quàm deploratam veritatem. *Silebo de alijs*, inquit. *Ordinis noſtri cernite Viros. Quàm admirabile erat nomen eorum in Vniuerſa terra! In Vicis, quando Vix erant Viſi in plateis, ſtatim cogniti pro ſanctitatis ſigno erant in eis. Nunc autem nullo religionis diſcrimine, nullo priuilegio conuerſationis, aut nullo, aut pratenui diſtincti, & ſignati ſunt à cæteris, ideò non ſunt cogniti ſicut Nazaræi in plateis. Frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & peregrinam ſpeciem inducit.* Hæc Gilbertus, ac ſi pluribus dicere voluiſſet: Vt euincam quantum de viuo diſciplinæ religioſæ colore decedat ex crebris aſcetarum per compita publica obambulationibus, nolo Religioſos huc alios accerſere teſtès, quando id Ordinis mei exemplo abundè comprobare poſſum. Quàm celebris, & decantata erat fama noſtrorum per omnem, quaquà latè patet, orbem terrarum! Quantam mundo lucem præclaro ſuo exemplo affundebant! Quantam fragrantiam, quàm ſuauem, gratumque odorem virtutes eorum exhalabant, quando velut paſſeres ſolitarij in abditiore eremo degebant, interq; contemplationes cœleſtium ſuas patiebantur ecſtaſes, & ab ineuitabili neceſſitate in publicum aliquando abſtrahebantur, vt ſe hominū oculis permitterent! Erat per id tempus Religioſus Ciſtertienſis in plateis quod monſtrum, quod Phœnix, quod prodigium ſanctitatis. At poſtquàm familiariùs conſueſcere cum hominibus mundanis, crebriùſque illos & adire, & admittere, & congreſſus illorum, commertiaque frequentare, & ſolitudinem cum foro, cellas ſecretas cum plateis publicis permutare cœperunt, mox de ſua exiſtimatione ceciderunt, nec eam habuerunt, quam ſoliti erant, venerationem. Cur verò iſtud? Quià *frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & peregrinam ſpeciem inducit*, & formam vultus depaſcitur, & faciem obſeruantiæ religioſæ ſic obſcurat, & immutat, vt inducere nouam, & incognitam videatur.

Notemus hæc poſtrema Gilberti verba: *Peregrinam ſpeciem inducit* frequens platearum percurſatio. De cœlo dicit Ariſtoteles, quod & receptiſſima omnium Philoſophorum ſententia habet, *non recipere peregrinas impreſſiones*, ſemper enim eàdem pulchritudine, & ſplendore inalterabili gaudet. Quod ergò ille ait, frequentiam platearum peregrinam ſpeciem inducere Religioſis, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, quantumuis fulgentiſſimi quidam, & radiantiſſimi cœli ſint, quod ad vitæ puritatem, & ſanctitatis ſplendorem attinet, dùm tamen è monaſterijs in plateas ſæpenumerò effundi incipiunt, paulatim illos è cœlis in terram, cuius plurimæ ſunt mutationes, & viciſſitudines, & varietates, transformari. Ergò ſolitudinis cultus, & amor plurimùm huc facit, vt Religioſi enube, ſudum, terſum, ſerenumque animæ ſuæ cœlum, & ſpiritus candorem integrum ſeruent. Dicit namque Gilbertus: *Frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & peregrinam ſpeciem inducit*; identidem prodire foras, & terere compita, & in medio Sole ſolitudine relictâ verſari, obſcurat, diſſoluit, horridoſque aſpectu facit Religioſos, eos etiam, qui diu latuerunt, & omne cum ſolo Deo commertium habuerunt, cùmq; domum redeunt, vix eſt qui eos ampliùs nouerit, prout de religioſæ vitæ ſtudio remiſerunt, & ab exercitationum monaſticarum feruore intepuerunt.

Narrat patientis Iobtis hiſtoria, inter beatos Angelos malum, & damnatum quendam dæmonem aſtitiſſe coram Domino, interrogatumq; vnde veniret, reſpondiſſe in hæc verba: *Circuiui terram, & perambulaui eam*; Iob. 1. 7. & 2. 2. quaſi dixiſſet: Orbem terrarum, quantus ille cunque eſt, peragraui, & nec ora eſt, nec extremitas, non inſula, non prouincia, non vrbs, non oppidum, non vicus, aut platea, quam non luſtrauerim oculis, non obiuerim pedibus.

S. Ioannes Chryſoſtomus, aut certè Dydimus in catena Olympiodori, hîc dicit: *Primùm diabolus ſeipſum accuſat*, ſeipſum ante omnia talibus verbis perſtringit, & culpitat, & cùm ſibi nihil dicere videatur, plurimùm contrà ſe loquitur, & grauiter ſeſe infamat. At videamus quomodo ſeipſum ignominiâ condemnat, & traducit? Reſpondet ille, qui ſuprà: *In eo, quod ait, omnia ſe loca peragraſſe.* Nonnè ipſe fatetur, omnia fuiſſe peruagatum? nonnè dicit, orbem circumijſſe totum, nec locum eſſe reliquum, quem non perambulârit? Eâ re ſatis ſe diabolum prodit, & probat, eâq; confeſſione ſe accuſat: Nam qui multùm vagatur, & circumfertur pedibus, & pro ſua libidine diſcurſitat, ruinæ proximus eſt, atque ex pulchro, & ſpecioſo Angelo in turpem, & atrum dæmonem facilè vertitur: *Primùm diabolus ſeipſum accuſat in eo, quod ait, omnia ſe loca peragraſſe*; quiſquis enim multùm euagatur, eius multùm periclitatur & regularis obſeruantia, & pulchritudo religioſa. Caueat ergò quiſquis circumforaneus, nè ex Angelo in cacodæmonem transformetur: *Frequentia*

*quentia platearum dedecorat Nazaraeos, & peregrinam speciem inducit.*

Si non est ità, videamus à contrario. Apud Sanctum Lucam ad purissimam Virginem *missus est Angelus Gabriel à Deo*, Lucæ 1. 26. Fuit hic verè cœlestis, atque ex illa Superorum regia demissus nuntius. Quanam ex re hoc arbitrabimur? Multa sunt, quæ hoc persuadeant, inter quæ non postremus est modus, quem in denuntiandis mandatis Archangelus obseruauit. Venit vt cum Sanctissima Domina nostra de negotio grauissimo, de re maximi momenti, de mundi instauratione ageret, dixitque, eam intrà castissimorum viscerum suorum hospitium excepturam communem totius orbis terrarum Reparatorem, & mox adiecit: Et *Vocabis nomen eius Iesum*; ibid. v. 31. vt ipsum nomen clamet quamobrem ille adueniet, nimirùm vt sit generosus hominum sospitator.

Hugo Cardinalis hîc aliquid obseruauit, quod monendum arbitratus, ait: *Nota quòd Angelus dicitur ingressus ad Virginem, & hoc semel.* Ad colloquium Virginis accessisse Angelus fertur, *& hoc semel.* Estné hîc aliquid, quod magnoperè animaduertendum? Est multum, quod hae in re obseruatu dignũ. Hoc verò inprimis notandum, quòd cœlorum Orator nunc monet, vt generis nostri instauratori nomen augustissimum I E S V Mater imponat, *Et Vocabis nomen eius Iesum*, cùm tamen id posthæc primùm indicare potuisset, nimirùm quo tempore circumcidendus puer, quæ erat præcisa hora, in qua Filio suo Diuina Parens dare nomen necessariò debebat. Non distulit hanc rem Gabriel, sed vnâ operâ duo mandata denuntiat, & vno accessu res duas exequitur, magno & optimo inditio, quòd à Deo veniebat, *Missus Angelus à Deo.* Quisquis enim studet parcere excursibus, abstinere à congressibus, rarò videre plateas, & vnâ vice exequi multa, vt exeundi occasiones ipse sibi amputet, ille Dei Angelus est, magnam vitæ puritatem eo ipso indicans, pulcher Nazaræus est, perfectus Religiosus est. Sed qui, cùm semel rem vnam peragere possit, ne pluribus quidẽ vicibus perficit, vt qualemcunque habeat euagandi, circumcursandique occasionem, & prætextum, ille *seipsum accusat*, & sui spiritus languorem, & deuotionis teporem, & animæ frigus, prodeundo prodit, & confitetur. Verus namque lucis Angelus, & qui à Deo missus, plura negotia semel egressus conficit, & cùm ad inuisendum alios pergit, eodem itinere, & opere causam non vnam solùm pertractat, quià supersedere excursibus, & morari domi amat, curatque. Malus autem dæmon est, qui omnia peruagatur, qui nullum inaccessum locum relinquit, & de illius contubernio est, qui aiebat: *Circuiui terram, & perambulaui eam*; nec enim est forum, quod non adeat, non platea, quam non terat, & percurrat, non domus, quam non visitet.

Prodigium autem sit, & nunquàm visum portentum, si quis Religiosus domi agere amet, intrà monasterij septa, & cellæ suæ angustos parietes vitæ partem maiorem volens, libensque transmittat, & non sit valde perfectus, aut animam habeat, cuius lux eclipsin patiatur, deficiatque, & obscuretur.

Patrocinabatur quondam Tertullianus causæ Catholicorum iustæ, & ad Præsidem Africæ Scapulam cap. 3. aiebat: *Sol ille in conuentu Vticensi extincto penè lumine adeò portentum fuit, Vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati positus in suo hypsomate, & domicilio*; hoc est: Quòd superioribus diebus, quibus Vticæ concilium aduersùs Catholicos coëgisti, sol ità obscuratus fuit, quasi omne ab eo lumen diffugisset, id ex Astrologorum sententia singulare portentum fuit, & iuxtà ordinem, cursumque rerum communem fieri nequijt. At cur istud? Quià sol hoc pati *non potuit positus in suo hypsomate, & domicilio.*

P. Cerda in cap. 3. Tertullian. ad Scapulam Nota 25. ait: *Itaque Vult Tertullianus dicere, solem in sua altitudine, & domo pati non posse naturale deliquium.* Vt ergo luce suâ Sol destituatur, & splendore nudetur, domicilio suo necessum est excedat, alioquin prodigium stupendum fuerit, si domi suæ manens tenebras patiatur. Tantundem de Religioso affirmare possumus. Quòd is domi suæ, in monasterio suo, in sua cella, & angulo suo assiduus sit, & eclipsin patiatur, gratiæque, quâ illius anima splendicat, lux pulcherrima obscuretur, siue obnubiletur, fieri non posse videtur. Si tamen fulgorem suum etiam ibi fortè perderet; id portentum nunquàm visum foret, & censeri deberet: *Adeò portentum fuit, Vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati positus in suo domicilio.* Vt Solem defectio inuadat, debet ille domus suæ limina egressus fuisse. Vt Religiosus pereat, parùm abest, si dæmon illum extrà conuentum, & cellæ suæ secreta reperiat.

Huic doctrinæ fidem conciliabit maiorem id, quod familiari amico suo Lucillo Seneca scribebat epist. 2. in qua hoc inter multa: *Bonam spem de te concipio*, satis datum enim per te mihi est abundè, vt indubitatum habeam, futurum te diuitem virtutum, & suis numeris absolutum Philosophum. Vndenam

verò

verò hoc tibi tam certum, atque exploratum? *Quòd non discurras*, quòd non sis inquietus, & vagus ambulo, sed recessus, & locorum solitariorum amans. Hoc faciebat, vt de Lucillo maxima quæque sibi Seneca promitteret.

Simile quidpiam dicere de Religioso possumus: Hic aut ille magnus Dei magni seruus est, perfectissimus Monachus, asceta sanctissimus. Vnde hoc æstimabitur? Ex quo intelligetur? Ex eo, *quòd non discurrat*; quòd nunquàm domo efferat pedem, nisi obedientia inde illum exigat, quòd paucos terat calceos, quòd nulla suis locis saxa platearum moueat, quòd nunquàm in foro videatur, vt alij passim in oculos incurrunt. Sanctum itaque illum æstimate, & proclamate, quia & hoc vnicum sat erit, vt à morte in beatis numerari, & cœlitum cum Deo regnantium albo adscribi possit.

In ea cogitatione fuit doctissimus P. Franciscus Coriolanus 2. p. casu 3. num. 7. cùm ait: *Quemadmodùm infinita bona eueniunt Religioso in conuentu commoranti, ità per contrarium quamplurima damna ei eueniunt, si extrà monasterium frequenter reperiatur, & vagetur.* Nec explicari verbis possunt commoda, quæ domi nascuntur ascetis, quos solitaria vita oblectat, neque numerari damna, quæ eos persequuntur, quos domesticæ quietis fastidium occupat, qui si cellæ suæ cœlum amarent, & colerent, rarò peregrinas sentirent impressiones, vix aliquid à statu suo alienum vel facerent, vel etiam cogitarent.

De fluminum aqua sic habet S. Zenon in Euangelium Ioan. *Aqua ipsa, si de flumine rapta sit, in quo viuit, perit natura, dum desinit esse, quod vixit.* Si frigidam à suo alueo, in quo vita illius posita est, extrahas, interit, quòd vel effundatur, vel in res alias vertatur. Tale quid etiam de Religioso pronuntiare possumus. Quamdiu ille intrà monasterij sui limites sese cohibet, quam diu septa, intrà quæ degit, assiduus custos obseruat, prorsùm securus videtur, proculque ab omni abesse periculo, verùm cùm sui claustri alueo effunditur, perit, & occasui, atque exitio proximus est. Miraculo simile putabitur, si non vitietur spiritus eius, qui frequens est cum multis extrà, si non intepescat illius feruor, qui hominum profanorum conuenticula crebrò inuisit, & intemperanter amat: *Aqua ipsa, si de flumine rapta sit, in quo viuit, perit.* Sic & Religiosum errabundum varia sæpè ad interitum trahunt mala.

S. Petrus Damianus, qui vt vir religiosissimus, inculpatissimusque monachus erat, ita & vitæ monasticæ sublimitatem perspectissimam habebat, dicebat serm. 54. *Verè Claustrum est paradisus*, in quo inter plurimas, easque frondosas, & odoras arbores tanquàm delitioso loco secundus Adam voluptuosè moratur, dulcemque quietem captat.

Cùm hoc in loco eminentissimus Cardinalis Ostiensis Claustrum religiosum donet nomine paradisi, cuius aquæ sunt ascetæ ipsi, qui terram nunc precum suarum aquis irrorant, nunc doctrinæ imbribus rigant, volo vos nescire, quid Moyses Barcepha dicat, cùm de aquis scribit, quæ è paradiso profluunt. Quærit hic autor, num aquis, quæ ex illo amœnissimo viridario erumpunt, suus extrà constet sapor, quem intùs habebant.

Respondet autem 1. p. de parad. c. 20. in Bibl. Vet. PP. *Nos pronuntiare non dubitamus, in paradiso esse aquas gustatu gratissimas, suauissimasque, inde autem plurimùm suauitatis amittere, acredinis verò contrahere, cùm illud paradisi solùm latâ Dei precatione beatum, & felix sit, at hoc nostrum contrà execratione infelix, & triste.* Idem hoc Religioso accidere solet, quod illis aquis. Quamdiu intrà sacrum sui monasterij paradisum commoratur, quàm suauis illi accidit omnis labor! quàm hilariter assistit orationi! quàm ardenter omnes officij sui partes exequitur! At quamprimùm paradiso effunditur, simul ille feruor remittit, gelat spiritus, omnis cum Deo consuetudinis spiritualis suauitas perit, segnis efficitur anima, & languescit deuotio.

Et inter illius loci fluuios non absque singulari mysterio *nomen vni Phison*; Gen. 2. 11, quod ex interpretatione sancti Hieronymi, Bedæ, Lyrani, & plurium aliorum idem est, quod *mutatio oris*. Sic autem appellatum putat Abulensis, *quia faciem suam, id est, apparentiam mutat; in colore, quia alicubi clarus, alicubi turbidus; in quantitate, quia alicubi diffusus, alicubi strictus, & sensu, quia alicubi frigidus, alicubi calidus.* Potestné res alia tam varijs esse obnoxia mutationibus? Quod fluuio è paradiso decurrenti accidit, id Religioso extrà monasterium crebrò, multùmque euenit. Quantis ille mutationibus, & insultibus est expositus? Qui tranquillam in suo consuetu vitam ducit, & suaui, sanctoq; otio frui, & dulciter, velut in centro, & paradiso conquiescere potest, quot mutationes incurrit, cùm ab illo tam iucundo loco leuiter excurrit? quot bellis exagitatur? quot in corde variationes patitur? quomodo nunc quidem effunditur, nunc verò contrahitur, & angitur scrupulis de liberiore, & effusiore vitatis? quàm sæpè & friget deuotio, & flagrant cupiditates malæ? quomodo nunc animæ pax tumultuario co-

ario cogitationum strepitu perturbatur, & tota mentis serenitas obnubitur, nunc erratorum multitudo, grauitas, fœditas, tanquàm in media luce, oculis obuersatur? Tanquàm inquietudinem patitur, qui pro suo arbitrio è paradiso monasterij effunditur, liberèq; per fora, plateasque mundi, & inquieti huius, turbulentiq; maris oras omnes circumfertur.

Quando Abraham tres illos cœlestes hospites domo excepit, quos ad se inuitârat, etiam aquam eis obtulit, inquiens: *Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros*; Gen. 18. 4. Tantundem dixit Loth; quando eosdem, vt ad se diuerterent, obsecrauit. Hinc illa Religiosorum tam celebris olim consuetudo descendit (quod Glossa Ordinaria, siue Strabo Fuldensis in c. 18. Gen. annotauit) vt venientibus de via fratribus pedes lauarent. Illud prætereà submonet, quod non minoris momenti, nimirùm quòd *in monasterijs pro venientibus de via oratio celebratur*. Quid sibi hæ volebant cæremoniæ? Prima ad hoc alludebat, quod Christus S. Petro aiebat: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*; Ioan. 13. 10. hoc est, qui mundus est, non propterea tam puros ex omni parte habet pedes, quin nonnullæ apud illum maneant reliquæ imperfectiones, & næui, quos prorsùm, funditùsq; eluere vix ij etiam possunt, qui se studiosissimè emaculare, & diligentissimè perpurgare solent. De Religioso eam semper habemus existimationem, quòd sit perfectus, neque insigniore aliquâ turpitudine contaminatus, foris tamen redeuntis lauantur pedes, vt intelligat, se non tam perfectum reuertisse, quàm abierat, & fortè de terra, quàm calcauit, labeculam quampiam contraxisse, aut imperfectionis puluisculum aliquem hausisse, quantumuis enim seipsum custodierit, quantumuis defenderit, vt tamen omninò illæsus, intaminatusque redeat, vix fieri potest, tot nempè laqueos habet mundus, & peccandi occasiones tam & crebras, & promptas, obuiasque. Post lotos autem reducis è sæculo pedes etiam *oratio celebratur*, omnesque pro illo communem Dominum precibus communibus interpellant, tanquàm qui talibus suffragijs, & precum alienarum opitulatione plurimùm indigeat, multa namque extra monasterium occurrunt pericula, cùm in cella sua securus quisque degere possit.

Hoc testatur Eminentissimus Cardinalis Ostiensis S. Petrus Damianus lib. 6. epist. 5. dicens: *Tanquàm si languidus quilibet aromaticam ingrediens officinam, antequàm antidoti medicamenta percipiat, depositâ languoris ægritudine conualescat, ita ego, vt cellula mea limen attigi, nec dum librum quemlibet aperueram, & ô benefactum! tanquàm virtute loci sanum me, compositis anima mea vulneribus, reperi.*

In his illa postrema accuratiùs expendenda, *Tanquàm virtute loci sanum me reperi*. Quando reum aliquem ministri iustitiæ persequuntur, vt comprehensum abripiant in carcerem, si ille in locum sacrum perfugiat, mox ab ijs liber est, qui manus inijcere violentas volebant, vt caperent, solâ autem loci virtute liber est, quem omnes meritò suspiciunt, & venerantur. Tale quidpiam est, quod S. Petrus Damianus ait: *Tanquàm virtute loci sanum me reperi*; ac si dixisset: Simulac cellam meam ingressus fui, & in illud asylum me recepi, quòd tantis gaudet immunitatibus, & priuilegijs, omnes extemplò hostes meos effugi, & coierunt vulnera, & ægritudo abscessit, & integerrimè conualui. Redijt feruor nuperus, & ardor spiritus pristinus, redij ipse ad solita orationis exercitia, & nunc velut in paradiso viuo, cella enim & paradisus, monasterium & asylum sacrum, solitudo religiosa & valetudo bona, idem sunt.

Magnus Philosophus Aristoteles problem. 54. sect. 10. quærit, *cur maris animalia maiora, vegetioraque sunt, quàm terra?*

Eius autem rei hanc dat rationem, *quia abditam vitam degunt*. Terrestria animantia vt in aperto degunt, sic aduruntur à Sole, infestantur ab aëre, & non paucas à temporum variabilitate accipiunt iniurias, ex quo fit, quòd breuem ducant vitam, quæ possent longiorem, nisi tam multa essent, quæ in illam velut coniurasse videntur. Verùm salsi maris hospites pisces fiunt magis longæui, eò quòd in abditis aquarum receptaculis degentes non tam multos habeant vitæ suæ infensos hostes. Tantundem respondere possum ijs, qui me interrogant, cur Religiosi, qui domi assidui, & intrà conuentuum suorum penetralia morari amant, maiores in virtute progressus faciant, & magis sint perfecti, & præclariora benè viuendi exempla alijs præluceant, spiritualibus copijs magis affluant, & maius habeant cum cælitibus commertium. Causa in promptu est, *quia abditi vitam agunt*, & semper in cellis versantur, & sacrum religiosæ clausuræ secretum custodiunt, itaque ab hostibus tam corporalibus, quàm spiritualibus sunt tuti. Non est, qui eis sit molestus, aut infestus, nec qui tam acriter eos persequatur, vt impugnari solent, qui mundum vagis pedibus obeunt, & peragrant, in quo tantæ sunt malè agendi occasiones, tot laquei, & retia, quæ in capitalis, & communis inimici tentationes pertrahunt.

CAPVT

# CAPVT VI.

*Cùm artes cæteræ ex humana descendant industria, literarum & librorum ars tam est sublimis, & nobilis, vt suam in Deum, tanquàm immediatum inuentorem, & autorem, referat originem.*

QVòd S. Patriarcha Iacob in tabernaculis habitasse fertur, id Nicolaus Lyranus, Tostatus, Honcala, Pererius, Guilielmus Ebroicensis, Cornelius à Lapide, & plures alij ex sententia Hebræorum (quòd & suprà memorauimus, & hîc tacitum prætermittere non debemus) tale esse volunt, ac si dictum fuisset, frequentasse scholas Melchisedechi; siue, quod idem est, Sem, qui per id tempus in viuis erat, & Heber, qui homines ad supremam sapientiam, & Dei timorem, omniaque quæ ad illius cultum spectant, erudiebant. Lyranus in cap. 25. Gen. de hac re sic ait: *Ex quo patet, quòd occupatio Iacob erat principaliter circà diuina, Vnde dicunt Hebræi, quòd ipse habitauit in tabernaculo Heber quatuordecim annis.* Quòd Chaldæus suâ paraphrasi apertiùs indicat, dicens: *Iacob erat Vir integer, & minister domus doctrinæ.*

Sed quæri hîc potest, cur Iacob tam longum tempus in schola illorum sanctorum virorum, & Prophetarum Melchisedech, & Heber transmiserit. Nimis certè prolixum videtur quatuordecim annorum tempus homini, qui tam magno, & præclaro ingenio erat, vt erat Iacob; maximè ad eas tantùm scientias condiscendas, quæ ad Dei timorem, & venerationem faciebant. Quanquàm ea sit scientiarum omnium facilè princeps, & vtilissima, quæ Deo rectè seruire docet, illius tamen disciplina tam multos annos non requirit, præsertim cum exercitatione propriâ magis, quàm institutione magistrorum alienâ hauriantur. Cur ergo Iacob totos quatuordecim in ludo hoc literario hæsit annos? Haud dubium quin id factum, quòd eo tempore nondum patefactus fuerat literarum thesaurus, quo nunc gaudemus, nec vlli adhuc libri erant, ideòque maiore cum difficultate quiduis addiscebatur. Dici non potest, quantùm opitulentur literæ, quantùmq; conferant libri, vt quis scientiarum curriculum compendiò absoluat, & breui consummatè doctus euadat. Tam momentosum est literarum inuentum, tamque vtile artificium, vt Deus illarum immediatus autor, & excogitator primus rei tam proficuæ esse voluerit. Et quoniam parte huius libri reliquâ laudes, encomia, excellentiamque librorum persequemur, originem eorum indagare necessum est, vt inde illorum nobilitatem arbitremur, & maioris æstimemus vtilitatem. Quòd autem nobilitas rei cuiuspiam ad illius commendationem plurimùm faciat, & autor honoratus, atq; illustris magnam operi suo gloriam, & existimationem conciliet, res est, quæ nulli dubia esse possit.

Sanctus Lucas Euangelista sacram historiam suam à prodigiosa natiuitate Ioannis in vtero matris suæ sanctificati orditur, & ait: *Fuit in diebus Herodis, regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de Vice Abia, & Vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth*; Lucæ 1. 5. Ante omnia familiam pueri Præcursoris antiquissimam, & amplissimam nobis S. Euangelista describit, dicens natum esse patre quidem nobili sacerdote, matre verò fœminâ honestissimâ, & generosissimâ, ex sacerdotali tribu Aaronis oriundâ, quæ tribum Iuda claritate, ac dignitate exæquabat. Sed quo consilio beatissimus Lucas nobilitatem sacri Baptistæ tam accuratè recensendam putârit?

S. Petrus Chrysologus ait, perfecti oratoris, & Historici leges ea in re obseruare voluisse, dicens serm. 89. *Oratores magni, & excellentes ingenio, quoties illustrium Virorum parant narrare Virtutes, auos atauosque commemorant, Vt ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redundet ad gloriam.* Esse namque claris, & illustribus parentibus natum, pretiosum monile est, & perhonorificum à maioribus descendere excellentibus, & nobilibus.

Nescio an hoc indicare voluerit Propheta regius, cùm ait Psalm. 115. v. 7. *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*; velut dixisset: Ego me, Domine hominum, quotquot mundus habet, fortunatissimum, beatissimumque existimo, mihi enim ea in terris obtigit felicitas, vt non solùm ipse tibi seruiam, sed etiam matre natus sim famulâ tui studiosâ, & in te perofficiosâ.

Gilbertus Genebrardus sententiam illorum verborum sic exprimit: *En Domine, qui tuus sum cultor, ac tuorum cultorum filius*; magno tuo, ac singulari beneficio non ipse tantùm tibi operam do, quam supremo Domino seruorum extremus debeo, & nobilitatem meam primam, antiquissimamq; reputo, sed ex ijs etiam parentibus genitus sum, qui tibi magnâ voluntate, ac deuotissimè semper sunt famulati.

Ex Magni Basilij commentatione, *maximi ornamenti loco posuit* Dauid, quòd non ipse solùm seruus

Dei-

Dei esset, sed etiam ab ijs genitus, qui ex hoc nobilissimi fuerint, quòd Deum omni venerationis studio coluerint, re enim verâ magnum homini dignitatis ornamentum confert, quòd sit maioribus illustribus, & nobilibus natus.

Hinc accipimus, quantam literæ, & libri claritatem, dignitatem, & maiestatem non à seipsis tantùm, verùm & ab origine sua habeant. Et quid ijs illustrius, quid nobiliore sanguine, quid genere magis inclyto, & heroico natum? Quid æquè ac illa gloriari, aut quænam ars cum literaria, & libraria arte diuina certare de præstantia potest? Certè si *præcedit, quòd venit ab origine, & gloriam beatiùs est habere, quàm quærere*, vt inquiebat Chrysologus serm. 89. & quòd è trunco, ipsaque radice nascitur, præstat ijs, quæ sunt extrinsecùs aduentitia, literarum & librorum, inuentionisque eorum nobilitas maxima est, vt quorum origo suprema. Videamus ergo vnde literarum, & conscribendorum librorum artificium profectum fuerit.

Id Abbas Tuitiensis his tam perspicuis verbis exposuit lib. 3. de Vict. Verbi Dei, cap. 22. *Notandum, quòd inter cuncta opera manuum hominum hoc vnum opus est, quod habet homo ex artificio opificis Dei, & de cunctis operibus Dei, quæ multa sunt, hoc vnum opus est, quod homini manu sua iussit operari.* Dicent multi, homines fuisse inuentores scribendi, & librorum conficiendorum artificij. Sed tu hoc ride, inquit Rupertus, stultum quippè est tale quidpiam, non dico affirmare, sed vel cogitare. Glorientur alij, quòd artes alias primi excogitârint, de quibus Polidorus Virgilius iustum volumen, & librum prolixum concionauit, ac pro his, quisnam referre palmam debeat, disceptent, & corrixentur, dum hoc modò tam vtile, ac diuinum scribendi artificium non suæ industriæ, tanquàm inuentrici adscribant, quòd suam regiam in Deum refert originem, & ab illa suprema maiestate immediatè descendit.

Conuincitur id ex eo, quod Dominus ad Moysen Exod 24. v. 12. aiebat, dicens: *Dabo tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi.* Et infrà cap. 31. v. 18 inquit sacrum Oraculum: *Dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.* Ac deinceps cap. 34. v. 1. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.*

Concludit Rupertus, dicens: *Quòd si vtilitatem huius operis, scilicet manu scribendi, rectè perpendas, profectò fateberis decere, vel decuisse Deum maiestatis, quòd figurarum huiusmodi, scilicet literarum, non alius, quàm ipse primus autor extitit.*

Cùm in hunc artis scriptoriæ primum autorem Deum puta, cogitando incidisset Ioannes Trithemius, ipsum scribendorum librorum laborem appellauit, sacratum. Nam de Religioso quodam sancto, qui assiduam huic tam celebri exercitio dabat operam; loquens in eo libro, quem de Scriptoribus manualibus reliquit, sic ait cap. 3. *In secreta cellæ se conferens, huic sacrato labori insistebat.* Cùm labor hic tam vtilis, & percommodus nobilissimam habeat originem; & Deum ipsum parentem, inuentoremque primum, ratio postulat, vt quoties de illo sermo incidit, tam reuerenter de illo omnes loquantur, vt alio, quàm *sacrati* nomine à nemine donetur, vt quem Deus ipse suis manibus consecrauerit. Si ergo hoc scibendi artificium suam à supremo rerum omnium Conditore ducit originem, & prosapiam, facilè est arbitrari, quantùm artibus alijs antecellat, quæ ab hominum manibus sunt profectæ. Denique *hoc vnum opus est, quod inter cuncta opera manuum hominum habet homo ex artificio opificis Dei.* O gloriosum inuentum! O sacram scribendorum librorum artem, cuius ea est incomparabilis nobilitatis celsitudo, & sublimitas, vt suam originem in illas supremi Architecti omnipotentes manus referat, quæ hanc tam vastam, & sumptuosam huius vniuersitatis machinam sunt fabricatæ! Pendant tibi proinde artes aliæ omnes tributa, & cedant de via, & locum supremum concedant, tua enim nobilitas parem nullam habet, genus tuum suprà prosapias omnes eminet, quantùm cœlorum orbes, vnde tu descendis, altitudine situs terram superant.

*Cognatum est huic Capiti argumentum Periocha V. Dominica III. in Aduentu, To. 2. pag. 360. a. 0.*

## CAPVT VII.

*Libri sunt validissima Ecclesiæ propugnacula, quibus deiectis illam facilè vastare, & destruere posse dæmon præsidit.*

EX amplissimo genere, & ingenuæ nobilitatis dignitate, & heróica origine literarum sequitur, inquit sanctus Abbas Rupertus, vt eas non vtiles modò, sed & pernecessarias arbitrari debeamus. Res namque explorata est, quam intelligere quisquis facilè possit, grauis momenti, & magno vsui futuram sacram hanc artem, cuius ipse Deus autor primus haberi, & inuentionem sibi tribui voluit. Quotidiana experientia idem nos docet, & dæmon ipse fa-

tis

tis indicat, cui plurimùm à libris damni, & impedimenti affertur, vt proinde anxius, & rabidus varijs Orci stratagematis ad literarum perniciem,& librorum exitium vtatur, quòd videat, talibus se armis acerrimè oppugnari, & grauissimè offendi, easq; esse & validissimas arces, & fortissima propugnacula, quæ sibi Ecclesia excitârit,vt eorum præsidio aduersùs omne hostile periculum communita, & obuallata, & in tuto collocata securè agere queat. Sic fatetur magnus Parisiorum Cancellarius Ioannes Gerson, qui in lib. de laud. Scriptorum cap. 5. hæc ait, quæ alibi quoque commemorauimus: *Scriptor Ecclesiam ditat, Ecclesiam armat, Ecclesiam custodit.* Libri namque sunt thesauri, arces, & propugnacula Ecclesiæ, quisque liber murus adamantinus est, & quot characteres, tot vacerræ clathratæ, quot sententiæ, tot valla, aggeres, fossæ, quot periodi, tot machinæ fulminares, & quæuis dictio quidam pulueris tormentarij est lebes, quo se illa contrà omnes inimicorum suorum incursiones, eruptiones, impetus tutatur, ac defendit. Libris fugantur cacodæmones, confutantur eorum satellites Hæretici,confunduntur Gentiles, armantur Catholici. Itaque si Ecclesiam destituerent libri,desperare eius salutem, certumq; illius interitum, vt videtur, pertimescere possemus.

In epistola, quam ad suum discipulum Timotheum S. Apostolus dedit, est quod meritò notetis. Multa illi in ea epistola commendabat,sed hoc præcipuè: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas*; 2 Timoth. 4. 13.

De hac penula, quam conferri volebat Paulus, nonnihil variant Interpretes. Sanctorum Hieronymi, Ioannis Chrysostomi, Theophylacti, & P. Didaci Ximenez in Lexico Ecclesiast. Verbo *Penula*, sententia habet, fuisse lacernam, siue densam, vilemque vestem, quæ suprà tunicam assumitur ad arcendas à corpore rigoris, pluuiarumque iniurias, quod satis indicauit Iuuenalis, cùm ait:

*Et multo stillaret penula nimbo.*

Hîc iam animaduertendum, quòd de tota paupere sua supellectili domestica hæc sibi à venturo ad se Timotheo omninò conferri Apostolus tantoperè præcipit, nimirùm *penulam, libros, membranas.*

Sed quid est, quòd ex omnibus reculis suis hoc genus vestitus simul cum libris adferri voluit? *Affer penulam, & libros.* Voluit procul dubio eâ re significare, quid sint libri in Ecclesia Dei,& tale quid velut dicere: Quemadmodùm penula, siue lacerna defendendo à pluuijs, niuibus, grandine, omnique aëris inclementia, & temporum asperitate corpori accommodata vestis est; sic libri tutantur vt lorica, protegunt vt scutum, retundunt vt cetræ omnes ictus, impetus, assultus sacrilegorum inimicorum, & coniuratorum hostium Catholicæ institutionis, fidei diuinæ, & doctrinæ Christianæ, & orthodoxorum dogmatum cæterorum.

Ita sensit deuotissimus Ioannes Gerson in lib. de laude Scriptorum Tom. 1. cùm ait: *Non habent tyranni depopulatores regionum, seu religionum efficacius machinamentum, quàm si libris ipsas spoliauerint, ac priuauerint.* Sublatis enim è medio libris hoc faciunt tyranni Ecclesiæ, quod hostes ciuitatibus, quarum muros æquârunt solo, & portas affixerunt terræ, & valla demoliti sunt, & arces, castellaque propugnaculis nudârunt.

Propheta Ieremias cùm de vastatione, & destructione metropolis Israëliticæ ageret, & narrare institueret quomodo Nabuchodonosor per suos belli duces hanc miserandam, & fatalem stragem illi vrbi adornauit, & attulit, ità inquit: *Ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media*; Ierem. 39. 3. *Cùm vidisset Sedecias rex Iuda* hoc tanto ab eis studio curatum, vt in media porta,simul atque ingressi sunt,sedem figerent, in pedes se dedit velut desperabundus, *& omnes viri bellatores* fracti animis *fugerunt*; ibid. v. 4.

Quænam fuerit illa porta media,sub varia Expositorum opinione dubium hæret. Relinquo hîc aliorum hac de re placita, & aio cum Pagnino,Dauide Kimhi, Vatablo, & Aria Montano, quòd Hierusalem vt triplici murorum ordine incincta erat, sic etiam tres habebat portas, quarum illa media vocabatur, quæ murum medium transeuntibus viam aperiebat, in qua & ludi literarij eiusdem vrbis, gymnasiaque,& Academiæ constructæ erant, vbi artes tradebantur, & in disciplinam se dabant, quicunque scientiarum amantes erant. Colligitur id ex eo, quod de magna illa prophetide Holda dicitur 4. Regum 22. 14.habitasse *in Ierusalem in Secunda*, vbi ex Paraphraste Chaldæo *erat Academia, aut domus doctrinæ*, & schola illius vrbis publica.

Quid mysterij ergo habet, quòd rex Ierosolymitanus, omnesque illius proceres, & militiæ præfecti fugam inierunt mox vt suæ ciuitatis gymnasium ab hostibus occupatum acceperunt? Quid eâ re docere nos voluerunt? Illud vtique, quod hîc tractamus, nempè quòd Ecclesiæ hostes subigere illam, & conficere non possunt, quanquàm contrà Sponsam

Christi Catholicam, & Ierosolymam militantem coniurati veniant, & varijs eam persecutionibus exagitent, & infestis armis fatigent, & oppugnent, liberosque eius trucident, & sanguinem innoxium fundant, & opibus temporalibus exuant, alijsque modis vexent, & affligent: At cùm eò progrediuntur persecutiones, vt portam secundam, siue mediam inuadant, & Vniuersitates euertant, & libros diripiant, tunc conclamatum esse de illa, ruinamq; eius, & certò secuturum exitium supremum deplorari posse.

Hanc rem luculentis verbis perspicuè tradidit Abbas Trithemius in libro de amanuensibus Scriptoribus, inquiens: *Arma, quibus se contrà hæreticos muniat, libri sunt, quos qui vel distrahit, vel perire patiatur, minùs Ecclesiam diligere comprobatur, quam si amaret vt deberet, eam spoliari armis nequaquàm permitteret.*

Audiamus quid de hac causa sentiat Magnus Aurelius Cassiodorus, qui in lib. de diuinis lectionibus cap. 30. sic eos, qui libros sacros, & alia Doctorum Ecclesiæ monumenta calamo impigro euulgant, & scripta omnibus legenda offerunt, dilaudat: *Felix intentio, laudanda sedulitas manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, & contrà diaboli surreptiones illicitas calamo, atramentoque pugnare, tot enim vulnera Satanas accipit, quot antiquarius Domini, verba describit. Verba cælestia multiplicat homo, & quâdam significatione comprobabili, si fas est dicere, tribus digitis scribitur, quod virtus sanctæ Trinitatis effatur.*

Pergit porrò Magnus Senator, dicens: *O spectaculum benè considerantibus gloriosum! Arundine currente verba cælestia describuntur, vt vnde diabolus caput Domini in passione fecit percuti, inde eius calliditas possit extingui. Multa sunt quidem, quæ de tam insigni arte referuntur, sed sufficit eos dici librarios, qui libræ Domini, iustitiæque deseruiunt.* Arundine veteres vtebantur ad scribendum, non calamo, vt nostrum hoc æuum, quod monuerim, ne quis parum aptè à Cassiodoro pennam antiquariorum scriptoriam cum illa de euangelio arundine compositam arbitretur. Librariorum autem non infima, neque mediocris, sed insignis, & præcipua commendatio est, quòd eos libræ Domini seruire affirmat, idque verissimè: Nam quæ illi scribunt, quæ in papyrum conijciunt, & elaborant, illa è manu in manum, in regnum è regno, & ex natione alia, in aliam translata notitiam sacræ legis, & salutarium documentorum, per quæ iustitia, æquitas, ratio inter homines conseruantur, omnibus afferunt, & offerunt. Si Cassiodorus in hæc inuentæ admirabilis industriæ, & obstupescendæ artis impressoriæ tempora incidisset, quid putatis diceret? Suprà sidera typographos extolleret, neq; enim satis sublimes sedere putaret, si in ipsis stellis illorum solia collocaret, vt qui suo prælo plura edant intrà paucas vnius diecu læ horulas, quàm agillimus Scriptor continuo totius anni labore, & expeditissimo calamo efficere possit.

Id mihi satis indicasse videtur Spiritus Sanctus, quando sacrorum Euangeliorum historiam, cuius ordo mysticus, & cœlestis dispositio ipsius curâ, & suggestione constituebatur, voluit ab hoc verbo, *Liber*, inchoari, dicens: *Liber generationis Iesu Christi*; Matth. 1. 1. vbi Glossa Angelica ex sententia S. Ioannis Chrysostomi ait: *Liber apotheca omnium bonorum*, myrhotecium, in quo reperire queas non solùm quæ animarum necessitas requirit, vnguenta, verùm etiam quæ ad voluptatem illarum spectant, pulpamenta, & oblectamenta, & repositorium, in quo monilia pretiosissima asseruentur. Videamus nunc, quod sit postremum verbum vltimi à Sancto Ioanne conscripti Euangelij. Quis finis, quo suam ille historiam coronat, & obsignat? Excusat se dulcissimus Christi Beniaminus, quòd non omnia Domini miracula recensuit, propter rei longè operosissimæ, & perarduæ ingentem difficultatem, & hanc imponit operi suo euangelico coronidem: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*; Ioan. 21. 25. Nonné aduertitis, quòd in libros desinunt fasti Ioannis Euangelici, & libros in ipsa suæ historiæ extrema periodo suauissimus cygnus cantat? Quid est, quòd à libris sumit initium, & libris absoluitur, perficiturque Euangelium? Quid, quòd & in prima Euangeliorum acie, & in postrema sunt libri? Factum hoc, vt intelligeremus, libros esse arma, quibus propugnandum Euangelium, & milites, qui prælio certare pro illius defensione debeant, & cohortes, turmas, copias valentissimas, quæ primæ in exercitu se hostibus obijcere, & cum postremis mouere in legiones Catholico nomini infensas, fidemque contrà fidei perduelles tutari sic possint, vt res alia æquè ac libri, nulla possit.

Itaque dæmon ipse dixit, & confessus est, nocentiores, perniciabilioresq; copias contrà se, suosque sequaces produci non posse, quàm librorum, ijsq;

sublatis facilè posse disperdere, & in ruinam detrahere Ecclesiam Dei: *Tolle Diuum Thomam, & dissipabo Ecclesiam*, aiebat ille per quendam suum excursorem, & emissarium ex transfuga, & perfidioso monacho quinti euangelij Lutherici non postremum, neque segnem propagatorem. Hanc confessionem ab illo extorsit potentia pietatis Dei, vt ex ea intelligeremus, quantum præsidij, & auxilij Ecclesia à libris habeat, & quantâ curâ, quantoq; opere conseruare eos debeamus, quando tenebrarum rector, & capitalis noster inimicus sibi facilem promittit totius Ecclesiæ euersionem, dum ea modò nullam habeat à libris tutelam, dum arces istæ deijciantur, dum talibus armis, & propugnaculis nudetur.

Absoluam huius Capituli pensum quadam gnome, quâ venerabilissimus magister spiritus Thomas de Kempis suam hac de re sententiam aperuit, cùm serm. 20. sic ait: *Si mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ sitienti porrigit, quantam mercedem recipiet, qui animæ perpetuò victuræ salutaris sapientiæ aquam scribendo ministrat? Quot enim literas debitè formas, tot Deo hostias laudis offers.* Magnam hæc consolationem adferre debent illi, quemcunq; hic scribendi labor occupatum habet, quique hoc studio tenetur, vt libros calamo conficiat, ex quibus non corpora paulò abhinc moritura potum frigidæ, sed animæ sempiternum victuræ alimoniam spiritualem, & Ecclesiæ suam tutelam habere queant: *Quot enim literas debitè formas, tot Deo hostias laudis offers*, quisquis sancta, & vtilia scribendo Dei Ecclesiam ad probitatem, & pietatem informas. Nam vt Ecclesiæ præsidium sunt libri, vt animarum castrum validissimum sunt libri, vt duces per viam, quæ fert ad Superos, sunt libri, sic nihil mirum, quòd Domino gratissima sacrificia litare, & immolare hostias laudis feratur, qui eiusmodi præsidia parat, qui talia castra construit, qui duces tales procurat.

*Sunt namque libri arma Clericorum* (ità consequenter ad superiora dicebat sanctus vir Thomas de Kempis) *ornamenta Ecclesiæ, diuitiæ, & thesauri Doctorum, tuba Sacerdotum, solatia Religiosorum, epulæ deuotorum, testamenta Sanctorum, luminaria fidelium, seminaria virtutum, organa Spiritus Sancti. Benedicta ergo manus scribentis, & benedicti digiti in tali opere occupati.* Quidquid expeti potest, quod siue ad exornandam, tutandam, fouendam, constabiliendamque Ecclesiam pertinet, siue ad hostes illius offendendos, eorumque calumnias retundendas, & confutandos errores spectat, hoc abundè, affluenterq; reperitur in libris. At si tanta scaturiunt è libris commoda, tot proficiscuntur emolumenta, semel ac millies affirmo, quòd centies millies felices sunt manus, & fortunati digiti eius, qui eorum diligente, assiduâq; operâ huc vsus est, vt libros sacros, spirituales, pios, & communi Ecclesiæ bono, animarumq; saluti profuturos publicis monumentis consignaret, & posteritatis memoriæ, vsibusque sempiternis traderet. Qui enim Reip. catholicæ libros relinquit, idem arma cudit, thesauros exhibet, offert diuitias, ministrat lucem, castella excitat, erigit turres, propugnacula construit, obijcit valla, speculatores, & excubitores constituit, quibus charissimam, dilectissimamq; Iesu Christi Sponsam defendat, tutetur, propugnet.

Hinc accipiat noster Politicus, quanti æstimare debeat libros sacros, spirituales, deuotos, cæteraq; scripta, quæ ad communem Ecclesiæ, animarumq; vtilitatem faciunt, ex his enim fideles habent arma offensiua, & defensiua, alimoniam, & lucem, vitam, & consolationem, diuitias, & thesauros spirituales, & alia sine numero commoda spiritualia, quæ experientia monstrat, & docet. At si quis pluribus explicatum videre cupit, quæ sit dignitas librorum, quantaque emolumentorum ingentium accessio ad bonum publicum ex ijs sit facta, legat eruditum memoriale, quod magno Philippo, & potentissimo Regi nostro inscripsit, & de literarum priuilegijs, immunitatibusq; conscripsit doctissimus, & ad miraculum sapientissimus D. Antonius de Cabreros, & Auendanno honor, & decor nationis nostræ, cui exteri omnes suam rerum humanarum, diuinarumque peritiam inuidere possunt, exæquare vix pauci. Huc Politicum nostrum remitto, vt ex eius lectione in cupiditatem, amoremque literarum prorsùm accendatur, & exardescat.

## CAPVT VIII.

*Plusquàm vanum, & otiosum est certamen armorum cum libris, quomodo enim his illa non porrigant herbam, non offerant tanquàm triumphatoribus coronam, si gladij calamorum scriptoriorum impendijs viuunt, & armorum memoriam literæ sospitant, & conseruant?*

EX his, vt mihi quidem videtur, absoluemus litem, dirimemusque controuersiam illam acrem de mutua LITERARVM, & ARMORVM præstantia, & excellentia. Quæ enim superiori capite diximus,

mus, ea pro literis haud dubium sic pronuntiant, vt vana sit altercatio armorũ, editiorē, digniorēq; literarũ solio locum ambientium, sublimior namq; sedes debetur Sapientiæ tanquàm principi, & reginæ omnium rerum, vt quæ per illam regantur, & gubernentur.

Quando innoxius Dauid insanum regis Saulis furorem declinabat, in ciuitatem Nobe confugiens ad sacerdotem Abimelech se recepit, confictisque mandatis tanquàm à rege acceptis satellitio suo annonam impetrauit. Cumque arma simul postularet necessaria, datus est ei gladius, quo in Valle terebinthi gigantem Goliath obtruncauerat, quod cùm iuuenis pastorculus exemplo nunquàm viso, & inaudito facinore patrasset, vt rei illius gestæ memoria esset sempiterna, gladium, quo eam perfecerat, posteritati in loco publico Israëlitæ recondiderant, de quo sic habet Scriptor sacer 1. Reg. 21. vers. 9. *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est inuolut⁹ pallio post Ephod.* Ephod, vt cõmunis sententia perspicuè habet, erat vestis sacerdotalis, cuius fit crebra in sacris literis commemoratio. Iam & hoc passim receptum, quòd sacerdoti incumbebat habere animum benè excultum literis, instructum sapientiâ, & scientiâ, talemque, qui esset omnis eruditionis quoddam velut conditorium, & ærariũ. *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*; inquiebat Malachias Propheta cap. 2. v. 7.

Quid ergo sibi vult, quòd gladius post Ephod erat, neque conspicuus, sed obscurus, & *inuolutus pallio?* Qui priorem locum tenet, eo ipso suam eminentiam, & excellentiam ostendit. Tempus prodegero, si quod ad hoc probandum vertero. Quod itaque in priore loco fuit vestitus sacerdotis, in cuius pectore sedem sibi scientia vendicabat, in posteriore gladius militiæ instrumentum familiarissimum, id factum, vt significaretur, quòd primas habere literæ, principemque locum occupare semper debent, vbicunque cum armis concurrunt, studiosique librorum præcedere tractatores armorum, & bellorum duces Musarum alumnis, ac Doctoribus concedere, militum enim omnia, quantùmuis illustri facinora, obliuione velut sepulta, & tenebrarum pallio inuoluta iacerent, nisi lucem illis literæ suam affunderent.

Robur his accedet ab re quadam memorabili, & admirabili, quam Iosephus narrat de illo summi ex vetere Testamento Pontificis Rationali, quòd ille pendulum ante pectus gestabat duodecim insignitum cælatis gemmis in monimentum duodecim Tribuum. Res ea talis est. *Quando summus sacerdos comitem se adiungebat copijs Israëliticis in aduersas acies contendentibus, priusquàm exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innotesceret, adesse Deum, opemq́, & auxilium suum esse laturum.* Sic ille antiquitatum Iudaicarũ lib. 3.

In illo summi sacerdotis Rationali hæc verba, *Doctrina*, & *Veritas*, scalpro exarata erant. Sic enim dicitur Exodi 28. vers. 30. *Pones in Rationali iudicij* Doctrinam, & Veritatem *quæ erunt in pectore Aaron.* Quid mysterij habeat, quòd margaritæ Rationalis, quod præferebat Doctrinam, institutionem, sapientiam, inter media arma, & in prodeunte ad pugnam, exercitu sic exerebant fulgorem suum, tamque splendidè radiabant, vt Iosephus fateatur, *præter naturam, & consuetudinem* fuisse, quod ab illis pretiosis lapidibus tunc fiebat? Bella non armorum tantùm industriâ, verùm etiam literarum vi, & peritiâ conficiuntur; nec gladio solùm dimicatur, sed eruditione quoque, neq; vna brachij fortitudo acies hostiles fundit, prudentiæ manus partem etiam quãdam, neque exiguam sternit, & extinguit. Quod ergo tunc, quando cum hoste conferenda erant signa, lapides illi pretiosi præter naturam exsplendescebant, & suprà cõsuetudinem effulgebant, tamque prodigiosè Rationale, in quo insculpta erat *Doctrina*, & *Sapientia*, radios inusitatos per omnem latè exercitum effudebat, id factum, vt intelligeremus, quoties concurrunt, aut sibi mutuò occurrunt gladius, & calamus, toga & sagum, galericulus doctoralis & galea, armis semper esse illustriores literas, & oppidò plus lucis mundo inferri à doctis, quàm à fortibus, nec tam fulgentes radios à manu valida venire, atque ab animo sapiente. Itaque in rationali præferente *Doctrinam* voluit Dominus elucere felicis euentus belli prognosticum, & optatæ victoriæ secuturæ præsagium, vt velut in prælijs prudentia, quæ ad sapientiam spectat, plurimùm triumphat, & consilium, quod ad scientiam pertinet, hostem potissimè subigit, sic vbique de gladijs calami, literæ de armis triumphent.

Quærunt sacri Expositores, cur Princeps æternitatis, qui mox vt natus, in præsepi depositus fuit, vt eâ demissâ humilitate vanas caduci sæculi pompas rideret, damnaretque, voluit ab Oriente ad se accersere tres Reges, vt abiectis ad pedes eius suis coronis ipsum regem iurarent, & Deum suum suscipe-rent, ac suspicerent; *Cum natus esset Iesus in Bethlehem,*

*lem, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam*, inquit Beatus Matthæus c. 2. v. 2. Quo autem animi consilio accurrerint, ipsi luculentis verbis aperuerunt, dicentes: *Venimus adorare eum*; ibid. quodq; iter tam prolixum, & periculosum suscepimus, id fecimus, vt ad recens nati Principis tanquàm regis regum, & Imperatorum Imperatoris diuinas plãtas regia sceptra, diademataque nostra pro debitissimo religiosæ obseruantiæ cultu deponamus. Cur istam à Magis expetijt tam tenera in ætate reuerentiam, & adorationem?

Respondent sanctus Augustinus, Beda, Haymo, & Christianus Druthmarus, hoc voluisse, vt cognosceretur, quàm verùm fuerit, quod Propheta Euangelicus præuiderat, qui de admirandis huius gigantei infantis facinoribus, rebusque per illum gerendis loquens aiebat: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*; Isa. 8. 4. Alij legunt: *Suscipiet virtutem Damasci*. Ex hac parte, vt multi volunt, fuerunt oriundi Magi, Damascus enim ad plagam Syriæ Orientalem sita est. Quod ergo propheta ait, quòd suscipiet, siue auferet virtutem Damasci, tale fuit, ac si dixisset, attracturum ad se istos reges magos, vt de ijs triumpharet, infusâque illis verâ sui agnitione ipsos subigeret.

Sed cur illi magi, siue sapientes vocantur *fortitudo*, aut *virtus* Damasci? Pugnaci militi hoc nomen relinquatur, non literarum studiosis detur, Martis, non Musarum alumnis ea tribuatur appellatio, ductores exercituum, non doctores scientiarum vocentur fortes, ac robusti. Quî autem factum, quòd Propheta, velut per obliuionem, literatos donauit nomine, quod armatis deberi, magisque congruere videtur?

Respondet sanctus Ioannes Chrysostomus: *Ideò sapientes dicti sunt virtutes Damasci, quia virtus vniuscuiusque prouinciæ sunt sapientes ipsius*. Quòd Magi appellati fuerunt cor arboris reipublicæ, arces ciuitatum, animæ corporum, oculi capitum politicorum, robur prouinciarum, Soles stellarum Communitatum (hæc enim omnia, & his plura significantur eo verbulo *fortitudo*, seu *virtus*) id propterea factum, quòd sapientes sint arbores, quæ inumbrent & fructificent, arces, quæ defendant, animæ, quæ dent vitam, robur, quòd confirmet, oculi, qui ducant, & Soles, qui illuminent. At si hæc omnia sunt Sapientes, manifestum est primas sedes, editissima subsellia, excelsissima solia concedenda literis, tanquàm reginis, quæ authoritatem merentur maiorem, & ampliorem dignitatem, & locum sublimiorem.

Sed quid inani labore delassor, dum rem operosè probo nulli dubiam, omnibus exploratissimam, cæcis pænè conspicuam? A quo habent vitam, à quo memoriæ suæ perdurabilitatem arma? Quod à literis id habeant, Solis luce clarius est. Quorum studio seruantur ab interitu memorabilia gladiorum facinora? Nonnè calamorum scriptoriorum sumptu, & impendijs? Quis obliuionis inuidiâ, & edacis temporis iniurijs nequicquam repugnantibus, semper virentem conseruat recordationem rerum à viris inclytis, & heroicis præclarè gestarum? Libri, præterque illos aliud nihil. *Quis Alexandros sciret, aut Cæsares* (aiebat Ioannes Saresberiensis de nugis Curial. in Prol.) *quis Stoicos, aut Peripateticos miraretur, nisi eos insignirent monumenta Scriptorum? Quis Apostolorum, & prophetarum veneranda imitaretur vestigia, nisi eos posteritati diuina literæ consecrassent?* Monarcharum, Imperatorum, Regum, Principum, Heroum, Alexandrorum, Hannibalũ, Pompeiorum, Cæsarum, Aristotelum, Ciceronum, denique omnium, quotquot laude aliquâ floruerũt, memoriam vorax obliuionis flamma depasta fuisset, nisi pij Æneæ, Scriptores inquam, illorum facta è medio igne sublata posteritati sospitassent. Ne diuinæ quidem actiones, aut Prophetarum, Apostolorum, aliorumque sanctissimorum virorum exempla nobis innotuissent, nisi literæ sacræ secutis ætatibus consecrata ad nos trãsmisissent. In libris velut marmore sculpta perdurant eorum laudabilia gesta, vt ea, dum intelligimus, imitemur, & sequamur, dum legimus.

Ad confirmationem suæ sententiæ addit mox Saresberiensis, vbi suprà: *Eadem est asini, & cuiusuis Imperatoris post modicum tempus gloria, nisi quatenus memoria alterutrius Scriptorum beneficio prorogatur. Quot, & quantos fuisse arbitraris Reges, de quibus sermo nusquàm est, aut cogitatio? Nihil ergo consiliosius est captatoribus gloriæ, quàm literatorum, & scribentium maximè gratiam promereri, inutiliter enim ab alijs geruntur egregia perpetuis tenebris obducenda, nisi literarum luce clarescant.*

His robur adiungetur ab eo, quod cum non exiguo acumine dixit ille grauis, & ab omni affectus iniquioris perturbatione vacuus historicus Nicetas Coniates in prologo suæ historiæ, cui tantoperè applaudit Iustus Lipsius: *Non abs re liber viuentium appellatur Historia, & tuba clangor, quo tam olim mortui velut è sepulchris excitati in medium producuntur.*

*cuntur*. Cùm historia sit archiuum, siue chartophylacium, in quo reposita seruantur quæcunque à viris magnis præclarè ac magnificè gesta, non absque causa liber viuentium nominatur, aut buccinæ sonitus, quo ij, qui in crassis fatalis obliuionis tenebris sepulti iacebant, in vitam, & memoriam hominum reuocantur, sic vt nomen eorum, & fama per omnes ex ordine ætates, à sæculo alio in aliud, & per omnem latè terrarum orbem perferatur.

Quàm verò eleganter dictum à Niceta, quòd literæ, libri, historia, sunt *tuba clangor, quo iam olim mortui velut è sepulchris excitati in medium producuntur*! Vt enim tuba illa, quæ ante stupendum, & vniuersale iudicium inflabitur, redanimabit defunctos, mortuorumque viuos ad sua cadauera reuocabit spiritus: sic non reuiuiscerent gladij, nisi hoc facerent calami. Et omnis pridem extincta iaceret militum, armorum, victoriarum recordatio, nisi libri, & homines literarum studiosi eam sospitassent? Quid conduceret debellasse regna, in suam ditionem pertraxisse prouincias, subegisse Imperatores, nauigasse maria, nouos inuenisse mundos, nisi eorum omnium in libris vigeret memoria? Ergo quilibet Scriptor est velut quædam supremi iudicij buccina, quę resuscitat mortuos, reddit spiritum defunctis, egregiè factorum memoriam facit perennem, testis est temporum, & vita memoriæ, & magistra vitæ, & nuntia vetustatis, & exterminatrix obliuionis, & extinctæ resuscitatrix gloriæ, & sepultorum excitatrix triumphorum, quæ hominum, rerumque alioquin mortalium, & fugitiuarum immortalem, constantemque, & æternam facit recordationem.

Nonne manifestò, perspicuèque suffragatur huic causæ sanctus Hieronymus, cùm in prologo secundo in Iob. Tom. III. Glossæ Ordinariæ de sua translatione historiæ patientissimi illius patriarchæ ex Hebræo in latinum sic ait: *Quomodo post probationē, atq; victoriam duplicia sunt ei vniuersa reddita, ità ego in lingua nostra ( vt audacter loquar ) feci eum habere, quæ amiserat?* Postquàm prodigium in illud tolerantiæ rerum suarum omnium iacturam fecerat, alterum tantum illi bonus Dominus reddidit, quantum malus dæmon ademerat. Apud eos, qui sciebant latinè solùm, talis erat sanctus Iob, qualis qui nec perdidit quidquam, neq; recuperauit, prorsumque incognita illius patientia, & æquanimitas. Dicit nunc magnus Hieronymus: Quæ de sancti Iobi vita, moribusque hebraicè scripta erant, ego latinè reddidi, eoque meo laboriosæ operæ studio factum, vt illius nunquàm audita patientia palàm fieret, & innotesceret quòd facultates illi altero tanto auctiores, liberi autem pari numero, quo perierant, redierunt, ergo per me ( vt hoc fidenter affirmem ) recepit suas opes, & ego suam illi patientiam reddidi, tolerantiam resuscitaui: *In lingua nostra ( vt audacter loquar ) feci eum habere, quæ amiserat.* Nisi enim ille ea latinè conscripsisset, velut humi iniectu obruta, sepultaque mansissent sancti Patriarchæ Iob virtutes, & præclarè facta, quæ tanquàm infecta fuissent ijs, qui non cognouissent. Benè ergo dicimus, quòd calamus antiquata innouat, extincta suscitat, Scriptorque collapsa erigit, & Libri viuam defunctorum faciunt memoriam.

Eapropter dicebat Gilbertus serm. 47. in Cant. *Scriptura memoriæ reparatrix est, tuto verbi medicamenta illic condis, seruantur enim illæsa, volat enim irreuocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum stabile facit, & visibile. Bonus depositarius est liber, integrè quod acceperit, resignans. Cùm voles, sumes, vbi voles, leges, quamdiu voles, moraberis.* Omnino quoddam velut statumen, & fulcimentum collabascentis memoriæ est scripta historia, vindex obliuionis, conseruatrix posteritatis. Omnes illi securè crediderìs medicinas, quas illa integras, recentes, inoffensasque seruat. Decurrit, effluit, euanescit verbum, opus, res alia quælibet, nisi intrà librum recondas, qui facit, vt oculis etiam vsurpemus, quod solis auribus percipiebamus, & quæ semel facta sunt, nunquàm intercidant. Rerum creditarum nullus alius tam fidus custos, atque liber, qui reddit omnia, qualia ea cunque accepit. Viuunt in illo, quæ pridem occiderunt, in illo licet intueri præterita, videre præsentia, coniecturâ prospicere, quæ sunt futura. Non feriret absque calamo gladius.

In postremis testem huc accersiam Flauium Vegetium, qui cùm ipse militiam sectatus fuerit, absque gratiæ, vel simultatis suspicione fuerit, quidquid pro literis, & libris affirmârit. Is verò in libro suo de re militari, cap. 10. sic habet: *Apud Veteres res militaris in obliuionem sæpius venit, sed à libris repetita est.* Præliandi artificium, militandi disciplina, bellica scientia olim penè tota apud homines interijt. Quonam autem modo instaurata fuit? *A libris repetita est;* Libros consulebant, & ab ijs accipiebãt, quo astu circumscribendus hostis, quibus stratagematis expugnandæ vrbes, quæ figura armorum seu offensiuorum, seu defensiuorum, quibus machinis deijciendi muri, euertenda propugnacula, conquassandæ turres, quo ordine digerendæ cohortes, collocandæ

cādę turmę,&quidquid ad rei militaris vsū pertinet.

Transferamus hæc nunc in rem præsentem. Aristoteles ait, quamlibet rem superiorem esse, præstantioremque eâ, cui dat suum esse, vt causam effectu, fontem riuulo, luce Solem, eò quòd affectus à causa, riuus à fonte, à Sole lux quidquid habet, accipiat. Si ergo armorum vitam literæ sospitant, fortiter gladio gestorum memoriam calamus ab interitu vindicat, illustrium facinorum lucem Sol librorum conseruat, similes apud superstites per eos, qui historias post se reliquerunt scriptas, perennat, manifestum, exploratumque est, libris sedem præcipuam, prima subsellia, solium honorificentissimum, thronum regium, coronam, laurum, palmam iure, eoque magno, deberi.

Sed quid aliundè diu operosè conquirimus argumenta, quibus hanc rem confirmemus, qui ad manum habemus, quæ testatissimam eam omnibus faciant? Luctabantur mutuò, quod dictum iam sæpè, in obscura materni vteri palæstra duo fratres Esau, & Iacob. Exterruit matrem Rebeccam tam portentosus suorum gemellorum conflictus, cùmque ea de re diuinum consuleret oraculum, id responsi habuit: *Maior seruiet minori*; Genes. 25. 23. Quodnam fuit minoris studium, quæ occupatio maioris? Sacer historicus vtrumque scriptum reliquit. De minore sic ait: *Iacob habitabat in tabernaculis*; Genes. 25. v. 79. quod Chaldæus Paraphrastes, vt dictum suprà, reddidit: *Erat minister domus Doctrinæ*, hoc est, frequentabat scholas, diuinæ, hoc est, veræ sapientię operam dabat, politicus cœlorum erat. Sanctus Ambrosius lib. 2. de Iacob. c. 3. in eundem sensum illud interpretatur, dicens: *Cedit hoc in encomium literarum, quià Iacob creditur fuisse morum studiosus, & peritus.* Esau aliud vitæ genus fuit consectatus: *Vir enim gnarus venandi* fuit, *& homo agricola*; Gen. 25. 27. atque illud quidem initiò, posthæc verò etiam militem egit, armisque sibi victum parauit, quod facturum pater eius spiritu prophetico prædixit; inquiens: *In gladio viues*; Genes. 27. 40. omnis tua in bellicis tumultibus vita decurret, militiæ, quantùm non rei alteri cuipiam, studebis. Iacob ergo literarum, armorum studiosus Esau fuit, illum libri occupatum habuerunt, hunc tela, gladius, bipennes. Spiritus S. ergo, velut de tota causa hac pronuntiet, ait: *Maior seruiet minori*; miles literato cedat. Et pater, tanquàm eidem sententiæ subscriberet, inquiebat: *In gladio viues.* militem ages, tractabis arma, & quod hinc fit, *seruies fratri tuo*, cuius totum est in libris studium, & omnis in literarum curriculo exercitatio. Propterea Esau, vt monet B. Ambrosius, non habuit cur ab ea prouocare sententia posset, *quià non conditio fortuita seruum facit, sed probrosa insipientia.* Quòd ergo Esau Iacobi pro famulo fuit, id non aliunde venit, quàm quòd amusus fuit, Iacob verò doctus, & peritus, quodque Esau postpositis literis totum se armis tradidit, cùm Iacob econtrà spretis omnibus bellicis instrumentis in literarum studia toto pectore incubuit. Sit ergo miles seruus docti, palmam sibi scientia habeat, sapientiæ deferatur laurus, triumphent de armis literæ, atque vt cum latinæ eloquentiæ Parente dicam:

*Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

# LIBER SEXTVS.

## CAPVT I.

*Qui delitijs innutritus mollem diuculè vitam consectatus fuit, is quantulocunq; labore mox frangitur, ac de vita sibi timet, quantùmuis leue sit, & exiguum, quod illi molestiam qualemuis adferat.*



VEtus Lacedæmonum, siue Spartiatarum consuetudo hoc habebat, vt natos liberos frigidâ extemplò abluerent, ardorique Solis, & aëris inclementiæ exponerent, vt à primulis statim horis discerent pati molestias, durerenturque ad labores, & ferre aspera consuescerent. Qui enim à pueritia aluntur venenosis, vel nutriuntur cicutâ, talibusque edulijs passim vtuntur, ijs toxicum posthæc vitam non eripit, sed fouet, ac sustentat, sic vt illi inde viuant, vnde moriuntur alij: Econtrà verò qui assueuerunt molliter cubare, aut vestire, epulari splendidè, cuticulam delicatè curare, indulgere genio, seruire abdomini, consectari voluptates, ducere in bonis dies suos, ij in tantilla qualiscunque calamitatulæ aqua fluctuant, & si in lutum perexigui cuiuspiam incommodi incidant, suffocantur, & in omni vado, quantumuis leuis laboris, naufragium faciunt.

Efferebatur insolenter gentilis famula Agar, quòd se ex Patriarcharum maximo Abrahamo concepisse videret, aspernabaturque dominam suam Saram, hoc

hoc est, ipsam felicitatis suæ portam, & quæ illi omnem beatitatis occasionem ministrârat. Periniquè hanc illa ferebat arrogantiam, adeòque grauiter de ea apud maritum expostulabat, qui vxori plenam castigandæ improbæ ancillæ,& retundendæ eius superbiæ, contemptusque plectendi facultatem concessit. Visa fuit datâ sibi facultate iniuriam passa domina, contumax autem ancilla, cùm sanctæ & piæ heræ suæ disciplinam,animaduersionemque ferre non posset, ædes suorum dominorum fugitiua destituit: *Affligente eam Sarai, fugam iniit;* Genes. 16. 6.

Sancti Augustinus, Ioannes Chrysostomus, Lyranus, Honcala, Pererius aiunt, Saræ correptiones, & animaduersiones in suam famulam fuisse moderatas, admodùmque & tolerabiles, & conformes legibus charitatis, & rationis, atque ad harum perpendiculum exegisse pœnas, quas ab insolente famula repetebat. Quæ cùm ita sint, cur fugit Agar? Cur ædes heriles ancilla deseruit?

Satisfacit huic quæstioni Abulensis dicens: *Ista castigatio moderata erat, tamen Agari hoc intolerabile videbatur, quià ex superbia non poterat inclinari Sarai, ista enim est conditio superborum, quod modicam humiliationem in tantùm intolerabilem reputent, vt putent se infimos esse, cùm modicùm humiliati fuerint.* Nihil duriùs, quàm par erat, in suam ancillam Sara statuebat, Agari tamen ea dominæ suæ qualiscunque obiurgatio tam grauis videbatur, vt putaret non esse ferendo, idque præ immodica arrogantia, per quam fiebat, vt heræ suæ, spectatæ, & raræ virtutis fœminæ imperio submittere se non posset. Habent hoc, qui magnos habent spiritus, & superbis pascũtur cogitationibus, vt omnem defugiant disciplinã, & omni iussioni quantumuis leui impares suos esse humeros existiment: *Ista est conditio superborum, quòd modicam humiliationem in tantùm intolerabilem reputent, vt putent se infimos esse, cùm modicum humiliati fuerint.*

Tantundem ijs accidit, qui delitijs, vitæq; ue solutioris licentiâ sunt assuefacti. Si quid illis vel nonnihil laboriosulum occurrat, si quod incommodum etiam exiguum obueniat, intolerabile putant, quidquid obtingat, cum omni ærumna finem vitæ sibi aduenire autumant, supremam horam arbitrantur, quæcunq; illa sit, quæ molestiolã quampiam adferat.

Nam vt dicit sanctus Gregorius Nazianzenus Iambico 19. Tom. 2. *Qui præter dignitatem affliguntur miserabiliores sunt, quam ij, qui calamitatibus assueuerunt.* Insueti ærumnarum intolerabiliùs eas ferunt, quàm alij, qui ad illas obduruerunt. Qui semper fuerunt diuites, ijs acerbior accidit egestas, qui bonâ semper fuerunt vsi valetudine, illos leuis facilè prosternit, & lecto affligit ægritudo.

Huic proposito peropportuni venient duo Hippocratis aphorismi. Primus lib. 2. Aphorism. 49. sic habet. *Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus ac iuuenibus faciliùs ferunt.* Qui inter labores adoleuerunt, ij etiam grandæui alacriùs, strenuiùsque arduum quodcunque opus suscipiunt, perficiuntque, quàm alij in pubescente, validaque ætate, cuius annos priores in otio maximè,& feriati exegerunt. Huius rei causam Galenus apud Hieremiam Triuerium in 2. lib. Aphorism. 49. hanc reddit, *quià partes exercitatæ sunt robustiores ignauis,* maioresque sunt sæpè delassatorum, quàm semper inertium, & otiosorum vires.

Proximus Aphorismus Hippocratis, qui est quinquagesimus, talis est: *Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint insuetis, minùs molestare solent.* Ex his consecutionem eiusmodi conficit: *Oportet igitur ad insueta permutari.* Qui solitus est cibis crassioribus vesci, non ei tantum detrimenti adfert id genus esculentorum, quantum alteri qui cupedijs vti semper consueuit, & lautioribus, suauioribusque cibis innutritus fuit.

Apta,& commoda veniet rei præsenti acuta quædam annotatio Donati in maximum poëtarum Virgilium describentem Æneæ ad inferos descensum. Ponit Poëta in illum abditum, secretumque locum, qui animarum corporibus solutarum diuersorium erat, neminem penetrare potuisse, qui non Acherontis cymbam inijsset, atq; illius fatalis portatilisq; pontis adminiculo eò prouectus fuisset. Ingrediebatur ergo in illam scapham cum Sybilla Æneas, quando nauicula illa, vt Virgilius canit.

> . . . . . . . *Simul accipit aluo*
> *Ingentem Æneam, & gemuit sub pondere*
> *cymba,*

tantùmque prægrauari cæpit, vt aquam parte non vnâ solùm hauriret, & parum à submersione linter abesset. Videtur nimioperè amplificasse Poëta laborantis nauiculæ pondera, quibus onusta erat, cùm ait gemuisse sub pondere. Itané verò prægrauare cymbam duo homines soli potuerunt, quæ alios innumeros ab hac parte in illam citeriorem perpetuò transuectabat? Quid causæ? Respondet Claudius Tiberius, inquiens: *Gemuit pressa insolito pondere:* Seruierat in illum diem scapha deferendis in aduer-

sam

ſam ripam animabus,& ſpiritibus,qui cùm nihil terreum, & graue haberent, & corporum nudati pondere eſſent,funeſtum lintrem etiam non premebant: Verùm cùm Æneas illum, & Sybilla inirent, *gemuit preſſa inſolito pondere* cymba,& præſentaneo ſubmerſionis diſcrimini proxima erat. Quanquam enim duæ perſonæ ſcapham vnam non nimiùm onerare poſſint, illa tamen, quià multùm grauari non conſueuerat, *gemuit preſſa* paruo quidem, ſed *inſolitò* nihilominùs *pondere*. Qui enim non eſt aſſuefactus duris laboribus, cuius non ſunt ſoliti ferre pondera grauiora humeri, is onera etiam exigua fert ægrè.

Poſt rei profanæ ſuffragium accerſamus nobis teſtimonium diuinum. Totâ lacertorum vi compugnabant magnanimus Patriarchæ noſtri filius, & valentiſſimus quidam ſpiritus. Omni neruorum contentione dimicabat Iacob, & Angelus tanquàm victus, & cedere coactus aiebat: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*; Gen. 32. 26. diluceſcit, & ſuus rebus color redit, & noctis caliginoſæ fugantur tenebræ, age ergo, & me brachiorum tuorum complexu exſolue, nec tam validè conſtrictum attine. Hic Angelus robuſtiorem, & ſuperiorem virtutibus agnoſcit Iacobum, à quo dimitti rogat. Quid eſt, quòd cœlorum Palatinus, ille Deo ſemper proximus, ille tam ſtrenuus, & præpotens ſpiritus ità fatigatus, victuſque fuit? Quamobrem tam citò delaſſatus? Quid illius vires ſic fregit, quid hebetauit robur, quid fortitudinem compreſſit?

Occurrit quæſtioni illuſtre Africæ decus Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 3. inquiens: *Conluctatus homini Angelus toto corporis pondere dimitti deſiderabat ab eo, à quo detinebatur.*

O quàm acutè,& aptè in rem præſentem dictum, *Toto corporis pondere dimitti deſiderabat*! hoc eſt: Ingenti corporis onere tantùm non oppreſſus Angelus, fatigatuſque illius grauitate percupiebat colluctatoris ſui euadere manus, vt ſimul illam corporis laborioſam geſtationem euaderet. Quale erat illud Angeli corpus,quibusq; è rebus concinnatum? Quamdiu onus illius circumtulerat? Corpus erat phantaſticum, & fictitium, membra nil niſi leuis, & denſior aër, & vix paucularum horarum conflictus. Hæccine verò fatigârunt Angelum, hæccine afflixerunt, & oppreſſerunt? Tantamne illi laſſitudinem, & anxietatem pugna tam celeriter confecta attulit, vt *Toto corporis pondere dimitti* deſideraret? Immò. Et quod de Angelo illo Tertullianus affirmat, tale eſt, ac ſi dixiſſet: Angelus vt erat purus ſpiritus, & ferre pondera nunquàm ſolitus, ità cùm onera corporis, quanquàm leuiſſimi, & ex aëre concinnatitij, circumgeſtaret, tanquàm laſſitudini obnoxius eſſet, ſic velut angebatur, & affligebatur, & anhelabat, orabatque, & obſecrabat,vt abire libero, & moleſtũ, atq; intolerabile onus abijcere liceret. Hoc omnes habent, qui incommoda nulla ferre ſoliti totam in lautitijs blandè, ac ſuauiter exegerunt vitam, cuiuslibet aëris aſpiritus eis noxius eſt, quodlibet frigus bonam valetudinis illorum harmoniam ſoluit, quilibet calor eos extinguit,quælibet infirmitas eos deijcit, quælibet ærumna frangit, quælibet pœna mactat, quilibet dolor contriſtat, quilibet victus rudior ægritudinem illis adfert, & ſtomachum, ac bilem mouet, moleſtuſque eſt, & grauis atque intolerabilis accidit.

Plurima monſtrũ illud impietatis,& crudelitatis, Neronem dico, inceſſere, & vexare cæperunt, *terrebaturque*, vt Suetonius in vita illius cap. 46. ait, *euidentibus portentis ſomniorum*, necquicquam illi per quietem occurrebat, quod non vehementer eum percelleret, conturbaretque, proque manifeſto magnæ, & certò ſecuturæ infelicitatis præſagio, ſiue prognoſtico haberet. Quid cauſæ, quòd inhumanum, ac præferocem Principem ſua tam vehementer exterrebant inſomnia? Illud, quòd *nunquàm ante ſomniare ſolitus fuit*, nunquàm ſimilia phantaſmata paſſus fuerat, nunquàm talia per viſum nocturnum acceperat, nunquàm dormienti ſecundùm quietem occurrerant, itaque quidquid ſomniabat, id illi terrorem adferebat, quietemque interpellabat, & animum ceu immanis carnifex laniabat. Qui enim non conſueuit laboribus, & rebus duris, quãtùmuis leue ſit, quod illi accidit, montem putat, & ſcopulo grauius onus.

Tertullianus cùm de ſenſuum deceptionibus, quas illi patiuntur, agit, in libro de anima cap. 17. ità ſcribit. *Tactus reprehenditur, ſiquidem eadem pauimenta manibus aſperiora, pedibus leuiora credũtur.* Et Paulò infrà: *De ſcabro, ac laui meritò manus, ac pedes, tenera ſcilicet, & calloſa membra, diſſentiunt.* Vt ſenſus reliqui, ſic & tactus fallaciæ eſt expoſitus. In duro ſolo, quod calcamus, id manifeſtè videas. Pertranſit pedum planta ſalebras, ſilices, loca inæqualia, & aſpera, & non ea defugit, non declinat, non auerſatur, eadem ſi fortè manus contingat, extemplò offenditur, & dolet. Quî fit autem, quòd res eadem tactui in manibus ſenſum doloris adfert, in pedibus nihil officit, aut incommodat? Cauſam Tertullianus expreſſit, dicens: *Tenera ſcilicet, & calloſa membra diſſentiunt.* Manus delicatiores

tiores sunt pedibus, hi enim rebus scabris, ac duris assueuerunt, & totam corporis molem ferre soliti sunt, manus non ità, neque enim ad tam molestam, tamque laboriosam operam natæ, neque simili asperitati sunt expositæ. Quid ergo mirum, quòd manus ea horrent, quæ non fugiunt pedes, illasque offendat, quod his nihil doloris adfert? Nam qui non est doctus ferre labores, qui rebus aduersis, & incommodis non assueuit, is qualibet calamitate, quantuuis exiguâ inquietatur, angiturque, & frangitur animo toto.

Quærit magnus ille militaris artis magister Flauius Vegetius, quibus è locis consultiùs deligantur milites, ex vrbibusne, an ex pagis, & campo, quosque homines satius sic conscribere, delitijsne innutritos, delicatè vestire, & lautè viuere solitos, an inter glebas natos, & duris laboribus à cunabulis assuetos. Respondet autem lib. 1. de re milit. cap. 3, vtramq; videri otiosam, & superuacaneam quæstionem, inquiens: *Nunquam credo potuisse dubitari aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio, & in labore nutritur, solis patiens, vmbræ negligens, balnearum nescia, delitiarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est. Interdum tamen necessitas exigit etiam vrbanos ad arma compelli, qui vbi nomen dedere militiæ, primùm laborare, decurrere, portare pondus, & Solem, pulueremq; ferre condiscant, paruo victu vtantur, & rustico, interdum sub dio, interdum sub papilionibus commorentur.* Quomodo enim potest bonus esse miles, qui mollem, leuemque pileum cùm dura, grauique galea derepentè commutat, & ex otio vitæ tranquillæ ad bellicos tumultus subitò transit, & per rudes campos vagus circumducitur, qui rhedâ nuper commodè vehebatur, & duro solo fessa, & fracta tum laboribus, tum itineris, aërisquè iniurijs membra affligit, qui in molli culcitra suauiter cubare semper solitus, & inter suauis musices dulcisonos concentus educatus, posthæc inter horrificos perstrepentium tubarum sonos agit? Qui non est natus ad labores, exosam habet defatigationem, otium doctus non est ferendo solicitudinem, & assuetus delitijs ægrè fert quidquid molestiam qualemuis adferre potest.

Propterea Magnus Pater Basilius aiebat, consultum esse assuescere armis ærumnarum, & inclementiæ temporis iniquioris, & duro strato, & cibo viliori, & incommodæ habitationi, nam *labores diuturnâ consuetudine exercitati minùs graues ijs esse solent, qui se in illis exercuerunt,* inquit ille homil. 2. de ieiunio. Nescit homo quid de se fiet, omnemq; sortis suæ futuram conditionem ignorat. Fieri potest, vt varietas rerum, & vicissitudo illum è dulcis patriæ commodis in tristem, pœnalemque captiuitatem abripiat, & ex libero mancipium faciat, & ex delitijs in vincula ferrea, & dura ergastula conijciat, proptereà bonum est assuescere molestijs, & asperitatibus, vt si fortè maior quæpiam ærumna, & calamitas acerbior adueniat, & onus grauius irruat, à consuetudine fiant tolerabiliora, & minùs afficiant, quæ pridem vsitata.

Cui enim insolens est pati, eidem etiam intolerabile, quidquid graue accidit, & dolorem incredibilem adfert, quod præter morem cruciat.

Id sanctus Gregorius Nazianzenus Iambico. 19. his verbis indicauit:

*Qui vincit etenim semper, is vinci dolet.* Copiarum militarium ductor, qui diu beneuolente vsus fortunâ sub eius auspicijs hostem sæpe fregit, fudit, attriuit, & gloriosos ex illo triumphos sibi parauit, & in Famæ tẽplo ad continuarũ victoriarũ suarũ ostentationẽ signa, & vexilla, quæ vi ab illo extorsit, è tholo suspendit, si aliquando succumbat, insolentem aduersitatem suam, & sinistrum casum & fert intolerantiùs, & pluribus, amarioribusq; lachrymis deflet, quàm ille, qui variam fortunam expertus, eiusque inconstantiæ, & mutabilitati expositus, nunc altum cacumen prosperitatis lætus tenet, nunc in profundo calamitatis extremæ iacentem se deplorat. Ærumnarum namque pondera illud facit intolerabilia, quòd sunt insolita, cuius autem humeri oneribus grauibus, & molestis infelicitatum, ac miseriarum assueuerunt, is omnem magno animo fert aduersitatem, nec vlla tam est incommoda, cui se imparem putet.

Proximam habemus huius veritatis ex nostra historia confirmationem. Dixerat illa de Esau, quòd *virgnarus venandi* erat, posthæc autem mox narrat illum, cùm à venatione lassus redijsset, ad tabernaculum Iacob accurrisse, esuriemque suam, ac defatigationem confessum dixisse: *En morior,* frater, fac mihi cocti tui lentis gratiam, vita namque me destituit, cuius hanc supremam, quam nunc ago, horam fore existimo. Quid est, quòd venatori Esau tam acerba fames accidebat, vt se ex illa moriturum existimaret, nisi frater lentis edulio mox subueniret, & vicinam mortem depelleret? Quid est, quòd se tam citò in mortuis numerat? Vnde arteriarum motum omnem iam conquieturum, & emigraturam è corpore animam arbitrabatur? Inde, quòd cupedijs, vt

multi

multi notant, & lautis bucceis, & perdicum, turdorum, leporum, taliumque lectiorum, & delicatiorum pulpamentorum comestione assueuerat. Non didicerat ferre famem, quam cùm semel pati necessitas coëgisset, actum de vita statim putabat, clamans, *En morior*, & sepulchrum sibi parari rogans. Possunt hæc Politico nostro esse vsui, illiusq; institutioni seruire, qui vt ne impingat, vbi Esau offendit, consultè, prudenterq; faciet, si rebus duris, & acerbis, grauibusq; assuescat, vt seipsum ad tentandum laboriosa, ad tractandum ardua, ad tolerandũ molesta exerceat, vt leuiùs ferat, si quid aduersi accidat, consuetudo namque rebus operosis facilitatem adfert, & leuitatem his, quæ alioquin sunt molestæ, & graues.

## CAPVT II.

*Pœnitentiæ, & mortificationis opera dura sunt, & laboriosa, non quià verè ità res habeat, sed quià homines sic existimant.*

HAC timidâ ignaui Esau voce multi illius similes in stadio virtutis, & curriculo pietatis, & via, quæ fert ad saluationem, passim vtuntur, quibus si ieiunij vsum præcipias, aut suadeas vestire cilicium, mox cum illo clamant, *En morior*, officiunt saluti abstinentia, & inedia, & rudis ille vestitus, & multas infirmitates adferunt. Si dicas, vt in memoriam innumerabilium flagrorum, quæ Saluator noster excepit, & pro expiandis tam multis suis flagitijs, quibus supremum Dominum, & amantissimum Deum sæpè grauiter æquè, ac turpiter offenderunt, carnem suam verberibus cædant, talesq; de seipsis pœnas sumant, miserabiles statim dant voces, *En morior*, dicereq; audent, tale hoc esse, acsi seipsos occidere, aut iugulare iuberentur. Sed falluntur plurimùm, neque enim aut flagellatio corporis interimit, aut ieiunium vitam conficit, aut pœnitentia necat, aut ciliciũ mortem adfert, aut cæteræ carnis afflictationes, & opera pœnalia interitum afferunt. Et quid est, quòd incolumitati suæ à nocturnis grassationibus peccator non timet? Quid est, quòd non veretur cum alio de vita in duello certare, tametsi ea res tam præsentaneo, & manifesto sit coniuncta cum periculo? Animaduertat ergò, & hoc sibi persuasum habeat, quòd si pœnitentiæ opera sunt aspera, & acerba, terribiliaque, non tam in seipsis hoc esse, quàm apud hominum meticulosorum, & ignauorum falsam existimationem, & imaginationem. Huic doctrinæ Politicus noster attendat, vt ne carni, & sanguini aures præbeat, quibus formidini est afflictatio, & horrori omnis pœnitentia.

Appulerunt ad sanctam magni credentium patris domum tres illi venustissimi iuuenes, qui humanorum lineamentorum laruâ personas suas dissimulabant angelicas, quando ille gaudibundus de felici occasione, postquàm & ad ædes, & ad mensam tam venerabiles hospites reuerenter, vehementerq; inuitasset, ijq; neutrum recusassent humanitatis officium, *festinauit in tabernaculum ad Saram*, Genes. 18. 6. eamq; iussit necessarios epulo pinsere panes, *ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum*, ibidem v. 7.

Obseruauit Origenes in delectu Abrahæ, quòd vitulum de toto grege opimissum exemit. Sed quomodo hoc fieri potuit? Quomodo ille, qui sic *festinauit*, vt habet sacer textus, inter illam præproperam, & tumultuariam accelerationem aduertere sensus rectè potuit, vt pinguissimum, & adipalissimum de tanto armentorum numero cerneret, ac discerneret vitulum?

Respondet Origenes hom. 4. *Licèt per cuncta festinet, scit tamen quæ præcipua, & magna sunt, Domino, vel Angelis offerenda.* Quanquàm arbitrari quis potuisset, tam incitatam pij, prolixi, & properantissimi Patriarchæ festinationem illi impedimentum allaturam fuisse, vt iustum delectum, qui suæ temporis spatia requirit, facere non posset, nihil tamen offecit oculis maturatio, quò minùs pecudem optimarum meliorem excernerent: *Licèt festinet, scit tamen quæ præcipua, & magna sunt, Domino, vel Angelis offerenda.* Tale quidpiam ego affirmo de operibus pœnitentiæ, afflictationibusque carnis, & appetentiarum prauarum mortificationibus. Multorum opinio habet, quòd ieiunia, cilicia, flagellatio corporis, stratum durius, & quæcunq; talia ad carnis emaciationem, perdomitionemq; illius faciunt, incommodent sanitati, & multas adferant infirmitates. Sed caro timida, & ignaua sensualitas, & versutus inimicus tantùm talia dictitant, nec res tamen ità habet, quin immò abstinentia, quæ bonam valetudinem conficere videtur, confirmat eam, & conseruat, & vitam in annos longiores producit, ac sospitat. Attestari hoc possunt cœlestes illi eremorũ incolæ, & interioris Thebaidæ habitatores, qui tota sæcula inter longas inedias, & continuata ieiunia, & corporis extenuationes perpetuas grandæus exegerunt.

De ieiunio Sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus in suis commentarijs in Nahum sic ait: *Ie-*

*ieiunium est mors vitiorum, vita virtutum, est ieiuniū pars corporis, decus membrorum, ornamentum vitæ, castitatis murus, ciuitas sanctitatis.* Omnia hæc sacri ieiunij elogia vehementer probo, vnum tamen est, in quo nonnihil difficultatis inuenio, quòd dicitur *ieiunium pars corporis, & decus membrorum.* Quòd abstinentia sit internecio scelerum, gladius flagitiorum, sanctitatis vigor, & sospitatio, murus castitatis adamantinus, ars pietatis inuicta, id facile est intellectu: Verùm quòd sit pars corporis, & partium illius ornamentùm, quomodo persuaderi queat, nescio, præsertim cùm magis videatur imminuere, extenuare, & tanquàm lima deterere corpus, & consumere, & membra eius squalore obducere, & marcida efficere. At erras, mi homo, inquit Sanctus Iulianus, pusillanimitasque tua, & vana imprudentis rationis apprehensio à vero te abducit, ieiunium enim non debilitat, sed roborat, & pœnitentia non est gladius interimens, sed panis confirmans, & vitam in eis reperis, in quibus inuenire mortem putabas, cùm è contrà sæpè morbos, mortemq; incurras ex ciborum luxu, & delitiarum intemperante vsu, ex quibus & constantiorem incolumitatem, & vitam perdurabiliorem expectabas. Videre tale quidpiam licuit in illis tribus pueris sancti Prophetæ Danielis socijs, qui cùm leguminibus tantùm vescerentur, & stata ieiunia obseruarent, tam decentem formam, liberalemque, & elegantem speciem eis tenuis ille victus, & diuturnior inedia attulit, vt de eis sacer textus ità pronuntiet: *Non sunt inuenti tales de vniuersis*; Daniel. I. 19. ex omnibus adolescentibus, qui ad hoc nutriebantur, vt Regi ab intimis cubiculis essent, non fuit aliquorum tam grata Nabuchodonosoris oculis, quàm Danielis, assecla-rumque eius venustas. Ex quo arbitrari licet, quòd ieiunium non enecat, non mactat abstinentia, sed ornat potiùs corpus, membraque illius honestat: *Est ieiunium pars corporis, decus membrorum*, maiorque ex illo pulchritudo nascitur, quod fœdissimam turpitudinem allaturum videbatur.

Ecclesiasticus cap. 43. v. 24. ait: *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Difficilem sensum habent ea verba, siue natiuam, illorum significationem requiras, seu moralem inuestiges. Sed prætermitto varias expositiones, & pro solenni meo, quæ huc non spectant, dissimulo, & cum Hugone Cardinali aio, quòd *pœnitentia dicitur nebula*, in sensu morali, & hoc nomine Ecclesiasticus omnia mortificationis opera donat.

Sed quid nebulæ cum pœnitentia? Quid commune vtrique? Quid alteri cum altero conuenit? Id exponit Hugo, dicens: *Nebula magna videtur, sed statim disparet, & à longè videtur spissa, sed à propè est quasi nulla.* Cùm procul apparet nebula, exterret suâ obscuritate, & horrorem incutit caligine, densaq; admodùm, & valde crassa videtur, at si quis eam ingrediatur, statim animaduertit, oppidò tenuiorem esse, quàm oculis sese ostentabat. *Sic pœnitentia videtur pœnitenti*, inquit porrò Hugo. Sunt quibus terribile videatur ieiunium, asperum vigilare, acerba flagellatio, molesta sacci gestatio, intolerabile cilicium, sed talia procul apparent, quemadmodùm & nebula, è vicino autem aliam ostentant faciem, suauiaque, & dulcia, & leuia, tractabiliaq; conspiciuntur, fitq; vt homo agnum, ex quo pascatur, reperiat, vbi leonem inuenire formidabat, à quo concerperetur: *Sic pœnitentia videtur pœnitenti, à longè videtur spissa, sed à propè est quasi nulla.* Exitium nostrum omne, totaq; pernities inde nascitur, quòd huius veritatis facere experimentum non curamus.

Ad confertam hominum multitudinem, & frequentem dixerat pro rostris Sanctus Petrus Apostolus, vt habet Beatus Lucas in libro Actorum Apostolicorum. Posthæc cùm se in preces composuissent, concuti, & contremiscere locus, in quem coierant, cœpit, sic vt totus in terram delabi, & ruderibus omnes, quotquot aderant, obruere, atque inuoluere velle videretur: *Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati*; inquit Lucas Act. 4. v. 32. Quid verò illis mali hinc euenit, quòd terra concussa fuit, & fabrica vitium egit, & bases titubârunt, & ipsa ædium suprema tecta, seu capita nutârunt? An per hæc vita eis sublata fuit, qui intus erant? an spiritus vitalis extinctus, aut ereptus, ademptusq; omnis animus fuit? Id secuturum ex illo terræ motu, & casu inopinato videbatur, vt plerumq; talibus ex euentis vehementer consternari, tantumque non exanimari expauefacti homines solent, hîc tamen nihil tale accidit, sed plurimùm è contra euenit, ac sperabatur: Euangelistâ namque teste, *loquebantur cum fiducia verbum Dei*, audentioresque erumpebant ad annuntiandum, promulgandumque fidem Christi.

S. Ioannes Chrysostomus in Glossa ordinaria de hac re sic ait: *Motus est locus, etiam illos magis consolidauit*, & quanquàm ædificium compagibus suis solui videretur, & vacillarent illius parietes, & moles tota in lapsum propenderet, non dissoluebantur tamen, neque vacillabant, aut collabascebant animis,

mis, qui intùs erant, quin alacriores reddebantur, vt magis intrepidè suum euangelizandi munus exequerentur. Hinc accipimus, quòd non omnis tremor ignauum facit, non omnis ruina destruit, non omnis comminatio subigit, non omne gelu infrigidat, non omnis calor adustulat, atque ad eundem modum non omnis pœnitentia mactat, non omne ieiunium vires totas exhaurit; prorsùmq; eneruat, nec omne pro Deo toleratum incommodum valetudini officit, & infirmitates generat: *Motus est locus, etiam illos magis consolidauit*; immò plurimùm contrà accidere solet, vt in imbecillitate vigor, in animi deliquio corroboratio illius inueniatur.

Prælio Romanus populus cum Epirotarum rege Pyrrho decertabat, victusque dubio procul hic ab illis fuisset, nisi inopinatò, ac derepentè elephantes in pugnam adducti cursum victoriæ stitissent, equis vastæ, & deformis magnitudinis illorum nunquàm viso spectaculo conterritis, existimantibusque Romanis esse maiorem, quàm reuerà erat, istarum tetrarum, & immanium belluarum atrocitatem,& ferociam. Iteratò concurrerunt, cùmq; hostes ad nuperum astum adductorum in conflictum elephantum se reciperent, Romani non modò eos non formidârunt, verùm etiam, vt noster Hispanus Florus narrat, tam cordatè, imperterritèq; in eos inuecti sunt, vt elephantes triumpho fores aperuerint, qui antea metu consternauerant, cuius rei ea causa fuit, *quià Caius Manutius mori posse belluas ostenderat, vnius proboscide abscissâ.* Proboscis rostrum elephantis est, & porrecta corporis pars à naribus velut defluens, quâ tanquàm manu vtitur; quam cùm ille ferro præsecuisset, exploratum, testatumque dedit, non esse tam efferatum, & horrificum id bestiarum genus, quàm pauor depinxerat. Quî fit, quòd te ieiunium tam vehementer perterrefaciat? Quî fit, quòd flagra tantoperè exhorreas? Quid ciliciū adeò pertimescis, & fugis? Quid metuis certò secuturum ex longula adgeniculatione, & nonnihil protractiore oratione deliquium? Quid vereris morbi contagium, si fortè pauperes in nosocomio ægros ad horulam inuisas? Hæc omnia inde proficiscuntur, quòd nunquàm expertus es ieiunium, nunquàm flagris te cæcidisti, nunquàm cilicium vestijsti, neque operum pœnalium, & piacularium vllum vnquàm es aggressus. Ignauus timor tuus ea tibi formidabilia facit, falsa imaginatio tua tibi illa horribilia reddit. Adoriatur ea Politicus noster magno animo, & spiritu, non trepidis cogitationibus diu cum eis colluctetur, videbitque pœnitentiæ studia non esse tam ardua, & operosa, quàm caro, & sanguis clamitant, quæ omnem asperitatem fugiunt, & recordationem flagrorum tremunt, & omnem disciplinam, molestiamque defugiunt, & auersantur.

*Vide Periocham V. & VI. Dominica V. in Quadragesima To. I. pag. 378. & seqq. & ibi meliora.*

## CAPVT III.

*Voluptates mundi videntur suaues rosæ, re autem verâ sunt aculeatæ spinæ.*

E Contrario nunc differendum, & ostendendum, quòd homo peccator etiam fallitur, erratque, cùm singularem sibi ex suis delitijs, voluptatibus, obambulationibus, relaxationibus, & oblectamentis suauitatem, quietemque promittit. Nulla enim dulcedo, nullum verum inest sæculi iucunditatibus otium, ludit sua imaginatio eos, qui secùs de hac re sentiunt. Quòd si cui dubium est, is confessionem illorum accipiat, qui maiori nostro documento, quàm emolumento suo hæc inter illas Inferorum vltrices flammas, quanquàm inuiti, & nolentes magnis vocibus succlamant: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles*; Sap. 5. 7. Si delassabantur, vbi eorum voluptas? Si præruptos ægrè, & anheli transcendebant montium scopulos, vbi delitiosa, & aprica, amœnaque viridaria, in quibus versari,& vitam agere beatam putabant? Nonné videtis omnia fraudes esse, & imposturas, & præstigias meras? Nam si rem attentè dispicias, inuenies, sæculi mella fel esse, & nil nisi molestias, calamitates, luctum, insulsitatem, fastidia, taliaque esse, quæ inertes quidam mundi amatores oblectamenta, relaxationes, iucunditates, festiuitates, lepores, delitias, alienis certè nominibus, vocant.

Israëlitæ,cùm illud suauissimum,ab Angelis præparatum,atq; è nubibus desuper allatum manna per summam ingratitudinem, rusticitatemq; fastidiosè aspernati essent,desiderârunt,& expetierunt carnes, quibus vescerêtur. Concessit illorū precibus Dominus, & *pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata*, vt inquit Psalmographus Psal. 77. 27.

Hîc, scio, dicent nobis Hugo Cardinalis, Michaël Ayguanus, Berchorius, & Lauretus, his auibus, quas proterui concupierunt Israëlitæ, significatas voluptates mundanas, quibus cæsi sic inhiant, & incubant peccatores, vt propter eas supernarum consolationum cœleste manna inurbani homuli despiciant, ac nauseabundè fastidiant. Sed notandum, quòd

illæ turpes voluptates, quibus irati Dei cõniuentiâ, & permissu fruuntur, & tam vehementer inhiant, atq; oblectantur peccatores, à Propheta nominantur *puluis*, *& arena*, quæ quales aues aduenerint: *Pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Cur verò mundanis delitijs, & voluptatibus dantur ea nomina *auium*, auolantium, & *arena* non prægrauantis tantùm, sed etiam excæcantis? hoc enim auium, arenæque est proprium. Quæris quare? ideò, vt hinc intelligamus, quales sint sæculi voluptates, quodque eæ non secùs ac aues volatu concitæ pertransеant, & si quam miseræ animæ iucunditatem adferunt, eam fugacissimam esse, & momento præterire, & oculorum lumina obfuscare, & contenebrare, velut puluis solet, moxque in maris amaritudinem, & arenæ pondera conuerti.

In hanc rem sic dicebat Drogon Ostiensis lib. 6. de sacramento Dominicæ passionis: *Gaudet luxuria, modicum volitat, sed mox in arenam maris conuertitur, omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit, modicum leuant infelicem animam, sed mox aggrauant in arenam.* Ex his videant miseri peccatores, quid sint vniuersæ ipsorum voluptates, delitiæ, recreationes, oblectamenta, obambulatiunculæ, symposiola, animi relaxationes, risus, ioci. Aues sunt, quæ perniciter præteruolant. Puluis sunt, & arenæ, quæ oculos cœcant, vt fœditates suarum oblectationum non videant, & grauant animum, vt ad veram spiritus voluptatem peruenire nequeat. Salsum mare sunt perpetui remorsus, & nunquàm remittentis angoris.

Considerationem meretur diligentem locus, in quo illi inueterati malorum dierum, & lasciui iudices sancto iuueni, & Prophetæ Danieli aiebant castam, & innocentem reperisse Susannam, cuius venustate frui ardentissimè cupiebant. Cùm perniquum testimonium aduersùs honestissimam, & integerrimam matronam perfidiosi illi dixissent, quòd ad eorum sententiam descendere, & votis turpibus annuere noluisset, diuinus vates, vt eorum rectè discuteret, exploraretq; testimonium, magno ad hanc rem vsus est artificio, & primum interrogauit, quanam sub arbore illa corpus suum adolescenti, quod dixerat, prostituerit. Is respondit, vidisse sub *schino* Veneri inconcessæ operam dantes, Daniel. 13. v. 54. Schinus autem idem est quod lentiscus, vt quidem sentiunt sanctus Hieronymus, Origenes, Cornelius à Lapide, & Gaspar Sanchez, qui frutex multos, sed non æquè multùm vtiles fœtus profert.

Cùm alterum percontatus esset, vbinam visa illi Susanna scelus adulterij cum iuuene perpetrasse, ille dixit, *sub prino* in flagranti crimine deprehendisse, ibid. v. 58. Prinus autem Plinio lib. 6. cap. 16. & 8. ilex est, genus roboris aculeatis folijs, durissimum, montanum, glandiferum, notum.

Notandum itaque quarum sub arborum vmbra senes illi affirmârunt, Susannam, & adolescentem illicitis furtiuè voluptatibus indulgentes, & mutuâ corporum vsurâ sese oblectantes conspexisse. Alter sub schino, sub prino alter ait vidisse rei nefariæ vacantes. Non dixerunt, vidisse sub malo citrea, qua de arbore quidam prudens affirmauit, habere truncum similem æris, folia Smaragdi instar, & fructus auro pares, non sub arbore frondosa, fragrante, & feraci, verùm sub schino, & prino, arboribus rudibus, syluestribus, & quarum fructus à suis stipitibus minimè degenerent.

Sed quod illi sub infrugiferis, agrestibusque eiusmodi arboribus fructum venereæ voluptatis ex se vicissim cœpisse visi ferebantur, id mysterio non vacat, quod eruditus Oseæ Interpres Guadalupe in cap. 5. his verbis exposuit: *Obserua voluptatem venerеam vbi dicant inuentam, videlicet sub schino, quæ nihil habet præter amaritudinem in succo, & folijs, itâ etiam voluptas quid profert, nisi animi amaritudinem? Alter inuentam fœminam ait sub prino, quam arborem si attingas, cùm folia pungentia producat, dolore afficieris. Sic ex libidine quid consequeris præter ingentem animi dolorem?*

Hoc ipsum mihi Veteres voluisse indicare videntur, quando turpis amoris formosum Deum Cupidinem itâ pictum dederunt, vt manu alterâ rosam, piscem alterâ præferret, quod Alciatus emblemate 106. ex Græco epigrammate acceptum sic Latinè traduxit.

*Altera namque manus flores gerit, altera piscem.*

Variè hanc interpretantur autores imaginem, nec vna omnium ratio est, ob quam ad illum modum delineatum Cupidinem putent. Alciatus cum suo Poëta sentit. Videant illum, eiusque commentatores Sancium, & Minoe, quibus vacat. Ego sic existimo, quòd Cupido sic depictus fuit, vt flores, rosas, pisces manibus præferret, id magno mysterio factum, eoq; vt talibus symbolis ingenium nobis fœdi amoris indicaretur. Rosæ, itemque pisces abundant spinis. Quid magis tritum, peruulgatumque apud eos, qui manibus illa vnquàm vsurpàrunt. Rosa in suo frutice paucos dies perdurat, fugacissima illius vita est, qualis ephemeri, vt habet Virgilius in quodam epigrammate

grammate de rosa. Spinæ illius sunt perpetuæ, nunquàm destituunt rosetum. Pisces etiam velut meræ spinæ sunt, quæ suffocant, mactant, & mortem minantur, sæpè etiam adferunt his, à quibus auidè, atque incautè glutiuntur. Quòd ergo Cupidinem pisciferum, & rosigerulum docta pinxit Antiquitas, id fecit, vt nobis turpium corporis voluptatum conditionem, & lasciui amoris mores delineatos daret, doceretque, omnia illa sordida carnis oblectamenta, & huius vitæ perlecebrosas delitias rosas esse, quæ tam citò marcescant, vt eodem Sole penè & oriantur, & moriantur, sed animæ tamen suos anxietatum infixos perdiu post se relinquant sentes, pisces esse obsitos squamis, quibus exasperent, confertos spinis, quibus lacerent, cruentent, extinguant. Hæc sunt, quo in humanis solatijs, & sęcularibus reperias oblectationibus.

Et quomodo temporariæ carnis voluptates, & delitiæ mundanæ aliud, quàm dumeta, densaque spineta esse queant! inquit aquila Doctorum S. Augustinus, cuius sunt ista in Psalmum 93. *Poteris te conuertere ad aliquam voluptatem, vbi spinas non sentias? In bonorum cupiditate quantæ spinæ! Amores turpes quantas molestias habent? Omitto gehennam. Vide ne tam ipse tibi gehenna sis.*

Agriculturæ magistri multa tradunt documenta, plurimaque excogitàrunt artificia, quibus immitis naturæ asperitatem ludant, aut leniant, & emendent. Apud Columellam, Dionysium Cassium, Palladium, Herreram, & alios inuenias, quibus modis durities, & amaritudo sua fructibus adimi, & acredo eorum in dulcedinem verti, ipsasque arbores ex agrestibus domesticæ, ex montanis vrbanæ fieri possint: Verùm vt hominum terrenis voluptatibus suam acerbitatem, amaritudines, fel, & aculeos detrahas, fieri nequit, inquit S. Augustinus. Quòd enim delitiarum corporalium genus excogites, quod non mille sit conditum insuauitatibus, & innumeris confertum spinis? Quàm abundat spinis sęcularium concupiscentia opum, ac facultatum! Iam qui se nefandorum vitiorum illecebris, & lenocinijs dediderunt, apud eos omnia sunt perturbata, quies nulla, rabies continua. Infernum prætereo, sed *Vide ne tam ipse tibi gehenna sis*, in qualibet namque turpi voluptate quædam Orci effigies est, in qualibet carnis oblectatione spina, & in omnibus præsentibus corporis delitijs asperum, horridumque dumetum.

In horum consideratione positus beatissimus Papa S. Gregorius Mag. sic audacter pronuntiat in Psalmi 2. pœnitentialis versum 5. *Per spinam omne peccatum accipitur.* Itané spinetum est symbolum, & imago omnis peccati? Nullumné peccatum esse potest, quod non pugnat, feriat, sauciet, affligat, cruentet? Ergoné conuiuia, viridaria, hortorum floriferorum amœnitates, comediæ, voluptates corporis, festiui lepores, risus, ioci, & cætera talia, quæ suam homini adferunt iucunditatem, sunt spinæ, equulei, catastæ, vngues, carnifices? Quis hoc affirmare queat? Quis? experientia, inquit Gregorius, & peccator ipse, & quisquis diues auarus, & omnes, quotquot improbæ Veneris sordida sunt mancipia hoc testantur, & clamant: *Per spinam omne peccatum accipitur.* Mulierosi, & Principum gratiosi, & Magnates sub expirantem vitam tandem volentes, nolentes fatebuntur, omnia, quibus nuper tam vehementer oblectati fuēre, nil nisi remorsus animæ, suffocationem cordis, & cruentum è sentibus, ac dumis stratum fuisse. Nulla quippè vel ratio est, vel ars, vel industria, aut ingenij facultas, aut modus, quo à delitijs asperitas, à voluptatibus carnalibus amaritudo, à risu fletus diuelli queat, vt Politicus noster quietem, vacationem, tranquillitatem, præterquàm in Deo, nullam alicubi reperire possit.

Nam vt Magnus Basilius in Psal. 33. ait, *oblectatio corporea voluptatis plus habet doloris, quàm iucunditatis, nuptiæ sæpè steriles sunt, viduitates continent & stupra, agricultura sterilitatem, mercatura naufragia, diuitiæ insidias patiuntur.* Vni voluptatis drachmæ ingentia miseriarum pondera sunt coniuncta. Coniugatorum horariam oblectatiunculam anni laborum, & ærumnarum longi excipiunt. Nundinatores post vnum exiguũ lucellum multa sæpè, ac magna damna deplorant. Diuitiæ parùm nonnunquàm recreant, sed millies, inquietant, perturbant, tumultuarijsque cogitationibus animum exagitant, & somnum omnem sic adimunt, vt neque interdiu, neque noctu dormire sinant. Deniq; nulla carnis suauitas est, quam non vastissima amaritudinum maria obsideant, estque omnis, vt ille canebat, *cincta dolore voluptas*, non secùs ac insulas ponti gurgites, & æquora circumdant.

Dicat hoc nobis Esau magnus venator, & auium, ferarumque sagacissimus indagator. Is cùm strenuam diu venationi operam nauasset, præter fracta discursationibus membra, & defatigatos artus vix aliud quidpiam donum retulit, de quo sacer textus ista: *Cùm venisset de agro lassus*; Genes. 25. 29. Feras ruri ad lautitias, voluptatemque quæsierat, sed lassitudinem ibi, defatigationemque solùm inuenit. Hanc in rem sic ait Fernandius sect. 5. num. 13. in cap.

cap. 25. Genes. *En qualem fructum ex sua venatione, & continuò discurrendi, vagandique per agros, & saltus studio collegit Esau, rediit domum ab agro fessus, & fame confectus.* Honcala affirmat in Esau fuisse expressum id, quod peccatoribus ex illorum prauis voluptatibus accidit, inquiens: *Iam in Esau explebatur illud impiorum desperatâ salute sese lamentantium; Ergo ambulauimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis*; Sap. 5. v. 6. 7. Væ nobis, qui rosas calcare putabamus, & erant spinæ, transire prata existimabamus, & per loca confragosa, salebrosaque ferebamur, degere in amœno horto arbitrabamur, & inculta in eremo versabamur! Per omnia nos vana illusio nostra circũuenit, & quãquàm à conscientia vehementer admorderemur, & ratio magnis vocibus nos appellaret, attentas illi præbere aures nunquàm voluimus. Nonné videt noster Politicus omnia contrà habere, ac ipse putabat, existimabatque? Pœnitentiæ opera videntur spinæ, vsus verò eorum, & experientia docent esse pulcherrimos, & odoratissimos flores. Ita & carnis voluptates quandam suauitatem præseferre putantur, re autem verâ ingratam acredinem post se relinquunt. Cilicium suâ asperitudine terret, at si aliquamdiu gestare consuescas, in mollem byssum vertitur. Ludi, ioci, & huiusmodi alia ad tempus fallendum à malè feriatis excogitata oblectamenta multùm mellis promittunt, sed plus fellis adferunt. Experimento quæque, qualia sint, innotescunt, & finis suus singula prodit. Stultus ergo est, qui falsis se voluptatibus abripi sinens tam delectabiles obliuiscitur amaritudines.

## CAPVT IV.

*Cùm natura nostra pauco, parabiliq; cibo sit contenta, hinc fit, quòd prophana, & effusa victus intemperantia incolumitati officiat, facultatum opes exhauriat, & mundo pernitiem supremam adferat.*

FRugalitatem sancti Patriarchæ, temperantiamque omnes hoc in loco Expositores pari consensu & admirantur, & dilaudant. Cibus illius lentes erant. Parsimonia verò illius, & victus moderatio de inopia non veniebat, patrem enim peropulentum habebat, & matris, quæ totam rem curabat, moderabaturque domesticam, delitium erat, vt pulpamenta illi, ac lautitiæ deesse non possent. Quòd ergo tam parcè victitabat, id non sordida, non coacta, sed spontanea, & laudabilis continentia faciebat. Prætermitto hîc Pererij, Istellæ, Cornelij, & aliorum hanc in rem sententias. Doctum Honcalam audiamus: *Coxit Iacob pulmentum. In his Iacob frugalitas declaratur, probaturque, quippè qui tam vili, & parabili cibo in locupletissima domo libenter vtebatur.* Hinc accipitur, quàm sit damnabilis illa victus immoderata licentia, & ciborum effusa intemperantia, per quam fit, vt inexplebilis gulæ, & orexis libidini affatim omnia prodigi comedones, & impuri helluones ministrent, & tanquàm misera insaturabilis ventris mancipia ventriculum infarciant, stomachum prægrauent, & opprimant, & magnam naturæ inferant molestiam, cuius tam est moderata cupiditas, vt paucis vel satietur, vel sit contenta, quantumuis oblatret appetitus, aut gula oggruniat, & reclamet.

Inter ea, quæ sibi Dominus quotdies in ara sua offerri volebat, agni erant, de quibus sic habes Exodi 29. 38. *Hoc est quod facies in altari, agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum manè & alterum vespere.*

Oleaster in expositione morali eorum verborum sic ait: *Audi hîc Summi Dei dignationem volentis apud nos prandere, & cœnare, veluti vnus ex nobis.* Estné aliud, quod in illa Dei optimi, maximi summa facilitate, & humanitate animaduertamus? *Similiter paucis contentari cibarijs in prandio, & cœna*, & postquàm se ad mensæ nostræ consortium dimittit, exiguo etiam victu frugaliter haberi permittit, contentus si *vnum agnum manè, & alterum vespere* ei apponant, cùmque sit tantæ maiestatis Monarcha, vnum anteprandianis, promeridianis alterum discum exposcit eduliorum obuiorum, & quæ modico sumptu parari queant. Sed postquàm tam magnus Dominus eò descendit, vt communem cum hominibus mensam adeat, tamque insignito illos & cumulat beneficio, & ornat honore, cur non eisdem imperat, vt mundum obeant vniuersum, peruagentur syluas, montes percurrant, maria emetiantur, lautitiasque suo tam excelso Regi, tam sublimi Imperatori vndequaque accersant, & conuehant? Nihil horum præcipere, vt valuit, voluit, inquit Oleaster, qui paucis vel expletur, vel certè contentus est, vt eo nos exemplo doceret, hominis quantumuis magni necessitatem exiguo leuari posse, duoq; illi fercula satis esse, ex quorum altero prandeat, altero cœnet. Non probat Deus vana luxuriosorum ad voluptatem adornata conuiuia, necessitati subueniri amat: Cùm enim naturam nostram, vt autor illius, pernouerit, scit illam paucis esse contentam, superfluis autem magis prægrauari, quàm pasci, & sustentari.

Agebat in deserto maris Gallilææ superus Magister, sed tam inops rerum, quæ ad victum pertinebant, quàm comitatus hospitibus, quorum numerus, si etiam mulieres, & pueros excipias, ad quatuor millia virorum assurgebat. Toto triduo illum prosecuti fuerant, melleo verborum, quæ ab illius dulcissimis labijs profluebant, fascino capti. Pro famelica concione oratrix supplex sua illum natiua pietas appellabat. Is consiliariorum suorum intimorum deliberationi exposuit, vt illi cogitarent, statuerentque quomodo tanta curari esuries posset. Horum verò responsum fuit, se præter *panes septem, & paucos pisciculos*, nihil habere reliquum; Matthæi 15. 34.

Euthymius in illa Apostolorum apud Matthæum verba inquit: *Aduerte quantùm ventri dominabantur, cùm enim in deserto, & tres dies commorarentur, septem tantùm panes attulerant.* Duodecim viros familia Christi, & Collegium Apostolicum numerabat. Quàm acres hi sui ventriculi domitores fuerint, id ex eo facilè arbitrari queas, quòd solos septem panes, & pauculos pisciculos ad victum suum contulerunt, qui tres in solitudine dies transmiserant. Quòd verò duodecim viri tam pauculos panes, & pisciculos ad suam triduanam alimoniam habuerunt, & neque fame enecti sunt, neque per miraculum vixerunt, manifesto inditio est, admodùm exiguum requiri ad naturæ nostræ nutricationem, & sustentationem.

Hanc doctrinam expressam inueniemus in ea oratione, quâ Dominum in dies singulos interpellamus. In ea veneramur illum tanquàm patrem, ac Deum nostrum, optamusque & nomen eius sanctificari, & voluntatem vbiq; per omnia fieri, posthæc & illud obsecramus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* Lucæ 11. 3.

Permirum sanè est, & dignissimum notatu, quòd in hac oratione & confitemur esse omnipotentem patrem illum, quem rogamus, & suum habere in summo cœlorum fastigio regium solium, esseque illum & peropulentum, & omnibus affluentissimum, & permunificum, & nihilominùs hoc tantùm ab illo petimus, vt pauxillum nobis per diem panis tribuat: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Tantillumné verò à tanto Domino, & patre, cuius tam latè diffusa monarchia, rectè petitur? Frustillum panis magnus Deus benè, putatis, rogatur? Indignum videtur tam paucula illum obsecrari, qui manum tantùm aperit, & omne animal implet benedictione, nec sumptu alio maiore ad hanc rem indiget. Quid ergo est, quòd non maiora maximum Deum oramus?

S. Gregorius Nyssenus Orat. 5. de oratione Dominica respondet, quòd panis tantùm petitur, id esse non pauca, sed sola necessaria petere, qui autem habet quæ illi sunt satis, non potest dicere, se parùm habere, aut dare querimoniam, quasi non habeat, quæ vitæ necessitas exposcit, nam *exiguum est, quod naturæ debes. Cibum debes caruncula tuæ, rem & modicam, & paratu facilem, si vsum, & necessitatem intueris. Cur aduersùs temetipsum multiplicas tributa? Idcircò quærere iubemur, id quòd satis sit ad naturam corporis conseruandam, panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non delitias, nec diuitias.* Perpusillum sumptum, modicaque impendia miserabilis huius vitæ nutricatio requirit.

Si non est ita, inquit Nyssenus, videamus quid ille magnus Paterfamilias ad alimoniam suæ familiæ seminauit. Ea de re sic habet S. Matthæus cap. 13. v. 24. *Seminauit bonum semen in agro suo.* Præter triticum nihil seuisse fertur. At si in campum prodeamus, plus quàm triticum, & semen, aliud prætereà reperiemus, quod simul cum tritico excreuerit. Victus itaque humanus ampliùs aliquid, quàm triticum postulare videtur.

Occurrit Nyssenus dicens: Vide sis, quisnam semen aliud sparserit. Quis verò hoc egit? Malus dæmon, *inimicus* homo *superseminauit Zizania*; ibid. v. 25. & semen aliud suprà id, quod necessitas sustentandæ vitæ humanæ exposcebat. Luxus omnis à dæmone est, superuacanea illo autore quæruntur, & adhibentur. *Panem pete*, clamat eloquens Nyssenus, *propter vitæ necessarium vsum, huius te corpori debitorem natura fecit. Cætera, quæ præter hæc, solertiâ delitijs, ac luxui deditorum excogitata, & inuenta sunt, ea de zizaniorum iuxtà satorum semine sunt. Semen patrisfamilias frumentum est, ex frumento panis conficitur, ac luxus, atque delitia zizanium est, quod ab inimico iuxtà frumentum satum est.* Itaque immodica in victu profusio, & ciborum intemperans apparatus, & superuacui sumptus, quos in sua luxuriosa conuiuia asoti prodigunt, à consilio dæmonis veniunt, petere vitæ necessaria Deus nostræ alimoniæ studiosus, ac solicitus procurator suasit, & docuit.

Quis enim præter dæmonem alius intemperantium luxum ciborum, & epulorum inuehere potuit, cuius illud hac in re consilium fuit, vt dulci hoc gladio vitam hominibus tectè, dissimulanterque adimeret? Dæmon fulgur quoddam est huc omnia sua

studia vertens, vt supremam omnibus vastitatem, pernitiemque adferat: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, aiebat de illo Christus Lucæ 10. 18. qui omne illius perfectissimum habebat ingenium, & communis hostis nostri crudelia viscera, nocendique insanam, efferatamque libidinem permouerat.

Videamus nunc quid de gula S. Ioannes Climachus dicat. *Princeps est dæmonum, qui cecidit Lucifer, & princeps vitiorum concupiscentia gulæ.* Gula itaque Lucifer terræ est: Nam vt Lucifer fulgur est omnium exitio natum, & intentum, sic & gulæ auiditas mundi furia est, & importunissima, ac pernitiabilissima pestis. Hoc tam acuto gladio pars orbis maxima conficitur, & facultatum copias maximas pessimus dæmon destruit, & vitas plurimorum demetit, & innumeras orco animas transcribit.

Appositum ad rem præsentem est, quod rerum naturalium diligens Scriptor Plinius habet lib. 26. cap. 8. *Plurimum negotij homini aluus exhibet, cuius causâ maior pars mortalium viuit, aliàs enim cibos non transmittit, aliàs non continet, aliàs non capit, aliàs non conficit, eoq; mores venêre, vt homo maximè cibo pereat. Huius gratiâ præcipuè auaritia expetitur, huic luxuria conditur, huic nauigatur ad Phasin, huic profundi vada exquiruntur.* Digna admiratione est molestia, quam suus cuique homini venter adfert, cuius potissimùm gratiâ pars hominum maior nundinatur, cauponatur, omnemque latè mundum anhela peruagatur, & perpetuo in labore versatur. Innumeris delicata hæc vitæ humanæ officina obnoxia est malis, & infirmitatibus. Nunc enim cibo per saucias fauces non patet transitus, nunc stomachus ipse aditum negat, nunc retinendo, concoquendoq; languentes illius vires non sufficiunt. Corporum illud pessimum vas est, & instrumentum. Quàm tetricus, importunus, insaturabilis, implacabilisque exactor! Nullus illo magis improbus, ac durus creditor. Per singula momenta succlamat, vociferatur, illachrymatur. Vt vnum placabilem, æquum, pacatumque habeamus ventriculum, eique obseruiamus, omnia facimus. Illi corraduntur, seruanturque numi, illi tota studet, & augescit nostra cupiditas, illi fraudes excogitantur, & adornantur doli, traijciuntur maria, explorantur flumina, nec auibus supernè parcitur, nec animalibus terræ infernè, piscesque adeò, vel si in imam se abyssum ingurgitent, à suo recessu in lucem extrahuntur. Quare nec auibus sui volatus pernicitas, nec alijs animantibus sua currendi velocitas, nec sua piscibus solitudo confert, vt euadere possint, omnia enim, quæcunque volant, currunt, natant, perquiruntur, procurantur, & misero denotantur, deputanturque ventriculo, qui vnus tot incommodorum, exitiorumq; vel causa est, vel occasionem ministrat, & totas supellectiles, & opum facultates maximas, & bona hæreditaria, & census annuos ditissimos, & incolumitatem, ætatem, vitamque depascitur, deuorat, abligurit, *eoque mores venêre, vt homo maximè cibo pereat.* At si immoderati cibi sunt vitæ humanæ gladius, & opum pestis, consultum fuerit negare aures tam importuno, & implacabili creditori, sed pauca ministrare illi, qui paucis esse contentus & potest, & debet, sic enim & sua cuique vita, & quies, ac valetudo bona constabit, resque familiaris nemini leuiter effluet.

Huc ibat cogitatione Sanctus Basilius Magnus, quando de ieiunio, & abstinentia differens aiebat: *Ieiunium est res domestica incrementum, prospera valetudinis mater, tutus familiæ contubernalis. Ecqua verò domus, quæuè familia vnquàm ex ieiunio quidquam detrimenti accepit?* Hæc ille homel. 1. de ieiunio. Nulla hactenùs gens reperta, nulla visa familia, quæ ex ieiunio vel interierit, vel damnum acceperit, nec quisquam aliquando dixit, vidisse hominem, cui victus parsimonia, & sacrum abstinentiæ salutaris studium incommodàrit, noxiumue fuerit. Quis vnquam in carcerem, propter debita ex ieiunio contracta, abreptus, compactusque fuit? Nullus hoc Sol vidit, non audiuit mundus, à quo esse cœpit.

Contrarium verò, hoc est, consumptas domorum facultates, exhaustas, dissipatasque per neglectum ieiunij, & ciborum luxum totas familiarum substantias, & facultates, creberrimo experimento nouimus, & S. Hieronymus affirmat, qui cùm literas adornaret ad quendam, cuius incrementa optabat, & opus saluas esse cupiebat, hæc illi non absque sale, & lepore scribebat: *Procul sint à conuiuijs tuis aues, quibuscum amplissima patrimonia auolant.* Hæc ille in epist. ad Saluian. Opulentissimæ sæpè domus ad incitas redactæ sunt ex helluatione, & profusis in immodicos, lautioresque cibos sumptibus. Ingentes opum copiæ quasi volatu diffugerunt, nec aliunde mutuatæ alas, quàm ab auibus, quarum immoderato esu assueuerant illi rerum suarum decoctores, & dilapidatores.

Cùm hanc tam notoriam veritatem secum reputaret Ælianus lib. 14. de var. hist. cap. 7. inquiebat: *Lacedæmone coquus esse non licebat alios, quàm carnis*

duntaxat,

*duntaxat, qui verò præter hanc artem nouissent, eijciebantur perinde atque ægrotantium expiationes.* Erat ergo hoc Lacedæmonibus, qui leges naturæ studiosissimè obseruabant, inuiolabile decretum, vt qui præter carnes simpliciter parare quidpiam nosset, nullus toleraretur coquus, si quis aliud adhæc condire sciret, is totâ patriâ exturbaretur, non secùs atque ex vrbibus eijci, & subiecto igne exuri peste interemptorum vestes solent, ne contagione suâ reliquum populum inficiant: *Eijciebantur perinde atque ægrotantium expiationes.*

Nolite hanc nimiam amplificationem arbitrari. Seneca tantundem verbis luculentis affirmauit, qui de consol. ad Heluidiam cap. 10. de quodam Apicio Philosopho sic ait: *Apicius nostrâ memoriâ vixit, qui in ea vrbe, ex qua velut corruptores iuuentutis Philosophi abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplinâ suâ sæculum infecit.*

Nonné videtis, quod de Apicio ait, *disciplinâ suâ sæculum* infecisse, hoc est, ætatis suæ homines omnes, totum adeò mundum corrupisse, & vitiasse ijs documentis, quæ de re culinaria, & cibis ad luxum apparandis, totaque liguriendi arte turpis lurco, & contaminatissimus popino tradidit? Quæ enim pestis alia tam exitiosa domibus, tam perniciabilis rebuspubl. tam noxia totis regnis, ac helluatio, delicatèque, & intemperanter victitandi consuetudo? Hæc sunt, quæ corruptos homines deprauant, hæc quæ mundo interitum adferunt. Libros omnes, quotquot de re culinaria agunt, proscribere oportebat, & procul relegare popinarios omnes tanquàm facultatum pestes, & fulmina valetudinis, & vitæ gladios, & patrimoniorum gurgites, fatalesq; strages: Nam si ad victum parsimonia, moderatio ad cibum adhiberetur, nunquàm tanta videretur, quanta est huius temporis egestas, & penuria. Obseruet ergo hanc Politicus noster doctrinam, frugalitatique diligenter studeat, ex qua vitæ, incolumitatis, quietis, opumque illius conseruatio pendet. Certè miserabilior nullus seruus, quàm qui suo ventri mancipatus.

Ieremias hanc nobis testatam veritatem dabit. Trigesimo nono sui vaticinij capite recenset sanctus Propheta nomina ducum militiæ regis Babylonis, qui primùm obsederint, posthæc etiam ingressi fuerint vrbem Ierosolymorum. Sunt autem ista: Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, &c. Ab his captum regem Israëlitarum Sedeciam rex Babylonis Nabuchodonosor exoculauit, vinctumq; compedibus miserum magnis modis habuit, atque in Babylonem abduxit. *Reliquias* autem *populi, qui remanserant in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem;* Ierem. 39. 9.

Christophorus Castrius doctus Ieremiæ Interpres in horum commentatione istud monet: *Liceat animaduertere quinam sacram ciuitatem ingressi fuerint, nempè qui principatum gerebant in huiusmodi rebus ad delitias facientibus, principes vnguentariorum, liquorum, & coquorum. Hi omnia deuastant.* Condimentarij, pulpamentarij, popinones, ganeones, talisque gulæ mancipia sacrosanctam ingressi ciuitatem templum incenderunt, & supremam omnibus stragem attulerunt. Non sunt aliæ tales pestes orbis, quales ingluuiei patroni, doctores profusionis, & intemperantiæ, turpium libidinum vernæ, malarum voluptatum sectatores, & procuratores, luxus, & rerum superuacanearum, vnguentorum, dico, peregrinorum, & exoticorum odoramentorum, & meretriciorum fucorum, & pigmentorum inuentores, quorum facilè princeps fuit Nabuzardan, qui apud Ieremiam audit *Magister*, siue archigubernus *militum*, apud LXX. Interpretes *Princeps coquorum*, apud Tigurinos *Magister rerum capitalium*, siue criminalium iudex supremus, apud Pagninum, & alios *Princeps lanionum, sicariorum*, apud Chaldæum *princeps occisionis*. Quæ talia sunt, ac si verbis apertioribus dicas, qui sunt coquorum principes, eosdem esse velut milites, qui saucient, & prædentur, velut latrones, qui mactent, velut quæstores, qui in patibulum agant, & velut quosdam ipsius mortis rhabduchos, lictores, satellites, adiutores. Omnia hæc, & amplius etiam quid sunt gulæ ministri, & coci. Hi vastant ciuitates, succidunt facultates, conficiunt vitas, plures namque sunt, qui gulâ, quàm qui gladio perierunt, nec vllus bellorum furor tam multos interimit, quàm coquorum improbus labor occidit. Quicunq; ergo diu benè viuere cupiant, sancti Iacob nostri exemplum respiciant, qui eâ semper vsus fuit victus moderatione, eâ ciborum parsimoniâ, vt lentibus, tam vulgari legumine, vesceretur. Non magnum enim requirit natura nostra nutrimentum, & si fortè intemperans caro superfluum quidquam postulet, surdas aures nequicquàm inclamet, ab effreni enim gulæ libidine voces eæ veniunt, necessitas nihil tale obsecrare est solita.

Audiat Politicus noster, quod hanc in rem perlepidè dicebat deuotus ille Bernardus Syluester, quem alij mellifluum Bernardum fuisse existimant, reperi-

reperiturque in eius Operum Tomo 2. *Diebus paschalibus abundanter, non tamen delicatè pasce familiam. Fac gulam litigare cum bursa, & caue cuius aduocatus existas. Si autem inter bursam, & gulam iudex existas, sæpius, sed non semper pro bursa sententiam feras, nam gula affectionibus probat, & sic testibus non iuratis, bursa euidenter probat iam arcâ, & cellario euacuatis, vel breui tempore vacuandis.* Inter varias æconomicas præceptiones hoc quoque familiarum moderatoribus consilium pius hic vir suggerit, vt domesticos suos solennioribus, vt paschalibus, & his paribus diebus cibo copiosiore largè, sed non lautiore, ac lectiore opiparè, splendidèque reficiant, affluant esculenta, sed non sint immodico studio apparata, exquisita, & concinnatitia fercula. Magis tamen festi, ac singulares dies cibos etiam aliquos exposcunt singulares. Monet prætereà patremfamilias, vt quando gula loculis diem dicit, litis arbitrium sibi assumat, sed attendat pro qua parte pronuntiet, ac testes cuiusque studiosè, diligenterq; examinet, & pro loculis plerumque sententiam ferat. In gulæ testibus plurima sunt, quæ culpari, quæ contrà opponi queant, quò minùs eorum audiantur, curenturue suffragia. Hoc vno maximè laborant vitiogulositatis testes, quòd à passionibus sunt præoccupati. Loculi luculentissimè sua demonstrant, gulæ namq; opponunt inania armaria, vacua frumento horrea, exhausta vino vasa, & multam in penario penuriam, quæ omnia gula effecit, vt cæcis suis cupiditatibus, perditisque passionibus faceret satis. Euidenter ergò contrà gulam crumena causam suam probat. Gulæ proinde libidinem compescere necessum est, & manus illi arctè obstringere, ne prorsùm exinaniatur crumena. Est enim gula fulmen loculorum, opum ruina, vitæ pernities, iactura pecuniæ, omniumque bonorum tam spiritualium, quàm corporalium vastatio. Sit ergo quisque his contentus, quæ vitæ humanæ necessitas requirit, instituat naturam suam ad frugalitatem, & moderati victus vsu, consuetudineque assuefaciat, natura quippè talis ferè per omnem vitam est, qualis diuturna exercitatione ab initio ficta, & formata. Qui hæc facit, idem bonâ perdiu vtetur valetudine, & plurimos sumptus vitabit, curasque, & solicitudines, & inquietatem, & incommoda, quæ ex helluationis vitio, & gulæ licentia nascuntur, effugiet.

*Vide in Tomo 2. Periocham II. Dominica XVI. post Trinit. pag. 230. col. 2. o.* in hanc rem plura.

## CAPVT V.

*Bonum, malumue non in rebus ipsis, sed in vsu earum bono, aut malo est positum.*

VIx profanus frater, & gulosus helluo Esau viderat esculenta Iacobtis, quando tam efflictim ea deperire cæpit, vt mortem sibi incursurus videretur, nisi illa consequeretur, quare & dicebat: *Da mihi de coctione hac rufâ*, Genes. 25. 30. cuius est gratissimus color, oppidò enim lassus ruri redeo, & fame tantùm non enecor. Ex originali textu hebræo alij ista sic transferunt: *Obrege me, obrue me, imple me de rufa isto*, cuius mihi species mirum quantùm arrideat. Quis cogitasset, tantilli cibi tantam potuisse esse appetentiam? Quis putasset in tam viles lentes tam vehementer exarsuram Esau orexin? Quòd autem ille per immoderatum appetitum hac occasione peccârit, id communis sententia habet omnium interpretum, quos ego vidi, Chrysostomi, Strabonis, Lyrani, Tostati, Guilielmi, Cornelij, Pererij, Oleastri, Isteliæ. Ex his plerique memorant quinque gulositatis modos, quibus hoc flagitium, vt sanctus Gregorius obseruauit, tentare homines solet. Modorum illorum vnus quidam est, cùm quis intemperante auiditate magis, quàm nimiâ ciborum copiâ peccat, quod Esau hac vice fecit. Magnus Gregorius apud Glossam Ordin. in cap. 25. Genes. sic ait: *Esau primogenita amisit, quia magno æstu despicabilem cibum, id est, lenticulam concupiuit, nec cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abiectiores cum reatu concupiscentiæ degustamus. Esau enim primatum pro lenticula perdidit, Elias in eremo virtutem carnes edendo seruauit. Hinc diabolus, quia non cibum, sed concupiscentiam causam esse damnationis intelligit, primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, & secundum pane tentauit. Hinc est quod plerumq; pro culpa committitur, etiam cùm vilia sumuntur.* Hinc accipitur, quòd omne bonum, malumué, absolutè loquendo, non in cibis, & esculentis, sed in illorum moderata, vel intemperante appetentia est positum. Hinc etiam eruitur documentum, quòd omnis status, & conditionis hominibus magnæ esse vtilitati queat, estque istud, vt nemo existimet, omne malum, aut bonum in rebus ipsis esse collocatum, sed in vsu earum magis positum, alij enim in orcum sæpè adducuntur per ea, per quæ alij in cælum abeunt.

Obseruauit Simon de Cassia modum, quo Dominus conuertit Centurionem illum, qui iuxtà crucem ipsius adstabat, & Reges Magos ad se adduxit,

quo

quo tempore duri præsepis strato pro molli culcitra vtebatur. Simulac vitæ author expirauit, terra, vt aiunt Euangelistæ, contremuit, cùm priùs illam caliginosa eclipsis totam obscurasset, idque ab hora sexta, ac deinceps: *A sexta autē hora tenebræ factæ sūt super vniuersam terram vsq; ad horam nonam;* inquit Matth. cap. 27. vers. 45. Nulla dies alia tam lugubrem vestem induit. Dicunt porrò vlterà Euangelistæ: *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes IESVM, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes, Verè filius DEI erat iste;* ibidem. vers. 54. Ad hunc modum conuertit in occasu vitæ suæ, & illuminauit istos cæcos Gentiles.

Videamus nunc quomodo idem Dominus ab Oriente Sole ad præsepis sui incunabula adduxit alios illos Gentiles, Reges Magos dico. Per vnam stellam eos ad se accersijt. *Stella antecedebat eos*, inquit rursùm Matthæus cap. 2. vers. 9. præibatque in Bethlehem, & stabulum, non iam stabulum, sed cælum illis ostendebat, vbi verum Solem reperirent.

Dicit nunc Simon de Cassia lib. 13. in Euangelia: *Ecce magnum mysterium, quod in natiuitate Christi, & in morte Iudæos gentiles credituros præcedit. Vtrique per signa moti sunt, illi per radiantem stellam, isti per tremulam terram, illi per nouum sidus noviter illuminatum, isti per antiquum Solem mirabiliter obscuratum.* Magno vtique sacramento factū, quòd Saluator noster & in ortu, & in occasu homines pari infidelitatis vitio laborantes signis non paribus ab erroribus suis abstraxit, & omnes quidem miraculis, quæ viderunt, sed Persas stellæ irradiatione, milites verò tremore terræ ad fidem permouit. *Ecce magnum mysterium;* quòd alij per stellæ lumen, alij per eclipsis tenebras ad lumen fidei adducuntur, & illos noui sideris splendor, hos veteris Solis obscuratio illustrat. Cur Dominus per causas tam differentes eundem voluit operari effectum? Ob id, vt intelligamus, bonum, malumuè non in rebus, sed in modo, quo eis vtimur, esse positum, nam & bona in omnibus reperire, & formidare mala possumus, & quæ lux illuminauit Magos, illa obtenebrauit Iudæos, eisdemque tenebris & obscurari fuêre Hebræi, & ad lucem adducti Gentiles. In omni re est & quod appetas, & quod metuas, ac fugias. Itaque nec in luce, nec in tenebris vniuersa sunt posita, sed in eo salutis tuæ cardo versatur, vt rectè vtrisque vtaris.

Narrat sacrum Oraculum causam, ex qua pio Tobiæ sui cæcitas profecta fuerit, idque talibus verbis: *Contigit vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretq; cæcus;* Tob. 2. v. 10. & 11.

Arca Testamenti Seraphica (sic B. Antonium de Padua Pontifex Maximus quondam appellabat) illud hac in historia notauit, quod sacer Scriptor ipse submonendum putauit, nimirùm calida fuisse stercora, quæ cæcârunt Tobiam: *Contigit vt dormienti illi calida stercora inciderent*, &c. Quamobrem verò illius historiæ author hoc exprimere voluerit, quod ardentia erant tunc stercora, quando pientissimo Patriarchæ sensuum nobilissimum extinxerunt?

Respondet sanctus Antonius Feria IV. hebdomadæ IV. in Quadrag. *Quià stercora, nisi sint calida, non excecant.*

Quid illo stercore, quod homini principem sensum adimit, significatur? Diuitiæ, opum facultates & bonorum huius vitæ caducorum thesauri temporales. Hæc tali nomine donat Apostolus, cùm ad Philip. 3. 8. ait: *Omnia arbitror vt stercora,* gemmas, aurum, argentum, adamantes, quæ miserè delusus mundus magnoperè veneratur, re autem verà *Stercus pretiosum* sunt, *sic enim diuitias appellare soleo,* inquit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 17. Quòd ergo sacer Historicus ait, Tobiam stercore calido cæcatum fuisse, tantundem est ac si dixisset (inquit B. Antonius Paduanus) non in rebus ipsis bonum, malumuè, non in diuitijs commodum, siue damnum positum esse, sed in modo, quo eis rectè, aut secus vtimur, nam & stercus tunc solùm lumina extinguit oculorum, cùm calet, non cùm frigidum alget, aut tepet: *Sic diuitiæ nisi cum ardore diligantur, non offendunt. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere* (aiebat S. Dauid Psal. 61. 11.) *& tunc supple, non nocebunt.* Opum copiæ, nisi earum intemperante amore flagres, non officiunt visui, nisi demoriaris, & turpi, probrosâque auiditate illas anhelus consecteris, non incommodant oculis, non contaminãt animam, non tenebras menti offundunt, vt propterea Psalmographus monuerit, non adijcere ad eas animum, si fortè affluant.

In cuius verbis notandum occurrit, quòd non abdicare, & abijcere huius mundi facultates consulit, sed non apponere cor eis, non adijcere animi affectum, non immoderatè, perdi èque mare. *Nolite cor apponere,* ait: velut dixisset, *tunc non nocebunt,* non incommodabunt, non oberunt diuitiæ, immò proderunt, magnorumque meritorum occasionem ex se ministrabunt, si in egenos erogetis, si pauperibus impertiatis. Nam si caliculo aquæ frigidæ hoc lucrari,

lucrari,& promereri possumus,vt de torrente voluptatis illius sempiternæ potemur, quomodo non facilius illam beatitudinem, & quietem æternùm duraturam consequemur, si nudum vestiamus, viduæ miserias ope nostrâ leuemus, orphano subueniamus, pupillis victum præbeamus, afflicto solatium, membris capto remedium præbeamus, lapso manum porrigamus, alijsque pietatis, & misericordiæ studijs operam demus? Itaque non in rebus ipsis, sed in vsu earum recto, aut sinistro bonum, malumuè omne est positum. Si quis rectè eis vtatur, illi vtilitatem pariunt, malè vtentibus noxiæ sunt.

Huius dicti graue suffragium reperiemus in illa insigni Seminatoris parabola, qui cùm frumentum suum quatuor in partibus seminasset, vna fructum attulit, reliquæ sui agricolæ expectationem fefellerunt. Adeamus harum partium seminis infeliciter, & infructuosè iacti vnam, eam, quæ in corda hominum opulentorum incidit. De hac sic habes apud sanctum Lucã 8. 14. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ suffocantur, & non referunt fructum.*

Pulchrum sanè est magni Bulgarorum Archiepiscopi Theophylacti in ea verba annotamétum, quod ille sic reddidit: *Vide, cùm de his, qui suffocantur, loquitur, non dicit, quòd à diuitijs suffocantur; sed pra curis diuitiarum, & solicitudine, non enim diuitia nocent, sed solicitudines earum, multi enim magna commoda ex diuitijs percipiunt, illas in pauperum ventres projicientes.* Hinc ergo efficitur, non in rebus malum, bonumuè consistere, sed in modo, quo illas in vsus nostros transferimus. Nec in diuitijs vniuersum malum, nec bonum omne in paupertate est situm, multi enim diuites cælo excipiuntur beati, multi ad infernos abeunt pauperes reprobi. Non in cultiore vestitu omne malum, non in cilicio, aut neglectiore indumento omne bonum est positum, potest namque ornatior habitus pro alis esse, quibus in cælum quis subuehatur, potest & cilicium in orcum demergere, non beat quenquam saccus, byssus etiam neminem damnat, sed modus, quo talibus rebus vtimur.

Hac doctrinâ Tertullianus perstringit vanos, ac leues mundi amatores, qui ex creaturis Dei arripiebant, quo malefacta sua, erroresque inumbrarent, & excusarent. Argumentabantur illi ferè ità: Cur damnentur diuitiæ, aurum, argentum, delitiæ, holosericum, succinum, electrum, odoramenta, pigmenta, gemmæ, adamantes, cùm hæc omnia optimus Deus creauerit? Quid obsit, quò minùs licitè vesci, & frui possimus his, quæ ipse fecit, eaque ad vtilitatem, voluptatemque nostram vertere? Omnia ergo vestire, omnia ad corporis sui ornatum vir adhibere, omnibus se excolere, & perpolire mulier, & quæ illa cunque libent circumferre ad pompam potest.

Hoc tam puerile argumentum diluit Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 8. dicens: *Materia ex Deo sunt, non statim & huiusmodi fructus. Alter in vnionibus quæritur* (sic hunc locum Rhenanus restituit) *& vnde sint concha, & quâ dispositione collocentur. Ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat, nec ideò idololatriam impunè faciet Christianus.* Tale quidpiam est, quod voluit Tertullianus: Verum est, fateor; quod affirmatis mundi immundi studiosiores mulierculæ, nempè Deum esse vnicum & supremum rerum omnium conditorem. Quis tam cæcè blasphemus sit, vt hoc inficiari audeat? Indene verò conficitur quod vos vultis? Nequaquam. Non in materia malum positum est, non in auro, non in margaritis, non in suffimentis, aut incensis odoribus (nam cùm hæc à Deo sint facta, quomodo mala esse possunt?) sed in vsu eorum malo. Nonné *ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat?* An propterea impunè quis tali scelere se obstringat? Quis hoc affirmet? Hinc ergo infallibili consecutione fit, non in rebus, sed in earum vsu positum esse bonum, ac malum. Subiungit porrò Tertullianus: *Sic ergo & circà actum materiarum census à Deo descendens propterea excusatus, Deo extraneum, & rerum, scilicet gloria seculum;* ac si planiùs ita dixisset: Ingens rerum creatarum abundantia in magnificæ potentiæ Domini insignem gloriam cedit, sed earum abusus ex vano, & erroneo mundo, cæcisque hominibus venit, qui in suam perniciem illas conuertunt. Nam vt præclarissimus Tertulliani interpres Cerda notâ 114. in cap. 8. libri de habitu muliebri ait, *res indiscriminata sunt, si bonus vsus, honesta erunt, si malus turpes.*

Testes suæ assertionis eruditissimus hîc Pater duos, eosque amplissimos adducit, sanctum Ioannem Chrysostomum, & Cyrillum Hierosolymitanum. Beatus Chrysostomus homel. 2. ad Pop. sic ait: *Vinum Dei opus est, ebrietas opus Diaboli.* Rectène faciunt, qui vinum ob id intemperanter hauriunt, quòd Deus vitem, ex qua illud nascitur, creauit? Minimè omnium. Videmus namque vinum à Deo, eiusque manibus descendere, ebrietatem verò, ac temulentiam semper damnari, & execrationi esse,

quod

quòd ad eam malus dæmon magno studio, & solicitudine incitet.

Sanctus Cyrillus catechesi 3. sic habet: *Quæ in aris offeruntur, cùm naturâ sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur.* Sic vsus bonas, aut malas efficit res alioquin indifferentes, dum eas siue in Dei gloriam, siue in illius offensam, aut in suum exitium, vel commodum quispiam vertit.

Hoc etiam Cordubensis Seneca Epist. 31. talibus verbis affirmat: *Honesta, & turpia virtutis, & malitia societas efficit.* Virtus bona facit, quibuscunque illa accedit, sic malitia noxias, & damnosas res quibus adiungitur.

Senecæ hoc pronuntiatum mihi facere videtur, vt opportunum rei præsenti veniat, quod celebris magister latinitatis P. Bartholomæus Brauo in scholis sacræ Societatis Iesu dicere amabat, eique istud, quòd nonnulli minùs eleganter latinè vel loquantur, vel scribant, id non ex eo fieri, quòd verba eos elegantia destituant (nullum enim est vocabulum latinum, quod non valde sit elegans, nullum verbũ, quod non ornatum, nulla dictio, quæ non ex sese venusta, & perpulchra) sed quòd rectè, decenterque ea coniungere nesciant. Hanc rem tali paradigmate dilucidabat. Si quis diceret: *Ego do tibi vnam magnam pœnam*; barbaram orationem conficeret. Sed quomodo barbara, insulsa, incomptaque ea sententia est, cuius particulæ singulæ, vt *Ego*, & *Deo*, & *Tibi*, & *Vnam*, & *Magnam*, & *Pœnam* admodum bonæ sunt, & cùm Marco Tullio Ciceroni, tum alijs exactissimis, perpolitissimisque scriptoribus vsitatæ? in quo ergo phrasis huius vitium positum est, cuius verba nulla sunt vitiosa? In nexu illorum, & coniunctione, quæ cùm per se bona sint, ex inconcinna constructione, & rudi copulatione efficiuntur barbara & sordida. Elegantia itaque non in verbis, aut vocabulis, sed in eo posita est, vt rectè illis vti noueris. Tantundem ego cum Seneca affirmo: *Honesta, & turpia virtutis, & malitia societas efficit.* Aurum bonum est, argentum, vniones, adamantes, sericum, & alia huiusmodi ex se adiaphora sunt, siue indifferentia. Quomodo ergo mala sunt? Quià malè veruntur. Vt quisque Christianus ijs siuè rectè, siuè sinistrè vsus fuerit, sic illa vel commoda sunt, vel damnosa. Auro & cælum nobis comparare, & promereri infernum possumus. Non enim in rebus ipsis bonum, aut malum consistit, sed in vsu illarum, nec in tugurio beatitudo posita est, nec in palatio damnatio, neque solitudo saluat, neque communis vitæ consuetudo cælo prohibet, sed eorum vsus bonus, aut malus, eodem namque cultro, quo panis ad victum scinditur, vita innoxio adimitur.

Sanctus Patriarcha noster Isaac, quanquàm lautiùs aliquantùm, dapsiliùsque vixit, saluatus nihilominùs fuit, filius autem illius Esau vno lentium esu perijt, perdiditque, vt sanctus Paulus affirmat, iura, immunitates priuilegia domus suæ omnia. Ac tametsi ea iura, & priuilegia cœlum Iacobti iam deputàrat, concesseratque, Esau tamen sua esse arbitrabatur, & tanquàm sua vendebat fratri, dùm prò lentibus illa offerebat. *Propter vnam escam vendidit primitiua sua*; inquit Paulus Heb. 12. 16. Videte quanta mala in paucis, vilibusque lentibus reperta fuêre! Pro illis renuntiauit sacerdotio, & primo mensæ loco, & benedictioni, quàm impertire fratribus reliquis natu minoribus potuisset, & vestimentis pretiosioribus, cultioribusque, quæ per dies festos, tanquàm suæ dignitatis insignia, induisset. Vendidit principatum dominatus regij, vendidit ius, quo ad illum paternarum opum pars dupla pertinebat, & primogenituræ proprietatem, & supremam benedictionem, quam à discessuro è viuis patre expectare potuisset. Ità notant Lyranus, Abulensis, Honcala, Pererius, Cornelius, Oleaster, Istela, Martinus del Rio, & alij, qui tamen in paucis nonnihil dissentiunt. Omnium verò istorum lucrum sanctus Patriarcha Iacob fecit, eò quòd in victu frugalis esset, & parsimoniâ ad mensam vteretur, ciborumque abstinentiam, & inediam, & ieiunium amaret, & diuina beneficia suis ponderibus pensaret, ac magno loco haberet. Esau itaque non peccauit per luxum ciborum, aut epularum intemperantem vsum, sed *propter vnam escam*, & vilia legumina, & tantillulas lenticulas, vt hinc noster Politicus accipiat, bonum, malumué non in rebus ipsis positum esse, sed in eo, vt quis rectè illis vti sciat.

## CAPVT VI.

*Qui scuto mortis obarmatur, is tam securus pergit, vt nec ab hoste contingi, nec feriri ab aduersario quopiam timere debeat.*

OCcasione tam celebratæ abstinentiæ, parsimoniæque, & frugalitatis, quæ sancto Patriarchæ Iacob familiariter vsitata erat, coronabo hunc librũ quadam ratiocinatione, quæ commoda veniet ijs, qui in die Cinerum pro concione dicunt, quando viuis omnibus, quales à morte futuri sunt, ob oculos communiter proponitur, & Euangelium eiusdem diei exponitur. Atque vt suis numeris absoluta eua-

ta euadant, quæ de hoc argumento dicere proposi-tum est, necessum fuerit ad memoriam reuocare duas ex multis virtutes, ex quibus ingentem sibi apud omnes laudem, & admirationem conflârunt huius magni Patriarchæ parens Isaac, & auus Abraham, qui vnâ maximè in peregrinos hospitalitate, & prolixitate ergà pauperes excelluit, & illustrissima omni posteritatis, & mundo toti exempla post se reliquit. Hanc ipsius in egenos liberalitatem satis illud commendat, & prædicat, quòd *in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei*; (Genes. 18. 1.) sedens excubabat, diligentissimèque circumspectabat, ne quis peregrinus, aut mendicus præteriret, qui non tecto, mensâque illius ante vsus fuisset. Pectoris ardorem, quocum hoc agitabat, temporis feruor prodebat. Isaac hac re maximè præstitisse videtur, quòd rei omnium certissimæ, hoc est, mortis horam incertissimam semper ob oculos circumferebat. Satis hoc indicauit improbo filio suo Esau, quando ad eũ, quo tempore illi benedicere constituerat, aiebat: *Vides quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ*; Genes. 27. 2. ratio proinde postulat, vt rationes, quas supremo Iudici daturus sum, subducam, & res animæ meæ omnes diligenter, soliciteq; componam.

Obseruârunt hic Interpretes, quòd Isaac his dictis totos quadraginta tres annos superstes vixit. Notatum hoc à Tostato, Pererio, & Cornelio, qui aiunt: *Vixit posthac adhuc Isaac annis quadraginta tribus, mortuus est enim anno ætatis centesimo octogesimo.* Parsimoniæ itaque studium, hospitalitatis, & liberalitatis amor, perpetua mortis recordatio. Tres sunt virtutes, de quibus hoc loco sermonem instituam, tres flores, quos Politicus noster, tanquàm argumentosa apis delibabit, & carpet, in subsidium dulcis fabricæ profectuum animæ suæ. Hæc tria arma vestire, his clypeis se munire debet aduersùs tria mortalia spicula, quibus capitalis inimicus noster multas solet sauciare, & mactare animas, quanquàm immortales maneant.

Tres præcipuæ fulminares machinæ, quibus mundum dæmon acriùs infestat, & vehementiùs impugnat, pluresq; & arces deiecit, & occupauit ciuitates, sunt superbia, gulositas, auaritia, vt inquit Sanctus Ioannes 1. epist. c. 2. v. 16. dicens: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*; quæ verba de supradictis vitijs accipiunt omnes plerumq; Interpretes, OEcumenius, Dionysius Carthusianus, Lyran⁹, Lorinus, & Cornelius. Lyranus sic loquitur: *Concupiscentia carnis est, quæ viget in voluptuosis, concupiscentia oculorum in cupidis, & auaris, superbia vitæ in ambitiosis.*

Quàm probè nouerant veteres Græcorum Philosophi, hæc tria vitia esse duces, & fontes cæterorum, vehementissimosq; esse illorum insultus! Quoties enim quisquam Philosophiæ professionem faciebat, vt vitæ religiosæ nunc ascetæ faciunt, æternam talium peccatorum inimicitiam, implacabileque odium, & diffidium ab eis perpetuum iurabat, vt refert Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 198. vbi habet ista: *Iurabat vnusquisque in hæc verba, Ego contemnam omne malum lucrum, voluptatem corporis, inanem gloriam.* Solùm iurabant velle hæc bello persequi vitia, & irreconciliabiles aduersùs illa fouere simultates, quod ipsis videretur, si tria ista superarent, quæ velut radices, & fontes essent cæterorum, reliqua omnia, facili negotio subigere, & conficere posse, quæ tanquàm riui sint illorum fontium, & quasi membra istorum capitum, & rami illorum truncorum, & effectus illarum causarum.

Plinius lib. 21. cap. 21. ait, *serpentes nunquàm in trifolio aspici*, tantus est in illis venenatis animalibus talis herbæ metus. Res mira! Notorium est eam herbam illo trifolij nomine donatam à tribus folijs, quæ in singulis habet germinationibus. Cùm itaque mala omnia, vt S. Ioannes aiebat, ab his præcipuis fontibus, & capitibus principalibus, superbia, inquam, gulositate, & auaritia descendant, ac dimanent, arripiat Christianus hoc trifolium, curetque has secum ferre tres virtutes contrarias tribus istis vitijs, mortis recordationem contrà superbiam, studium eleemosynæ contrà auaritiam, vsum abstinentiæ contrà gulositatem, videbitq; quòd serpens diabolus non audebit ipsum aggredi, neque impugnare. Cùmq; has tres principes radices, & primaria malorum capita vicerit, facilè de toto peccatorum exercitu reliquo triumphabit. His tribus armis nos mater nostra Ecclesia in die Cinerum vestit, & caput quidem nostrum galeâ memoriæ mortis contrà superbiæ flatus obtegit, dicens: Memento homo quià *puluis es, & in puluerem reuerteris*; Gen. 3. 19. pectus verò loricâ ieiunij munit aduersùs ciborum luxum, & intemperantiam, vt illius vitij ictus sine offensione excipiamus, inquiens: *Cùm ieiunatis*, Matth. 20. 16. manibus deniq; eleemosynæ ancile obtendit, quo auaritiæ impetum retundant, dicens cum Christo: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*; Matth. 6. 20. his enim mortis, ieiunij, & eleemosynæ armis conuestitus homo christianus, tam securus in palæstra huius mundi versabitur, vt nul-

lus

lus ad illum penetrare hostis queat, nullus quâ eum parte sauciet, inuenire possit. Eâ trifolij herbulâ antiquum illum acheronticum serpentem fugabit, *serpentes* enim *nunquàm in trifolio aspici* solent.

Primam ergo galeam, quâ nos tutari aduersùs capitalem nostrum inimicum debemus, & primum trifolij folium studiosè consideremus, & mortis memoriam viuam, quantumq; in ea præsidium contrà omnes hostes nostros habeamus, expendamus. De hac re sic ait Sanctus Basilius Magnus homel. 11. in hexam: *Fac naturæ memineris, & ecce omnis illa ad improbitatem sectandam affectio pessumit. Iugis hæc cogitatio salutare quoddam amuletum est aduersùs quodcunque peccatum.* Cura vt tenuem puluerem recorderis, ex quo te supremus Opifex finxit, fragilitatemque tuam attentiùs pensicules, videbisque quàm leuiter repelles, & obrues omnes prauarum appetentiarum, & noxiarum cupiditatum inimicas cohortes, quæ te inuadunt, vt vitâ animæ exuant. Hæc memoria potentissimum est contrà omnem peccandi libidinem remedium.

Quàm eleganter dictum illud, *Iugis hæc cogitatio salutare amuletum est*! Amuletum dicitur omne genus remedij positum in characteribus, signis, vocabulis, imaginibus, figuris, quæ superstitiosi homines comminiscuntur, talemque habent efficacitatem, vt nec gladius, nec pestis, nec venenum, nec fascinum, nec rabidus canis, nec aliud quidpiam eis incommodare possit, & ab omnibus periculis, quæ in hac vita occurrere homini possunt, sint liberi, quicunque eiusmodi amuletum penes se habuerint, & circumtulerint. Dicit nunc Magnus Basilius: Vultisné forte aduersùs omnia vitia, & passiones, affectusq; mortales præsidium, scutum quod vos protegat, vmbonem, qui defendat, amuletum, quod sospiter, characteres, qui seruent, vocabula, & figuras, quæ tutos præstent? Mortem sæpiculè ad memoriam reuocate, caducam vitam vestram, miseramque fragilitatem eius crebrò recordemini, talis namque cogitatus *salutare quoddam amuletum est aduersùs quoduis peccatum*, & potentissimus contrà omnes peccatorum tempestates, exorcismus. Tantum valet hæc memoria, tanta est illius recordationis efficacitas.

Ita sentiebat, quantum ego quidem existimo, Propheta regius, quando apud se reputans beneficia, quibus à Deo cumulabatur, inquiebat: *Ipse liberauit me de laqueo venantium*, Psal. 90. 3. Aliané verò sunt discrimina, à quibus exemit? *Ab incursu, & dæmonio meridiano*; ibid. v. 6. Quis ille fuerit incursus, quod meridianum dæmonium, cuius hîc sanctus Propheta meminit, à quo illum Dominus liberârit, vt proinde venatorum animam eius perquirentium laqueos saluus, incolumisque euaserit, non est facilè intelligere. Sed priusquàm expositionem aggrediamur, notandum, illa nostri vulgati textus, *Ab incursu, & dæmonio meridiano*, à Sancto Hieronymo apud Richardum Cenomanum etiam sic verti, *Ab morsu insidiantis, insanientis meridie*, subaudi, canis; Alij, vt monet Lorinus, sic transferunt, *A peste, ab exitiali morbo*. Apud Theodotionem autem, & quintam editionem sic habent, *A plaga, & conclusione*. Denique apud Agellium, *A morbo immedicabili*. Iam difficultas verborum superiorum etiamnum perstat, nec enim scimus quid intelligi queat nomine dæmonij meridiani, quod tam varijs vocabulis, puta pestis, morsus, morbi exitialis, & immedicabilis, donatur. Prætermitto hoc loco multa, quæ à multis dicta, & aio, dæmonio meridiano significari obliuionem mortis, siue illius sublatam, abiectamq; memoriam. Quid sol meridianus agit? Vmbram à corporibus omnem impedit, adimitque. Affirmat hoc S. Gregorius Nyssenus homel. 2. in Cant. dicens: *Meridies vmbrâ caret, sole lucente super verticem.* Sol causa est vmbræ, qui cùm ad diem medium radijs perpendicularibus suprà capita hominum immineat, facit, vt omnem auferat vmbram. Quod vmbra sit mortis symbolum, id tritum, peruagatumque est, asseriturque ex literis sacris, & profanis à Berchorio, Valeriano, Riciardo, & Laureto, cuius est istud: *Vmbra dicitur ipsa mortalitas*; Vt enim vmbra videtur corpus, & non est corpus, sic mors vmbræ similem reddit, & relinquit hominem, vt homo videatur, & non sit homo, hominis scilicet sola quædam lineamenta exteriora habens, aliud nihil. Quod ergo regius Propheta Dauid ait, se Dei beneficio liberatum à dæmone meridiano, qui omnes adimit vmbras, tantundem est, ac si diceret, se ab illius dæmonis infestatione seruatum, qui toto ingenio, & omni studio connititur, vt ipsi suam vmbram, hoc est, caducæ & fragilis vitæ suæ, mortalitatisque recordationem ex oculis auferat, quod verò ab huiusmodi dæmone vindicatus sit, id perinde esse, acsi à rabidi canis lethali morsu curatus, à desperata ægritudine sanatus, & veneno liberatus sit, quod nullo alioquin remedio depelli poterat. Nam cùm hominem suæ fragilitatis memoria destituit, aut vafri dæmonis astus meridiem ex illo facit, hoc est, omnem vmbræ cogitatum ei adimit, & caducæ vitæ prorsùm immemorem reddit, id

id tale est, acsi mortiferos illi dentes infigeret, & animam ipsam insanabiliter configeret, contagiosissimamque ei pestem adferret. Quisquis à tali dæmone est relaxatus, idem omne incommodum, periculumque velut euasit. Nullum enim manifestius discrimen, quàm id, in quo versatur, qui vitam sibi promittens longiorem, mortis omnem deponit cogitationem, cuius recordatio *salutare quoddam amuletum est aduersùs omne peccatum*, & medicina generalis quarumcunq; animæ infirmitatum.

Magnus Athanasius quæstione 14. inter varias, quas ad Antiochum Principem dedit, illud sciscitatur: *Qualemnam orationem, aut quod Verbum ex omnibus orationibus, atq; Verbis plus timent dæmones, & diabolus?*

Respondet: *Narrauerunt nobis spirituum studiosi, homines fide digni, quòd aspectu ipso, & de facie aliquando apparuerit eis diabolus, & petitus hanc ab ipsis quæstionem responderit his Verbis: Non est in toto tam Veteri, quàm nouo testamento Verbum terribilius, atq; magis nostram disperdens potestatem, quàm initium sexagesimi septimi Psalmi. Statim enim dicto*, Exurgat DEVS, & dissipentur inimici eius, *mox Vlulans euanescit, & disparet diabolus, factis ostendens huius orationis Virtutem, & operationem.*

Quid verò habet ille Psalmus, quod tam vehementer horreat stygius cacodæmon, viresque illius tam potenter conterat, vel frangat? In illo Psalmo prænuntiatur Christi Redemptoris nostri triumphalis resurrectio, vt propterea ad illud nostri vulgati textus, *Exurgat Deus*, glossa Augustini hoc dilucidationis ergò adiecerit: *Resurgat de sepulchro Christus.* Hæc verò sunt verba, quorum tanta est contrà dæmonem efficacitas. Quia dum Christianus accuratâ consideratione hæc secum verba expendit, cogitatque Deum ipsum sepulchro illatum fuisse, & mortem subijsse, qui erat immortalis, & hominum cæterorum instar in tumuli, & septenorum pedum loci angustias coniectum eum, qui erat immensus, vitamque ipsam in funesta mortis brachia incidisse, demum verò postquàm de hac triumphasset, atque in vitam immortalem resurrexisset, quinque cicatrices, tanquàm mortalitatis indices, & testes retinuisse, quomodo fieri potest, vt non mitescat, tametsi efferatis fuerit moribus, & non emolliatur, vel si adamas sit, & non conteratur animo, quantumuis obstinatus sit, & peruicax? Deus enim è sepulchro exurgens quem non conuertet peccatorem, & quem consequenter non fugabit dæmonem? Nostra namque peccata sunt arma, quibus nos dæmon impugnat, nostra scelera gladij, quibus nos obtruncat, & iugulat. Ergo cùm ex mortis recordatione compungatur homo, & ad flagitiorum suorum pœnitentiam, detestationemque adducatur, fit vt hac ratione dæmoni sua potestas adimatur, & destruatur, hominis autem robur augescat, & vires non conualescant modò, sed & incrementa faciant. Armet sese proinde Politicus noster tali galeâ, muniat eiusmodi clypeo, sic enim fiet, vt cùm attentus suam apud se reputauerit fragilitatem, & viuam semper circumtulerit caducæ vitæ, miseriarumq; omnium memoriam, securus per omnia præsentis temporis pericula ad perpetuæ quietis immortalitatem adipiscendam penetret. Nunquàm illum hoc vnum è tribus folium destituat, quod infernales angues tam vehementer exterret, sic vt id genus *serpentes nunquàm in trifolio* contingat *aspici.*

*De mortis salutari recordatione, & efficacitate illius memoriæ, aduersùs omnes Vitiorum assultus, habes plurima in Vtroque Tomo priore. Vide Indices rerum Verbo* Mors.

## CAPVT VII.

*Ingenium, & abstinentia tam est forte, ac validum scutum, vt Christus ipse, ac si alias nullas vires haberet, illud sub mortis horam arripere, eoque se contrà hostes suos tutari voluerit.*

SEquitur nunc secundus animarum nostrarum inimicus, qui sancto Ioanni dicitur *Concupiscentia carnis.* Hæc est gulositas, seu victus intemperantia, vt diximus, de qua tam gloriosè triumphauit Iacob. Strages, quas hoc vitium facit, suprà commemorauimus. Nunc reliquum est demonstrare, quàm fortis armatura, quàm validus murus sit ieiunium, & abstinentia aduersùs crudelem hunc inimicum, omnesq; illius fœderatos, quotquot signa eius sequuntur, & partes consequuntur.

Sancto Ioanni Climacho gradu 14. dicitur ieiunium *incentiuorum omnium abscissio, malarum cogitationum amputatio, mentis custodia, quietis occasio.* Quòd verò quietos nos seruat, idem magno nobis est, & singulari præsidio.

De numero dierum illorum quadraginta, quos Iesus exegit Redemptor mundi, mira dixerunt sancti Doctores, & Oratores euangelici. Vt nobis exemplum de se præberet noster superus Magister, quadraginta dies, ac totidem noctes absq; omni victu transmisit, *& cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, &c.* Matth. 4. 2. Quòd

hic

hic quadragenarius numerus sit decantatissimus in sacris literis, res est tam comperta, vt me probandi labore ipsa notorietas leuet. Verùm percontemur sacrum Rauennatum Archiepisc. Petrum Chrysologum, quid mysterij habeant illi quadraginta ieiunij Dominici dies, tali nempè numero necessum est magnum subesse sacramentum.

Respondet ille serm. 12. *Ipse victor singularis adinuenit ieiunium quadragesimæ, statuens in procinctu, vt quaternâ decade ieiunij quadraturam mundi totam muro inexpugnabili communiret.* Erat mundus quædam velut ciuitas aperta, patens, & absque muris, ac per hoc dæmon dominium sibi in homines vsurpare cœperat. At quid egit Dominus, vt omni illum potestate suâ nudaret? E cœlo descendit, & cinxit mundum, qui in partes, seu plagas quatuor diuiditur, puta Orientem, Occidentem, Septentrionem, Meridiem, quorum orbis terræ terminorum crebram sacræ literæ faciunt mentionem. Vt ergo Dominus mundum in securitatem assereret, imitatus diligentem belli ducem, industriumque & prudentem Capitaneum, qui animosissimos milites in portis locat, vt per illos sint ab hostibus benè tutæ, in singulis quatuor mundi partibus dies sui ieiunij decem, tanquàm decem milites, totidemque muros, & arces constituit. Decem ieiunij mei dies (aiebat supremus exercituum Dominus, & archigubernus) in præsidio Orientis collocentur, decem ad Occidentem abeant, decem Meridiem seruent, decem in Septentrione excubent, ita fiet, vt securus degat mundus, communita nihil timeat terra, tuti viuant homines, & aduersùs omne periculum humana roboretur anima. Hæc è multis vna causa est, quòd Dominus quadraginta dies, ac noctes omni cibo sibi interdixit, *vt quaternâ decade ieiunij quadraturam mundi totam muro inexpugnabili communiret.* Sic autem obuallatus mundus dominici ieiunij, & abstinentiæ magni Capitanei nostri diebus, ac velut murorum, militumque præsidio munitus ab omni hostium metu vacuus esse potest, dum tali custodiâ rectè modò vti sciat. *Ieiunium* enim *scimus esse arcem Dei, arma Christi, murum spiritus, vexillum fidei, sanctitatis trophæum*, quod totidem verbis S. Chrysologus in eodem serm. 12. affirmat. Benè itaque Climacho ieiunium dicitur *Quietis occasio*, per quod nimirùm fit, vt tranquillam, pacatamque vitam ducamus, dum ab illo ab inimicis nostris defendimur, & propugnamur.

Ad hoc procul dubio allusit S. Ioannes Chrysostomus, quando de hac tam vtili, ac momentosa virtute, deque armis tam validis differens in cap. 13. Matthæi aiebat: *In horto virtutum vltimum sortitur locum ieiunium.* Si in his chorus idem est, quod exercitus, siue turma militaris (puto autem sic vsum eo vocabulo *chors* sacrum Doctorem, quod & ille de Canticis fecit, cùm inquit: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum;* Cant. 7. 1. nisi acies, & papiliones militares?) percommodè in rem præsentem locutus est Chrysostomus. Vegetius, & qui de militari disciplina prætereà scripserunt, suadent, cùm ad proximam pugnam digerendæ copiæ, ità collocare manipulos, totamque sic instruere aciem, vt partem illius extremam teneant, qui diutiùs arma tractârunt, & in disciplina militari ampliùs sunt exercitati, hi enim alijs facere animos, atque vt magis industrij, ad omnem belli euentum paratum habere remedium, & cuncta conflictus pericula præuertere, & auertere debent. Cùm ergo ait Chrysostomus, *In chorto virtutum vltimum sortitur locum ieiunium*, hoc est quod dicere voluit, Ieiunium in acie virtutum extremas copias ducit, nam cùm sit animosissimum, robustissimumque, omnes sic protegere, & defendere potest, vt nulla ex ijs pereat. Ieiunium enim virtus est magnarum virium, & fortitudinis singularis, & miles strenuus, ac generosus, & dux intrepidus, & inpenetrabile scutum.

Quis non miretur tres illos Isräeliticos pueros in ardentes flammas voracis illius Babylonici incendij coniectos, quòd impij idololatræ, & barbari regis simulachrum venerari noluerunt, in medio flagrantium carbonum, & æstuantis fornacis tam voluptuosè obambulasse, ac si blandus Zephyrus leni aspiritu eos afflasset, aut apricum hortum peruagati floridulos, & pictos illius puluillos pedibus, oculisque lætis obijssent, laudes etiam supremo benefactori Deo ardentibus animis, & magnis vocibus decantasse? De quibus sic habes Daniel. 3. 24. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Vnde illis tanta in tanto incendio securitas? Quomodo inter medias flammas tam festiuos promere cantus potuerunt? Quomodo vorax ignis tantùm tribus illis pueris detulit, vt velut subblanditus sit his, quos deuorare debuit, & ardore suo ijs assentatus, quos consumpturus erat, vt paradiso similior visus fuerit, quàm æstuanti fornaci locus, in quem exurendi detrusi fuerant? Quis tam validi hostis fortissimas vires fregit? Quis ardentes flammas in amabilem Fauonium transmutauit?

Quis! At quis alius, nisi ieiunium? inquit sanctus Basilius Magnus. Ieiunium ferociam ardentissimi

simi istius elementi perdomuit,& immanitatem tam infesti, furiosi, & vulcanij incendij compressit. Ieiunium fuit inclytus tam flagrantis hostis victor. Ieiunauerant tres illi pueri diebus superioribus, abstinuerant mensæ regiæ cibis, nolentes contaminari escis vetitis, & victu profano, cùmq; ignem tam validis armis, tamque impenetrabili scuto obmuniti intrarent, subegerunt flammas, vicerunt ardores, superârunt ignem, rubentesque, ac viuidos illius carbones sic calcârunt, ac si amœnum hortum peragrarent, flammæque illis refrigerium, adferebant, & pro tepente, placidoque Zephyro erant. Declarat hoc Amianti exemplo Magnus Basilius Orat. 1. de ieiunio, inquiens: *Ea est lapidis cuiusdam, quem Amiantum appellant, natura, vt igne quidem confici nullo modo possit, in flamma tamen positus prunarum speciem præseferat, inde verò extractus, quasi aquâ benè lotus, ac lustratus, purior, ac nitidior videatur. Talia erant tria illorum puerorum corpora, qui ieiunij adiumento, cùm Amianti lapidis vim haberent, in immensam illam fornacis flammam coniecti, perinde ac si naturâ ignei essent, ab ignis iniuria incolumes euaserunt, vsque adeò vt auri vim superarent.* Verè stupenda Amianti proprietas, quæ talis est, vt in æstuantissimam fornacem coniectus exuri videatur, verùm è flammis erutus tam purus, nitidusq; exeat, ac si aquis dilutus, non flammis adustus fuisset. Plurimùm similia huius lapidis erant corpora trium illorum puerorum,(idque vi, & efficacitate ieiunij,) qui in sæuas flammas coniecti, tales inde prodierunt, quale à fornace aurum venit, purioresque, & fortiores, & pulchriores sunt egressi: Et si diligenter rem examines, auri vigorem etiam superârunt, aurum enim ignis pertinacitate sæpè colliquescit, at hi tres animosi,& masculo animo pueri ab incendio vegetiores, & venustiores exierunt. Ieiunij merito totum hoc factum est, ieiunij procuratione, & solicitudine admirabile hoc prodigium euenit, *ieiunij adiumento Amianti lapidis vim habuerunt.* Ieiunium namque verus Amiantus est, qui ridet flammas, ludibrio habet ignem,elementa inuertit, immutat vires, transformat proprietates, faciens ex flammis Zephyros, viridaria ex fornacibus calcarijs, Hierosolymam è Babylone. Tanta est ieiunij vis, tanta huius virtutis potestas,quam Deus ipse consecrauit, & quadraginta dierum, noctiumque obseruantiâ dedicauit.

Quanta autem sit ieiunij efficacitas non parum ex eo elucescet, quòd Regi virtutum, & omnis potentiæ Domino in supremo illius, & pœnali cum acerba morte conflictu accidit. Blasphemias in illum plurimas, & atrocissimas hostes ipsius capitales omnes iactabant, quod ipse, ex sententia sancti Augustini, multò ante præuiderat, & per os Prophetæ regij prædixerat,quando Psalmo 68. 5. 7. sic aiebat: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis,confortati sunt, qui persecuti sunt me, inimici mei iniustè;* Et cùm sitim meam,quâ intolerantissimè laborabam, illis significarem,*dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto;* ibid. v. 22. Satis manifestè hic videre licet, inquit egregius Doctor, quàm accuratè ad ipsum literæ sensum expletum hoc fuerit in mitissimi Agni acerbissima passione. Cùm enim videret, quòd omnia iam tormenta exantlasset,solusque reliquus esset ex aceto degustando cruciatus, vix ardentem, sæuamq; sitim suam aperuerat, quando Iudæi, vt illius dolores exasperarent magis, auctioresque redderent, mordax acetum ei propinârunt. Verùm Euangelista monet, quòd *cùm gustasset, noluit bibere*; Matth. 27. 34.

Dicit nunc Augustinus: Quidnam inter hos tam acres,& acerbos conflictus, tantasque amaritudines patientissimus Dominus agit? Id, quod Propheta cum Euangelista congruens affirmat: *Operui in ieiunio animam meam,*ibid. v. 11. In quæ Augustinus: *Ieiunare elegit*; impotus manere maluit, quàm bibere. Cùmque hâc ieiunij loricâ se texisset,*consummatum est,* inquit apud sanctum Ioannem c. 19. 30. velut dixisset: Ad vmbiculum deductum est negotium,& certa victoria. Qui enim forti hac,insigniq; loricâ communitus est, non habet quod metuat, hostiumq; profligationem, & indubitatum sibi promittere potest triumphum. Irrugiant itaque inimici, furant hostes, ac perbacchentur, armentur, blasphemijs, iactet conuitia, vomant probra, quidquid libitum est, id & faciant,& dicant,totus contrà me Orcus coniuret, sed hoc sibi persuasum habeat, quod inanis à me redibit,nam *in me non habet quidquam,*Ioan. 14. 30. hoc est, non inueniet,quâ parte me inuadere queat, vt ferè exponit sanctus Gregorius. Cur istud? Quoniam *operui in ieiunio animam meam*, ieiunio contectus, ieiunij scuto munitus, & à summo vertice vsq; ad extremas calces sum obarmatus. Quis sub his armis timeat? Quis tali clypeo scutatus tremat? Tanta nimirùm vis est ieiunij, vt Deus ipse illâ vti videatur aduersùs omnes suos visibiles,& inuisibiles hostes, tanquàm non haberet, natiuum robur suum, & defendendi sese, ac protegendi potentiam immensam. Quòd autem ie-

iunij præsidium sibi adhibere voluit magnus Dominus, hoc ad illius singularem commendationem fecit, vt quanta sit illius virtus, & potestas, nobis innotesceret, quòd scilicet solum tueri illum, cùm tam multis in locis tam rabiosis ab hostibus oppugnaretur, potuisset, tametsi vires, quibus seipsum defenderet, alias nullas habuisset. Hæc omnia talia sunt vt Politicum nostrum profectus sui spiritualis cupidum ad illius tam potentis virtutis amorem, & magni Patriarchæ Iacob imitationem exstimulare queant, vt tam valido scuto tectus non pertimescat hostium suorum capitalium ictus, à quibus insidiosissimè obseruatur, & dolosissimè tentatur, & pertinacissimè impugnatur. Hoc folio tutus ab omni infernalium serpentum vafritie fuerit, dictum enim iam iterùm, ac sæpiùs *serpentes in trifolio nunquàm aspici.*

*De sacri ieiunij laudibus habes multa in Tomo* I. *Vide illius Indicem rerum.*

## CAPVT VIII.

*Ardens habendi sitis nullo alio faciliùs extinguitur, quàm aquâ liberalis, & prolixæ erogationis.*

VEniamus nunc ad Trifolij tertium folium, quod mediationi seruiet tertiæ infirmitatis, quâ mundus plurimùm laborat, & nescio an grauiùs, quàm præcedentibus. Ægritudo hæc est auaritia, quam sanctus Ioannes vocat *concupiscentiam oculorum*, auari enim quidquid videt oculus, hoc ferè appetit, & suspirat animus. Multi arbitrantur habendi auiditatem acquisitione, & accumulatione multarum opum extingui, non secùs ac sitis ardor rémittit, cùm aqua copiosiùs hauritur. Verùm non itâ res habet, sunt enim etiam infirmitates (in quibus hydrops) quæ ex copiosiore potu augescunt, magisque efferantur, & vehementiùs bibendi desiderium excitant; vt aqua videatur magis accendere, quàm refrigerare, & potiùs inflammare appetitum, quàm mitigare. Idem auaritiæ accidit, quæ infernalis quædam hydrops est; cuius ardor non extinguitur multa habendo, non auri copiâ opprimitur, immò verò tantò plus accenditur, quantò plus argenti bibitur, & plus auri acquiritur, sic vt pari mensurâ & opum affluentiâ, & earum fames augescat.

Euangelicus Propheta Isaias cap.7. v. I. hæc memerat: *Et factum est in diebus Achaz, filij Ioathan, filij Oziæ regis Iuda ascendit Rosin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israël in Ierusalem, ad præliandum contra eam.*

Nicolaus Lyranus, dum sensum moralem eorum verborum persequitur, ait, istorum duorum regum nominibus duo significata vitia, superbiam nempè, & auaritiam, quæ supremum animabus exitium semper machinantur. Verba Lyrani talia sunt: *Phacee, qui interpretatur oris apertio, signat auaritiam, vnde auarus dicitur quasi æris auidus, & sic os apertum habere dicitur, quià nunquàm pecunijs satiatur.* Aptissimum auari symbolum, proprijssimaq; illius appellatio est *Phacee*, siue hians ore, qui enim temporalium bonorum immoderatâ cupiditate flagrat, is plura semper ore patulo anhelat, neque exsaturari potest, quantumuis auri, & argenti accumulet: *Os apertum habere dicitur, quià nunquàm pecunijs satiatur.*

Quin immò contrarium ferè euenit, nam ipsa rerum plurimarum copia, ipsa thesaurorum ingentium collectio, ipsa diuitiarum magnarum consecutio, ipsa opum potatio sitim vehementiùs inflammat, concupiscentiamq; reddit flagrantiorem. Id Claudianus pereleganter his versibus cecinit:

*Non Tartesiacis illum satiaret arenis*
*Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis*
*Aurea Pactoli, totumque exhauserit Hermum,*
*Ardebit maiore siti* . . . . . . .

Si Tagus, si Pactolus, si maria omnia merum aurum essent, & in auari pectus tota se exonerarent, sitim illius, ardoremque cupiditatis non extinguerent, non vel imminuerent, sed exaggerarent etiam, & amplificarent.

Hærebat in consideratione huius tam communis mali sanctus Isidorus Pelusiota, quòd tametsi peruulgatissimum sit, & latè patens, illum tamen in magnam admirationem rapuit, vt diceret: *Inexplicabilis hic morbus est, atque ænigmati similis, cùm curatur, ingrauescit, per excogitatum remedium atrocior efficitur.* Hæc ille l. 3. epist. 412. ex hom. 13. sancti Ioannis Chrysostomi in epist. ad Rom. To. 4. ac si pluribus dixisset: Non est qui ingenio naturam huius infirmitatis assequi possit, obscuro ænigmati persimilis est hæc ægritudo. Quis Hippocrates conditiones illius inuestigabit? Quis Galenus perscrutabitur? Quid est, ex quo ægrè est auaro, & diuitiarum immodicè cupido? Sitis illum auri, & argenti afflictat. Bibat ergo aurum, bibat argentum, bibat vniones, adamantes, margaritas alias, totum Arabiæ aurum, & metallorum, quotquot mundus habet, pretiosissimorum venas omnes, easque copiosissimas, ac ditissimas illi exhibeant. Facientné hæc,

vt ipsius remittat sitis, mitescat ardor, extinguatur incendium?

Ex Chrysostomo Isidori magistro illud sciscitare, (à quo Isidorus etiam sua mutuatus fuit) is quæsito statim occurret, dicens: *Auarus in omnes vt mors insilit, omnes vt infernus deglutit, communis humani generis est hostis, quippè qui vellet nullum hominem esse, vt omnia possideret. Neque hic tamen sistit gradum, sed cùm omnes perdiderit cupiditate suâ, etiam terræ substantiam cupit abolere, ac ipsam aurum factam iuuaret aspicere, nec solam terram, sed & montes, & valles, & fontes, & breuiter quidquid in rerum natura extat.* Hæc ille hom. 29. in cap. 8. Matthæi. Potestné satisfieri siti hominis auari? Potestné incendium cupidi extingui? Sed quomodo diuitiarum intemperanter appetens exsaturari possit? Quomodo ardor illius aboleri? Quomodo opprimi cupiditas illius queat, qui velut mors quædam nemini parcit, & velut infernus omnes sorbere vellet, estque hominum cæterorum hostis capitalis, qui omnes cuperet extinctos, & bonis omnium solus gaudere optaret? Hæccine sitis illius linea extrema? An huc tantùm, neque vlteriùs auiditas illius progreditur? Nequaquàm. Totum terrarum orbem & quæcunq; ille complectitur, aurum esse desideraret. Solem in pretiosum carbunculum, stellas in adamantes, planetas in pyropos, cœlum totum in Zaphyrum, arborum folia in Smaragdos, saxa in amethystos transformari vellet. An verò talium votorum compos, factus consanesceret, atque à siti sua liber euaderet? Minimùm. Tametsi & montes, & mundos prorsùm aureos in suum dominium, potestatemque redegisset, non plus ij ad extinguendam illius sitim facerent, quàm si trientem, aut æreolum, aut minutiam obtinuisset. Auari fames satiari nequit, tametsi maris guttæ in adamantes, & arenæ illius in scopulos aureos, & Solis atomi in graues argenti laminas verterentur, eique propinarentur. Quæ cùm ità sint, quid mirum, quòd Isidorus ex sententia sui magistri Chrysostomi affirmet, ænigmati, aut verò etiam fascino simile esse hoc malum, quod dum curatur, fit maius, augescitque remedio, quo curandum sperabatur? Habendi sitis crescit, quantum opes, quæ expetuntur, crescunt, & possessione earum vehementiùs inardescit, & ex gaudio præsentium intolerabilius desiderium eorum, quæ nondùm habentur, nascitur: *Inexplicabilis hic morbus est, atq; ænigmati similis, cùm curatur, ingrauescit, per excogitatum remedium atrocior efficitur.*

Quàm aptè confirmabitur hoc ab illo, quod Sanctus Lucas de quodam homine & opum copiâ, & sanguinis splendore bis nobili narrat. Accessit ille ad supremum orbis Reparatorem, quem cùm de vita æterna disserentem audijsset, his verbis ab animo, vt videbatur, contrito, & humili profectis appellauit: *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* Lucæ 18. 18. Respondit Dominus, ad illius vitæ consecutionem ei, qui omnia à iuuentute obseruasse decalogi mandata dixerat, vnum hoc deesse, quòd non omnia vendiderit, pretiumque in pauperes erogauerit, quod si faceret, tunc & tutum in cœlis repositum thesaurum certò expectaret, & admittendum in collegium Discipulorum suorum non dubitaret. Simul hoc Christi responsum audiuit, & *contristatus est*, ibid. v. 23. contractaque in rugas fronte mœstus deiecit oculos, & vultum aliò obuertit. At vnde hæc illi nata est tristitia? *Quia diues erat valde*, inquit S. Lucas ibidem, idcircò mœstitia animum illius totum occupauit, mox vt de abdicandis à se opum copijs verba fieri audiuit. Quò consilio vitam expetebat æternam? Quò spectabat illius desiderium, quod eum incitabat, vt vitam sibi procurare vellet immortalem, ac semper duraturam? *Quid faciens vitam æternam possidebo?*

Theophylactus in cap. 18. Lucæ de hoc homine ait, *quòd tanquàm auarus vitam æternam desiderauit.* Auarus erat, aurique, & argenti siti hydropicâ laborabat, quisquis ille erat. Quando ergò venit, & vitam perpetuò duraturam petijt, hoc fecit, vt opum suarum facultatibus frui æternùm posset, & sic omnia disponerentur, vt nunquàm illi ex oculis sua dilaberetur pecunia, sed auro suo potiri semper, & indeficientem habere ex numis magno cum fœnore vsuram, reique familiaris, & prouentuum, & censuum, & facultatum omnium constantia, perenniaq; facere incrementa posset. Huc ille triparcus Princeps, & sordidus dominus æternitatem vitæ expetebat, vt siticuloso corde, & ardentibus visceribus, & hianti ore, & aridis, auidisq; faucibus, de sui auri, & argenti fonte haurire nunquàm non posset. Quantiscunque enim opum copijs, qui sunt tales, circumfluant, tam vehementer illos nihilominùs plura habendi sitis affligat, & auri fames, pecuniæque cupiditas excruciat, ingentes licet, atque immensos thesauros reconditos habeant, vt extinguere suum ardorem, famemque exsatiare non possent, tametsi totâ æternitate biberent. Itaque quòd semper viuere optant, id faciunt, vt maiore semper copiâ haurire aurum queant, quò enim plus bibunt, plus sitiunt, & eo ipso, quòd impensè expetitum

possident, plura habendi appetentia ampliùs inflammatur, & flamma ardentis pectoris magis accenditur: *Tanquàm auarus vitam æternam desiderauit.* O tyrannidem auaritiæ! ô sitim cupiditatis rabidam, & intolerabilem!

Quænam sit huius ægritudinis parens, quæ causa infirmitatis, id Claudius Galenus lib. de curandis animi morbis c. 9. videtur subindicasse, cùm sic ait: *Auari si duplum quidpiam habent, triplum incipiunt. Quare nunquàm tu sanè omnibus ditior, sed propter immensas cupiditates semper futurus es pauper.* Auari cupiditas modum nescit, quæcunq; pridie consequitur, postridie minora, & pauciora sunt his, quæ prætereà vellet, quòd si & hæc obtineat, tanquàm inopem copia faciat, ad plura inardescit, & concupiscendi nullum finem habet. Hydrops nimirùm est, qui *crescit indulgens sibi morbus*, vt profanus Horatius lib. 2. Carm. canebat. Sic auaritia, quo curari posse remedio putabatur, eo fit grauior, & medicinâ magis accenditur, ignisque concupiscentiæ eius magis inflammatur, dum auri aquâ illi affunditur, quâ extinguendus sperabatur.

Quod verò remedium tam graui ægritudini adhibebimus? Aut quam medicinam constituemus malo, cuius tam malum ingenium, tam improba natura, & maleuola conditio? Non aliam, quam superus Medicus præscripsit, cùm ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*; Matth. 6. 19. Nam si ardentem illam cupiditatis sitim, quæ suo ardore animas vestras depascitur, & tota adurit viscera, vultis extinguere, id facere debetis non accipiendo, siue accumulando, sed erogando: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*; ibid. v. 20. proijcite opes, & copias vestras in manus pauperum, sic enim ab illo flagranti morbo, & ardente ægritudine persanabimini.

Plutarchus etiam tale quoddam consilium suggessit apud Magallan. in c. 6. ad Timoth. 1. Annotat. 6. To. 1. dicens: *Sitientem, qui nondum biberit, spes est potu sitim abliturum, qui verò continenter bibens sitire non desinat, non impletione, sed purgatione censemus opus habere, & vomere iubemus. Qui plura necessarijs possidens, plura expetit, eum non aurum, & argentum sanare possunt, sed iacturâ opus habet, & purgatione.* Vt is, qui sitim restinguere suam non potest, tametsi potum alium ex alio plenis crateribus semper offundat, non haustu curari potest, sed omnis potus denegatione, & subtractione: Sic ille, qui pluribus abundat, quàm victus honestus requirat, neque tamen satis habet, tametsi Crœso ditior, tametsi nulla sint satis ampla illius frumentis horrea, tametsi vino torcularia perpetuùm redundent, tametsi cum illo euangelico sordido stulto plurima bona in annos plurimos habeat reposita, quique auri, & argenti abundantiâ magis, magisque accenditur, & inflammatur, non aliter curari debet, quàm vt moneatur exonerare se auro, & argento, cui si non obtemperet consilio, nunquàm ab infirmitate sua conualescet, immò ægriùs habebit, & morbo semper grauiore affligitabitur: *Iacturâ opus, & purgatione.* Distribuat ergò facultatum suarum copias in egenos, aurum suum, & argentum in mendicos eroget, gazophylatium suum in pauperes euacuet, & clausis arctâ arcæ custodiâ pecunijs inopum miseriam liberaliter leuet; sic enim & morbi sui malo leuabitur. Habendi namque sitis curari aliter, quàm erogandi aquâ non potest.

Tantundem consulit Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 17. dicens: *Nauē paululùm exonera, vt leuiùs nauiges, in egenum aliquid eorum, quæ tibi redundant, erucla, & euome.* Cùm nauis quæpiam immodicis ponderibus prægrauata superueniente iactatur tempestate, hoc habet remedium, vt leuetur onere, quo euadat periculum. Qui nimio cibo suum infarcijt, & expleuit stomachum, ei vomitus mederi potest, & eiectio eorum, quæ intùs molestiam pariunt. Simile remedium suggerit magnus Theologus auaris, omnibusque, qui hydrope auri, argenti, pecuniæ laborant, consulit, & nisi naufragari inter concitatos ægritudinis suæ fluctus velint, alleuient nauem, & in pauperes de rebus suis quasdam exonerent, & si oppletum habent ventriculum, hoc est, confertas numis arcas, affluentia horrea frumento, cellaria vino, leuent illum suis ponderibus stomachum, aurumq; illud, & argentum, & frumentum, & vinum, & vestimentum superfluum erogent in eos, quos talium indigos vident: *Erucla, & vome*; vt sic conualescas ab ægritudine tua, & incolumis viuas, imminuto enim opum pondere citiùs, ac tutiùs ad optatum gloriæ portum appelles, cùmque euomueris ea, quibus abundas, cœlestes thesauros pro terrenarum facultatum copijs recipies. Habendi siti abolendæ nulla commodior medicina, quàm erogandi, & dandi aqua.

Ecclesiasticus c. 3. v. 33. ait: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Aptè in causam præsentem exposuit hæc verba doctissimus, & eruditissimus Aloysius Nouarinus, dicens, magno Spiritus Sancti consilio, & singulari mysterio comparatam esse eleemosynam aquæ, igni auaritiam.

ritiam. Tale quidpiam namque hoc est, acsi dictum fuisset, ad restinguendùm ignem non esse quærendum alium ignem, sed hostem illius notorium, puta aquam. Itaque si auaritia ignis est, & quò auarus plura corradit, eò ardentiorem animæ subijcit ignē, habendique sitim auget, vt hæc sitis extinguatur, aduersarius illius accersendus, & adhibendus, qui est dare. Quare vt ignem aqua extinguit, sic immoderata habendi cupiditas, & insatiabilis hydrops eleemosynâ curanda sunt, quæ est aqua, quâ ille ardor extinguitur, & opprimitur ignis. Audite eloquentem Nouarinum: *Eleemosyna extinguit peccatum, quià diuitiarum amorem veluti ignem iniectis aquis obruit, & extinguit.* Paret ergò hanc sibi Politicus noster medicinam, curetque vt ab ea probè semper sit instructus, quemadmodùm sanctus Patriarcha Abraham faciebat. Sit liberalis, & munificus in pauperes, & egenos, tali nimirùm aquâ ardentem sitim, intemperantemq; cupiditatem habendi facilè abolebit. Abstinentiæ scuto, vti Iacob fecit, sese obmuniat. Cum Isaac galeâ caput armet, continuam animo circumferens suæ fragilitatis memoriam, saluberrimamque, & medicam trifolij herbam ad manus semper habeat, sic enim serpens infernalis ipsū adoriri, & tentare formidabit, *serpentes* enim *in trifolio non aspici* iam olim obseruatum. Nam si ex his tribus capitibus, aut fontibus, superbiâ, gulâ, & auaritiâ dimanant vt riui quidam cætera vitia, & peccata, si has scaturigines obstruamus, & illa capita demetamus, & radices euellamus, reliqua flagitia facilè vincemus, & calcabimus. Facilè enim curatur, cui in fonte remedium adhibetur, & exiguo negotio sanatur, cui in ipsa radice medemur.

# LIBER SEPTIMVS.

## CAPVT I.

*Nihil scit, qui rem vnam tantùm nouit, tametsi eius rei scientiâ insigniter excellat.*



EVangelista pictor beatus Lucas in sua Euangelica historia narrat (cuius & suprà facta mentio) quòd cœlestem Magistrum Princeps quidam conuenerit, vt cum illo de animæ suæ salute communicaret, magnam exteriùs præferens consequendæ vitæ æternæ desiderium. Reuerenter ergò ad illum accedens, hoc illum humiliter, demissèq; interrogauit: *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* Lucæ 18. 18. hoc est, doceri velim, quibus potissimùm medijs vti debeam, quæ huc mihi sint magis commoda, & efficacia, vt finem vltimum consequar, illum, ad quem sum conditus. Audiuit illum superus medicus, & diuinus doctor, & cum quadam verborum asperitate hoc illi subacidum responsum dedit: *Quid me dicis bonum?* ibid. v. 19. Quid ea res, Domine, tibi stomachum mouet, quòd ille te conuenit, & consuluit, quid sibi faciendum, vt animam suam saluare posset, quod tu vnicè cupis, & optas? Quid te in terram è cœlis abstraxit, nisi huius rei ardens desiderium? Et cùm in cruce animam ageres, quid æquè ostentabas, ac flagrantissimæ charitatis incredibilem sitim, quâ hoc ipsum emedullitùs expetebas? Secundùm hæc quid tam vehementer animo concitaris, cùm id interrogaris, quod ipse magnoperè desideras?

Sanctus Ambrosius acutè respondet, dicens: *Versuta interrogatio* fuit Principis illius, quare & responsio debuit esse subaustera, & acerbior. Aduenit dolosus Princeps fraudem animo tegens, vocansq; Christum bonum magistrum, & dicens: *Magister bone.* Sed quid in his mali, aut vafritiei? Illud, quòd *in portione bonum dixit, non in vniuersitate, nam Deus in vniuersitate bonus,* ait Beatus Ambrosius. Salutis suæ solicitus, vt videbatur, consultor bonitatem, & eminentiam Domini arctauit, & ad rem vnicam, hanc nempè solam adstrinxit, quòd bonus esset magister: *Magister bone.* Quod cùm ille audiret, exasperari animo cœpit, & succensere, quòd hoc esset maculam inferre magnitudini illius immensæ, & eminentiam infinitam insigni probro afficere, & graui iniuriâ onerare. Tametsi enim laude dignum sit, esse magistrum, sed vnâ re tantùm esse bonum, & solùm vna excellere facultate, videtur tale esse, acsi nihil sit. Vno enim solo præstantem esse non tam est excellentia hominis, quàm imbecillitas virium illius: *In portione bonum dixit, non in vniuersitate.* Quæ autem maior commendatio, quàm si de quopiam verè affirmes, omnibus vniuersim dotibus corporis, atque animi præstare, atque eminere?

Posteaquàm filij Israël ex miseranda Ægypti captiuitate

ptiuitate

ptiuitate sunt egressi, magnâ in deserto aquæ penuriâ laborare cœperunt. Clamabat itaque Moyses ad Dominum, vt is afflicti misereretur populi. Audiuit supplicem pientissimus Deus, iussitque vt secum ferens virgam, quâ dum flumen percussit, aquas eius in sanguinem vertit, adiret petram Horeb, cæderetque eam, quæ percussa frigidam diuite copiâ fusura esset: *Virgam, quâ percussisti fluuium, sume in manu tua, & vade,* &c. Exod. 17. 5.

Non fuit nemo, cui hoc in loco dubitare occurreret, cur Dominus voluerit, vt Moyses apud se virgam haberet, quâ fluuium percusserat, & plurima miracula patrauerat, cùm nouo prodigio facturus erat, vt durum saxum ad illius contactum rigidis è visceribus mollem abundè aquam funderet. Esto, fuerit instrumento quopiam cædenda petra, quid verò necessum fuit, vt Dominus præciperet, hanc peculiariter eò adhibere virgam, cùm miraculum non in instrumento, sed in potentia Dei positum, ab eaque profectum fuerit?

Dubitationi huic satisfacit Rabbi Salomon apud Nicolaum Lyranum, dicens, Deum voluisse virgam eam ad illud pietatis, & clementiæ officium verti, vt vindicaret honorem istius instrumenti, quod plurimùm honorârat, & magnificârat in Ægypto, dum ipso ad castigandam Pharaonis superbiam, sumendaq; de regno eiusdem supplicia, horrendasque tum hominibus, tum brutis pœnas infligendas vsus fuit. Erant in populo Israëlitico quidam tam scelerate maleuoli, & maledici, vt de virga illa affirmarent, ad flagellandum, sauciandum, mactandum, nocendumq; solùm valere, benè facere, aut commodare nemini posse. Vni rei tantùm apta est, inquiebant, nimirùm vt vulneret, strages faciat, vastitates adferat, iustitiæ vindicatiuæ seruiat. Vt ergò innotesceret, ad omnia vsui esse id instrumentum, vimq; eius non ad austeritatem modò, aut supplicia, sed ad beneficia quoque extendi, & non ad puniendum solùm, verùm etiam ad consolandum adhiberi, nec minùs clementiæ, quàm iustitiæ seruire, aiebat Dominus ad Moysen: *Virgam, quâ percussisti fluuium, tolle in manu tua;* vt quæ aquam in sanguinem olim ad Ægyptiorum pernitiem transformauit, nunc aquam è silice ad Israëlitici populi mei refrigerium proliciat, & expromat. Hinc omnes accipiant, omni vsui aptam esse virgam, hoc est, vt iustitiæ, & potentiæ, sic & misericordiæ, atque beneficentiæ, insignemque illa, & celebrem vbique famam obtinebit.

Audiamus Rabbi Salomonem, qui apud Lyranum in cap. 17. Exodi sic loquitur: *Erant aliqui de populo Israël ità maligni, quòd dicebant, quòd ministerium illius virgæ solummodò se extendebat ad mala infligenda, sicut patuit in plagis Ægyptiorum, sed non se extendebat ad conferendum bona, & ideò Dominus præcepit Moysi vti virgâ illâ in eductione aquæ de petra, vt manifestè videretur, quòd non solùm erat instrumentum diuinæ iustitiæ in malis pœnæ inferendis, sed etiã diuinæ misericordiæ in bonis conferendis.* Omnia nosse & posse, id tantùm nosse est, & posse: Verùm qui vnicum tantùm scit, quanquàm perfectissimè sciat, nihil scire videtur.

Dulciloquentiâ suâ, & incredibilis sermonis suauitate tam efficaciter cœlestis Magister ad sese pertrahebat auditores, vt necessariam obliti alimoniam per incultas eremos, & absitissimas solitudines illum prosequerentur. In tali quodam deserto agebat, frequentissimâ hominum concione stipatus, qui cùm toto triduo comites illi cohæserint, fieri non potuit, quin famis depellendæ necessitate laborarent. Ergò Discipulos accersens in deliberationem, & consultationem vocabat, quo fami huic subueniendum remedio, vnde expetenda annona, quâ hominum ab omni victu imparatorum esuries leuari posset. Responderunt ij, septem panes, & duos pisces habere reliquos, aliud prætereà nihil esse super. Iussit ergò hanc qualemcunque annonam adferri, cui cùm sacram suam benedictionem impertijsset, raro prodigio sic aucta est, vt plus à mensa fuerit sublatum, quàm initio ad eius impendia collatum: *Nam manducauerunt, & saturati sunt* homines quater mille, præter mulieres, & pueros, *& sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas,* inquit Beatus Marcus c. 8. v. 8.

Theophylactus in commentario illius capitis ait: *Etiam anteà tale quoddam miraculum fecit Dominus, & nunc quidem denuò operatur sumptâ occasione iustâ, non enim semper miraculum facit in alimentis.* Semel, iterumq; prodigiosus Magister illustre panum, ac piscium multiplicatorum miraculum operatus fuit, quod cùm primùm fecit, tantam sibi famam, existimationemque conflauit, vt rapere illum, & constituere sibi regem voluerint, qui tam inauditæ nouitatis spectatores fuerant. Cùmq; illa tam insignita, & obstupescenda miracula essent, bis tantùm, neque ampliùs, talia patrauit Dominus, *non enim semper miraculum facit in alimentis*, inquit magnus Bulgarorum Archiepiscopus. Sed cur non perpetuus erat in ijs prodigijs faciendis, augendisque panibus, & piscibus, quæ tantam relinquebant apud omnes admirationem? Quamobrem dicis?

Eam ob rem, quam hîc tractamus. Si Magister cœlestis solis in panibus, & piscibus potentiæ suæ ostentationem faceret, & ad vnam tantummodò annonam augendam vires omnipotentis brachij sui exereret, diceret vulgus, magna esse ipsius miracula, sed non vsquequaque grandia, non omninò magnifica, quòd illius prodigia operandi facultas ad solos se pisces, & panes extenderet. Vt ergò palàm fieret, quanta esset potentiæ illius magnitudo, thaumaturgi brachij virtute vbique, & in omnibus rebus vsus est, non in panibus solùm, & piscibus, sed & in mari, in dæmonijs, in viuis, in mortuis, in ægritudinibus, &c. ex quo innotesceret, omnia magnum esse, qui in omnibus magnus. Parùm enim admirabilis illius ars videtur, qui rem vnam, quanquàm accuratissimè, & exactissimè, facere nouit. Qui magnus est, debet in multis se talem exhibere, vt omnia coniunctim, paribusque suffragijs insignitè magnum probent.

Hæc vna causa est è multis, quòd Patriarchæ nostro Isaac Dominus præcepit, ne Ægyptum peteret, quo tempore fames patriam, in qua vitam agebat, magna totam obtinuerat, dicens: *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi*; Genes. 26. 2. Erat Ægypti fertile solum, & abundantissima terra, neque illam patiebatur sterilitatem, eùmq; magnam domi suæ sanctus Patriarcha numeraret familiam, diuesque pecorum, & opum aliarum esset, transire in illam copiosam regionem cogitabat, quod notant Nicolaus Lyranus, Abulensis, Pererius, & alij. Apparuit itaque illi Dominus, & ait: *Ne descendas*; quod perinde fuit, acsi dixisset: Quando similis huic annonæ caritas olim erat, quo tempore parens tuus vixit, tunc ille Ægyptum petijt, vt ibi necessitati suæ remedium pararet, tuque arbitraris, quòd præter Ægyptum non sit mihi aliud reliquum, quo inopiam tuam leuare queam. At volo scias, quòd falleris. Nec quisquam existimet, omnem meam in solo Ægypti penario repositam annonam, vnicamque solùm mihi exploratam viam, quâ meorum egestati ire obuiam possim, sed hoc omnes intelligãt, multa mihi cognita itinera, per quæ meorum necessitati occurram, multa mihi esse artificia, quibus eos pascam, & medicinas vni etiam infirmitati curandæ plurimas. Age ergò Isaac, atque ibi, vbi à me iussus, morare, ibi enim tibi, tuisque, quæcunque victus vester requirit, procurabo, & subministrabo, sic vt nihil desit. Rem enim vnicã tantùm, quamuis permagnã, scire, non est insignitè excellere, aut plurimùm, magnificéque præstare.

## CAPVT II.

*Peccator bombyx est, sibi ipsi pœnarum suarum æternarum sepulchrum construens, & mortis supplicium adornans.*

SAcer textus ait, *ortam esse famem super terram.* Quæri potest, vnde illa super terram nata sit fames. Moyses enim non dicit ex terra eam ortam, sed *super terram.* Quis ergo hoc flagellum peperit? Quis parens eam calamitatem genuit? Quæ talis pœnæ mater? Quis illius mali author alius esse queat, quàm peccatum? Ità ferè Interpretes. Peccatũ est omnium ærumnarum nostrarum origo, & scatebra miseriarum, quibus affligimur, & parens penuriæ, quamcunq; patimur. Loquitur autem ad eum modum sacer Chronologus, vt peccator, quoties flagris cæditur, & supplicijs plectitur, & calamitatibus premitur, cogitet ea mala maiorem partem à suis flagitijs oriri, pœnam autem æternam à suis culpis semper nasci. Velut bombyx enim ipse sibi æternæ suę damnationis triste sepulchrum construit, & cruciatuum suorum sempiternorum ipse sibi est sator, & author.

Fortitudinem Domini sospitatoris nostri, roburque pectoris illius permagnificè prædicat Apostolus, commendatque ab eo maximè, quòd chirographum, quo humanum genus totum pessimus dæmon obnoxium habebat, illi extorsit, extortum obliterauit, obliteratum cruci affixit, inque ea nobis debita nostra omnia, velut datâ apochâ, indulgentissimè remisit, tanquàm illi cumulatissimè à nobis fuisset satisfactum. Magni Pauli verba ad Colossenses 2. 14. sic habent: *Et vos conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delẽs quod aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.*

Origenes Adamantius tale quidpiam ferè sciscitatur. Cùm quis ab alio debitum exigit, cuius rei fiduciâ hoc agit? Et si ille fortè soluere recusat, quid adferre creditor solet, quo illum ad soluendum cogat? Cùm literas modò habeat manu debitoris propriâ indubitatò subscriptas, certum est, nullo alio ad hanc rem adminiculo, aut studio illum opus habere. Vnum chirographum sat est, vt ad restitutionem commodatò accepti debitor compelli, & bona illius, quanta debito exsoluendo necessaria, inuadere, & sibi vsurpare creditor possit. Cùm ergò Apostolus affirmat, deletum à Christo, *quod aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, id ex Origenis sententia tantundem est, acsi di-

xisset, scelerum nostrorũ testificationem propriam obliterasse: *Istud quidem, quod dicit chirographum, peccatorum nostrorum cautio fuit*; inquit ille homel. 13. in Genes. Admirabiliter dictum est chirographum decreti illud, quod homini aduersum, & à Christo in cruce deletum sacrosancto illius sanguine fuit, hoc enim satis erat, vt homo secundùm præsentem iustitiam æternis addici supplicijs posset: *Vnusquisq; enim nostrum*, inquit Adamantius, *in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati sui literas scribit.* Pœnis inferorum æternis se obnoxium reddit, quisquis peccato mortali obstringit. Et veluti is, qui tale quidpiam scribit, *Ego manu meâ propriâ, & nomine adscripto testatum facio, quòd Nicolao tantum debeo*, vi eiusmodi literarum cogi à creditore ad solutionem potest: Sic quilibet peccator, quoties lethaliter delinquit, velut dicit, *Ego peccatis meis testor, & fidem facio, quòd Deo pœnam æternam debeo.* Ergo in vi meorum scelerum Deus pœnas à me repetit, & supplicia exigit. Ergo pœna est culpæ filia, & peccatum flagellorum parens.

Vultisné hoc videre? inquit Rupertus. Legite itaque attenti omnes execrationes, quas Deus minatur suæ legis transgressoribus, & nullibi reperietis, quòd à Deo quisquam maledicatur. Deuteronomij cap. 28. vers. 16. 17. 18. 19. dicitur ei, qui præcepta Dominica violare velit: *Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.*

Rupertus lib. 13. in c. 19. Ioannis ait: *Nusquàm dixit, A Deo* eris maledictus, inter stupendarum, & variarum dirarum commemorationem, quas moyses ijs denuntiat, qui mandatis Dei obtemperare, & quę debent, gerere morem nolint. Cur verò non adiecit, eiusmodi hominem, qui Domini legem insuper habebat, à Deo maledicendum, sed tantum inquit, *Maledictus eris?* Fit hoc, quòd Deus, quanquàm iudex sit, qui contrà peccatorem pronuntiet, pœnasque illi pro malis meritis decernat, supplicia designet, non tamen illorum causa est suppliciorum. Tametsi enim de iudice dicatur, quòd is latronem ad triremes damnet, non sequitur quòd ille talis pœnæ sit author, latro enim suis sceleribus sibi ipsi tam cruciabilis, & ærumnosę vitæ est parens, satorque, ac sartor. Iudex legis tantùm est executor, triremes peccandi libido architectata est, adeò seipsum in illas flagitiosus quisque compingit, seque ipsum damnat, & plectit. Itaque & peccator dicitur maledictus, miser, percussus, *sed nusquàm à Deo.* Nisi enim malè agendo supremo Iudici, ac Domino castigandi occasionem ministraret, nunquàm ab eo condemnaretur. Quisque enim facinorosus suam sibi pœnam sceleratè viuendo adornat, & supplicia procurat.

Si non est ità, videamus quid supremus ille Iudex de magno illo die mundi extremo, & rationibus, quas tunc generatim ab omnibus exposcet, dicat. Apud sanctum Matthæum ait, quòd bonos à dextris suis, à sinistris malos constituet, vt illos quidem gloriâ, quam opera eorum commerentur, donet, his verò pœnam, quam scelera illorum clamant, infligat. Ad bonos, qui dextram tenebunt, inquiet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*; Matth. 25. 34. Tum verò post largam commemorationem operum bonorum, quorum vsu, & exercitatione ius illius æterni regni ij sibi comparârunt, reprobos, ac damnatos sic appellabit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; ibid. v. 41.

Obseruauit Honcala in hoc pronunciandi ordine, quo iustissimus Iudex vtetur, quòd bonis ante sua præmia decernet, quàm reprobos in dirum inferorum carcerem conijciat. Cur autem seuerus, & iustus Dominus hoc ordine distribuet præmia, & supplicia? Rectiùs facturus videtur, si malos primùm verbo damnatos in rem malam ire iubeat, tum bonos in consortium suum sempiternum adsciscat, quorum tam vehementer oblectatur consuetudine. Quid causæ ergo, quòd ordinem iustitię alium Dominus tunc obseruabit? Respondet Honcala in cap. 27. Genes. *Vt ostendat propositi sui semper fuisse, potiùs animas seruare, quàm perdere.* Quòd præmia Deus merita iustis tribuit, & tempora eorum immarcessibili coronâ cingit, atque in sublimibus, ac perpetuis immortalis gloriæ solijs eos collocat, antequàm malos pœnis addicat, quòd iustis priùs regni gratiam facit, quàm sua reprobis supplicia infligat, id facit, vt propensionem suam, & indulgentissimorum viscerum pietatem prodat, vt omnes intelligant, quod ad se attinet, nullam velle pessumire animam, lauro beatitudinis æternę coronatas omnes cupere, & si quas pœnis subijcit, id velut coactum facere, & quod aliud non possit, ac propterea hoc demùm post alia omnia agere, *vt ostendat, propositi sui semper fuisse, potiùs animas seruare, quàm perdere.* Nam quòd pœnas ab illis exigit, hoc non ab illius natiua indole, quæ perblanda, & suauissima est, sed à culpis hominum nascitur, quæ valde graues sunt.

sunt. Hæ manibus illius flagellum ingerunt, & velut per vim ab illo extorquent, vt contrà suos authores sententiam proferat.

Itaque videre licet, quòd iustos, cùm ad præmia vocat, benedictos Patris sui nominat, inquiens: *Venite benedicti Patris mei*; cùm autem repellit damnatos, ait: *Discedite à me maledicti*, neque addit, *Patris mei*, vt significet, Patrem, vt plurimùm omnes amat, sic etiam animarum salutem, vitamque æternam vnicè desiderare, damnationem, ac supplicia non optare. Nam si qui sunt cruciatus, si quæ damnatio, ea inde venit, quòd peccator suis flagitijs illam sibi conquirit, & parat, ille suis sceleribus flagrum, quo vapulet, sibi concinnat, ille abominationum suarum digitis cannabem in funem, & laqueum, quo strangulatus occumbat, sibi torquet.

Propheta regius Dauid ex persona Christi Patri æterno gratias agit immortales, quòd per ipsum hostes suos, Saulem inprimis, euaserit, qui omnium maximè sanguinolentus,& efferatissimus fuerit. Hoc titulus Psalmi 17. præfert, qui sic habet: *In finem puero Domini Dauid, qui locutus est Domino verba cantici huius, in die, quâ eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul*; Psal. 17. 1.

Michael Ayguanus ait, inimicos Christi fuisse Scribas, & Pharisæos, ac dæmones,qui contrà illum coniurárint, Saule autem significatam mortem, quæ illum maximè omnium persecuta fuit, & quæ exanimalem fecit,vitâque exutum solo afflixit,& in tumulum deieit. At cur rex Saul mortis, pœnarum omnium cruciabilissimæ, figura fuit? Respondet author, quem dixi, à Saule proprijssimè repræsentatam mortem, idque propter duo, quorum primum est significatio nominis illius, alterum id, quod fuit Saul. Significatum nominis illius est *petitio*: Nam vt sanctus Hieronymus, venerabilis Beda, & Lyranus aiunt, *Saul idem est*, quod petitio. Quid autem fuit Saul? Rex, verùm Dei permissione, non electione. Meritò ergò Saul mortem repræsentat, quæ cruciatuum vitæ præsentis est acerbissimus, vt sit inditio, quòd hominum rogatu illud fuit orbi illatum supplicium. Et si mors, vt affirmat Apostolus, regnauit ab Adam, id factum, quòd homines suorum scelerum magnis vocibus illam depoposcerunt, velut Israëlitæ Saulem, contrà Dei placitum,& sententiam, regem sibi postulárunt.

Audiamus Incognitum. *Saul,qui petitio interpretatur, significat mortem, quam Deus non fecit, sed homo peccans ipsam manibus, & verbis extorsit à Deo pro suo rege, dicente Apostolo*, regnauit mors ab Adã, *Rom.* 5. 14. *Vnde sicut Saul non fuit rex electus à Deo, sed permissus regnare, sic & mors.* Secum ergo peccator de pœnis,quas patitur,expostulet, vt quas ipse sibi à Deo velut per vim extorqueat & in concessorum cogitatuum vocibus, & malorum verborum,operumque prauorum importunis clamoribus. Dominus certè non est author mortis, neque oblectatur perditione viuorum, sed eorum magis lachrymas cupit, pœnitentiam desiderat, compunctionem excitat, conuersionem procurat, vt ne vnquàm pereant, sed æternùm felices viuant.

*Hoc argumentum eleganter, copioseq́; non vno tantùm superiorum Tomorum in loco tractat Author. Vide Periocham II. Dominicæ infrà Octau. Natiuit. Domini To. II. pag.* 380. *c.* 1. *o. & calcem eiusdem Periochæ.*

## CAPVT III.

*Tam inuitè Dominus punit, vt necessum sit multis exhortationibus illum adducere, vt flagellum in manus sumat.*

SI cui fortè dubium, num res ista sic habeat, videat id Politicus noster in eo, quod sacer Historicus tacitè submonet, quando loquitur de sterilitate, quâ Deus tarram tempore sancti Patriarchæ nostri Isaac mulctauit. Dicit enim: *Ortâ autem fame super terram post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abijt Isaac ad Abimelech*; Genes. 26. 1. Quid causæ est, quòd cùm vnam famem narrat, alteram quoque commemorat? Fecit hoc, vt indicaret, quam inuitus flagra Deus manibus vsurpet, tametsi peccatores cædi plurimùm commeruerint. Centum anni, ac suprà, ex bona optimorum Interpretum supputatione excurrerunt, à quo vna sterilitas aliam præcessit, tametsi homines quotidianis suis flagitijs non posteriorem famem solùm, verùm etiam alia supplicia multò atrociora sint meriti. Notárunt hoc Lyranus, Abulensis, Guilielmus Ebroicensis, & Honcala. Abulensis sic habet: *Fuerunt inter istas duas sterilitates plures, quàm centum anni.* Qui verò totius sæculi moras traxit, priusquàm pœnas infligeret hominibus tam sceleratis, quàm erãt Chananæi, qui totis centum annis manus à talibus vltrices abstinuit, satis ostendit, quàm parum illius ad castigandum propendeat voluntas, quàm sit procliuis illius ad clementiam animus, quàm pigræ ad sumendam vindictam manus.

Mittebat supremus hic Dominus Moysen populi sui ducẽ, vt ex ipso loqueretur regi Pharaoni, at-

que

que vt mandata sua accuratiùs exequeretur, amplissimam ei in barbarum illum & contumacem Principem potestatem concessit, Deumque eius illum constituit. Et quoniam vi plagarum cogendus erat, vt captiuum populum libertate donaret, si hoc fortè nollet, iussus est Moyses virgam suam ob oculos peruicacis regis in terram proijcere, quæ statim in horribilem, & formidabilem serpentem transformāda esset. Obtemperatum est præcepto dominico, *tulitq; Aaron virgam coram Pharaone, & serui eius, quæ versa est in colubrum*, Exodi 7. 10.

Quæri hîc potest, quo consilio Dominus (cùm flagrorum vi repugnantem Pharaonem ad dimittendum populum adigere vellet, nisi ille hoc libens, ac volens faceret;) hac plagâ illum primò vrgere, & terrifici draconis specie ante omnia perterrefacere voluit?

Respondet Oleaster ibidem in annot. morali: *A dracone incepit, vt regem deterreret magis, & non esset opus alia signa adiungere.* Quòd plagas suas ab animalis omnium formidabilissimi ostento exorsus est Dominus, quò conterritum tam inuiso spectaculo regem permoueret, id fecit, vt intelligens potentiam eius, qui libertatem petebat, faciliùs eam oppresso populo concederet, & necessum non esset grauioribus hoc extorquere supplicijs. Dedit hîc Dominus delineatum diuinæ potentiæ suæ validum brachium, ostentationemque immensæ fortitudinis suæ fecit, & sclopo in Pharaonem velut intento prōptam explosionem simulauit, *vt regem deterreret magis, & non esset opus alia signa adiungere.* Mucronem in pectus eius quasi distrinxit, & collineauit, vt metu secuturi vulneris faceret, quod petebatur. Qui terret, vt aliquid obtineat, & ferire non vult, cùm possit, satis luculentè demonstrat, quàm parùm amet castigare, & plectere. Tale quid cum impio Pharaone egit Dominus, terruit, minatus fuit, ferociam simulauit, contendit arcum tanquàm exoneraturus, distrinxit gladium quasi vulneraturus, sed non intulit manus, non cæcidit, non læsit, aut sauciauit, vt hinc accipiatur, quàm parùm gaudeat flagellare, quàm repugnante animo virgam in manus sumat, qui comminatione potiùs, quàm illatione verberum emendare peccatores vellet.

Diuinus magister noster ait, regnum cælorum simile esse regi, qui festiuas nuptias filio cuidam suo, quem efflictim amabat, fecerit. Inuitati fuerunt ad epulum plurimi, quod cùm splendidum, & permagnificum erat, vt regum conuiuia ferè esse solent, ipsa tantæ maiestatis authoritas requirebat, vt nemo mensam celebritatemque illam, nisi decentissimè vestitus adiret. Vnus ex omnibus intrauit cænaculum pannosus cum vestimento vili & sordido, quem cùm rex ingressus, vt conuiuas suos lustraret, vidisset, interrogauit, quâ impudentiâ, & temeritate splēdidissimo loco, & consessui illustrissimo cum veste fuliginosa, & squalida se inferre ausus fuerit. Non inueniebat, quo inconsiderantiam suam vel dilueret, vel inumbraret, quare apparitores iussi manus, pedesque deuinctum in obscuræ custodiæ angustias compingere: *Tunc dixit rex ministris, ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores;* Matth. 22. 13.

Ioannes Cluniacensis serm. 51. Tom. 3. ait: *Cùm sit ipse fortissimus, & potentissimus rex, non per se in tenebras mittit, sed iubet ministris, vt mittant.* Cur verò non ipse vindicauit effrontis illius inuerecundum facinus, cui perfacile erat non solùm eiusmodi obterere hominem, sed & millenos mundos vno oculorum ictu euertere, & obruere? Noluit ipse meritas flagitioso infligere pœnas, vt omnes intelligerent, quàm inuitus ad puniendum adduceretur, etiam quando illum sua iustitia ad inferenda supplicia, incitabat. Nam castigare propriâ manu habet nescio quod voluptatis, quod Iuno satis indicauit, cùm Ioui narrauit vindictam, quam de Aiacis classe Pallas sumpsit, de qua Virgilius lib. 1. Æneidos v. 45. ità cecinit:

*Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem*
*Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis.*

Volebat ostendere dea Iuno, quàm parum oblectamenti perceptura esset ex pœna, quam irrogatura erat Æneæ, idque eo argumento, quòd manus Æoli implorare necessum haberet, vt is classem inimicam submergeret, cùm pallas per seipsam irrogârit ei, à quo iniuriam accepit, eâque ratione suauiorem sibi reddiderit vindictam: *Ipsa (vide emphasin) met Pallas iaculata est fulmen, est enim dulcis vindicta quæsita manu propriâ;* inquit præstantissimi Poëtarum eruditissimus interpres Ioannes Ludouicus Cerda in lib. 1. Æneid.

Hinc iam intelligimus, cur Dominus non ipse suis manibus in illum animaduertit, qui cum sordido habitu mensam regiam adire, & in præclarissimum cætum se ingerere ausus fuit: Nam cùm *dulcis* sit *vindicta quæsita manu propriâ;* propterea ille eam lictoribus suis commendauit mulctam, quā ipse facillimè irrogare per se potuisset: *Non per se in tenebras mittit, sed iubet ministris, vt mittant;* vt hinc discamus, quàm parum voluptatis ex pœnis

nostris diuinus Iudex capiat, & quàm ægrè adducatur, vt nos supplicijs addicat æternis.

Venerunt Angeli ad ædes magni Patriarchæ Abrahæ optatum nuntium perferentes filij quem ipsi Sara vxor paritura, Superi verò innumeris donis ornaturi, & collocupletaturi essent. Euangelium, quod ferebant, hoc fuit: *Habebit filium Sara Vxor tua*; Genes. 18. 10. Digressi à domo Abrahæ petebant Sodomam, non alio consilio, quàm vt illam ciuitatem, confiniaque loca nefandis sceleribus contaminata destruerent, quod ipsi confessi aiebant: *Delebimus locum istum*; Genes. 19. 13.

Hoc in loco diligenter animaduertendum cum Glossa ordinaria græca, quòd de his Angelis aliter Scriptura loquitur, cùm eos ad Abrahamum pertulisse illa Euangelia refert, atque cùm eos ad sumendam de obscœnis ciuitatibus vindictam abijsse narrat. *Apparuit ei Dominus in conualle Mambre*; inquit Textus sacer Genes. 18. 1. dum Angelorum aduentum ad ædes Abrahæ recensere incipit. *At Venerunt duo Angeli Sodomam*, ait Genes. 19. 1 In his Glossa, quam dixi, græca istud submonet: *Notandum, Vbi beneficia Dei explicantur, Deum adesse, Vbi Verò supplicia exercentur, Angelos mitti*. Quamobrem verò istud? Respondet Glossa: *Vt sciamus; Deo benefacere iucundum, & placitum propriè esse, Vlcisci Verò Deo esse ingratum*. Peramat Deus cumulare homines beneficijs, atque ideò ille dicitur Abrahæ apparuisse, domumque eius inuisisse, cui felicia adferebantur noua, & diu optatæ posteritatis spes fiebat: Verùm vt innotescat, quàm asperum illi, & acerbū videatur statuere aliquid asperū, & seueriùs quidquam agere, atque vti rigore, Angelus dicitur ire, cùm inferenda feruntur supplicia. Benefacit manu propriâ, plectit alienâ, *Vt sciamus Deo benefacere iucundum, & placitum propriè esse, Vlcisci Verò Deo esse ingratum*. Qui enim per seipsum impertit beneficia, & cùm punire necessum est, ministerio huc vtitur alieno, satis ostendit, quàm inuitè, & coactè pœnas expetat.

Celebratissima est illa prodigiosa petra, è qua Israelitici ductor populi solo portentoso virgæ suæ leui verbere prolicuit fluenta aquarum tam copiosa, vt extinguendæ siti & pecorum, & hominum in ea solitudine peregrinorum abundè sat essent. Vt autem eas durum illud saxum daret aquas, non maiore studio esse opus aiebat Dominus, quàm vt illam quisquam verbulo appellaret. Quare aiebat: *Loquimini ad petram*; Num. 20. 8. vbi aliorum translatio habet: *Loquimini ad silicem*; verbo illum ex me conuenite, is enim vestris desiderijs satisfaciet, frigidamque, & humidam ipse exsuccus, & igne plenus affatim fūdet, illâq; populi lachrymas siccabit.

Apostolus 1. Corinth. 10. 4. de hoc silice loquens: aiebat: *Bibebant autem de spirituali, consequente eos, petrâ, petra autem erat Christus*. Plurima dicta sunt ab Expositoribus in illa sancti Pauli, eaque omnia grandia, & præclara. Ad rem præsentem facit considerare, quanto cum mysterio Dominus noster vocetur Silex: *Petra autem erat Christus*.

Magno Basilio admirabile, & diligenti animaduersione dignum visum est, quòd frigidus silex ignē intùs alat, & euibret. *Exilit ignis è silice*, inquit ille homel. 1. in Hexam. *ac frictionibus copiosis emergens elucet, Vbi dignum id est admiratione*. Quis crederet, nisi oculos testes haberet, quòd durum saxum viui ignis scintillas fundat? Sed quî hoc fit? Violento attritu, & *frictionibus copiosis*. Cantauit hoc versibus elegantibus Simposius, (quem mihi Poëtam eruditissimus P. Ioannes Ludouicus de la Cerda in lib. 6. Æneid. v. 5. not. 11. primùm indicauit) qui sic habent:

*Semper inest ignis, sed rarò cernitur ignis,*
*Intùs enim latitat, se solos prodit ad ictus.*

Sententia huius Poëtæ habet, quod & Basilij Magni, & aliorum, includi in silice ignem. Dicit ergo, ignem, tametsi intrà silicis viscera lateat, rarò videri, nec sese conspicuum facere, aut subijcere oculis, nisi verberum vi proliciatur. *Se solos prodit ad ictus*, inquit Simposius, & Basilius, *frictionibus copiosis*. Fortiter contundi, & validè verberari, & violenter feriri, & acriter, vehementerque atteri necessum est silicem, vt ignem edat, ex quo voraces excitari flammæ queant. Sibi relictus, & si nulla ei vis adhibeatur extranea, quâ prouocetur, & irritetur, non vibrat scintillas.

Quòd ergo Dominus noster petræ nomine donatur, *Petra autem erat Christus*, tantundem est, si dicatur, quanquàm ille castiget, feriat, flagellet, condemnet, iræ atque indignationis ardentes flammas habeat, silicis tamen similem esse, qui nunquàm emittit scintillas, nisi quas culparum nostrarum ictus, & scelerum violētus attritus exprimit, & extorquet: *Solos se prodit ad ictus*. Ille enim ex se ingenio est mansueto, benigno, & pio, & non punit, nisi quando aliud non potest, flagellum, quo cædit, nostra illi flagitia in manus ingerunt. Si non est itá, dicite mihi, vbi primùm adornata fuit illa inferorum triremis, in qua contumaces illi spiritus, & animæ damnatæ ad duros remi tractus æternùm desudant, ni-

ſi in fabrili noſtrorum ſcelerum officina? Quis vindictæ inſtrumenta miniſtrat, & flagris aptos funes cannabinos torquet, niſi noſtra peccata? Reus ipſe, & cæcus peccator ſuam ſibi pœnam procurat, & omnium ſuorum cruciatuum, tormentorumque æternorum ſibi ipſus eſt author, & architectator.

Huc adducere commodè poſſumus catholici Martis, & Imperatoris plusquàm magni Caroli V. & Regis Hiſpaniarum noſtrarum inuicti inſignia. Res peruulgata eſt, quòd vellus aureum, ſiue inſignia Cæſareæ domus Bugundicæ ſunt catena ex ſilicibus, & annulis chalybeis, & flammulis, & agno infernè pendulo, quæ omnia hodie tanquàm oræ quædam circumcingunt Catholiciſſimorum Hiſpaniæ Regum, tanquàm legitimorum iſtius domus hæredum, ac dominorum inſignia gentilitia. Habebat ergo auguſtiſſimus hic Monarcha in ſuis inſignibus hæc verba:

*A los humildes cordero,*
*Por q̃ al,*
*yeſca tengo, y pedernal.*

Quibus hic ſubeſt ſenſus latinus: Humilibus ſum agnus, verùm alijs, ſubaudi, qui me proteruiter exaſperare, ac de nihilo irritare velint, paratum habeo fomitem, & ſilicem. Dicere volebat inclytus ille heros, à natiua indole propendere ad manſuetudinem, & clementiam, & ad præmia dilargienda, & ad munificentiam, auſteritate nihilominùs vti velle, ſi neceſſitas ità poſtularet, verumtamen auſteriùs agere nolle, niſi ad modum, quo ſilex ignes reddit, qui hoc non agit, niſi quis per vim illi ſcintillas excutiat.

Hoc ipſum (ſed infinito cum diſcrimine) magnus Deus, & omnipotens Dominus, & Monarcha abſolutus ait, ſe à ſua natura & propria conditione agnum eſſe, vt paſſim vocant Iſaias, Euangeliſtæ, & ſacræ literæ, & prædicatores. Mera dulcedo, pura puta ſuauitas, manſuetudo, pietas, clementia, & benignitas ille eſt: Verùm cùm aſperitate vtitur, hoc pro more ſilicis facit, cuius igniculus erumpit *frictionibus copioſis*, & *ſolos ſe prodit ad ictus*, neque ante, quàm crebrò, acri, ac vehementi attritu exprimatur. Quando enim ſilex, niſi magnopere cæſus, ignes dedit? Sic amantiſſimus Dominus noſter non eximit vaginâ ſuæ iræ gladium, non iacit ſuæ indignationis fulmina, niſi ſcelerum noſtrorũ vis huc illum adducat. Sempiterni eiulatus tenebricoſam carnificinam ſola varijs modis peccandi licentia conſtruxit. Triſtem illam, & horridam inferorum ſolitudinem vna ſuperbi Angeli arrogantia, & protoplaſtorum inobedientia fecit.

Cùm videret Dominus immoderatam barbari Nabuchodonoſoris ſuperbiam, quæ tanta erat, vt infirmam ſuam, imbecillamque & caducam virtutem cum inuincibili Dei potentia componere vellet, hoc illum ſupplicio mulctauit, vt conuerſus in brutam pecudem ex hominum contubernio & commercio expelleretur, fœnumque vt bos comederet. Poſſet hîc quiſpiam Dominum querulus piè, humiliterque appellare, & interrogare, quomodo ipſe, qui glorioſum ſemper duxit benignitate affluere, parcere, & indulgere, in feram beſtiam deformârit, atq; ad incultæ eremi habitationem, brutorumque conuictum damnârit hominem, quem alioquin tanti ſemper fecit, & tam vehementer amauit. Vbi tunc viſcerum illius teneritudo, & blanda, ſuauiſſimaque facilitas morum?

Huic quæſtioni occurret ipſe Dominus, inquit Propheta Daniel, & dicet: *In ſentẽtia Vigilum decretum eſt, & ſermo ſanctorum, & petitio*; Dan. 4. 14. hoc eſt: Quòd homo ex hominibus tam probroſè proiectus, atque in monſtrum ſylueſtre transformatus, in aſperis, incultis, deſertisque locis communem cum brutis animantibus agere vitam coactus fuit, hoc nemo admiretur, ſupremi enim ſenatus Angelorum edicto ità ſtatutum fuit, ſanctique omnes multis verbis hortati ſunt, & rogârunt, vt tali animaduerſione ille percelleretur, & affligeretur. Fit vt vir quidam primarius contrà morem ſuum ſolennem, & natiuæ conditionis conſuetudinem aliquid ſtatuat. Admirantur omnes, quotquot tale quid feciſſe intelligunt. Vt autem faceret, id eorum importuno ſtudio contigit, quorum precibus magnis, & crebris exhortationibus eò impulſus fuit. Ille ergo his, qui modum ipſius agendi inſolentem ſtupent, reſpondebit: Neminem moueat, quòd contrà atque aſſueui, nunc feci, neque nouum cuiquam accidat, quòd ingenio meo vim attuli, & morem meum priſtinum, & veterem conſuetudinem prætermittens, natiuæ indolis meæ limites exceſſi, hoc enim alij quidem tam magnum in modum obſecrârunt, & reſecrârunt, alij tam multis verbis, tam frequentibus exhortationibus ſuaſerunt, vt aliud facere non potuerim. Tantundem reſpondebit Dominus inquit Daniel, ſi qui admiratione afficiantur, quòd eum ſolito vehementiùs inflammatum irâ, & acriores de intolerabili cæci Nabuchodonoſoris ſuperbia pœnas repetentem videant. Nemini mirum videatur, quòd præter ingenij ſui morem durius quid ſtatuat, *ſermo* enim *ſanctorum, & petitio* huc illum adduxit, Angelique, & reliquus Superorum

beatus conuentus totus tam diu, ac multùm id rogârunt, & consuluerunt, vt minus, mitiusué aliquid facere nequiuerit. Tam ægrè namque eò permouetur Dominus, vt asperioribus supplicijs quenquam addicat, cumque flagellum in manus sumit, id natiuæ illius conditioni sic repugnat, vt importunis precibus, & hortatibus opus esse videatur, quibus ad castigandum excitetur.

*Vide de hoc argumento Periocham quartã Dominica VIII. post Pentecosten Tom. II. pag. 156. c. 1. o. & quæ ad calcem illius subnotata.*

## CAPVT IV.

*Cùm Dominus sit origo, & fons omnis boni, hinc fit, vt non egeat præsidio, quo defendatur, neq; seruo stipatore opus habeat.*

NOluit ergo Dominus Isaacum in Ægyptum commigrare, inquiens: *Ne descendas in Ægyptum*; ne quis arbitraretur, necessarium fuisse illi Ægypti fertilem, abundantissimamque regionem, vt Isaacum, familiamque eius copiosam, & greges pecorum numerosos pascere posset. In magnam honoris imminutionem cederet tanti Domini, qui est fons, & scaturigo omnis boni, si hac laborare existimatione inciperet, quòd huius, vel illius patriæ opem desideraret, quò illis, quibus vellet, necessariam præbere alimoniam posset. Hoc nimirùm est, quod magnus hîc Dominus semper contendit, vt homines intelligant, persuasumque sibi habeant, prorsùm nihil indigum esse rerum earum, quascunque illi in suis numerant. Nam cùm apud se magnitudinem suam habeat, & domi opum copiam immensam, & infinitam potentiam, tenuitate recularum nostrarum nihil indiget, vt amicorum, & seruorum suorum necessitati succurrat, aut efficiat, quidquid illud cupit, vel desiderat.

Aggressus fuit mundi Reparatorem fraudulentus Dei, atque hominum inimicus, sperans potentiam illius dolo eludere, & fraude circumscribere posse. Vnum autem inprimis scire expetebat, vtrum Dei filius esset, cui insidias adornabat, arripiensque occasionem famis, quâ ille ex quadragiũta dierum, totidemque noctium inediâ laborabat, totum lapidum aceruum illi offerebat, inquiens: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*; Matth. 4. 3. tanquàm dixisset: Cælo vox delapsa filium Dei te proclamauit, hactenùs autem signum nullum à te editum vidimus, quod talem probet, ac testetur. Vt mihi omnem de te suspicionem alienam adimas, & quis verè sis, certum facias, id per occasionem, quæ se offert, fieri commodè potest. Impera, sis, ergo, vt dura hæc saxa in mollem, gratumque panem transmutentur, vt de tanti miraculi opere te filium Dei arbitrari, & persuadere nobis possimus, non fuisse falsam vocem, quæ te talem pronuntiauit. Respondit Christus frandulento tentatori: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; ibid. v. 4. velut pluribus dixisset: Tu mihi lapides, veterator, offers, vt eos in panes vertam, & ad leuandam esuriem meam sumam. Scire te volo, non solo pane hominem pasci, sed verbum etiam, quod ab ore diuino proficiscitur, illi pro victu esse, & alimonia. Vtroque ergo homo indiget, vt viuat, hoc est, & pane, & verbo Dei.

Dicit nunc sanctus Petrus Chrysologus: Videte quò se malus dæmon præcipiat! Panes offert Dei Filio, qui est panis è cælo delapsus, quod de se ipse affirmabat, & Verbum, quod procedit, egrediturq;, & dimanat ab ore, hoc est, intellectu æterni Patris. Quòd autem panem pani obtulit, & alimoniam ministrare alimoniæ, & verba dare Verbo voluit, quàm id factum vanè, & otiosè! *Quàm verè viuit in Verbo Dei Dei Verbum! Quàm verè panis non indiget pane!* exclamat sanctus Rauennatum Episcopus ser. 13. Si flumina mari aquas offerrent, si fontibus riuuli propinarent, si stellæ Soli lumen ex se mutuari vellent, quanta ea stultia, amentia quanta foret! Par fuit dæmonis fatuitas, inquit Chrysologus, cùm panem inuitauit ad panem, vitam vitæ obtulit, & ipsi saturitati alimoniam victus: *Quàm verè panis non indiget pane!* Nam supremus, & absolutus, & affluentissimus Monarcha, qui est mare immensum, ex quo bona omnia profluunt, & fons perennis, ex quo gratiarum dona cuncta dimanant, & Sol indeficiens lucis, quæcunque illa est, pares, & vita essentialis, ex qua omnia spiritum ducunt, quæ viuunt, quomodo necessitate rei cuiuspiam laborare potest, quomodo aliunde quidpiam mendicatò petere, qui est saturitas vniuersorum?

Considerationem non exiguam, aut perfunctoriam meretur, quòd Dominus, qui tanti fecit hominem, vt secum ipse velut deliberârit, consiliumque ceperit, cùm è puluere terræ excitare illum voluit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; Genes. 1. 26. demùm verò post consultationem ad imaginẽ suam, ac similitudinem illum finxerit, effigiaueritque. Eximium hoc beneficium fuit, quòd hominem non absque certo consilio condidit, & gratia peculiaris, vni illi, ex omnibus

bus creaturis, quæ ab illis diuinis manibus prodierunt, specialiter reseruata, quòd postremus omniū, cùm cœli, terra, fænum, herba, bruta creata essent, formatus ipse fuit. *Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, complevit Deus die septimo opus suum*, inquit sacrum oraculum, Genes. 2. vers. 1. & 2. cœlis autem, terrâque, & omnibus, quæ illa complectuntur, absolutis, hominem extremo loco condidit. At si pro ostentatione singularis ergà hominem amoris, & pro significatione existimationis maximæ, in qua apud supremum Opificem suum ille erat, tanto præeuntis consultationis apparatu vti voluit, cur postremum omnium formauit? Cur imaginem suam non inter ipsa statim mundi primordia confecit? Cur omnipotentiam suam non huc ante omnia vertit, vt sui similem hominem præ cunctis produceret?

Huic dubitationi, seu querimoniæ occurrit Sanctus Constantinopoleos Archiepiscopus Ioannes Chrysostomus homel. 3. in epist. ad Philem. tom. 3. inquiens: *Postremò creauit hominem, quòd nullo egeret, nam si nostri eguisset, profectò longè ante fecisset.* Creauit immensus Conditor, excitauitque è terra protoplastum confertum multis gratiarum donis, condecoratum virtutibus, exornatum raris perfectionibus, fecitque ad imaginem, & similitudinem suam, quod inexplicabile beneficium, & gratia incomparabilis fuit. Si ergò illum primo statim loco formasset, cogitare ipse poterat, id factum, quòd sua opera illi necessaria fuisset ad absoluendum, perficiendumq; reliquam Vniuersitatis machinam, aut quòd è consultore indiguisset ad eam sumptuosi operis molitionem, & fabricationem, atque idcircò ante omnia condidisse, vt se haberet structuræ cæteræ adiutorem. Vt ergò à tam falsa absolueretur opinione, intelligeretque omniscium illum architectum neque consilio cuiusquam eguisse, neque auxilio, ad excitandum vastam hanc machinam, ad construendum amplissimos illos, & splendidissimos cœlos, ad concinnandum diffusam hanc, & herbidam, viridemque terram, ad formandum tam varia animalia, tam diuersa elementa, propterea hominem post alia omnia creauit, *compleuitque* in illo *opus suum, nam si nostri eguisset, profectò longè ante fecisset.* Immenso illi Domino, & virtutis infinitæ Monarchæ ad nullam rem seu famulis, à quibus stipetur, seu consultoribus, quorum prudentiâ regatur, seu operarum præfectis, à quibus adiuuetur, est opus. Ipse vt est infinitè sapiens, & omnipotens, ità sibi solus & architectus, & consultor, & præfectus supremus, & omnia est ad omnia, quæcunque molitur, aut cupit fieri.

Nam vt illustrissimus martyr Sanctus Zenon in sermone de Fid. To. 2. Biblioth. VV. PP. ait, *non potest esse perfectum, quod aliunde expectat sibi aliquid necessarium*, non potest esse numeris suis absolutum, quod manus desiderat alienas, studiumque extraneum siue ad conseruandam vitam suam, siue ad perficiendum suas operas. Et cùm Deus sit ipsa perfectio, & origo omnium, quomodo siue hominum ope, siue Angelorum adminiculo opus habeat ad quiduis illud conficiendum?

Quando formosa illa Pœnitens domum Simonis Pharisæi, & locum conuiuij, in quo pientissimus mundi sospitator discumbebat, ingressa fuit, vt apud illum scelerum suorum, quorum vehementissimo dolore iam angebatur, gratiam eblandiretur, *lachrymis cœpit rigare pedes eius*, vt Lucas ait c. 7. v. 38. quas mærens, & subpudefactum ex vitæ superioris recordatione cor vi magnâ per oculos vertit.

Docto cuidam moderno Patri Laurentio de Zamora Monarchiæ suæ mysticæ part. 7. lib. 8. symbolo de Magdalena §. 2. quærere in mentem venit, cur felix Peccatrix, postquàm personam Christi diuinam fonte suarum lachrymarum rigare voluit, non priùs illius capillos, quàm pedes irrorauit. Dubitatio ista huic authori inde nata est, quòd sacrosanctus Dominus, à quo illa noxarum suarum indulgentiam sperabat, & efflagitabat, non tantùm verus Deus, sed & perfectus homo esset, *homo* autem, vt receptissima, & celebratissima Platonis sententia habet, sit *arbor inuersa*, cuius radix sunt capilli, rami crura, pedes, brachia, arborum autem non rami, sed radices rigari soleant. Quid ergò Magdalena, quando ad rigandum Dominum animi cogitatum adiecit, à ramis, h. e. pedibus ordiri irrorationem suam cœpit? *lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Cur non capillos, qui pro radicibus erant, primùm infudit?

Respondet quæstioni eruditus ille author, hoc discrimen esse inter irrigationem radicum, & ramorum arboris, quòd cùm incrementum, emolumentumq; arboris quæritur, tunc ad radicem aquæductus dirigitur, ab ea namque totus arboris viror, & vigor, elegantiaque omnis, flos item, & fructus nascitur: Verùm quando aquæ vtilitas, & commodū expetitur, tunc illa ramis, folijs, & cæteris arboris partibus infunditur, vt arbor vim suam exerens in aquam deriuet, quod in multis arboribus, & plantis fieri videmus, quibus supremus Conditor varias proprie-

proprietates, & virtutes ad medelam diuerſarum ægritudinum, aliarumq; neceſſitatum depulſionem indidit. Vt ergò palàm fieret,illam ſacræ Pœnitentis irrigationem, & aquam, quæ ab oculis eius deſtillabat, in ipſius vtilitatem, & animæ ſalutem, & neceſſitatum remedium cedere,illique pro theriaca eſſe aduersùs omne peccatorum perpetratorum venenum,& contrà culparum toxicum,ordinauit Dominus, vt aqua oculorum in ramos pedum, non in capillos,qui radicum inſtar erant,incideret. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius*. Supremus enim Dominus,& magnus mortalium Conditor nullius auxilio eget, vt augeſcat, nullius ope, vt in ré qualicunque proficiat,ille namque eſt rerum omnium incrementum, ille fons originalis, ex quo cuncta bona emanant, ille omnium gratiarum author vnicus.

Vires adijciam huic conceptui ex authoritate ſacri Mediolanenſium Archiepiſcopi, vt ne ta[illegible]ſignis, & grauis authoris obſeruatio ſuo ſit deſtituta fulcimine. Beatus Ambroſius ergò apud S. Thomam in catena aurea To.4.BB.HH.in feſto Magdal. ſic habet: *Lauit lachrymis pedes Christi,lauit maculas proprias, terſit comis, vt per eas ſibi aſſumeret ſacros ſudores.* Hæc ille, velut dixiſſet: Cùm pedes Chriſti ſacroſanctos, hoc eſt, arboris vitæ ramos aquâ ſuorum oculorum pœnitens Magdalena perfudit, ſuorum ſcelerum labes diluit, quòdque ſuis capillis,tanquàm radicibus,pedes Domini velut quoſdam cœleſtis plantæ ramos,deterſit, hoc fecit,vt ex ijs vim cœleſtem attraheret, quâ omnium flagitiorum ſuorum venenum ab anima depelleret.

Quàm acutè verò dictum ab Ambroſio, *Terſit comis, vt per eas ſibi aſſumat ſacros ſudores*! Magdalenæ ſui capilli pro radicibus, pro ramis Chriſto ſui pedes erant, iuxtà Platonis ſuprà memoratam ſententiam. Vt itaque totus mundus intelligeret, omnia bona noſtra ex omnipotētib⁹ Dei manibus deſcendere, Dominumque nullius rei indigum eſſe, fecit vt Magdalena ſuos capillos, hoc eſt radices admoueret pedibus,ſiue ramis Chriſti, vt ab his ramis illæ radices vitam ſuam traherent. Et velut homo eſt arbor inuerſa, ſic omnia inuerti voluit, vt rami radicibus, folia ſuo trunco vitam darent: *Terſit comis, vt per eas ſibi aſſumat ſacros ſudores*; cùm ordo rerum naturalis id habeat, vt radix alimoniam, vitamque ramis, folijs, frondibus, fructibuſque miniſtret. Tam magnus quippè,ac potens Dominus nullâ irrigatione, ſiue aquâ virtutis alienæ opus habet, cùm ipſe ſit irrigatio, aqua, vita, ſpiritus, & incrementum omnium. Omnipotentiæ, & prouidentiæ diuinæ impendijs omnia conſeruantur. Ille vnicus, & ſupremus Dominus eſt, è cuius liberalibus manibus omnia ſuum victum habent.

Quo tempore cauſa Chriſti Redemptoris noſtri agitabatur, interrogabat eum Pilatus: *Tu es rex Iudæorum?* Ioan.18. 34. Et poſtquàm innocens reus iudicem iniquum aliud quidpiam è contrà percontatus fuiſſet,ſermonem ſuum his verbis abſoluit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis*; ibid. v. 36.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus apud Hugonem Cardinalem in c. 18.Ioannis ait: *Hic oſtendit Christus regni terreni imbecillitatem, quoniam in miniſtris habet fortitudinem, regnum verò ſupernum ſufficiens eſt ſibi ipſi, nullo indigens miniſtro.* Cùm Chriſtus inquit, ſi regnum meum terrenum eſſet, ſatellites mei ad defenſionē meam proſilirent,& à Iudæorum manibus me vindicarēt,quàm tenuibus viribus ſint reges temporales, quàmque exilis, & infirma eorum potentia, talibus verbis indicare voluit. Et verè infirma eſt eorum valetudo, qui perſtare nequeunt, niſi præſidiarios habeant milites, & tribunos, ſubſidiarioſque homines alios, qui numos, tributa, veſtigalia ad vitæ alimoniam ſuppeditent: *Regnum autem ſupernum ſufficiens eſt ſibi ipſi, nullo indigens miniſtro*, non armis, non cenſibus, non milite opus habens, nam qui humeris nititur, & ſuſtentatur alienis, luculento ſuam imbecillitatem probat inditio.

Adſtipulatur his Propheta regius,qui cùm de ampliſſima huius ſupremi Domini monarchia loqueretur, aiebat: *Populi ſub te cadent*; Pſal. 44. 6. tanquàm dixiſſet: O potentiſſime monarcha quàm multæ nationes, & prouinciæ, quàm varia, & vaſta regna inſuperabilibus pedibus tuis ſubacta aſſundentur. Subdit autem ſtatim: *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi*; ibid v. 7. hoc eſt, ſublimis thronus tuus perpetuus eſt, ſolium æternum, quod finem neſcit, & vitæ tuæ longiturnitatem exæquat.

Sanctus Baſilius Magnus in commentario huius Pſalmi ait: *Pulchrè admodùm poſt populorum ſubiectionem, regni Dei magnificentiam concelebrat.* Omninò peropportunè rex pœnitens ſedem Dei fore ſempiternam tunc commemorat, poſtquàm dixerat, populos multos illi ſubiugandos. Sed cur imperij illius æternam fore durationem dicit, *ſedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi*, cùm tot habiturum, & habere ſubditos præfatus fuerat? Cauſa ea eſt, vt nemo putaret, ſedem Dei niti humeris ſubditorum

populo-

populorum,aut ex ijs illius magnitudinem pendere. Falluntur qui sic existimant, neque rem intelligunt, qui ità arbitrantur. Nam quòd illos habet subditos, id pro ipsorum honore, & existimatione facit, neque ob aliud, quàm quòd è re ipsorum sit,illi seruire,domesticosq; illos adsciscit,& admittit, tantùm vt illos eâ dignitate ornet, & collocupletet. Qui enim immensè potens & infinitè diues erat, priusquàm illi nati fuerant, quomodo illorum ope indiguisse potuit? Tam absolutus namque Dominus, & independens monarcha non solùm nullo habet opus, sed omnes etiam ex illo pendent, quod mox videbimus.

## CAPVT V.

*Ex omnipotente,& independente manu Dei pendent vita, & spiritus omnium quæ viuunt, & spirant.*

QVàm aliter hoc accidit, ac vanorum quorundam,arrogantiumque hominum cogitatus persuadere sibi soleant! Deponant ergo errorem suum, sciantque omnes, nullam esse creaturam, quæ non ex munifica supremi huius monarchæ manu pendeat, cui sic loquebatur Propheta ragius: *Omnia à te expectant, vt des illis escam*; Psal. 103. 27. Nullum est bonum, siue naturæ illud, siue gratiæ, siue à Deo infusum,siue studio nostro partum, quod non à manu Dei veniat. Ab illa ergo omnia expectare, ipsumque cunctorum donorum,& beneficiorum autorem vnicum confiteri debemus.

Cùm regulas supremus Legislator leprosis præscriberet, & cæremonias, ad quarum normam emundare sese à maculosi morbi næuis deberent, hæc inter alia præcipiebat: *Die octauo assumet duos agnos anniculos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium*; Leuit. 14. 10. Notandum, quòd hæc sanitas, de qua hic sacer textus loquitur, recuperata fuerat medijs, & remedijs naturalibus, non miraculosis. At si lepra vi, & efficacitate medicamentorum naturalium depulsa fuerat, quamobrem leprosus adire templum,ibique offerre sacrificium debebat, vt se à contagiosæ infirmitatis fœditate perpurgatum testaretur?

Respondet Oleaster quæsito valde aptè in rem præsentem, dicens: *Sunt, qui sola miraculosa Deo referunt, & pro eis gratias agunt, nempè si subitò ex ægritudine conualescant, aut ab incurabili sanentur morbo, & id genus alia, quæ verò beneficio naturæ, aut medicorum ope proueniunt, negligunt in Deum collocare, ac si ipse nihil in huiusmodi effecisset, quos locus iste redarguit, qui pro sanitate ope naturæ adepta sacrificium offerre iubet, vt aliequin mundatus agnosceret, hoc se à Deo recepisse, & illi gratus esset.* Sunt sanè, atque vtinam non tam multi, qui hoc tantùm in Dei beneficijs numerant, ac pro eo solùm illi se obnoxios putant, quòd miraculo consequuntur, quale est, si à graui morbo repentè liberentur, aut desperatam à medicis consequantur sanitatem,si postridie inopinatò conualescant, quorum corpora pridie tantùm non conclamata erant, si quæ proxima illis, ea fulmine tangantur, ac deflagrent, ipsi verò nihil inde damni accipiant,aut si aliud quid huiusmodi eis accidat: Verùm si quid vel naturæ beneficio, vel medicorum industria, & solicitudine,vel medicinæ virtute ijs obueniat, non tanti faciunt, vt pro illo gratias Deo referendas putent, tanquàm is huius rei, aliarumque talium non sit causa præcipua. Horum ingratitudinem lex illa perstringit,quæ litare sacrificium iubebat pro ea etiam bona valetudine, quæ naturæ opitulatione, & medicorum peritiâ instauratâ redierat, vt qui eam receperat corporis optatam munditiem, intelligeret, Deo illam debere ferre acceptam, gratusque plurimùm esset pro beneficio ab ipsius liberali manu accepto, à qua tanquàm originali fonte,omnia descendunt,corporis sanitas, opum facultates, sapientia, virtus, prudentia, & quidquid rectè agitur, regna, dominia, vita, respiratio, gratia, autoritas, fauor, & quidquid demum est, nullâ re, vel creaturâ prorsùm exceptâ.

Commendabat Sponsus staturam, & venustam corporis structuram Sponsæ suæ,decentissimamque illius proceritatem, & aiebat, illam palmæ similem esse: *Statura tua assimilata est palmæ*; Cant. 7. 7. Multa dixerunt Expositores de hoc tam festiuo, ac mystico encomio,quo Sponsam suam diuinus Sponsus ornauit. Causæ præsenti commodum veniet, quod S. Ambrosius lib. 3. Hexam. cap. 3. affirmat de palma, inquiens: *Videas palmã, quæ dactylos generat, inclinantem ramos suos, & subijcientem ei arbori, quem marem arborem appellant.* Qui res naturales stylo persequuntur, certum, exploratumque aiunt, esse inter palmas certum quoddam coniugij genus, Sponsamque, quæ mulieris officium in hoc naturali matrimonio obit,proferre fructus. Docent hoc Plinius, Bartholomæus Anglicus, Petrus Berchorius, Geminianus,Dionysius Cassius cum alijs non paucis. Sed notandum, quod Ambrosius, cæterique autores tradunt, fieri non posse,vt palma fœmina,

fœmina, quæ fructus edere solita, dactylos vllos producat, nisi propè ob oculos habeat palmam marem, quæ Sponsi vices exequitur. At quid agit palma fructuum parens? Id quod Ambrosius de illa pronuntiat: *Videas palmam, quæ dactylos generat, inclinantem ramos suos, & subijcientem ei arbori, quem marem appellant.* Palma Sponsa, quæ fert fructus, ramos suos Sponso arbori perpetuum submittit, velut ad significandam sempiternam subiectionem, aut tanquàm æternùm se illi mancipatam, debitaq; gratitudinis tributa pendere velle testaretur suæ fertilitatis autori, dulciumque fœtuum suorum parenti, ac genitori.

Quod ergo ad Sponsam suam Sponsus ait: *Statura tua assimilata est palmæ*; tale est, ac si eam vrbanè peramanterque monuisset, vt palmam imitari studeret eam, quæ est fructifera, quæ ad commonstrandam suam gratitudinem, quàm Sponso suo debeat tanquàm omnis suauis germinationis suæ authori, ramos suos illi velut ad reuerentiam pro concesso fructus beneficio submittit. Sic omnis anima vnum hoc perpetuò agnoscere, & cogitare debet, quidquid bonorum habet, & gratiam, quacunque apud alios valet, & beneficia, quæ obtinet, & diuitias, quas possidet, ea omnia suo Sponso, tanquàm fonti originali, à quo promanant, & velut supremo patri, à quo deriuantur, debere. Nimirùm quidquid habemus felicitatis, id à liberalibus illius manibus nobis venit.

Postquàm hominem primum maiestas suprema creasset, sociamq; vitæ illi auxiliarem dedisset, amplissimam ijs facultatem concessit, vt de fructibus arborum, quibus ille voluptuosissimus locus conuestitus erat, esitarent, ab vna tantùm scientiæ boni, & mali arbore abstinerent. Textus sacer id his verbis memorat: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam*; Genes. 1. 29.

Dubitari hoc loco potest, cur Dominus, qui hominem, quem condidit, tam varijs, insignibusque percoluit donis, exornauit gratijs (quo de suprà recurrit sermo) voluit, & ordinauit, vt ille vitæ suæ conseruationem, ac propagationem à paradisi arboribus velut mendicatò peteret, ab eisq; corporis sui alimoniam acciperet. Decentius enim, vt videtur, factum esset, si homo suam ex seipso sustentare vitam posset, neque arborum gratiâ, fructuumque vsu ad hanc rem opus haberet. Cur ergo diuina prouidentia talem conseruandæ vitæ humanæ ordinem instituit, voluitque vt nutricationem suam aliunde expectaret, atque ab extraneis alimentis penderet?

Respondet vetus pater Algerus de sacram. lib. 2. cap. 2. Tom. 6. Bibl. Vet. Patrum, inquiens: *Cùm omnia posset Deus, non in nobis ipsis, sed in exterioribus alimentijs temporalem vitam nostram retineri voluit, ne nobis debere videremur, quod sumus, sed ei potiùs, à quo sunt illa munera, vnde viuimus.* Facilè erat diuinæ prouidentiæ concedere homini, vt penes se haberet, atque in seipso circumferret fontem suæ vitæ, sic vt extraneo nutrimento nullo egeret, neque necessum haberet panis, fructuum, carnis, taliumque rerum pastu ad hanc rem vti, quæ sunt fragilis, & caducæ vitæ nostræ quædam velut statumina, & pedamenta: Voluit tamen vitam nostram ab extraneis escis, & studio pendere alieno, ne illam nobis tribuere posse existimaremus, sed verum nutricationis nostræ autorem agnosceremus, qui alimoniam, quâ viuimus, ministrat: *Ne nobis debere videremur quod sumus, sed ei potiùs, à quo sunt illa munera, vnde viuimus.* Vult enim Dominus, vt omnibus modis ipsum causam, & autorem omnium agnoscamus, & reuereamur.

Sanctus Marcus Euangelista refert, tres Marias postridie Sabbati venisse ad monumentum dominicum cum magna vi vnguentorum aromaticorum, quibus sacrum cadauer, ex more hominum magis religiosorum, vngerent. Posthæc narrat Euangelista, quòd gloriosus mortis triumphator pro singulari ergà mulierem, quæ quondam in ciuitate peccatrix fuerat, beneuolentia *surgens mane, apparuit primò Mariæ Magdalenæ*; Marci 16. 9.

Cardinalis Caietanus ait: *Hinc habemus horam resurrectionis Christi fuisse in aurora.* Dicit enim de illo Marcus, surrexisse mane.

Pono hoc loco tanquàm fidei dogma indubitatum, quòd resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum nostrorum, quemadmodùm docuit sanctus Paulus, inquiens: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes viuificabuntur*; 1. Corinth. 15. 22. Quid causæ sit, quòd Dominus cùm appetente die, & primula crepera redire in vitam voluit?

Respondet Caietanus appositè in causam, quam tractamus: *Valde congruè dies æternitatis gloriosorum corporum incipit cum aurora, resurrectio enim Christi est initium vniuersalis resurrectionis omnium corporum, sicut aurora est initium diei.* Magno ergò mysterio factum, quòd Christus tunc surrexit, cùm aurora progredi cœpit, vt significaret, velut aurora

est

est prodromus solis, & currus triumphalis aduenantis diei, & porta lucis, ità suam resurrectionem esse originem, causam, & principium resurrectionis nostræ. Omnia nimirùm sic disponuntur, vt palàm fiat, non posse esse diem æternitatis absq; rutilante aurora gloriosæ resurrectionis inclyti triumphatoris Christi, & confiteantur omnes, non esse aliud nostræ gloriæ ostium, nec aliam veræ felicitatis viam.

Hæc vna è multis, eaque præcipua causa est, ob quam Dominus ordinauit, vt Chananæi grauem illam, calamitosamque sterilitatem paterentur, cuius hîc sacer textus mentionem facit. Est illius terræ feracissimum solum, totisq; annis, qui inter Abrahæ, & Isaaci sterilitatem intercesserunt medij, *fuerunt tempora satis læta*, inquit Abulensis, cœlumque rorem opportunum submittebat, humusq; fructus suos tempestiuè reddebat, gregum armenta, cæterique pecoris plurimùm subolescebant, & fœtus magno numero edebant, & omnia vbique affluebant. Vt ne ergo homines illam suis meritis abundantiam adscriberent, permutauit Dominus sortes, & cœlum velut claui conclusit, & terram sterilitate damnauit, fecitque vt magna esset rerum omnium, quas victus requirit, penuria, vt omnes intelligerent, pluuiam, rorem, brutas animantes, alimoniam, vitam, & quidquid est, à munifica clementia generosi illius, & perliberalis pectoris venire.

*Adi Periocham I. Dominicæ IV. post Epiphaniam ex Tomo 2. pag. 432. col. 2. o. Vbi hanc in rem plura inuenies, & lectiora, atque illustriora.*

## CAPVT VI.

### *Antè ignis adurere, & lucere sol desinet, quàm errare homo arrogans, sibiq; nimium tribuens.*

ABijt ergo obediens Patriarcha noster ad regem Palæstinorum Abimelech in Gerara, cùmque ab incolis terræ illius interrogaretur, quænam ea mulier esset, quàm circumducebat comitem, respondit: *Soror mea est*; Genes. 26. 7. Notant hîc Interpretes, quàm studiosè S. ille Patriarcha inhæserit vestigijs sui patris, qui cùm ob similem famis causam in Ægyptum descenderet, præuideretque in quantum periculum adducere illum suæ vxoris pulchritudo posset, aiebat illi: *Dic obsecro te, quòd soror mea sis*; Genes. 12. 13. nam si statum tui conditionem scire volentibus id responsi dederis, commodè mihi propter te erit. Tantundem nunc agit Isaac, cùm enim ex illo sciscitarentur, quænam esset fœmina, quam viæ sociam habebat, respondit, sororem suam esse. Ad huiusmodi responsum eisdem rationibus permotus fuit, quibus pater illius Abraham, qui necem sibi inferendam timebat, si vxorem confiteretur Saram, verebaturque ne vitam sibi adimerent, quò licitè illâ vti possent, per id enim tempus, vt affirmant Lyranus, Abulensis, Pererius, Oleaster, Cornelius, grauissimum habebatur adulterij scelus, atque ipso homicidio atrocius flagitium.

Per omnia ergo prudentis patris imitator fuit humilis filius. Sic etiam ad illius imitationem pro leuanda necessitate famis voluit petere Ægyptum, puteosque, quos ad victum suæ familiæ, & pecorum fodit, *appellauit eisdem nominibus, quibus ante pater vocauerat*, Genes. 26. 18.

In his omnibus ostendit quàm vehementer cuperet rectè agere, secùs atque alij arrogantes liberi, qui cùm parentum suorum bona ab illorum morte hæredes adeunt, *tollunt, commutant, abradunt, aut certè emendant ædificia, hortos pensiles, totum etiam regendæ familiæ ordinem, ac omnem statum paternæ domus exterminant, vt se patribus sapientiores esse ostendant, & quasi pudeat aliorum, vel parentum vestigijs insistere*, vt magnus huius libri Interpres Fernandius sect. 3. n. 3. prudenter submonet. Verùm illos superbiæ suæ pœna extemplò persequitur, errant quippè in omnibus, quæcunque nouant, & ex sinistris effectibus stulta illorum consilia, & iudicij inconsulta ratio, atque inconsiderantia elucescunt. Iustum autem hoc est supplicium eorum, qui plus satis sibi vendicant, cùm nouas semitas tenere, & diuerticula nemini hactenùs vsitata indagare volunt. Debitissima arrogantibus vindicta est, turpiter cadere. Quicunque enim sibi nimiùm præfidunt, non longius ab errore absunt, quàm quòd cunctantur in opus explicare, quòd facere temerè, præcipitanterque decreuerunt, sic vt simul & à recto deflectere, & ex sensu proprio agere incipiant. Hinc accipiat noster Politicus, quantùm illi conducat sequi consilia, & sententias aliorum, si prudenter rem suam curare velit.

Pascebant fratres Iosephtis oues patris sui in Sichem, Iacob scire cupiebat quid agerent, & quid illis in suo pastoritio munere accideret. Quare filium suum Iosephtem vocauit, & ait illi: *Veni mittam te ad eos*; Genes. 37. 13. Respondit Ioseph: *Præstò sum*; ibid. v. 14. volabo, quò me cunque ablegâris, neminem certè domi habes, qui expeditiùs, quàm ego, abire, & redire, neminem, qui promptiùs, faciliùsque iussa tua exequi velit, ac possit. Abijt adolescens,

lescens, & post aliquantum tempus *inuenit eum Vir errantem*, ibid. v. 15.

Philo Iudæus lib. *quòd deterior potiori insidiari soleat*, inquit: *Paratum te ais, dicens*, Præstò sum, *argumento est, quòd inueniet te paulò post homo errantem in Via*; tanquàm pluribus dixisset: O bone Ioseph, quàm mihi subolet, quòd non multò post errabundus deflectes! Nonné à patre vocatus, & iussus ire perquisitum fratres, exploratumque quomodo haberent, aut quid agerent, subitò promptum, paratumque te itineri obtulisti? Nonné tibi præfidebas, posse mandata patris tam faciliter, feliciterque, quàm alius nemo, perficere? *Argumento est, quòd inueniet te paulò post homo errantem*, certo prognostico est, quòd de via quamprimùm abibis, & citò cades.

Premendum est in his Philonis illud: *Inueniet te errantem in Via.* Deuiare, aut extrà viam errare multis etiam prudentibus, & circumspectis accidit: At errare in via cuinam contingit? Arroganti, & sibi præfidenti euenit, vt in pœnam suæ temeritatis, & præcipitantiæ, Deo permittente, in itinere ipso vagus errore ducatur, & in rebus luculentissimis; & maximè perspicuis, & facillimis fallatur, tenebrasq; turpiter offendat, vbi alij lucem inueniunt.

De Esau ita dicitur Gen. 26. v. 34. *Esau quadragenarius duxit Vxores, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemach filiam Elon eiusdem loci.* Si Esau statim pernosse, & qualis ille fuerit, scire velis, inquit sanctus Ioannes Chrysostomus, id absque multo labore facias, dùm ad illius actiones modò animum aduertas. Quidnam ille fecit? Coniugium inijt, idq; subitò, parentibus nihil conscijs, cùm tamen patris sui vel maximè consilium expetere debuisset in re tam momentosa, quàm erat connubium illius, qui se inclytæ prosapiæ, & illustrissimæ domus primogenitum reputabat, nuptiasque contrahebat cum mulieribus barbaris, extraneis, idololatriæ deditis.

Chrysostomus homel. 53. in Gen. ait: *Vt statim initiò suos mores indicet, inconsultis parentibus illas Vxores duxit.* Vt nemo diu dubius hæsitaret animo, quàm infelices successus habiturus esset agrestis Esau, vt ne quis longo diuinandi, quàm sceleratam vitam ducturus inposterùm esset, labore sese defatigaret, facere illud poterat, si præcipitantiam illius, & agendi temeritatem attentiùs expenderet, nam qui hæc diligentiùs considerabat, simul videbat, quàm sinistrum finem in rebus omnibus habiturus esset. Qui enim rem quamlibet cum præsumptione temerè incipit, is absoluere illam absque errore non potest. Et qui per omnia suum sequitur pertinaciter sensum, & iudicium, quid potest expectare, nisi suum præcipitium? *Vt statim initiò suos mores indicet Esau, inconsultis parentibus illas Vxores duxit.* Cui capitis sui sententia est pro vitæ regula, qui consultore, quàm se, non vtitur alio, quid sibi nisi prolapsiones turpes, & errata plurima, promittere potest?

Vt rem tam grauem sermone prolixiore pertractem, noster Politicus facilè dabit. His ergo, quæ diximus, fulcra plura subijciamus. Primum in limine historiæ patientissimi Iobtis inuenio, vbi sic dicitur: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob*; Iob. 1. 1. Videamus tam illustris viri præclara facinora: *Erat Vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.*

Ex terra, in qua S. Patriarcha degebat, eruit doctrinam moribus commodam ille oculis corporis captus, sed animæ visu perspicacissimo Dydimus. Monet is primùm, *Hus* idem esse, quod *consilium*. Tum quærit, quid significare voluerit illius historiæ Scriptor, cùm terram de nomine indicauit, in qua S. Iob morabatur, & posthæc statim illum commendare à simplicitate, rectitudine, timore Dei, & fuga mali cœpit? Cùm *Hus* idem sit, quòd *consilium*, voluit diuinus Historicus primò patriam sancti Iob indicare, atq; extemplò inculpatam ipsius vitam commemorare, vt innueret, eos veritatem sequi, & rectè sentire, atque agere, & simplicitatem amare, & Deum timere, & mali omnis osores esse, qui in regione consilij viuunt, & arbitrio reguntur alieno, neque obtemperant proprio.

Audite Dydimum apud Olympiodorum in catena in cap. 1. Iob. *Husitis consilium Valet, in quo iustus domicilium constitutum habebat. Is enim, qui facilè est ad excandescendum, temerè agit, quare Vt canibus, sic illi nascuntur tum dicta, tum facta.* Hus latinè consilium nominatur, in quo firmam, ac fixam habuisse sedem Iob dicitur, nam qui pronus ad iram leuiter substomachatur, & quò ardentis furoris cœcus impetus rapit, facilè sequitur, is procliuiter errat, seque præcipitat, & canum infelicitate laborat, qui cœcos pariunt catulos.

O dictum plusquàm benè! *Vt canibus, sic illi nascuntur tum dicta, tum facta.* Notoria est canis proprietas. Cœcus nascitur, plenus tenebrarum in lucem communem prodit, charissima pignora sua nobilissimo sensuum destituta edit. Tale quid ijs euenit, inquit Dydimus, qui aurem arbitrio suo, & consilio proprio admouent, opera enim, quæ inde nascun-

scun-

scuntur, sunt partus cœci, quales canum, & cogitatus vani, & verba noxia, & facta omnia inde oriunda sunt exitialia. Quæ sit enim alia consilij præcipitis, & arbitrij proprij soboles, quàm cœcitas, stultitia, error?

Sinite confiteatur id humilis presbyter Leporius, cuius epistolam emendationum diligentissimus Pater Sirmondus ab iniurijs obliuionis vindicatam totius Christianitatis communi vsuræ donauit. Ea in epistola rogat, ne cui mirum accidat, quòd tam turpiter errârit, cœcum ferocium Ecclesiæ æmulorum sensum secutus, postquàm constabiliendi erroris sui ipse sibi magister fuerit: *Aliud fieri non poterat, nisi vt propria stultitia in me viueret, quando ego mihi discipulus habueram me magistrum*; inquit ille in epistola, quàm præfatus sum, ac si dixisset: Cùm ego meæ opinioni nimium quantùm tribuerim, & inhæserim, cùmque proprij ingenij tanquàm fili ductu vsus fuerim in medio dubitationum mearum labyrintho, quid mirum, quòd lucem inuenire veritatis non potui? Cùm ipse mihi ductor essem, & doctor, quomodo fieri poterat, vt non errarem cœcus, non caderem præceps? Qui sibijpsi est consultor, quomodo non in mille errores impinget?

Rationem huius tradit Tertullianus lib. de cultu fœminarum cap. 2. dicens: *Nam qui præsumit, minùs veretur, minùs præcauet, plùs periclitatur. Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris. Vtiliùs ergo, si speremus nos posse delinquere, sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus. Contrà si præsumamus, neque timendo, neque cauendo, difficilè salui erimus.* Aduertat huc animum noster Politicus, & hanc Tertulliani ratiocinationem suis ponderibus penset, vt suspectum habeat suum sensum, & arbitrium proprium timeat, indeque conficiat illationes, siue consecutiones, doctrinamque hauriat necessariam negotio momentosissimo, quale est salutis æternæ. Qui præsumit, inquit Tertullianus, qui sibi præfidit, & nimio plùs promittit, idem minùs quàm par est timet, nec satis prospicit, adeò discrimini vicinior est. Timor basis est salutis, præsumptio autem, siue præfidentia propria gladius, & internecio timoris. Itaq; magis nobis conducit, si peccare posse vereamur, nam si offendere, aut malè agere posse pertimescamus, formidabimus lapsum, formidantes autem prospiciemus nobis, ne cadamus, & prospicientes euademus ruinam. Econtrariò præfidentes nobis, & nostro nimium tribuentes iudicio, metumq; omnem, & cautionem abijcientes, ægrè laqueos euademus, & effugiemus insidias, quas voluntatis nostræ libido nobis struit, & iudicium proprium dissimulat. O si Politicus noster Logicâ hâc diuinâ rectè vteretur, quàm sæpè illi feliciter caderent, quæ agit! quàm multa pericula euitaret! Si omnes suas cogitationes, & consilia vniuersa ex sententia iudicij institueret alieni, quàm prosperè illi euenirent omnia, quàm secundos haberent exitus!

Ablegabat superus Magister duos charissimorum suorum dilectissimos, Petrum, & Ioannem, vt domum conducerent, appararentque, in qua cum reliquo Apostolico Collegio insignem paschatis celebrarent solennitatem. Cùmque illi sciscitarentur, quamnam conduci, & festi impendentis vsui aptari domum vellet, respondit: *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat*; Lucæ 22. 10.

Quid opus erat his circumstantijs, inquit sacer Venetorum Patriarcha, quid talibus signis, domum vt reperirent Apostoli, quos diximus, in qua celebrandum pascha erat? Quid necessum erat vestigia legere, & premere aquatoris, ne quas indagabant ædes, præterirent? Quorsùm viæ dux ad reperiendum diuersorium hominibus tam industrijs, & solicitis, studiosisque, quàm erant Petrus, & Ioannes? At si indicem desiderârunt, ne errarent, cur operâ hominis tam abiecti, & sordidi ad eam rem vti debuerunt? Quid sub hoc mysterio latet doctrinæ, & eruditionis?

Satisfacit quæstioni S. Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone cap. 1. num. 5. *Ideò mysticè Apostolis mandatur, vt aquæ baiulum sequantur, ne proprio delusi sensu per errorum deuia, & hæreticorum abrupta præcipitari cogantur.* Quòd Apostolos, talesque Apostolos ductore tali vti voluit, hoc perinde fuit, ac si dixisset, eum, qui seipsum regere, & iudicij proprij ductum sequi velit, miserabili, & infelici prolapsione corruiturum, & certo præcipitio interiturum, quantumuis sublimis sit, in summum Apostolicæ vitæ fastigium licèt ascenderit: Econtrà qui se humiliat, eoque demittit, vt sententiam, & arbitrium sequatur aliorum, eum hâc submissione obtenturum, vt Deo benè iuuante, omnia rectè, atque vt decet, agat, tametsi ducem habeat quendam vulgi extremum, vilissimumque, & abiectissimum aquæ baiulum. Tam vtile est arbitrio se submittere, & permittere alieno. Tam noxium, & damnosum suopte sensu omnia facere, seipso consultore, & moderatore vti, & pro sola sua libidine quiduis agere.

Nam

Nam vt idem Sanctus in eodem lib. cap. 8. n. 5. ait, *Vix absque casu, & ignominia euadit, qui temerario ausu bello contendit, facileque euertitur domus, quæ suprà sui ignorantiam esse fundata dignoscitur.* O Deus! in quæ tempora hæc dicta sint verba? Perrarò absque turpissimo probro, ac dedecore redit, qui pro sola sua peruicacia, & proiecta audacia ad arma prosilit, ac bella serit, vel quærit. Leuiter solo affliguntur ædes, quarum non sunt aliæ bases, quàm ignorantia suijpsius, siue quod idem est, sensus cuiusque proprius. Quæ vero domus consilio, & arbitrio nititur alieno, ea stabilis consistit, & firma, perdurabilisque constabit.

Huc faciet quoddam sancti Ephræm dictum, quod ad rei alterius confirmationem alibi, quantùm memini, adduximus. Ille ex sententia cuiusdam veteris monachi in palæstra vitæ spiritualis plurimùm exercitati sic ait in parenæsi 35. Tom. 2. *Si conspexeris adolescentem propriâ voluntate in cælum ascendentem, tene ipsum, expedit enim ipsi. Id verò de illo quoque intellige, qui cum ætate sit senex, mente tamen est iunior.*

Mira, & quam meritò notes, & expendas, amplificatio! Qui cœlum petit, atque in illam æternùm felicem patriam contendit, illiusné obsistendum conatibus, & obstaculorum iniectu impediendum iter! *Si conspexeris in cælum ascendentem, tene ipsum!* Si talis quispiam adolescens in errorum abyssum sè præcipitaret, si in flagitij alicuius profundum pelagus ingurgitaret, si per latam perditionis viam orcum peteret, & in damnationem abiret æternam, rectè diceret vetus magister noster, *Tene ipsum*, & manu iniectâ à præcipitio, quod fert in barathrum, & exitium sempiternum, per vim cohibe: Verùm homini in cœlum aspiranti, & beatitudinem illam, ad quam conditus est, anhelanti, magnisque conatibus appetenti quis afferre manus, ac moras ausit? *Tene ipsum*, aiebat ille. Cui hoc in mentem venire, aut quis credere potuisset, quòd etiam eiusmodi homo retineri debeat? Quàm ob causam verò?

Causam non dissimulauit expertus Doctor, inquiens: *Ascendentem propriâ voluntate*; quasi dixisset: Si quem videris, qui siue qualis Icarus altiùs præfidenter euolare, seu velut temerarius Phaëton aurigandi imperitus, currum, caballosque feroces moderandos suscipere velit, hunc alis suis nuda, & comprime. Iudicium enim proprium tam sæpè, procliuiterq; & fallit, & fallitur, vt eius ductui, tametsi in cœlum ferre, & in ipsam gloriam, atque æternam salutem rapere videatur, tutò fidere nemo possit, aut debeat. Quisquis enim arbitrium proprium sequitur, alarum cerearum remigio subuehitur, & stultâ præsumptione sursùm contendit, cùmque maximè connititur, vt assurgere altiùs queat, in ipsum suæ præfidentiæ, temeritatisque mare decidens submergitur. Quàm multi ex his, quos sensus proprius per viam ducit, pereunt! Quàm multi se præcipitant, qui sui iudicij alis erigere sese tentant! Quicunque enim proprij arbitrij contumaciâ, duce vtitur, tametsi gloriam sempiternam, & cœlestem beatitudinem petat, errandi, prolabendique semper secum fert periculum.

Nocte extremæ cœnæ superus Magister, quod Euangelistæ referunt, prædicebat discipulis suis, ab ab vno quodam eorum, qui ibi tunc aderant, turpiter se, ac perfidiosè in manus efferatorum, & sacrilegorum hostium tradendum. Posthæc etiam illud aiebat: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte*; Matth. 26. 31. cùm me turpiter, probrosèq; capi, vinciri, abduci, dehonestari videritis, quem paucis horis tam stupenda operatum, tam sublimia locutum, & per eiusdem ciuitatis plateas, & compita cum ingenti plausu, & festiua non vilis plebeculæ tantùm, sed etiam nobilium, ac principum virorum acclamatione deductum vidistis. Simul ea audijt Petrus, & in hæc verba erupit: Itané verò scandalum ex te quisquam nostrûm patietur! *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquàm scandalizabor*; ibid. v. 33. nutent licèt, prorsùmque concidant columnæ hæ vndecim, ego tamen tam firmus, fixusq; persistam, vt constantiæ, stabilitatisque exemplum mutuari à me omnia secutura sæcula possint. Tunc humilis, amantissimusque magister ad præfidentem discipulum: *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Ita apud Sanctum Marcum 14. 30. qui & submonet, quòd Petrus, pro eo, vt se humiliaret, imbecillitatemque suam & miseriam agnosceret, *amplius loquebatur*, ibid. v. 31. multòque magis etiam, quàm ante, præsumebat.

Qua in re Petrus illam suam inexpugnabilem, vt præfidebat, fortitudinem fundauerit? Aut quam basim subiecerit suæ tantæ constantiæ tam vastæ moli?

Sanctus Ioannes Chrysostomus homel. de negat. Petri Tom. 5. putat Petrum talia intrà se locutum: *Egoné igitur te negabo princeps Apostolorum! columna Ecclesiæ! Quamobrem & mihi ipsi præfidens vociferor: Etsi omens scandalizati fuerint, ego non scandalizabor.* Egoné Apostolorum vertex nutabo!

Egoné Ecclesiæ fundamentum, & fidei columna vitium agam, ac vacillabo! Quid Petro persuaserit, vt se nihil perperam commissurum certò putaret? Illud, quod aiebat: *Mihi ipsi præsidens vociferor*; quod tale est, ac si dixisset: Delibero egomet mecum, consilij, quod capio, præsidem alium, quàm me, neminem habeo, solus ego mihi sum moderator. Itané verò, Petre, tute ipsi tibi rector es, & consultor, & præses, atque ab arbitrij proprij libidine te duci finis, & cum iudicio tuo quoddam velut coniugium inijsti! Quid mirum ergo, quòd Christus te mox erraturum, & miserabiliter ruiturum cum iuramento affirmauit, inquiens: *Amen dico tibi, &c.* Eapropter Patriarcha noster Isaac non fidens suo ingenio, & arbitrio, vestigia patris sui in omnibus persecutus fuit, vt qui semper rectè agere cuperet, sciretque, priùs futurum, vt neque ignis adurat, neque sol luceat, quàm vt non erret, qui præsumit, sibique nimiùm arrogat.

## CAPVT VII.

*Permittendæ sunt recreationes, sic tamen, vt illæ modestiæ non prætergrediantur limites.*

NAtura nostra infirma est, & imbecillis, corporis nostri massa ex fragili luto coaluit, & spiritus, quem hic mortalis carnis carcer inclusum tenet, affligatur, tantùmque non suffocatur, nisi quandoq; illius relaxentur vincula, soluantur compedes, remittantur nexus. Necessum est nonnunquàm feriari ab opere, respirare à laboribus, vt obtusæ, hebetatæ, aut debilitate durâ, ac diuturnâ exercitatione vires acuantur, & instaurentur. Tale quidpiam suadebat Magnus Cordubensium Philosophus Seneca lib. de tranquillitate animi cap. 15. inquiens: *Danda est remissio animis, meliores, acriores que requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum, citò enim exhauriet illos nunquàm intermissa fœcunditas, ita animorum impetus assiduus labor franget, &c. Legum conditores festos instituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquàm necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Vt enim nunquàm otio indulgeas, verùm semper labores, perpetuoque defatigeris, ac desudes, fieri non potest.

In huius rei confirmationem adfert Robertus Holkot quoddam problema Aristotelicum ex sect. 5. problem. 10. vbi magnus Philosophus hoc quærit: *Cur locis æqualibus, quàm inæqualibus magis fatigamur?* Cur maiorem lassitudinem adfert iter planum, quàm via, quæ per accliuia, & decliuia, per campum, colles, ac montes ducit?

Respondet ex sententia Philosophi Holkot in c. 5. Sap. lect. 61. *Quia quando homo incedit continuè, & vniformiter per viam planam, fatigat instrumenta, seu partes corporis, quibus ambulat, sicut genua, & tibias. Vnde quia in istis instrumentis ambulandi continuè tenetur vna figura motus in via plana, ideò contingit homini maior labor, & fatigatio: In processu verò non plano, vbi aliquando ascenditur, aliquando descenditur, non semper tenetur eadem figura motus in instrumentis mouendi, nec illæ partes vexantur vniformiter, & continuè, sed alternatim, quia ascendendo plus laboramus in genibus, & tibijs, descendendo plus in femoribus.* Alternatione ergo, & vicissitudine motus diuiditur ambulationis labor, fit leuius itionis pondus, & tolerabilior defatigatio, atque vt itinerandi molestiam minùs sentias.

Commoda est hæc doctrina, inquit Robertus, ijs, qui in cœlestem patriam contendunt. Molestum est cœlorum iter, terribile carni, & sanguini, spiritui etiam graue, qui sub corporis oneroso pondere nonnunquàm lassatur, ac sudat. Vt verò sit minùs ardua, ac difficilis via, quid facto opus? *Alternatim, & vicissim incedendum, vt quantùm possumus, fatigationem, & tædium deuitemus inseruiendi Deo.* Vicissitudine vtendum, sic vt nonnunquàm in campum, vallem, prata recreationum descendamus, si enim vno tenore semper conemur, & enitamur, & ab incensa contentione nihil aliquando relaxemus, tantum concipiet animus rerum spiritualium fastidium, vt denique eas prorsùm deserat, & perhorrescat, quod multis accidit.

Hæc fortè vna è multis causa est, cur Deo seruire vocetur cantus, quòd non semel indicat Propheta sacer. *Cantate Domino canticum nouum*, ait Ps. 97. v. 1. & v. 4. *Cantate, & exultate, & psallite.* Quid est cantare Domino? Seruire, gratificari. Ita Ioannes Baptista Folengius, Rainerius, Michaël Ayguanus, & alij. In cantu non omnes notæ sunt pares, neque situm eundem obtinent, sed aliæ alijs superiores sunt, vel inferiores, sed hæ supremum, illæ infimum, medium reliquæ occupant, ex qua tam varia positione suauis musices sonus, & grata harmonia conficitur, fitque, vt qui cantant, minore labore id facere, ac diutiùs, leuiùsque psallere possint. Qui eodem semper tenore cantare velit, siue plurimùm altè, seu valde submissè, is suam facilè delassabit vocem, & absonum reddet concentum. Harmoniæ ergo, & musices simile debet esse studium seruiendi Deo,

Deo, vt ſicut illa conſtat ex ſonorum interuallis, & varia compoſitione, ſic & hoc ſuas habeat pauſas, intermiſſiones, otia, ſitque nunc intentiùs, nunc remiſſiùs, vt continuari queat. Fieri non poteſt, vt perpetuò, quis oret, aut corpus flagris ſemper cædat, aut tanquàm mutus nunquàm loquatur, aut omnes ieiunus tranſmittat dies. Eſt hic nimis altus tonus, quem ſeruare cantando nemo diu poſſit. Dandum colloquio tempus, dandum comeſtioni, dandum quieti, & otio, ſubmittenda nonnunquàm vox, ridere quandoque, & iocari, & auocare ab intento ſtudio animum, rura peragrare, hortum ſubinde petere neceſſum. Hac enim ratione fiet, vt diutiùs inſiſtere cantui muſico dominicorum officiorum, & cultus diuini poſſimus, ſi debita cum prudentia & diſcretione nunc altiùs, nunc demiſſiùs canamus, hoc enim requirunt voces, vt nimirùm eas modulemur, ne plus nimio defatigentur. Tale quidpiam requiritur etiam in via ſpiritus, vt ea perſeueranter teneri, & teri queat.

Docet hoc Dominus per Oſeam Prophetam, inquiens: *Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum*, Oſeæ 11. 4. Exaltaturum ſe, non ablaturum iugum eorum ait Dominus, quod tale fuit, acſi dixiſſet, ſeruos Dei ſua quietis tempora habituros, quibus eorum ſubleuetur iugum, & oneris pondus alleuietur. Nemo ſempiternum ferre iugũ poteſt, & intolerabilis eſt auſteritas, quæ perpetua. Propterea in domibus religioſis, quarum etiam arctiſſima clauſura, & vitæ conſuetudo aſperrima, habent religioſi aſcetæ ſuas horas, quibus animum à conſuetis exercitationibus tantiſper abducant, relaxent, & remittant. Quomodo enim arcus ſemper tenſus perdurare, quomodo fragilis natura vnum perdiu tolerare pondus, & pari ſemper contentione pergere poteſt, niſi ſubinde mutet iter, & onus illius minuatur?

Verùm qui neceſſitatem recreationum commendare cœpit, idem docebit, quem in eis modum obſeruare debeamus. Dicit ergò Seneca, relaxandum eſſe animum, ſic tamen vt temperantiæ lineas non tranſeamus, ſed eam moderationem ad honeſtas oblectationes adhibendam, tanquàm capitales, & infenſiſſimos hoſtes noſtros habeamus ſpectatores, ob quorum oculos nemo facilè aliquid committere, aut dicere ſolet, quod non attentè ante perpenderit, & examinârit. Hunc morem à veteribus quibuſdam viris celeberrimis obſeruatum idem Seneca affirmat, quorum vita talis fuit, vt ab ea rectè agendi exemplum omnes capere poſteriores ætates poſſent: *Illi antiqui viri*, ait, *ſolebant inter luſum, ac feſta tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur.* Et paulò ante iſta: *Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat, & Cato vere laxabat animum curis publicis fatigatum, & Scipio triumphale illud, & militare corpus mouebat ad numeros, non molliter ſe infringens, &c.* Hæc autem ij tam acutè, circumſpectèq; agebant, vt infeſtiſſimi inimici cenſuram, abſq; omni exiſtimationis ſuæ periculo, & ſine authoritatis ſuæ vlla iactura, ſubire poſſent. Tales ergo debent eſſe Politici noſtri recreationes, quales erant, vt ait Seneca, antiquorum illorum gentilium relaxationes, honeſtæ, graues, maturæ, moderatæ.

Cùm Diſcipulos ſuos cœleſtis Magiſter ad prædicandum Euangelium emitteret, inter varia documenta, quibus eos ad rectè procurandum tam ſublime miniſterium inſtituit, etiam hoc illis dedit, vt ſi quas ædes pacatas ingrederentur, in eis conquieſcerent, comederent, biberent. Id talibus verbis dicebat Lucæ 10. 7. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt, dignus eſt enim operarius mercede ſuâ.*

Notandum in his, quòd Dominus, cùm Diſcipulos ſuos iubet ſumere victum in domibus, ad quas diuerterent, ſimul velut monet, vt recordentur, ſe vineæ illius operarios, ſcholæ alumnos, & famulos domeſticos eſſe: *Dignus eſt enim operarius mercede ſuâ.* Sed cur voluit, vt tunc ſe cogitarent eſſe diſcipulos Chriſti, quando cibum capiebant?

Reſpondet Euthymius, id voluiſſe, vt inter conuiuandum ſeruarent temperantiam, moderationem, frugalitatem, quam ſeruare debent, quotquot gloriæ ducunt, quòd talis Magiſtri ſunt diſcipuli, & tam regiæ domus famuli. Solet plerumq; in conuiuijs effuſiùs ridendi, liberiùs loquendi, familiariter cauillandi, iocosè, ac dicaciter ludendi, taliumq; rerum prona ſe offerre occaſio. Dicebat ergò Chriſtus: *Manete edentes, & bibentes*, eſſet in Gottes nahmen / qui enim laborant, & miniſterio maximè tam diuino, & ſacroſancto operam nauant, iurè meritò cibum ſumunt, hoc tamen facere debent tanquàm in mea ſchola inſtituti, & ad vbera mea enutriti, ſic vt parſimoniam, ac modeſtiam, quæ talis Magiſtri diſcipulos, talis Domini ſeruos, talis doctrinæ prædicatores decet, per omnia obſeruent: *Edere, ac bibere permiſit, quæ ab illis porrigerentur, non ſimpliciter, ſed ſicut diſcipulos ſuos decebat.* At ſi ad victum, & potum, res ſummè neceſſarias, tantam adhiberi temperantiam, ac frugalitatem Do-

minus

minus voluit, quantò magis nobis commendatam habere debemus cautionem, modestiamque, quoties animum oblectatione pascimus, & relaxamus? Illæ horæ maiorem requirunt attentionem, circumspectionem, moderationem, quibus à curis feriamur, & rerum gratarum, iucundarumque cogitatione nos refocillamus.

Admirabatur diuinus Sponsus vitæ consuetudinem, quam chara illius Sponsa tenebat, cùmq; mores eius diuculè apud se non sine magna voluptate reputasset, hac eam blandiloquentiâ comiter semel, atque iterùm appellabat: *Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus*; Cant. 4. 12. tanquàm dixisset: Plenum amœnitatis, & ad omnem voluptatem comparatum nemus es, amica columbula mea Sponsa, sed validis muris incinctum, & sepimento impenetrabili communitum.

Quid sibi voluit, cùm de Sponsa dixit, hortum esse, verùm solidissimo, fortissimoque pariete obuallatum?

Respondet Simon de Cassia, Sponsum dicere voluisse, debere in Ecclesia esse hortos, hoc est, recreationes, vacationes, animi oblectationes, feriationes à laboribus, respirationes ab operosis negotijs, & curarum anxietate. Sed quales illa hortos habere & potest, & debet? Modestiæ maceriâ conclusos, temperantiæ pariete incinctos, frugalitatis muro vallatos. Hinc æstimabimur horti Dei, qui permisit nobis recreationes, sed moderationis dissipationem cauere præcepit. Dedit ille releuandi animi licentiam, neque dedecet, habere suas certis temporibus, & occasionibus statas horas, quibus indulgeatur animo, & detur otium, sed immoderantiam vetuit, & nimis effusam licentiam. Placet pientissimæ illi maiestati, vt sit nonnunquàm remissior asperioris vitæ arcus, nimiam tamen non vult relaxationem. Absque habenis enim in recreationes procurrere, incautè oblectari, & modestiæ limites palàm impudenter transilire, magis Gentilium est, quàm Christianorum, magis Infidelium, quàm Catholicorum, & peccatorum potiùs, quàm iustorum.

Audiamus Simonem à Cassia, qui lib. 13. in Euang. sic habet: *Sunt delitiæ Paganorum, & Infidelium, sed non conclusæ. Sunt delitiæ peccatorum, sed non conclusæ. Sunt verorum Christianorum, sed conclusæ. Delitiæ Christianorum debitos fines habent, certis limitibus concluduntur.* Habent sua Pagani delectamenta, sed in quæ absq; fræno ferantur. Habent suas veri Christiani voluptates, sed parcè ijs, ac moderatè vtuntur, nam horti sunt, sed conclusi, & habent sua recreationibus opportuna tempora, at in his seruant modestiam, non effunduntur extrà limites, & ad frugalitatis, honestatisque partes semper accedunt, sic vt nihil indecens, nihil quod professioni christianæ, vel religiosæ educationi contradicat, vel faciant, vel loquantur.

Apostolus cùm in consideratione positus esset ærumnarum, quas patiebantur, qui signa ducis nostri Iesu Christi sequebantur per id tempus, quo Ecclesia persecutionum tyrannicarum tolerantiâ, & fuso sanguine suorum fundari cœpit, illudque simul cogitaret, naturam nostram fragilem egere leuamine aliquo, vt calamitatum pondus ferre possit, sic aiebat ad eos: *Gaudete in Domino semper, iterùm dico gaudete*; Philip. 4. 4. tanquàm dixisset: Lætamini in Domino, fratres charissimi, & ne quis me indulgentiæ in vos meæ pœnitere putet, etiam atq; etiam lætari iubeo: *Iterùm dico gaudete.* At videamus, quemadmodum hoc fieri debeat: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*; inquit ibid. v. 5.

Angelicus Doctor in illorum verborum commentario ait, quod postremùm hîc monet Sanctus Paulus, id tale esse, acsi dicat: *Ità sit moderatum gaudium vestrum, quod non vertatur in dissolutionem. Iudith vltimo v. 24. Erat autem populus iucundus secundùm faciem sanctorum.* Quando Gentium Doctor primitiuos Christianos volebat esse gaudibundos, ac hilares, sic tamen, vt inter omnem lætitiæ voluptatem seruarent tantam modestiæ rationem, vt eam videre omnes possent, perinde fuit, acsi dixisset, eam adhibendam esse moderationem ad recreationes, vt relaxetur, sed non soluatur disciplina, neque in alterum immodestiæ extremum deflectat, sed hoc fiat, quod de Israëlitis Betuliensibus sacer Scriptor narrat, qui toto trimestri festiuis laudibus, & plausibus exultârunt pro obtruncato barbaro Holoferne, & victoria, quam illis Iudith pepererat. De his dicitur, gauisos fuisse *secundùm faciem sanctorum*, hoc est, ad modum, quo gaudere sancti solent, qui cùm oblectationem aliquam capiunt, modestiæ regulam, temperantiæ perpendiculum, cautionis normam, frugalitatis frænum, attentionis lineam semper ad manum habent, ad quam relaxationis suæ suauitatem exigant, vt qui norunt periculum, quod inter eas occasiones minari spiritui solet.

Sic facere debent quicunq; ex præscripto virtutis sese exhilarare volunt. Quando enim recreationes sunt concessæ, & non etiam nunquàm necessariæ animi à curis auocationes, tales debent esse, quales

quales Isaaci, & Rebeccæ erant oblectationes, quos simul inuicem ludentes è fenestra regiæ arbitratus fuit Abimelech, de quo Gen. 26. 8. sic habet textus sacer: *Prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit Isaac iocantem cum Rebecca vxore sua*, hoc est, suauiùs, familiariùsque illam complexantem, osculantem, & alijs honestis modis, quos matrimonij leges permittunt, cùm illa oblectantem, vt ferè exponunt SS. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius. In sensu morali, Isaac, vt interpretantur Philo Alexandrinus, Nicolaus Lyranus, & Guilielmus Ebroicensis, est imago spiritus, Rebecca figura carnis. Hæc duo nonnunquàm se mutuò oblectant, luduntque, ac se pascunt inuicem, sed ità, vt modestiæ præceptiones, & iura obseruent, & cautè aduertant, ne temperantiæ terminos prætergrediantur. Docemur hac re, vt cùm suas carni relaxationes permittere spiritus debet, id ità fiat, vt moderatio in omnibus Christiana seruetur illæsa. Sint risus absque dissolutione, sine dentibus verba. Non sint mordaces ioci, non contumeliosi lepores. Opera sint talia, vt ad benè agendum spectatores excitent, vt in omnibus coniunctam habeat recreatio modestiam, oblectatio honestatem, relaxatio ædificationem.

## CAPVT VIII.

*Iudicij, quod de alijs facimus, aqua sapere cordis terram solet, per quam transit.*

HAbent hoc aquæ, ex communi Philosophorum omnium sententia, proprium, vt saporem attrahant, & referant terræ, per quam fluunt. Id Moyses Barcepha lib. de Parad. p. 1. c. 21. Tom. 1. Biblioth. VV. PP. sic expressit: *Aqua pro soli indole, per quod fluunt, dulciores, amariores, insulsiores, salsiores euadunt.* Aquæ ergò aliæ alijs sunt vel suauiores, vel acerbiores, quià terrarum, quas lapsu tacito, & secretis itineribus permeant, sapor varius eis adhærescit. Simile quidpiam affirmare possumus, cùm videmus hominum alios quidem tam candidos, & synceros, vt de omni re iudicent benè, & in partem meliorem cuncta interpretentur, alios verò tam improbos, & maleuolos, vt omnia suspecta habeant, & in sinistrum sensum detorqueant, quidquid fieri cernunt, nimirùm quòd hi velut aranei sint, qui venenum vndique exsugant, illi velut sedulæ, ac mellificæ apes omnia in theriacam vertant, id nasci ex corde, vnde iudicia cuiusque oriuntur, vt qualis quisque est, tales ferè alios arbitretur. Nam cùm Christus dicat Matth. 15. 19. *De corde exeunt cogitationes*; cuius cor fuerit bonum, eiusdem bona erunt de alijs iudicia, at quorum mali, & peruersi animi, eorundem sinistræ imaginationes, & interpretationes maleuolæ, & damnosa consilia. Denique suo pede quisque alios metitur, & de cordis sui interiore conditione alios æstimat.

Ità sensit Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 28. cùm ait: *Quod in seipso aliquis minimè sensit, is nec alteri id adesse affirmanti vnquàm crediderit, qui autem ità aliquando se affectum sensit, is profectò ad assentiendum faciliorem se præbebit.* Difficilè quis adducitur, vt eo laborare malo alium putet, quod ipse non expertus aliquando fuerit: Si quod nobis tamen inest vitium, eodem obstrictos esse alios prócliuiter opinamur. Prout enim nos aliqua vel agimus, vel patimur, sic de alijs sentimus, & iudicamus.

Decreuerat Dominus captiuum liberare populum, qui sub tyrannica barbari Pharaonis potestate miseram intolerantissimè ferebat seruitutem. Vindicem ergò Israëlitarum suorum delegit Moysen, eique præcepit, vt hanc Domini sui tam propensam in eos voluntatem illis aperiret. Defugiebat ille officium, & impares tam graui muneri subtrahebat humeros, inquiens: *Non credent mihi, nec audient vocem meam, sed dicent, Non apparuit tibi Dominus*; Exod. 4. 1. tanquàm fabulam ridebunt, si affirmâro, quòd mihi pro singulari, & summa beneuolentia visus sis, & hanc tantam prouinciam commendâris. Res mira! Quàm concitus Moyses in eam deprolauit sententiam, quòd nullam dicta illius essent repertura fidem! quàm celeriter desperauit fore, quod Dominus promiserat!

Cùm hanc Moysis diffidentiam secum expenderet Oleaster in annotat. morali in c. 4. Exodi, inquiebat: *Cogitaui non semel penes me, vnde hominis tanta diffidentia ad Deum suum.* Vnde nasci potuit, quod illi tanto viro dubitare in mentem venit, num Deus pollicitationi suæ satisfacturus esset? Causa hæsitandi Moysi ea potuit esse, quod ex nobis ferè æstimamus alios, & quoniam nos leues homunciones parùm nobis constamus, idcircò huc propendemus, vt etiam Deum suorum promissorum nonnimis tenacem fore arbitremur, aut formidemus. Audiamus Oleastrum: *Cognoui ex eo esse, quòd quales nos sumus erga Deum, talem eum arbitremur erga nos. Quia enim nos frequentissimè Deo promissa mentimur, arbitramur Deum nobis etiam promissa nō seruaturum.* Plerumque hoc agitur, vt ex se quis cæteros æstimet, & hoc alios facturos putet, quod ipse fecerit.

Examini-

Exanimitùs,& affectu paterno percupiebat Apostolus, vt Romani, & reliqui ex toto terrarum orbe homines Deo se consecrarent, & corpora sua in ara pœnitentiæ illi victimam immolarent, atque vt ipsis persuaderet, ardentiaque illius desideria suum sortirentur effectum, obtestabatur eos, dicens: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*; Rom. 12. 1. Cùm quis rem, quæ ardua videtur, vult impetrare, operam dat, vt deprecatorem adhibeat, qui plurimum possit, & quem sibi efficacem fore patronum confidit. Cùm ergo Apostolus videret, quàm difficile esset facere corporum suorum in cruento asperioris pœnitentiæ altari oblationem, deprecatorem illis magnum ob oculos posuit, benignissimi Dei clementiam, perque eam illos obtestatus ait: *Obsecro vos per misericordiam Dei.*

Sanctus Petrus Chrysologus serm. 108. quærit: *Quare non per virtutem? Quare non per maiestatem? Non per gloriam Dei?* Cùm huc vellet permouere Romanos, vt rem operosissimam susciperent, & in carnem suam flagris desæuirent, & suis ipsi manibus ferocirent, seq; ipsos excarnificarent, cur non potentiam Dei, non gloriam, non iustitiam, non immensitatem, sed vnam, solamque misericordiam interposuit? *Obsecro vos per misericordiam Dei.*

Respondet beatus Rauennatum Archiepiscopus, inquiens: *Quia per ipsam & Paulus crimen persecutoris euasit, & apostolatus tanti adeptus est dignitatem, sicut ipse fatetur, dicens: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam Dei consecutus sum.* 1. Tom. 1. 13. Reputabat secum diuinus Apostolus, quàm stupenda in ipso Dei opitulatrix misericordia operata fuerat, quæ ipsum ex perditissimo peccatore sanctissimum fecerat, & ex putido persecutionis instrumento in vas electionis suaueolentissimum transformârat, & ab infimo blasphemi hominis statu in supremum Apostolicæ dignitatis fastigium euexerat, eâque cogitatione incitabatur, vt eâdem Dei misericordiâ ad curandum alios vti vellet. Qui medicinæ adminiculo morbum aliquem euasit, is alijs, quos pari infirmitate laborare videt, simile adhibere antidotum solet: Sic Paulus cùm beneficium sanitatis per misericordiam Dei consecutus esset, per eam sospitare, & saluare omnes volebat, dicens: *Obsecro vos per misericordiam Dei.* Per illam ego ex morbo euasi, per illam conualituros omes puto. Me illa è strato peccati erexit, & ab omni ægritudine persanauit. Itaque vt mihi benè cum illa fuit, & vt plurimùm apud me potuit, sic & apud alios plurimùm valituram, atque effecturam existimo. Habet enim hoc mos communis, vt de nobis alios arbitremur, & similiter alijs, atque nobis omnia euenire putemus.

Magnâ dignum est admiratione, quòd cùm mansuetus, & amantissimus agnus Christus nocte cœnæ tot inditia dedisset perfidiosi discipuli, à quo sanguinarijs lupis, efferatissimis hostibus suis prodendus erat, nullus tamen Apostolorum de Iuda tale nefas suspicatus fuerit, immò tam procul ab ea opinione omnes abfuerint, vt etiam cùm Dominus illi diceret, *Quod facis, fac citiùs*; Ioan. 13. 27. non aliud putârint, quàm quòd Iudas, qui loculos habebat, iussus sit emere, quæ ad diem festum opus erant, aut egenis aliquid dare.

Vnde factum, quòd illi tam alieni erant, & tam procul aberant ab omni tam atrocis proditionis suspicione, etiam cùm cœlestis Magister velut intento digito denotabat immanissimi sceleris futurum authorem? Quomodo illi tam beneuoli censores fuêre, cùm humana fragilitas etiam nullis incitata signis à seipsa præceps ferri ad sentiendum, & pronuntiandum malè de bonis quoque, & à virtute profectis aliorum actionibus soleat?

Satisfacit huic quæstioni sanctus Venetorum Patriarcha Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone c. 5. num. 10. inquiens: *Innocentes Apostoli cum essent, & sancti, nil mali de proditore cogitare sunt ausi, quod nefas à se alienum non ignorabant, hoc condiscipulo asscribere verebantur.* Integerrimi erant Apostoli, nec aliqua tam inexpiabilis flagitij cogitatio mentes eorum aliquando subierat, immò hoc potiùs certum habebant, quòd arma rapere, & prosilire ad Magistri defensionem, si res ità postularet, vellent. Hinc fiebat, vt dare locum suspicioni metuerent, quòd Iudas ille periurus discipulus futurus esset. Suspicione inauditi sceleris, à quo illi tam longè aberant, moueri in Iudam non audebant: *Quod nefas à se alienum non ignorabant, hoc condiscipulo adscribere verebantur.* Vt puri sceleris, & tenacissimi erant recti, fidissimiq; Apostoli, sic persuadere sibi non poterant fore, vt è Discipulorum numero quispiam tam insignitè flagitiosus esset, tamq; turpi, ac propudioso scelere se contaminaret. Vt enim quisque intùs in animo suo comparatus est, ità sentit de alijs, & actionum nostrarum virgulâ vitam, moresque aliorum metimur.

Probat hoc S. Dorotheus pulchro exemplo cuiusdam è sacro Basiliano Ordine religiosi, viri admodùm

modùm simplicis, & synceri, qui vt erat candido, integerrimoque animo, sic quoties videbat cellam alicuius monachi incompositam, neque comptam, cultamque, & ornatam, quantum id vitæ genus permittit (quòd affectatam munditiem quidem damnat, squalorem tamen, & spurcitiem non probat) apud se inquiebat: *Quàm beatus est frater iste, & vt abstractus, & alienus est ab his terrenis, & transitorijs, & se totum ad cœlestia, & diuina contemplanda transtulit, nam nec propriæ cellæ exornandæ illi cura est reliqua.* Hæc ille apud S. Dorotheum doct. 12.

E contrà cùm cellam alterius lautam, elegantem, concinnam, ac politulam cernebat, sublatis in cœlum oculis aiebat: *En quàm pura, & immaculata est fratris huius anima; ad animæ namque statum, cellæ puritatem direxit, vt vnà cum anima cella, quam incolit, purissima sit!* tanquàm putaret fieri non posse, vt obsoletam habitaret cellam corpus, cuius animus esset immaculatus.

Concludit Dorotheus, inquiens: *Ex optimo mentis suæ statu de vtrisq; iudicabat.* Vt ipse purus, syncerus, candidus erat, sic pura, candida, syncera erant, quæcunque per terram cordis illius fluebant. De omnibus iudicabat benè, omnia in partem meliorem referebat. Simplex apicula mel ex omnibus legebat. Bonus ipse bonos omnes arbitrabatur, benè de omnibus sentiens.

Hæc ratio est, ob quam rex Abimelech, cùm videret Isaac familiariùs ludentem cum Rebecca dicebat; *Perspicuum est, quòd vxor tua sit*; Gen. 26. v. 9. imposuistique nobis, cùm esse illam sororem tuam dixisti, quòd enim coniux tua sit, hoc ego grauissimo argumento probatum habeo. Ergonè ex illo iudicauit esse coniuges, quòd vidit liberiùs inuicem iocantes? Omninò. Vt enim ipse pro sua singulari continentia Rebeccam, quòd sua vxor non esset, sibi vsurpare non audebat, cùm alioquin facilè illâ frui potuisset: Ità putabat illos, nisi côniuges essent, tam amicè, ac festiuè iocari mutuò non potuisse. Qualis enim quisque est, tales reputat alios, & de suæ statu animæ censet animas cæterorum, earumque status.

Quærit Moyses Barcepha, vtrum aquæ Paradisi dulces sint, ac suaues gustui, an amaræ, & salsæ. Respondet verò: *Cur non existimabimus illos fluuios, dum per beatissimum, ac felicissimum locum Paradisi fluunt, iucundissimo, ac suauissimo sapore esse?* Aquæ namque, vt diximus, ex solo, per quod fluunt, suum saporem trahunt. Tantundem plerumq; videas in iudicijs humanis. Quorum enim hominum animæ velut paradisi sunt, eorum iudicia inde manantia sunt pura, candida, syncera, sic vt de omnibus benè iudicent, omnia in partem mitiorem amicè interpretentur, de cunctis proximorum factis, ac dictis benè & loquantur, & sentiant. Econtrà quorum animus orco similis, eorum etiam iudicia infernalia, maligna, peruersa, & iniqua sunt. Quidquid vident, sinistrè accipiunt, de omni re perperam pronuntiant. Ad sensum eorum, quæ hactenùs diximus, potest noster Politicus seipsum à iudicio, quod fert de alijs, arbitrari, & censere ab existimatione, quam habet de cæteris Animæ suæ statum, morumque ac vitæ conditiones æstimare potest ab eo modo, quo proximorum facta, infectaque æstimare solet.

*Vide in Tomo primo Periocham IV. Dominicæ V. in Quadragesima pag. 376. o.*

# LIBER OCTAVVS.

## CAPVT I.

*Nemo fortunatorum catalogo inseri posse videtur, qui non inuidiosorum sortem expertus fuerit, nemo ægrum se lamentari, qui non inuidentiæ morbo laborârit*

EST cuidam ægrè ex inuidia, quam sustinet, aliena, dolet suam ægritudinem, eiusque curandæ desiderio rationem consulit, quæ nobilis medicus est, sanandarum animæ passionum paratas semper, easque efficaces, & salutares habens medicinas. Eheu miserum me, clamat æger, cui omnes inuident! quapropter etiam omnes me persequuntur, sumque & linguarum scopus, & calamorum negotium, & vnicum omnium confabulationum argumentum. Occurrit huic anxietati ratio, compescit suspiria, respondet querimoniæ dicens: De qua re, miser, & ignaue expostulas, cuius tanta est felicitas? Gloriosissimus dolor est, quem pateris, nobilissima ægritudo, quâ grauaris, honorificentissimus morbus, quo laboras, & saluberrima infirmitas, quàm sustines. O quàm feliciter infirmaris! O quàm sublimis iaces, qui ex huiusmodi malo decumbis! Cùm enim tuus ille de aliorum inuidentia natus sit dolor, non est alius, cui

magis

magis inuideri queat. *Vix insignem virum hac immunem peste reperies*, inquiebat Petrarcha lib. 2. de remediis vtriusque fortunæ, dialogo 32. *Cunctas historias euolue, non possunt ignoti tibi esse quàm plurimi, quorum comitatu non solùm consoleris, sed & glorieris*; velut dixisset: Quid sortem tuam tam miserè deploras? Quid de malo, quod pateris, tam acerbè quereris, cùm inuidiosus factus ex eo ægrè habeas, quo laborârunt viri ex toto terrarum orbe inclytissimi, & celebratissimi, quique in sacro Famæ templo locum editissimum magno suo merito gloriosissimè occuparunt? Percurre historias, annales euolue, perspice libros, consule tempora, sæculorum superiorum gesta tecum animo recole, ætatum præteritarum memoriam reuoca, videbisque feram hanc Inuidiæ bestiam nullâ re aliâ vnquàm pastam fuisse, quàm virorum illustrium sanguine, neque aliunde prædam egisse, quàm ex viris eminentissimis, & solos eos suo perstrinxisse fulmine, quos magnitudo meritorum suprà alios euexit. Quemadmodùm enim horribilis, & fremebundus caliginosæ nubis abortus, cùm se hac, atque illac obtorquet, ingenti cum fragore, & strepitu furiosus, rabidusque appetit suprema superborum, ac sumptuosorum palatiorum fastigia, & montium celsissima cacumina, indignumque arbitratur in humiles casas inuehi, aut profundis in vallibus iacentia gurgustia inuadere: Sic infamis ille abortus, & spurius ex atra turpis huius passionis nube descendens partus, quidquid præclarum, illustre, conspicuum, excelsum, ornatum, opulentum, pretiosum videt, hoc aggreditur, & insectatur, quæ verò infima, obscura, tenuia, & reijcula, velut per contemptum dedignabundus præterit. Ergo qui violentas huius efferari, & atrocis tyranni manus experitur, eximiæ magnitudinis suæ hoc habet grauissimum argumentum, & heroici animi, virtutumque affluentiæ irrefragabile testimonium.

Sacris pariter, & profanis literis Ignis est symbolum inuidiæ. Ità docent Berchorius, Valerianus, Ricciardus, & Lauretus, ex quibus hic ista: *Ignis dicitur inuidia.* Sed quamobrem igni comparatur inuidia? Respondet perquàm aptè in causam præsentem eruditus Aloysius Nouarinus lib. 11. Schediasmatum sacrorum, & profan. c. 1. tractans quandam Sapientis sententiam: *Pulchrè, & scitè dictum, inuidia enim vt ignis nonnisi excelsa appetit.* Rectè, ac meritò cum igne componitur inuidia: Vt enim inquietum ignis elementum sursùm perpetuò anhelat, & eò semper connititur, vt superiora loci, quem semel depasci cæpit, inuadat; sic inuidia nonnisi magnos, celebres, præclaros, summos appetit, infestat, persequitur.

Apparuit Dominus Patriarchæ nostro Isaac, quo tempore illum anxietate laborantem, tristemque, & afflictum videbat, iussitque non frangi animo, non concedere fortunæ iniquiori, velle namque illum ab omni ærumna eruere, & à quacunque calamitatum miseria ereptum ornare, & cumulare insigni gloriâ, dicens: *Noli timere, quià ego tecum sum, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*; Genes. 26. v. 24. caue quidquàm metuas, qui me proximum habes. Ego enim te celeberrimum faciam, nominisq; tui famam per omnem, quâ patet, terrarum orbem vecham. Vnde verò intelligemus, Domine, quòd Isaac tuus in summum felicitatis verticem penetrabit?

Sanctus Ioannes Chrysostomus in cap. 26. Genes. illa Domini verba tali paraphrasi illustrat: *Inuictus eris, & infestantibus potentior, & inuadentibus fortior*, de omnibus hostibus triumphum ages, victricibusq; plantis tuis subiges, & opprimes infensissimorum æmulorum tuorum superba capita. Hiccine verò omnis Isaaci gloria conquiescet? Aut hæc felicitatum illius tota summa erit? Minimè, inquit Os aureum, subdens: *Et tantam tui curam habebo, vt inuidiosus illis sis futurus*, hoc est, vt famæ tuæ celebritas, & omnium præclarè gestorum, gerendorumue magnitudo, & præcellentia semel, qualis qualis est, omnibus innotescat, faxo eam habeas nominis claritatem, & apud omnes admirationem, vt plurimi qui viderint, inuideant: *Tantam tui curam habebo, vt inuidiosus illis sis futurus*; quod perinde videtur, ac si dixisset, tametsi homo in hac vita supremum felicitatis apicem attingat, & fauentissimam habeat fortunam, & verticem suum suprà alios magnificè extollat, suspectam tamen videri omnem gloriam, nothaque, adulterina, & spuria insignia, quæcunque illa suam ab aliena inuidentia non habeant commendationem. Non enim videtur germana gloria, quam non appetit, non infestat inuidia. Virtutum aurum vix putum putatur, quod non fuerit in huius tam inimici vitij fornace excoctum. Itaque Deus Isaaco, vt gloriam eius suis numeris absolueret, & magnitudini coronidem imponeret supremã, aiebat: *Tantam tui curam habebo, vt inuidiosus illis sis futurus*, tam sublimem te agam, vt sis inuidiæ stimulus, & irritamentum cruciabilissimum tam immanis bestiæ. Laborent ergo inuidiosorum malo homines, sic enim se magnos demonstrabunt, & quò atrocior fuerit erga illos inuidiæ rabies alienç, eò lu-

culentiùs testatam facient suarum virtutum affluentiam, & præstantiam.

Symmachus lib. 9. Epist. 109. singulari cuidam suo amico hæc præter alia scribebat: *Gratulare mihi* de magna felicitate quæ mihi Romæ obtigit, fortunatiorem me nulla sæculorum superiorum ætas vidit. Quænam illa prosperitas tanta Symmachi fuerit? Varias multis hominibus statuas Romæ erexerant, factum autem, vt ipsius simulachrum nocte quadam deiectum fuerit, cæterorum statuis saluis, & inconuulsis. Dicebat ergo suo familiari Symmachus: *Gratulare mihi* de tam felici euentu, de tam beneuolente fortuna. Ergonè volebat, vt de hac re sibi gratulatum veniret amicus, quòd statuæ gloriâ nudatus esset, quæ alijs omnibus manserat integra, vnumque ac solum ipsius simulachrum ex omnibus humi deiectum? Immò verò hoc magis postulare videbatur, vt quis illum miseraretur, & deploraret sinistrum eius casum, & tam insolens facinus vehementer vindicaret. Quid ergo Symmachus tunc gratulationem expetijt, quando iniuriarum depulsionem, & vindictam postulare debuerat.

Causam cur sibi gratulationem fieri voluerit, magnus Senator reddit, dicens: *Quòd ego solus torqueo corda liuentium*, solus ego meæ gloriæ clauis configo inuidorum animos, cuius solius demoliti sunt statuam, cùm cæterorum signa reliquerint suis basibus subnixa, & inconcussa. Cur immane quorundam odium sanguinarijs dentibus erectam mihi statuam inuasit? Quia studia rerum magnarum me occupatum habent, quià virtutibus antecello, & de præclaris aliorum facinoribus triumpho. Ergo cùm simulachrum meum deiecerunt, me ad altiorem gloriæ gradum extulerunt, cùm imaginem meam solo affixerunt, me in editioris fastigij celsitudinem euexerunt, cùm effigiem meam luto platearum oblitum conspurcârunt, virtutum mearum picturam penicillo liuoris, & inuidiæ illustrârunt. Itaque *Gratulare mihi* de probro, quod me honestat, de infamia, & ignominia, quæ me nobilitat, de vna verò vel maximè deiectione statuæ, quæ me exaltat: Nam cùm sim inuidiæ signum, & scopus, procul dubio etiam Phœnix sum gloriæ. Quamobrem *gratulare mihi, quòd ego solùs torqueo corda liuentium*, lætare de inuidia, quam patior, si me fortunatum videri cupis. Quæ namque maior felicitas, quàm ipsiusmet inuidiæ manibus vapulare, & afflictari?

Consentit hisce Plutarchus, qui hoc argumentum sæpè prolixè, vbique autem sapienter tractat. Is consolaturum magnus hic Philosophus inuidiosos, atque vt eorum leuiorem faciat pœnam, siue vt rectiùs dicam, ampliùs extollat prosperitatem, inuidiosi qualitates tali ferè argumento persequitur. Vultis videre quanta sit sublimitas, quanta dignitas, & gloria hominis inuidiosi? Inuidus hoc vobis dicet. Nemo inuidantiá laborat, qui ægritudinem suàm fateri velit: *Magnum huius rei argumentum est, quòd nonnulli, qui odio se habere quàm plurimos fatentur, inuidere se alicui negant.* Hæc ille de Odio, & Inuidia, Tom. I. Quàm facilè confitetur homo odium, quod habet in alios? Quàm latè patent pectoris illius fores, per quas videre inimicitias, quas cum alijs gerit, quisque possit? Sunt qui suam animorum in alios maleuolentiam vltrò aperiant, enudent, palàm faciant. Non illos imponere equuleo, non tormentis vllis alijs subijcere, non vel minacijs terrere necessum est, vt suas simultates manifestent, per se, ac suâ sponte hoc agunt ipsi suæ ab alijs alienationis præcones, & tubicines. Verùm vt inuidiæ morbo se correptos dicant, nullis cruciatibus effeceris: *Inuidere se omnes negant*, inquit Plutarchus vbi suprà. *Quòd si quis eis ostendere conetur, mille excusationes afferunt, huius affectionis nomen obumbrantes, ac tegentes, quasi hæc sola animi ægritudo celanda sit.* Si testes etiam iurati de quoquam affirment, laborare inuidiâ, conuitia eis millena ante reponit, quàm concedat, falli eos, ac mentiri clamat, ex odio tantùm, & mala voluntate ægrè sibi esse dicit, non ex inuidentia, cuius vitij vt omnem à se amoliatur procul suspicionem, plurimas comminiscitur excusationes, quibus hoc crimen amoueat, & ad varias se artes cōuertit, vt suam obnubat maculam, vulnus occultet, dissimulet dolorem.

Sed *cur inuidere se omnes negant?* Cur eos talis ægritudinis pudet, qui alia vulnera sæpè magnificè iactant, & ostentant, & in propatulo esse amant, & suâ voce liberrimè vulgant? Causa ea est, quòd odium colorari, & palliari prætextu aliquo licito, & rei honestæ specie inaurari potest, vt si dicas, sola odisse errata, vitia, flagitia, quæ res talis est, vt laudem mereatur, & à virtute descendat, si nimirùm sola malefacta exosa habeas, & non in eorum authorem prætereà redundet inimicitia, execrari quippè scelera humana licitum, homines ipsos abominari inconcessum. Verùm cùm inuidia in magna semper collineet, ornatissimaque, & splendidissima, & summa quæque appetat, adeoquè sublimes, eximios, illustres, celebres velut prædicet, clametque eos, quos persequitur, hinc nascitur, quòd alteri inuidere videri, ac fateri nemo velit, nam qui hoc fateretur, ille inuisi

quidem

quidem magnitudinem, eminentiam, excellentemq; præstantiam non obscuro præconio vulgaret, suam verò abiectionem, vilitatem, miseriam ipsius testaretur, qui aliorum felicitatem non cum liuore aspiceret, non doleret, nisi eam sibi deesse sciret, ac sentiret: Nisi enim se tam deiectum, alterum tam exaltatum agnosceret, nisi se tam demissè humiliatum, alterum tam sublimè euectum reputaret, nunquàm illi inuideret. Iam vt quisque erubescit esse inferior alijs, minusque ijs & valere, & mereri, atque hoc fatetur, cùm inuidet, inde fit, vt nemo inuidum se fateri velit, ne hoc simul dare videatur, quod alijs virtute, ingenio, cæterisque seu fortunæ, seu corporis, seu animæ bonis sit inferior. Quare inuidiosum esse honorificum est, & gloriosum, cùm nemo in inuidia sit, nisi illustris, eminens, præclarus. Propterea inuidum pudet etiam familiarissimo, & intimo animæ suæ chirurgo vulnus hoc suum patefacere, ne se inferiorem, & minorem confiteatur: *Inuidere se omnes negant*. Cùm itaque inhonorificum putetur fateri se liuidum, quòd infame sit inuidere, inuidiosum esse felicitas est, de qua gloriari ille, vehementerque & iactare, & ostentare sese potest.

E mea quidem sententia inuidere, & magnificare aliquid sic vnum idemque sunt, vt videatur non posse magnitudinem rei cuiuspiam meliùs declarari, quàm si inuisam, siue inuidiâ exagitatam fuisse affirmes. Sic accipio dictum quoddam sancti Zenonis inclyti martyris Veronensis, qui dum animorum robur apud se reputaret valentissimorum illorum trium iuuenum à barbaro rege Nabuchodonosore in ardentem fornacem coniectorum, quæ his adornata erat, qui statuam illius adorare recusarent aiebat: *Rex non inuiderat pueris, si non eos præcepisset ardere*. Hæc ille Serm. 8. de Daniel.

Quid sibi vult, quod ait, extrà inuidiam regis fuisse heroicos illos pueros, nisi iussu eiusdem flammis vstulandi traditi essent? Quid illi egerunt inter medios flagrantium flammarum globos? Pectoris fortitudinem, & magnitudinem animi ostenderunt tantam, quanta ad id tempus visa nulla fuerat. Qui horrorem fornacis illius contemnebant, & flammantem istius ignis draconem aspernabantur, & ardentis monstrum incendij ridebant, ij fortitudinis humanæ limites communes longè excesserant. Res autem ista æquè & miserum regem pudefaciebat, & valentissimos iuuenes honestabat, sic vt in eadem fornace proderet se & horum inuicta fortitudo animi, & illius imbecillitas pectoris, virium infirmitas, cuius arrogantiam incomparabili suâ audaciâ subegerunt, & compresserunt. Itaque rex, cùm eos igni tradidit, excelsitatem animi illorum, & præstantiam illustriorem reddidit, quò enim grauius est periculum, eò amplior gloria eius, qui illud subit, quò efferatius aliquod, & terribilius mostrum, eò maiorem splendorem confert suo domitori, quò potentior hostis, eò magnificentior virtus illius, à quo subigitur. Propterea sanctus Zenon eiusmodi gloriæ occasionem, & triumphi talis causam vocat inuidiam, dicens: *Rex non inuiderat pueris, si non eos præcepisset ardere*, hoc est, non magnificârat, non illustrârat, non in eminentissimo gloriæ gradu eos collocârat, nisi incendio fornacis subiecisset. Nam inuidere cuipiam, & in cœlum laudibus illum efferre, prorsùs idem est. Quòd enim quis inuisus est, id à magnitudine meritorum illius nascitur, & ab ornamentis virtutum, quibus affluit. Inuidia ergo gloriam adfert inuidioso, probrum suo authori.

Videmus hoc expletum in nostro Patriarcha Isaac. Morabatur ille in terra regis Abimelech, qui sub pœna capitis cauerat, ne quis illius vxorem liberiore manu contingeret. Non multos dies ibi egerat, & tam diues opum factus, pecorumque, & familiæ copijs sic auctus fuit, vt cùm Palæstinorum cæterorum, tùm regis ipsorum inuidiam incurreret, *in tantum, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac, recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde*; Gen. 26. 16. Vides hîc nostrum Isaac, qui suæ affluentiæ potentiâ regem expergefacit, somnumque illius interpellat, & soluit? Quid honorificentius homini priuato, quàm mereri inuidiam regis? Quæ sublimior felicitas, quàm quòd res secundæ Isaaci amplitudini Abimelechi cruciatum attulerunt, & dolorem?

Atque vt iustæ de hac fera bestia pœnæ sumantur, quod maius tormentum velis, quàm ipsum de felicitate aliena dolorem? quem atrociorem, & inhumaniorem carnificem, quàm inuidiam ipsammet? Id affirmat sanctus martyr Zenon Veronensis, inquiens, ab inuido semper intùs in corde circumferri & infernum portatilem, à quo torqueatur, & tersum speculum, viuumque exemplar æternarum pœnarum, quas in obscuris illis inferorum ergastulis damnati dependunt, & certissimum pignus cruciatuum perpetuò duraturorum. Quare ait Serm. de Liuore, & Inuidia: *Fugiamus inuidiam obstaculum regni cælorum, viam gehennæ, pignus, & primitias quasdam pœnæ perpetuæ*. Itaque inuidus, & damnatus, quod ad cruciatuũ vtriusque genus attinet, velut idem sunt, & status cõditione non multùm impares. Huc

Huc faciet, quod Magnus Basilius de hac maledicta, & cæca passione pronunciat, dicendi occasione arreptâ ex illo sancti Ioannis Epist. 1. cap. 4. v. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Conficit ex his tale argumentum sanctus Basilius Orat. 1. *Si Deus, vti Ioannes inquit, charitas est, ipsa inuidia dæmon sit oportet. Vt igitur, qui charitatem habet, Deum ipsum in se manentem habet, ita qui inuidiam fouet, dæmonem haud dubiè in seipso nutrit, atq; alit.*

Qui Deum in anima sua manentem habet, quid habet? Quietem, pacem, ipsissimam tranquillitatem. Quando enim in pectore tam dulcis, & beneuolus hospes agit, quomodo non sint omnia pacata, & quieta? Quies namq; extrà Deum, qui est animæ centrum, in nulla re mundi reperiri potest. Quòd si Deus è corde abit, cui pedem rabida inuidiæ fera hactenùs non intulerat, & crudelis dæmon, inferorum horribilis inquilin9, & orci immanis verna post illum ingreditur, quam trãquillitatem habere possit, aut quanam pace, & quiete gaudere, cui talis domi est hospes? Nempè *dæmonium haud dubiè in seipso nutrit, atq; alit.* Qui proximum habet stygium illum tenebrionem, illum sanguinarium lupum, illum trucem, ac præferocem leonem, quomodo quietam ducere vitam miser queat? Quem verò intolerabiliorem infernum, aut quod acerbius tormentum in hac vita cæco inuido optes, quàm est illud, quod intrà viscera circumfert animæ penitissimæ velut affixum certè tenacissimè inhærentem dæmonem, hostium omnium formidabilissimum, omnis perturbationis authorem, omnis pœnæ incensorem, omnium cruciatuum procuratorem, omnis iræ, odij, rabiei inflammatorem?

Vix confessa Sponsa fuerat, vulgarâtque singularis cuiusdam gratiæ beneficium, illud, quod à rege in cellaria sua introducta fuerat, Cant. 1. 3. quando ignis inuidiæ extemplò iuuenculas Ierosolymitanas corripere, eoque vrgere cæpit, vt Sponsæ venustati detraherent, næuosque illi nec paucos, nec qualescunque affingerent, & mille comminiscerentur imperfectiones, quibus dignitatis illius splendorem obscurarent. Audiebat hæc illa, & sedato, pacatoque animo comiter talia reponebat: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem*; Cant. 1. 4. ac si dixisset: Subfusca sum, non diffiteor, venusta nihilominùs, neq; tam indigna beneuolentia Regis, aut tam nihil merita gratiam illius peculiarem, vt vos arbitramini.

Sanctus Bernardus meritò admiratur, filias Ierusalem dictas eas, quæ suam Sponsæ felicitatem inuidebant: *Filiæ Ierusalem.* Quò tam nobilis appellatio tam liuidis mulierculis? Quò tam illustre nomen fœminis, quas vilissima passio occupârat? Nonné rectiùs filiæ Babylonis (magis enim aptè hoc in illas quadrat vocabulum) dictæ fuissent, propter confusionem, quæ animas illarum perturbatas habebat, & inquietem, quæ pectora earum exagitabat? Cur ergo blanda, & beneuola Sponsa tam honorifico nomine illas donat, & filias Ierusalem vocat?

Respondet Doctor mellifluus serm. 25. in Cant: *Benè dixit, filias Ierusalem vocans, quæ magis pro sua nequitia filiæ Babylonis, vel filiæ Baal, aut si quod nomen improperij occurrisset, appellari meruissent.* Cur verò illas non probrosâ appellatione aliquâ perstrinxit, ac pudefecit?

Occurrit quæstioni Bernardus, inquiens: *Non putauit amplius irritandas satis commotas per se, nec quidquam addendum stimulis inuidiæ, quâ torquebãtur.* Erat Sponsa vt prudens, sic miti, clementeque ingenio, cumque iuuencularum istarum cognosceret ægritudinem, intelligeretque inuidentiæ morbum esse, ex quo decumbebant, noluit earum vulnus ignominiosiore appellatione, velut vnguium iniectu, magis exulcerare, quin potiùs splendido filiarum Ierusalem titulo illis velut subblandiri, rata sufficere (quod Christus dicebat) diei malitiam suam, & satis graui dolore percelli, quæ inuidentiæ cruciabili malo vexebantur. Sat magna premebantur miseriâ, quæ talem intùs in anima bestiam nutriebant. Satis immanem corde circumferebant carnificinam. Permolestâ, & intolerabili cruce prægrauabantur earum pectora. Superuacaneum itaq; erat, verbis aculeatis illarum exasperare plagas, & exaggerare dolorem. Quòd ergo Sponsa fecit, perinde fuit, ac si dixisset: O ærumnosas mulieres! Inuidia laboratis. O vos miseras! Abundè vos ipsæ, quidquid in me peccastis, in vobis plectitis. Si ego plusculas in somnis noctes exigerem, interque has peruigil de supplicio vobis inferendo studiosissimè, intentissimèque deliberarem, quomodo potuissem, tametsi fœminarum, quas mundus habet, crudelissima essem, atrocius excogitare, & in vos decernere, quàm rabiosæ illius, feræ, inuidiæ, dico, quæ cordibus vestris innutritur, & pectora tota depascitur, portatilem infernum? Agite ergo, vt vultis, & inuidere pergite, sic enim iniuria mea præclarè vindicatur, & vos satis luitis. *Non putauit amplius irritandas satis commotas per se, nec quidquam addendum stimulis inuidiæ, quâ torquebantur.* Quis enim talis infernus inuido, qualis intuitus felicitatis alienæ?

Propterea

Propterea inquiebat Seneca apud Hugonem Cardinalem in Psal. 43. *Vtinam inuidi oculos vbiq; haberent, vt omnium felicitate torquerentur.* O si quis inuidos omnes transformaret in Argos, & ex omni parte oculatos faceret, vt res prosperas omnium spectare possent, sic enim multò acriores fierent illorum cruciatus. Nam si quæuis aliena felicitas illis lanceæ ictus est, & iactus sagittæ, quâ configuntur illorum animæ, quo plures aliorum felicitates conspicerent, eò acutioribus hastis, telis, spiculis transuerberarentur.

Hinc videas, quàm iustè sanctus Zenon maledictam hanc, & rabidam passionem vocârit *vitam gehennæ, pignus, & primitias quasdam pœnæ perpetuæ,* & triremium æternorum. Ex quo Politicus noster accipiat, quàm solicitè relegare ab animo suo hanc tam crudelem feram, tam atrocem catastâ, tam ignominiosam passionem debeat, quæ immaniter dehonestat, & citrà misericordiam contumeliosa est, & efferatè deijcit, quem semel inuasit.

Satyricus Martialis (vt rem hanc aliquando absoluamus) lib. 1. Epigram. 41. paucis verbis inuidum compellans omnia complexus est, inquiens:

*Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,*
*Omnibus inuideas, liuide, nemo tibi.*

Hoc est: Vt omnes celeberrimi fiant, aliud nihil opto, quàm vt felicitatem aliorum tu vnus doleas, tibi nullus inuideat. Nam si tu prosperitati inuideas aliorum, quem tibi equuleum crudeliorem, quē inhumaniorem carnificem, quod tormentum magis sæuum, quam ardentiorem laminam, quem pœnaliorem lanceæ ictum apprecari possim? Et si nemo tibi inuideat, quæ infelicitas maior, aut grauior calamitas euenire queat, cùm nec sit gloria illustrior, quàm inuidiosi, nec ærumnosior miseria, quàm inuidi?

*Vide in Tomo primo Periocham secundam Feriæ VI. post Domin. V. in Quadrag. pa. 429. a. o. Et Periocham secundam Sabbati post eandem Domin. pag. 441. a. o.*

## CAPVT II.

*Domino seruiemus, cuius ea est suauitas, humanitas, ac moderatio, vt neminem impari viribus onere prægrauet.*

Cùm proximum adesset tempus, quo mundi Redemptori mors ignominiosa truces manus afferret, vitamque innoxiam adimeret, secessit ille (quod Euangelistæ ferunt) cum tribus charissimis, & familiarissimorum intimis Discipulis in hortum, Patrem suum æternum obsecraturus. Digrediebatur verò ab illis quantùm iactus est lapidis, & quoniam præuidebat fore, vt incautis oculis ignauus somnus obreperet, iussit eos aduersùs illius insidias in excubijs agere, inquiens: *Sustinete hic, & vigilate mecum;* Matth. 26. 38. tanquàm dixisset: Hoc solùm vos rogo, discipuli, vt hîc tantisper conquiescatis, & languido somno habenas non permittatis, & vel communes vigilias mecum agatis, qui paria mecum subire tormenta non potestis. Sic dixit, & Patri æterno Filius humilis ardentes preces obtulit. Post fusam orationem repetijt charos comites, & explorare volens, quid cohors regia, quid corporis sui stipatores agerent, inuenit eos somno oppressos, ducemque cohortis appellans ait: *Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum?* ibid. v. 40. Quî factum, Petre, quòd tam impotens tui teipsum coërcere tantillùm non potuisti, tamque ignauus, & negligens effectus es, vt te animus destituerit, cùm rei occasio illum vnicè postularet, & vigilantiam inter præsentanea pericula deserueris?

Inter considerationem huius tam suauis querimoniæ pientissimi Magistri hoc sciscitabatur venerabilis Simon de Cassia lib. 13. in Euangelia: *Quid sibi vult hoc, quod Saluator Petro cum cæteris obijcit in facie, Non potuistis vnâ horâ vigilare mecum?* Vnde natum fuerit, quòd Saluator, cùm esset tam blandus pater, tam mitis, & beneuolus Dominus, quando vidit Discipulos omni abiectâ curâ alto somno demersos, palàm illos de tanta sua oscitantia, & negligentia in os coarguit, sic ferè dicens: Quis hic animi vestri languor? Tantané esse potuit vestri pectoris ignauia, & ingenij illiberalitas, vt tam longas somno habenas permitteretis, & me Dominum vestrum tam graues inter solicitudines cum extremo spiritu velut decertantem solum insomnem, solum agentem vigilias relinqueretis? Cur illorum somnolentiam tam grauiter plectit? Cur socordiam tam acribus verbis castigat?

Respondet Simon de Cassia: *Si potentiam non dedisset, negligentiam non increpasset.* Nemo acrimoniam verborum Christi, nemo dulcissimi Magistri obiurgandi asperitatem ergà somniculosos Discipulos miretur, quando enim illis imperauit vigilias, contradidit & superandi somni facultatem, quando insomnes esse iussit, simul vt esse possent, dedit, alioquin tam acerbè in illos inuectus non fuisset: *Si potentiam non dedisset, negligentiam non increpasset.* Diuinus nimirùm hic Dominus, vt est dulcis, & pius pater, ita nunquàm grauiùs nos arguit, quòd grauiorem

orem viribus sarcinam non excipiamus, non toleremus.

Pergit Simon. *Certum est Deum nobis omnem dedisse sufficientiam ad virtutu actus, quos exigit, aliter autem (fortè enim) esset exactor.* Si prolixius suscipere iter mandat, commeatum viæ & vitæ necessarium vnà subministrat, si onus quodpiam humeris nostris imponit, robur quoque, & vires, vt simus ferendo, addit: *Aliter enim esset exactor*, & magis durus tyrannus, quàm blandus pater, magis crudelis lictor, quàm beneuolus iudex, inhumanus carnifex potiùs, quàm benignus Dominus. Verùm vt est dulcis, facilis, prudens, discretus pater, nunquàm intolerabili pondere ceruices nostras grauat.

In illis celeberrimis nuptijs, quibus cohonestandis interfuerunt nobilissimi hospites, (illustrârunt quippè illas Filius, cui nullus vnquàm par fuit, aut erit, & Parens matrum omnium sanctissima) præclarâ, & opportunâ occasione hilaritas, & festiuitas conuiuiorum potissima, hoc est, vinum deesse cœpit. Simul hanc inopiam Mater pientissima vidit, & de remedio sollicita, Filij sui omnipotens brachium implorauit, obsecrauitque vt illi propitius necessitati opem ferret, & recens desponsatorum honori consuleret, ignominiam proximam anteuerteret. Post aliquot Filium inter, & Matrem vltrò, citròque habitos sermones, concedens tam potentibus precibus Dominus ait ministris: *Implete hydrias aquâ*; Ioan. 2. 7. quæ tam vastæ erant, vt facilè capere possent vinum, quantum ad omnem hilaritatem excitandis conuiuis sat esset.

Mellifluus Doctor ait: Tria in hac Domini iussione sunt obseruanda. Primum est id, quod non vult, alterum quod præcipit, tertium quod vult. Non vult magnus Dominus inania esse vasa, præcipit impleri aquâ, & hanc vult conuerti in vnum. Duarum priorum rerum procuratio ad quem pertinebat? Ad homines. Tertia cui relinquebatur? Ei, qui duas priores mandauerat. *Vt vacua sint, non vult Dominus, vt impleantur aquâ, iubet Dominus, vt autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus*, inquit sanctus Bernardus serm. 17. de paruis, & varijs sermonibus. Implere hydrias aquâ opus est, quod humanarum virium facultatem non superat; facere autem, vt in vinum transmutetur aqua, id potentiæ diuinæ seruatur: *Vt impleantur aquâ, iubet Dominus, vt autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus.* Itaque Dominus nihil ampliùs mandat, quàm quisque præstare possit. Aquâ implere vasa, homini facile est, facere miracula, impossibile, & supremæ potestati relictum, ijsque, quibus omnipotens Deus vult donare, vt operentur prodigia. Quod ergo exequi homo potest, *hoc iubet Dominus*, quod per vires licet, hoc facere præcipit, quod suprà has est, quod angustos limites imbecillæ potestatis eius excedit, *hoc facit Dominus*, hoc ipse curandum suscipit. Ad mensuram ergo virium distribuit onera, facere miracula suæ commendat potentiæ, implere hydrias aquâ, diligentiæ humanæ. Denique nunquàm hic superus Dominus plus iniungit homini, quàm commodè perficere queat, nec onera humeris injicit grauiora, quàm tolerare possint.

Statim ac sacratissimus hic Dominus duos quosdam cœcos sanârat, soloque piæ manus attactu lumine oculorum donârat, *ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem*; Matth. 9. 32. Simul vt ille ante Dominum maiestatis collocatus fuit, abijt, euasit, erupit satan, sic vt non aliâ operâ miser ille oblatus Medico, aliâ eiectus dæmon, sed vno, eodemque negotio factum vtrumque videatur. Ait namque Euangelista, quòd *eiecto dæmonio locutus est mutus*; ibid. v. 33. proturbatoq; stygio hoste mox apertus est carcer, & soluta ærumnosi arreptitij labia.

Priùs autem, quàm cœcis illis, de quibus dixi, visum daret, fidem illorum ad examen prodigiosus Magister vocauit, inquiens: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* Matth. 9. 28. *Dicunt ei: Vtique Domine*; ibid. Cùm hæc illi dixissent, *tunc* Dominus *tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis*; ibid. v. 29. Sic dictum, vnaque factum, vt miraculo viderent.

Euthymius, cùm in consideratione horum miraculorum, dæmoniaci, aio, liberati, & cœcorum visu donatorum, versaretur, dubitare cœpit, quamobrem cœcos non ante curare voluit, quàm fidem illorum expendisset, interrogasset, & audijsset, num illum tam stupendum miraculum operari posse crederent, dæmoniacum verò prorsùm nihil sciscitatus fuit, sed ab infesto hospite, mox vt illi oblatus fuit, vindicauit, exacto, fugatoque cacodæmone, qui miserum hominem pessimis modis oppressum exagitârat. Cur à cœcis fidem pro miraculo exegit, à dæmoniaco nihil tale requisiuit?

Respondet Magnus Euthymius: *Non fidem exigit ab arreptitio, siquidem nec fari poterat, nec intelligere, quod agnoscens Saluator, protinùs dæmonem eiecit etiam ipso ignorante.* Quòd cœcorum fidem examinauerit, non mirum, nam hi tametsi oculis orbi, non tamen linguâ destituti erant, quâ poterant ad interrogata respondere. Obsessi autem fidem non

excussit, neque de fide illum quidquam percontatus fuit, mutus nempè erat,& labijs impeditis,& linguâ velut iniectis vinculis constrictâ, *nec fari poterat*, neque audire, vel responderet. Nunquàm Dominus hoc à quoquam exigit, quod exequi non possit.

Vrbanus, & euangelicus Propheta de se, vt multorum habet opinio, aliquid affirmat, quod diligentem mereretur considerationem. Capite 49. v. 4. sic habet Isaias: *Et ego dixi, In vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*; quod tale est, ac si pluribus dixisset: Vt quod sentio, eloquar, superuacaneum fuerit quæstione à me extorquere, meapte sponte namque, & volens vltrò dicam: Nequicquàm desudaui, robur meum, viresq; inaniter hebetaui, & obtriui, frustraneum, & infructuosum fuit omne meum studium, oleum mihi, & opera perijt, mortuos inclamaui, surdis vocem dedi, aërem verberaui, ignem dissecui, ex prædicatione mea, & sacris exhortationibus nihil vtilitatis reportaui. Quid autem hinc fit? *Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo*; ibid. ac si apertiùs dixisset: Domino causam meam omnem probabo, cum illo mihi conueniet.

Quid sibi volunt ista? Quis illorum sensus?

Respondet Adamus Sasbout, Hector Pintus, Didacus Aluarez, & omnium nomine Mariana, Prophetæ illa verba postrema tantundem valere, ac si dixisset: *Mercedem operis mei, ac laboris à Deo expectabo.* At quomodo Isaias à prolixis munifici Domini manibus sui remunerationem laboris expectabat? Fatetur ipse vanè laborasse, spe suâ frustratum esse, nullum ex prædicatione sua fructum retulisse, dicens: *In vacuum laboraui*; & pro tam inutili opera mercedem opperiri ait! Si opima, & abunda messis de seminatione, & prædicatione illius nata fuisset, si plurimas animas conuertisset, Deoque adduxisset, dicere meritò poterat: *Mercedem operis mei, ac laboris à Deo expectabo*; at cùm inanis fuerit omnis illius opera, inutile studium in, fructuosa prædicatio, sic vt nullum peccatorem ad vitam saniorem adduxerit, quod præmium sibi promittere potuit? quam expectare gratiam, aut compensationem?

Occurrunt quæstioni Hugo Cardinalis, Lyranus, Dionysius Carthusianus, & elegantissimus Episcopus Syluensis Hieronymus Osorius, qui vnus ex omnibus sensum Prophetæ sic dilucidat: *Hoc vtor solatio, quòd nihil fuerit à me, quod ad gentis huius salutem pertinet, omissum. Deum, quem nihil potest latere, iudicem habeo, cui causam meam probabo. Scit enim ille me, vt gloria sua seruirem, omnes conatus meos ad hûc populum monendum, & instruendum comparasse, magnumque in eo opere moliendo, laborem suscepisse. Non igitur per me stetit, quòminùs ad illius cognitionem perueniret.* Non diffiteor ego quidem, quòd laterem laui,& auditores meos, postquàm diu, multumque contentissimâ voce appellaui, auocare à praua vitæ consuetudine, vt volui non valui, nec aliud prædicando effeci, quàm quòd vires meas exhausi: Hæc mihi tamen reliqua est consolationis gloria, quòd nullum præterij lapidem, quem pro huius contumacis populi salute,& emendatione non mouerim. Testem huius veritatis Deum ipsum habeo, cui explorata sunt vota mea, quibus profectum illorum expetij, & studiorum conatus, anxietatesque, quibus eos ad scelerum suorum agnitionem adducere volui. Si minùs, quàm optabam, effeci, *non per me stetit.* Iure igitur defatigationum mearum remunerationem opperior.

At quo iure? Illo, quo de hîc agimus, quòd Dominus nulli vnquàm aliquid imperat, quòd præstare non possit, sed quòd in cuiusque potestate est, hoc solùm præcipit. Quod erat officium, ac munus Isaiæ? Dare voces, prædicare, monere, benè consulere. Quapropter dicebat illi Dominus: *Clama, ne cesses*; Isaiæ 58. 1. vociferare ad populum, qui profundo deceptionum, & illusionum, quas patitur, lethargo sepultus iacet, identidemque succlama. Sic eidem dicitur cap. 40. v. 6. *Clama.* Eæ partes illius erant, hoc munus ecclesiastarum, vt clament,& vociferentur, non vt suum prædicatio sortiatur effectum, non vt euigilet dormiens, non vt peccator conuertatur, non vt ex peccatis æger sanetur, hoc enim ad auditores, ad infirmos, ad peccatores pertinet, qui euigilare, conuerti, curari possunt, si modò rectè vti auxilio Dei velint. Sciens ergo Isaias, pro virili præstitisse, quidquid commodè poterat, vt ætatis suæ homines in se redirent, & ad frugem bonam se reciperent, & ministerij sibi concrediti partes pro virium mensura expleuisse, aiebat, remunerationem, præmium, stipendium, laurum, coronam ab omnipotente Deo expectare: *Iudicium meum cum Domino*, inquiens, *& opus meum cum Deo meo, mercedem operis mei, ac laboris à Deo expectabo.* Dulcis nimirùm hic, & perhumanus, & sapientissimus, & generosissimus Dominus humanis non imponit humeris, quod ferre non possint, neque plus imperat cuiquam, quàm ab eo fieri queat.

Non malè confirmabitur hoc quadam Apostoli sententiâ, & Chrysostomi annotatione, Paulus, vt prædicatoribus animos adderet, scribebat 1. Cor. 3. 8.

3. 8. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*, neminem proinde frangat, aut deterreat operosi ministerij difficultas, cui magna certò constituta est remuneratio.

S. Ioannis Chrysostomi obseruatio homel. 12. in Ioan. ea est, quòd prædicationis studio, & exercitationi, non effectui decretum præmium dicitur: *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm proprium laborem, non secundùm rerum euentum*; inquit ille.

Sed cur Dominus in remuneratione laborem, quem euangelicus operarius in concionando ponit, sudoremque illius, & defatigationem considerat, & non exitum prædicationis, fructumque, qui ex ea resultat, attendit? Causa est, quòd euentus prædicationis non sit in manu, ac facultate ecclesiastæ, sed auditoris, huic scilicet incumbit fructum, ex verbo Dei audito facere, illius officium est clamare. Itaq; qui concionandi studio dat operam, ille sui laboris mercedem, & compensationem referet, tametsi nihil vnquàm efficiat, iam enim quod ex parte sua debuit, fecit: Et cùm Dominus à nemine ampliùs quid exigat, quàm quod commodè exequi potest, quando homo officij sui, quam debuit, rationem habuit, & quod per vires licuit, inque eius potestate fuit, præstitit, totumque robur ad muneris sui executionem vertit, tunc satisfecit Domino, hicque illius operas iustâ compensatione remunerabit.

Animosè, atque audacter admodùm ait Propheta regius: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*; Psal. 118. v. 106. velut dixisset: Ego in leges tuas omnes, ô pientissime Monarcha, iuraui, easque religiosissimè, & studiosissimè obseruabo, & qualem, quantamcunque sarcinam humeris meis inieceris, eam non solùm gaudens, læsusque admittam, sed etiam magno, ac bono animo constanter pertinaciterque feram, idque mihi tam certum, quàm quod constitutissimum.

S. Ambrosius in octonario 14. dicti Psalmi 118. ait: *Vox ambulantis in lumine est cum auctoritate dicere, Iuraui, & statui.* Cogitet fortè quispiam, inquit sacer Doctor, fuisse eam Prophetæ præcipitantiam, aut stultam arrogantiam, temeritatemque, quòd tam intrepidè clamat, iurasse obseruantiam mandatorum dominicorum, atq; illi studio immori velle constitutissimum habere. At secùs res habet, nam *Vox ambulantis in lumine est*, plurimâque luce perfusus, & sibi valde præsens fuit, dum talia iuratus promisit. Tutò, ac securè iurauit, quando ad amussim legum diuinarum velle omnem vitam instituere, & porrò exigere spopondit. Non formidauit iurare, quod se non expleret, nihil timuit: *Si enim metueret, non iuraret*, inquit Ambrosius, *si trepidaret Vtrum diuina posset custodire iudicia, non cum iusiurandi statueret sacramento. Nemo benè iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Iurare igitur indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est.* Si dubium Prophetæ fuisset, vtrum custodire Dei iudicia, & præcepta posset, certè sacrâ iuramenti autoritate ad eorum obseruantiam nunquàm se adstrinxisset. Sciuit ergo posse, certumque habuit fore, vt promissionem suam operibus persequeretur.

At vnde certum habuit? Et quâ fiduciâ ad perpetuam diuinorum præceptorum obseruantiam, rem tantam, tamque arduam iuramento se obstinauit? Quid illi hos animos fecit, vt nihil metueret tam operosæ custodiæ pollicitationis irretractabilis necessitate se addicere? Ferat Dominus, quamcunque vult legem, aiebat rex pœnitens, quod maximè libitum est, præceptum mihi imponat, ego illius sedulam, ac strenuam obseruantiam iuro: *Iuraui, & statui* ferre onus, quodcunq; illud imposuerit. Vnde tanta Dauidi excelsitas animi? Inde, quòd diu in palatio Domini versatus, ingenium illius perdidicerat, nouerat que nihil ab eo imperari, quòd sit viribus humanis impossibilè, immò tolerabilia, suauiaque esse omnia, quæ disponit, & præcipit, dummodò homo diuino auxilio fretus ad eorum obseruantiam adijcere animum velit. Cùm huius veritatis infallibilitatem apud se Propheta attentiùs reputaret, fidenter exclamabat: *Iuraui, & statui*, iuroque, ac statuo, quòd obseruabo legem, quæcunque mihi denuntietur, pronoque collo excipiam iugum, quod illud cunque mihi inijciatur. Quæcunque enim ab infinita Dei sapientia, & bonitate venit sarcina, ea toleranter ferri potest. Est namque tam discretus, & pius Dominus est legislator tam prudens, & attentus, vt nunquàm promulget legem, nunquàm ferat præceptum, nunquàm publico edicto aliquid mandet, quod non sit aptum, accommodatumque hominis viribus, & probè expensum ad pondera imbecillitatis illius.

Nam vt doctissimus ille, & catholicissimus Paulus Episcopus Burgensis, cùm Alphonso Decano sanctæ Iacobi legitimo filio suo scriberet, in prologo addit. ad Postill. Lyrani Tomo 1. Glossæ Ordinariæ ait, *Vnusquisque tanti debitor est, quantum ingenij sui Vires exsoluere Valent, nec quisquam apud Deum soluendo non est, cùm Vltrà facultatem non petit, sed misericordia eius ijs, quæ possumus, contentatur.* Feli-

ces,

ces, & fortunati sumus, quotquot sub tam pij, & discreti ducis signis militamus, quotquot tam sapientem, & generosum Dominum cognoscimus, & adoramus, qui suas leges nostræ humanæ capacitati accommodare, & onera aptare virium nostrarum debilitati pernouit.

Quomodo ergo Politicus noster humeros sarcinæ, iugo ceruicem negare, aut subtrahere poterit, cùm neutrum sit grauius, quàm tolerare facilè queat? Magna reuerà est peccatoris miseria, cui cum barbaro, & feroci tyranno res est, à quo eneruatus, viribusq; omnibus exhaustus facere iubetur vel impossibilia, vel certè talia, qualia legitimus Dominus nunquàm imperare solet. Dæmon, vtpote intrusus Dominus, affligat suis legibus, opprimit præceptis, ingentesque scopulos, & montes totos miseris infelicis peccatoris humeris imponit: Verùm cœlestis Dominus, cùm sit pater pietatis, facit iugum suaue, leuia mandata, tolerabilem sarcinam, pondera dulcia, opitulatione namque illius, & auxiliaris gratiæ adminiculo, inspirationibus, & consolationibus internis fit, vt montes complanentur, salebrosæ viæ exæquentur, & amara dulcescant, & palato arrideat, quidquid ingratum fore timebatur. Nihil ille, quod non sit in nostra potestate, mandat, nihil, quod non facilè exequi possimus.

Licebit hoc animaduertere in eo, quod Patriarchæ nostro Isaac accidit, qui iussus à Domino permanere in regione Palæstinorum, vbi magna per id tempus erat fames *seuit*, vt textus sacer habet Gen. 26. 12. *in terra illa.*

Notandum putârunt Lyranus, Abulensis, Oleaster, Istella, Honcala, Cornelius, Pererius, Cornelius, & reliqui ferè Interpretes, quòd in tam infœcundo, & succo, & per illos dies tam inepto ad reddendos fructus solo seminasse Isaac fertur. Quid est autem, quòd tam sterili, & infrugiferæ terræ credere semen voluit? Fecit hoc, quia Domini mandato ibi detinebatur, & figere sedem cogebatur, atque vt officij sui partem nullam prætermitteret, quòd in illius facultate erat, agebat, hoc est, seminabat, terræ fœcundationem, & quæcunq; germinationi, ac maturationi frugum necessaria erant, hæc cœlo, & bono illius moderatori Deo relinquebat. Quod poterat Isaac, faciebat, nec ampliùs quid ab illo Deus exigebat. Nemo proinde queratur, quòd tam pius pater cuiquam onus grauius, quàm tolerare possit, injiciat, qui pro sua beneuolentia, & humanitate ad perpendiculum prudentiæ examinat vires nostras, vt ijs sarcinam, quàm ferre queant, imponat.

*Vide Periocham IV. Dominicæ IV. Aduentus To. 2. pag. 371. b. o. & quæ ad finem illius subnotata.*

## CAPVT III.

*Humana terra nulla tam sterilis, vt ferre pœnitentiæ fructum non possit.*

SEnsus tropologicus huius historiæ, commodus veniet consolationi, & leuamini peccatorum, & spei illorum fouendæ, & confirmandæ, curandisque omnibus, quotquot culparum suarum ardens infirmitas tristi strato affixos tenet. Quòd Isaac in sterili illo, & arido solo seminauerit, fructusque inde tam opimos, & abundantes, retulerit, vt penè suprà fidem, & admirationem copia vbertatis fuerit, hoc sacer Scriptor talibus verbis indicauit: *Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum.*

Quis tale quidpiam cogitasset? Quis credidisset, ex tam infœcunda humo affluentiam frugum tantam prodituram? Haud dubium, quin id factum, vt confirmemur animis, & magna nobis de omnipotente misericordia Dei promittamus, neque desperemus, quantamuis cordis nostri sterilitatem sentiamus, quantumuis ineptum illud arbitremur proferendo fructui pœnitentiæ, sed magno animo simus, cùm etiam sit tam potens Deus, vt ex duris lapidibus obedientes Abrahæ filios excitare queat.

Discipulus, quem diligebat Iesus, ait, ab vno septem Angelorum elatum se in spiritu in montem magnum, & altum, ostensamque sibi ciuitatem sanctam Ierusalem, vidisseque muros eius, & turres, & arces, & portas duodecim, quæ pari numero ad quatuor orbis partes collocatæ introeuntibus patebant. *Ab Oriente*, inquit, *portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres*; Apocal. 21. 13. Æqualiter ergo distributæ erant portæ. Et notandum quòd Euangelista dicit, tres etiam à parte Aquilonari fuisse portas, *quæ incutit frigus timoris*, inquit Nicolaus Lyranus, tamque gelida est, vt penè conglaciet, quisquis solùm eam cogitat. Magis illud admirandum, quòd in ea parte fuerunt portæ, quam sacræ literæ maximè omnium abominantur, & execrantur, propter id, quod est apud Ieremiam cap. 1. v. 14. *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*; tanquàm vnus à septentrionali parte veniens ventus omnem pernitiem habitatoribus terræ afflet, afferatque. Quid ergo dicit Euangelista. *Ab Aquilone portæ tres*, hoc est, quòd tres ab ea glaciali, sæuaque parte fores semper pateant, per quas, qui ex ea veniunt, ingredi-

ingredi in illam amœnissimam regionem nouæ Ierusalem possint? Dicit hoc, vt confirmet rem, quam hîc tractamus, nullusque desperet, quantumuis sit frigidus Aquilo, quantumuis proteruo corde, quantumuis gelido pectore, quantumuis cæcus, & perditus peccator, dum intelligit & sibi patere fores cœlorum, non vnas, sed tres: *Ab Aquilone portæ tres.* Si quis enim tam desperatus sit, quàm fuit Cain, vt cum illo in ea plena blasphemiæ verba erumpat: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear;* Genes. 4. 13. occurret ei sanctus Petrus Damianus, & dicet serm. 58. *Mentiris, latro, quia maior est pietas Dei, quàm quæuis iniquitas*, neque tam vasta possunt esse vlla peccatorum maria in terris, quæ misericordiam obruant Dei, qui est in cœlis.

Præclarè nobis hanc doctrinam tradet, qui eam crebro experimento didicit: *Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt;* inquit Propheta regius Psal. 118. v. 155. Indicat hoc loco Propheta, quàm procul absint à domo Dei quidam peccatores, quàm longa itinera conficere debeant, vt ad ipsum perueniant, quamque arduum sit eis, ac difficile perditam recuperare sanitatem: *Longè à peccatoribus salus.* Exanimare hîc quosdam peccatores Cantor diuinus videtur, & affirmare, tam procul ab eo abesse, vt sanentur, vt tanquàm inanis, ac vanus futurus sit omnis labor, quem pro recipienda bona animæ valetudine suscipiant.

Ità quidem videtur, at consideremus quid mox dicat: *Misericordiæ tuæ multæ, Domine,* inquit ibid. v. 156. clementiæ tuæ nulla mensura est, nullus indulgendi, & condonandi modus, aut finis.

S. Ambrosius in illius Psalmi Octonario 20. de illis verbis sic disserit: *Etsi longè est à peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multæ sunt misericordiæ Domini, qui suo peccato pereunt, misericordiâ Dei liberantur.* Quanquàm Propheta confiteatur, esse quosdam peccatores tam perditè flagitiosos, vt longissimè absint à salute animarum suarum (nam quò plùs delinquunt, eò longiùs à Deo recedunt, & quò grauiùs peccant, eò periculosiùs infirmantur) nihilominùs maior est Dei misericordia, quàm illorum ægritudo, longiùs diffunditur illius pietas, quàm horum improbitas, & plùs valet illius scientia ad medendum, quàm horum iniquitas ad sauciandum. Eapropter postquàm Dauid dixerat: *Longè à peccatoribus salus*, quasi tam ægrè sit illis, vt vix spes sit reliqua salutis, mox adiecit: *Misericordiæ tuæ multæ, Domine;* tanquàm dixisset, maiorem esse, & potentiorem in Domino benignitatem ad absoluendum, quàm in peccato malitiam ad condemnandum. Itaque *nemo desperet*, nullum quippè erit peccatum, quantumuis atrox, & immane, quod plus possit, quàm omnipotens Dei manus, & artem cœlestis Medici superet.

Verbis explicari satis non potest, quantùm lucubrârint, desudàrintque sacri Doctores, & Oratores euangelici, vt causam inuestigarent, & enuclearent mysterium, ob quod Dominus noster verbis velut contendere cum illo impudentissimo lictore voluerit, qui cœlestem eius, ac diuinam faciem pugno per summam iniuriam inflicto turpissimè dehonestauit, quando post acceptam probrosam alapam hæc ad illum enubi fronte, & serenis oculis, tranquillo animo, & verbis demissis dixit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, quid me cædis?* Ioan. 18. 23.

Quid hoc dicam, mitissime, ac diuinissime Agne, quòd inter acutos spineæ coronæ sentes, qui tenera tempora tua vndique terebrabant, inter cruenta, & immania flagra, quæ dorsum tuum exarabant, & sulcabant, inter duros clauos, quibus secundùm manus, pedesq; transfixus eras, inter acerbissimorum dolorum, & nefandissimorum, miserandissimorumque opprobriorum tormentum tam taciturnus, tam mutus, tam patiens fuisti, & ad solum colaphum os in verba laxasti!

Priusquàm difficultati huic satisfaciam, illud tanquàm indubitatum pono, quod apud homines præclaros, & illustres, & qui suæ existimationis iustam habere rationem solent, nulla est grauior iniuria, nullum intolerabilius probrum, quàm si cui pugnum in faciem impingas. Videtur id satis colligi ex eo, quod Ieremias de ignominijs Domini nostri prædicens ait: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs;* Thren. 3. 30. hoc est, faciem suam sacrilegis perfidiosorum hominum manibus permittet, vt eam pro effrenata sua libidine colaphis nefariè cædant, atque hâc ratione explebitur ignominijs. Quo loquendi modo, quòd P. Caspar Sanchez doctè probat, satis indicatur, quòd *alapa pro maxima quaque ignominia accipitur.* Sic & Hispanus, cùm grauissimo dedecore se oneratum à quoquam putat, dicere solet: *No me pudo dar mayor bofetada;* quod perinde est, ac si diceret: *Atrociorem iniuriam mihi inferre non potuit.* Nunc ad rem. Cur Dominus ad colaphum locutus fuit, ad cætera tormenta tacuit? Cur expostulauit cum infami satellite, à quo turpem alapam accepit?

Occurrit quæstioni S. Laurentius Iustinianus lib.

de triumphali Christi agone cap. 8. sect. 3. dicens: *Nusquam legitur, ipsum calumniam inferenti publicè restitisse, nisi hoc solùm in loco, vt sciat illius figuratam esse reprehensionis vocem, quæ in delinquentis conscientia clamat. De nullius igitur salute, quamuis grauiter sit delinquens, diffidendum est vsq; ad vitæ terminum, istiusmodi vocis considerata virtute, quæ in humili redargutione dantis alapam consideratur.* Non apud Euangelistas, non apud Scriptorum sacrorum alium quenquam legas, quòd Dominus inter omnes acerbæ passionis suæ cruciatus cum vllo satanæ ministro de iniqua violentia expostulârit, præterquàm cum vno illo improbo lictore, à quo cæsus pugno secundùm faciem fuit, hoc est, summam, & atrocissimam iniuriam accepit, quo indicatum, nullius ex peccatis ægri desperandam salutem, quamdiu carnem spiritus animat, nullum in perditis habendum, quantumuis perditè viuat, & in lecto contumaciæ, obstinationisque suæ lethaliter decumbens iaceat. Omnia hæc in sacrilego illo ministro delineata Dominus dedit, quem verbis conuenisse, coarguisse fuit, coarguisse autem aduocasse fuit, vt facti sui rationem daret, & flagitium suum agnoscens, contumeliam pœnitudine damnaret, & expiaret, proque illata iniuria satisfaceret. Illum ergo, à quo ignominiosissimè habitus, & atrocissimâ contumeliâ dehonestatus fuerat, alloquio dignatur, & verbis appellat, quòd certo inditio fuit, vehemens fuisse illius condonandarum noxarum, & remittendorum scelerum delictum. Hinc accipimus, neminem diffidere, aut cadere animo debere, quando & illi fores indulgentiæ patent, & remissionis gratia, salutisq; remedium offertur, qui sospitatorem suum turpissimè, atque indignissimè dedecorârat: Nam si remedij spem ægritudo grauissima, & pertinacissima habet, nulla erit incurabilis plaga, nulla insanabilis infirmitas: *De nullius igitur salute, quamuis grauiter sit delinquens, diffidendum est vsque ad vitæ terminum.* Qui perniciabilissimo morbo mederi vltrò obtulit, quomodo non aliam quamcunq; sanet ægritudinem? Quis peccator tantæ habens propositum exemplum pietatis diffidat? Quis angatur animo, cui spes tam certa veniæ? Quis non indulgentiam sibi indubitatò promittat, quantumuis inueteratum sit malum, quo laborat? Quis desperet, cui præstò est Medicus sapiens æquè, ac beneuolus? Nonné vides salutis nostræ infensissimi hostis manifestas præstigias, apertamque imposturam esse, cùm persuadere conatur, non superesse remedium, vbi medicinæ penè superflua est copia, & non esse indulgentiam reliquam, vbi supremus Dominus, qui offensam passus, offert misericordiam, & ad veniam inuitát? Quid illa sacrosancta in crucis ligno expansa brachia, quidué inclinatum caput mutis signis, & mysticis nutibus aliud clamant, aut vociferantur, quàm vt perditissimo, flagitiosissimoque dicant, quòd passis vlnis ipsum Saluator opperitur, volens dulciter admittere, & amanter complexari? Et quid illa capitis submissione aliud voluit, quàm annuere, ne quis peccator timeret, neué formidaret, apertum habens illud confixi lateris ostium, in quo contrà omnem diuinæ iustitiæ seueritatem reperire asylũ, tutoque latere possit, si modò auxilijs, inspirationibus, vocationibus eius rectè vti velit?

Testem huius rei huc accersamus nostram matronam Rebeccam, vt suo nobis suffragio adstipuletur. Erat illa sterilis, quod sæpenumerò dictum. Sancti mariti ardentibus precibus, & singulari Dei miraculo factum, vt conciperet. Positi in aluo materna gemelli concertare cœperunt, quorum inopinabilis conflictus afflictam, & anxiam reddidit ex sterili fœcundam matrem. Cùmque de tam inaudito portento sacrum oraculum consuluisset, hoc responsi accepit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur*; Genes. 25. 23.

Origenes Adamantius homel. 12. in Gen. admiratus illud oraculi responsum ait: Quis tale quidpiam cogitare potuisset! *quæ desperauerat sobolem, gentes, & populos gestat in vtero*, quæ totis viginti annis ne vnum quidem filium obtinere potuit, aut eniti, ea denique parens facta est non vnius filij, neque duorum, sed populosissimæ nationis, vt hinc accipiamus, non diffidendum in hac vita, non abijciendum animum, non desperandum, quantumuis sæua, & periculosa sit peccatoris ægritudo, nam si confortetur animo, & viribus totis connitatur, vt debet, exurget è scelerum strato, certoque consanescet ab infirmitate, & optimam recuperabit valetudinem. Nemo plus satis affligatur animo, quantumuis illi sterile cor sit, & saxeum pectus, nam si ritè sese præparet, ac disponat, Deus animum illius tam fertilem reddet, vt non ipse solùm incolumis fiat, sed etiam vt alij sanitatem consequantur, facere possit. Vbi enim nulli sperabantur liberi, reperti sunt populi, & copiosa, exundantiaque flumina inuenta, vbi nulla offendi posse aqua putabatur: *Quæ desperauerat sobolem, gentes, & populos gestat in vtero.*

Ac nisi ità res haberet, cur impiger, ac solicitus ille paterfamilias ad singulas horas excurrisset conductum

ductum operarios in vineam suam, qui primo mane, & horâ tertiâ, & sextâ, & nonâ, & vndecimâ forum omne percursauit, vt vineæ suæ cultores sibi compararet?

De hac re sic ait Sanctus Fulgentius epist. 7. ad Venant. c. 10. *Si aliquam ætatem Dominus iudicaret conuersionis remedio ineptam, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam. In diuersitate quippè horarum non incongruè accipitur ætatum diuersitas, ità vt ætas puerilis accipiatur in mane, pubertas in tertia, iuuentus in sexta, grauitas declinantis ætatis in nona, & in vndecima senilis ætas ipsa nouissima.* Pusillanimitatem nostram tali parabolâ consolari, excitare fiduciam, spem roborare Dominus voluit, ac docere, nullam esse horam, quâ peccator, dum clamet, non audiatur, nullam exclusam ab indulgentiæ gratia ætatem, omne tempus opportunum esse impetrationi veniæ, nullam prorsùs desperatam salutem, nullam incurabilem Deo ægritudinem. Illustria exempla, & valida fulcimina huius veritatis habemus, quotquot peccatores nouimus, qui spem nostram alunt, atque è Babylone culpæ transierunt in Ierusalem gratiæ.

*De hoc argumento permulta habes in vtroque Tomo superiore. Vide Periocham I. Dominica XXI. post Pentecosten Tom. II. pag. 285. a. o. & quæ ad illius calcem adscripta.*

## CAPVT IV.

*Fit nonnunquàm, vt vbi minora, & pauciora speramus, ibi & plura, & maiora, & admiranda inueniamus.*

QVòd Patriarcha noster in illa sterili terra seminauit, tamque & copiosam messem, & abundantes fructus, & vberes reditus, & insperatos suprà communem vsuram prouentus ex ea habuit; & *inuenit in ipso anno centuplũ*, vt noster vulgatus habet, siue vt LXX. Interpretes transtulerunt, *centum existimationis*, hoc est, centies ampliùs, quàm se inuenturum arbitratus fuerat: Id factum, vt admoneremur, non de eo, quod forinsecùs videmus, rem arbitrari, neque exteriori illius speciei nimium vel tribuere, vel derogare, magnum enim est non quod tale apparet, sed quod grandia facit, & magnos effectus edit. Sæpè namque exteriora nos fallunt, quæ sub oculos cadunt, lineamenta, neque rarò perperam ab ijs agi videmus, quos magna, illustriaque præclarè facturos præsumebamus. O quàm miserè ageretur cum plurimis, si tota in solis exterioribus consisteret magnitudo! Nam si ità esset, & *barba*, vt quidam apud Erasmum in apophtegmatis aiebat, *faceret sophum, quot hircorum videremus academias?* Solebant olim Philosophi (quemadmodùm hodie Medici) vt hoc sapientiæ suæ insigne præferrent, prolixam, densam, hirsutamque alere barbæ cæsariem. Cùm ergo ioculator quidam Philosophus vidisset nonnullos, quibus copiosior villus in mento, quàm in mente scientia, & cætum quendam tam insigniter barbatorum, quàm tenuiter vestitorum, succlamat: Si Philosophum barba faceret, Deus bone quàm frequens esset Philosophorum acadamia, ad quam scilicet omnes hircorum greges pertinerent, quorum tam promissa est & aspectabilis barba! Non chirothecæ, non annuli, non mulus, non macilenta facies, non statura procerior, non ãpla barba, non festiuior, & ad gratiam compositus gestus, sed continuum studium, & perpetuæ lucubrationes, & librorum pertinax lectio, & ægritudinum prudens, ac sagax æstimatio magnum faciunt medicum. In leuamine, quod infirmis adfert, in animo, in curandi dexteritate scientia vera posita est, non in vanis ostentationibus, non in thrasonica ampullosorum verborum insolentia, non in magnifico rerum exteriorum apparatu. Fit enim, vt fieri ab illis magna videamus, à quibus parum sperabamus, adeò non exterior forma, quæ in oculos incurrit, consideranda, sed effectorum ratio habenda, quæ verè lucent. Quoniam neque Philosophum barba, sed scientia, neque monachum vestis facit, sed obseruantia.

Elias de paupere, ac tenui vestitu tam notus erat, quàm de regia purpura, & corona manifestus Achab. Occurrit quondam, locutusque fuit Propheta Ochoziæ nuntijs, qui de illius figura, & habitu interrogati dixerunt: *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus*; 4. Reg. 1. 8. Quando rex: *Elias Thesbites est*, ibid. Ingens erat apud Israëlitas aquæ inopia, & toto triennio arida terra nullos ediderat fructus. Eliam rex Achab anxiè perquirebat, cumque intellexisset, vbinam degeret, *venit in occursum eius*, 3. Reg. 18. 16.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homel. 42. in Genes. ait: *Vidisti Achabi inopiam, Eliæ autem diuitias?* Quid loqueris, sanctissime Doctor? Ego maiestatis pompam admirabilem in rege video, cuius corpus sanguineâ rubet, & rutilat purpurâ, caput aureo splendicat diademate, sceptrumque omnibus est venerabile, Propheta autem pannosus rudem, laceramque penulam vestit, & vili cingulo renes stringit, & habitu toto mendicabulum per omnia præfert. Eheu me, quid illud audio! occurrit Chrysostomus.

sostomus. Itanéde pilo vestis, quod aiunt, magnitudinem animi vis arbitrari, & ab eo, quod forinsecus patet, molem interiorem æstimare! Vide autem quantum purpura illa ab hoc palliolo differat, quàmque procul sceptrum regis ab habitu Prophetæ absit: *Vide & quantum potestate distent. Melotes huius cælum clausit, pluuiarum descensum inhibuit, & lingua Prophetæ frænum fuit cœlo. Purpurâ autem amictus circuibat quærens Prophetam, nihil lucri ex tanta potestate habens.* Ità Chrysostomus vbi suprà. Quis tale quidpiam suspicari potuisset, eam tali lacernulâ tegi vim, & facultatem, quæ pluuias in tanta sterilitate adferre posset, tamque magnifico apparatui tantam subesse inopiam, & mendicitatem, vt regiam purpuram abiectæ melotæ submittere necessum haberet? Cui, inquam, hoc opinari in mentem venisset? Ille hoc cogitare potuit, quisquis nouit, totam in exteriore cultu, & forma non consistere magnitudinem. Magna enim, & præclara sæpè edi facinora videmus, à quibus minimè talia expectabamus, & sub vilibus lineamentis exterioribus prodigiosæ nonnunquàm virtutes latent.

Nemo, quantum existimo, nescit incestum stuprum, quod à patre filiabus, sed flagitium studio machinatis, illatum, quando in recessu montis ex illo conceperunt, postquàm vino à mente abductum in tam nefariam Venerem nescium, & sui impotem induxerunt. *Peperit* ergo *maior filium, & vocauit nomen eius Moab*, Genes. 19. 37. *Minor quoq; peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei*; ibid. v. 38. De his duabus sororibus quisque ita sentiet, maiorem natu quò erat adultiore ætate, eò debuisse fuisse prudentiorem, & cautiorem, & magis solicitam, quomodo inumbrare, & obscurare, prorsumque obnubere infandam suam libidinem posset. Verùm hoc illa non fecit, inquiunt Theodoretus, & Lyranus, nam minoris maior fuit verecundia, eamque magis puduit malefacti, de qua hoc minùs sperabatur, plurimumque impudens illa fuit, quam maximè modestam, ingenuam, pudibundamq; fore putasses. Maior enim nomini, quod filio imposuit, velut perpetuo monimento indelebilibus characteribus insculptum reliquit suum flagitium, vocans eum *Moab*, hoc est, *ex meo patre*, ac si dixisset: Volo omnes intelligant obscuram, & obscænam huius nati mei originem, quodq; illum non aliunde, quàm ex patris mei semine concepi, & peperi.

Nicolaus Lyranus in cap. 19. Genes. ait: *Ex quo patet, quod ipsa inuerecunda fuit, quià turpitudinē, quam operata fuerat cum patre, exposuit, & reuelauit in nomine filij, ostendens quòd ex patre conceperat.* Probrosissima certè appellatio, per quam impudens, & exhausto pudore mulier voluisse videtur conseruari in posteris, & à populo in populum, & à parentibus in secuturam sobolem immanis lasciuiæ suæ diffundi memoriam. Iunior honestatis, & pudoris maiorem rationem habuit, cùm filium suum vocauit *Ammon*, ac si dixisset, hic est *filius populi mei*, quo significabat quidem, ex aliquo generis sui viro illum concepisse, patrem tamen suum non prodebat incesti partus authorem, potuit nimirùm ex auunculo aliquo suo, aut consanguineo alio concepisse, quod fit communiter, & experientia testatur. *Ista fuit honestior*, inquit Seraphici Ordinis Postillator, *quià in nomine filij sui non exprimitur incestus eius, de populo enim suo poterat mulier concipere licitè, sicut patet de Sara, quæ concepit de Abraham, qui erat auunculus eius*. Omninò pudentior fuit, quæ natu minor, cùm enim natum suum *Ammon*, siue filium populi sui nominauit, obscænum facinus suum texit, & abscōdit, neque enim indicabat, ex patre se suum illud pignus habere, sed ex aliquo generis sui, quod per id tempus fas erat, & plurium veteris legis mulierum sanctissimarum exemplo euinci potest. Videte hic maiorem in minore ætate cautionem, minorem in maioribus annis honestatis rationem, notate præcociorem in iuniore filia prudentiam, immaturius in maturiore, & adultiore iudicium. Vbi verecundiam reperire putabamus, offendimus impudentiam, & vbi licentiam, libertatemque viuendi immoderatiorem, si fortè inuenissemus, excusare vtcunque potuissemus, ibi circūspectionem admiramur. Ita sæpè locupletes dotibus maximis, quos inopes iudicabamus, deprehendimus.

Quod hic diximus, id mundi vsu nimis, eheu, tritum cernimus, maximè apud eos quorum est ex natalium splendore, & illustri origine grauior honestè, decenterque viuendi obligatio. Hi enim suprà alios generis sui nobilitatem turpitudine actionum obscurant, & fœdant, cùm econtrà humili loco nati sæpè laudabiliorem, quàm fore arbitrabamur, vitam ducant.

Nam vt habet sanctus Ioannes Chrysostomus homel. 18. in 2. ad Corinth. cap. 9. *Pleriq; cæcutientium multa clarius perspexerunt, quàm qui acutè cernebant.* Idem in moralibus euenire solet, nimirùm vt maiora, & præstantiora ab eis fieri videamus, à quibus talia minimè expectabamus. Solet esse pauper magis & prolixus in erogandis eleemosinis, &

 strenuus,

ſtrenuus, quàm diues. Solet mechanicus pollicitati; omnibus fideliùs ſatisfacere, quàm ciuis. Solet vulgus hominum accuratiùs ſoluere ſua debita, quàm nobilis. Solet maiore viuendi cautione vti ſæcularis, quàm religioſus. Solet paganus enucleatiùs ſua peccata in confeſſione aperire, quàm aulicus. Solet amuſus ruſticus moderatiùs agere, quàm ſapiens, & legum exactior ratio haberi in pagis, quàm in aulis.

Huc idem ſanctus Doctor reſpexit Tomo 4. quando in illud. *Sufficit tibi gratia mea*, differens aiebat: *Piſcator, niſi mare aſpiciat, retia non laxat, at verò Paulus etiam in naui, in monte, in fontibus, in compitis, in pratis, in fluuijs piſcabatur.* In monte, in compitis, in pratis! Quis tale quidpiam aliquando vidit? Quis vnquàm audiuit explicatas in arida ad piſcandum plagas? Hamo piſcationis Euangelicæ omnia tentari loca poſſunt (ſic ferè reſpondet Chryſoſtomus) cæleſtis doctrinæ rete vbique eijci poteſt, nam quo minimè credimus gurgite piſces eſſe, nec qualeſcunque, ſolent. Ex pagis magni prodire viri ſolent, & ex ciuitatibus intolerabiles idiotæ, gurguſtia ſæpè præſtantiſſimos homines proferunt, aulæ nonnunquàm corruptiſſimos, & moleſtiſſimos educant. Ex tugurijs animoſiſſimi leones, ignauiſſimæ gallinæ ex Baſilicis venire ſolent. Populares, abiecti, & de medio vulgo homines iuſtam habere honoris, & veritatis rationem ſolent, vt econtrà homines primarij, ſublimes, arrogantes amare mendacium, ruſticèque, ac viliter agere, in humilibus paleâ, aut arundine, aut vluâ paluſtri tectis caſulis aliquando ſancti homines naſcuntur, mali dæmones in aulis.

Superus Dominus, & cæleſtis Magiſter apud ſanctum Lucam cap. 13. v. 18. ait: *Cui ſimile eſt regnũ Dei, & cui ſimile æſtimabo illud?* Quidnam illud in terris imago poſſit eſſe regni cæleſtis?

Sanctus Petrus Chryſologus Serm. 98. cùm horum verborum indagationi immoraretur, inquiebat: *Cùm dicit*, cui eſt ſimile, *quaſi quærentis indicat, & producit affectum*, ſolicitudinemque inueniendi aliquid, cuius comparatione notitiam regni cæleſtis qualemcunque auditoribus adferat.

Videamus ergo quocum rem tantam, tamque excelſam componat. Quodcunque illud eſt, proportionis quandam affinitatem, & qualitatum vicinitatem habere cum illo debet, quod ex illius ſimilitudine vtcunque æſtimandum venit. Regno cælorum nihil ſublimius, res ipſa hoc loquitur, eſt nimirùm anxietatum noſtrarum tranquillus portus, & ſupremi Domini regia. Rei verò tam grandi, & excelſæ quod conferatur, nihil videtur reperiri poſſe. At videte, quocum illud regni eiuſdem Dominus componat: *Simile eſt grano ſinapis*, inquit ibid. v. 19.

Quis tale quid ſuſpicari potuiſſet? inquit ſanctus Rauennatum Archiepiſcopus: *Quærens in cælo, & in terra nihil inuenit, niſi granum ſinapis, in quo potentiam totam ſupernæ dominationis includat.* Quis in tantillo ſinapis granulo illam regni cælorum granditatem, & amplitudinem includi poſſe cogitaſſet? Quis non magis vel immani montium magnitudine, vel diffuſi maris latè patentibus ſpatijs, vel auri opulentiâ, vel margaritarum diuite pretio adumbrandum regnum illud putaſſet? In exiguo tamen ſinapis grano ſimilitudinem regni ſui Dominus inuenit, vt nos doceret, non ſpectare exteriora, non de facie rem arbitrari, non cenſere de his, quæ foriſecùs apparent, quòd in minimis maior ſæpè vis reperiri ſoleat, & magnam virtutum affluentiam aliquando inueniamus, vbi ſummam eſſe talium rerum inopiam arbitrabamur. Sic enim & in modico ſinapis grano, quod nemini cogitare in mentem veniſſet, iuſta regni cæleſtis ſimilitudo eſt reperta: *Quærens in cælo, & in terra nihil inuenit niſi granum ſinapis, in quo potentiam totam ſupernæ dominationis includat.*

In huius rei confirmationem inquit Ambroſius: Dicite mihi, vter fuit maior Propheta, Nathan, an Dauid? Perſpicuum eſt, quod mihi reſpondebitis, ſub nullo iudice litem eius rei eſſe, cùm notorium ſit, non ſolum Nathanem, ſed & omnes reliquos Prophetas multis, ac magnis modis à Dauide ſuperari, cùm ſanctiſſimus hic Rex omnium ſęculorum conſenſione, & declamatione hanc ſibi laudem comparauerit, vt inclyto Prophetæ nomine per antonomaſiam, & excellentiam gaudeat, Dauidemque ſtatim intelligamus, quoties Prophetæ vocabulum abſolutè prolatum audimus. Iam tametſi hæc ita habeant, inquit Ambroſius, videmus nihilominùs maiorem à minore inſtitui, & nonnulla, quæ ignoret, ac non intelligat, doceri, pœnas, verbi gratiâ, quas daturus erat, pro perpetrato adulterio, & homicidio, item fœlicia noua indulgentiæ ſuorum ſcelerũ, cùm ei dicebatur: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*; 2. Reg. 12. 13. Dicit nunc B. Ambroſius: *Nec Dauid præſciuit, quid annuntiaret Nathan Propheta miſſus à Domino, & vtiq; inferior. Nathan Propheta cognouit, quòd Dauid præſtantior neſciebat.* Si Prophetiæ dona, quibus ornati ambo erant, mutuò cõponas, Nathan pygmæus, Dauid gigas erat, tanto interuallo hic illum poſt ſe relinquebat, & nanus tamen nunc proſpiciebat, quod gigas videre non poterat. Vt hinc intelligamus, ſæpè plus reperiri, vbi

minùs esse videbatur, & magistros à discipulis nonnunquàm superari, maioremque esse interdum militum, quàm Capitaneorum disciplinam, & sub rudibus lineamentis magnos animos, dulcesque sub aspero, & amaro cortice fructus aliquando inueniri. *Habes aliqua in hanc rem in exordio sermonis Dominicæ VI. post Epiphaniam Tomo II. pag. 459.*

## CAPVT V.

*Quem spes remunerationis, & positum ob oculos lucrum, ad operandum mouet, ille quæstus, & commodi proprij studiosus, non syncerè amans vocari potest.*

QVòd Patriarcha noster *seuit in terra illa*, illa inquam, tam exsucca, sterili, infructuosa terra, vnde nullam expectare poterat impendiorum, laborisque, ac sudoris sui compensationem, sacer Scriptor memorat. Hæc est summa, quæ in agendi modo reperiri potest, generositas, in solo infœcundo seminare, à quo nullos prouentus speres, nihil fructuum, aut lucri expectes. Quod volo dicere, tale est. Qui sua liberaliter erogat, vbi nulla spes remunerationis, qui prolixâ manu victum alijs ministrat, nullum inde expectans lucrum, illius pura puta est munificentia, & heroica largitas. Nam facere benè, vbi speres fœnus, potiùs est nundinatio, quàm beneficentia, & turpis quæstus magis, quàm ingenua nobilitas, aut germana liberalitas.

Renuntiabat Dominus Sancto Patriarchæ Ezechieli, quòd compingendus in vincula, nec ab eis facilè eximendus, sed duram, diuturnamq; cum suo populo seruitutem toleraturus esset. Significabat etiam, quòd ipse illius labia vsque eò clausa tenere vellet, quò ad prædicationis officium ea relaxaturus esset. Sic verò aiebat: *Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum; & linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus*; Ezech. 3. 25. 26.

At si illum populi sui Ecclesiasten deligebat, cur ei compedes, catenas, dura, & aspera vincula, quæ toleraturus erat, prædicebat? cur ærumnas, cruciatus, miserias, quæ illum opperiebantur, renuntiabat?

Respondet Beatissim⁹ Papa Gregorius homel. 12. in Ezechielem: *Dum contraria prænosciitur, quanta sit in eo obedientiæ virtus ostenditur, qui & cognoscit quòd aduersa passurus est, & tamen voci Dominicæ inobediens non est.* Quòd Dominus Prophetæ suo indicauit calamitates, quas subiturus erat, & modum, quo patientia illius exercenda, maceranda tolerantia, isque inter hæc de obtemperandi promptitudine nihil remisit, hoc fecit, vt serui sui synceritatem, & pectoris generositatem, & integritatem animi, & amoris puritatem manifestaret, quæ tanta esset, vt quanquàm plurimos in insidijs haberet inimicos, à quibus acriter appetendus, infestandusque esset, & grauissimos præuideret labores, qui pro explenda iussione suscipiendi, atque exantlandi forent, prompto tamen, & magno animo commendatam adiret prouinciam, & quò obedientia destinabat, fidenter pergeret. Hæc nimirùm est summa integritas amoris, & obedientiæ maxima perfectio, si spretis omnibus incommodis, protritis, & calcatis impedimentis, posthabitis difficultatibus officium tuum exequaris, & iussa perficias. Laborare namque spe remunerationis, & ob oculos præmij aggredi opus, non magna generositas est, neque strenuum facinus, neque amor singularis.

Sponsa illa de Canticis, cùm de Sponso suo, vitæque, ac morum illius conditione dissereret, aiebat illum mali frondosæ, opacæ, patulæ, prolixæ, ac venustæ similem esse, quæ foliorum copiâ calorem prohibeat, elegantiâ oculos pascat, fructibus necessitatem famis leuet, inquiens: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*; Cant. 2. 3.

Acuta est in hunc locum Sancti Bernardi annotatio, quæ sic habet: *Non dixit, sub vmbra illius, quam desideraueram, sed illius, quem desideraueram*; vt indicaret, se non vmbram ad refrigerium sui quærere, sed arborem spectare, & deuenerari, velut dictum fuisset, illam ad benè agendum non donis sponsi, sed ipsius puro amore permotam fuisse, neque munera illius, sed personam solam respexisse. Illum vnicè attendebat; is illi actionum omnium scopus, & finis erat, beneficia, quæ ab illo consequi poterat, non cogitabat. Integerrimus nempè amor magis dilectum, quàm illius fauorem spectat, ipsiusque amore magis, quàm remunerationis expectatione mouetur, vt gratificari ei studeat. Maximum enim, & largissimum præmium, quodcunque tali ex re obuenire potest, illud est, si non ob aliud diligat, quàm vt diligat, & solius amoris amore amet: *Non dixit, sub vmbra illius, quam desideraueram, sed illius, quem desideraueram.*

Hanc doctrinam nobis tres pueri, sed tanquàm veterani magistri tradent. Superbus rex Nabuchodonosor

donosor imperabat, vt auream statuam, quam ex Dei æmulatione excitârat, omnes adorarent. Certior autem factus, tres quosdam Hebræorum pueros nolle regijs obtemperare mandatis, ad se illos accersiri iussit, vt Maiestate conterritos ad cultum adorationis statuæ deferendum permoueret. Ardentis itaque fornacis pœnam comminabatur, nisi promptissimum extemplò morem iussis gererent. Aspernabantur has barbari, & arrogantis monarchæ minacias animosi iuuenes, & hæc illi ad publicum furoris eius ludibrium aiebant: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quiá deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus*. Dan. 3. 17. 38. tanquàm verbis alijs dixisset: Voracis ignis terrificas flammas nobis, rex, intentas. At hoc scire te volumus, quòd Deus, & Dominus noster, quem tanquàm verum regem adoramus, nos in Salamandras transformare, & inter medios parati incendij ardores sospitare, & seruare illæsos potest, & à truculentis manibus tuis eripere. Quòd si etiam ignis nutrimentum nos esse velit, ante sepeliri in viuis carbonibus cineres nostros volumus, quàm vel deastris tuis, vel conflatili simulachro quidquam venerationis deferamus.

Sed quoniam futurum erat, vt & rex comminationem opere exequeretur, & Dei omnipotens manus fortissimis iuuenibus flagrantis camini æstuantes flammas in blandum, suauemq; Zephyrum conuerteret, cur Dominus illis, cùm regi dicerent, se statuam illius adorare nolle, vel si viuos conflagrare oporteret, non reuelauit, quòd eos indemnes, atque inoffensos eximere, tam beatos adhæc facere vellet, vt tam liberè ardentes carbones calcarent, quàm iucundè alij purpureas rosas, & consitos odoratis gariophyllis hortos peragrare solent? Aut quid incommodi parere potuisset rei alioquin futuræ præsagium?

Satisfacit quæsito Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 18. in 1 Corinth. 7. inquiens: *Animaduerte eos propriè futurum ignorantes. Nam si pranouissent, non vtique digni admiratione fuissent, si fecissent quod nôrant. Quid enim mirum, si de salute certi ausi essent horrenda subire? Ità enim Deus quidem glorificatus esset, cùm è fornace eos potuisset eripere, ipsi autem nulla fuissent in admiratione, vtpote qui se periculis non exposuerint. Propterea Deus, vt futurum ignorarent, voluit, quò maiorem laudem consequerentur.* Nescierunt ergò, quòd eos Dominus eruere constituisset ab incendio fornacis, in quã illos rabidus furor crudelissimi regis coniecturus esset. Quid enim magnum fecissent, si magno animo tradi flammis tulissent, è quibus sese absque læsionẽ eximendos ante nouissent? Nescire itaque illos voluit, quòd de tremularum flammarum feruido ardore triumphaturi essent, vt eorum animi synceritas magis elucesceret. Quid enim gloriâ, & laude dignum egissent, si regis iram non curassent, à quo nihil sibi periculi imminere præsciuissent? Illud verò integerrimi amoris eorum grauissimum argumentũ fuit, quòd cùm incertum haberent, num à Deo eripiendi essent, cibum autem ardentium flammarum se fore putarent, periculum nihilominùs strenuè, fortiterq; adierunt. Hoc enim verum animi robur est, hæc perfecta charitas, quæ spreto periculo certamen suscipit, & sine expectatione remunerationis pectus aduersis intrepidum objicit: *Quid enim mirum, si de salute certi ausi essent horrenda subire?* Nihil magnum egissent, si arduam aliquam operam securi de periculo suscepissent.

Propheta regius, cùm de legibus diuinis dissereret, aiebat, melle omni, & fauo dulciores, auro autẽ pretiosiores esse, atque à se hilariter, lætanterque obseruari, quòd in earum custodia suam remunerationem positam haberet, dicens: *Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis eis retributio multa*; Psal. 18. 12.

Aquila Doctorum (vt refert Seraphicus præco, & celeberrimi nominis Ecclesiastes Sanctus Bernardinus serm. de obedient. Euangel. c. 3. §. 2. Tom. 3.) obseruauit in modo loquendi, quo hìc vsus Propheta, quòd dixit, *In custodiendis illis retributio multa*, non autem *pro custodiendis*: Si dixisset, pro custodia mandatorum dominicorum sperare palmam, insinuasset ex amore lucri eam proficisci obseruantiam, & velut mercenarium seruire: Verùm cùm ait, quòd in illorum custodia omnem suam collocatam haberet retributionem, integerrimi amoris sui luculenta inditia dedit, qui non respicit mercedem legum obseruantiæ constitutam, sed oculos, animum, vireśque omnes ad ipsam obseruantiam vertit, & quantum conniti ingenio, quantum contendere labore potest, tantum facit, vt eas exactissimè custodiat, taliqúe custodiâ satis remuneratum se facer Propheta putabat, quòd hoc consummatissimæ charitatis opus esset, quæ amat amare, & non ob aliud diligit, quàm vt diligat.

Nam vt Sanctus Enodius lib. 11. epist. 15. scribebat, *lenocinium est, non gratiæ sacramentum, quòd tantùm*

*tantùm præsentibus exhibetur, amicitia synceritas & longè positos non relinquit.* Qui in eos solùm, quos coram habet, officiosus est, ac præsentes tantùm demereri obsequijs studet, is sibi lenocinatur, & gratiam, beneuolentiamque mutuam nundinatur. At verò synceri amoris ignis hoc igne materiato plus habere debet, vt cùm hic sola vicina inflammet, ille etiam procul absita inuadat, & *longè positos non relinquat*, & in remotissimos sese exerat. Quos enim sola præsentia aliorum, & coram positorum aspectus ad benè faciendum permouet, illi negotiatores appellari possunt, verè amantes dici non debent. Summum amoris gradum ij tenent, qui in eo solùm, quem diligunt, oculos fixos habent, aliud prætereà nihil respiciunt, non lucrum, non operas vicarias, non mutua officia, seu beneficia.

Patientissimus Iob in medio suarum miseriarum, & ærumnarum, repetebat memoriâ (neque id sine magna voluptate) opera charitatis, & misericordiæ, quibus studere inter res prosperas, quando fortunâ beneuolentiore etiamdùm vtebatur, solebat, vt eorum iucundâ recordatione pondera suarum & plurimarum, & cruciabilissimarum, & pœnalissimarum calamitatum nonnihil leuaret, inquiens: *Pater eram pauperum*; Iob 29. 16. velut dixisset: Probè memini tempus, quo ego cùm opum copijs circumfluerem, mendicorum amantissimus hospes, & portus optatissimus eram omnium afflictorum, oppressorum, ex longo miseriarum itinere delassatorum, & quoscunque iniquioris fortunæ iratum mare diu exagitatos tantùm non prorsùs hauserat.

Sanctissimus Pontifex, & magnus Ecclesiæ Doctor B. Gregorius expendit nomen, quod sibi patientissimus Patriarcha hoc in loco dedit, cùm ait: *Pater eram pauperum.* Synceritatem amoris, quo egenos prosequebatur, indicare volebat, & patrem illorum se fuisse ait. In hanc rem Magnus Gregorius, quem dixi, sic disserit: *Non patronum se, vel proximum, vel adiutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur, quia nimirùm magno charitatis officio studium misericordiæ vertit in affectum naturæ, vt eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem.* Aduocatus plerumq; lucrum spectat, quod illi patrocinium suum adferet, & vix mouere pedem, nisi à quæstu, & remunerationis spe incitatus, nouit. Non talis est ergà filium pater, qui illum, tametsi ingratum fore, & vices malè repensurum videt, non destituit, sed quibus rebus, & modis potest, iuuat. Paternus namque amor naturam magis, quàm mutuas vices respicit, & has vices non requirit, qui vt pater amat. Sanctus Iob ergò, vt significaret sui ergà pauperes, & ærumnosos amoris ab omni lucri cupiditate peralieni integritatem, & puritatem, patrem se illis fuisse ait ad ferendam opem, non aduocatum ad patrocinandum. Qui enim alijs benefacere gloriæ ducit, is quoque curare debet, vt paterno affectu, sine spe lucri, & expectatione retributionis hoc faciat: Nemo quippè purum integrumque illius dicet amorem, qui ex beneficentia nundinationem, lucrum ex patrocinio faciat, & tutelæ studium ad quæstum, ad fœnerationem autem exercitationem charitatis vertat. Qui ex solo amoris, & beneficentiæ amore amat, & benefacit, eius est syncerus amor, & beneficentia integra.

*Non absimile argumentum tractat Periocha IV. Dominica IV. in Quadragesima To. I. pag. 301. b. o.*

## CAPVT VI.

### *Vt nullus meticulosior Peccatore lepus, sic nec formidabilior Iusto leo.*

MAgna rei familiaris incrementa fecit, gregumque, & opum copijs intrà dies paucos plurimùm auctus noster Patriarcha fuit, *benedixitque ei Dominus*, Gen. 26. 12. cuius largitas illi omnis affluentiæ scaturigo fuit. Simul autem & prædiues, & tam terribilis, formidolosusque esse cœpit ijs, apud quos morabatur, vt illum à terra sua exigerent, & profligarent, & rex ipse exilij sententiam ei denuntiaret, quæ sic habebat: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde*; ibid. v. 6. Mirum, & notatu dignum est, quantùm pertimescant peccatores iustum, cui Deum opitulari vident. Quàm vehementer illum formidant! Quàm pauidi, quàm meticulosi, quàm ignaui, quàm pusillanimi lepores sunt! Audiebat Isaac sententiam exilij tranquillâ, & serenâ fronte, & non concitabatur illius pectus, non perturbabatur animus, non confundebatur, neque cœcabatur ratio. Homo enim iustus, vt affirmat Spiritus Sanctus, similis est leoni, qui nunquàm obuertit regium tergum inuasori, & figit animosus gradum vel si venabuli cuspidem quis intentet, aut instructo pilâ sclopo minetur, neque pedem refert, quodcunque illi siue à fera, siue à re alia sese per viam objiciat periculum, de quo Paræmiastes: *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum*; Prouerb. 30. 30. Idem nostro descendenti de tribu Iuda leoni accidit, qui suæ expulsionis decretum, & sententiam exilij audiens non timuit, nec perturbatus

batus fuit, quando felicitatis illius inuidus, & potentiam veritus rex ipse vertere solum iubet: Cùm enim illum cæteri omnes vehementer pertimescerent, rex ipse illi præcipiendum putauit, vt regionem mutaret, veritus, ne æquè ac alij & ignauus, & meticulosus & consternatus animo videretur, si exilium ei denuntiare non auderet. Tantumne peregrinus potuit! Itane regno toti vnus quidam inermis tam horrendum timorem incussit! Incussit prorsùs, nam Iustus est terror, & pauor Peccatorum, & nihil tùm vecordius flagitioso, tùm formidabilius probo.

Audijt Herodes tyrannus prodigiosa Redemptoris mundi facinora, cùmq; plurima ad illum de miraculis, quæ indies operabatur, perferrentur, satellitibus suis, & famulis domesticis dixit: *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideò Virtutes operantur in illo*; Matth. 14. 2.

Euthymius in horum verborum commentario ait: *Videte rem admirandam!* Obtruncatum Ioannem, qui obtruncari iusserat, formidat, & mortuum viuus horret. Quænam eius rei causa? *Talis est enim, qui iniquus est, Vt & mortuos timeat, & talis est, qui Virtutem colit, Vt pauorem etiam post mortem immittat Viuentibus.* Tam imbelli, & ignauo sunt ingenio homines scelerati, vt vel recordatio mortuorum eos expectoret, atque exanimet, piorum verò, & amicorum Dei tanta est potestas, vt etiam vitâ perfuncti impios, quos reliquerunt superstites, exterreant, & pauefaciant. Iusti è tumulis suis mucrone timoris, & tremoris perstringunt, & solo nominum suorum auditu fugant peccatores.

Legem Euangelicam vulgare Apostoli cœperunt, Scribæ autem, & Pharisæi concitari animis, quòd ea doctrina disseminaretur. Considerabant constantiam, quâ fidem Christianam prædicabant, stupenda miracula, quæ ad contestandam, commendandamq; nouam legem superi operarij faciebant, inficiari non poterant, turbabatque hoc illos plurimùm, quòd tam constanter, atque intrepidè illos officium suum curare cernerent. Abreptum autem Petrum, & Ioannem in concilium suum pertraxerunt, admirati eorum animi firmitudinem, & incerti quid potissimùm agerent, *iusserunt eos foras extrà concilium secedere, & conferebant ad inuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis?* Act. 4. 15. 16.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homel. 51. in Gen. cùm eiusmodi consultationem hominum istorum secum reputaret, aiebat: *In manibus illos habebant, & dubitabant secum, quid de eis facerent,* At cùm illos tanquàm arctissimè vinctos, compeditosque, & suæ potestatis retibus implicatos haberent, quid ampliùs animi pendebant? quid diu hæsitabant? Cur non violentas illis extemplò manus inferebant? Et cùm illis neque odium, neque stomachus, & ira deessent, quæ furorem, & rabiem animorum acuerent, & inflammarent, quid illos infrenabat, quid morabatur, aut impediebat, quò minùs suam ferociendi libidinem explerent? Sua illos malitia, nec aliud, tam pauidos faciebat, sanctitas Apostolos tam terribiles, & formidabiles reddebat: *Tanta, tamque Valida res est Virtus, tamque imbecillis malitia,* inquit Chrysostomus, *Vt illa quidem, licet patiatur, Vincat, hæc Verò etsi quid faciat, nihil proficit, nisi quòd suam prodit infirmitatem.* In præsenti causa id videas. Habebant Iudæi Apostolos vinctos, suæque potestatis iurisdictioni subiectos, cùmque mutuò deliberarent, quid illis facerent, nil nisi ignauiam, timiditatem, pusillanimitatemque suam prodebant. Tam ingens est robur virtutis, vt etiam vincta vincat, & captiua triumphet. Tanta verò è contrà est malitiæ imbecillitas, vt etiã tunc, cùm est superior, timere videatur, & sese dedat, cùm maximè triumphat.

Promittebat Dominus magno credentium Patri Abrahæ numerosissimos posteros, & felicissimã successionem, & aiebat: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum*; Gen. 15. 5. Dixerat illi Dominus ante: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ, si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit*; Gen. 13. v. 16.

Quòd posteri Abrahæ & stellis, quarum est altissimus situs, & pulueri, qui imo in loco humi iacet, comparati fuerunt, id præcipuè quidem factum, vt significaretur, quàm copiosa eorum multitudo futura esset, habet nihilominùs aliquod speciale mysterium præsenti causæ opportunum, quod rabbi Solomon apud Lyranum, & Tostatum in cap. 13. Genes. annotauit, & his verbis detexit: *Semen Abrahæ comparatur pulueri, & stellis, quia quando boni erant, fulgebant in bonis, Vt stellæ, nec quisquam poterat eos tangere, sicut neque stellas cœli, quando autem mali erant, ab omnibus concalcabantur Vt puluis.* Alta ergo collatio est posterorum Abrahæ cum sublimibus cœlorum stellis, & humili terræ puluere, quâ indicatum, eos quamdiu sanctitatem consectati fuerunt, in omni opum copia eluxisse, vt splendicare radiantissima illa sidera solent, nec quenquam ausum fuisse vel contingere illos, vt contingere stellas

nemo

nemo potest, tunc verò non secùs ac puluerem, aut lutum platearum, ab omnibus calcatos, & protritos, quando à via mandatorum Dei exerrantes flagitijs sese contaminârunt. Id experientia docebit legentem historias sæculorum superiorum, quæ Abrahæ secuta ætatem fuerunt. Triumphabant de hostibus, quamdiu de vitijs, simul ac præceptis dominicis deflectebant, ab omnibus miserè vexabantur, & opprimebantur. Iudicum Liber hoc dicet. Regum item, & Prophetarum Libri sunt eiusdem rei locupletes testes. Virtutes nimirùm fortissimæ sunt, & illustres stellæ, quas nemo appetere manu potest, vitium timidum, & ignauum est, & vilis puluis, quem omnes liberis pedibus obterunt, & conculcant.

Quæstio magni Athanasij 77. quam Antiocho cuidam proposuit, sic habet: *Si quis grauissimum commisisset peccatum, & resipuisset, vnde deberet discere, an remissum sit ei à Domino, nec ne?*

Respondet Doctor sanctus, in hac vita (quæ est etiam Concilij Tridentini doctrina) vt quis certò sciat condonatas sibi esse suas noxas, fieri non posse, nisi id ei Dominus reuelet: *Nescit* enim *homo, vtrum amore, an odio dignus sit*; vt habet Ecclesiastes cap. 2. v. 9. Inditia nihilominùs quædam (quod idem Concilium tradit) coniecturam nobis, opinionemque facere possunt, quâ nos Deo gratos arbitremur, aut suspicemur. Eiusmodi coniecturarum aliquam velim, inquit Athanasius, ex qua diuinare vtcunque possim, quòd gratia apud supremum Dominum valeam.

*Resipiscente homine gratificatur illi Deus loquendi libertatem*, inquit ille, acsi dixisset: Si quis signum velit, à quo benè sperare possit, & coniecturam capere, ad modum, quem diximus, quòd sit Deo gratus, & charus, hoc illi bonam fiduciam facere potest, si hoc ab illo habeat, vt licentiùs loqui audeat. Itané verò solutior loquendi libertas qualicunque inditio sit, quòd est iustus, qui illâ vtitur? Apud nos, cùm quis indicare vult, sibi iustam esse causam, siue litem, sic vt neminem timeat, id talibus verbis exprimere solet: *yo puedo hablar alto en todas partes*; hoc est: *ego voce elatiore loqui vbique possum*. Quando ergo quis liberè, animosè, audacterque loquitur, iustum, ac probum eâ se licentiâ probat, virtus enim, & vitæ sanctitas robur illi addunt dicendi, quæ sentit: Peccator autem quamprimùm obmutescit, & frangitur animo, trepidatque, & angitur, & fugit.

Nam vt S. Ioannes Chrysostomus homel. in Psal. 7. ait, *etsi vitium habeat secum vniuersum orbem, tamen omnium maximè imbecillum est, virtus autem etsi sola sit, est omnium potentissima, habet enim Deum secum stantem*. Peccatum quamuis totius mundi præsidio munitum perdebile est, virtus, licet inermis, & nuda, validissima est, Deum adiutorem habens. Timens Deum neminem præterea timet.

*In eodem argumento versatur Periocha III. Feria III. post I. Dominicam Quadragesimæ, Tomo 1. pag. 86. b. c.*

## CAPVT VII.

*In conflictu Veritatis cum Mendacio, quanquàm Mendacium perpetuò contendat, repugnet, obluctetur, penes Veritatem tamen semper est victoria.*

ABijt S. Patriarcha noster, vt decreto exilij moerem gereret, quod cùm fecisset, illud ante omnia curauit, vt gregibus suis aquam inquireret. Palæstini hoc illius studium impedire conabantur, & puteos, alios quidem obstruebant, & iniectâ humo explebant, de alijs verò nouè inuentis cum pastoribus corrixabantur. Ex his autem velitationibus, & concertationibus illud solùm consecutum, quòd Isaaci pastores sua tolerantia semper victores faceret, puteos enim obturare, & explere Palæstini, quantumuis contentiosè vellent, non potuerunt, sed Patriarcha Sanctus, eiusque famuli in omni conflictu triumphârunt, cui & pastores, quos habebat, demùm gaudibundi, ac læti dixerunt: *Inuenimus aquam*; Genes. 26. 33.

Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 11. ait: *Finis omnium, quæ de Isaac sunt, gratulatio est dicentium, Inuenimus aquam*. Hunc exitum omnis dura, & diuturna Isaaci conflictatio habuit, quòd illi grata repertæ aquæ nuntia cum plausu allata fuére. Ita nunquàm Ecclesiam aqua veritatis destituet, quantumuis illam opprimere volent Catholicæ fidei hostes, siue illi sint Hæretici, siue Ethnici, siue Turcæ, siue alij qualescunque: *Semper enim, quæcunque hæresis exurgat, semper vtiq; & prastò Christus adest, & de suis aliquos præparat scientiâ, & sermone ornatos, qui stare valeant aduersùs loquaces hæreticos*. In omni mendacij, & veritatis concursu pugnare acriter semper mendacium potest, non vincere aliquando veritas non potest.

Queritur Propheta regius in Psal. 51. de quodam Doeg Idumeo, qui regi Sauli de illo significauit, quòd in ciuitatem Nobe, & Abimelech sacerdotis domum se recepisset, quod 1. Reg. cap. 22. vers. 9. narratur. Maledicus hic proditor imago est calumniæ, hæresios, mendacij, & fraudis, vt habet sententia Incogniti, Rainerij, Hugonis, & aliorum:

Dauid autem in eo Psalmo, velut & in cæteris symbolum, ac typus est veritatis. Videamus nunc quemadmodùm S. Prophetam, ex ipsius relatu, calumniari, deijcere, opprimere, & conficere falsitas, & mendacium in illo maledicto homine repræsentatum voluit: *Totâ die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum*; Psal. 51. 4. Quòd totâ die meditatum iniustitiam dicit, effusam mendacij sine intermissione contentionem indicat, & pertinax studium subigendi veritatem. At quomodo hæc pugna confecta, & quibus armis mendacium dimicârit, vt veritatis firmitudinem conuelleret, dispiciamus: *Sicut nouacula acuta fecisti dolum*. Quænam propria nouaculæ opera? quis illius instrumenti vsus? Non alius, quàm vt demetat capillos, & faciat, vt non videantur, non appareant ampliùs. Sed quando nouacula putat prorsùm excidisse, & extinxisse capillos, nascuntur illi denuò, & vi maiore erumpunt. Videte nunc quid dicat Propheta, nimirùm quod est nouacula capillis, hoc esse veritati mendacium: Vt enim noui, fortioresque progerminant capilli, cùm nouacula eos simul & abrasisse, & radicitùs sustulisse existimat; sic validior pullulat, robustiorque prodit Veritas, cùm Mendacium eam penitùs totam subegisse, & sustulisse arbitratur. Nam vt Cicero in Orat. pro Cluent. ait, *multorum improbitate depressa Veritas emergit*. Grandibus licet prægrauetur ponderibus, non obruitur tamen, nec patitur naufragium, quantisuis iactetur tempestatibus. Fluctuare vndabunda, & afflicta curis potest, demergi, & suffocari nō potest.

Commodissimum causæ præsenti est emblema quoddam Alciati in concertationem, quam duo illi belli duces Vlysses, & Aiax susceperunt de armis Achillis. Res est, quòd à morte magnanimi Achillis contendere Vlysses, & Ayax cœperunt, quis sibi illius scutum, lanceam, loricam, galeam, ocreas, & reliqua bellica ornamenta haberet. Iure illa quidem ad Aiacem spectabant, quòd is robore animi, & viribus corporis excelleret, Vlysses tamen causam suam talibus colorare, & commendare, & magnificare verbis cœpit, vt eloquentiâ eius, & dicendi efficacitate conuicti iudices pro illo pronuntiârint, & ad illum martia ea spolia pertinere affirmârint. Factum est autem, vt illa arma (quod Pausanias apud Claudium Minoën refert) post Vlyssis naufragium ad interriti Aiacis sepulchrum se reciperent. Alciati de hac re emblema 28. tale est:

*Littoreo Aiacis tumulo namque intulit Vnda*
*Quæ boat, & tali Voce sepulchra ferit.*
*Vicisti tu Telamoniades, tu dignior armis,*
*Affectus fas est cedere iustitiæ.*

Abripuerunt irati fluctus arma Achillis, eaq; ad Aiacis Telamone patre nati tumulum proiecerunt, & tali facto tanquàm magnis vocibus proclamauerunt, quod titulus illius emblematis apud Alciatum habet, nempè: *Tandem, tandem iustitia obtinet*, demùm Veritas magnificè, & insigni cum gloria triumphat, arma namque ad sepulchrum Aiacis appulsa testata sunt, Vlyssem malo dolo sibi ea vsurpasse, & fraude factum, quòd ad ipsum illa peruenissent, cùm Aiax ea reuerà promeruisset. Itaque post mortem illi reddita fuêre, quæ viuo per calumniam, & fallaciam ablata, nunquàm enim fraudis ea est potestas, vt de veritate triumphet.

Nam vt illa celebratissima disputatio habet, quâ disceptabatur, quænam ex omnibus mundi rebus potissima esset, cum alij vino, mulieribus alij, alij Regi lauream maximæ fortitudinis tribuendam censerent, Zorobabel finem concertationi imponens, hâc definitione eam absoluit: *Veritas magna, & fortior præ omnibus*; 3. Esdræ cap. 4. v. 35. Tum v. 38. *Veritas manet, & inualescit in æternum, & Viuit, & obtinet in sæcula sæculorum.* Denique v. 40. *Benedictus Deus Veritatis.* Vinum multorum scelerum causa est, veritas æquitatis, & omnis boni scaturigo. Rex miser est, & imbecillis, vt qui vni se mulierculæ submittit, veritas nulli cedit. Veritatis vna, eademq; semper est facies, mulier fraus mera, & ex dolis velut coaluit, totque vultus habet, quot præstigias. Veritas ergo validissima est, cuius & sempiterna perdurabilitas. Laudetur itaque veritatis parens Deus.

Non paucas vires proposito huic adferet quoddam mysterium à Gregorio Veneto in Hebræa lingua animaduersum. Quod vt faciliùs assequamini, notate, in illo sacri idiomatis alphabeto esse duas literarum figuras, & alias quidem incuruas, & inconstantes, alias verò ad quadraturam (quæ firmitatis, & constantiæ nota est, testibus Pierio Valeriano, Ricciardo, & alijs autoribus symbolicis) tendere. Ipsæ hoc nobis figuræ loquuntur. Quæcunque enim curua, siue inflexa sunt, eadem volubilia sunt, nulloq; negotio hac illac motitantur, at quæ sunt quadrata, locum suum firmiter tenent, in quem siue coniecta, siue delapsa fuerunt. Hoc ità constituto notandum, quòd Veritas hebræo sermone tribus literis ferè rotundis scribitur: *Characteres, seu literæ Veritatis ad quadraturam tendunt; At nomen Mendacij literis componitur Velut incuruis, & non qua-*

*dratis,*

*dratis, sed inconstantibus*, inquit Gregorius Venetus apud Hilaretum serm. Dom. Pass. Tom. 3.

Quid mysterij habet, quòd nomen Veritatis ex characteribus conficitur quadratis, qui constantiam, & firmitudinem suâ figurâ referunt? Illud, vt sit inditio, quòd Veritas semper firma est, & stabilis, & perennis, sic vt non sit potestas, quæ illam demoliatur, non robur, quod vincat, non machina, quæ deijciat: Mendacium autem non quadratis, sed curuis, inflexis, aduncis literis (quæ inconstantiæ sunt typus) scribitur, *vt significetur, quòd mendacium debiles habet pedes, & claudos, nec facilè consistit*, inquit rursùm Venetus. Mendacium, fraus, dolus, fallacia, infirmo nituntur fundamento, idcircò leuiter corruunt, & perfacilè est ea deturbare, & solo affligere.

Cœlestis Magistri nostri gesta, dicta, & miracula calumniabantur illius maleuoli æmuli, quibus ille, vt vana eorum refutaret consilia, inquiebat: *Ego sum lux mundi*; Ioan. 8. 12. velut dixisset: Miseros vos, quorum omnia huc vertuntur studia, vt quæcunque mea seu dicta, seu facta culpetis, arrodatis, admordeatis, cùm ego sim splendidissima lux mundi! Dixit hæc Dominus, postquàm mulierem ei adduxerant in adulterio deprehensam, vt illum tentarent, & caperent, siue eam suâ sententiâ absolueret, siue damnaret, & crudelitatis quidem coarguerent, si lapidibus obruendam pronuntiaret, qui misericordiam magnificè commendasset, prætermissæ verò, ac violatæ legis damnarent, si impunitam, inultamque dimittendam censeret, quam saxis appetendam Moyses pronuntiasset. Omnibus ergo modis illum capere studebant. Verùm Dominus diuinâ suâ sapientiâ, & prouidentiâ sic omnia disposuit, vt calumniatores nil nisi confusionem ex suis machinationibus referrent, ipse maneret gloriosus, mulier libera, dolus delusus, veritas triumphabunda. Quod cùm factum fuisset, mox dicebat: *Ego sum lux mundi*, & serenissimus planeta, qui meis radijs totum terrarum orbem perfundo, atque illumino.

Rupertus lib. 8. in cap. 8. Ioannis ait, tale quid fuisse, quod Dominus ijs verbis dicere voluit: *Nunquid non deridendi essetis, si solem istum visibilem de sublimibus circulis suis toti mundo lucentem exsufflando extinguere, vel aërem pugnis verberando de magno candelabro cœli deijcere, & sub modio recondere conemini? Nempè huic simile est hoc, si nomen meum delere, vel famam meam extinguere contenditis. Ego enim sum lux mundi.* Quis tam potens sit, vt astrorum principem liberalissimum Solem cohibere à profusione suæ lucis queat? Quis tam robustis sit lacertis, vt è cæruleo cœlorum campo luminosissimam illam euellere arborem possit, cuius radiantes rami per totum se mundum beneuoli explicant, & dilatant? Qui talia possit, idem fulgentissimam Veritatis lucem obscurare queat, quæ gloriosa emicat, & refulget, quantumuis calumnia nubem obtendere, & offundere nebulam dolus, mendaciumque laborent.

Nam vt Thucydides latinus, Titus Liuius, inquam, apud Claudium Minoen in emblema 28. Alciati ait, *Veritatem laborare sæpè, extingui nunquàm videas.* Potest Veritatem temeraria quædam fraudis nubes inuadere, claritatemq; illius, & ornatum omnem appetere, sed diripere, & depeculari illius thesauros non potest. Ægrè esse Veritati potest, vt prorsùm moriatur, fieri non potest. Extenuari simulationum fallacijs potest, extingui funditùs non potest. Fit, vt in concitato mendacij mari fluctuet, quòd verò aliquando submersa interierit, nemo vnquàm audiuit. Coniurati quamuis aduersùs eam conspirent falsitatis venti, illa tamen nihilo inconstantior persistit, quàm inter spumantes fluctus, & procellosas vndas immobilis rupes. Nonné hoc experientiâ cernimus? Potueruntné illam tot Barbari, Ethnici, Turcæ, Mauri, Schismatici, Hæretici, totis etiam Inferorum copijs adiuti cardinibus suis mouere, & opprimere? Nonné illa de omnibus ipsorum fœderatis, non secùs ac Sol de nebula, de fluctibus scopulus, leo de lepore, aquila de vlula, de dumo palma triumphat?

Huc faciet, quod Euangelistæ narrant, nempè Iudæorum primores, cùm innoxio Domino nostro adimere vitam, & inferre necem cogitabant, & veras culpas, quarum illum insimularent, nullas reperirent, ad mendacia, & imposturas confugisse, vt his ad suas partes traductis faciliùs persequi opere rabiem sui furoris possent: *Principes sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contrà Iesum, vt eum morti traderent*; inquit S. Matthæus cap. 26. v. 59. Præstigias ergo adornabant Hebræorum proceres, quibus veritatis radios obnuberent, & Christi innocentiam obscurarent, prorsùmque opprimerent.

O insensatos, & suprà quàm fatuos! exclamat S. Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone, cap. 10. sect. 1. Quo consilio ista faciebant? Quid machinabantur, cùm mendacium adhibebant, vt veritatem prosternerent, ac deijcerent? Ego vobis dicam, inquit sanctissimus Venetorum Patriarcha;

cha: *Volebant inermi manu durissimum confringere silicem*, & in mollem ceram vertere, idque non alterius rei, quàm tenerorum digitorum operâ. Qui tale quid ad eum modum tentare cuperet, nonne is mentis suæ prorsùs impos esset? Certè nemo id opus susciperet, cui vel aliquantillum rectæ rationis reliquum. Quomodo enim fieri possit, vt tractabilis, ac mollis manus caro duritiem rigidi silicis subigat, & confringat? Magnis vani laboris impendijs discet, quàm stultè egerit, quisquis hoc tentare velit. Quid putatis esse mendacium, si cum veritate conferatur? Quòd tenera caro, quòd delicata manus, quòd tenue gossypium, quòd ductilis cera cum solido ferro, cum duro marmore, cum inuicto ære, cum insecabili, atque infracto adamante comparata, vinci, subigi, contegi non potest, lumen radiorum eius extingui nequit, quantumuis multi, ac fortes sint, qui se illi opponant, quantumuis densæ, & caliginosæ nubes æmulorum, qui se illi objiciant, quantumuis valida manus coniuratorum, qui eam bello appetant, & oppugnét. Nam expugnare eam velle, tantundem est, atq; *inermi manu durissimum confringere silicem* velle, vt magnus Patriarcha inquiebat.

Præcinuit huic magnum Africæ decus Tertullianus de Veland. Virginib. cap. 1. dicens, *hoc exigere Veritatem, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegia regionum.*

Locutus fuit hoc loco Tertullianus, quod diligens, & doctus illius expositor Cerda notauit, ex more peritorum iuris, ac legum. Ac primum, quod ait, est, quòd *Veritati nemo præscribere potest.*

Quid est *præscribere*, quidue *præscriptio* ex legum definitione? Alexander Scotus in Vocabul. vtriusque iuris, verbo *Præscriptio* vult hanc esse exactissimam descriptionem; *Præscriptio est exceptio ex tempore congruens, ab autoritate legum vim capiens, negligentibus pœnam infligens, & litibus finem imponens.* Videatur dictus autor de hac materia, qui recenset genera præscriptorum, nempè decem, viginti, triginta, quadraginta annorum, ex quibus hæc longi temporis præscriptio iurisperitis dicitur. Vt autem vis, & potestas Veritatis innotescat, dicit Tertullianus, deijci eam è throno suo, lucemque eius extingui non posse, tametsi cum largis longiturni temporis spatijs contrà illam fœderentur priuilegia, & immunitates terrarum, mores & instituta patriarum, arma auxiliaria tyrannorum, copiæ subsidiariæ opulentorum, & potentium: *Nemo* quippè *illi præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegia regionum.* In quæ verba eruditissimi Cerdæ annotatio nona sic habet: *Ponit exceptiones, quæ esse tres possunt, videlicet, spatium temporis, patrocinium personarum, priuilegia regionum.* Nonné hoc manifestum est, ac perspicuum? Valetné tempus eâ potentiâ, vt obscurare veritatem queat? Immò verò tempus, quod alia omnia consumit, & conficit, vnicè veritati patrocinatur, eamque vel maximè aperit. Potueruntné illam extinguere hæretici, sectarij, infideles, & alij tam multi hostes, qui eam ad rem omnia sua studia, conatusq; totos conuerterunt? Obtinuitné truculentum consilium inimicarum regionum, & falsarum, infensarumque religionum, quæ illius interitum ardentissimè suspirârunt? Nonné gloriosam de omnibus victoriam Veritas reportauit, & vexilla sua contrà tempora, personas, ac nationes triumphatrix altùm extulit? Nonné ferreis nexibus constrictam, acciduamq; inclytis plantis suis habet obscuram, & imbecillam falsitatem, turpem, ac debilem fraudem, easque velut quasdam aranearum telas suo aspiritu difflat, & dissipat Veritas, quæ tametsi nuda congrediatur, omnem præstigiarum nebulam fugat, & vniuersas mali doli nubes depellit? Vtatur Politicus noster hâc tam potente Dominâ, hâc nobili, & illustri filiâ Dei, sic enim fiet, vt quâuis occasione cum insigni gloria vincat, & cum ingenti existimationis suæ incremento triumphet.

## CAPVT VIII.

*Sunt actiones, quæ ab animo officioso descendere videntur, & ad imposturas, atque offucias tendunt, aliudq; sæpè machinantur, quàm præseferant.*

NVlla in officina tot funduntur doli, nulla in incude tot cuduntur fraudes, quot in vno corde humano, in quo & plura adornantur mendacia, quàm in vllo foro nundinatorio. Quàm astutè, & acutè veterator suas pingit præstigias! quàm dextrè suam inaurat malitiam! Quàm versutè sua tela iacit, sic vt in technas, & imposturas iaculum intorquear, qui collineare in obsequia videbatur! submissionem animi ad omnia bona officia parati esse putes, quod fieri vides, & perfidia est, ac fallacia. Humilitate, quam exteriùs præfert, fraudulenti cordis secretum tegit, & obnubit.

Aperiebat Saluator mundi Discipulis suis quoddam animi sui consilium, aiebatque propositum sibi esse petere Ierosolymam (quòd magni referret id fieri, & hominũ afflicti casus vehementer hoc ipsum

peterent)

peterent) vbi plurima sibi à Scribis, & Principibus sacerdotum probra, & tormenta parata essent, & mors subeunda, sed & certus post triduum in vitam reditus. Matthæus cap. 16. v. 2. hanc rem sic narrat: *Cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus sacerdotum, & occidi, & tertiâ die resurgere.* Audijt hæc Petrus, arreptumque veste Magistrum seorsim abduxit, & his verbis increpauit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc;* ibid. v. 22. velut pluribus dixisset: Depone sis has ab animo cogitationes, intolerabilis enim miseria foret, talis vitæ tam tenera in ætate deplorandum videre interitum. Caue hoc iter suscipias, caue Ierosolymorum vrbem ingrediare. Vix hæc auribus verba hauserat Christus, quando illi talia reposuit: *Vade post me satana, scandalum es mihi;* ibid. v. 23. S. Marcus cap. 8. v. 33. ait: *Comminatus est Petro;* tanquàm asseuerauerit Dominus vultū, contraxeritque in rugas frontem, & adduxerit supercilia, vt talibus gestibus præcipitantiam Petri coargueret.

Sed cùm Petrus talia ex singulari amore, & beneuolentia dixisse, & iustam vitæ sui Magistri æstimationem habuisse, denique miseratus dolores prœmaturæ, & acerbæ mortis illius fuisse videatur, cur sic exacerbescebat mitissimus alioquin Dominus, vt illum eodem nomine donaret, quo antehæc cacodæmonem, nec alio modo à se repelleret, quàm tenebrarum principem, cùm ab ipso in deserto de gulositate, vana gloria, & idololatria tentaretur? Quæ tam acris indignationis causa esse possit?

S. Ioannes Chrysostomus homel. de negat. Petri, Tom. 5. ait: *Vt Ierosolymam non ascenderet, orabat, quòd Iudæorum minas non ferret.* Quando Christus inquiebat, oportere se ire Ierosolymam, id tunc dicebat, quando Petrus singulare illud, & insignitum donum acceperat altissimæ istius reuelationis, quòd Christus esset filius Dei viui, proque eiusdem agnitionis, & confessionis merito varijs cumulatus beneficijs, & clauibus cœli donatus fuerat, vt eos pro arbitrio claudere posset, ac reserare, quæ est tam ingens autoritas, tam ampla potestas, vt magnitudo eius, & præstantia omni sit exaggeratione superior. Quæ cùm ità sint, vnus præ omnibus Petrus ex rectæ rationis legibus etiam tenebatur suum magistrum, & tantum benefactorem comitari, tametsi id absque sanguinis periculo, & detrimento honoris, & vitæ dispendio fieri non potuisset. Aderant ibi vndecim testes gratitudinis, & censores, qui suis ponderibus penderent vices, quas ille Christo redderet. Hæc res eum ad sequelam Christi vehementer incitabat, sed retardabat audaciam timor, & animum alioquin promptum metus morabatur. Quid ergo egit Petrus. Miserationis laruâ ignauiam suam texit, beneualentiam simulauit esse, quod erat timor, & metum suum amoris specie fucauit, vt inertiam suam, infirmitatemq; inauraret, & accersito colore tingeret, atque ita tum benefactori suo, tum ijs, qui aderant, satisfecisse, & debiti officij partes explesse putauit, cùm suum pauorem occultauit. Hoc verò est, quod totum Christo stomachum mouit, vt indignabundus Petrum austeriùs haberet, & non secùs ac dæmonem quendam repelleret, dicens: *Vade post me satana;* indicans eâ re, esse permultos in hac vita homines, qui sub specie obseruantiæ, & officiositatis machinantur fallacias, velut Petrus fraudem struebat, vt miserari Christum videretur, qui sibi metuebat, cùmq; illum destitueret animus adeundi cum suo Magistro passionem, dolere vices illius simulauit, nec ob aliud Dominum suum à proposito itinere auocare conatus fuit, quàm quòd ipse ire Ierosolymam formidaret: *Vt Ierosolymam non ascenderet, orabat, quòd Iudæorum minas formidaret.* Sunt nimirùm actiones, quæ reuerentiam præseferre videntur, & à fraudulento animo veniunt, technasque struunt, & adorationis larua perfidiam sæpè obnubit.

Cuius aliò vadit animi consilium, quàm quò actio illius ire videtur, is similis est eius, de quo Philo Iudæus in lib. de vita Abrahæ inquit: *Reperire licet aliquem, qui modicum depositum reddit magis vt infidietur accipienti, quàm vt approbatâ suâ fide in modico inescatum capiat maiori perfidiâ.* Si quis alteri centum argenteos vel commodaret, vel gratuito munere donaret, non gratificandi studio, sed vt plura ab illo posthæc eblandiretur, idné amicè factum putari, & recenseri in beneficijs posset? Nequaquàm, inquit Philo, quoniam quisquis versipellis tale quid agit, is piscatorium fallaciæ suæ hamum simulati beneficij specie tanquàm escâ tegit, & occultat, *vt approbatâ suâ fide in modico inescatum capiat maiori perfidiâ.* Qui sic dat, magis inescat, vt capiat, quàm commodet, vt benefaciat. Fides illa perfidia est, & fiducia illa proditio est, neque liberalitas est, sed auaritia. Sunt nimirùm actiones, quæ cùm ab amico pectore natæ videantur, à perfido animo proficiscuntur, & à malitia suam originem habeant, quæ à beneuolentia descendere putantur.

Emarcuit candidum, & castum lilium, quod videre vehementer semper amârunt oculi Abrahæ, clausit-

clausitque diem suum supremum Sara, quam ille efflictim deperijt, à quo vxorem accepit. Vt autem tam nobili thesauro dignum cimeliarchium procuraret, decentique loco inferret concham, quæ pretiosam, & incomparabilem margaritam, animam, dico, sanctissimæ coniugis texerat, emédi ab Ephron filio Seor agri propositum concepit, & filios Heth ad illum submisit oratores, qui rogarent, vt non grauatè agrum pro sepultura venalem daret, pro quo iustum extemplò pretium persoluere vellet: *Pecuniâ dignâ tradat eam mihi*, inquiens Genes. 23. 9. Propiùs aberat Ephron, qui cùm talia obsecrantes audisset, inquiebat ad Abraham: *Nequaquàm ità fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est, præsentibus filijs populi mei, sepeli mortuum tuum*; velut ampiioribus verbis dixisset: Suppudet me suprà quàm dicere queam, & insignem mihi abs te irrogari ignominiam censeo, quòd sic mecum agas, sciens quanti æstimeris ab omnibus, quotquot in hac regione degimus. Quale enim hoc est, quod pecuniæ pro agro abs te numerandæ meminisse voluisti, cùm ego me longè maius beneficium accipere arbitrer, quòd agrum meum admittis, quàm præstare officiū quod illum dono offero? Quod ego copiosius facere lucrum possim, quàm si dignanter permittas, vt reculis meis tibi obseruiam? Hominum, quotquot mundus habet, felicissimùm arbitror, quòd fortunarum mearum aliquid tibi placere meruit. Ab hoc momento ergò sit tuus ager, quem cupis, ego illum lætantissimè dono, vt in mea spelúnca tuam defunctam vxorem recondas. Extemplò ergò, si ità videtur, eam sepeli, vt illius mortuæ tumulus sit viua meæ felicitatis memoria. Quanquàm talia ferè dixit Ephron, post longam nihilominùs vrbanorum verborum concertationem acceptauit numos, quos ipse etiam depoposcerat: *Abraham* namque *appendit pecuniam quam Ephron postulauerat, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ*; ibid. v. 16.

Dubitet nunc aliquis, & dicat: Dùm Ephron tantam argenti vim pro suo agro accepturus esset, quid est quòd initiò tam grandem generosæ liberalitatis, & prolixi animi sui ostentationem facit, vt velut iniuriam putasse visus sit, quòd Abraham illi pecuniam pro agro obtulit?

Hugo Cardinalis ait: *Id dicebat Ephron, vt magis posset extorquere*. Putatisné fuisse liberalitatem, quod Ephron fecit? Auaritia fuit. Et quòd agrum gratuitò obtulit, id non vera animi largitas, sed techna fuit, & simulata vrbanitas, quâ obligare Abrahamum voluit, vt plures pecunias numeraret? Quemadmodùm hîc Aduocati, Notarij, Procuratores causarum, Prætores agunt, quando vt plus numorum à litigantibus eliciant, operarum suarum mercedem illorum arbitrio relinquunt, faciuntque ex vrbanitate quæstum, ex ficta liberalitate lucrum, eâ nimirùm ratione miseros clientes obstringunt, vt ampliùs pendant, quàm iura exigant. Tantundem fecit Ephron, nam quòd agrum gratis obtulit, hoc egit, vt cariùs venderet, *vt magis extorqueret*, & officiosa illa delatio ab animo diuitis compensationis cupido venit.

Fulcimentum huius doctrinæ bonum pessimus ille, & perfidiosus tyrannus Herodes fuerit. Ingrediebantur Ierosolymam tres illi pij, & sapientes Reges supremam maiestatem perquirentes, & dicentes: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* Matth. 2. 2. Simulac barbarus Herodes noua tam tristia, & amara percepit, turbatus est, & lethali angore cruciari, totoq; expauescere animo cœpit. Atque vt sibiipsi faceret satis, & rem totam, qualis ea cunque esset, exploratè cognosceret, sapientes, & legis peritos quamprimùm consuluit. Horum responsum fuit, à Propheta iam olim prædictum, quòd Bethlehem futura esset natalis locus Sospitatoris mundi, ex eoq; oppidulo proditurus dux, & oritura lux populi Israel. Certior prophetiæ factus Herodes sanctos Magos ad se accersijt, quos cùm de tempore visæ ab eis stellæ percunctatus fuisset, iussit pergere, & studiosè inquirere puerum, quis ille, & vbinam sit, & repertum sibi quamprimùm indicare, dicens: *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum*, ibid. v. 8. & religiosæ obseruantiæ cultum humiliter illi, pro eo ac debeo, pendam.

Sancti Augustinus, & Leo Papa Magnus, venerabilis Beda, Haymo, Druthmarus, & Glossa in c. 2. Matth. cùm secum reputarent maturationem Herodis, & inquisitionem, & solicitudinem, & ingens studium, quo Magos ad capessendam celeriter viam Bethlehem versùs perurgebat, quòdq; ab illis, vtcunque se res haberet, certior fieri cupiebat, & se adorationis cultum recens nato puero exhibiturum affirmabat, si tamen talis esset, qualem Prophetarum vaticinia delineârant, sic ferè aiebant: Quis ea omnia videre, atque audire potuisset, neque simul cogitare, à religiosissimo, & pientissimo animo profecta hominis, qui pulcherrimam veritatis lucem vnicè, ardentissimèque cuperet videre?

Verùm multò secùs res habet, nam malus dolus, & fraus,

& fraus, & mera impostura, & perfidiosa machinatio fuit, quidquid Herodes seu dixit, seu fecit, de quo Glossa ità: *Herodes deuotionem promittit, sed gladium acuit, malitiam depingens colore humilitatis, finxit se vultu, & verbis adorare eum, quem intimâ mente cogitabat occidere.* O quàm simulabat infamis tyrannus adorandi noui regis cupiditatem, contorquens, ac submittens collum, attenuans vocem, attollens in cœlum oculos, identidemque velut exanimitùs suspirans, atque interim sanguinem innocentem intolerantissimè sitiens! Talia nimis, eheu, vsitata sunt mundo, qui plenus est Ephronibus, & Herodibus, hoc est, hominibus, qui pallio vrbanitatis contegunt falsum præstigiarum colorē, & submissionis laruâ obnubunt animi sui rabiem, simulant humanitatis officia, & meditantur, adornantque maleficia, & proditiones.

Hoc agebant illi falsi ministri, de quibus Sanctus Paulus 2. Corinth. 11. 13. ait: *Eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi*; hoc est, personati quidam apostoli habitum ministrorum euangelicorum præferentes, diruunt, & euertunt Ecclesiam Dei.

At cur tales sunt simulatores, & subdoli? inquit ferè Sanctus Ioannes Chrysostomus. Nam si operarij sunt, quomodo ficti coadiutores Euangelij esse possunt?

Respondet ille homel. 34. in dictum locum: *Operantur, sed quæ plantata sunt, euellunt, & pecunias non accipiunt, vt plures accipiant, vt animas perdant.* Laborant, sed vt stantia deijciant, ædificare videntur, sed ruinas edunt, & demoliuntur constructa. Numos ne digito quidem extremo libare volunt, immò velut ignem fugiunt, hoc tamen magnâ arte fit, vt plures corradant. Videte quomodo nunquàm desunt mundo, aut deerunt Ephrones. Sed illud maximè deplerandum, quòd tales in Ecclesia Domini reperiantur, in qua nihil nisi veritas, synceritas, atque integritas inueniri debebat.

Subdolorum id genus, & versutorum hominum veteratorias technas pernouerat Spiritus Sanctus, cùm apud Syracidem aiebat: *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo*; Eccli. 19. 23. Græcus transtulit ista: *Est nequitiâ præditus, qui demisso capite atratus incedit*; & biblia Tygurina: *Et interiora eius ardent dolo.* Sunt qui lugubres vestes induti alios in mœrore positos deiectâ ceruice adeunt, tanquàm eorum casus aduersos æquè ac ipsi doleant, & omnia viscera eorum tanquàm perfusa gaudio rident, falsoq; in pectore ingens fallaciarum, & fraudum ignis ardet, verùm ità ardet, vt nullus se malitiæ, & imposturarum fumus per fenestras vultus effundat, qui tamen reconditissimarum passionum index, & proclamator esse plerumq; solet.

Pater Cornelius à Lapide ait: *Palatium* (est ille doctus eiusdem libri interpres) *censet Syracidem hæc scripsisse in aula Ptolomæi regis Ægypti, vel alterius Principis*, vbi cùm vidisset, ac notasset submissiones, adgeniculationes, & tam varios gestus, & laudum encomia, quibus præsentes regum gratiosi extolluntur, & contumelias, quæ in absentes ore pleno euomuntur, dicebat: O cor humanum! ô perplexum, & inextricabilem labyrinthum! ô linguas! ô actiones! quis vos intelligat? Collineatis, vt quidem videtur, in scopum laudum, & in vituperationes contumeliasque iacula vestra feruntur. Ad magnam vos sæpè componitis obseruantiam ergà eos, quos fuste commolitos, & exossatos, aut palo confixos videre malletis. Harum rerum exempla passim & in mundo videas, & in libris sacris, ac profanis reperias, quæ si huc adferre omnia velim, finem dicendi nullum faciam.

Contentissimus iam dictis, quibus coronidis loco adiungam id, quod nostro Patriarchæ cum rege Abimelech accidit. Monuimus suprà, quòd Princeps ille Isaacum proscriptum ab aula, & regione sua relegauit, cùm dixit: *Recede à nobis, quia potentior factus es nobis valde*, Gen. 26. 16. Obtemperauit ille iussioni regiæ, mutansq; locum alium ex alio peruenit in Bersabee, vbi apparuit ei Dominus, qui illum consolatus præcepit magno animo ferre exilium, nec quicquam timere ob eam expulsionem, quem ipse benedicere, hoc est, magnum in modum locupletare, & brachij sui omnipotentiâ tutari, & auxilio suo roborare, & confirmare vellet. Factum est autem, vt illum post nonnullos dies inuisum veniret Abimelech cum magno aulicorum, & procerum comitatu. Excipit Isaac regem, cateruamq; illius asperiusculè; his subacidis verbis eos appellans: *Quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis à vobis?* ibid. v. 27. At ij responderunt: *Vidimus tecum esse dominum, & idcircò nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus*; ibid. v. 28. vidimus quantis à Deo beneficijs affatim cumuleris, tantumque non obruaris, eamque ob rem inuiolabilis amicitiæ perpetuo nexu copulari tecum cupientes huc accessimus.

Verumne fuit, quod Abimelech, & gratiosi eius dicebant? An fortè aliud interior illorum animus reconditum seruabat? Et Abimelech regis visitationi

tioni nonné plus malitiæ suberat, quàm præsefere-bat? Omninò ista officiosa, vt videbatur, conuentio tecto plena erat dolo, inquiunt Philo Iudæus, & Procopius Gazæus: Quando *Abimelech cum suo comitatu egreditur ad Isaacum, magis speculandi animo id facit, quàm gratiâ pangendi fœderis, bello scilicet, pacique paratus, bello, si Isaacum impotentiorem cerneret, paci, si deprehenderet potentiorem.* Simulauit amicum Abimelech, quando exploratorem egit. Venire visitatum pro obseruantia videbatur, reuerà autem *speculandi animo*, atque vt incommodaret, si occasio ferret, veniebat.

Omnia ea huc spectant, vt Politicus noster cautè, circumspectèque viuat, nec omni spiritui credat, nec se moueri quibuslibet verbis, fictisque ad reuerentiam gestibus, & consalutationibus, & visitationibus sinat, neque exterioribus speciebus nimiùm fidat, officiosorum enim verborum mella multo felle mixta esse solent, & assentationis vagina gladium proditionis tegit, & sæpè qui deosculari velle manus tuas simulat, videre combustas mallet. Amaré omnes debemus, & tutò possumus, credere omnibus neque securum, neque commodum. Quis de rege cogitasset, quòd tam fucato animo amicitiam deposceret? Si etiam in regibus sunt imposturæ, & doli, quis aliorum non affluet malitia? Si ij, qui alienâ ope vix indigent, astu sese tegunt, ac vestiunt, quid non præstigiarum machinabuntur alij, qui humiliore loco nati non tantam habent à suis natalibus ingenuè agendi obligationem?

Pepigerunt ergò fœdus Isaac, & Abimelech, idque iuramento, vt religiosiùs, ac pertinaciùs obseruaretur, sanciuerunt. Sed hac in re monuit textus sacer, quòd *surgentes mane iurauerunt sibi mutuò*; Genes. 26. 30. Sed cùm eis Isaac apparasse conuiuium feratur, cur non secundùm mensam, & à poculis mox abierunt, vt se iuramento inuicem obstringerent?

Respondet Nicolaus Lyranus, fecisse hoc *saliuâ ieiunâ, propter reuerentiam iuramenti.* Cùm iuramentum sit actus religionis, siue latriæ, in quo Deus testis adhibetur, altissimi Domini suprema authoritas interponitur, nonnisi reuerentissimè fieri debet. Vtinam hanc doctrinam omnes callerent, & fixam animo retinerent, quod si fieret, non tam pronè, crebròque huius miseri, & infelicis sæculi homines iurando delinquerent, neque Deum, qui hoc indignissimè fert peccatum, tam grauiter offenderent, & irritarent. Nam vt Alexander Imperator apud Christophorum de Salazar in illustrat. Fab. Piram. & Tisb. num. 94. ait, *iurisiurandi contempta religio satis Deum Vltorem habet*: Cùm enim in iuramento Deus accersatur testis, & immensa supremi Monarchæ authoritas tanquàm conscia veritatis adducatur, palàm est quòd graues læsæ summæ maiestatis pœnas dabit, quisquis vel fidem, vt debet, non seruauerit, aut per contemptum, præcipitanterque, & inconsideratè iurauerit. Eapròpter sit attentus Politicus noster, vt videat, quomodo augustissimi illius imperatoris Dei altissimum nomen, quando iuramentum est editurus, assumat, ad cuius aspectum terra, cœlum, ipsi etiam ardentissimi, & sublimissimi spiritus Angelici contremiscunt.

Sed iam tempus contrahendi vela dissertationis, & conquiescendi ab officio doctrinæ, & labore institutionis. Politicum autem nostrum ad partem secundam remitto, quæ complectitur actus, & virtutes inclyti Patriarchæ Iacob, vbi ad lucem tam magnæ, & præstantis sanctitatis Indiæ se nobis patefacient nouæ moralium, & vtilium documentorum ad meliorem diuinæ eruditionis directionem.

Priùs tamen, quàm hinc abeat studiosus Politicus, vt leuior illi accidat lectionis labor, & impolitorum discursuum meorum rudes lineas faciliùs percurrat, & respiret etiam nonnihil, ferculum illi vnicum solùm apponam, sed tale, in quo summam omnis boni inueniat, & cibum, qui cœlo, ac terrâ præstet, cùm sit ipse omnipotens omnia maximus Deus, qui tectus speciebus panis, & vini hominum esui, & vsui exhibetur. Confirmet, corroboret, conducat tam sublimis Dominus timidam debilis calami mei nauiculam, quæ se in medium alti maris æstum conijcit, & profundissimam abyssum, immensúmque pelagus sulcare audet.



# LIBER NONVS.

## CAPVT I.

# ACTVS SACRAMENTALIS FOELICISSIMA DECEPTIO.

## AVTHOR DOCTOR ANGELICVS

## AMPLIFICATOR Rmus D. P. Didacus Nissenus.

PERSONÆ DRAMATIS
*ISAAC & REBECCA*
*IACOB & ESAV.*

VT hic studiosæ lucubrationis meæ labor suo negotio, quomodo veri Christiani solent, defungatur, & fine concludatur Catholico, habeat sibi pro viatico cibum æternum, escam supersubstantialem, animarum antidotum, alimoniam salutis, bellaria immortalitatis, cordis roborationem, & consortium miseræ huius peregrinationis. Atque vt initium faciam dicendi de hoc viatico, quod per excellentiam mysterium fidei vocatur, eò quòd sit omnium mysteriorum quædam velut summa & cōpendium, ab eo, quod postremum inclytus Patriarcha noster Isaac egisse memoratur, exordiar.

Narrat ergo sacer Historicus, heroicum hunc progenitorem in tam longæuam, decrepitamque senectutem vixisse, vt lumen oculorum illum omne destituerit. Cùm hanc ob causam inexorabilis Parcæ fatalem ictum, mortem, aio, vicinam opperiretur, aduocauit filium suum Esau, iussitque samere instructam sagittis pharetram, peragrare campos, syluasque, & indagare feras, & quidquid venatu acciperet, id in cibum aptare, quo illum libentiùs vesci nosset, tum in vicem expectare benedictionem patris amplissimam, eiusdemque ad Deum preces supplices, quibus enixè obsecrare vellet, vt is plura etiam filio concederet, quàm optare, & precari pater ausus fuisset. Intellexit Rebecca, quid meditaretur Isaac, indicauit filio suo Iacob, ac videns opportunam sese offerre occasionem, quâ illud diuini oraculi pronuntiatum: *Maior seruiet minori*, re ipsâ perfici posset, quoddam animi sui consilium cum Iacob communicauit. Iacob vt erat prudens, & sagax, ita nonnihil tergiuersabatur, & obsistebat, mater verò, quæ filium suum augescere vnicè cupiebat, & incrementorum illius auidissima erat, diluebat, quotquot ille obiectabat, difficultates, magnoque studio accurabat omnia, quæcunque ad perficiendum rem, quam moliebatur, spectare putabat. Esau valde hirsutus, ac villosus erat, talisque ab vtero matris prodierat, Iacob econtrà lenis, manibus teneris, & collo, totoque corpore mollicello, manus verò, collumque partes erant, ex quarum attactu Isaac cernere animo poterat, quod videre oculis nequibat. Occurrit his incommodis argutula mater, inquiens, dum pelliculis modò hædinis obuoluat manus, & colli nuda tegat, & vocem premat, submissusque loquatur, fieri posse, vt non tantùm nihil sinistrum pater suspicetur, verùm etiam ipsum esse Esau facilè credat. Persuasit industria mater filio tam solerti suâ machinatione, qui omne illius consilium audacter, atque animosè in opus explicauit. Venit ergo ad patrem cæcū, à quo interrogatus, nū ipse esset

ſet primogenitus Eſau, reſpondit eſſe. Sciſcitabatur iterum parens, quomodo intrà pauculas horas & reperire ferinam, & condire, & apparare eſui, & inferre menſæ potuerit. Occurrit ille nouæ quæſtioni dicens, cælo benè fauente factum, vt vixdum egreſſo velut in manus inciderit, vnde patri grata fercula extemplò adornaret. Nondum ſatis fidebat Iſaac, prouocansque ad tactum manibus manus illius explorabundus palpabat, & ſubaſperas, quales erant Eſau, ſentiens, aiebat: *Vox quidem, Vox Iacob eſt; ſed manus, manus ſunt Eſau*; Gen. 27. 22. Tunc iuſſit venerabilis ſenecio inferre cibos, cumq; pro neceſſitate comediſſet, ac bibiſſet, perſuaſumque ſibi haberet, eſſe illum ſuum primogenitum, qui victum tam & ſtudioſè paraſſet, & officioſè miniſtraſſet, tenerrimè eum complexus affectuoſiſſimè oſculabatur, fragantiamque veſtium hanc ad rem præparatarum olfaciens, aiebat: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus, eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* ibid. v. 27. 28. 29. Hic finijt ſuam benedictionem ſanctus Patriarcha, à quo vixdum digreſſus fuerat Iacob verus primogenitus paternarũ benedictionum, & legitimus hæres facultatum illius omnium, quando aduenit Eſau, qui ſolum nomen primogeniti habebat, coctosque de venatione intulit, & obtulit patri cibos, mutuam pro eis benedictionem efflagitans. Miriſſimum ſenicul o accidit, quod ſupplices illi alius ſtatim pro benedictione tenderet manus. Quare ſciſcitatus, quiſnam ille eſſet, cùm audiſſet, *Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau, expauit ſtupore vehementi, & vltrà quàm credi poteſt, admirans, ait: Quis igitur ille eſt, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquàm tu venires?* ibid. v. 32. 33. Remedium infelicitati tuæ nullum iam reliquum, Dei haud dubium prouidentiâ factum, vt à fratre tuo præoccuparis, *benedexiq; ei, & erit* æternùm *benedictus.* Audiens ille conſtanter decrepiti patris ſententiam, *irrugijt clamore magno*, vt famelicus in ſyluis leo ſolet, cùm prædam, quâ eſuriem ſuam leuet, non reperit. Non deſtitit tamen à precando, ſed maiorem in modum identidem rogauit, vt & ipſi benedice-ret. Qui ait: Venit frater tuus tuis veſtibus, ſed ſuis fraudibus etiam magis tectus, nomenque tuum mentitus, & ſimilitudinem ſimulans, tuam tibi ſurripuit benedictionem. Et ille: O quàm aptè cadit in fraudulentum iſtum fratrem meum ſua Iacobtis, hoc eſt, ſupplantatoris appellatio! *ſupplantauit enim me en alterâ vice, primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundò ſurripuit benedictionem meam*; ibid. v. 36. At quanquàm hæc ità ſint, nonnè & mihi reſeruaſti benedictionem? Reſpndit miſeratione commotus pater: *Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui, frumento & vino ſtabiliui eum, & tibi poſthæc, fili mi, vltrà quid faciam?* ibid. v. 37. Nihilominùs tot lachrymas ferus Eſau fudit, tam longa, ægraque ſuſpiria traxit, tamque diu, ac vehementer ingemuit, vt demùm emollierit animum patris, qui talibus verbis ei benè precatus fuit: *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies; tempusq; veniet, cùm excutias, & ſoluas iugum eius*; ibid. v. 39. 40. Sic ille abijt, ſed animo tam irato, & percito, tantamque per liuida labia efflans rabiem, & deſpumans choleram, vt cum iuramento diceret, grauiter iſtam à fratre acceptam, grauiter vindicare ferro, ac flammâ velle iniuriam, quàm primùm è viuis abijſſet pater, nec perſequendi finem ante facere, quàm illum exanimalem feciſſet, tametſi totus mundus repugnaret. Intellexit Rebecca ſanguinarium barbari fratris conſilium, & truculentum propoſitum, ac propterea ſuum Iacob hortata fuit, vt cederet furori, & cum patris ſui benedictione in Meſopotamiam concederet, quòd vt facilius perſuaderet, multa ei ſuggeſſit. Hoc primùm, quòd tantiſper abſens rabidi Eſau furorem declinaret. Alterum, quòd non diuturnum futurum eſſet exilium. Tertium, ne exilium quidem fore, cùm ad auunculi ſui Laban conuictum pergeret, à quo amanter excipiendus, & dapſiliter, honorificèque habendus eſſet, interim rediturum fratrem ad mentem pacatiorem, & æquiorem, ſedandam illius iram, extinguendam rabiem, & tempus, quod rebus omnibus adferre remedium ſolet, curaturum omnia, denique optatum finem habitura, quæcunq; optimus pater extremum benedicens precatus eſſet. Placuit matris conſilium filio, quę & marito dicebat, tœdere illam vitæ ſuæ propter filias Heth, plurimaſque mortes oppetere malle, quàm Iacobum vel vni earum matrimonio iunctam videre. Hac induſtria rebus omnibus prudens matrona proſpexit, nam & filij vitam ſoſpitauit, & maritum permouit, vt filium volens, libens dimitteret, qui ſuâ abſentiâ ſi non magnum lucrum faceret ingens tamen malum euaderet. Acquieuit itaque Iſaac vxori, & eò filium ab-

legauit,

legauit, quò illa iam destinârat, eique & benedixit, & hoc simul grauissimè præcepit, ne quam Chananæam coniugem vnquàm acciperet, quòd ex eiusmodi connubijs plurima, & maxima incommoda nasci solerent. Inijt viam Iacob solo benedictionis paternæ viatico instructus, nisi quod & gemmarum, quas mater in abeuntis filij collum vbertim efflebat, copiam non qualemcunque secum ferebat. Hic finis operum, quæ de Isaaco quidem sacra historia narrat, qui tametsi annos posthæc tres suprà quadraginta vixerit, factum tamen vitæ illius sanctæ singulare aliquod nullum memoratur. Id solùm de illo beatissimus Moyses refert, quòd ætatis suæ centesimo octuagesimo viuere inter mortales desijt, parentatúmq; illi permagnificè, ac sumptuosissimè à superstitibus filijs, Iacob & Esau, fuit.

Memorabilissima res est, occultissimúmque, & reconditissimum sacramentum hæc furtiua, & mystica benedictionis surreptio, quam sancti Patres plurimùm celebrârunt, & docti Expositores diligentissimè expenderunt.

Quòd benedictio Isaaci, quam filio suo Iacob impertijt, contineat mysticam, & viuam præfigurationem augustissimi, & diuinissimi sacramenti eucharistici ( in quo sacrosanctus cibus, & potus speciebus panis, ac vini tectus exhibetur ) id communis sententia Doctorum habet, in quibus sancti Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Beda, Isidorus, Damascenus, Chrysostomus, vtraque Glossa, Ioannes Cluniacensis, & Theodoretus, qui q. 81. in Genes. sic habet: *Frumentum, & vinum sunt anigmata diuinorum mysteriorum.* Fruméti, seu panis, & vini affluentiam precatus est Isaac suo Iacob, ea verò elementa sunt repræsentationes mysteriorum sacrosancti sacrificij altaris.

Doctor Angelicus docet, totum illud mysterium, quod diximus, admirabiliter delineatum, ac viuè expressum fuisse in opere, progressu, & circumstantijs mysticæ illius benedictionis, quæ instar cuiusdã Actus fuit, in quo Isaac, & Rebecca, Iacob, & Esau repræsentârunt, quidquid nos de illo maximo sacramento credimus, & sentimus. De hac re sanctus Thomas Opusc. 58. cap. 7. sic ait: *Sciendum quòd in illa figura dominici corporis quatuor erant personæ.* Prima Isaac corpus humanum cum suis sensibus, secunda Rebecca animam, tertia Iacob verum corpus Christi, quarta Esau substantiam panis significabat.

Titulus huius Actus esse potest, FELICISSIMA DECEPTIO. In diuino enim hoc Sacramento sensus omnes, si vnum excipias auditum, falluntur: *Nostri sensus piè sunt decepti, præter auditum, vt sit fides ex auditu tantùm, & non ex visu, vel alijs sensibus, auditus autem per verbum Christi*, inquit iterùm Doctor Angelicus.

Quòd autem optimus Deus tales dolos adornat, sensusque nostros ad eum modum fallit, vt aliud oculis, aliud auditui, gustui, tactui, visui, offerat, aliud esui, & visui doratui, gustui, tactui, visui, offerat, aliud esui, & visui nostro exhibeat, hoc facit, vt immensum suum ergà nos amorem talibus tam manifestis inditijs protestetur. Sic apud Oseam, cùm animam quandam ex turbulenti sçculi tumultibus, & strepitu solicitudinum huius vitæ in solitudinem, vbi iucundam in amœna quiete vitam ageret, transferre, mutuâque consuetudine cum illa sese oblectare suauiter vellet, inquiebat: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*; Ose. 2. 14. vbi boni Interpretes, Guadalupe, Castro, Sanchez, Ribera, Cornelius, aiunt, *lactare* idem esse, quod fallere, circumuenire, decipere, quod Castellani dicunt, *dar papillas*, siue exhibere papulas, & præbere vbera. Quod itaque Dominus apud Prophetam ait, velle illam lactare tantundem est, acsi diceret, velle eam vt in solitudinem secedat, circumuenire ad modum, quo ludificare nutrix infantem, quem educandum suscepit, solet. Quot technis, & artibus vti nutrix consueuit, vt lactentem suum ad medicinam, quam refutat, & horret, hauriendam adducat! Quàm sagaciter illum circumscribit, vt potionem ore prompto admittat! Hæc fraus tam nihil habet vituperabile, aut damnabile, vt etiam plurimùm cómendetur, & probetur. Itaque ex quadam iuris regula non omnis dolus malus, & improbandus, sed quidam etiam bonus est, qui laudem mereatur. Videre hoc licet, in illo vario astu, ac tam multis stratagematis militaribus, & machinationibus bellicis, quæ fallaciæ quidem sunt, at quò tamen subtiliores, & vtiliores, eò magis plausibiles, & laudabiles.

Hic ergo in altissimo hoc mysterio quatuor de quinque sensibus fraudem patiuntur. Putant oculi videre panem, & falluntur. Si gustus, si tactus, si olfactus sententiam requiras, omnes pariter contestabuntur, se quantum de rebus istis iudicare possunt, arbitrari nil nisi panem, & vinum esse, quod tangũt, gustant, odorantur. Verùm auditus, qui meliùs doctus est, arguit illos, & in errore versari ait, quod enim ijs speciebus tegitur, caro vera, & viuus ipsiusmet Dei sanguis est, de pane autem, & vino nihil reliquum, nisi eorum accidentia quæ corpori, & sanguini dominico pro velo sunt. Quænam autem felicior, beatiorque deceptio esse potest, quàm eius, qui

qui cùm palpare panem existimat, Deum intùs absconsum inuenit,& cùm haurire vinum putat, colore, odore, saporeque eius opertum bibit sanguinem sui Creatoris? Fortunatus proinde est, quisquis talem fraudem patitur, multoque ampliùs,quàm ille, qui reijculum vitrum accepisse arbitratur, & adamantem inæstimabilis pretij accepit, siue incomparabilem auri vim domi reperit, cùm persuasum sibi haberet, vile æs, aut ferrũ esse, quo donatus fuerat.

Dicere quis possit, videri hîc expletum illud Isaiæ cap. 6. v. 16. 17. *Scias quià ego Dominus saluans te. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum*, &c. Quàm fortunati tali commutatione sunt sensus humani,qui absque omni sensu possunt, ac debent eam tolerare fraudem, quâ fit, vt accipiant aurum sacratissimi Corporis Christi, quando putabant solùm æs panis materialis coram habere! Quæ maior illis beatitudo accidere,quæ fortuna arridere beneuolentior potest,quàm quòd pyropum sanguinis dominici consequuntur, vbi durum vulgaris vini ferrum accipere existimabant? Gratulentur proinde sibi mutuò sensus de tam felici deceptione, simulque & gratulentur, & gratias agant auditui, qui cùm ipse sit rectè de hoc mysterio eruditus, etiam ipsos monet, ac docet, summum bonum esse quod sub rudibus illis specierum cortinis occultum latet.

Meritò ergo hic Actus à nobis appellatus est FELICISSIMA DECEPTIO, neque enim Deus similis est mundo, qui promittit aurum,& nequidem æs dat, pollicetur argentum, & vix ferrum præbet, propinat voluptates, & sunt amaritudines, offert calicem inauratum, sed potu non alio, quàm veneno mortifero confertum. Hîc verò infelix, & perniciabilis est deceptio, vbi mors inuenitur, cùm vita quæritur, petitur panis, & datur gladius, expetitur theriaca, & bibitur toxicum.

O quàm miseror ærumnosos mortales, quibus cum malo dæmone,& mundo semper accidit, quale quid Iacobti cum Labano euenisse sacræ literæ prodiderunt! Postquàm ille socero suo septem ex ordine annos sedulò, fideliterque seruierat, plurimùmque & defatigatus fuerat, & sudârat, & temporum iniurias graues, crebrasque tolerârat, iamque venustissimam, & ardentissimè expetitam Rachelem pro nauata tam diu, ac diligenter opera, & pro omnibus exantlatis molestijs coniugem expectaret ( quæ illi ex stipulatione, & pacto inito pro septenni famulatu debebatur ) & tam dulci fructu amarissimorum laborum se fruiturum putaret,*Vespere*, Laban *filiam suam Liam introduxit ad eum*, Gen. 29.23. tenebrarumque adminiculo ad suas offucias vsus, turpem, & quam parcior natura parùm ornârat, formosissimæ, elegantissimæque Rachelis loco supposuit,quacum dum exegisse noctem Iacob existimauit, à deformi deceptus fuit. Quid hæc sibi volunt? Quid boni nuclei moralis institutionis sub hoc cortice latet?

Benedictus Fernandius pius, ac grauis author in illud cap. 29. sect. 11. num. 4. ait, factum hoc *in typum cacodæmonis, qui nobis aurum prærripit, & lutũ præbet, margaritas aufert, & sordes ingerit*. Huc omnia consilia, & studia inimici nostri mortalis vadunt, vt quemadmodùm Laban Iacobti pro Rachele pulchra lippam,hoc est, oculorum decentissimo ornatu ab iniquiore natura destitutam Liam dedit, sic ille nobis quidquid pretiosum adimat, & vilia reddat, rigentes auro vestes detrahat,& rudes, lacerosq; pannutios reponat, vitam auferat, inferat mortem.

Consequenter ad ista dicit Guilielmus Ebroicensis in eorundem verborum expositione: Reuerà quotidie videmus, quòd ille, qui seruit mundo, nunquàm peruenit ad bonum,quod ab eo speratur, quinimmò communiter fit, vt cùm mundus arridendo bona promittit, reddat mala. Ecce quomodo mundi dilectores turpiter decipiuntur, ideò meritò possunt dicere illud Isaiæ 59. 9. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris ambulauimus*. Hæc verò, hæc probrosa est, & damnosa circumuentio, quando Rachel, siue magna voluptas, & prosperitas ab impostore mundo promittitur, & deformis Lia pauperiei, & infelicitatis datur.

Non sic æternitatis Princeps Deus. Piè ille nos decipit, & quòd nos circumscribit, id magno bono, & commodo, & incremento nostro fit. Quando enim manus panem palpare existimat, Carnem Filij Dei tractat, cumque vinum habere ob oculos putat, sanguinem sui Creatoris habere præsentem fides dictat. Expectabat tenebras, & ecce lucem, arbitrabatur esse carbones, & offendit adamantes, puluerem existimabat, & fruitur auro. O felicem deceptionem! ô gloriam hominis, qui tali domino seruit.

Repræsentat ergo Isaac corpus humanum, animã Rebecca. Et causa subest, cur in hoc actu vir personam corporis agat, inquit Angelicus Doctor vbi suprà: *Quià magis solet esse manifestus, & exterioribus plus intendit*. Vir, siue paterfamilias exteriora negotia cùm priuata, tum publica curat: Ità corpus circà externos sensus occupatur. Rebecca animam

mam refert, quæ est velut mulier: Quemadmodùm enim in benè instituta domo, vbi iusta æconomiæ ratio habetur, mulier domestico exerceri labore, & necessitatibus familiæ intestinis prospicere, ac sub tecto morari debet, iuxtà illud Prophetæ regij, *Vxor tua, sicut vitis abundans*, non ruri, aut in absitiore vinea, sed *in lateribus*, in penetralibus *domus tuæ*, Psal. 127. 3. Sic hominis Christiani anima hominem curare, moderari, regere debet interiorē, & rempublicam eius rectè gubernare, & quietas seruare illius potentias, ac sensus pacatos.

Esau, quem Isaac, siue corpus amabat, (quià de venatione eius, cibisque comedebat,) repræsentat in hoc actu substantiam panis cum suis accidentibus, colore, sapore, quantitate, & cæteris. Ità sanctus Thomas iterùm. Quàm sapienter sunt distributæ personæ! Quàm iusta amoris pondera, quibus in id quæque permouentur, quod diligunt! Isaac significans corpus, amabat Esau, qui panis figura erat, Rebecca personam agens animæ efflictim diligebat Iacob, qui Christum repræsentabat, corpus materiatū panē prosequebatur, anima spiritualis spirituali amore Christi tenebatur. Ita vero verius est, quod Spiritus S. ait Ecclis. 13. 19. *Omne animal diligit simile sibi*; columba colūmbæ amat consortium, cū turture turtur volat, sic & bestijs alijs nullus gratior, quàm brutorum sui generis conuictus, & homo iucundissimè cum ijs commoratur, cum quibus habet non naturam modò, verùm & patriam, & linguam vernaculam, & vitæ, officiorumque professionem communem.

Et notandum, inquit Doctor Angelicus, quòd cùm Isaac (qui repræsentat hominem exteriorem, siue sacerdotem sacrificaturum) benedicit Iacobti, (qui figura est corporis Christi, quod in hoc sacramento consecratur) non adest Esau ipse, qui panem significat, sed tantùm similitudo quædam illius, putà vestitus, odor, pelles, villus, quibus indutus fuit Iacob, & cibus, eiusque sapor, quibus ille vsus. Hîc verò sensus omnes Isaaci, præter vnum illius auditum, fuerunt delusi, cùm enim Esau habere præsentem arbitraretur, sola illius vestimenta, fragrantiamque coram habuit, quibus tegebatur Iacob, qui solùm exteriorem quandam speciem Esau referebat, & personatus tantùm Esau; verus autem Iacob erat: *Ibi latet Iacob velatus, id est, Corpus Christi* tectum, inquit Magister sacri palatij Ecclesiæ. Idem in hoc augustissimo sacramento accidit. Putant oculi videre panem, & falluntur. Sic & gustus fallitur, quià panem existimat id, quod panem tantùm sapit. Fallitur & odoratus, quià panem olfacere arbitratur, & non est ità. Solus non fuit deceptus auditus Isaaci, nam quando dixit. *Vox quidem, vox Iacob*; tam non errauit, quàm propria illa Iacobtis vox erat, quam audierat: *Nihil verius*, dicit sanctus Doctor, quàm quod tunc Isaac affirmauit. At cùm ait: *Manus verò, manus sunt Esau*; falsissimū dixit. *Similiter si* ego dicerem, *sacramentum, quod tango, substantia est panis*, *nihil falsius* dici posset, inquit diuinus Doctor, nihil magis repugnans fidei, & hæreticum. *Vox Christi dicentis est*: *Hoc est corpus meum. Nihil verius*. Post verba enim consecrationis, sola manent ibi vestimenta Esau, quæ repræsentat substantia panis, panis autem sola reliqua manent accidentia, odor videlicet, color, sapor, quantitas, & cætera, quæ pro stragulo sunt Domino supremo, qui sub illis occultus latet. Hoc sentire, & confiteri debemus non de corporis modò, verùm & de sanguinis mysterio, vini enim substantia post consecrationem desinit esse, solaque relinquuntur illius accidentia. Qui contrà ac hoc Actu repræsentatum, sentit, illum sacrosacrosancta Tridentina Synodus fulmine anathematis ferit, & sacrum Inquisitionis tribunal, si contumax in errore perstet, pyræ impositum vindicibus flammis exurit, atque ab igne temporario in æternum trasmittit. Hoc itaque articulo subnixi prosequamur capitula reliqua.

## CAPVT II.

*Vt cumulatiorem ex hoc diuino sacramento fructum referas, multùm interest vt affectu ante præcipias, quàm accipias effectu.*

SAcrosanctum Concilium Tridentinum, quod tam sublimiter de hoc augustissimo, & diuinissimo Sacramento ex doctrina veterum Ecclesiæ Patrum loquitur, monet, docetque, tres esse illius sumendi modos. Sessione 13. cap. 8. de hac re sic habet: *Quoad vsum autem rectè, & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat sumere, vt peccatores; Alios tantùm spiritualiter, qui voto illum cælestem panem edentes fide viuâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt: Tertios porrò sacramentaliter simul, & spiritualiter.* Ante omnia loquamur de suscipiendi modo secundo, vt dispiciamus, quanti referat, Christum eo modo ante sumere, vt ad inexplicabilem felicitatem eorum, qui tertio modo accipiunt, posthæc pertingamus.

Omnes promiscuè, communiterque patres, & magistri spirituales docent, plurimùm referre; Dominum in hoc sacramento spiritualiter sumere, corporique & sanguini eius voto, ac desiderio communicare, vt hac tam vtili præparatione ante exculti vberiorem, auctioremque gratiæ fructum adipiscamur, quando verè, ac realiter cæleste hoc conuiuium adimus.

Vidimus iam suprà, quòd Patriarcha noster Isaac, postquàm à rege Abimelech recessit, *rursùm fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthym*; Gen. 26. 18.

Quæri potest, cur sanctus Patriarcha noster potiùs instaurare, & reficere patris sui puteos veteres voluerit, quàm effodere nouos, cùm terra illa, quod pono, fossioni tali commoda fuerit. Quid illum mouere potuerit, vt ad illos recurrere, quàm inquirere alios maluit?

Respondet Abulensis in cap. 26. Genes. veteres repurgare puteos maluisse, quòd *terra illorum, quià olim defossa fuerat, tenerior esset, & facilior*, leuiusque cederet ligoni, vt minore labore rursùm extrahi posset, quæ semel eruta fuerat, citiùsque adeò inueniri aqua, prima enim fossio secundam faciliorem reddebat, humumque ipsam faciebat penetrabiliorem, & aptiorem renouationi. Tale quidpiam in rē præsentem dicere possumus. Si quæramus, quamobrem nonnullorum ad has sacras epulas adeuntium tam sit exigua deuotio, tam rarus fletus, tam modica cordis teneritudo, cùm alij hunc diuinissimum cibum cum gemebundis suspirijs, cum flagrantibus affectibus, & magna lachrymarū exundantia, & ardentissima charitate accipiant: Ea proxima occurrit respōsio, quod vt Isaac prudenter ratus fuit, ibi faciliùs fodi posse puteos, & reperiri aquā, vbi semel effossi putei, & nouæ fossioni terra per veterē fuerat aptata; sic eos, qui ante spiritualiter cōmunicantes, altā cōsideratione perpenderunt, quàm sit ingens beneficiū, quàm incomparabilis gratia, quòd Deus seipsum alimoniam animarum facit, & comedendum præbet, taliumque meditationum ligone terram cordis sui prius semel, iterumque foderunt, promptas ( cùm sacram synaxin re ipsâ adeunt ) reperire lachrymas, paratiorem inuenire deuotionem, teneriùs affici animo, vehementiùs inardescere affectibus, inflammari charitate, & toto flagrare pectore: *Quòd terra illorum puteorum, quià olim defossa fuerat, tenerior esset, & facilior.* Spiritualis nimirùm horum diuinorum mysteriorum præceptio plurimùm huc conducit, vt nobis comparemus eam animi teneritudinem, quam actualis perceptio effl[a]gitat.

Huc respiciebat sanctus Gregorius Nyssenus in Orat. aduersùs eos, qui differunt baptismum, quando aiebat: *Desidera cibum, qui confirmat animam.* Si cupis abundātiores fructus, diuitiarum spiritualium copias maiores, & locupletiores thesauros ex hoc supero epulo referre, quod magnū animabus robur addit, auidè illud ante concupisce, desiderio, & affectu præsume, & toto spiritu te ad sacram cænam præpara, sic enim fiet, vt cor affectuoso illo desiderio leuiter ambustum faciliùs afletur ignis diuini amore, quandocunque cibum illum cælestem opere acceperis. Tu igitur, qui magnam inde vtilitatem expectas, & ex illa diuinissima esca plurimùm crescere, & proficere cupis, *desidera* eam, præmande spiritu, præsume auiditate, præcipe affectu, & ardenter, anxièque ante suspira, quàm suscipias, & videbis quantos fructus cumulabis, quamque ingentes thesauros in ærarium animæ tuæ comportabis.

Quando Dominus voluit tribus illis regibus Magis sese manifestare, stellâ, quod ex sancto Euangelista Matthæo nouimus, ad eam rem vsus fuit, quod ipsi confessi dixerunt: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus*; Matth. 2. v. 2. Christus est sol iustitiæ, quo nomine illum diu ante, quàm natus esset, donârat Propheta Malachias cap. 2. ver. 2. dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum iustitia, & sanitas in pennis*, hoc est, radijs *eius*. Quàm pulchrè, & opportunè de his sanctissimis regibus canit Ecclesia in hymno Vesperarum Epiphaniæ: *Lumen requirunt lumine, Deum fatentur munere.* Quòd autem lumine lumen requisierunt, hæc illis diligentia tam prosperè cecidit, vt à præuiæ stellæ luce ad ipsū Solem felicissimo itinere sint perlati. Sic enim habes apud eundem Euangelistam ibid. v. 11. *Et inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Solem in fulgentissima sphæra beatissimorum brachiorū Virginis omnium sanctissimæ, & intaminatissimæ repererunt, hominemque, regemque, Deumque illum salutârunt, & toto corpore terræ affusi venerati sunt. Nam vt erant astrologiæ admodùm periti, sic in stella nulli eatenùs visa, in corpore tam nouo, & admirabili videre sibi videbantur, quantus rex esset, à quo vocabantur, qui tam illustrem famulum viæ ducem ad eos accersendos misisset. Propterea dicit Ecclesia in Officio festi Epiphaniæ illos apud se tale quid definijsse: *Hoc signum magni regis est*; velut dixissent: Qui talem tam subitò facere ministrum nouit, ille haud dubium

bium

bium potentissimus rex est. Qui sic extemplò, ac derepentè tam raram, splendidamque, & prodigiosam stellam conficit, næ ille sol est rarus, & exquisitus. Primæ lucis,& stellæ diligens consideratio præparatio quædam illis fuit ad reperiendum facilius solem, sicque res illorum felicem consecuta est finē, Solem enim, & Lunam, & cælum totum abbreuiatum in stabulo, & præsepi inuenerunt: *Lumen requirunt lumine.*

Faciat tantundem noster Politicus, & videbit quàm prosperè illi suum studium succedet. Ad lucem spiritualis communionis quærat communionem sacramentalem,disponatque se ad hunc modum per exercitationem minoris ad sumptionem maioris, experimentoque discet, quantum lucri ex eiusmodi præparatione capiet. Pulchrè sese aptat,& tutissimâ viâ pergit, qui per communionem spiritualem ad sacramentalem pergit. Stellam ergo pij affectus ducem sequatur, & sic feliciter inueniet Solem non iam cunis, sed quondam in Bethlehem, inclusum, sed accidentibus panis contectum.

Crebræ rixæ, & animorum dissidia plurima, & grauia coorrebantur inter pastores Loth,& Abrahæ. Ne ergo inualesceret incendium, & damnum incrementa sumeret, ac si multas ex diuturnitate,& continuatione vires contraheret maiores, secedere Abraham à nepote decreuit. Discessit itaque, ac non diu post illud diuortium apparuit ei Dominus, iussitque attollere oculos, & in omnes mundi partes circumferre,aquilonemque,& meridiem,orientem, & occidentem spectare, idque hanc ob causam, quòd ipsi, posterisque eius dono sempiterno dare vellet, quidquid illud terrarum,ac regionum vsurpare oculis posset. Cùm hæc dixisset Dominus,addidit: *Surge, ac perambula terram in longitudine, & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam*; Genes. 13. 17.

Sanctus Ioannes Chrysostomus quærit, cur Dominus voluerit, vt seruus illius Abraham terram nō solùm pedibus peragraret, sed etiam emissitijs oculis obiret, circumspiceret, perque videret ante, quàm illius possessionem, & dominium susciperet. Videtur enim Dominus hoc omninò, ac singulariter voluisse, vt priùs totam circumiret, & peruaderet terram, amplitudinemq; eius, & longitudinem, & situm, & quæ sunt talia, studiosè consideraret, ac diligenter expenderet, quàm illam dono acciperet: *Surge, & perambula terram, quam daturus sum tibi.*

Respondet Chrysostomus homel. 37. in Genesin, tale quidpiam esse,quod Dominus dixit: *Surge, & circumi, & disce tam latitudinem, quàm longitudinem, vt scire possis & magnitudinem terræ, quā fruiturus es, & antequam fruaris, spe pastus, magnam inde animi voluptatem haurias.*

Notate in his illa postrema: *Spe pastus.* Voluit Dominus, vt Abraham totam terram,quantaque illa, & qualis esset, oculis, atque animo arbitraretur, vt cùm hæc explorata haberet, certâ illius expectatione sese pasceret, & oblectaret. Et reuerà facilè est diuinare, vehementer gauisum,& incredibili iucunditate, perfusum fuisse sanctum Abraham, quando totam gradatim,ac minutatim contemplatus terram, vidit, quàm longè, latèque pateret, quàm fertiles essent ad fructum agri, quàm concinnè ad omnem amœnimorum voluptatem, & oculorum gratiam, amœnitatemque composita omnia,& quæ procul, & quæ propiùs aberant. Neque dubito, quin ex hac consideratione vehementer affectus animo,eleuatis in cælum oculis pientissimo, & munificentissimo benefactori gratias egerit immortales pro tanto tam vastæ, locupletis, & opulentæ possessionis beneficio, quod neque ipse promeritus vnquàm fuisset, neque promereri posteri aliquando possent.

Hoc ipsum facere Politicus noster debet, antequàm in possessionem veniat promissæ terræ cælestis, quæ lacte,& melle plurimarum gratiarum semper manat, vimque fructuum inexplicabilem producit. *Surge*, itaque, Politice, *& perambula terram in longitudine, & latitudine sua*, totoque animi, & cogitationum intentione meditare, quàm sit copiosa, & opima terra, quæ tuis vsibus non iam promittitur, sed permittitur, quàm lautus cibus, qui apponitur, quàm ingens beneficium, quod exhibetur, quàm insignita gratia, quæ præstatur, cùm ad Angelorum tam dapsilem mensam vilis, fœdus, putidulus vermiculus admittitur, & ad cœnam sui Creatoris creatura tam abiecta, & humilis à Conditore ipso inuitatur, *vt antequàm fruaris desiderio pastus*, talibusque commentationibus accensus submittas te,& ad maleactæ vitæ pænitentiam, detestationemq; exstimules, & animam studiosè ornes,atque emacules, vt decenter excultus,tam festiuis nuptijs, tam regiæ cænæ, tam sumptuoso epulo inferre te ausis.

Quis non admiretur, & prorsùm obstupescat, cùm secum reputat illa tam varia probra, ludibria, conuitia, verborum, verberumque tormenta, quibus innocentissimum Agnum per omne amaræ illius passionis tempus immanes, blasphemi, sacrilegi Iudæi vexârunt, & excruciârunt? In quem alium furor, ac rabies atrociùs aliquando ferocijt, ac desæuijt? Capiebatur, vinciebatur, trahebatur, à tribunali

nali alio in aliud raptabatur, tunicâ vetere, ac lacerâ induebatur, arundo ei in manus dabatur, oculi illius velabantur, caput spinis coronabatur, irrisoriè adorabatur, crudelissimè flagellabatur, humeri eius crasso, & intolerabili ligno prægrauabantur, pœnalissimèque, & ignominiosissimè infami crucis stipiti affigebatur, à morte etiam lanceâ configebatur, & alijs mille improperijs dehonestabatur, quæ commemorare dolor, & fletus non permittũt. Quis infernales illos apparitores ea nunquàm audita, nulli ante cogitata cruciatuum, & probrorum genera docuit? Quomodo illa hominum flagitia, illi cacodæmonis truces satellites tam miserandam, longamque tragœdiam intrà tempus tam breue adornare potuerunt? Quomodo tam citò ad actus illos perficiendos sese comparauêre? Qua in schola tam sacrilegam doctrinam hauserunt?

Occurrit quæstioni S. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetorum de triumphali Christi agone c. 10. sect. 4. dicens: *Plusquàm triennio sitierant, quod tunc illis permittebatur impleri, quamobrem eos noua irrisionum genera contrà Dominum meditatos esse indubium est.* Annos tres, ac suprà internecino aduersùs Christum Pharisæi flagrabant odio, cui cùm tam diu satisfacere illatâ Christo morte non valerent, varios interim comminiscebantur, & excogitabant modos, quibus illum deludere, malè habere, dehonestare, excarnificare, cùm occasio ferret, possent, nam si illius necem, simulac animo expetebant, opere perficere potuissent, concurrissentque desiderium, & executio, quomodo in tam exiguo tempore tam varias adornare ludificandi rationes, tam multa machinari, & instruere suppliciorum genera potuissent.

Notate mihi illa verba: *Plusquàm triennio sitierant*, & immaculati sanguinem auidissimè, ardentissimèque expetierant illi blasphemorum consceleratissimi Iudæi. Qui tantum temporis huius rei meditationi dederunt, quid mirum quòd tam nouos modos, & inaudita ignominiarum, tormentorumq; genera adinuenerunt? Diuturna commentatio talia excogitauit, quæ nunquàm reperissent Pharisæi, si Christum trucidare simul ac voluerunt, valuissent, parque voluntati eorum facultas fuisset. Quid causæ, quòd quidam, cùm hoc Sacramentum adeunt, tam ardenter illud suscipiunt, tantoque inflammantur Dei amore, ac tam varias virtutes, quibus operam dare velint, sibi proponunt? Ad hæc possumus respondere: *Quia ante sitierant*, quia communione spirituali se disposuerant, & longâ feruentique consideratione sese ad tanti hospitis susceptionem comparârant. Et quoniam, quanta cibi illius dignitas, & præstantia esset, quàm immensum beneficium, quàm ingens, & sublimis gratia ad illam mensã admitti, diu ac multùm priùs expenderant, hinc fit quòd compungantur animis, quòd illachryment, & leuissimas imperfectiones grauiter doleant, & tam serijs propositis se ad vitæ emendationem obfirment, & variarum virtutum exercitationi toto pectore addicant. Nihil tale consequuntur, qui ab eiusmodi cogitationibus imparati, nec piâ meditatione aliquâ satis præmuniti ad sacrosanctam, & tremendam mensam accedunt. Id ex effectibus, qui ex communione vtrorumque consequuntur, elucet.

Multa dona, vina in his varia, quidam suo familiari mittebat. Cui vina perferebantur, ille vt amicum suum à talibus muneribus mittendis dehortaretur, hoc ad illum distichon, quod ab Hispani nostri Martialis officina prodijsse videtur, dabat:

*Mittis vina mihi, mihi Pamphile vina supersunt,*
*Vis mage quod placeat mittere, mitte sitim.*

Quàm præclarè dictum, *Vis mage quod placeat mittere, mitte sitim*! Quàm iucundè ac voluptuosè hauritur, quàm blandè ingreditur, quàm salutariter accipitur potus, qui cum siti bibitur! Absque illa etiam nectar acet, & mel amarum est. Quod autem ille suum amicum orabat, hoc Politicus noster Deum, à quo suæ carnis, & sanguinis alimoniâ pascitur, enixè, constanterque obtestari debet, ac rogare, vt qui tam opiparam ipsi mensam instruit, ambrosiamque sui corporis, & sanguinis nectar apponit, etiam famem, ac sitim tantæ annonæ, tam cœlestis cibi, & liquoris submittat, vt ad emolumentum animæ cedant illæ epulæ, vt ex vitæ moribus eluceat, quantum eiusmodi lautitiarum vsu profecerit. Sed quomodo fiet, vt dulcissimus hic Dominus illam nobis tam necessariam, ac momentosam famem, sitimque tribuat? Si spirituali communione ad sacramentalem nos præparauerimus, & præmunierimus ad illud tam ineffabile bonum. *Ferrum enim*, vt Sanctus Ioannes Chrysostom[9] habet Orat. de Sygill. Tom. 5. *ferro acuitur:* Sic communio spiritualis acuit, vt sic dicam, animam, præparatque ad veram, & realem communionem. Communio spiritualis excitat famem, ac sitim tam grati cibi, tam suauis potus: Itá fit, vt qui post spiritualis communionis vsum ad esum corporis Dominici, & mensam Christi augustissimam accedit, cum voluptate, cum lachrymis, cum affectuum teneritudine, & dulcedine,

ne, cumque ingenti cordis deuotione, & ardentibus suspirijs comedat, & bibat.

Quæ si non ità haberent, quamobrem diuinus, & cœlestis Magister paulò ante, quàm augustissimum hoc Sacramentum instituerat, dixisset: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum?* Lucæ 22.15. Quòd hîc de sublimi altaris Sacramento præcipuè locutus fuerit Dominus, id perspicuum est, & minimè dubium. Cur verò ait, tam auidè, & anxiè concupiuisse & seipsum suis manibus sumere, & sumendum Discipulis præbere?

Respondet Sanctus Laurentius Iustinianus vbi suprà c.2. sect.3. *Vt ignem igne, desiderium desiderio, & amorem excitaret amore, inquit, desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Tradidit eâ re nobis doctrinam, quam obseruare debeamus, quicunq; optatum ex tam diuino Sacramento fructum referre cupimus. Documentum autem tale est, vt priusquam Sacramentum ipsum suscipimus, communionem communione anteuertamus, sacramentalem dico spirituali, vt enim ignis igne inardescit, & *ferrum ferro*, & adamante adamas acuitur, sic vna communio gradus est ad aliam, priore namque perpolitur, & præparatur anima ad posteriorem.

Tam verò est necessaria ea diligentia, tam momentosum talis præparationis studium, vt magnus Venetorum protopatriarcha ibid. c. 4. sect.8. dicat: *Sacramentalis susceptio sine spirituali aut obesse, aut parum prodesse censenda est, vtraque verò simul facta actualem in præsenti gratiam, & in futuro locupletem tribuit beatitudinis gloriam.* Qui ergò tepido, remisso, languido, nauseabundo est spiritu, is illum excitare, inflammare, & exstimulare curet communione spirituali, expensione tam insigniti beneficij, consideratione tam ineffabilis gratiæ, quâ Dominus homini largitur, quod supremo Seraphino non concedit, & hac potissimùm cogitatione, quòd ad mensam illius sedebit, quem Angeli vident, & reuerenter adorant, & homines cum voluptate comedunt, quòdq; ipsi à summo Deo sanguis illius pretiosissimus, & diuinissimus propinatur. His alijsq; meditationibus, quas Dominus suggeret, libri ministrabunt, sacri Ecclesiastæ docebunt, aut ipse suo studio sibi Politicus noster comparabit, seipsum accendet, excitabitque, vt Dominum dominorum, & Regem regum dignè suscipiat, & cibus ille cœlestis ad vtilitatem ipsius cedat, ipse autem à mensa recedat sic viribus auctus, sic animo roboratus, vt animæ suæ inimicos deijcere, & passiones suas, quibus nullus est perniciabilior hostis, subigere queat.

## CAPVT III.

*Tam purus, mundus, lautus, perpolitusq; homo ad augustissimi Eucharistici cibi sumptionem, si fieri posset, accedere deberet, ac si iam iam baptizatus esset.*

De ijs, qui spiritualiter, & sacramentaliter panem Angelorum esitant, atq; ex illo incrementum gratiæ faciunt, cuius rei causâ admirabile hoc Sacramentum institutum fuit, sic ait Concilium Tridentinum superiore c. citatum: *Hi autem sunt, qui ità se priùs probant, & instruunt, vt vestem nuptialem induti ad diuinam hanc mensam accedant.* Est quod hîc plurimùm notes, & totâ mente diligentissimè, atque attentissimè aduertas. Quisquis hac in re illud solùm expendit, quòd totius maiestatis Deus, Rex regum, & Dominus dominantium est ille, quem recipit, quomodo potest facere, quin sigat gradum, altiùsque indaget, quanta huc exigatur munditiés, quo studio excolendum hospitium animæ, cuius tecto excipiendus supremus Rex, & benefactor? Exaggerari verbis satis non potest puritas, quâ nitescere, & splendere debet domus, cui hospes veniet summus Deus.

Verùm dicamus vel aliquid, qui dicere totum non possumus. Volo autem à quibusdam magni illius Hebræorum Platonis, Philonis Iudæi, inquam, verbis ordiri, quibus aptius in rem præsentem desiderare nihil possis. Dubitationem mouit Philo de re, quæ nunc dubia nulli esse potest (nisi quòd beneficij magnitudo tanta est, vt locum facere dubitationi, neque exiguum, videatur) estque talis: Si supremus Dominus è cœlo inde huc descenderet, si suâ benignitate ità vteretur, seque ab immenso amore sic rapi permitteret, vt humani cordis gurgustium inire hospes vellet, quo apparatu adornandum foret hospitium, quo cultu exornandum diuersorium, quâ magnificentiâ instruenda domus? Respondet Philo, id æstimari vtcunque posse à cura, solicitudine, impendijs, quibus curari, omniique ex parte perpoliri solent ædes, quibus rex quispiam terrenus excipitur. Nam cùm nihil prætermittatur, quod ad elegantiam facere potest domus, quam rex mortalis ingreditur, quanto studio accurranda, & venustanda ea fuerit anima, ad quam Rex regum, & Dominus dominantium intrat, cuius tanta est maiestas, & dignitas, vt maiestas, & dignitas, & magnitudo alia quæuis velut stercus sit, aut si quid vilius, vel abiectius, si cum illa componatur?

Audia-

Audiamus Philonem, cuius hæc sunt ex lib. de Cherub. *Si quoties reges excipiendi sunt, magnificentiùs excolimus ædes proprias, nihil negligendo, quod ad ornatum pertineat, vt hospitium quàm iucundissimum respondeat dignitati hospitis, Regi regum, & huius vniuersi mundi Rectori, comitatis atque humanitatis causâ dignato suam creaturam inuisere, à summo cœlo ad terram, vt generi humano beneficia sua conferret, digresso, qualem tandem domum oportet instrui?* Hæc Philo dixit, illud tantùm secum reputans, quod Deus facere posset, si ab immensa sua bonitate huc in terras è cœlis abduci fineret. Quid dixisset, si agnouisset, & vidisset, quod fieri posse credebat, nos autem reuerà factum, & persæpè etiamnùm fieri certâ fide tenemus? Creberrimè namque, atque in dies singulos in humanorum cordium domus Dei summi Filius summus & ipse Deus descendit. Quâ ergo munditie, quâ puritate, quo ornamentorum apparatu opus non est, vt ille immensus, & supremus Dominus honorificè, ac decenter suscipiatur?

Ingrediebantur sancti Angeli nefandam Sodomorum ciuitatem per eam portam, in qua tunc Loth Patriarcha sedebat. Qui cùm vidisset eos, mox surgens iuit obuiam introeuntibus, adoransq; pronus in terram, quâ maximâ poterat demissione, & contentione rogabat, domum eius hospites inirent, illam supellectilis quidem, rerumque aliarum inopem, affectu tamen diuitem, & pronâ ipsos lautè, opiparèque refocillandi voluntate copiosam, ac locupletem. Responderunt his tam officiosæ hospitalitatis humanissimæ inuitationi cœlestes peregrini: *Minimè, sed in platea manebimus*; Genes. 19. 2. Permirum cuiq; videri potest, quòd diuini viatores (ijq; cœlorum ephebi aulici ad omnem vrbanitatem ficti, formatiq;) tam morosos, tetricos, dedignabundosq; se exhibuerunt sancto Loth, precesque illius quàm supplices, tam comes, verbo austero, ac subacido respuerunt, dicentes *minimè* velle quod ille obsecrabat, qui tamen Abrahæ tam facilè concesserunt, vt ad eius tabernaculum, mensamq; verbulo penè vnico pertrahi ab illo siuerint. Quid ergò voluerunt dicere Angeli, quando à sancto Loth inuitati, responderunt, *minimè* velle illius subire tectum, aut pedem inferre domicilio?

Respondet Angelicus Doctor, dicere voluisse: *Minimè, supple, nisi nos ampliùs compellas, non enim erat dignus eos accipere, & habere, nisi tanta esset eius charitas, quòd compelleret eos.* Iterùm, iterùmq; rogari etiam volebant, & pertinaci precandi contentione cogi ad suscipiendum hospitalitatis obsequium, nec enim merebatur tantos domo excipere hospites, nisi eam vim illis charitas afferret, quæ intrò adigeret.

*Non enim dignus erat*, inquit magister Angelicus. Quamobrem non erat dignus? Si non satis reuerenter accessisset, si parùm vrbanè, si non assurrexisset aduenientibus, si illos pro hospitij gratia supplices expectasset, videtur dici posse, agresti suâ inhumanitate commeruisse, ne cœlestes illos exciperet domo suâ hospites. At scimus omninò contrà fecisse, ac vix oculis vsurpasse peregrinos, quando è sede sua exiliens in occursum illorum ruit, affususq; terræ humillimè illos obtestatus fuit, domus suæ hospitium vt dignanter admitterent: *Surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram*; ibid. v. 1. Et qui tam reuerenter venientes de via deueneratus fuit, qui tectum, qui mensam, qui humanitatis, & hospitalitatis officia omnia tam liberaliter, honorificèque offerebat, ille nihilominùs tales non merebatur excipere hospites? Immò ille tam humilis, tam feruens, tam vrbanus, percomis, & perofficiosus, ille *non erat dignus eos accipere*, inquit Angelicus Doctor, itaque necessum fuit, vt vi, & contentione, & pertinaciâ charitatis Angelos excipiendi meritum sibi compararet.

At si sanctus Loth post tam demissam humilitatem, post tam comem vrbanitatem, post tam promptam, officiosam, liberalem hospitalitatem indignus est, cuius domum hospites ineant Angeli, quantus amor, quanta charitas, quanta vitæ munditie, quanta puritas animæ requiretur, vt cordium nostrorum domicilijs excipiamus, non Angelos, sed Angelorum immensum Dominum, cui comparati Angeli sunt velut obscuræ quædam vmbræ, & caliginosæ tenebræ?

Dictum aliquid à S. Petro Chrysologo, quod plurimam meretur considerationem, & causam, quam tractamus, valde, validèque confirmabit. S. Lucas Euangelista refert, delegatum à supremo luminum Patre oratorem ad sacrosanctam Virginem cœlorum Reginam, priusquàm in Virginei vteri illius hospitium Verbum æternum descenderet, vt illi Dei hac de re consilium exponeret: *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*; Lucæ 1. 26. 27.

Hæsit Chrysologi consideratio in eo, quod Euangelista dicendum putauit, cœlestem nuntium, & sacrum paranymphum destinatum fuisse ad Virginem iam desponsam cuidam Iosephti viro, & viro tam

probo, atque integro, vt illum primum in sanctis numerauerit euangelium, de quo S. Matthæus c. 1. v. 19. *Ioseph autem cùm esset iustus.* Quid sibi vult, quòd hoc in sua narratione specialiter exprimendum beatus Lucas putauit, quòd Virgo Domina nostra desponsa Iosephti erat, cùm Dei mater mox futura? Videtur enim ad rem nihil facere, illam commemorasse circumstantiam.

Respondet S. Archiepiscopus serm 140. *Peruolat ad Sponsam festinus Interpres, vt à Dei Sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum.*

Cùm hæc verba audio, non possum, quin cum quodam docto moderno (quem cùm vti eruditum, venerer, vti studiorum olim collegam etiam diligo, & amo) exclamem: *Prô Deus immortalis! Affectus ille puritate redundans in virum sanctum, atque perfectum arcendus? Suspendendus? Quid purius, quid honestius Dei Genitricis amore in beatum Ioseph charissimum Sponsum?* Hæc P. Escobar lib. 3. de Eucharist. sect. 5. annot. 4. num. 37 Quid verò est, quod sacer Rauennatum archiantistes dicit? Missus est, inquit ad Virginem, cùm iam iam Dei filium intrà vterum suum conceptura esset, quidam è cœlis Angelus, vt omnem ei humani coniugij affectum, memoriamque adimeret: *Vt à Dei Sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum.* Potestné fingi etiam coniugium magis intaminatum, magis cœleste, magis ab omni carnali affectu alienum, quàm Mariæ, & Iosephtis? Quinam Angeli, quinam Seraphim magis puri, quàm sacratissima Virgo, & integerrimus illius Sponsus? Quid ergo hic erat, quod arceri, quod suspendi posset, vt non dicam, necessum esset? Quid Sponsi recordatio afferre impedimenti poterat descensui Verbi diuini in aluum Virginis? Quid opus erat talem taliter detergere domum, vt ad eam Deus è cœlo diuerteret? Quamobrem tanto studio exoccupandæ ab omni re alia ædes? Haud dubitare velim, id factum, vt admoneremur puritatis, & munditiei singularis, quâ nitere animæ nostræ debent, vt Deum in sacramento hospitem excipiant. Nam si Mariæ, cuius tam munda erat domus, cuius viscera Solem puritate, candore niuem superabant, quæ Dei Verbo hospitium intrà vterum suum exhibitura erat, impedimentum qualecunque afferre posse videbatur sua desponsatio, non quia non sanctissimum, & cœleste erat connubium, quod mox ineundum, sed quod carnem, & sanguinem olere videbatur (tametsi illa viscerum, & animæ puritas ad incarnationem Dei absolutè non requireretur, qualemcunque enim carnem vestijsset, quantisuis peccatis, & flagitijs contaminatam, prorsùm emaculasset, sanctificassetque, mox vt eam sibi hyposthaticè coniunxisset, quòd enim carnem tam integram, & inuiolatam, sanguinemque tam mundum huc delegit, hoc solùm fecit, quòd magis ità deceret) quæ munditiies, quis nitor, quis virtutum apparatus, & ornatus exigetur, vt dignè suscipias Dominuum, ad quem dignè suscipiendum tam necessum est gratiâ, & quæ ex illa nascitur, puritate esse instructum, vt qui ea carens mensam dominicam adit, iudicium sibi damnationis æternæ manducet, & bibat?

Commodum huic rei veniet, quod in Carmentæ larario, seu fano seuerè obseruatum ingeniosissimus Pòëtarum Ouidius lib. 1. Fastor. his versibus canit:

*Scortea non illi fas est inferre sacello,*
*Ne violent puros exanimata focos.*

Inuiolabili Veterum lege sancitum erat, ne quid coriaceum, ne qua mortuo animali detracta pellis inferretur in sacellum Carmentæ deæ consecratum. Hoc enim significat vocabulum, *scorteus*, quod nobilis eques D. Carolus Neapolitanus in anaptyx. ad lib. 1 Fastor. Ouidij num. 260. ex Varone probat, verè princeps studiosæ iuuentutis laureatus, qui in primæuo ætatis suæ flore tam doctè, atque eruditè ad summam nationum omnium admirationem commentarijs illustrauit Fastos Ouidianos. Varronem audiamus. *Nunc dicimus scortea ea, quæ ex corio, & pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris, ac sacellis scriptum habemus ne quid scorteum adhibeatur, ideò ne morticinum quid adsit.* Hoc autem tam religiosè, superstitiosè veriùs dixero, tunc obseruabatur à cœca illa Gentilitate, vt Festus affirmet, ipsis etiam flaminibus interdictum fuisse calceare corium mortuis animalibus detractum. Qua de re ille apud Carolum vbi suprà ista: *Mortuæ pecudis corio calceos, aut soleas fieri flaminicis nefas habetur, sed aut occisæ alioqui, aut immolatæ, quoniam suâ morte extinctâ omnia funesta sunt.* Et Seruius apud eundem: *Sanè flaminica non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere.* O magnã Gentiliũ in superstitiosis ritibus, & falsis cæremonijs attentionem, & cautellã!

Quo nomine donat Catholicos Doctor gentium? Nonné templa vocat, & sacella Summi Dei? *Nescitis quia templum Dei estis?* dicebat 1. Corinth. 3. 16. & 2. Corinth. 26. *Vos estis templum Dei viui.* Si autem pectus, cor, anima sunt templa, sacraria, tabernacula, in quæ suscipitur supremus Dominus, nonné indignum est morticina, sordida, squalida, putida quæcunq; locis eisdem inferri? Apud Ethnicos

cos tantum erat obseruantiæ ergà deastros suos studium, vt ne pellem quidem animalis naturali morte defuncti in eorum lararijs, fanis, sacellis tolerarent, existimabant enim profanari locum sacrum animalis ità mortui exuuijs: *Ne violent puros exanimata focos*: Quis ergo immunditiem quamlibet ferri posse arbitretur in anima, in quam tam sublimis Dominus admittendus, aut in templo tantæ maiestati dedicato?

Volo robur huic rei adijcere ex eo, quod diuinus Mediolanensium Archiepiscopus dignum obseruatione notauit in vetere illo manna, quod augustissimi huius cibi illustris typus fuit. Animaduertit autē S. Doctor ea, quæ ferè acciderūt, antequàm aër prodigiosam illam escam deplueret, cui ab admiratione sui, quam apud eos, à quibus primùm videbatur, excitauit, inditum nomen. Obseruationem suam his verbis reddidit: *Post transitum maris rubri, Mirrhai fontis amaritudine per ligni gratiam temperatâ, agnoscimus Patres veteres esse mundanos, deinde duodecim fontium potu, postremo petra spiritualem vndam vomentis irriguo. Vnde & manna manducauerunt, vt toties abluti manducarent panem, vt scriptum est Angelorum.* Hæc ille in Psal. 118. Octon. 16. v. 3. ad finem. Perdigna profectò notatu sunt, quæ Isrâëlitis acciderunt, priusquàm Angelorum escam gustare cœperunt. Primùm ab Ægypto, quæ caliginosi mundi figura erat, exierunt, posthæc mare rubrum transierunt, mox aquas Maræ amaras biberunt, quas admirabile illud lignum fecit potabiles, deinde inciderunt in duodecim fontes, demùm hauserunt ex consequente eos petra, quæ frigidam magnâ copiâ, miraculo maiore dabat. Quorsùm tot irrigua? Quorsùm tot aquæ? Quorsùm tam multiplices fontes, & tam crebra lauatio, tanquàm neq; maria, nec fontes, nec aquæ miraculo procuratæ perpurgandis illis sat fuerint? Iam hoc dixit sanctus Ambrosius, inquiens: *Vt toties abluti manducarent panem Angelorum.* At si figuræ tantum deferebat Dominus, vt Isrâëlitas ante totis marium gurgitibus, tam multis fontibus, tam amaris aquis dilui vellet, quàm illâ vescerentur, quanta debet esse puritas illorum, & sanctitas, qui figuratum sumere, & panem de cœlo verum, viuumque esitare volunt! Qui picturam tam reuerenter haberi volebat, cogita, si potes, quo in honore haberi, & quàm purè, ac religiosè rem ipsam viuam tractari velit.

Panegyricus Constantini filij Constantij vult magnum habere mysterium, quòd sanguinarius ille tyrannus regiâ excessit dies non paucos ante, quàm Constantinus eam occupare, & nobilitare cœpit. Quid verò mysterij habeat, quòd tyrannus priùs destituit palatium, quàm Constantinus illud possidere, atque in eo habitare voluit?

Respondet autor istius panegyrici: *Vt tu iam olim expectatus habitator sacris illis ædibus diu exhalatis, expiatisque succederes*; tanquàm dixisset: Facile est diuinare secretum, quo factum, vt ille multo ante demigraret è basilica, quàm tu illi pedem inferres. Futurum erat, vt augustissimus Cæsar, Imperator permagnificus aulam regiam occuparet. Cùmque domus tantum hospitem exceptura esset, decebat, vt habitatore, tali maximè tyranno, aliquamdiu vacua esset, vt exhalaret putorem, ac graueolentiam, quam ille ibi reliquerat, & spurcities omnis abstergeretur.

At quàm benè dictum illud: *Sacris illis ædibus diu exhalatis, expiatisque!* Ab ædibus peste infectis metaphoram duxit, qui panegyricum Constantini concinnauit. Ex qua domo peste interfectus effertur, emigrare superstites omnes, & latè patentes relinquere fenestras eius solent, vt pertransiens ventus omne suo aspiritu exsufflet contagium. Posthæc bonis odoribus loca omnia suffiuntur, mundantur, adornantur, vt habitari citrà horrorem, & periculum queant. Tale quid, ait ille, euenit Constantino. Diu suum domicilium in palatio nefarius, & execrabilis tyrannus habuerat, diu suâ præsentiâ, & corruptissimâ vitæ consuetudine, & contaminatissimis moribus illud vitiârat, fœdârat, conspurcârat. Vacet ergo ab incola benè diu ante, quàm Imperator in eo pedem sedemque figat, auræ, & ventorum flabris exponatur, vt quem ibi tyrannus reliquit fœtorem, efflet omnem, & exhalet, & quantum quantum est, perpurgetur. Indecens enim esset, atque in magnam Imperatoris iniuriam cederet, si non tersissima, nitidissima, excultissima esset domus, quæ illius habitationi seruatur.

Iam si tam studiosè colitur, obseruaturque Imperator terræ, si tam solicitè, ac gnauiter curatur ab omnibus, ne grauiore aliquo odore offendatur, neu sit quidquam in tota eius regia, quo irritari, & commoueri ad indignationem queat: Quàm studiosè, & anxiè curandum erit, vt niteant, & splendeant ædes, quas initurus est Imperator Imperatorum, Rex regum, & Dominus dominantium, præ quo Imperatores, Reges, & Domini alij nil nisi lubrica aura sunt, & olidum cœnum? Quæ non ornamenta congerenda in domum, quæ hospitem habitura est Deum Opt. Maximum? Quantâ contentione, vigilantiâ,

lantiâ, attentione laborandum, vt abstergantur, eradantur, emaculentur, submoueantur, eijciantur, quæcunque diuinos tanti hospitis offendere oculos possunt? Res ipsa loquitur, plurimâ adhâc rem munditie, studio maximo, accuratissimâ, & diligentissimâ conscientiæ discussione, & virtutis omnigenæ exquisitissimo cultu opus esse.

Tantumné verò res ista nitorem postulat? Immò verò etiam tantum, vt si fieri posset (fieri autem à nonnullis cum Dei auxilio potest) tam purus sceleris, tam intaminatus, & immaculatus quisque treis, tam intaminatus, & immaculatus quisque tremenda hæc adire mysteria deberet, ac si iam tunc à baptismi fonte vitalibus vndis expiatus domum referretur.

Destituit domum paternam filius prodigus, peregrèque profectus patrimonium suum, amplum illud, & peropulentum, intrà dies non multos omne decoxit, & abliguriuit. Ad incitas redactus, & ex copiosi patris diuite filio exilis mendiculus factus, in tam miserum, infelicemque statum incidit, vt necessitas illum coègerit locupletis patris domum, illam suam natalem repetere. Ad reditum hoc etiam calcar addidit, quòd recordabatur, eam esse benignissimi patris sui pietatem, & facilitatem, vt omnem sibi ab illo, promptamque noxarum præteritarum gratiam promitteret, dum malè fecisse modò pœniteret, humilisque rediret. Opere ergo expleturus, quod animo conceperat, viam ingressus venit ad ædes patris, qui simulac illum vidit, passis vlnis reducem excepit, inque complexum illius, & oscula ruens, & collum amantissimè stringens lachrymis testatus est, quanto intùs gaudio ob reditum filij, & redditum filium animus paternus exultaret. Veniebat miser adolescens, quale è duro, tetrico, sordido, inhumano Domino vile mancipium, & extremus mediastinus solet, pauper, strigosus, squalidus, grandi macie torridus, penè nudus, certè tam malè vestitus, vt parens diceret famulis: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius*; Luc. 15. 22. posthæc *adducite vitulum saginatum*, ibid. v. 23. & opimum his tam festiuis epulis, & filij mei refocillationi destinatum, & seruatum.

Quòd vitulus ille pinguis significarit sanctissimum Redemptoris nostri corpus, res est tam trita, & peruulgata, vt si de ea sanctos Nazianzenum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium Magnum, Chrysostomum, Damascenum, Bedam, Euthymium, Theophylactum, cæterosque seu Patres, seu Expositores interroges, omnes magno consensu responsuri sint, omninò ità habere, vt dictum. Vnus ex omnibus Euthymius ait: *Vitulus saginatus sanctum Christi corpus est*.

Sed magis intricatum est, & difficile, statuere, quid prima illa stola significet, quâ vestiri prodigum filium pater voluit, vt dilecti filij sui corpus sumeret: Nam græcus textus, ex obseruatione Cardinalis Caietani sic habet, *Afferte stolam illam primam*, pronomine isto eximiam quandam excellentiam, dignitatem singularem, & maximam præstantiam denotare volens.

Theophylactus vult illâ stolâ adumbratum baptismum eamque propterea vocari primam, quòd baptismus sit porta, quâ in cœlum itur, & baptismi gratia prima omnium, quas de manu Domini accipimus, & præstantior alijs, *prima enim nos illa vestit, & ab ea sumimus honestatis vestitum*. Secundùm hæc tale quidpiam est, quod pius pater dixit: Baptizate pœnitentem hunc adolescentem, vt diuinum sacratissimi Filij mei corpus accipiat.

Sed hîc maior exoritur difficultas, eaq; tam perplexa, vt ægrè ab ea nos extricare possimus. Nam si ille prodigus filius (quod ex adiunctis parabolæ constat) pœnitentem significat, qui peccata sua agnoscens, & malè vixisse verè & exanimitùs dolens conuertitur ad Deum, atque ab eo in domum suam recipitur, ergo baptizatum iam illum fateri debemus, neque res ista sub dubio est, nam vt qui semel ritè, ac rectè baptizatus est, denuò baptizetur, fieri non potest, & manifestè errat, qui baptismum semel validè, ac legitimè susceptum iterari posse affirmat. Quid ergo autor baptismi dicebat: *Afferte stolam illam primam?* quod perinde fuit, ac si iussisset illum rursùs piacularibus aquis emũdari priùs, quàm corporis dominici sacramento reficeretur. Quomodo baptizari iterùm poterat, qui baptizatus semel fuerat?

Dictum hoc ità, vt nobis indicaretur, & commendaretur munditiés, quâ nitere debeat, qui Summi Dei Filium in sacramento suscepturus est, quæ tanta esse debeat, vt contendat, si fieri possit, cum niuea puritate, quàm sacro baptismate expiatus infans ex cœlestis lauacri salutari fonte reportat.

Notauit hoc Serlonius modernus, & eruditus, exquisitusq; Cantici Canticorum Interpres Anteloq. 12. sect. 1. num. 3. ex S. Asterio, & Tito Bostrensi, quos P. Balthasar Corderius in sua catena citat. Illi de hac re sic pronuntiant: *Quàm purus, & emaculatus prodit infans, vel adultus post baptismi lauacrum, tantâ quodammodò puritate nitere eum decet, qui*

*qui ad Christi communicandum corpus accedere præsumpserit.*

Attendat ergo Politicus noster, quem tantâ gratiâ dignatur, tamque inopinabili honore Deus ornat, vt illum ad suam mensam admittat, atque in ea sacrosancti corporis sui cibo, & pretiosissimi sanguinis potu reficiat, quomodo ad has diuinas epulas accedat, examinet, discutiat, probet seipsum, quòd grauiter præceptum ab Apostolo. Aduertat non Angelum esse, non Archangelum, non Seraphinum, quem recipit, sed ipsum Angelorum, & Seraphinorum conditorem. Et cùm talia debeant esse ornamenta domus, vt deceant hospitem, qui excipiendus, cogitet quàm solicitè, studiosèque excolere, & perpolire debeat animæ suæ hospitium, omnemque detergere maculam, submouere immunditiem, arcere spurcitiem, & fœditatem, quæ offendere possit oculos Summi Dei, quem immensus amor suus, & infinita charitas è cœlo in humilia cordium nostrorum tuguriola detrahit. Tam sublime, ingens, præstansque est hoc beneficium, vt considerare illud ne flagrantissimus quidem Angelorum citrà tremorem possit. Quomodo ergo miser homulus, qui illud est percepturus, non artubus omnibus, & toto corpore contremiscat, & quantâ maximâ potest ingenij contentione, sedulitate, assiduitate, solicitudine sese ad tam ineffabilis gratiæ exceptionem, & tam supersubstantialis cibi sumptionem comparet?

## CAPVT IV.

*Quòd morte quidam inde occumbunt, vnde in vitam alij redeunt, & venenum ex eo sugunt, è quo theriacam alij hauriunt, ea summa infelicitas est, & prodigiosa calamitas.*

NOn possum, tametsi calamus satis repugnet, quin vel demùm agam de ijs, qui sacramentaliter solùm superæ huic, & tremendæ mensæ communicant. Quàm formidabile sit hoc, & horribile argumentum, id ex eo arbitrari possis, quòd prætermisso Concilij Tridentini ordine in extremum locum tractatum illius reieci. Sunt nonnulli, inquit sacrum illud Concilium, qui *sacramentaliter duntaxat id sumunt, vt peccatores,* ijque pro eo, vt inueniant vitam, incurrunt in mortem, & qui bibituri erant ambrosiam immortalitatis, hauriunt poculum interitus.

Hoc ipsum diuinus Delius, & augustissimi huius sacramenti profundissimus scrutator, & deuotissimus cultor S. Thomas docet, qui cùm de varijs sacri istius conuiuij effectibus ageret, inquiebat: *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus.* Permirùm, si quid aliud, quod ex eodem cibo alij exsugunt magis sani, & vegeti, alij mortem incurrunt, accipiuntq; damnationem suam æternam.

Cùm delitias memoraret Ecclesiasticus, quas iusto præbere Deus solet, aiebat: *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aquâ sapientiæ salutaris potabit illum*; Ecclis. 15. 3.

Hugo Cardinalis, Rabanus Maurus, Ioannes Cluniacensis, Petrus Berchorius, & alij per hunc panem vitæ, & intellectus, perque aquam sapientiæ salutaris volunt adumbratam viuificam alimoniam, quæ in mensa Dominica ministratur. Hugo sic inquit: *Cibabit illum pane, id est, corpore Christi, qui est panis vitæ.*

Sed notandum, quòd eidem pani, non sine magno mysterio, etiã datur nomẽ aquæ: *Et aquâ sapientiæ salutaris potabit illum.* Cur dominicũ corpus, cùm panis dictum fuisset, mox etiam appellatum aqua fuit? Satis enim illi erat primum nomen, quo & ipse Christus contentus fuit, qui se apud S. Ioannem tam sæpè panem solùm nominat. Factum hoc dixerim, ad indicandum, quàm variè operetur Domini nostri corpus in his, à quibus sumitur, vt videmus varios esse aquæ effectus in agris, quos rigat. Sanctus, & Magnus Basilius homel. 6. in Hexam. ait: *Eandem in pratis aquam conspexeris hoc in flore rubescentem, in alio purpuream, & in hoc caeruleam, & in alio albidam.* Mirum sanè est, quòd ab vno fonte promanans aqua, cùm easdem secum per omnes hortos, agros, prata circumferat qualitates, in rosa quidem fit purpurea, in viola verò pallens, in malo pomum, in dumo spina. Quàm grato odore oblectat in caryophillo! quàm pungit in senticeto! Panis ergo, & aqua vocantur hæ cœlestes dapes, & diuinus cibus, *Cibabit illum pane, & potabit aquâ*, propter diuersos, & aduersos effectus, quos operantur in ijs, à quibus degustantur, alijs enim vitam, mortem alijs adferunt, his venenum sunt, theriaca illis, alios vt panis nutriunt, vt gladius alios obtruncant: *Mors est malis, vita bonis.*

Grauia, & immania supplicia contumaci populo suo comminabatur Deus, atque in his illud, quòd pro magno insolentiæ, & impudentiæ eorum merito agros sterilitate damnare vellet, ne panem in vitæ alimoniam redderent: *Ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem*; aiebat Ezechiel. 4. 16. velut dixisset: Terribilis erit indignatio mea, magna gladij

mei sæuities, principem enim vitæ humanæ columnam, panem, inquam, demoliar, prorsùmque auferam.

Hector Pintus, Serranus, Lyranus, Dionysius, Cornelius, Sanchez, Pradus, alijque Interpretes monent hoc loco notare, quàm proprio vocabulo Dominus panem donârit, cùm baculum nominauit. Vt enim baculus fatigati, ac debilitati corporis est fulcrum, ità panis humanarum virium roboratio. De pane scriptura sic persæpè loquitur, & vnus Propheta regius multis in locis: *Panis cor hominis confirmet*, inquit Psal. 103. 15. non secùs ac lassa membra baculus. Et Psal. 104. 16. *Omne firmamentum panis contriuit*. Persistensque in eadem metaphora dixit Psal. 71. 16. *Erit firmamentum in terra in summis montium*; vbi ad literam, vt volunt Sancti Augustinus, & Chrysostomus, Varnelius, Syluius, Ioannes Bocchius, Matthæus Hoen, Ludolphus & Dionysius Carthusiani, Rainerius, Theodoretus, Paulus Burgensis, Genebrardus, & alij, loquitur de pane, qui vires hominum corporeas instaurat, & confirmat. Et apud Isaiam 3. 1. dicitur: *Auferet* Dominus *omne robur panis*, sublato autem, contritoque hoc baculo, seu fulcimento ædificium terrestris huius domus nostræ mox collabitur. Dum hæc loca, vnum autem vel maximè Ezechielis expenderet doctissimus illius expositor P. Hieronymus Pradus, aiebat: *Vide quàm bellè hæc omnia conueniant sacro pani Eucharistico.* Vide quàm aptè in illum cibum appellatio baculi cadat.

Et verè ità res habet. Addo, commodius huic rei hieroglyphicum cogitari non posse. Subscribent mihi, quicunque vocare in considerationem voluerint morem veterem, ac modernum, qui dolones habuit, hodieque habet, hoc est, contos, qui lignum extrà præferunt, intùs gladium absconsum gerunt, quorum altero sustentare, altero mactare queant. Huic inuentioni (quæ perantiqua est) S. Enodius hoc elegans epigramma confecit, cui titulum, *Spatha in fuste*, præscripsit.

*Vtimur incluso per fraudes ense bacillo,*
*Mors ligni tunicis quàm benè tecta latet!*
*Subsidium portas, quæ cunctis terror haberis,*
*Pacificum est nobis, quod negat obsequium.*

Habent eiusmodi arma, quo offendere, habent quo defendere possint, habent quo labantem sustentent, habent quo stantem deijciant, habent baculum, quo nitaris, habent gladium, quo feriaris. Itaque si panis hic viuus, & superus vocatur baculus, *Vide quàm bellè hoc nomen baculi conueniat pani Eucharistico*, qui sub ea baculi specie gladium dissimulet, tegatque. Panis certè ille Eucharisticus eodem tempore apud alios, & alios inuitatos vtrumque esse potest, & baculus, qui fulciat, & ensis, qui occidat, & laqueus qui iugilet, & theriaca, quæ sospitet: *Mors est malis, vita bonis.* Omnia in hoc sacrosancto, & opulento conuiuio reperiuntur, mors, & vita, baculus, & gladius, corroboratio, & debilitatio, infernus, & cœlum:

*Subsidium portas, quod cunctis terror haberis.*

Omnia mensa hæc lauta, & dapsilis habet, amara, & dulcia, vitalia, & mortifera, grata, & horrida.

Est in Ægypti plagis, quas sacer Scriptor enarrat, aliquid dignum, quòd studiosè apud animum pertractes. Bis ethnicorum Ægyptiorum brutas animantes internecione irati Dei manus rigida deleuit. Ac primùm quidem peste omnia eorum pecora extinxit, posthæc verò grandine, & igne interemit: *Pluit enim Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando, & ignis mixta ferebantur, & percussit grando in omni terra Ægypti, quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum*; Exod. 9. 23. 24. 25. Postquàm primam illam stragem intulit Dominus brutis Ægypti, *misit Pharao ad videndum*; ibid. v. 7. misit attonitus seueritate supplicij quosdam ex intimis suis, qui plagam arbitrarentur, & renuntiarent. Cùm ira Dei in brutas pecudes posthæc iterùm desæuijsset, tametsi grando, quâ ad hanc cædem tunc vtebatur, *tanta fuit magnitudinis, quanta ante nunquàm apparuit in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est*; ibid. v. 24. neminem tamen ablegauit rex, qui damnum lustraret, verbisque referret. Cur postremò tam remissus, & incurius Pharao fuit, qui ante tam solicitus, & attentus, vt destinaret ex aulicis suis, qui vastitatem spectatum irent, deque ea illum certiorem redderent? *Misit ad videndum.*

Occurrit huic dubitationi Paulus Burgensis, dicens, si quis cætera textus, qui cladem narrat, legat, eum facilè reperturum, quæ priùs missæ, quæ posterius intermissæ legationis causa fuerit. Quando Ægyptiorum pecora primò de medio sustulit, erant in medio compascuo bruta Hebræorum, de quo sacer Scriptor ibid. v. 6. ista: *Mortua sunt animalia Ægyptiorum, de animalibus verò Israël nihil omninò perijt*, neque hæc quidquam pestis contagio offendit, quæ illorum greges totos sustulerat. Verùm in secunda plaga reseruauit Dominus terram Gessen, vbi soli pascebantur Israëlitarum greges. Sic enim habes ibid. v. 26. *Tantùm in terra Gessen, vbi erant filij Israël, grando non cecidit.* Hic ergo, vbi non promiscuè

miſcuè cum Ægyptiorum pecoribus, ſed in abſito loco ſeorſim morabantur animalia Hebræorum, adeòque communem cædem effugiebant, non emiſit rex vaſtitatis ſuæ exploratores, & nuntios, *quia mirabilius erat, quòd ex animalibus Ægyptiorum, & Hebræorum, quæ in eiſdem campis paſcebantur, morerentur illa, quæ erant Ægyptiorum, non autem quæ erant Hebræorum, quàm quòd terra Geſſen eſſet immunis ab aliqua plaga*, inquit Burgenſis. Magno beneficio à grandine ſeruata Geſſenorum terra fuit, ſed illud nihil mirum, quòd ſalua manſerunt eorum pecora, quorum regio plagæ inacceſſa erat: At quòd in eiſdem paſcuis hæ peſte mortem incurrerent pecudes, illæ linguarum ſuarum falcibus herbas, & gramina lætæ, atque incolumes demeterent, id permirum erat. Et ſtupendum reuerà miraculum fuit, quòd inter graſſantem luem in communibus paſcuis brutorum alia luderent ſaltibus, alia peſtis contagione extincta occumberent, hic exultaret Hebræi cuiuſdam agnellus, illic Ægypti exanimis occideret capreolus, *Mirabilius erat* hoc, quàm quòd totus alibi extrà grandinis iactum, ſoluſque poſitus armentorum, & cæteri pecoris grex ſeruatus fuit. Quando autem regi nuntium attulerunt ſuorum pecorum inter cætera ſalua interemptorum, ità conturbatus, & velut conſternatus fuit, vt incredibile exiſtimaret, quouſque à ſuis de viſu certior factus prodigioſam plagam cum ſtupore celebrauit. Et meritò tanta barbari regis animum occupauit admiratio, nam ſi diuerſa fuiſſent occiſorum pecorum paſcua, differentia prata, alia, atque alia gramina, quibus veſcebantur, nihil nouum fuiſſet, quòd his ſaluis, & incolumibus illa mortua fuiſſent: Verùm quòd ex his, quæ communia habebant paſcua, & per eoſdem agros promiſcuè vagabantur, eiſdemq; cibis vtebantur, illa vitam deuorârint, hæc mortem comederint, id tale eſt, vt cuiuis vel nonnihil prudenti adferre admirationem, & ſtuporem queat.

Iam ſi hoc tam mirum viſum Pharaoni, ſi tam ingentem, & vehementem perturbationem aulicorum, cæterorumque ſubditorum illius animis attulit tam rari ſupplicij aſpectus, quantam in cordibus Chriſti fidelium excitabit commotionem, qui tales quotidie, continuòque fieri plagas vident? Quòd ſemel in Ægypto factum, id apud fideles innumeris vicibus accidit, nimirùm vt eorum, qui communi vtuntur victus, & menſæ eidem accumbunt, & eodem veſcuntur cibo, quidam quidem alacriores, vegetiores, ſanctioreſq; ſurgant, alij verò mortem oppetant, & ſeipſos eâ re iugulent, & obtruncent; quâ alij confirmantur, & roborantur, quanquàm *in eiſdem agris paſcantur*, eademq; annonâ ad ſui alimoniam vtantur: Nam ſi diuerſa eſſent fercula, ciborumque, quos ſumunt, differentes qualitates, minùs nouum foret, quòd alijs ſalutem adferrent, exitium alijs adducerent; illud verò quemque meritò mouet, ſtupidumque reddit, quòd idem panis, & cibus ſub idem tempus alijs gratiæ vitam adfert, alijs mortem, & interitum. *Vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus*, clamat Doctor Angelicus.

Loquebatur Dominus Moyſi, ſuadebatque, vt vindicandi populi ſui officium alacriter, animoſèq; ſuſciperet, eius, quem ſæuus tyrannus, & barbarus rex vinculis onuſtum, intolerabilique ſeruitute oppreſſum tenebat. Vt verò certum haberet, ſupremum Monarcham Deum eſſe illum, à quo legatus deſtinabatur, omnipotentiam ſuam experimento ibidem dare probatam voluit Dominus, præcepitq; Moyſi, vt virgam, quam manu tenebat, ſolo affligeret. Obtemperauit ille, *proiecitq;* virgam, *& verſa eſt in colubrum, ità vt fugeret Moyſes*, Exod. 4. 3. validus, magnanimuſq; alioquin paſtor, tam immanis, trux, ac formidabilis erat ſerpens, in quem baculus transformatus fuit.

At quid populi Hebræi ductor timuit? inquit S. Cyrillus Hieroſolymitanus. Quomodo coluber vnus conjicere in fugam potuit hominem, in opacis ſyluis, in montium iugis, inculta, horridaq; in eremo animalia terrifica varia, plurimaq; videre aſſuetum, quæ ſuâ feritate, truculentiâ, venenato halitu metum, ac horrorem illi incutere ſæpè potuerunt? Vnde nunc illi tam immodicus, & ignauus timor, tamque vehemens trepidatio, vt ille, quamuis ampliſſimus ſolitudinis locus, nimis anguſtus ei videretur, atque in pedes ſeſe daret, cùm ſquameum anguem in ſpiras ſeſe tractu colligentem, & triſulcâ minantem linguâ videret? Vnde illi tam inuſitatus pauor? Quare tam formidoloſus, vt fugâ dilabi inciperet, qui Deum coram præſentem habebat, à quo tam facilè defendi, ac ſoſpitari poterat?

Satisfacit quæſtioni ſanctiſſimus Patriarcha catech. 12. inquiens: *Fugiebat, non metuens id, quod tenuit, ſed timens mutatum.* Non illum coluber exterrebat, non metum ei vel draconis, vel alterius cuiuſuis etiam formidabilioris anguis ſpecies adferebat, non hoc, non tale quidpiam illum expauefaciebat, qui aſpernari ſæuitiam leonis, ſerpentum nihil curare feritatem, immanitatemque beſtiarum aliarum ridere ſolitus erat, id verò illum tantùm non

prorſùs

prorsùs exanimabat, quòd baculus, quo niti, & lassos artus sustentare, & propulsare nocitura consueuerat, in horridum, venenatum, mortiferumque animal conuersus esset: *Fugiebat non metuens id, quod tenuit, sed timens mutatum.* Non mouisset Moysen, si vel latebroso è spelæo inopinatus draco erupisset, vel ex profundo antro immanis furtiuè leo exilijsset, vel ferox vrsus, vel cruentus lupus, vel sæua tigris insperatò illum appetijsset: Verùm quòd ex baculo nata ruina, ex fulcro strages orta, theriaca in venenum versa, vita in mortem mutata esset, hoc illum ignauè timidum, hoc immodicè meticulosum, hoc attonito similem fecit. Tale quid in hoc diuinissimo sacramento, inque diuite hac, & dapsili mensa licet videre, quod incredibilem adferre possit admirationem, fit enim, atque vtinam non indies, ac tam sæpè, vt panis vitæ vertatur in pabulum mortis, antidotum in aconitum, medicamentum in nocumentum, baculus in gladium mutetur, sitq; causa ruinæ, quòd fulcire, & constabilire alioquin soleat. Et cùm talis mensæ cibus sit vnus, operationes plurimùm contrarias habet. Hæc verò est suprema infelicitas, & incomparabilis miseria. Hic dolorum Hercules suas figere columnas, ac dicere potest, calamitatem hac maiorem inuestigari, aut inueniri aliam nullam posse.

Tempore Elisei magnâ fame affligabatur terra, in qua ille habitabat. Præcepit ergo cuidam suorum, vt grandem appararet ollam, & coqueret pulmentum filijs Prophetarum, quos habebat socios familiares, & alumnos. Obsecutus ille abijt in agrum, vt colligeret herbas, quæ adornando pulmento essent commodæ, incidit autem in syluestrem quasi vitem, decerpensque ex ea colocyntidas agri impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti, nesciens quid ferret, quidue interceret. Propinatum ex cocto iam pulmento socijs, qui cùm amaritudinem eius (quæ in illis colocyntidis maxima est,) degustassent, magnis vocibus, & his verbis patrem suum Eliseum inclamare cœperunt: *Mors in olla, Vir Dei*; 4. Reg. 4. 40. tãquàm dixissent. Quid hoc sibi vult, homo Dei, quòd mortem in cacabo, toxicumque inuenimus, in quo nos vitæ alimoniam reperturos sperabamus?

Ioannes Cluniacensis serm. 43. Tom. 4. inquit: *Admirantes dixerunt, mors in olla, non in gladio.* Inde ergo illorum nata est admiratio, quòd mortem in olla reperissent, vnde nutrimentum vitæ expeti solet. Si strictis gladijs vitam sibi eripi vidissent, non hoc tantoperè mirati fuissent, vitæ namq; interitus, neque aliud quid à gladio expectari potest, hoc scilicet gladij munus est, partiri integra, dissecare, ac diuidere coniuncta, & vnitorum nexus soluere. Verùm quòd in olla, in alimento sit mors inclusa, abrùm quòd in olla, in alimento sit mors inclusa, absconsum venenum, occultatum toxicum, hoc magnam mouet admirationem, & stuporem adducit. Simile quidpiam est in hoc diuino Pane, quòd admiratione obstupefacere possit, illud nimirùm, quòd cœlestis ille cibus alijs quidem vita est, mors verò alijs, qui si gladius esset, necemq; eis afferret, minùs hoc deplorare possent, verùm quòd illis theriaca pro veneno est, lapsusque, & damnationis occasio, per quod alij in gratiæ sublimiorem gradum perueniunt, hæc infelicitatum suprema, & maxima.

Ærumnosissima certè calamitas, & deplorandissima miseria est, ex eo mortem sibi consciscere, quod pro vitæ spiritualis alimonia, & futuræ gloriæ pignore institutum, relictumque fuit. Ingrediebatur sacerdos Zacharias templum Domini, vt pro consuetudine, & ritu sacerdotij incensum poneret, & preces funderet. Apparuit autem illi hâc occasione S. Gabriel Archangelus, & ex Deo nuntiauit, auditam fuisse ipsius orationem, vetulamque, & sterilem vxorem eius edituram filium, *& Vocabis*, inquiens, *nomen eius Ioannem, & multi in natiuitate eius gaudebunt*; Lucæ 1. 13. 14. cuius vita portentum, pœnitentia miraculum, prædicatio erit prodigium. Cùm talia, & his plura audisset Zacharias, multas cœlesti nuntio obiecit difficultates, in quibus hæ erant, quòd & ipse senex, & vxor grandæua esset, adeòque sibi impossibilè videretur, quod ille ex Deo pollicitus fuerat. Tunc Angelus: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, pro eo, quòd non credidisti Verbis meis*; ibidem v. 19. 20.

Exclamat hic S. Petrus Chrysologus serm. 88. Quis simile huius, quod Zachariæ accidit, aut vidit aliquando, vel audiuit? *Zacharias ipse in ipso tempore placationis offendit, qui dum credit, dubitat, dum postulata promeretur, incurrit, condemnatur munera ipsa cùm suscipit, qui Vocem, cùm Vocem percipit, tunc amittit.* Quis rem aliam tam admirabilem, quis tam stupendum prodigium vnquàm vel auribus percepit, vel oculis arbitratus fuit! Zacharias pontifex in templo, vbi mitigare Deum debuit, irritauit, hocque eo tempore, quo lenire illum voluit, & fidem, cùm dedit, negauit, cùmque gratiam, quam diu suspirârat, assecutus fuit, impegit, & deliquit, *& Vocem, cùm Vocem percepit, tunc amisit.*

Diuinus Præcurſor filius Zachariæ eſt vox illa, de qua longè ãtè Propheta euangelicus dixerat: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*; Iſa. 40. 3. Quòd ibi ad literæ ſenſum de cœleſti venturi Meſſiæ præcone locutus fuerit Iſaias, id omnes Euangeliſtæ affirmant. Et Ioannes ipſe hoc confeſſus eſt, quando interrogatus à Iudæorum legatis, quiſnam eſſet, reſpondit: *Ego vox clamantis in deſerto*; Ioan. 1. v. 23. Quando hæc tam ſonora, & ſtentorea vox nata eſt Zachariæ, tunc ille obmutuit, tunc audiuit: *Eris tacens, & non poteris loqui*. Videte hîc (ait ſanctus Rauennatum archiantiſtes) ſupremam Zachariæ infelicitatem, *qui vocem, cùm vocem percipit, tunc amittit*, perdit cùm inuenit, cùm expiat, irritat. Quid progredi longiùs miſeria potuit?

Hoc ipſum multis ſæpè contigit Chriſtianis: *In ipſo tempore placationis offendunt, condemnantur, munera ipſa cùm recipiunt*; theriacâ tanquàm toxico ſe dant morti, pane obtruncant, ſcuto ſauciant, ex voce obmuteſcunt, ab igne congelant, luce cæcantur, ex medicina infirmitatem contrahunt, albedine obſcurantur, vitâ moriuntur, pulchritudine fœdantur, & ex gratia ſibi damnationem conflant. Eſtné infelicitas, quæ certare cum iſta de magnitudine poſſit? Eſtné miſeria, & dolor, qui hoc nomen mereatur, ſi cum illo comparetur? Nonné hæc calamitas calamitates omnes complectitur? Nonné hac in re infelicitatis omnis ſumma conſiſtit?

## CAPVT V.

*Damna, & incommoda huius auguſtiſſimi Sacramenti non ſuam à cibo cœleſti originem ducunt, ſed à malo ſtatu, & peruerſa diſpoſitione temerarij, & cæci peccatoris, qui eum percipit, naſcuntur.*

O Te miſerum peccatorem, quot miracula euertis! quot prodigia diſſipas! quàm diuites theſauros malè, ac turpiter prodigis! quantas opum copias infructuosè perdis! ô cæcum, & perditum, cui pro ſuæ malæ diſpoſitionis merito vita mortem adfert, antidotum pro lethali veneno eſt, & gloriæ pignus damnationem parit! Hæc te ſic fides docet, hoc tibi prædicat Apoſtolus, hoc ſacri Doctores monent. Res ipſa loquebatur, quòd tu ipſe tuæ perditionis parens tibi, interituſque ſator, & ſartor futurus eras: Quid enim vitij in illo pollucibiliſſimo & mellitiſſimo pane, quid toxici in tam cœleſti cibo, quid lethiferum eſſe in carne poſſit, quæ vita eſt ipſiſſima? Paulus te inclamat, vt diligenter aduertas, qualis ſacroſanctam illam, ac tremendam menſam adeas, in qua tibi apponitur, & exhibetur diuiniſſimum, & auguſtiſſimum tui Redemptoris corpus, dulciſſima ambroſia ſacratiſſimi, & pretioſiſſimi ſaguinis illius, ſuauiſſimi animarum nectaris, vbi vna in paropſide, vnoq; in vaſe tibi offertur totum, quidquid immenſa Dei munificentia, & largitas infinita dare mortalibus poteſt. Pauli vox iſta eſt ex 1. Corinth. 11. 27. 28. 29. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quiſquis tam proiectus eſt, vt cum veſte ſordida, anima flagitijs contaminata ſacram cœnam adeat, & menſæ Dominicæ accumbat, is iudicium, damnationem, mortis æternæ reatum ſibi eodem ore, & opere ſumit, quo diuiniſſimum illum cibum, & potum accipit. Pragmaticæ namque ſanctiones, & leges Dei inuiolabiles hoc volunt, vt qui optatum ex hoc ſacro cibo fructum ſperat, in gratia, & amicitia eiuſdem Domini illum edendum ſuſcipiat, atque ad eam rem ijs modis, quos Eccleſia præſcribit, & Doctores dictant, ſe præparet. Quare qui in malo ſtatu communicat, qui peccato mortali obnoxius hanc menſam adit, ille ſuæ internecionis cauſa eſt, ille ſibijpſi mortem conſciſcit, ille ex pane ſibi gladium cudit, ille antidotum in aconitum, & gloriam in damnationem vertit, *non dantis vitio, ſed accipientis nequitiâ*, vt inquit Chryſologus ſer. 55. Summum bonum eſt, quod in hoc conuiuio edendum proponitur, nihil ex illo mali redundare poteſt, ab homine, qui imparatus, & non ritè, decenterque cultus illi ſeſe ingerit, damnum omne proficiſcitur.

Cùm rex Dauid ſecum reputaret, & confectam ſenectute ætatem diuitijs æquè, ac humani Berzellai, & officia, quæ ab eo illi fuerant exhibita, conuictus in aula regia gratiam ipſi offerebat, inquiens: *Veni mecum, vt requieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem*; 2. Reg. 19. 33. Non admiſit ille delatum officium, ſed his verbis comiter refutauit: *Non indigeo hac viciſſitudine, ſed obſecro, vt reuertar ſeruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & ſepeliar iuxta ſepulchrum patris mei*; ibid. v. 37.

S. Petrus Damianus ex interpretatione nominis *Berzellai* eruit quandam doctrinam moribus formandis aptam, & præſenti inſtituto opportunam: *Berzellai*, inquit ille lib. 2. epiſt. 13. *ferrum meum interpretari dicitur. Quid eſt durius ferro?* quid

pertina-

pertinacius validi mallei ictibus obsistit, ac ferrum? Quàm præclara figura, & effigies eius, quod Deo cum homine in isto cœlesti conuiuio, & suauissimo cibo accidit! Nam quòd homo durus, contumax, veneno infectus abit, qui à pientissimo patre ad sumendam theriacam, ad confirmandam salutem, ad hauriendum potum vitæ, ad recipienda varia gratiæ beneficia inuitatus fuit, id nemo nisi inuitatus ipse, & conuiua facit, qui non se pro debito, atque vt decet, præparat, vt tantorum beneficiorum lucrum faciat, & augustissimi illius Sacramenti proprios fructus referat. *Congruè* ferrum meum *de se quilibet homo durus, & obstinatus dicit,* inquit eminentissimus Cardinalis. Congruè omninò ac meritò, quidquid enim mali recipit, quidquid incommodi patitur, quidquid veneni bibit, quidquid iudicij, & damnationis manducat, quidquid iræ thesaurizat in hoc lauto, & splendido conuiuio, hoc ipsius culpâ, & errore accidit, atque inde totum proficiscitur, quòd ad illas sacras dapes temerarius, incultus, imparatus irruit.

Cùm in horum consideratione versaretur Sanctus Gregorius Nazianzenus, & periculum pertimesceret, cui se exponunt, qui diuinam illam synaxin recipiunt, lachrymabundus aiebat Orat. 21. *Cùm ipsi principatum tenere videamur, & in eorum, qui ad Deum appropinquant, numero simus, vereor ne malè appropinquemus, & tanquàm stipula ad ignem.* Cùm nos in puppi Ecclesiæ sedentes clauum illius moderemur, & quotdies ad mensam magni Regis confideamus, inque cordium nostrorum hospitia illum admittamus, timeo, idque plurimùm, ac vehementer, ne ea sit nostra præcipitantia, temeritas, & cæcitas, vt hoc nobis cum Deo accidat, quod aridæ aristæ cum igne, quod incautæ papilioni cum flamma, quod proteruo, rudi, insciolo puero cum acuto cultro. Nisi enim nouerimus nos rectè disponere, similia, atque ijs tum plura, tum maiora incommoda expectare ab illo cibo possumus, qui in seipso spiritus est, & vita, & gratia. Quòd si nonnunquàm ignis est, qui adurat, aut gladius, qui feriat, aut venenum, quod inficiat, & interficiat, aut laqueus, qui iugulet, id fit, quòd peccator ipse sibi quærat, paret, adornet eiusmodi damna, incommoda, exitia, suis manibus sanguinem suum fundat, & seipsum obtruncet.

Circerus, aut corbita, aut alia maximarum vastissima nauis, tanquàm natatilis quidam scopulus, per oceani spumeos fluctus, quocunque eam ambigui venti inconstans libido raptat, fertur. Videt illam procul inde è carchesij sui specula velòx catascopus, obtusique vultus imbecillitate delusus, albam, paruulamq; columbam conspicere putat, quæ passis alis aërem verberans paulatim aduolitet. Inclytus martyr Sanctus Eustathius ait: Quòd ille moueri conspicit, monti ambulatorio, quàm naui similius, nonné tam est amplum, latumque, vt innumeros carinâ suâ excipere hospites queat? Nonné velut silua, quædam est abietum, quercuum, pinorum? Nonné altum quoddam, diffusumq; promontorium est, quod ventorum impulsu, & carbasorum adminiculo superat maris fluctus, tumentesque eius procellas calcat? Prorsùm ità res habet. Quamobrem ergò, quod mons est, formica videtur? Cur arista putatur, quod silua est, aut columba existimatur, quod est balæna?

Respondet Sanctus Eustathius comment. in Hexam. *Nostra visio, cùm ipsa parua sit, parua etiam & ea, quæ cernuntur, vt opinemur esse, efficit, proprium morbum rebus visis communicans.* Ex oculorum nostrorum obtutu hebete, atque imbecillo fit, vt quæ grandia sunt, & ampla, videantur angusta, & pusilla, nam vt visus nostri facultas parua est, & debilis, ità suam infirmitatem, & exiguitatem in res visas quodammodò transfundit, suæ mensuræ eas quadantenùs conformans. Itaque non iam in re, quæ cernitur, sed in modicella pupilla, quæ videt, defectus omnis est positus.

Quàm benè dictum illud ab Eustathio: *Vt parua esse opinemur, parua visio efficit, proprium morbum rebus visis communicans!* Debilis nostra videndi facultas tenuitatem, & infirmitatem suam rebus, quas cernit, allinit, & ex magnis paruas, ex sublimibus humiles, ex elephantibus formicas facit. Tantundem in rem præsentem dicere possumus. Diuinum hoc Sacramentum est vita, est medicina, est theriaca, denique omne bonum, quodcunque anima expetissere, & optare potest, nec enim est aliud, quod prætereà desiderari etiam ab auidissimo queat: Verùm si mors est, si toxicum, si gladius, si damnatio, cui hoc adscribemus, nisi malæ dispositioni, & infelicitati eius, qui supersubstantialem illum cibum temerè, atque indignè manducat? Ille est, qui suo vitio vitam in mortem, panem in gladium vertit, *efficitque,* non vt parua, sed vt noxia sint, quæ ex se salubria, *proprium morbum rebus communicans.* Miser ergò communicans ipse sibi perniciei suæ causa est, damni sui, & exitij ipse author.

Nam vt Plinius lib. 26. c. 8 (cuius suprà lib. 6. c. 4. plura attulimus) ait: *Eò mores venêre, vt homo maximè*

*maximè cibo pereat*. Quòd cibi mactent, quòd escæ interimant, quòd conuiuia velut ancipites gladij sint, qui ferculis, & poculis obruant, & iugulent, hoc vitæ solutioris effusa licentia, hoc flagitiorum immodicus vsus, hoc peccandi nimia libertas, hoc morum, & malæ consuetudinis corruptela facit. Magnus ergò Philosophus non culpitat cibos, neque in escam refert incommoda, quæ inde consequuntur, sed in prauos mores tanquàm præcipuam omnis mali, & detrimenti ex illo epulo venientis causam. *Eò mores venère, vt homo maximè cibo pereat*. Si homo cibis quotidianis moderatè, frugaliterque, vt debet, vti, & iustam ad victum adhibere temperantiam velit, tam procul aberit, vt hic illi mortem adferat, vt vitam potiùs in annos longiores producat. Hoc idem in re præsenti affirmare possumus. Quòd cœlestis hic cibus vt vita est, sic & mors sit, vt panis, ità & gladius, toxicum æquè, ac theriaca, hoc fides clamat, Paulus dicit, Thomas adstruit: At quòd vitalis panis fit lethalis, quòd salutaris cibus mutatur in dirum, fatalemque gladium, quòd medicamentum in exitium vertitur, cuius culpa hoc fieri dicemus? *Mors est malis*. Malum omne, quodcunq; ex optimo illo, & diuino cibo nascitur, alteri imputare nec possumus, nec debemus, quàm contaminatis moribus, sceleratæ vitæ, exulceratæ conscientiæ, venenato pectori, animæ demùm impuræ illius, qui sacrosanctæ illi mensæ sordidus conuiua temerario sese ausu ingerit, & panem de cœlo manducare indignus præsumit: *Eò mores venère, vt homo maximè cibo pereat*. Quando enim ad hoc epulum decenter se præparat, & animam puram, cor mundum, conscientiam intaminatam adfert, totasque interiores ædes, quibus supremus monarcha hospes excipiendus, ab omni mortali squalore expurgat, quis dicendo explicare, quis recensere numerando possit gratias, dona, beneficia, quæ ex illa mensa talis conuiua referet? quis verbis eloqui voluptatem interiorem, & cœlestes consolationes, quibus anima illius ex lautissimo isto, & suauissimo cibo perfundetur?

Huc faciet nomen, quo Sanctus Petrus Apostolus augustissimum hoc, & diuinissimum Sacramentum donauit, cùm ait: *Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem*; 1. Pet. 2. 2. velut pluribus dixisset: Tanquàm charis filijs, & dilectis fidelibus vobis consulo, vt velut recens editi infantes, hoc est, puro, integro, syncero animo homines appetatis, & accipiatis lac illud, intellectualem istum liquorem, in quo fraus nulla vnquàm fuit, nec erit aliquando.

Quòd hæc verba de Sanctissimo altaris Sacramento intelligi queant, affirmant Lorinus, Cornelius, Salmeron, Torres, qui lib. 8. Constitut. Apost. cap. 13. sic habet: *Beatus Petrus de Sanctissima Eucharistia accepit* lac, quod vt primitiui Christiani acciperent, suasit. Eadem sententia hodie apud plerosque obtinuit, qui pietatis, atque eruditionis laude florent, & magno Reip. catholicæ bono, ingentique christianæ educationis, & rectæ institutionis commodo perdoctos non minùs diligenter elaborârunt, quàm elucubrârunt, & procuderunt Sermones, quorum pars magna Vega, Valderrama, Morillus, Perezius, Manriquez, Poncius, Andrada, Villarroel, Auendanno, Peraza, Ribera, & alij, quorum commentationes vt cum veneratione lego, ità ingenuè, & cum plausu probo, admiror, commendo.

Sed in vsum rei nostræ inuenio mysterium in illo lactis nomine commodum Sanctissimo huic Sacramento, quod ex Galeni quodam annotamento exsculpsi. Obseruauit ille artis medicæ facilè princeps peculiare aliquid in lacte, quod his verbis exposuit lib. 6. de simplic. medic. facult. *Lac, etsi gustu sit dulce, ex se nunquàm amarum efficitur*. Cùm reliqua dulcia periculo acoris semper sint vicina propter corruptionem, quam facilè patiuntur, lac solum id habet gratiæ naturalis, & priuilegij specialis, vt non acescat, vel amarescat, nisi acredinem illi, alienumue saporem hostis extraneus, coagulum, dico, aut aliud tale quidpiam, inferat: *Ex se nunquàm amarum efficitur*. Rara certè, & mira lactis proprietas!

Secundùm hæc quod sanctus Apostolus Petrus de hoc diuinissimo Sacramento ait, esse *rationabile sine dolo lac*, tale est, acsi monuisset, vt quisq; diligenter attendat, quomodo adeat vbera sanctæ matris Ecclesiæ, quæ suam illi in altari præbet alimoniam, cogiteque, quòd si fortè lac acescat, aut amarescat, & in toxicum vertatur, id non sacrosancti illius cibi vitio fieri, lac nimirùm *ex se nunquàm amarum efficitur*, sed culpâ sumentis, & vitio vasis, in quo excipitur: Nam vt Horatius in epist. cecinit:

*Syncerum est nisi vas, quodcunq; infundis acescit.*

Vita ergò in mortem vertitur ei, qui vitalem cibum peccato mortali obnoxius manducat, & lac quod dulce maneret, si sibi relinqueretur, ex affecto vase acescit, & malè cedit bonum, quod in statu malo non benè quis accipit.

Quem non chamæleon amplâ illâ, & ampullosâ appellatione sua exterreat? Quis chamæleontis de visu sibi alioquin ignoti nomen audiens, non ingens sibi, & validum, & toruum, & iubatum, & concitum,

& longè,

& longâ, torosâque ceruice apud animum animal fingat? Talem mihi illum imaginabar, priusquàm oculis arbitratus fueram, postquàm verò rem habere perspectam cœpi, comperi quòd bestia esset *quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera*, qualis Pacuuio est testudo ex Cic. lib. 2. de diuinat. Persuaseram ego mihi tantæ amplitudini nominis respondere præclaras,& magnificas operationes. Putabam chamæleontem vt noto leoni multitudine syllabarum antecellit, itâ & virium robore illum superare. At contrarium experientia me docuit, cùm enim illum vsurpare oculis licuit, vidi tardum, fœdum, squalidum, horridum, timidum, ignauum, tamque languidum, ac desidem, vt magis denotare gradum, quàm promouere, & tota montium pondera ferre videatur, & volucrem, præpetemque testudinem dicere possis, quàm est accipiter, si cum illo componas. Vnde verò chamæleonti tam tardi pedes, tam grauis & impeditus gressus? An ex victu, quo alitur? Fortéan ferro, arenâ, saxis, plumbo vescitur, vt hinc fiat, quòd tam cunctanter progrediatur? Diuturno enim vsu,& longo experimento didicimus, qualia sunt nutrimenta animalium, talia ferè esse ipsa,quæ inde viuunt. Galenus namque lib. de alimon. apud Franciscum Valeriol. lib. 2. cap. 6. locorum commun. ait: *Alimentum auget, corroborat, incarnat, & assimilat.* Hanc doctrinam ex sententia Platonis approbant, & tradunt Aristoteles, Theophrastus, Ioannes Bruyerinus Campegius,qui tale quid etiam in plantis,& arboribus obseruauit, nimirùm proprietates terræ ferè deriuari in fructus, quos proferunt: *Sæpe videas arborem latam, ac nitentem*, inquit ille lib. 1. de re cibar. c. 20. *in locum alium transpositam deterioris terræ succo deperijsse.* Atque hæc tam sunt indubitata, vt morum humanorum conditiones magnam partem referantur in conditionem ciborum, quibus vescuntur. Hinc fit, vt Hispani ex victu, quem solum eorum fertile producit, sint versuti, & iudicio præstantes, de quo idem author vbi suprà: *Calidarum, & siccarum terrarum populi astuti, callidi, & prudentes iudicantur, quales sunt Hispani.* Confirmat hoc, quod de alimentorum proprietatibus in mores hominum redundantib. diximus, Romanæ eloquentiæ parens in Orat. pro lege Agrar. inquiens: *Ingenerantur hominibus mores ex his rebus, quæ ab ipsa natura loci, & vita consuetudine suppeditantur, quibus alimur, & viuimus.* Secundùm hæc vnde tanta pedum ignauia chamæleonti? An è terra, in qua degit? Nequaquàm. Eadem enim terra habet animalia quædam alia,nec pauca, quæ pernicitate ventos propè exæquant. An à cibo, quo viuit? Minimè omnium, vt videtur: Nam vt Tertullianus lib. de Pallio cap. 3. ait, *de vento cibus*, nec alio quàm aerio alimento viuit. At si ventus, & aër est illi victus, & tota annona, cur non earundem rerum proprietates illi adhærescunt? Quomodo tam plumbeis pedibus est, qui leuissimo aëre, & celerrimo, incitatissimoque vento pascitur? Cùm alimonia suas conditiones in eum, à quo sumitur, diffundere soleat, qui fit, quòd ventus suam velocitatem in chamæleontem non transmittat, vt cursu ceruum superet? An pastus vitio hoc accidit? an cibi defectu? Nihil minùs. Vnde ergò tam graues, & impediti pedes animali, quòd tali pabulo vescitur?

Tertullianus vbi suprà dicit: *Follicans ruminat, oscitans vescitur*, sorbetque, & mox respirat quamcunq; oscitanter excepit alimoniam. At si chamæleon tam indiligenter,& ignauiter suum cibum haurit, eumque non secùs ac follis penè simul & ingerit, & regerit, quid mirùm, quòd tam parùm ex suo pastu proficiat,& augescat? quid mirùm,quòd alimoniæ efficacitas tam parùm in illo elucescat? Et cùm non sese decenter, atque vt debet, disponat, quid mirum, quòd leuis ventus illi in grauem arenam, & inanis aura in plumbi pondera vertatur? Parùm enim facit, quòd cibus sit ventus, si à malè parato non rectè sumatur.

Possumus hoc rei propositæ, & causæ, quam tractamus, accommodare. Quid causæ est, quòd cùm hic cœlestis, & diuinus cibus sit ignis, qui corda inflammet, manna, in quo tam variæ delitiæ reconditæ, paradisus, in quo recreentur animæ, dulcissimus fons, qui spiritualium consolationum blandam aquam diuite venâ fundat, validus baculus, qui sustentet, ærarium, quod contineat bonorum, quæcunq; excogitari, & optari possunt, infinitam copiam; multos tamen, qui eum accipiunt, nec sustentet, nec recreet, nec confortet, nec consoletur, nec locupletet, nec emendet? Causa est similis illi, ob quam apud Tertullianum chamæleontes ex suo pastu parùm crescunt, & proficiunt, quià *oscitantes vescuntur*, adeunt sacram cœnam, accumbunt mensæ dominicæ, comeduntque tepidi, remissi, frigidi, negligentes, neque ritè se, atque vt decet, comparant ad supersubstantiales epulas, & nobilissimas dapes percipiendas. Quid ergò illis emolumenti adferre panis ille potest, quomodo optatos effectus in illis operari, qui à profana conuersatione, à risu, & iocis, ab obambulationibus otiosis, à vanis colloquijs,

quijs, & luſibus, à nugis, & diſſolutione ſacræ Synaxi ſeſe ingerunt, nullâ inter communionem interpoſitâ die, quâ effuſum animum reuocent, diſſipatum recolligant, torpenrem excirent, gelidum inflāment, ſed ad ſacram menſam non ſecùs atq; ad profanam (ſub qua hilariuſculè iocari, ridiculiſque, & facetis dictis oblectare mutuò licet) diſtracti, inattēti, & remiſſi, ac negligētes adeunt; & ſupremum Dominū, Creatoremq; ſic ſuſcipiūt, ac ſi nihil diſcriminis cōſtituerēt inter corpus Filij Dei, quòd ex ſacroſancto altari ſumunt, & cibum, quem domi ſuæ manducāt? Qui tam profanè communicat, quomodo ſperare poteſt fructum ex cibo, cùm ad tam inſignitum beneficium recipiendum tam malè paratus accedat?

Quod ad diuinum hunc cibum attinet, ille ſumenti ineffabiles gratias confert, ſi aliundè nihil obſtet. Eapropter dicebat Apoſtolus: *Probet autem ſeipſum homo*, 1. Corinth. 11. 28. antequàm ſacratiſſimum corpus Domini, quod in altaris menſa proponitur, ſumat. Vbi Apoſtolus, ex notatione bonorum Interpretum, ſingulari cum myſterio, plurimùm contrà, atque inter comedentem, & cibum euenire ſolet, loquitur. Cibi, quibus per diem communiter veſcimur, priuſquàm menſæ inferantur, & ſumantur, prægustari & probari ſolent, num eam habeant condituram, & ſaporis gratiam, quam eiuſmodi fercula requirunt. Verùm quod in altari comeditur, id non probatur, inquit Paulus; ſed ille econtrà, qui comedit, & conuiuæ conditiones examinantur: *Probet ſeipſum homo*, non conuiuium, & cibum, in quo nihil deſiderare poſſis, quod ad optimam, ſaluberrimam, præſtantiſſimam eſcam pertineat, quæ cùm ſit caro, & ſanguis Dei, palàm eſt omnem ſecum adferre ſaporis ſuauitatem, quamcunque auidiſſimus expetiſſere queat.

Si non eſt ità, recurramus animo ad nomen, quo ſeipſum donauit Dominus eâ nocte, quâ edendum, bibendumque reliquit. *Ego ſum Vitis, & Pater meus agricola eſt, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat*, aiebat Ioan. 15. 1. 2.

Notârunt hîc, quod & alibi à nobis commemoratum, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, quàm attentè, penſiculatè, ac ſapienter locutus fuerit Dominus, qui cùm æternum Patrem ſuum agricolam, ſe vitem, nos palmites vocaſſet, illius ſtudium, & occupationes non circà vitem, ſed circà palmites verſari dixit. *Pater meus agricola eſt, curator tamen non radicis, ſed palmitum*, inquit Euthymius. Et ſanctus Chryſoſtomus: *Pater meus agricola eſt. Quid? Auxilio indiget Filius? Abſit. Non radici, ſed palmitibus agricola curam conferre dicit.* Radix, ac vitis induſtriam non requirit agricolæ, palmites verò manum eius implorant; quæ vel inutiles reſecet, abijciatque, vel bonos putando reddat feraciores: Radix nimirùm integerrima eſt, vitis ſana, & fertilis, neq; cultore opus habet. Cùm ergo Dominus huius Sacramenti ſpeciebus tectus ipſa vitis, ac radix ſit, vnde ſacer corporis cibus, & diuinus ſanguinis liquor manat; ſuam ſecum adfert commendationem, & neque putatione opus habet, nec purgatione, neque curatione aliquâ, cùm ſit ipſa puritas, & candor lucis æternæ, & ſplendida, viuaque imago immenſæ bonitatis Patris. Palmites itaque, & rami reſecandi, purgandi ſunt; & homo magno ſtudio ſe probare, introque, & circumſpicere debet: *Probet autem ſeipſum homo*; per quem fit, vt ſacroſanctum illud conuiuium non reſpondeat fini, ad quem eſt inſtitutum. Vt in conuiuio ipſo quis reperiatur defectus, fieri non poteſt. Curet tantùm conuiua, vt debitè, decenterque accedat, ità pientiſſimi Domini noſtri deſiderijs ſatisfiet, qui liberaliſſimè ſui copiam facit, cibumque ſe, ac potum animabus alendis proponit.

Iuxtà hæc quiſquis vult frui fauoribus, & delitijs, quæ ex hoc ſacramento referri ſolent, quiſquis opimos tam cœleſtis arboris fructus decerpere, quiſquis vitam in vita reperire, & ex cibo vtilitatem, profectum, robur virium capere, diſponat ſe feruenter, præparet impigrè, examinet diligenter, excolat ſtudioſè, mundet ſolicitè, adornet aulam quâ excipiendus tantus Dominus, quanto maximo poteſt heroicarum virtutum ceu pretioſiſſimorum periſtromatum apparatu. Ante omnia verò domum, quam immenſus ille hoſpes initurus eſt, riget puriſſimâ lachrymarum à penitiſſimo, & pœnitente corde natarum aquâ, cuius vnius odore gratiſſimo plurimùm paſcitur amantiſſimus Deus. Euerrat totas curioſè ædes, anguloſque illarum omnes ſcopis diligentis examinis, & humilis confeſſionis expurget (bonum etiam fuerit, domi corpus ſuum affligere, voluntariaſque à ſe exigere pœnas, antequàm cum tam potente Principe comeſturus accumbat) & ſplendidiſſimè, vt ſolennioribus, & maximè feſtiuis diebus fieri ſolet, veſtiat, & vnum inprimis charitatis amictum conferat, quod ornamentorum omnium facilè præſtantiſſimum eſt. Quò enim magnifici apparatus, omniſque vitæ cultus diues, atque elegans, quò aulæa, monilia, auro rigentes veſtes, & gemmæ virtutum, morumque ſanctorum, niſi ad præparandum Deo hoſpitium vertantur? Qui ad eum modum, ta-

lique studio, & curâ sese præparârit, illi augustissimum hoc sacramentum erit thesaurus, qui diuitem faciat, baculus, qui sustentet, panis, qui roboret, antidotum, quod ab omni morbo præseruet, clypeus, qui protegat, lux, quæ ducat, ignis, qui inflammet, paradisus, qui recreet, fons, qui refrigeret, medicina, quæ sanet, amicus, qui assistat, dominus, qui honoret, pater, qui defendat, pignus, per quod futuræ gloriæ quietem reperiat.

## CAPVT VI.

*Panis hic diuinus, & dulcissimus, suauissima defatigatio est intellectus humani, cui perhonorificum est tam amabili martyrio cruciari.*

ALium nobis Ecclesia mater nostra effectum huius augustissimi Sacramenti detegit, affirmans quidpiam de illo, cuius alibi quoque mentio facta, & deinceps ad reliqua capita vsus erit. In oratione secreta Feriæ V. Dominicæ III. in Quadragesima dicit illa ità: *In tuorum, Domine, pretiosa morte iustorum sacrificium illud offerimus, de quo martyrium sumpsit omne principium.* Perspicuum quidem est, & captu facile, quod hîc docetur, & dicitur: Nihilominùs arbitror non pugnare cum illorum verborum sensu eum, quo ad proxima tria capitula vtar, in quibus tria exponam martyria, quibus sublime hoc Sacramentum tres animæ potentias afficit, probaboque, quòd Dominus in hoc Sacramento præsens est dulcis dolor intellectus, suauis cruciatus voluntatis, & amabilis, charaque memoriæ crux, atque afflictatio. Aio itaque, quòd dicitur omne martyrium suam ab hoc Sacramento trahere originem, id hunc etiam posse habere sensum, quòd ab hoc sacro, & supero Pane quodammodò nascitur, quidquid animæ nostræ facultates, quas dixi, patiuntur, candidâ enim nube accidentium tectus Dominus quoddam velut martyrium efficitur trium animæ potentiarum, sed tale, ex quo illæ plurimùm fructus, & ingentia beneficia consequantur.

Dispiciamus primo loco, quid intellectus patiatur, hæc enim animæ potentia suprà cæteras acriùs torquetur, & grauiore cruciatu exercetur.

Sacramentum hoc diuinum, fons, & origo sacramentorum omnium, MYSTERIVM FIDEI vocatur, quia reuerà mare magnum, & abyssus, & archipelagus est omnium mirabilium, & mysteriorum diuinæ legis, & actionum Domini nostri, & quidam velut epilogus, ac summa eorum, quæcunque vel in mysterijs diuinæ legis, vel in Domini nostri operationibus admiramur, & stupemus. Quòd verò hoc mare tam est amplum, tam profunda abyssus, tam immensus oceanus, hoc ipsum incitat intellectum humanum, vt maiore animo, & contentione ardentiore, & vehementiore conatu illud inuestigare meditatione, & ingenio perscrutari, & suis viribus penetrare cupidissimè velit. Nam cùm homines, vt est apud Aristotelem, naturaliter scire desiderent, illud auidiùs, atq; enixiùs intelligere concupiscunt, quod minùs assequi posse videntur, & captum eorum altiùs transcendit.

Propheta regius Dauid aiebat, diuinæ legis testimonia, & verba esse admiranda, secreta, recondita, inquiens: *Mirabilia testimonia tua*; Psal. 118. 129. Sed quid ex eo secutum, quòd Dei testimonia tam essent admirabilia, retrusa, occulta, absconsa, impenetrabilia? Illud, quod *ideò scrutata est ea anima mea*, inquit Dauid, tanquàm dixisset: Ipsa mysteriorum tuorum inaccessa sublimitas me incitauit, atque inflammauit, vt in eorum indagationem totâ ingenij contentione incumberem, enixiùsque operam darem, vt ea inuestigarem. Alia istorum verborum lectio apud Caietanum sic habet: *Separata testimonia tua*; abdita, & procul à me absita; sed hæc ipsa causa est, quæ me exstimulauit, & impulit, vt quantum conniti animo possem, quantum labore, studio, lucubratione contendere, tantum facerem, vt in illorum cognitionem alis intellectus meis subuectus penetrarem. At videtur homines contrarium facere, & sic magis ratiocinari debere: Mare altum est, abyssus profundissima, mons cum stellis de sublimitate certat, ergo nec illud vado trajicere, nec hunc ascensu superare tentabo, quia audaciam meam ipsa rerum difficultas impediet, ac retundet: At si dicam, mare profundum est, idcircò tentabo vadare, mons cacuminosus est, eaque propter conscendere illum conabor, non satis prudenter loqui, & cogitare videbor. Quomodo ergo ait Propheta, ideò velle scrutari testimonia, quòd sint admirabilia, & plurima habeant, quorum sit ardua, atque operosa cognitio; cùm ipsa illorum intelligendorum difficultas audaciam eius magis reperire, & sciendi auiditatem infrenare debuerit, certè impedire potuerit? In alijs rebus ità ferè accidit, vt nemo facilè tentet opus, vel onus, cui impares humeros videt, verùm intellectus humani aliter, atque ità comparata est naturæ ratio, vt quò abstrusius est quodque mysterium, eò pertinaciùs id scire velit, quò editius montis fastigium, eò enixiùs conetur ascendere, quasi arduitas illi animos addat, & audaciam difficultas augeat. Nam vt Aristoteles 1. Metaph. c. 2. ait,

ait, *propter admirari homines & nunc, & primò cœperunt philosophari*, ipsaque rerum abstrusarum obscuritas spiritus humano addidit ingenio, vt quæ sunt difficiliora intellectu, hæc auidiùs scire cupiat.

Ad huius rei confirmationem non parum faciet id, quod Moysi euenit. Pascebat ille in deserto soceri sui Iethro oues, videbatque procul inde admirabile mysterium, nempè rubum in medio ardentium flammarum tam illæsum, elegantem, viridem, vt non solùm nihil damni ab igne acciperet, verùm etiam fruticescere videretur, & magis assentari voluisse incendium spinis, folijs, radici rubi, quàm incommodare. Cùm rem eiusmodi nulli eatenùs visam cerneret Moyses, audacter inquiebat: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*; Exod. 3. 3. videbo quî fiat, quòd flamma totum, quem ob oculos positum habeo, rubum arctè complectatur, & inuoluat, non adustulet tamen, neque offendat. Quid excitauit Moysen, vt portentum tam stupendum explorare cuperet? Quid mouit, vt habere compertum velle auderet? Ipsus hoc expressit, dicens: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Ipsa rei nunquàm visæ magnitudo, & insolentia prodigij, & difficultas mysterij illum impulit, vt cognitum habere cuperet. Hæccine verò illum exstimulârunt, & adegerunt? Hæc ipsa: Nam quòd visum tam ingens, & nouum esset, hoc illum inflammauit, vt quid sibi inflammatus, ac nihilominùs per omnia saluus, illæsusque rubus vellet, indagare desideraret. Humanus namque intellectus id fidentiùs adoritur, & contumaciùs persequitur, quod sublimius est, captumque illius longiùs transcendit, aut abstrusiores habet recessus, accipiterq; nostri ingenij eam insectatur ardentiùs ardeolam, quæ suarum remigio alarum altiùs erigitur, & montium iuga editiora petit.

Hoc sanctissimus Apostolus Petrus, vt mea quidem fert opinio, dicere voluit, cùm ait: *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelationem Iesu Christi*; 1. Pet. 1. 13.

In his Apostoli verbis prima sola expendenda veniunt, ea nimirùm, *Succincti lumbos mentis vestræ*, quæ difficilem habere sensum videntur. Lumbi enim quod ex sacris literis compertum habemus, lasciui ardoris, & fœdæ libidinis symbolum sunt, & succingere lumbos idem est, quod huius flagrantis, & inordinati appetitus irritamenta, & perlecebras infrenare. Sic enim & illud, quod Dominus aiebat: *Sint lumbi vestri præcincti*; Lucæ 12. 35. tantundem fuit, ac si dixisset: Este castimoniæ studiosi, & curate, vt carnem ab omni inconcessæ libidinis contaminatione puram seruetis. Ad hunc sensum exponit ea Domini verba S. Gregorius Papa homel. 13. in euang. dicens: *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.*

Cùm ergo S. Petrus iubet, vt succinctos habeamus lumbos mentis nostræ, videtur hoc velle, vt castimoniam intellectus seruemus. Ergoné in intellectum cadere luxuria potest, aut turris appetentiæ ardor, qualis ille est, qui carnem succendit, & inflammat? Non potest. Quod ergo Petrus ait, tale quiddam est, ac si dixisset, necessum esse cingere intellectus nostros, stringereque, & coarctare ingeniorum nostrorum quosdam velut luxuriæ ardores, quam patiuntur similem ei, quâ homines lasciui, & lubrici, ac venerei laborant: Nam vt hi mulierculas eas auidiùs appetunt, & contentiosiùs insectantur, & infestant pertinaciùs, quæ se magis abdunt, & oculis, occasioniq; omni studiosiùs subducunt, & vehementiùs cauent, detestanturque flagitium; sic intellectus noster, quæ maximè illum fugiunt, & quæ ingenio assequi minimè potest, ea peruicaciùs nosse appetit, non tam turpi, intemperante, tamen luxuriâ, & lasciuiâ percitus, quam coërcere, & moderari, siue succingere, vt S. Petrus loquitur, oporteat.

Sponsus in Canticis, cùm Sponsæ suæ venustatem, & formæ elegantiam dilaudare instituerit, aiebat: *Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet*; Cantic. 4. 1. hoc est, rosei, gemmeique tibi è vultu oculi rutilant, non secùs ac columbarum solent, vt interim occulta, & secretiora quædam tua ornamenta tacitus prætercam. Posthæc singulari elogio purpureas, nitidasq; genas celebraturus, frustillo mali granati eas comparat, inquiens: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecùs latet*; ibid. v. 3.

Venerabilis Abbas Gilbertus serm. 22. in Cant. ait: *Cur non vel ad modicum illud, nescio quid latens, communicas? Plùs nos ad quærendum allicis, dum illud latere intrinsecùs dicis, & curiositatem nostram ampliùs irritas, tantùm silentio mysterium premens. Plùs nos, dum taces, trahis*; velut pluribus dixisset: Cùm nos commemoratione laudum Sponsæ tuæ, quas auidis auribus magna cum voluptate excepimus, pascis, & oblectas, Domine, melleorum verborum tuorum suauitatem felle non pauco condiuisti. Dicis dissimulare te, quæ illam interiùs venustissimam, ornatissimamque reddant, dicis silentio inuoluere perfectiones illius maximas, quas cùm in ea

esse

esse prædicas, velum, quo inuoluuntur, non explicas, & saxum, quo teguntur, & obsignantur, non submoues. Quid verò talia agens efficis? *Curiositatem nostram ampliùs irritas*, exacuis, incendis, & velut stimulis quibusdam incitas, vt vehementiore teneamur auiditate cognoscendi ea, quæ tacita relinquis. *Plùs nos, dùm taces, trahis*, & quò grauiores se nobis obijciunt difficultates, eò validiùs contrà nititur, & reconditiorum notitiam enixiùs appetimus. Proprium nempè hominum est, mosque ingenij nostri hoc habet familiaris, vt maiore virium contentione rem illam pertentet, cuius aditus fortiùs sunt reclusi, & in illum murum pertinaciore curiositate arietet, cuius magis ardua & difficilis demolitio.

Ex dictis prudens quisque iam acceperit, quantos intellectui humano diuinum hoc sacramentum pariet cruciatus. Nam cùm ille ratiocinando id auidiùs, contentiosiùs, audaciùsque indaget, quod magis abstrusum est, & reconditum, cogitate, qui potestis, quantum laboris, defatigationis, & doloris illi adferat hoc mysterium, quod tam profundum est, & viribus ingenij natiuis prorsùs inaccessum.

Sed hoc solatio esse debet hominibus sciendi auidis, & cùm hoc mysterium, tum alia eiusmodi quantùm vellent, intelligere non valentibus, quòd si in captiuitatem redegerint in obsequium Christi, & fidei illius suum intellectum, gloriari poterunt plura se quodammodò perspicere ingenio ità subacto, & constricto, quàm videre in ipsa gloria queant.

Quantumcunque illud sit, quod in beatitudine, & futura gloria quis videat, quantumuis se quis erigat, & attollat, in quantamcunque contemplationis altitudinem assurgat, fieri tamen non potest, vt Deum, quem per essentiam videt, etiam comprehendat, sicut ipse se comprehendit. Affirmat hoc Doctor Angelicus 1.p.quæst.12.art.7. vbi sciscitatur, *Vtrùm videntes Deum per essentiam, ipsum comprehendant.* Et quæsito respondet his verbis: *Comprehendere Deum impoßibilè est cuicunque intellectui creato, attingere verò mente Deum qualitercunque magna est beatitudo, vt dicit Augustinus.* Videte ergo nunc quomodo fides in hac vita dat intellectui humano, quod gloria illi concedere non potest: Cùm enim impossibile sit, Deum clarâ visione comprehendere, per fidem ego illum certo quodam modo comprehendo, per illam namque tantùm de illo obscurè intelligo, quantùm ille de seipso cognoscit. Propterea Angelus Doctorum S. Thomas fidem vocat animosam, valentem viribus gygantem, inquiens: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides*; in quibus nota epitheton, quo ille donat, & ornat fidem, vocans animosam, audacem, plenam roboris. Meritò autem tam honorificâ celebratur appellatione, tantos enim habet animos, vt cum Deo certare, & dicere veraciter possit, non plus, aut maius aliquid illum facere posse, quàm ipsa credat, & fiteatur, & magnitudini potentiæ illius parem esse fidei suæ magnitudinem, nec plura Deum scire, quàm ipsa illum per sapientiam suam intelligere agnoscat, nec magis opulentum esse, quàm ipsa sibi persuadeat, nec indulgentiorem esse, quàm ipsa sentiat, nec plus dignitatis, maiestatis, diuinitatis habere attributa eius cætera, quàm ipsa indubitatò nôrit. Hoc verò est fide quodammodò comprehendere Deum, nec enim Deus plus esse potest, quàm ego rectâ fide credam. Et hanc ob causam vocatur animosa, nimirùm, quià cum Deo credendo contendit de omni opere maximo, quodcunque ille facere potest.

Et hinc, quantùm existimo, sensum assequemur difficilis cuiusdam dicti, quod apud pœnitentem Leporium presbyterum in epistolâ emendat, sic habet: *Nostrum est credere, illius nosse.* Loquitur compunctus sacerdos de fide, quam diuinis debemus mysterijs, aitque, ad Deum spectare, vt quod de quauis re pronuntiat, intelligat, nostri verò muneris esse omnibus illius effatis indubitanter, & absque vlla animi hæsitatione assentiri, quod perinde videtur, ac si dictum fuisset: Credamus fide verâ, synceràque assertione firmiter approbemus, quidquid prima Veritas nobis dictat, & suggerit, sic enim, vt videtur, fiet, vt nulla sit magistri, & discipulorum, nulla Domini, & fidelium differentia, nec enim ille plus in se esse potest, quàm sit in nostra cognitione, & magnitudo eius magnitudini fidei nostræ excellere, vtraqꝫ limites eius extendi nequit: *Nostrum est credere, illius nosse.* Maior ille in se esse non potest, quàm per fidem nobis proponitur, nec quicquam est, quod ille de se ampliùs manifestare queat, fide namque tantùm creditur de Deo, quantùm de se ille nouit, idque ad modum, quem diximus.

Confirmat hanc doctrinam mellifluus Doctor serm.31. in Cant. inquiens: *Fides lucem non extinguit, sed custodit. Quidquid sane est illud, quod videt Angelus, hoc mihi vmbra fidei seruat fideli sinu repositum.* Fides fidum scrinium est, quod immensam, infinitam, ineffabilem Dei magnitudinem totam complectitur. Ergò quanquàm humanus intellectus vim sibi inferat, & discursus sui alas submittat, & fidei captiuum se addicat, maximè illum ea decet captiuitas, cui & hoc perhonorificum sit, si illi rese-centur

centur alæ, & velo, quod accipitri fieri solet, tegantur eius oculi, fides namque illi quodammodò concedit, quod præstare gloria non potest, nimirùm vt Deum credendo vtcunque comprehendat, quod videndo in æterna patria nequit.

## CAPVT VII.

*Lauta hæc mensa est amabilis excruciatio voluntatis, dùm illi non permittit videre faciem eius, quem & proximum habet, & plurimùm diligit. Sed quæstuosa est voluntati omnis illa vexatio, pœna, afflictatio.*

QVòd amor sit dulcis tyrannus, qui torqueat, & suauis carnifex, qui optimè nouerit quando necessum sit, distendere fidiculas, nemo est, quantùm mea fert opinio, qui nesciat. Nec quisquam est, qui non auditu aliquando acceperit illud sancti Gregorij Nazianzeni ex Orat. 28. *Amorem dulcem tyrannum agnoscere cæpi*, simulatque amare, & hoc esse illum ingenio comperi, quòd rem suam facere, & alumnos suos, quotquot sese illi dedunt, vexare nonnunquàm, & afflictare sciat. Tale quidpiam dicere possumus accidere voluntati cum hoc diuino sacramento, & ardentissimo illo amasio, qui tectus panis, & vini speciebus per accidentium cancellos animas cælestis procus ambitiosè appetit, & corda velut malleis contundit, cùm non se aperit animabus, quas deperit. Et videntur illæ amanter queri posse, & quærere, quomodo tam acerbè torquere queat, qui tam ardenter amat, quomodo tam vehemens dilectio tam graues adferre dolores valeat. Nam qui seipsùm liberaliter tradit edendum, atque ex parte altera tam abditè abscondit, videtur duo facere, quorum alterum summè voluptuosum, alterum cruciabilissimum. Et voluptas quidem maior ne cogitari quidem potest quàm est ea quâ sub vna buccea totus Deus sumitur: Illud verò intolerabilissimè cruciat, si vsurpare oculis nequeas tantum donum, & tam immensum bonum, quod proximum habes. Nam si pœnarum, quæ in hac vita infligi possunt, pondera examinemus, nullam grauiorem reperiemus, quàm non posse frui bono, quod ad manum est, & vicinam non videre gloriam. Demus hoc probatum, vt inde accipiamus, & intelligamus, quòd hic diuinus panis, quemadmodum est vexatio intellectus, sic etiam sit afflictatio voluntatis.

Filij Israël, quod illorum ductor Moyses narrat, postquàm victores mare rubrum transfierunt, in quo barbarus Pharao, omnisque illius exercitus submersus, extinctusque fuit, cùm solitudinem Sur triduo pertransijssent, venerunt in Mara, inueneruntque aquas plurimas quidem, sed tam salsas, & amaras, vt eas bibere, nisi ardentissimâ alioquin sitim suam magis accendere vellent, non possent: *Venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amara*; Exod. 15. 23. Subijcit autem paulò post sacrum oraculum: *Ibi constituit ei præcepta, atq; iudicia*; vers. 25. quod LXX. Interpretes nonnihil luculentiùs sic reddiderunt: *Et ibi posuit illi Deus iustitias, & iudicia.* Sed quomodo iustitiæ suæ rigorem ibi exeruit? quomodo ibi populum illum duris præceptis constrinxit? quomodo ibi iudicia seueriora exercuit? Nonne misera illa Ægypti seruitus, & ardens captiuitatis sartago, in qua viui frigebantur, multò plus austerioris iustitiæ diuinæ habebant, quàm illæ eremi aquæ amaræ? Cur ergo ibi, in illo deserto Sur, iuxtà illas aquas seueriùs cum illo populo egisse Deum, acerbioresque ei pœnas irrogasse dicitur? *Ibi posuit illi Deus iustitias, & iudicia.*

Respondet Origenes homel. 7. in Exodum: *Ibi, vbi amaritudo, vbi sitis, & quod grauius, sitis in abundantia aquarum, ibi posuit ei Deus iustitias, & iudicia; alius non erat locus dignior, aptior, vberior, quàm iste, in quo amaritudo est*; nec vlla commodior, opportuniorué contumacibus illis pro merito castigandis occasio, quàm ea, quâ tunc vsus fuit Dominus, cùm ibi eos mulctauit.

Notate mihi in his Origenis Adamantij verbis ista: *Quod est grauius, sitis in abundantia aquarum.* Sæuissimus est, qui à siti venit, cruciatus, & acerbum tormentum: At quem sitis inter aquarum ingentes copias afflictat, illius atrocissima est pœna, nihil enim intolerabilius, quàm proximum habere suæ calamitatis remedium, & tàm parùm illo vti posse, ac si infinitis spatijs distaret. Ibi ergo Deus populum suum acriùs afflixisse videtur, quàm in ipsa seruitute Ægypti, nam cùm æquè vicinam haberet aquam, ac sitim, & bibere eam nequiret, quid illi pœnalius accidere poterat? *Quod grauius est, sitis in abundantia aquarum.* Si quis Tantali miseriam experiatur, captetque nequicquàm aquas in aquis, & siti tantùm non enecetur, eius tam crudelis est dolor, vt immaniorem imaginari nemo posse videatur.

Propheta regius amore iustitiæ magis, quàm cupiditate vindictæ incitatus Deum rogabat, vt in feroces hostes suos digno supplicio animaduerteret, inquiens: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius*; Psal. 67. 2.

Enucle-

Enucleemus speciatim qualis sit vindicta, quodué supplicium, quod istis imprecatur, cum ait: *Sicut deficit fumus, deficiant.* Notandum itaque *deficere*, quod est *desinere*, (vt aiunt Ioannes Passeratius, & Ambrosius Bergomas, & sacræ scripturæ etiam non paucis exemplis ostendi potest) hîc significare confici rabie, tabescere inuidiâ, consumi dolore. Dicit ergo Propheta: Conficiantur eo luctu, mærore, ac dolore hostes tui & mei, quo conficeretur fumus, si intellectu præditus esset: *Sicut deficit fumus*, deficiant. At quo malo extabescere fumus posset, si rationis compotem natura fecisset? Eo, quod Plautus in Curculione Act. 1. scen. 1. habet: *Flamma fumo est proxima, fumo comburi nihil potest, flammâ potest.* Cùm sint coniunctissima fumus, & flamma, & vnũ, idemque habeant principium, ille tamen imbecillis est, & euanidus, hæc mirùm valida, ille pertenuis, & infirmus, hæc vorax, potens, formidabilis, ille obscurus, & exosus, hæc lucida, & amabilis. Si ergo sensibus, & ratione ornatus esset fumus, adeoque suis rem quamlibet ponderibus arbitrari nouisset, quænam illi atrocior, & intolerabilior inferri pœna posset, quàm quòd se videret proximum ardori, nequetamen accendere, vicinissimum luci, nec illuminare, coniunctissimum flammæ, neque adurere, neque cæteris illius proprietatibus vllis gaudere? Quod ergo Propheta ait, *sicut deficit fumus, deficiant*, perinde est acsi dixisset: Quemadmodùm fumus contabesceret, si rationis capax esset, itâ hostes tui, ac mei contabescant. Habeant vires magnas, sed nullum earum vsum, exercitationem nullam. Habeant ad manum cornucopiæ omnis boni, & nunquàm illo frui possint. Siti ardentissimâ iuxtà irriguum, & largifluum fontem laborent, & bibere nõ concedatur. Habeant arcas confertas numis, sed emolumentum ex eis nullum capere queant. Sint idolorum similes, vt neque pedibus ambulent, neque palpent manibus, neque oculis videant, neque loquantur ore, vt hinc eorum augescat dolor, sitque cruciatus, quantùm fieri potest, vehementissimus, vt certè est immanissima illius pœna, qui frui non potest bono, quod proximum habet.

Nam vt inquit sanctus Petrus Chrysologus serm. 132. *non paruus est cruciatus visa non cernere, audita nescire, salutifera velut noxia declinare, virtutes quasi vitia sic cauere.* Certè non qualiscunque doloris est non cernere animo, quæ oculis exposita habeas, neq; intelligere, quæ audias, & antidotum tanquàm toxicũ fugere, & benefacta ceu flagitia auersari. Hoc genus tormenti omnium facilè crudelissimũ est.

Appropinquabat Dominus Iericho. De aduentu autem prodigiosi Magistri certior factus quidam cæcus, qui secùs viam sedens mendicabat, magnis vocibus succlamans aiebat: *IESV fili Dauid miserere mei*; Lucæ 18. 38. Habebat plurimos eâ occasione viæ comites Christus, ex quibus hi, qui præibant, increpabant cæcum, & tacere iubebant, verùm ille à miserabili illo cæcitatis malo liberari cupiens, contentiores voces dabat, dicens: *Fili Dauid miserere mei*; ibid. v. 39. Ad se ergo adduci oculis captum mendiculum diuinus Magister imperauit, & cùm proximè accessisset, quid sibi vellet, interrogauit. Cui ille: *Domine vt videam*; ibid. vers. 41. tanquàm dixisset: Quidnam ego ærumnosissimus homulus obsecrare maiestatẽ tuam possum aliud, quàm vt me à dura seruitute calamitatis, quàm patior absoluas?

Haymo Halberstattensis Domin. Sexagef. Tom. 1. Bibliothec. Homel. ait: *Ecce cæcus à Domino non aurum quærit, non argentum, non vxorem, non equum, non pallium, non cætera istius sæculi emolumenta, sed tantùm lucem.*

Quamobrem verò sola oculorum lumina sibi restitui rogabat, cùm Dominus neque suæ potestatis executionem, neque illius petendi facultatem ad rẽ vnicam restringeret, & coarctaret? *Domine vt videam*, rogo inquiebat. Cur vnum, solumque visum suspirabat, neque aliud prætereà obsecrabat?

Respondet Halberstadiorum Episcopus: *Quià cæcus, si aliquid habere potest, non potest illud videre sine oculis.* Circumfluat opum copijs captus oculis, sint illius amplissimæ fortunæ, quid ex his voluptatis capiat, quarum pulchritudinem, elegantiamque arbitrari non potest? Eapropter dicebat cæcus: Oculos ego, Domine, solos volo, & peto. Nam si diu ingentes proximos habeam auri cumulos, & rerum aliarum thesauros, eorumque & magnitudinem, & fulgentẽ, decentẽq; speciẽ alij plurimũ mihi prædicẽt, si crebrò hortũ ingrediar, floremq; illius nullum videam, si ad manum sit ædificium sumptuosum, ac magnificum, cuius admirandam structuram, concinnas commissuras, & partes ad miraculum artificiosè elaboratas intueri nequeam, quis acerbior cruciatus, quis vel par dolor huic esse possit? *Quià cæcus, si aliquid habere potest, nõ potest illud videre sine oculis.*

Admiratione digna est quædam precatio, quâ populi Israëlitici dux Moyses apud Dominum vtebatur, cui magno studio seruiebat, & omnem religiosi cultus obseruantiam enixè deferebat. Obtestationem suam his verbis complexus fuit: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*; Exod.

Exod. 33. 13. velut dixisset. Si aliquo aliquando officiorum genere te demerui, sit hæc, obsecro, studiorum in te meorũ vnica remuneratio, vt velo detracto vultũ tuum oculis meis vel pauxillisper permittas, vt ad horulam videre mihi liceat, quod flagrantes illi quàm beati spiritus totâ æternitate aspectant.

Sed quid in hac oratione admirandum? Quid nouitatis habent eiusmodi preces? Quòd supremum Dominum de facie videre voluit, nonné dignum tali viro factum fuit? Etiné aliud, quod homo præterea desiderare debeat? Nunquid hunc solum ob finē conditus fuit? In quo ergo precationis illius admirabilitas posita fuit? In quo? In eo, quod Moyses paucis lineolis ante affirmauit, inquiens: *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*; ibid. vers. 11. Recenset eo loco sacer historicus insignita, & nunquàm audita beneficia, quibus à Domino ornatus fuerit, inter quæ illud singularissimum erat, principemque locum obtinebat, quòd tam familiariter illo Deus vsus sit, quàm consuescere cum intimo suo homo quispiam soleat, & ad amicam confabulationem vsque se submiserit, quando *loquebatur facie ad faciem*. Hæc sunt, quæ mouent difficultatem, & admirabilem faciunt Moysis petitionem. Nam si facie ad faciem, vt ait, cum Domino loquebatur, si familiares vltrò, citròque sermones Deus, & Moyses miscebant, mutuòque spectabant, quid est, quòd faciem illius sibi ostendi ille precabatur?

Respondet Oleaster in annot. morali: *Loquebantur sicut duo amici, quorum alter est in tenebris, alter in luce, aut sicut duo in obscurissima nocte, aut loco simul colloquuntur.* Qui sic sermones conferunt, vt hic in luce, ille in tenebris sit positus, aut certè vterque vel in tenebricoso loco, vel arta in nocte versetur, ij vtique facie ad faciem colloquuntur, neq; tamen mutuò vident. Quotidie id euenire solet. Moyses ergo crebrò cum Domino communicabat, facieque ad faciem differebat, nunquàm tamen vultum eius, quocum loquebatur videbat, in medio namque erat densæ nebulæ, opacarum tenebrarum, obscuri fumi caliginosum velum, quod faciebat, vt ad vultum illius penetrare oculis non posset. Itaque cùm tam propè haberet venerabilem, splendidam, ac diuinam Domini sui faciem, neque arbitrari oculis eam posset, cùm audiret illum, nec videret tamen, perfusus lachrymis, atque effusus in terram, ità supplex orabat: *Ostende mihi faciem tuam*; velut pluribus dixisset: Retrahe, pientissime Domine, si ità placet, istas cortinas, submoue velum, quod mihi impedimento est, vt amabilem tam tæ lucis maiestatem, & incomparabilem venustissimæ faciei tuæ gratiam videre non possim: Quòd enim tam prope abes à manibus, tam procul ab oculis, quòd te proximum non conspicio, quem vicinum audio, hoc ego tormentorum omnium, quibus me excruciare possis, acerbissimum, ac tale arbitror, vt nullo alio meam æquè exercere, & exagitare patientiam possis. Quid enim tam grauiter, & intolerabiliter affligare possit, quàm gloria, bonum, thesaurus, quæ proxima habeas ad manum, ad vsum tam absita, ac si nullus ea vnquàm aut vidisset, aut contrectasset?

Ità sentit Patriarcha Sophronius, qui in homel. de Angelis sic ait: *Quid homini potest contingere miserabilius, quàm bonum desideratum ob oculos positum habere, neq; desiderato tandem frui posse?* Multò sanè meliùs, feliciùsque cum illo actum esset, si videre datum non fuisset id, quo frui non est concessum, nam vt tritum sermone prouerbium habet, *ojos que no ven, coraçon que no llora,* hoc est, cuius non vident oculi, etiam cor non plorat. Habere enim ob oculos bonum, quod diu ardenter suspiraueris, rem, pro qua plurimas lachrymas verteris, monile, quod maximis studiorum, solicitudinum, anxietatum impendijs obtinueris, & ab eius fruitione prohiberi, atq; arceri, *quid potest contingere miserabilius?* Quæ magis luctuosa infelicitas, quis atrocior cruciatus, quàm illius, cui suâ felicitate magnis laboribus, multoque sudore paratâ, eâque præsente gaudere negatur? Truculentiorem carnificem, iniquiorem fortunam nemo facilè expertus fuerit.

Hæc est pæna, hic dolor, & cruciatus, qui infligi voluntati ex parte oculorum potest. Cùm enim intellectus illi ex fidei certa institutione dictet, eum, qui sub speciebus sacramentalibus tectus occultusq; latet, esse Dominum totius maiestatis, Creatorem cæli, & terræ, ipsissimumque illum, qui cælo empyrio Imperator præsidens, omnes sanctos habet aulicos, & stipatores, ac perpetuos suæ laudis decantatores non alios, quàm beatos sine numero Angelicos spiritus, speciosum formâ præ filijs hominum, & illicium oculorum à summo vertice ad extremam calcem: Perspicuum est, incredibilem hoc voluntati adferre dolorem, quod videre prohibetur tam opulentũ Dominũ, tam sapientē Deum, tam potentē, pulchrũ, formosum regem. Quis hac de re dubitet?

Sed temperatur hæc pœna, leuisque, & dulcis fit cruciatus, si cùm alterutrum eligendum, vt aut videas illum, & non comedas, aut comedas, & non videas,

deas, quid tibi sit conducibilius, apud te repures. Palàm autem est, quòd voluntas, cùm vtrumque horum simul habere in hac vita nemo possit, visioni interim libens renuntiare debet, vt comestionis beneficium consequi possit, incomparabiliter enim maius est bonum, quod comestio adfert, quàm voluptas, quæ à corporali intuitu venit, immò & cruciabilius est, non comedere quod videas, quàm non videre quod comedas,

Dicat hoc nobis malus dæmon, qui tali quodam doloris genere protoparentem nostram infestauit, quòd illam fraudi suæ ex sententia adornandæ, & conficiendæ aptiorem putaret. Is incautam virginem recens nuptam talibus verbis adoriebatur: *Cur præcepit vobis Deus, vt nō comederetis de omni ligno paradisi?* Gen. 3. 1. Quē habēt ea dæmonij verba sensū?

Ex sancti Ioannis Chrysostomi homel. 16. in Genes. talem, *Quare hoc? quæ vtilitas versari in paradiso, & non frui illis, quæ in illo sunt? Sed ideò maiorem fertis dolorem, quod spectare quidem vobis licet, frui non licet.* Ex illius sacri Doctoris commentatione tale ferè est, quod voluit stygius dæmon dicere: O infelices! quàm vos miseror! quàm doleo vicem vestram, illam tam iniquam, & aduersam! quæ esum vobis denegat omnium huius paradisi fructuum, quorum visum passim offert, nec permittit solùm, sed non ob aliud offert aspectum, nisi vt grauius vestrum exulceret animum, & exaggeret cruciatum, dum non concedit ore vsurpare, quod oculis, nec vesci eo, quod videre. Quanto satius esset esitare, quàm intueri? *Ideò maiorem fertis dolorem, quòd spectare quidē vobis licet, frui nō licet* Itaq; cùm alterutri⁹ optio datur, vt vel rē aliquā videas, & nō comedas, vel comedas, & nō videas, quāto præstat comedere, & nō videre, quā videre, & nō comedere, maximè quādo indubitata est comestio, & certò paratus cib⁹.

Cinxerat Bethuliæm ciuitatem Holofernes, quam cùm ille diligentiùs circumspexisset, inuenit fontem propiùs à mœnibus absitum, ex quo obsessi omne suum haurirent sitis leuamen, & refrigerium. Quare incidi præcepit aquæductum, itaque hoc illis quodcunque solatium ademit. Subijcit autem statim sacer textus: *Erant tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potiùs, quàm ad potandum;* Iudith. 7. 7. vt magis vidisse, quàm bibisse aquam videantur. His verbis voluit diuinus historicus indicare sæuos miserorum obsessorum dolores, vt qui aquas ob oculos habuerint ad solam acriorem afflictationem. Quæ enim acerbior excruciatio, quàm siticulosorum, qui solis oculis hauriunt, quas ne extremis quidem labijs licet degustare, aquas? Oppidò nempe grauius est videre, quod edere vel non possis, vel non ausis, quàm edere, quod videre nequeas.

Hinc Aristoteles affirmauit, animalia, quę ex rapto viuunt, & præda, nullā capere oblectationē ex visis ijs, quę sūt illorū pastui apta, & gustui grata, nisi gust⁹ ipse, tactusque accedant. Ille apud Abulensem in c. 27. Genes. sic habet: *Canes non gaudent odoribus leporum, sed comestione, leo non gaudet in voce bouis, sed in comedere, & videns ceruum, vel capram non delectatur in visu eorum, vel auditu secundùm se, sed quià per visum, & auditum inueniet ceruum, & capram.* Nemo vitam solo visu traducit, vitæ cæci oculorum orbitas nihil officit, victus alimonia necessaria est. Postquàm ergo Dominus, pro suo immenso ergà nos amore, voluit esse dulcissimum nectar, & suauissimum nutrimentum animarum, sic tamen, vt nonnisi tectum illum sumamus, quantò nobis conducibilius est, quòd illum cum negatæ visionis pensione, siue onere percipimus, quanquàm neque pensionis onus est, sed beneficium maius, dùm enim editur, quod non videtur, fides ampliùs exercetur, vbi autem acrior fidei exercitatio, ibi abundantius meritum, quorum verò copiosius meritum in terris, eorum erit affluentior gloria in cælis.

## CAPVT VIII.

*Dulcissimum hoc Corporis, & Sanguinis dominici beneficium, quià diuinorum donorum maximum est, idcircò validissimè torquet memoriam, sed hæc à vicina voluntate habere commendatò potest, vnde suam leuiorem faciat cruciatus ærumnam.*

QVod hoc diuinum sacramentum sit beneficiorum Dei supremum, miraculorum maximum, donorum opulentissimum, munerum pretiosissimum, gratiarum præstantissima, id sacri Concilij Tridentini luculenta sententia habet, eaque sess. 13. cap. 2 his verbis expressa: *Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum,* & velut in summā contrahens, siue in compendium redigens quidquid prodigiorum ante huius sacramenti instituti tempus vnquam operatus fuit. Nam sacrosanctum hoc mysterium, vt Angelicus hic Magister Opusc. 57. ait, est *Miraculum ab ipso factorum maximum,* in quo amor vires suas eousque exeruit, vt Deus maiora his, quæ hominibus dat, præstare

non possit, cùm enim seipsum dono offerat, quod posthæc largiatur, nihil habet reliquum.

Quando ergo memoria hominis secum recolit beneficium, quod anima in hoc augustissimo Sacramento recipit, quod est mirabilium Dei memoria, quomodo fieri potest, vt non vehementissimè angatur, & præ verecundia sese abdat, dùm cogitat & donorum, quibus à Deo prægrauatur, immensa pondera, & debitorum, quæ inde contrahit, infinitam magnitudinem, & suæ tenuitatis exilitatem, & inopiam, per quam obligationis suæ vel minimam particulam compensare non queat, tametsi opum facultates, quotquot imaginatio sibi fingere potest, & thesauros omnes, quos auidissimus optare, aut excogitare queat, in vnum cumulum conferat, totosque ad hanc rem vnam vertat? Quomodo sub intolerabili debitorũ onere, nõ ingemiscat, quæ se tanto in ære alieno esse nouit, & non esse soluendo non nescit? Quomodo res illam ista non frangat, non conficiat? Inexplicabilem necesse est eius esse dolórem, & cruciatum perpetuum.

Huc adducit Doctor Angelicus sanctus Thomas illud ex lamentationibus Ieremiæ: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea;* Thren. 3. 20. recordabor diuini huius beneficij, atque hinc tantus inuadet animam meam dolor, vt illi è corpore exigendæ sit satis.

Immò verò gaudere potius, & immodicè lætari debere tanti muneris recordatione videtur. Quid enim maiorem consolationem, voluptatemque afferre homini queat, quàm quòd Deum tam prolixũ, ac permunificum habeat, qui seipsum in cibum, & potum præbeat? Vnde ergo fit, quòd tam insignitum beneficium absque dolore recogitare nemo possit? Inde, quod cum beneficio soluendi illius debitum suscipit, quòd quoties secum reputat, memoriam memoria siuè recordatio tantæ obligationis affligat.

Quintilianus lib. 11. cap. 2. author est, quod *sit etiam memoria memoriæ,* velut si homo apud memoriam sibi leonem, agnum, lanceam imaginando fingat, vt feritatis, mansuetudinis, belli meminisse queat, aut tale quidpiam effigiet, ex quo aliud recordari possit. Hîc est memoria memoriæ, inquit Quintilianus, nam vt recorder feritatem, mansuetudinem, bellum, prius memoriam leonis agni, lanceæ recurro. Vides hîc quomodo fiat, *Vt sit etiam memoria memoriæ.*

Tantundem in diuino hoc sacramento accidit, nisi quod videatur memoriæ memoriam in alijs quidem rebus subsidio esse, & leuamini, in hoc verò sacramento molestiæ, & cruciatui. Ac de memoria memoriæ in alijs rebus sic disserit Quintilianus: *Non est inutile, quò faciliùs hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat, & quasi excitet memoriam, multùm enim signa faciunt, & ex alia memoria venit alia.* Sanctissimum hoc, & diuinissimum sacramentum est memoria, quod cùm Dominus noster instituit, *memoriam mirabilium suorũ,* (vt sacrum Concilium verbis psalmi affirmat) *fecit,* & vetera prodigia velut summatim omnia in vno colligit. Quoties autem memoria hoc diuinum sacramentum recordatur, memoriam memoriæ esse dicere meritò possumus: *Vt sit etiam memoria memoriæ.* At videtur ea, quæ in hoc sacramento est, memoriæ memoria non tam excitare, & iuuare, quàm affligare memoriam: Dicit enim sacer textus, & lamentatio Prophetica, quòd pro dolore *tabescet anima* hominis, qui huius beneficij magnitudinem recordatus cogitauerit, nihil se habere, quod retribuat Domino, qui quod maximum potuit, & corpus suum edendum, & bibendum sanguinem dedit.

Non parùm conferet ad huius rei confirmationẽ, quod sacer Scriptor de beatissimo Patriarcha Iacob narrat. Profectus ille in Mesopotaniam, non longè erat ab Haran, & ecce formosa Rachel venit ducens oues patris sui ad puteum, cuius os grandi lapide claudebatur, vt eas adaquaret. Quam cùm vidisset Iacob, & intellexisset esse consobrinam suam, & futuram coniugem, toto animo commotus, fixis, sed castis eam arbitratus est oculis. Post adaquatum gregem, vt ait sacer textus, *osculatus est eam* (hoc enim receptus illius patriæ mos, & vetustissima consuetudo habebat) *& eleuatâ voce fleuit,* Genes. 29. 11.

Multi hæserunt hoc in loco dubij, quid causæ sit, cur plorârit Iacob hac occasione, neque hoc tantùm, verùm etiam magnitudine doloris eiulârit, quod magnanimum iuuenem parùm decuit, tunc vel maximè, quando Rachel collachrymasse non videtur, certè nullo verbo indicatur.

Hanc ex Hebræorum opinione diluit Lyranus difficultatem, inquiens, Iacobtem à domo paterna digressum cum numeroso comitatu, vt filium nobilis, & peropulenti Patriarchæ decebat, intellexisse autem hoc Esau fratrem illius, ac propterea emisisse filium suum natu maximum Elipham, vt is patruum suum Iacob non rebus tantùm alijs, verùm & vitâ exueret. Occurrit ergo illi Eliphaz, qui nimiam feritatem arbitratus, si patrui sui sanguinem funderet, sarcinas illius excussisse, diripuisse monilia, vestium apparatu, & socijs omnibus nudasse, sic vt pauperem, & solo

& solo baculo comitatum à se dimitteret, satis putauit. Cùm ergo in Rachelem consobrinam suam Iacob incidit, seque auro, gemmis, monilibus omnibus, qualia Rebeccæ matri suæ ab aui sui famulo data meminerat, spoliatum videret, acerbè flere cœpit. Hebræi apud Nicolaum Lyranum in cap. 29. Gen. hac de re sic aiunt: *Cùm vidit consobrinam suam, & non habuit aurum, & argentum, seu iocalia ad dandum sibi; sicut seruus Abrahæ dederat Rebeccæ, memor huius rei cœpit lachrymari.* Dura namque, & grauis est calamitas hominis, qui se & magnis debitis prægrauatum, & non esse soluendo nouit. Itaq; hominem, quem prælum hinc æris alieni, vel grauis alterius obligationis, inde inopiæ propriæ, per quã luere non liceat, premit, mirari non debemus, si lachrymas illi tanta necessitas etiã plurimas exprimat.

Quod si ità est, quanta erit memoriæ afflictio, dum hinc illi occurrit memoria mirabilium Dei, id est, hoc sacramentum, quod anima in singulos, si ità vult, dies accipit, & immensum debitum, & obligatio infinita, inde compensatio tenuis, siue vt meliùs loquar, retributio nulla?

Benè habet, quidquid hactenùs dictum. Nemo inficias ierit. At videtur mihi, quòd memoriam illis ex Ieremia 31. 16. appellare possumus: *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis*, res nimirùm tibi est cum bono creditore, cuius est humanitas, vt & debitũ importunè non exigat, & paruo satisfieri sibi sinat. Si enim memoriæ fortè videatur, quod non habeat, quo sua debita luat, voluntatem suam ex communi matre sororem habet vicinam, quæ commodatò dare queat, vnde obligationi suæ vtcunque satisfaciat. Postquàm anima ex hac mensa comedit, deque pretio accepti cibi cum Deo agit, post subductas diligenter rationes inuenitur, quòd Deum valeat buccea quam manducauit, vt sub qua Deum ipsum sumpsit. Quidnam Deus pro tam ingenti beneficio requirit? Non aliud, quàm vt anima vicissim se illi in cibum exhibeat. Hoc nempè est, quod dicitur in Euangelio Ioan. 6. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet*, amabilissimo nexu mihi adstrictus. At quid homo pro tam immenso munere reponat? Quo illo gratiam tantam compensabit? Illo, quod sequitur: *Et ego in eo.* Per hoc Deo velut satisfit, & debitum omne exsoluitur, quòd voluntas totam se tradat illi, quem in hoc tam sublimi, & diuino sacramento accipit: Quemadmodum enim Deus homini se totum, quantus quantus est, exhibet, nihil sibi reseruans, quod non illius esui, & vsui offerat, corpusque suum illi, & animam, omnesque illius potentias, & vitam immortalem, humanitatemque, & diuinitatem totam, sicque omnes diuitiarum suarum thesauros præbet; sic debet voluntas totam se cum omnibus suis affectibus, ac desiderijs huic supremo Domino consecrare, nec se tantùm, sed & animam cum sensibus, & cæteris facultatibus illi tradere, vt & ipsa fiat cibus, & esca Domini, & perfecta maneat vnio & sacramentum consummatum.

Vt namque Deus est dulcis cibus animæ, sic & anima est grata Deo esca, de quo sanctus Ambrosius Doctor Ecclesiæ in Psalmum 118. Octon. 18. v. 3. *Quanta Domini gratia, vt nos in suo ore constituat, & quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes, ac si meremur, deuoret, si nostri cibi suauitatibus delectatur?* Ineffabilis vtique Domini est dignatio, quæ facit, vt ipse quoque sacrosanctum os suum aperiat, & hominem esitandum accipiat? Quis explicare queat suauitatem, & voluptatem, quam amantissimus Deus accipit ex ferculis, quæ illi nostrorum merita operum bonorum inferunt, & apponunt? Nam diuino illius palato nullæ gratiores dapes, nulli acceptiores cibi, nullum dapsilius conuiuium, quàm nostrarum epulæ, & lautitiæ virtutum. Talem ergo à nobis repetit monetam, talem vicem pro conuiuio, quod ipse nobis exhibet. Pretium cælestis cibi, quem nobis edendum apponit, non vult aliud, quàm virtutes, opera bona, actus sanctos à gratia profectos, & immensi istius doni humilem agnitionem, sic enim quisque nostrum fit cummunio, cibus, & pastus Dei: *Quanta Domini gratia, vt nos in ore suo constituat?* Singularis hic fauor, & beneuolentia Domini, vt cùm ille se nobis tradat, hac contentus sit solutione, & compensatione, si nos illi vicissim tradamus. Hæc autem benè suauis, & leuis remuneratio est, quando is, qui totius Dei impendium fecit, solius hominis repensione contentus est, quandò homo solâ voluntate soluendi eluere debitum potest, & domi suæ habet, vnde satisfacere certo quodam modo queat.

Propheta regius aiebat: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino*; Psalm. 26. 6. Memoriã repetierat sanctus Propheta beneficia Dei se plurima, & maxima, rationibusque earum supputatis cùm se imparem solutioni cerneret, fecit quod Princeps, qui grauibus debitis se oneratum videns, & liberari alieno ære vellet, & satisfaciendi facultate destituitur, & proinde insomnes transmittit noctes, & mo-

dos

dos alios ex aliis ad animum aduocat, quibus cùm ditiones suas debitis, tùm seipsum curis, & anxietatibus exonerare possit. Sic ergo & Prophetæ regio accidit, qui de se ait: *Circuiui*; ad varia consilia me conuerti, plurimas hinc inde conquirens rationes, quibus satisfacere Deo possem, video enim tam ingentia esse mea debita, vt eorum magnitudo verbis satis explicari non possit. Ex sancti Hieronymi paraphrasi voluit dicere Dauid, *Circuiui quatuor partes mundi*, & omnem latè orbem terrarum oculis, atque animo perlustraui, si quod fortè subsidium reperirem, quo exire ex Dei ære possem, & hoc solùm inueni, quòd Deus pro solutione mundum nolit. Alio ergo consilio vtendum putauit. Quo illo? *Immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & psalmum dicam Domino*, inquit, tanquàm dixisset: Inueni, quam Deus vult, compensationis rationem. Vociferntionis hostiam cupit, hanc ei litabo, addam autem & cantum, & laudes eius magnis vocibus extollam.

Notate verò quod ait, *Immolaui hostiā vociferationis*. Quid accipit homo christianus, quando cōmunicat? Hostiā. Sic eam vocat sacerdos in sacrosancto Missæ canone, dicens, *Hostiam sanctā, hostiam purā, hostiam immaculatam*. Neque inani nomine sic appellatur, sacramentum enim hoc est incruentum sacrificium, quod offertur æterno Patri pro viuis, & defunctis, idque dignitatis infinitæ, pretij immensi. In vicem huius hostiæ *immolaui hostiam vociferationis*, siue sacrificium laudis. Ex meipso sacrificium feci, eoque satisfeci vel aliquantulùm, quod potui pretium dependi, & me ità comparaui, vt essem hostia, sacrificium, communio Domini, velut Deus est mea communio, hostia, & sacrificium. Respiret ergo memoria tam facilem, humanumque habens creditorem, qui compensationem facultatibus maiorem non exigit. Et quoniam Deus, qui se homini liberalissimè offert, vult vt homo se vicissim illi tradat, nihil certè magnum postulat. Nam neque mundum obire, neque monilia sua oppignorare, neque prouentuum suorum partem vendere necessum habet, habens domi suæ pretium, quo debitum suum luat, hoc est, seipsum. Vt autem seipsum offerat nō maiores sumptus requirit, quàm vt velit, quod cum auxiliaris brachij diuini ope potest. Ergo in voluntate reperiet memoria, quo debitum suum tam ingens, quantum homini possibile, soluat, & obligationi infinitæ satisfaciat.

Sanctus Laurentius Iustinianus de triumphali Christi agone cap. 26. sect. 6. ait: *Nullâ ratione Redemptionis nostræ mediatori meliùs rependimus vices, quàm si illum toto corde, totisq; visceribus diligamus, amoris quippè debita amore soluuntur, tanti ipsa est charitas, vt nonnisi solâ compensetur charitate.* Ad eundem modum possumus in causa præsente ratiocinari. Ad rependendum vices Domino pro cibo, & dapibus, quas in hac sacrosancta mensa nobis apponit, quonam pretio vtemur? Quid pro communione reddemus? Mutuam communionem, quod fiet, si cum Domini auxilio (quo sine fieri solutio nulla potest) nos ità componamus, & præparemus, vt simus communio illius, cibus illius, pastus, & alimonia illius. Hac nempè ratione de infiniti debiti, & ineffabilis obligationis ponderibus plurimùm detrahemus.

Faciat hoc ità Politicus noster, disponat sese, & præparet, vt tantæ maiestatis hospitem in humili animæ suæ domuncula excipiat. Mundet ædes, adornet diuersorium, desideretque, & magnis votis postulet puritatem, & charitatem omniū eorum iustorum, quotquot ab ipsis institutæ cænæ dominicæ primordijs ad sacrum conuiuium accesserunt, & vsque in diem mundi extremum cælesti hoc pabulo reficientur, faciat se quoque tam magni Domini communionem, studioseque attendat, qualis illi mensæ sese ingerat, videns scilicet periculum cui se exponit. Iam nouit omnia includi in hoc mystico, & sacrosancto cibo, qui est panis duarum facierum, quarum vna serena, & velut subridens iustum amanter spectat, altera formidabilis, & horribilis improbo. Denique *mors est malis, vita bonis*. Caueat ne suo vitio theriacam in toxicum, antidotum in aconitum, in mortem vitam, gratiam in damnationem, gloriam in infernum vertat. Non sit venenatus araneus, qui ex melle dulcissimi faui huius legat amarum fel, quo seipsum inficiat, & conficiat, nec enim esse potest alia vel acerbior miseria, vel grauior infelicitas, quàm si quis panem in gladium, agnum in leonem, aduocatum in iudicem, patrem in accusatorem suâ sibi culpâ commutet. Verùm si ad hoc augustissimum, & sacratissimum epulum accedat purus, nitidus, emaculatus, cum fulgida veste nuptiali, panis illi alimonia erit, cibus vita, esca, suauitas, semperque ex conuiuio referet tum augmenta gratiæ, tum pignus futuræ, & æternæ gloriæ.

*Benedicta sit Sancta, & indiuidua Trinitas, quià fecit, & facit, & faciet nobiscum misericordiam suam, Amen.*

# POLITICI COELORVM,

## Ex mysticis actionibus, & moribus Sacri Patriarchæ Iacob exsculpti.

## PARS SECVNDA.

## LIBER PRIMVS.

### CAPVT I.

*Ad facilem, felicemq́ alicuius ardui operis persecutionem plurimùm facit, si magno animo illud suscipias, & aggrediaris, cùm rei cuiusq́ principium sit pars illius potissima, & dimidium facti, qui benè cœpit, habeat.*

PRæceperat vetuli patris sui Isaaci benedictionem inclytus Patriarcha noster Iacob, veniamque petendi Mesopotamiam, & *profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban fratrem Rebeccæ matris suæ*; Genes. 28. 5. vt malè irati fratris sui Esau furorem effugeret (quem ob benedictionem, omnemque illi coniunctam priuilegiorum, & immunitatum gratiam præceptam perinfensum habebat) tum vt statum vitæ certum iniret, matrimoniumque cum auunculi sui filiabus contraheret, & nobilem, catholicumque sanguinem suum infamium, perfidarum, & idololatriæ deditarum Chananæarum coniugio non contaminaret.

Vt Politicum nostrum statim instituere incipiamus, & sublimissimam quandam status rationem eum doceamus, diligenti consideratione pensare debemus mysticum modum, quo sancti viatoris nostri iter, profectionemque sacer historicus describit, inquiens: *Profectus venit in Mesopotamiam*; in quibus plerisque Expositorum subitò animaduerterunt peculiarem illam formulam, quâ diuinus chronologus sic enarrat iter Sancti Iacob, vt illum mox ad primulos passus in termino suæ viæ constituat, tanquàm finem suum statim assecutus fuerit, ac penè simul intulerit pedem domui auunculi sui, atque extulerit ædibus paternis, cùm tamen certum, exploratumque nobis sit, plurimos confecisse passus, & dies exegisse non paucos priusquàm in auunculi sui domum peruenerit. Quid ergò sibi vult, quòd Moyses tam subitò in Mesopotamia Syriæ Iacobtem constituit? Hispaniarum Salomon Tostatus in c. 28. Genes. ait: *Profectus est in Mesopotamiam Syriæ, id est, incepit proficisci.* Et Cardinalis Caietanus: *Extremos terminos, à quo, & ad quem itineris Iacob narrat Moyses, priusquàm narret euentus medios in via.* Quod propheticus historicus scribit, peregrinum nostrum ex Chanaan in fertilem Syriam, locupletemque auunculi sui domum peruenisse, dissimulans, quæcunque per itineris prolixi longa spatia illi euenerunt, principiumque fini connectens, & inquiens, *Profectus est*, id perinde fuit, acsi dixisset, dedit se in viam, cœpit itinerari. Quòd autem Iacob cœpit inire viam, id Moysi, ex primordijs itineris felicem illius successum, & exitum auguranti, tantundem fuit, acsi profectus esset, peruenissetque in Mesopotamiam, vt mystico illo loquendi modo doceret, omnes rerum quarũuis euentus prosperos ab eo pendere, vt quis certo, & confirmato animo eas aggrediatur. Nam vt ingentia tibi bonorum operum studio merita feliciter pares, plurimùm conducit, si strenuè illud suscipias, & voluntate ad

ad ipſius proſecutionem validè obſtinatâ inchoes.

Ità nos docet, & monet vitæ monaſticæ dux religioſus, & illuſtris anteſignanus Sanctus Baſilius Magnus in Orat. 2. de ieiunio, inquiens: *Quarum rerum initia recuſantur, in ijs procul dubio totum reijcitur.* Non neſcimus, inquit monachorum heroicus Patriarcha, quòd principium alicuius operis, (ſi rem ad ſeuerioris philoſophiæ canones examines) non eſt tota illius ſubſtantia, ſed pars tantùm aliqua, quæ ad illius debitam perfectionem conſtituendam faciat: Verùm benè animum aduertenti videbitur, initium operis velut totum opus eſſe, vt quòd ſit radix, & origo conſummatæ conſtitutionis illius, fieri enim non poteſt, vt vnquàm perficiatur, quod nunquàm inchoatur. Ergò qui ordiri recuſat, vltrò fatetur, nolle abſoluere. Ergò operis cuiuſcunque ſumma in principio illius, velut in fonte & origine conſiſtit. Ergò refert animosè incipere, vt feliciter peragatur, cùm ab initio ſtrenuo proficiſcatur quidquid boni eſt in opere bono: *Quarum autem rerum initia recuſantur, in ijs procul dubio totum reijcitur.* Quare magno animo actiones noſtras ordiamur, ſic namque feliciter eas conficiemus.

Ibat expugnatum Dei populus ethnicam idololatrarum Chananæorum regionem, quando Caleb, vt milites ad fortiter dimicandum inflammaret, aiebat: *Qui percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem;* Iudic. 1. 12. velut pluribus dixiſſet: Quiſquis militari auſu, & Martio impetu, & animo intrepido arrogantem illam ſolo æquauerit ciuitatem, & portas eius perfregerit, & demolitus fuerit muros, & ſuperbiam compreſſerit, huic ego pro tam præclari facinoris merito dabo coniugem filiam meam, quæ mihi vnica eſt, & delitium meum, & cùm ſanguinis, tum facultatum omnium, & fortunarum ſola hæres.

Si opus, quod factum Caleb cupiebat, attentiore conſideratione arbitremur, impoſſibile fuiſſe, quod volebat, inueniemus. Quod enim fieri, vt videtur, optabat, illud erat, vt vnus quidam ſolus totam ferro vaſtaret ciuitatem Cariath Sepher, perduelleſq; eius habitatores ſubiecto incendio exureret, conficeretque. Hoc autem ſuprà quàm arduum facinus, & pluſquàm difficilis prouincia vni ſoli brachio, & gladio erat. Quid ergò tam prudens Capitaneus, tam ſapiens Imperator edicto publico rem tam operoſam expetit, quæ vel immenſæ poteſtati, vel prodigioſo miraculo ſit reſeruata?

Hanc acutè, vt ferè ſolet, diluit difficultatem inſignis noſter Abulenſis q. 14. in c. 1. libri Iudicum, inquiens: *Non intelligitur, quòd aliquis de Iſraëlitis deberet percutere vrbem, id eſt, omnes habitatores vrbis, & vaſtare eos, delendo ſcilicet totaliter, quia hoc non poſſet quiſquam facere, ſed intelligitur de iſto, qui primò irrumperet in vrbem, & inciperet occidere viros vrbis.* Quando ſupremus exercitus Iſraëlitici ductor Caleb filiam ſuam ſponſam addicebat ei, quiſquis ſupremam vrbi Cariath Sepher ſtragem adferret, non id eo conſilio faciebat, quòd ab vno ſolo interemptos omnes illius incolas vellet, huius enim operis magnitudo vires dexteræ vnius, niſi quam Deus virtute ſupernaturali roboraſſet, longè ſuperabat. Quid ergò volebat? Hoc ſolùm, vt is ſibi hoc præmium haberet, quiſquis animosè, audacter, fortiterq; portas ciuitatis adoriretur, & in medios hoſtes irrumperet, inimicarumq; copiarum ordinem diſſiparet. Hoccinè verò fuit Calebo deſtruere, & ſubigere contumacem populum? *Qui percuſſerit, & deuaſtauerit.* Immò fuit. Nam vt fortiter cœpiſſe opus, & ſtrenuè exorſum eſſe plurimùm facit ad illius proſecutionem, cùm principium ſit fons, ex quo felix eius finis promanat, propterea primo vrbis inuaſori præmium, primo ciuium aggreſſori laurum promittebat, quòd ille potiſſima cauſa eſſet felicis pugnæ exitus, optatus nempè ſuſceptæ operæ euentus ab illius primordijs plurimùm pendet.

Sic ex ſententia diuini Platonis docet fortiſſimus martyr Sanctus Euſtathius in diſſertat. de Engaſtrymit. contrà Origenem, inquiens: *In vnaquaque re maximum eſt, atque præſtantiſſimum, principium,* nemo quippè coronidem, ſummumque faſtigium ſtructuræ imponit, niſi fundamentum præiecerit, atque inde operæ initium ante fecerit. Supremum ergò editiſſimæ turris cacumen altitudinem ſuam acceptam ferre, velit nolit, debet humili baſi ſuæ, quòd enim illa vertice nubibus ambitioſa ſeſe ingerit, hoc à primo principio, & imo ſuſtentamento habet, niſi enim intrà profundiorem terram initia illius conſtruerentur, in tantam celſitudinem aſſurgere nunquàm poſſet.

Quærit Eminentiſſimus Cardinalis Oſtienſis Sanctus Petrus Damianus, cuinam Euangeliſtarum magis obnoxij, arctiùſque deuincti ſimus pro ſacra hiſtoria vitæ, & actionum magni ducis, & Magiſtri noſtri, quas ſuorum ſcriptorum monimentis conſignatas ad nos tranſmiſerunt. Difficilis eſt quæſtio. Sunt enim varia hinc inde, quæ ſi in conſiderationem adducantur, facient vt nec facilè ſit, nec promptum determinare, cuius ſunt maiora in nos merita. Ioannes

nes sibi plurimùm à nobis deberi affirmabit, est nimirùm aquila, quæ seipsam transcendens in supremum cacumen volatu penetrauit, atque in verticem celsissimi, & immensi Olympi peruasit incomprehensibilis diuinitatis Verbi æterni, & Euangelij sui tubâ generationem illius æternam insonans, vastos montes omnes, ipsosq; adeò cœlos tremefecit. Neque deerit vel Lucæ, quod dicat, vel Marco, quod pro se adstruat, est namq; leo, qui à Ioannis ad pœnitentiam exhortantis terrifico rugitu auspicatè exorsus est, quæ de Seruatoris nostri dictis, gestisué admirandis conscripsit.

Verùm magnus Cardinalis ait, quanquàm multis, & magnis modis obstricti sumus Euangelistis cæteris, se nihilominùs pro vno Matthæo semper pronuntiaturum, ad eius partes accessurum, si pronuntiandi facultas sibi concessa esset, idque hanc vel maximè ob causam, quòd ille primus viam Euangelistis alijs aperuit, & rationem conscribendorum actuum Christi ostendit. Et illud quidem fortè audaciùs, non sine causa tamen sentire, & affirmare dicit.

Verba illius ex Serm. 49. sic habent: *Vt audenter dicam, nemo post Christum est, cui magis debeat sancta Vniuersalis Ecclesia.* Et causa huius est ista, *quià primus omnium Matthæus Euangelium scripsit. Quià igitur ad sanctum Euangelium describendum primus iste prorupit, scribendi cæteris Euangelistis viam præcessor aperuit, & tanquàm dux vexillum sequentibus prætulit, sicque eos exemplo, vt scriberent, incitauit. Illi ergò debemus Euangelium, quem Euangelicæ narrationis constat intulisse principium, & quem in cæteris nouimus primùm, nō ambigimus inter eos cuiusdam priuilegij tenere primatum.* Quidam Aminadab historiæ Euangelicæ fuit Matthæus. Matthæus semitas profundi oceani reconditorum sacramentorum Verbi æterni detexit. At si Matthæus primus signa extulit, primus viam aperuit, primus omnem de medio difficultatem sustulit, idem alijs animos fecit, & stimulos admouit, vt continuandum, prosequendumq. susciperent, quod ipsi mysticas ob causas memorare non fuit concessum. Primæ ergò laudes illi debentur, qui primus adornandæ Euangelicæ historiæ manum admouit, ampliùsq; illi quodammodò obnoxia est sancta Christi Sponsa, quàm reliquis Euágelistis, quòd historiæ, quam dixi, Euangelicæ princeps fuit, & in illius Euangelio tanquàm in principio cætera contineantur: *Quem in cæteris nouimus primum, non ambigimus inter eos cuiusdam priuilegij tenere primatum.*

Hinc accipitur, & intelligitur, quantum operis alicuius primordijs debeatur. Nam cùm Sancti Ioannis Euangelium sit altissimum omnium, Euangelio tamen Sancti Matthæi velut cedit, tributaq; pendit, quòd Christi generationem humanam præcipuè recenset, nec ob aliud cedit, quàm quòd ille suam historiam primus vsui publico exposuit, & vulgauit.

Nam vt humanæ philosophiæ facilè princeps Aristoteles sect. 10. problemat. num. 15. aiebat, *principium rei cuiusque maximum est, quippe quòd res dimidium sit.* Initium rei tametsi nec dimidium illius sit, neque finis, vtrumq; tamen certo quodam modo dici potest, nihil enim absolui, & perfici potest, quod non inchoatum aliquando fuit.

Ex his accipiemus, quo Poëtarum maximum, Virgilium dico, à calumnia non qualicunque cum Seruio vindicemus. Amore cœcata, & malesana Dido regina manus sibijpsi adferre violentas, & consciscere necem voluit, quòd parùm comiter, nec satis vrbanè, quin contemptim ab hospite suo Ænea habita fuit. Inter omnia, quibus seipsam consolabatur, vt ex infelici vita minùs ægrè decederet, illud erat, quòd suis Africanis elegantem, opulentamque ciuitatem relinquebat, in qua nomen ipsius ad sæculorum inuidiam, & voracis temporis liuorem, doloremque perennaturum esset:

*Sidonias ostentat opes, Vrbemque paratam;*

inquit de illa Virgilius lib. 4. Æneidos suæ. Huic aduersari videtur, quod paulò post narrat, Didonem ab insano amore simul, & ignauia occupatam auocasse manum à cœptæ structuræ, & inchoatæ vrbis opera, sic canens:

*Non captæ assurgunt turres, non arma iuuentus.*
*Exercet, portusque, aut propugnacula bello*
*Tuta parant, pendent opera interrupta, minæque*
*Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.*

Si interrupta hæserunt suspensa opera, Didoq; ante animam posuit, quàm absolueret fabricam, quid est, quòd paratam ostentasse vrbem fertur?

Respondet Seruius: *Non est contrarium illi loco,* Pendent opera interrupta, *quià quantum ad ipsam pertinet, fecerat.* Non pugnat secum Poëta, sed consequenter ad rem præsentem, & causam quam tractamus, loquitur. Tametsi enim verum sit, quòd Dido ad vmbilicum non perduxit inchoatæ vrbis ædificium, potuit tamen affirmare parasse illud, vt quæ muros eius, turresque excitare cœperat: Cùmque principium rei sit pars illius maxima, potuit dicere, absoluisse illam, sibiq; debitam gloriam operis posthac perficiendi, cuius initium fecerit.

Congruit cum dictis, & ad rei propositæ confirmationem facit, quod Sacrum Oraculum 1. Esdræ 3. v. 10. & 11. his verbis refert: *Fundato igitur à cæmentarijs templo Domini steterunt Sacerdotes in ordine suo cum tubis, & Leuitæ in cymbalis vt laudarent Deum, & concinebant in hymnis.* Palàm est, quòd Sacerdotes, & Leuitæ non poterant, quin festiuis plausibus, & publicis lætitiæ signis suum de construendo templo gaudium ostentarent, hæc nimirùm summa miseris mortalibus consolatio, quòd Domini ædem, sedemque iuxtà se habent, in qua magnifica illius maiestas beneuolentiorem, & faciliorem se indigorum precibus exhibet, & celeriorem necessitatibus ærumnosorum fert opem.

Sed notandum in ijs sacri textus verbis, quod dicitur, *fundato templo* concurrisse ministros templi ad laudes eius, qui templi Dominus erat, celebrandas, & concinendas. Nam benè rem pensiculanti occurret, templum illud tam citò, quàm hîc dicitur, fundari seu perfici non potuisse: *Quadraginta* enim, & *sex annis*, vt est apud S. Ioannem cap. 2. vers. 20. *ædificatum est templum hoc*. Quid ergo est, quòd hîc maiore temporis compendio hoc domus Dei ædificium absolutum fertur? Vix nimirùm primus lapis iactus dicitur, quando structura consummata commemoratur.

Respondet quæsito venerabilis P. Gaspar Sanchez in 1. Esdræ cap. 3. v. 10. inquiens: *Fundatum dicitur templum, cùm iacta sunt fundamenta, quæ futuri templi molem sustinerent.* Stratis itaque sustentamentis, quæ totam basilicæ machinam excepturа erant, dicitur basilica ipsa ad fastigium educta, tametsi plurimi dies, & anni abierunt, priusquàm manus vltima operi tam vasto imposita fuit. Mystico autem loquendi modo instituimur, quanti referat strenuo animo rem aliquam ordiri, quantumuis ardua illa sit, & difficilis. Tanta nempè momenta habet ardens initium, vt pro consummata haberi possit opera, quæ fuit enixè suscepta, & inchoata. Proptereà templum illud tunc dicebatur fundatum, quando ædificari cœptum, finijsse enim quidpiam, & feruente studio incepisse, videntur idem esse.

Idcircò Iurisconsultus lib. 1. de orig. iur. aiebat: *Cuiusque rei principium est potissima pars*, maximè cùm perficiendi cupiditate flagrat animus illius, qui eam orditur. Meritò autem initium pars rei maxima dicitur, nam quod non est cœptum, quomodo perduci ad exitum queat?

Percommoda hæc venient ijs, quæ S. Ioannes Chrysostomus obseruauit in titulo, quem B. Matthæus suo Euangelio imposuit, dicens: *Liber generationis Iesu Christi*; Matth. 1. 1. De hoc titulo Chrysostomus, quę dixi, in breui enarrat. in Matth. apud Titum Bostrensem illud quærit: *Cur librum generationis Iesu Christi ipsum appellat, cùm non solùm generationem, sed vniuersam prorsùs carnis dispensationem contineat?* Non solùm natiuitatem Christi, sed & baptismum, & prædicationem, & miracula, & passionem, & mortem, & resurrectionem, & alia plurima refert Matthæus. Cur ergò generationis librum vocat historiam, quæ tam multa alia commemorat?

Respondet catholicus Demosthenes, inquiens: *Quià profectò totius dispensationis caput est, ac bonorum nostrorum radix, atque principium.* Quòd Matthæus suum Euangelium libri generationis Dominicæ nomine insigniuit, tametsi illud alia tam multa Domini nostri dicta, gestaque complectatur, id fecit, quià natiuitas illius fons quidam fuit omnium, quæcunq; posteà dixit, fecit, tolerauit, vt proptereà dicta omnia videantur, cùm prima origo est detecta: *Quià totius dispensationis caput est, ac bonorum nostrorum principium, atque radix.* Hinc accipitur, quanti referat, obfirmato rem quampiam animo incepisse, vt enim in radice fructus, in fundamento ædificium, sic in principio tota operis bonitas, successusque & vitæ, & rei cuiuslibet alterius fortunatus fundatur.

Eapropter idem sanctus Doctor consequenter ad dicta festum nati Domini nostri festiuitatum omnium metropolin appellat in orat. de S. Philogon. inquiens: *Appetit festum omnium festorum maximè venerandum, tremendumque, quòd si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquàm aberret. Quod autem hoc est? Christi iuxtà carnem natiuitas.* Sed quamobrem cætera festa sunt velut coloniæ quædam, vnus verò natalis Domini dies tanquàm matrix ciuitas?

Perspicuum est Chrysostomi responsum, dicentis: *Ab hoc enim festum Epiphaniorum, sacrum Pascha, Ascensio, & Pentecostes originem, ac fundamentum ducunt, itaque ab hoc, ceu fonte quopiam diuersi orti fluuij, nata sunt nobis hæc festa.* Ex nati Domini festo die dies festi alij omnes sunt nati. Sacratissima ergò illa solennitas metropolis vocetur omnium earum festiuitatum, quibus Verbi æterni in carne humana gestorum memoria celebratur, sintq; hæ illius velut suffraganeæ, siue coloniæ: *Si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquàm aberret.* His omnibus docemur, quàm vtile, & conducibile sit,

fit, paratum ad rem aliquam suscipiendam accedere, strenuéque & fortiter eam ordiri, cùm velut in semine fructus, in fonte riuus, sic in principio felix successus actionis contineatur, hæcque tota, sublato initio, intereat.

Ergò vt Catholicus, & Christianus Politicus noster finem destinatum, & optatum consequatur, necessum est vt magno animo sese præparet ad suscipienda studia virtutis, & perfringendas, quæcunque occurrere possunt, difficultates, ob id etiam, quòd omnis victa, superataque difficultas videtur, cùm animus ad inchoandum opus semel rectè est præparatus, & confirmatus, quisquis enim semel audacter, ardenterque in virtutis qualiscunq; curriculum descenderit, is illud cum Dei auxilio animosè persequetur, & feliciter, ac prosperè conficiet.

## CAPVT II.

*Vt virtutem quis delectabiliter sequatur, & prosequatur suauiter, persuadenda est, quatenùs amabilis spiritui, non ea ex parte ostendenda, & consulenda, quá formidabilis carni.*

SVblimis mons, arcta semita, anceps iter, aspera rupes, mare procellosum solet appellari virtus. Quod ad carnem, & sanguinem, quæ mortale spiritualibus rebus bellum indixerunt, attinet, hi, alijq; tales virtuti concedi tituli possunt, sed cùm omnipotens Dei brachium roboret animos, & confirmet debiles vires, aspera etiam complanat, procellosa sedat, acida edulcat, rigida lenit, dura emollit. Atq; vt virtus non exterreat, eâ parte spectanda est, quâ facilis, suauis, tractabilisque videtur. Hæc doctrina omnibus valde vtilis est, incipientibus autem ingredi stadium, & suscipere studium virtutis vel maximè, quibus abscondendum quidquid amarum, molestumque inest virtuti, & quod suaue, quod gratum, ac delectabile, proponendum, inculcandumque, vt ad philosophiam christianam condiscendam magno, & alacri animo accedant. Perperam enim, & contrà præceptiones diuinæ rhetorices ageret, qui difficultates rei arduæ illi proponeret, cui eam persuadere vellet, & perterrere inciperet, quem confirmare, ac roborare deberet. A Sancto Ephræm hoc monitum venit, qui de var. doctrin. cap. 62. sic ait: *Non oportet modum nimis strictè ponere aduersùs recenter instructos, ne à Seniore ipsi ad alium deficiant.* Tyrones militiæ christianæ non debent nimium quantum arctari, & constringi, neque virtuti tam morosa, tetrica, & terrifica facies appingenda, vt horrorem incutiat ei, qui illam est amplexurus, sed quidquid in ea est facile, suaue, honestum, conducibile, illud prædicandum, vt in eius disciplinam volens, libens, gaudensque se tradat.

Et consideremus infelicitatem, quam minatur Sanctus Ephræm ijs, qui tali non vtuntur doctrinâ. Monet ille rudes vitæ sanctioris non nimis arctare, *ne à Seniore ad alium deficiant*, ne hoc agant, quod milites ferè solent, qui cùm à suo centurione plus satis constringuntur, & per vim, tyrannidemq; opprimuntur, ad hostilium castrorum exercitus transfugiunt, fiuntq; infensi aduersarij, qui esse poterant validi auxiliares, & amici. Tale quidpiam, inquit Ephræm, vereri possumus ne ijs accidat, quibus imprudentes magistri terribilem, intolerabilemq; proponunt virtutum exercitationem, ex quo fit, vt deterriti difficultate in eorum studio versari posse desperent, adeóq; ad partes, & castra vitiorum deficiant, atque in ijs positi cruento bello virtutem infestent, contaminatisq; moribus suis eam, tanquàm iurati, & capitales hostes impugnent, pro qua strenuè, ac fortiter dimicare poterant.

Quàm pulchrum huius tam salutaris doctrinæ exemplum inueniemus in sanctissimo Domini nostri Præcursore Ioãne Baptista, qui asperæ pœnitentiæ, & omnis perfectionis imago fuit! Admirabilis vocis suæ efficacitate, & prodigiosæ doctrinæ, stupendæq; prædicationis famâ, vt est apud B. Lucam, sic ad se pertrahebat auditores, vt hominibus vacuæ quidẽ essent ciuitates alioquin populosissimæ, plena verò eremus, & ad illum tanquàm ad communem medicum passim vndique confluerent, vt lethalibus animarum suarum infirmitatibus curationem quærerent. Inter cæteros venerunt ad illum Publicani, qui de periculosorum malorum suorum remedio soliciti interrogabant: *Magister quid faciemus?* Luc. 3. 12. tanquàm dixissent: Dexterrimum te medicum, & scientissimum magistrum cùm nouerimus, quàm possumus enixè, suppliciterque obsecramus, vt suggeras quid nobis agendum, vt consanescamus ab ægritudinibus, quæ nos in confinia mortis adduxerunt, putidis, putridisque vlceribus medicinam, quamcunque voles, efficacem adhibe. Respondit diuinus prodromus ibid. v. 13. *Nihil ampliùs, quàm quod vobis constitutum est, faciatis*, vnam rem solam si feceritis, mihi satisfeceritis. Tributa ex officio publica exigitis, curate vt hoc moderatè citrà cuiusquam molestiam, & iniuriam faciatis. Sufficit miseris subditis, quòd sint vectigales, cauete ne anxietates illorum importuni exactores faciatis auctiores.

Notauit hîc Hugo Cardinalis prudentiam, & discretionem ſapientis magiſtri, inquiens: *Publicanos nondum hortatur ad ſua cum proximis communicanda, ſed priùs dehortatur de iniuria proximis irroganda.* Erant Publicani homines auari, aridi, ſordidi, perpetuòque ſitiebant egenorum, ac pauperum alterum quendam ſanguinem, & vi ad hanc rem vtebantur, nec precibus moueri ſinebant, vt mitiùs agerent. Cùmque reatum ſuum agnoſcerent, & intelligerent errata, atque à ſtrato tam exitialis infirmitatis exurgere cuperent, cum ſancto Ioanne de ſuo propoſito communicabant, illumq́; quid facto opus, conſulebant. Is reſponſum dedit, quod iam diximus. Et ille quidem, tametſi vehementer optaret, vt non ſolùm moleſti tributorum exactores non eſſent, verùm etiam ſua in pauperes prolixâ manu liberaliter erogarent, & indigentium neceſſitatibus opem ferrent, hoc ſolùm tamen ijs dicit, vt ne per vim improbè extorqueant, quod illi expetere, alij pendere iuſſi, neque plus debito depoſcant: *Nondum hortatur ad ſua cum proximis communicanda.* At cur non ſtatim Publicanis liberalitatem ergà inopes ſuadet? Cur? Ne illos primo congreſſu mox perterrefaciat. Si enim ſimul atq; illum conuenerunt, omnia, quæ ab ijs fieri optabat, ſacer Præcurſor propoſuiſſet, & exegiſſet, rem arduam, & perdifficilem petijſſe abitrati fuiſſent, nam ex auaro derepente liberalem facere, & ex ſordido munificum, videtur tale eſſe, quod factu ſit impoſſibile. Cùm ergo ſagax venator eſſet, vt ne exterrita ipſi elaberetur præda, ſuauia propoſuit, faciliora petijt, hoc nimirùm, vt nihil acciperent, niſi quod iure debitum eſſet, vt cùm hoc illius hortatu feciſſent, quod facere leui negotio poterant, poſthæc facerent etiam id, quod ipſis videbatur operoſius, & non ſolùm alienis rebus manus violentas non adferrent, verùm etiam ſuas facultates largis manibus erogarent. Hic eſt bonus modus adducendi ad ſtudium virtutis, perſuadendi amorem Philoſophiæ Chriſtianæ, cùm facilis proponitur via, & pronum iter oſtenditur, & trita, tutaque ſemita demonſtratur, & onus tolerabile commendatur.

Simile eſt quoddam noſtri Hiſpani Quintiliani conſilium, qui lib. 2. cap. 4. inter varia præcepta, quibus iuuentutis magiſtros, & moderatores inſtituit, etiam hoc tradit: *Ne illud quidem, quòd admoneamus, indignum eſt, ingenia puerorum nimiâ interim emendationis ſeueritate deficere, nam & deſperant; & dolent, & nouiſſimè oderunt, & quod maximè nocet, dum omnia timent, nihil conantur.*

Quapropter idem eloquentiæ magiſter ait, ſcientiarum Doctores hoc agere debere, quod induſtrij, & periti agricolæ ſolent, qui *frondibus teneris non putant adducendam eſſe falcem, quia reformidare ferrum videntur, & cicatricem nondum pati poſſe.* Mollis plantula durum ferrum ferre non poteſt, in qua ſi quid vitij, hoc blandæ manus frictione, & leni ſtercoris fomento leuiùs curatur, aſperam ſecuris arbori longulis annis duratæ ſeruanda. Tantundem faciendum cum ijs, qui ſcholas virtutis frequentare, & ſigna militiæ Chriſtianæ ſequi cupiunt. Non illis ſub primum ingreſſum, ſi quid in virtute horribile, proponendum, ſed quod facile, gratumq́; oſtendendum, ſuaue, non ſalebroſum iter indicandum, nec moleſta, ſed leuia, tolerabiliaque onera commendanda, vt ſic magno animo adeant pugnam, & ſtrenuè, fortiterque confligant.

Quàm benè hac in re verſatus erat ſecundus Iſráëlitici populi Imperator Ioſue! qui cùm terram promiſſionis iamiam ſubacturus armis, & expugnaturus eſſet, dicebat ſuis: *Præparate vobis cibaria, quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram. Vxores veſtræ, & filij, & iumenta manebunt in terra, vos autem tranſite armati ante fratres veſtros*; Ioſ. 1. v. 11. 14. Vtramque Iordanis ripam Iſráëlitæ tenebant. Hos omnes vniuerſim appellabat Ioſue, refricans eis memoriam promiſſionis diuinæ, & inquiens; *Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes, dicens, Dominus Deus veſter dedit vobis requiem, & omnem terram*; v. 13. Iuſſit etiam recogitare, quòd ex eiuſdem Dei pollicitatione vxores, liberi, poſteri omnes futuri eſſent hæredes terræ, cuius amplitudo cum fertilitate, fertilitas cum rerum omnium, quæ ad neceſſitatem, voluptatemque ſpectarent, abundantia, abundantia cum aëris ſalubritate, & ſoli amœnitate certaret, demùm verò rapere arma, & ferro vel exigere, vel delere hoſtem imperauit.

Obſeruauit hîc eruditus Andreas Maſius magnam inclyti ducis prudentiam, quâ ad ſuam adhortationem vſus fuit, eamq́; his verbis deſcripſit: *Initio ſtatim, quæ illis iucundiſſima, gratiſſimaque audita ſint, commemorat, quo ipſorum animos conciliet. Quid enim illis potuiſſet eſſe iucundius recordatione donatæ nuper ampliſſimæ, & vberrimæ hæreditatis? Quid acceptius, atque ſuauius, quàm vxoribus, paruuliſq́; liberis, & pecudibus integrum poſthac fore optatâ diu frui quiete domi ſua? Vbi verò vlteriùs ad id ventum eſt, quod mordere ipſorum animos poſſit, hoc eſt,* Vos autem tranſite armati, *tam id paucis abſoluit, tamq́;*

*citò*

*cito ad ea, quæ acerbum hoc leniant, transuolat, vt veluti vno hiatu & ferire mentem ipsorum, & sanare videatur.* Digna est, quæ notetur, solertis Imperatoris sagacitas. Voluit suis persuadere, vt correptis armis cum hoste concurrerent, manusque consererent, qui obstaculo esse volebat, quò minùs in terram promissam, quæ lacte, & melle manabat, penetrare, illius possessionem adire possent. Ne verò illos vel armorum horror, & strepitus, vel hostium sanguinariorum truculentia, & feritas, vel pugnæ difficilis labor, & anceps, dubiusque euentus, vel buccinarum crepitus, & vociferantium boatus, occumbentiumque aspectus exterreret, cùm dissimulare apud eos, quòd præliaturi essent, non posset, ne animos eorum frangeret, roburque pectoris debilitaret; cautim, meditatòque illis primùm ea narrat, quæ sciebat quòd patentissimis auribus lætantissimè, auidissimèque combibituri essent, in his illa, quòd vxoribus, filijsque non solùm placida, & læta, & diu expetita quies, sed incredibilis etiam omnium bonorum affluentia, pecoribus autem prata compascua herbida, lauta, ampla, aprica indubitatò parata essent, tum verbis, quod aiunt, tribus ineundæ pugnæ necessitatem indicat, ne quæ belli incommoda eos expauefacerent, & à conflictu abstinerent: *Quod mordere ipsorum animos possit, paucis absoluit, citò ad ea, quæ acerbum hoc rursùs leniant, transuolat.* Hinc discant, quicunque alios ad virtutis studium permouere volunt, quomodo se habere ergà illos debeant, vt nouellis discipulis, rudibus tyronibus honestatem, & voluptatem, quam hæc sacra Philosophia, & cœli scientia fert secum, proponant, indicentque quòd ea est quies animæ, paradisus conscientiæ, & porta, quæ ad perpetuum ducit otium, vt talium rerum commemoratione roborati consequantur virtutem, quibus eam sequi est propositum.

Quòd hâc doctrinâ præclarè vti nouerit strenuus ille, ac magnanimus iuuenis Germanicus id ex adhortatorio sermone, & oratione illa eluxit, quâ milites ad fortiter ineundum contrà perduelles Germanos certamen excitauit, hoc eos inprimis cogitare iubens, quòd si pugnaciter, tanquàm veri Romani certarent, illorum acris dimicatio *victoribus decus, & gloriam, quæ domi cara, quæ in castris honesta,* vt est apud Tacit. lib. 1. annal. ipsis allatura esset, & nominis famam æternam, celebritatem toto, quacunque patet, terrarum orbe diffundendam paritura, effecturaque, vt coniuges illorum, & liberi, & domestici, ac necessarij omnes pace perpetuâ gauderent, ipsi verò spolijs opimis, amplisq; onusti domum redirent, atque ibi trophæa bellicæ laudis insignia, & monumenta sempiterna constituerent. Hæc omnia ijs posuit ob oculos. Verùm Tacitus in tota eius oratione id notauit, quòd *reticuit de aduersis,* consultòque præterijt, quidquid sinistrum illis euenire poterat, quod hostibus (vt est varia, & mutabilis belli alea) succumbere, quòd dulcis libertatis, & vitæ iacturam facere, quòd insolentibus, & arrogantibus inimicis ludi-io esse, & his similia, grauiora etiam mala incurrere poterant? Cur aduersa dissimulauit, & sola commemorauit prospera? Cur spe triumphi illos animauit, & quòd iniquiore Marte pugnare, vique armorum infensorum opprimi, atque extingui poterant, silentio inuoluit? *Reticuit de aduersis.* Id fecit, quòd eorum debilitasset animos, comminuisset robur, incidisset neruos, ipsique inter primordia certaminis tanquàm ignaui, & meticulosi, & impendentia pericula veriti diffugissent, si commemorasset infaustos, & funestos exitus, quos eiusmodi conflictus habere soleant: Proptereà expectatione triumphi, & prædæ cupiditate, & famâ victoriæ, & nominis exaltatione illos accendit, vt alacriùs bellum inirent, & pugnarent acriùs, & ardentiùs confligerent. Ità prouinciam aliquam suscepturo non est detegenda difficultas, quam illa secum ferat, sed gloria, quam pariat. Sic & virtutem consectari, & amplecti cupienti non est illa exhibenda, quâ paria carni & sanguini molesta, aduersa, aspera, sed quâ spiritui conducibilis, vtilis, salutaris.

Ab Imperatore ad Imperatorem, à Germanico ad Iustinianum transeo, qui ait, vt quempiam ad amorem iurisprudentiæ, & legum peritiæ inflammes, id nec maiore artificio, nec minore laboris, ac temporis impendio fieri posse, quàm si illi facilia primum, & quæ in promptu, magisque perspicua sunt, tradas, ne accedere volentem in limine primo deterreas, & à vestibulo reuoces.

Verba illius in principio Institutionum tit. de iustitia & iure sunt eiusmodi: *Ità videntur posse tradi commodissimè, si primò leui, ac simplici viâ, post deinde diligentissimâ, atque exactissimâ interpretatione singula tradantur: Aliòqui si statim ab initio rudem adhuc, & infirmum animum studiosi multitudine, ac varietate rerum onerauerimus, duorum alterum, aut desertorem eum efficiemus, aut cum magno labore, sæpè etiam cum diffidentia, quæ plerumque iuuenes auertit, seriùs ad id perducemus.* Deditâ operâ, inquit Imperator, iurisprudentiæ candidatis, & Vlpiani discipulis primo loco, quæ magis perspicua, & obuia

obuia

obuia sunt huius ciuilis facultatis, propono, quæque abstrusiora sunt, prouectioribus reseruo, ne si rudia, debiliaque ingenia, & imbecillos, atq; infirmos humeros maioribus ponderibus prægrauem, duorum incommodorum alterum incurram, hoc est, vel desertorem iurisprudentiæ rudem tyronem faciam, vel causa sim, vt despondeat animum (quod plurimis accidit) & vix tandem aliquando iuris peritiam leuem aliquam, finemque optatum assequatur.

Quis hic non animaduertit, quàm admirabiliter Ephræm, Quintilianus, & Iustinianus consentiunt? S. Ephræm ait, verendum *ne à Seniore ad alium deficiant* rudes disciplinæ religiosæ alumni, si morosam, difficilem, tetricam, horrido vultu eis depingant, & proponant virtutem, habenasque nimis adducant. Quintilianus verò inquit, pueros immodicâ correptionis asperitate, eò adduci, vt primùm *desperent, & doleant, & nouissimè oderint.* Demùm Iustinianus dicit, quòd *desertorem studiorum efficiemus* eum, cuius ingenium in ipsis studiorum rudimentis, vel incunabulis multitudine, ac varietate rerum obruerimus, quod facilioribus, leuioribus, iucundioribusque magis fouere, & subpalpare debemus.

Sic quisquis alios ad virtutis, & vitæ melioris instituta erudire cupit, faciliora eis primò proponat, vt illa fidentiùs, hilariùsque amplectantur. Sic prudens, ac solers Rebecca cum S. nostro Peregrino filio suo Iacob fecit, quando illi, vt fratris sui iram fugeret, euaderetque, & cum furioso inducias faceret, hæc dicebat: *Nunc, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscaturque eorum, quæ fecisti in eum, postea mittam, & adducã te inde huc;* Gen. 27. 43. 44. 45. Relicturus erat tener adolescens beneuolentissimæ, & amantissimæ matris suæ opulentam domum. Variæ illum, grauesque per viam expectabant difficultates, inter has illa, quòd rebus suis omnibus, socijsque adeò itineris nudandus erat, & solus baculo tantùm comitatus ignotas extraneas, ac longè absitas terras aditurus. Vt ergo illum ad suscipiendam promptè, celeriterque viam roboraret, admirabili rhetoricâ vsa fuit, & omnibus delicati filij difficultatibus sagaciter occurrit, & quæcunque illum vel deterrere, vel segniorem reddere poterant, sic ferè præoccupauit: A matre, fili, abis, sed ad auunculum prædiuitem, humanum, & perliberalem. Si amara videtur absentia, id tibi eam reddat suauiorem, quòd & non erit diuturna, & est necessaria, vt oculos euadat fratris tui, eiusque ira, quâ vehementer ardet illius animus, interim detepescat, & prorsùm extinguatur, omnisque apud illum iniuriarum memoria oblitere- tur, vel intermoriatur. Vbi redieris, non fratres modò eritis, vt fuistis semper, verùm & amici intimi. Ego, ego, quæ te ad abeundum impello, vt redeas, studiosè, ac solicitè curabo. Ac tametsi nunc imparatus, & à rebus necessarijs nonnimis instructus hinc emigras, copiosus tamen, & plurimùm cùm fortunis, tùm honore auctus reuerteris. Hæc illa, quibus effecit, vt sanctus adolescens magno animo viam lætanter ingrederetur. Ille verò, qui paucos solùm dies, quòd mater spondere videbatur, in otio honesto, in magnis omnium amoribus, blanditijsque se transmissurum putabat, annos viginti, ac suprà exegit, varijsque ærumnis afflictus, & attritus laboribus maximis fuit, de quibus posthæc sermo recurret. Hoc autem fuit sciuisse, quomodo persuadere deberet, & rectum instituendi modum tenuisse. Si mater filio suæ peregrinationis futuras calamitates, miserias, discrimina ante susceptum iter aperuisset, nunquàm ille fortè pedem domo extulisset, & neque tam illustrium virorum pater factus, neque mysticis illis reuelationibus honoratus fuisset, quas & cùm abiret, & cùm rediret, habuit, quod Abulensis, Oncala, Pererius Istella, Oleaster, Guilielmus Ebroicensis, & alij multi annotârunt.

Hinc ergo illud accipiamus, vt si eos, quos siue ad virtutum exercitationem, siue ad literarum studia instituendos suscipimus, strenuos in alterutra palæstra volumus, quæ faciliora captu eis initiò proponamus, quæque & leuiùs consequi, & addiscere suauiùs possint.

## CAPVT III.

*Quidquid inconditum, acidum, amarulentum in actibus virtutum, id de nostra pusillanimitate, & ignauia magis, quàm de illorum asperitate natiua venit.*

ET reuerà si huius dubitationis resolutionem ad lucem veritatis examinauerimus, illud facilè certum, exploratumque reperiemus, quòd virtus non modò non est aspera, & pœnalis, verùm etiam lenis, & de voluptate suauis, neque tantùm non dura, & terribilis, sed & blanda, & tractabilis, & iucundissimæ consuetudinis, soli autem carni, & sanguini, & fragilis naturæ nostræ puerili imaginationi molesta, quæ ex difficultatulæ quantulæcunque musca elephantem

lephantem intolerabilis magnitudinis faciunt, & pusillulos ærumnarum papiliones non secùs horrent, acsi immanes, truculentissimi, formidabilissimi calamitatum dracones essent.

Sanctus, & Magnus Basilius in cap. 8. Isa. 1. cùm de virtutibus, & laboribus ageret, quibus miles insudat Christianus aiebat: *Cicures, & placidæ, accessu faciles, ac perviæ virtutes suppeditant bona, & dilargiuntur, vitæ sunt conciliatrices*; velut dixisset: Meticulosus quisque, & ignauus eam habet de virtutibus, & pœnalibus vitæ Christianæ operibus existimationem, quòd sint efferati leones, sanguinariæ tygrides, monstra horribilia, quæ turpi, & sæuo vultu exterreant, verùm errant, quoniam virtutes, & omnes piæ exercitationes *cicures, & placidæ sunt*, aues, & animantes, vt sic dicam, domesticæ sunt, quæ leuiter capi, & mansuefieri sinunt, blandæ, & mites sunt, columbæ sine felle, absque vnguibus agni sunt. Caduca pusillanimitas nostra operibus virtutum affingit, quòd aspera sint, & ardua, & perdifficilia, quòd accliues, & confragosi montes sint, & tam procellosa maria, vt neque conscendi, nec vadari possint. Sed mentitur timida imaginatio, & iners, turpiterque deses est, qui cum illa sentit, *accessu faciles sunt, ac perviæ virtutes*. Plani, placidi campi sunt, quæ inaccessæ rupes videntur, & vitrei, amœnique fluuij, quos facilè traijcere possis. Quidquid ergo in illis asperum, ac terribile, id à vecorde nostra imaginatione nascitur, de virtutum ipsarum vsu, & operum pœnalium exercitatione non venit.

Magnum Africæ decus Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 9. cùm de illa differit, cui homo Christianus sceleribus suis ingemiscens strenuam noctu, atque interdiu nauat operam, inquit: *De ipso habitu, atque victu mandat sacco, & cineri incubare, sordibus corpus obscurare, animum mœroribus deijcere.* Quod ille dicit, eiusmodi est: Edictum Pœnitentia publicum omnibus, qui sub illius signis militare velint, tale sanciuit: Qui mea mereri stipendia cupit, is, quæ subijcio, obseruare debet. Pro armis saccum rudem, & asperum vestiet, pro strato illi adustus cinis erit, cinis autem pro monitore fragilis, citòque interituræ vitæ, ac pro freno, quo prauas gulæ, carnisq; appetentias coërceat, animum pullâ veste conteget, cuius deliberato cõsensu tot in supremũ benefactorẽ perpetrata flagitia fuerũt. Hæc legũ formula, ex quarũ præscripto viuere debet miles pœnitẽs.

Insignis Interpres huius profundi autoris P. Ludouicus de la Cerda in hunc Tertulliani librum de pœnit. cap. 9. Nota 132. acutè in his, quæ Tertullianus in homine scelerum suorum pœnitente requirit, aliquid obseruauit, quod sic expressit: *Aduerto miram Tertulliani cautionem, qui nunquàm inter tot voces huius capitis, quæ pertinent ad pœnitentes, luctus meminerit.* Saccum, cinerem, cilicium, mœrorem, cibi abstinentiam, parsimoniam potus, suspiria ab animo penitissimo profecta, taliaque exigens à pœnitente, *nunquàm luctus commeminit*, cùm is tamen illum præcipuè decere videatur, lachrymæ enim sunt panes mensæ pœnitentium, & velut inanis videtur mensa, quæ vacua pane, sic etiam quando pœnitentem destituit luctus, tametsi abundet saccis, cilicijs, mœrore, cinere, inediâ, quasi omnia illi desunt, absq; luctu namque, & cordis dolore non assequitur pœnitentia suam perfectionem. Propterea & Propheta aiebat: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*; Ioel. 2. 13. parùm enim refert concerpere vestem, nisi animum cuneus doloris diffindat. Quid causæ ergo, quòd Tertullianus nullam luctus mentionem fecit?

Respondet doctissimus Expositor: *Quippè luctus est mortuorum; atqui squalor, sordes, & reliqua reorum, & pœnitentium.* Verum est, quòd Tertullianus ceu principalia requisita posuit gemitum, suspiria, fletum, voluitque pœnitentem *ingemiscere, lachrymari, & mugire noctes, diesque ad Dominum Deum*, vbi & rem præclarè exaggerauit, cùm exigit, vt cor iugiter suspiret, os continuò mugiat, ab oculis lachrymæ perenni scaturigine effluant tanquàm signa animi, seriò ac vehementer detestantis perpetrata flagitia. Sed cùm ad pœnitentiam lachrymas, suspiria, gemitus, & alia, quæ paulò ante, ac superiùs commemorauimus, exposcat, cur vnum luctus nomen prætermisit, ac defugit? *Nunquàm inter tot voces luctus meminit.* Quamobrem ergo hanc tantoperè deuitauit *luctus*, voculam? Quamobrem! Eam ob rem, quòd *luctu* vitâ perfunctos prosequi soleamus, atque eos mœrore, qui mortem oppetierint: *Luctus* enim, quod Cicero in Tuscul. affirmat, & confirmari ex sacr. literis, si res postularet, posset, *est ægritudo ex eius, qui charus fuit, interitu acerbo.* Consultò itaque, & sapienter magnus Tertullianus, cùm de sacro, cilicio, flagris, ieiunijs abstinentijs, vigilijs, alijs seu operibus, seu instrumentis pœnalibus, quibus pœnitentes exercentur, loquitur, non commeminit *luctus*, cùm hunc eis adhibeamus, qui vitæ iacturam fecerunt, vt significaretur, quòd pœnitentiam, flagra, ieiunia, longulam inediam, durum stratum, rude & asperum cilicium formidare, ac pertimescere, nemo debeat. Hæc nimirùm, si quis

quis eis secundùm prudentiæ Christianæ præscripta moderatè vtatur, non occidunt quenquam, nec in sepulchrum se conijcit, qui illis se addicit, neque eorum vsu mortem sibi accersit. Immò verò eiusmodi actiones *Vitæ sunt conciliatrices*, vt dictum ex sancto Basilio, sunt census vitæ longæuæ, & pignora ætatis in annos seros extrahendæ: Videmus enim, quòd veteres Eremitæ, qui in asperrimis, & abstitissimis solitudinibus carnem suam vigilijs, flagris, inediâ, & vario pœnalium afflictationum genere subigebant, emaciabant, extenuabant, tantùmq; non extinguebant, & conficiebant, in plurimos annos suam produxerunt vitam, cùm paucos dies viuant, qui in sumptuosis palatijs degentes corpus suum delicatè nutriunt, blandèque, & lautè, & opiparè, ac pollucibiliter habent. Denique pœnitentiam, & pœnalium operum exercitationem nostra pusillanimitas, & ignauia faciunt terribiles, & intolerabiles, quas si ad rationis rectæ, & veritatis lucem aspicias, suaues inuenies, & quæ leuiter ferri possint.

Congruunt hæc, quantùm quidem existimo, cum mystico loquendi modo sancti Lucæ Euangelistæ, quo refert mortalem agonem, & sudorem, quem pius mundi Reparator in horto Gethsemani est passus. Narrat sacer chronographus, tantâ copiâ tantâque vi sanguinem ex corpore illius toto erupisse, vt in terram cruor defluxerit. Quod cùm accideret, *factus in agonia prolixiùs orabat*, Lucæ 22. 43.

Quis hîc non fixâ cogitatione attentiùs secum reputat, quòd Christus in extrema vitæ necessitate positus, cùm sanguineum toto corpore sudorem funderet, *factus in agonia* dicitur? Sed quomodo *factus in agonia?* Confectus, vt videtur, agone dicere debuit. Supremi enim illi cum morte proxima conflictus, non faciunt, sed conficiunt, anxietudines illæ non erigunt, sed prosternunt, acerbissimæque illæ pœnæ non confortant, sed debilitant, atque in deliquium adducunt. Talia aliud nihil plerumque efficiunt, quàm vt consumant, & interitum afferant. Quid ergo est, quòd apud S. Lucam Christus dicitur *factus in agonia*, qui magis confectus dici, vt quidem videtur, debuit?

Fuit ad eum modum locutus Lucas, vt nos doceret non horrere agones, pœnitentias, asperitates, rigores, studia mortificationis suscepta pro honore, & gloria Domini nostri, si enim temperanter, moderatèque eis vtamur, non producunt effectus, quos pusillanimis nostra natura putat, timetque. Non enim flagra mactant, non deglubunt cilicia, non conijciunt in tumulum ieiunia, quin contraria plurimùm euenire solent, nimirùm vt vitam inueniamus, vbi incurrere in mortem existimabamus, magisque roboremur eâ re, quam nobis exitialem fore metuebamus. Propterea de Christo ait Lucas, quòd *factus* fuit *in agonia*, non confectus, inter mortales sudores valentior factus, non debilitatus, confirmatus, non eneruatus. Quidquid enim amarulentum, & horribile in exercitatione pœnalium operum, hoc à nostra ignauia magis venit, quàm ab ipsorum asperitate, plusq; illi stulta imaginatio affingit, quàm experimento sentiatur.

Vnum aliquid volo mecum expendatis, quod habet lasciuæ Samaritanæ iucunda, & delectabilis historia, eius, quæ cùm aquæ baiula ob tenuem vitæ conditionem esset, ex tam abiecto, & sordido, ac seruili statu in eam sublimitatem est euecta, vt Apostola Christi fieret. Propositum erat Domino cœlestium verborum suorum reti animam illius capere, & quod astuti aucupes solent, putei locum petijt, vbi auis confidebat, quam malæ libidinis alæ à gratiæ nido procul abduxerant. Venit ergo ad puteum, propiorque factus expetitæ prædæ, post iactus non multos illam irretiuit. Rei præsenti nunc solùm expedit considerare nomina plurimùm, vt videtur, aduersa, quibus Sanctus historicus Beniamin Christi Ioannes donat locum, in quo cœlestis venator consederit. *Erat ibi fons Iacob, Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic suprà fontem*, ait cap. 4. v. 6. Per id tempus quo Saluator ibi sedebat magis animæ captandæ gratiâ quàm auræ, ac requietis causâ, venit Samaritana. Tunc ille promptam auidè arripiens occasionem, vt finem suum consequeretur, petijt ab illa potum, quæ istud pietatis opus denegans, delassato Domino aiebat: *Neque in quo haurias, habes, & puteus altus est*; ibid. v. 11. Hîc nunc animaduertendum, quòd Christus locum, ex quo emissitijs circumspectans oculis præstolabatur prædam fontem semel, iterùmque vocat, ex quo proxima facilè hauritur aqua: Samaritana verò puteum appellat, eumque profundum, ex quo sine vasis, & funis adminiculo extrahi nequeat. Putei, & fontis nomina non diuersa solùm sunt, sed & aduersa. Fons suum frigidum thesaurum, & fluxum argentum, & fugitiuam crystallum sic fundit, vt absque vllo negotio accipi possit: Puteus non ità, sæpè namque sudare, & brachia cum labore contendere oportet, non etiam nunquàm oblongas sudes, curuasque adhibere antlias est necessum, vt necessarium siti refrigerium ab illo accipias. At si ità res habet, quomodo Euangelista locum, cui Christus assidebat, *fontem*, Samaritana

tana *puteum* nominat? *Erat ibi fons. Puteus est altus.*

Hic puteus in sensu mystico multis (in quibus Guilielmus Ebroicensis, Antonius Broicubi, Petrus Berchorius, Antonius Ricciardus, Lauretus, & Ioannes de S. Geminiano,) significat pœnitentiam. Quòd ergo hic pœnitentiæ puteus etiam fons appellatur, tantundem est, ac si diceretur, pœnitentiam ei, qui Christum, qui est ipsa veritas, imitari velit, fontem esse, ex quo facilè, ac procliuiter hauritur aqua, at verò Samaritanæ, hominibus effœminatis, ignauæ, timidæque carni, & sanguini, profundum puteum esse. Nam mollicelli eiusmodi, & tenelluli homuli castigationem corporis, cilicij gestationem, humi cubationem, abstinentiam cibi, longiores vigilias, orationes pernoctes, & id genus pœnales excruciationes alias, fingunt esse horribiles, & intolerabiles.

De his S. Gregorius Nyssenus de virgin. cap. 23. commodè in causam præsentem ait: *Somniatores sunt, qui immanem, & feram virtutem opinantur.* Toto cœlo errant, quorum ea est de virtute opinio, quòd sit monstrum horrendum, ingens, quod calcitret, feriat, perdat, concerpat, deuoret: Somniatores sunt, quibuscunque hoc cogitare in mentem venit, ac tam vano sunt atque inani iudicio, quàm ij, quos delira, & stulta somnia sua solicitos habent. Tertullianus lib. de anima cap. 45. ait: *Contristamur, & conterremur in somnijs quàm adfectè, & anxiè, & passibiliter.* Somniat aliquis, se cum Lybiæ quodam leone in sicca deserti arena dimicare, cuius acutis, & sanguinarijs vngibus dilaceretur. Quàm angitur, & discruciatur miser, putans vera esse, quæ somniat! Quantùm turbatur, & sudat in illa sui strati cauea, quòd illi magis equuleus est ad pœnam, quàm lectus ad quietem! Si per illas horas experrectos, & sui compotes haberet sensus, & imaginationem, potestatemque in suas actiones liberam, certè rideret ea, quæ mortaliter angere videbantur, oblectationemque ex eis caperet, quorum nocturnus visus, & imaginarius aspectus sudorem toto corpore mortalem expresserant, *cùm in nullo permoueremur à vacuis imaginibus, si compotes somniaremus,* inquit Tertullianus ibidem.

Non aliter *somniatores sunt* Nysseno, vbi suprà, *qui immanem, & feram virtutem opinantur.* Somni ludibrium, imbecillis, vecordis, ignauæ, timidæ carnis commentum est, quòd puteus profundus existimatur, qui patens, & obuius fons est, quòd inaccessæ rupes putantur, qui est planus campus, quòd imperuium mare creditur, quod est vadosus fluuiolus, quem facilè tranare queas. Si à profundo suæ pusillanimitatis lethargo euigilarent, qui talia somniant, omnia contrà, ac somniârunt, inuenirent, & neque leonem videre, neq; incidere in tygridem, neque montem à longè intueri putarent, sed omnia illis lenia & leuia fierent, maximè accedente diuturnâ exercitatione, & auxiliaris gratiæ diuinæ opitulatione, ac corroboratione.

Dignum consideratione est, quod Isaiæ Prophetæ cum illo Seraphin accidit, qui è supremo throno descendit, vt eius labia carbone ardente, quem forcipe ex altari acceperat, purificaret. De hac re sic habes Isaiæ 6. v. 7. *Et tetigit os meum, & dixit, Ecce tetigit labia hoc tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.*

In huius facti commentatione notauit S. Basilius Magnus, quòd Propheta, cùm illius tenera labia flagrante tangerentur carbone, nullum doloris inditium dedit, cùm tamen nihil sit, quod & acerbiùs lædat, & vehementiùs offendat, quàm attactus ignis, cuius est tam subita, & efficax nocendi violentia, vt simulac tangit, vrat, ac propterea tam est formidabilis. Et propheta, cùm beatos illos spiritus iuxtà excelsum illud, & eleuatum solium laudes Dei contentis, & alternis vocibus certatim canentes audiuit, sanctâ inuidiâ correptus, & suæ sibi hebetudinis, ruditatisque conscius, ardentibus suspirijs aërem inflammans, præ dolore altùm exclamat: *Væ mihi, quiá tacui, quiá vir pollutus labijs ego sum;* ibid. v. 5. Et quid est, quòd hîc tam lachrymabiliter vociferatur, qui tam patienter, cùm ei adurerentur labia, tacuit? Quomodo ad ardentis cauterij vstulationem nec suspirium edidit, nec sensum doloris vllum ostendit? Quomodo tam asperam curationem tam æquanimiter tolerare potuit?

Satisfacit quæstioni Magnus Basilius, inquiens: *Huic congener ignis, & affinis erat, qui & in rubo apparuit, quem vidit Moyses. Imminebat quidem planta, nec tamen exurebat rubum.* Igneus carbo, quo Prophetæ labia plectebantur, & purgabantur, plurimam cum illo igne cognationem habebat, quem magnus populi Isrâelitici ductor in deserto cum stupore intuitus fuit, quando rari prodigij spectator factus vidit, *quòd rubus arderet, & non combureretur,* Exodi 3.2. vidit, quòd viridem fruticem vorax flamma occuparet, neque igne tamen suo illi quicquam nocumenti adferret, sed splendore luminis sui magis blandiri videretur. Mirum portentum, quòd ignis in rem incidit, quæ facilè conflagrare soleat,

nec eam tamen consumpsit, sed magis fouit! Voracis ergo illius elementi lumine rubus perfusus fuit, ardorem non sensit. Talis fuit etiam ille ignis, inquit Basilius, quo Prophetæ labia tanquàm cauterio quodam curata, & mundata fuerunt: Nam vt ibi *imminebat quidem, sed non exurebat* ignis; sic & hic, cùm allaturus mortem videretur, dedit vitam, purioraque reddidit labia, & Prophetæ velut subblanditus suâ luce fuit, qui & illa magis sorditaturus, & hunc prorsùs consumpturus timebatur. Itaq; Isaias nullum etiam qualiscunq; doloris signum ostendit. Sic res in pœnitentiæ vsu, & exercitatione habet. Quidquid in illa est, quòd necem adferre videatur, videtur tantùm, sed non infert: Nam si quidem vanæ imaginationi ignis videtur, qui exurat, re tamen verâ nil nisi lux est, quæ splendeat, illuminet, pascat, oblectet, consoletur.

Id nobis opere expressum solitarius noster viator dabit. Quo primùm die vitam inijt, obscura nox illum in deserto, incultoque campo comprehendit, cùmque honestam, & necessariam defatigatis membris quietem dare vellet, durum solum pro lecto, pro molli culcitra rigidos lapides delegit, aër illi pro stragulis, integumentisque fuit. De hoc sic habes Genes. 28. 11. *Cùmque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco.* Ibi totam quietus noctem exegit. Quis tale quid cogitare, quis credere potuisset? Itané verò Iacob in tam aspero strato, & duris saxis dormire, & captare requiem potuit, qui *habitabat in tabernaculis*, vt habet sacer textus Genes. 25. 27. neque inde ad grauiores labores exibat, & matris delitium erat, *Rebecca* enim *diligebat Iacob*, ibid. v. 28. cùmque illum tenerè, efflictimq; amaret, perspicuum est, quòd illum lautè, ac pollucibiliter habuit, maximè cùm mater esset, & matribus relictum sit, vt blandæ liberorum curæ attendant? Ille ergo tam charus matri, tam delicatè enutritus, tam splendidè & opiparè habitus, ille mollia vestire, & in sindone cubare solitus, ille tenerrimè, & studiosissimè semper curatus, & tectus, ne quæ ei aëris inclementia incommodare, aut cœli iniuria offensionem, tristitiamque adferre posset, ille ruri, horridoque in solo, & rigidis saxis totam noctem dormiuit, non secùs ac superioribus diebus in molli strato solebat, tamq; incolumis exsurrexit, vt omne itineris sui curriculum expeditè peregerit, quousq; liber ab omni periculo ad auunculi sui domum peruenit. Hæc omnia sacer Historicus monet, vt animum nobis, quo pœnitentiæ operibus alacriùs studeamus, addat, doceatque non esse tam efferatum leonem, quàm nostra meticulosa imaginatio fingit, caroque & sanguis pingunt. Idcircò ait Basilius in illius cap. 6. Isaiæ commentario: *Ne tibi formides à sobrietate, & temperantia, ne quid tibi verearis à virili fortitudine, ne quicquàm metuas à pietate, ne ab vlla virtute perterrearis.* Non tibi metum vis potestatis qualiscunque afferat, quemadmodùm pueris accidere solet, quos picti, sculptique leones exterrent, atque in fugam vertunt. Non tibi animum parsimonia cibi, & victus moderatio, siue etiam abstinentia, & inedia adimant, non fugent flagra, non ignauum, timidumq; durior lectus, protractiora ieiunia, prauarum appetentiarum operosa infrenatio reddant, si enim talium rerum exercitationi crebrò, studioseque operam dederis, experimento disces, quòd non puteus, sed fons, & lux, non ignis, & leo pictus non viuus, musca, non elephas, campus non mons, fluuius, non mare est, quidquid illud pœnale, laboriosum, difficile, amarulentum inesse pœnitentiæ videtur.

*Parte 1. lib. 6. cap. 2. & lib. 8. cap. 3. simile argumentum tractat, alijsque in locis, quæ ad finem huius cap. 3. annotauimus.*

## CAPVT IV.

*Bonum est citò assuescere armis laboris, vt ferendi molestiam consuetudo corrigat, & leuiorem faciat.*

NOn absque singulari diuinæ prouidentiæ cura factum, vt monent Expositores, quòd tam tempestiuè cœpit S. noster Patriarcha degustare miserias, nudo solo lassos affligere artus, pro ceruicali saxa capiti substernere, imparatus, solusque, aut nonnisi baculo comitatus itinerari, & alia id genus incommoda tolerare, multis enim miserijs, ærumnis, & calamitatibus, quas posthæc subiturus erat, illum Dominus parabat, vt demùm leuiùs, minùsque grauatè ferret omnem penuriam, & iniuriam, quam maturè à teneris annis tolerare consueuisset. Hæc nimirùm est ingens vis consuetudinis, vt quod diuturnâ exercitatione vsitatum fuit, id facile toleratu reddat: Nam vt Publius Syrus in sentent. ait, *grauiùs nocet, quodcunque inexpertum accidit*, è contrà verò, vt Mendoza lib. 5. Viridarij problem. habet, *consuetudo mollit labores, & quæ difficillima videbantur, diuturnitate temporis facillima redduntur.* Si qui ergo contentiosè affirmare velint, virtutis studium

dium arduum esse, & cum magno coniunctum labo re, offerimus hic remedium, quo leuius fiat iugum, & tolerabilior sarcina.

Peccauit primus parens noster, quòd liberam manum ad fructum vetitum extendisset. Post transgressionem mox adfuit Dominus, deq; sella ac tribunali sceleris redargutum morti, & exilio addixit, atq; ex illa voluptuosa habitatione eiectum in campum Damascenum transferri imperauit: *Emisit eũ Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est*; Gen. 3. 23.

Quæsitum à multis Patribus fuit, vtrùm supremus Iudex Adæ, postquàm ille peccauit, multis diebus gaudere paradisi habitatione permiserit. Moyses Barcepha vult quàm paucissimo tempore tolerasse in delitioso illo horto præuaricatorem Proratum in delitioso illo horto præuaricatorem Protoparentem fuisse. Vbi iterùm sciscitari libet, austeritasné, an de pietate profectum fuerit, quòd ab eo loco tam citò est expulsus? Indulgentia fuit, misericordia fuit. Nam si multos dies inter arborum amœnitatem, & fontium irrigua, & florum flagrantiam, & herbarum virorem, & harmonicum auium concentum transmisisset, demùm verò eiectus fuisset, damnatusque ad stiuam, vt glebas subigeret & terram vomere proscinderet, & victum labore, ac sudore pararet,& inter ærumnas gemeret,ardoremque solis, & intemperiem aëris, & asperitatem hyemis, & sæuitiam famis, & ignem febris, & alias sexcentas calamitates pateretur,id acerbiorem illi cruciatum, doloremque intolerabiliorem attulisset. Vt ergò minùs grauis illi sit labor,& leuior defatigatio, mox à perpetrato peccato remum vitæ laboriosæ tractare incipiat,inquit Dominus, consuetudo namque illi pro auro erit, quòd amaras pilulas operosæ exercitationis teget, & vsus pœnalium operum minuet de acrore,quem secum ferre illa solent.

Audiamus Syrum Barcepham ex 1. p. de Parad. cap. vlt. vbi habet ista: *Credibile est, Deum, quem pulsurus erat,eum haud longo tempore tantâ felicitate frui siuisse, ne nimium excruciaretur, sed molliùs, minusq; ægrè ferret se tantis delitijs spoliari, solet enim Deus clementer castigationem exercere*. Pietas ergò fuit, & coniunctum cum misericordia supplicium, quòd non longos dies inter illas amœnitates eum morari Dominus passus est, qui ad huius vitæ asperitates damnatus erat, quò citiùs enim duris laboribus exerceri cœpit,eò minus molestiæ ex ijs accepit.

Huic doctrinæ inhærens illustrissimus Senator Cassiodorus mandauit Gaudioso Cancellario, vt ne immoderatis exactionibus affligaret Comi, affluentissimæ,& amœnissimæ ciuitatis incolas, quos vt delitijs innutritos nouerat, ità illum vexationis eorũ miserebat. Scribebat autem illi lib. 11. epist. 14. hæc præter alia: *Quapropter incolis harum rerum iure parcitur, quoniam amœna omnia delicata sunt ad labores, & facilè onus afflictionis sentiunt, qui vti suauibus delitijs consueuerunt*. Assuescat ergò ferre sarcinam laboris, qui vult ferre leuiùs, minùsq; sentire illius molestiam.

De illustri, & heroico illo mundi reparatore Noe refert sacrum oraculum, quòd post vniuersalem orbis inundationem fuit inuentor vitis, cuius salutaris liquor cor roborat, & exhilarat humanum. Voluit ille inuentionis suæ fructu vti, acciditque ei aliquid insperatum,& inopinatum. Vinum enim supremam sensuum arcem petens inuasit, vixq; ingressus inimicus tam furibundus fuit, vt ratio se illi dediderit, & iudicium ad pedes eius conciderit,ex quo concors illa, & pulchra potentiarum harmonia turbata, & turpata fuit: *Bibens vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo*; Genes. 9. 21.

Excusabit fortè quisquam ebrietatem sancti Patriarchæ ab eo, quòd multum vini hauserit, adeò mirum non sit, triplicem vnâ intemperante potatione sibi conflasse miseriam, & infelicitatem, vt & rationis impos fieret, & in tabernaculo suo turpiter deoperiretur, & ab impudente filio nuditas eius rideretur, atque ad maius ludibrium, & probrum etiam vulgaretur.

Sanctus Basilius magnus aliter de hac re sentit, aitque dici non debere,quòd immodico se vino Noe impleuerit, sed quòd & paucum fuit vinum, quod hausit, & bibendi illius vsus nullus. *Inebriatus est*, inquit ille homel. 1. de Ieiunio, *non quòd bibax ille quidem esset, & ebriosus, sed quià bibendi vsum nullum teneret*. Vsque in illud tempus mundo incognitum vinum erat. Noe vineam primus plantauit, eiusque & liquorem gustauit, & vim tyrannicam expertus est,atque vt merum bibere non consueuerat, ità deijciendo illi pauxillulum satis fuit. Habet hoc, qui non assueuit alicui rei,neque laborem vllum expertus fuit, vt leuissimam molestiam grauiter, dolenterque ferat.

Confirmat hoc fortissimus martyr Seuerinus Boëtius lib. 2. de consolat. prosâ 4. inquiens: *Felicissimi cuiusque delicatissimus sensus est, & nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis aduersitatis insolens minimis quibusque prosternitur, adeò perexigua sunt, quæ fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt*.

Ad deijciendum animum hominis, qui rerum omnium copijs affluat, & lautè semper vixerit, & duris nullis assueuerit, non catapultis saxa in eum excutere, non ariete illum quatere, non per vim aliam quampiam tentare necessum est, quæuis illum molestiola, & aduersitatula cardinibus suis conuellit, & subruit, vnus minimæ calamitatis pilus suffocat. Quare exercere se laboribus quisque studeat, qui eos sibi minùs graues accidere optat, assuescatque armis miseriæ, qui non vult sentire rigorem penuriæ.

Multi solicitè inquisierunt rationem, ob quam vnus ex omnibus sanctis beatissimus Iob hanc reportârit appellationem, vt exemplar patientiæ dicatur. Si hanc laudem promeruit, quòd tantos dolores, infirmitatesque est perpessus, sunt alij innumeri, qui ægritudines plurimas, & cruciatus acerbissimos magnâ animi æquitate pertulerunt. Si proptereà tali donatus est nomine, quià opum facultates, sceptrum, diadema, regiæ dignitatis statum, liberos perdidit, & de sublimi solio in sordidum, infimumque sterquilinium est deiectus, multorum ea infelicitas fuit, & non pauci admirabili patientiâ tempestatem fortunæ iratæ, procellasque tolerârunt. Cur ergò vnus, ac solus magnus Husita est speculum patientiæ, & exemplum tolerantiæ, & Cynosura, ad quam inter calamitatum, & aduersitatum fluctus respicere, & dirigere cursum debeamus, vt ad securum æquanimitatis portum salui perueniamus?

Causam ipse indicasse videtur, quando seipsum in sterquilinij sordibus iacentem aspectans, inquiebat: *Ego ille quondam opulentus repente contritus sum, concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas*; Iob 16. v. 13. & 15. Ego ille tam potens, & fortunatus, ego tam stipatus famulis, tam affluens subditis, tantumq; aulicorum comitatum ad pompam circumducere solitus, ab illo tam sublimi fastigio non paulatim descendi, sed momento vno deiectus, & in extremæ infelicitatis miseriam præcipitatus fui. Hîc hîc plagæ mihi aliæ ex alijs illatæ, hîc me penuria, & immanes calamitates occupârunt. Quod autem inter repentina ea infortunia, & inopinatas ærumnas tam inuictum robur ostendit, qui in magnifico throno sedere assueuerat, & patienter excepit squalorem graueolentis sterquilinij, cui regius purpureæ vestis pridie velut assentabatur apparatus, & ab importunorum exercitu vermium totas sibi perforari, & corrodi carnes passus est, & à supremo felicitatis culmine ad extremam miseriam repentino casu delapsus, tam incomparabilem inter hæc seruauit patientiam, & tam admirabili tolerantiâ æquanimiter omnia excepit, hac re prodigium patientiæ, & portentum tolerantiæ se exhibuit, ac proinde meritò cuiuis ætati, & sæculis omnibus proponitur tanquàm exemplar, quod sequantur, tanquàm speculum, in quo, quid imitari debeant, videant.

Sic rem istam ferè ponderauit S. Ioannes Chrysostomus in catena in c. 1. Iob, vbi ità habet: *Hac omnia, quod grauius est, nec opinantem inuaserunt. Qui ab egentibus parentibus procreatus, & in paupere domo educatus est, is quasi exercitatione, cogitationeque munitus vim egestatis leuiùs tulerit, qui verò tam multis diuitijs circumfluat, is si repentinò ad statum contrarium detrudatur, subitam mutationem haud facilè sustinuerit, namque homini non experientia erudito inclinationes huiusmodi asperiores solent accidere.* Miraculum patientiæ fuit Iob, qui cùm à puero peropulentus fuisset, subitò factus egens illam tantam, tamq; inopinatam fortunæ varietatem æquo animo tulit. Vix alterum talem videas, tam rari sunt, qui è culmine affluentiæ in imam pauperiei abyssum derepentè deiecti constanti pectore illam excipiant aduersitatem.

Ne ergò simile quoddam velut miraculum expectet Politicus catholicus, qui ad bona cœlorum aspirat æterna, nouitque, peruenire ad ea, nisi per amarum, & asperum miseriarum huius vitæ mare, neminem posse, ne tumentes eius fluctus illum sorbeant, & in impatientiæ abyssum detrahant, consultò fecerit, si inter medias delitias austeriori vitæ, & victui tenuiori, & corporis afflictationi, & miserijs, quæcunque euenire possunt, assueuerit. Si enim talium rerum tolerantiâ, & exercitatione semel obduruerit, & calamitates, ærumnasque huius sæculi, (quæ se mutuò, non aliter ac marini fluctus, excipiunt, consequuntur, & velut per manus ducunt) ferre vsitatus fuerit, tolerantiâ præsentium ad patientiam futurorum roborabitur. Hoc enim remedij nobis reliquum est, quicunque ærumnarum infestis fluctibus in sæuo mundi huius mari iactamur, quod cùm ijs assuescimus, leuiùs ferimus, quibus prorsùm subducere humeros non possumus, & æquanimiùs toleramus, quæ omninò effugere nequimus.

In quam rem sic scripsit magnum Cordubensium decus Seneca lib. de Tranquillit. anim. c. 10. *Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quàm quòd cùm sciret quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauissima adducens.* Nullus quippè est cruciatus,

viatus, quantumuis grauis, & molestus, cuius non minuat pondera, non leniat asperitatem, non mitiget amaritudinem consuetudo, & vsus, atque exercitatio. Amplectatur ergò hanc vnusquilibet doctrinam, vix enim erit dies, vix hora, vel momentũ, quo non indigebit eâ, qui se felicissimum etiam arbitratur, sibique ipsi de fauentissimæ fortunæ beneuolentia blanditur: Nullus enim status est, quantumuis ille prosper, & beatus, qui non infinitas innumerarum calamitatum, & miseriarum patiatur incursiones.

## CAPVT V.

*Qui virtutis iter ingredi cœpit, necessum est, eadem viâ semper pergat, manet enim retrò, cùm non progreditur.*

IN nudo duræ humi lecto quieti sese sacer noster Peregrinus dedit, cùmque suauissimo consopitus somno iaceret, visitauit illum supremus Benefactor, cosolatusque fuit viso, omnium, quæ in vetere Testamento reperias, celleberrimo, & decantatissimo, quod passim in ore omnium Euangelicorum prædicatorum versatur, & nostræ institutioni, morumq; informationi perquàm commodum est. Vidit autem amplissimam scalam, quæ cùm à terra suam haberet originem, caput summo cœlo insinuabat. Vidit etiam Dominum supernè incumbentem in scalam, perque eam Angelos solicitè certatimque ascendentes, & descendentes. Cùm hæc animo perquietem cerneret, confortauit illum pius Dominus, rataque ei fecit, quæcunque ipsius patri, auoque promiserat, in quibus hæc præcipua erant, quòd eorum familiam suprà omnes totius mundi prosapias felicitare, atque ex illa carnem humanam ei accipere vellet, qui generis humani vnicus Reparator futurus esset. Addidit his omnibus, quòd comes, custosque illi per omne peregrinationis tempus, & iter adesse, in ærumnis consolari, interque pericula omnia seruare, domumque reducere incolumem vellet. Scala, vt plerique Expositorum volunt, fuit symbolum vigilis prouidentiæ Dei ergà Iacob, quæ per ministerium Angelorum gressus illius dirigebat, & moderabatur actiones.

Sed spiritualem sensum persequamur, qui nostris profectibus seruiat, dispiciamusque quid mysticâ significatione docere nos voluerint Angelici spiritus, qui perpetuo in motu positi, per scalam sursùm ac deorsum identidem ferebantur: *Vidit Angelos Dei ascendentes, & descendentes per eam;* Genes. 28. 12. Melliflui Doctoris sancti Bernardi quàm trita, & celebris, tam accommoda moribus interpretatio in Ep. 253. & 341. sic habet: *Vidit scalã Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascẽdere vel descẽdere videbãtur vniuersi, quatenus palam daretur intelligi, inter profectum, & defectũ in hoc statu mortalis vita nihil medium inueniri.* Nullus Angelorum figebat pedes, sed vel submittebant eos in gradum inferiorem, vel attollebant in superiorem, vt eâ re nobis indicarent, in via spiritus nihil intercedere inter profectum, & defectum, sed quemlibet necessariò vel ascendere, vel descendere, vel progredi, vel regredi, vel augescere gratiâ, vel imminui, aut sursùm ardenter conniti, aut per remissionem, & ignauiam deorsùm abire. Itaque semper sursùm tendere, semper viam carpere vlteriorem oportet, fit enim vt retrò maneat, qui cæptũ non persequitur iter.

In montem amplum, & spatiosum cœlestis Magister ascendit, aperiensque os, & mellea verba roseis labijs profundens, beatos dicebat, & pauperes spiritu, quòd ipsorum esset regnum cœlorum, & mites corde, quià certa eos perpetuùm quietæ, & æternis delitijs affluentis terrę possessio expectaret, tum consequenter aiebat: *Beati, qui lugent, Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, Beati, qui persecutionem patiuntur;* Matth. 5. 5. 6. 10. nam ex his primi suam inuenirent consolationem, alij abundantiam, & saturitatem, alij marcescere nesciam in cœlis coronam.

Expendit S. Gregori⁹ Nyssenus mysteriũ verborũ diuini Magistri, atq; in his illud, quòd beatos pronunciauit non eos, qui luxerint, esurierint, sitierint iustitiam, & persecutionem passi fuerint, sed qui nunc lugeant, esuriant, sitiant, & persecutiones ferant. Cur verò illi tam notanter prædicantur felices, qui talia in præsenti faciunt, vel tolerant, & nõ præteriti luctus, non veteris sitis, esuriei, patientiæ, sed eorum tantùm, quæ nunc sunt, ratio habetur?

Nyssenus Orat. 3. de Beatitud. ait: *Magis conueniens erat, vt eos, qui luxissent, beatos iudicaret, non eos, qui lugerent.* At si congruentius erat, eorum extollere felicitatem, qui antehac in mœstitia fuerunt, quàm illos prædicare fortunatos, qui nunc gemunt, cur beatitudo adscribitur præsenti luctui, & præterito, vt videtur, non annectitur? Cur beatos dicit hos, qui hodie sunt, non qui olim fuerunt in mœrore, & luctu positi?

Huic satisfit interrogationi, inquit Nyssenus, si dicas, vtrumque, hoc est, & præsentem, & præteritum à Domino prædicari luctum. Sed quod eos, qui

qui nunc in præſenti lugent, peculiariter beatos dicit, id peculiari myſterio factum. Nam præſens luctus is eſt, cui quis nunc vacat, & nauat operam: Et quoniam, vt benè actorum præteritorum ſalua maneant merita, neceſſum eſt non ea intermittere, neque ab illorum exercitatione feriari, idcircò Dominus beatos pronuntiauit illos, qui nunc in luctu, eſurie, ſiti iuſtitiæ, & perſecutionum tolerantia verſantur, & id genus bona opera opere exequuntur. Nam cùm progredi, & proſequi cœptum iter deſinimus, tunc & creſcere, & proficere deſinimus, & iacturæ periculo expoſita ſunt incrementa, quæ fecimus, & nè benè actæ vitæ ſuperioris lucra nobis pereant, oportet illa iugi excitatione fouere, alere, & ſuſtentare, adeò non ſufficit iter feciſſe, niſi illud perſequaris, & continuò facere pergas. Et hæc eſt ratio, ob quam luctus, eſuries, ſitis iuſtitiæ, & perſecutiones, quibus nunc in præſenti exercemur, laudantur, & prædicantur, qui enim vſu, & exercitatione talium rerum non ſtudet proficere, ille ſibi ruinam, & exitium adornat.

Nam vt ſanctus Bernardus Epiſt. 253. ait, *ſi ſtudere perfectioni, eſſe perfectum eſt, profectò, nolle proficere, deficere eſt. Non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquàm. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere, in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non potes.* O te miſerum, cui propoſitum conquieſcere in gradu, ad quem aſcendiſti, neque aſpirare, aut contendere ad altiorem! impoſſibile namque eſt, vt de ſtatu tuo non cadas, niſi connitaris ſursùm, conerisque vt in locum editiorem euadas, alterutrum enim fieri neceſſum eſt, vt aut aſcendas, aut deſcendas.

Doceant nos hoc natorum ex mulieribus maximi felix parens Zacharias, & ſancta illius vxor Elizabeth. Exorditur ſanctus Lucas ſacram ſuam hiſtoriam ab enarratione heroicarum virtutum, quibus hoc vetulum, & venerabile par coniugum ornatum fuit, inquiens: *Erant ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela*, Luc. 1. 6. hoc eſt, erat tanta vitæ ſanctæ, & morum vtriusque ſimilitudo, vt nihil affinius in curriculo perfectionis ad id vsque tempus viſum fuerit. Pari enim paſſu progrediebantur, & æquis ponderibus volabant, vt appenſi in ſtatera diuinæ iuſtitiæ non inuenirentur minus habere, quod perfido ſacrorum Templi vaſorum profanatori Balthaſari accidiſſe Daniel. c. 5. 27. memorat.

Notauit Hugo Cardinalis in myſtico loquendi modo, quo Euangeliſta hîc vſus eſt, quòd ſanctos hos coniuges, poſtquàm iuſtorum nomine donauit, etiam viatores vocauit, inquiens: *Erant iuſti incedentes*; in quæ Hugo: *Rectè poſtquàm dixit*, Iuſti, *addidit*, Incedentes, *in quo profectus eſt operis. Sponſus enim non tam ſeſſionem commendat in Sponſa, quàm inceſſum. Quàm pulchri ſunt*, inquiens, *greſſus tui in calceamentis filia Principis*! Cant. 7. 1. Admirabili ergo cautione, & ſingulari ſtudio factum, quòd Lucas parentes Baptiſtæ iuſtos, ſimulque itinerantes appellat, vt indicaret, hinc illos profeciſſe, & feciſſe incrementa virtutum, quòd in earum ſtadio ſtudiosè, continuoque perrexerunt. *Iuſti*, inquit, & *Incedẽtes*, vt hinc acciperemus, quòd homo Chriſtianus ſit iuſtus & ſanctus, virtutesque illius feruentur integræ, id ex eo fieri, quòd ſemper itinerari pergat, qui enim conſiſtere in loco ſuo, & otiari incipit, & benè operandi ſtudium intermittit, is perdere, quæ lucratus eſt, & prodigere velle, quæ comparauit, videtur.

Quandoquidem Chriſtiana vita militia appellatur, eſtque militia ſanguinolenta, cum vafro enim, & verſipelli, veteratorioque inimico confligimus, eapropter ſanctus Paulus Apoſtolus Beniaminum ſuum, Timotheum, aio, exhortabatur, dicens: *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu*; 2. Timoth. 2. 3. Commodum huc veniet quoddam Flauij Vegetij effatum. Si quis illum interrogaret, quo loco ſupremus quidam exercitus moderator habere debet eos, qui ab armorum vſu diu feriati, à militari diſciplinâ longulo tempore abfuerunt, dicere ex lib. 3. de re militari c. 9. *Pro tyronibus accipiendi ſunt, qui pugnare longo tempore deſierunt*, & ſtudium, omnemq; tractationem armorum dies multos intermiſerunt. Quod Flauius de militiæ ſęcularis alumnis pronuntiat, id multò meliùs de his, qui in Eccleſiæ caſtris ab exercitatione virtutum manus auocant, & otiantur. *Pro tyronibus accipiendi ſunt*, quicunque tales ſunt, nam à veteranis militibus in rudes armorum ſtipendiarios degenerant, nam regreditur, qui non ſemper progreditur, & qui non perſequitur viam, etiam confecti operam itineris perdit.

Moyſes præclarè geſtorum Patriarchæ noſtri ſacer ſcriptor ait, veniſſe Dominum de monte Sinai, & de Seir ortum eſſe nobis apparuiſſeque de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia. Hæc Deuteronomij 33. v. 2. ad huius finem inquit: *In dextera eius ignea lex.* Illud nomen legis igneæ tractum ab igne, in quo Dominus deſcendit, cùm legem primùm tulit Exodi 19. occaſionem præbuit Expoſitoribus,

toribus, vt in varias abierint sententias. Insignis Doctor Honcala quidpiam affirmat, quod & experientia dictat, vnde opportunam causæ præsenti exsculpam rationem, ob quam Dei lex dicta sit ignea. *Fomentis alitur ignis, ne extinguatur*, inquit ille in c. 15. Genes. Ignis à natura sua insatiabilis est, ardentis stomachi illius auiditas expleri non potest, & qui vult, vt flagret, & luceat, necessum est, vt ligna, taliaque alia ex alijs illi subijciat, ne splendorem, simulque ardorem remittat. Quod ergo Moyses ait, in dextera Dei esse igneam legem, perinde est, ac si diceret, vt ne illa in nobis extinguatur, necessarium esse eâ diligentiâ ergà illam vti quæ adhiberi ad ignē solet, & continuâ, quantùm fieri potest, bonorum operum exercitatione illam fouere, quemadmodùm lignorum, & talium rerum appositione ignis conseruari consueuit. Nisi enim legi diuinæ exercitationem virtutum, & studium sanctorum operum, tanquàm ligna combustilia adiungas, fieri non potest, quin remittat ardor, & lux extinguatur.

Huc allusit sine dubio Eliseus sancti Bernardi tanquàm Eliæ Gilbertus Abbas serm. 14. in Cantica, quando monet Christianum, vt hac doctrinâ vtatur, & legem Dei sub metaphora ignis considerare iubet, inquiens: *Tene, quod tenes, tene, & attrecta diligenter verbum vitæ, reuolue lumen vitæ, volumen quod reuoluit Iesus, immò quod est Iesus.*

Notate mihi in his verbis ista; *Reuolue lumen vitæ*, quibus in rem præsentem nihil aptius dici potuit. Qui lucem lychni, ignem vult conseruare, ne extinguantur, debet ellychnium in myxo, carbonesque, seu ligna in fornace sæpiculè reuoluere, atque ità vtrumque nutrire, ac magis accendere, & quantùm de rei istius cura, & studio remittitur, tantùm etiam lux, & ignis ardor remittunt. *Reuolue* ergo *lumen vitæ*, inquit deuotus Abbas, velut dixisset: Nisi diligente, & perenni bonorum operum vsu excites, ac nutrias flagrantem calorem fidei, & legis charitatis, quæ est ignis inflammans, & splendor illuminans, & ardor concremans, vehementer timere potes, ne tibi infeliciter extinguatur, facilè namque emoritur, qui non iugiter fouetur ignis. Ergo qui non iuerit de virtute in virtutem, qui sanctorum exercitium operum intermiserit, manifesto se periculo exponit perdendi parta, quæ perseuerante studio nutrire negligit.

Refert sacrum Oraculum anxiam solicitudinem, & perpetuam, perque vigilem patientissimi Patriarchæ ergà liberos suos curam. Certabant illi mutuâ beneuolentiâ, & charitate, vicissimque ad licita, & honesta conuiuia per dies hebdomadæ ex ordine inuitabant. Hæc res multum patri adferebat voluptatem. Sed quoniam in eiusmodi epularibus accubationibus & temperantissimi moderatio, & moderatissimi temperantia nonnunquàm periclitatur, multo mane sanctus Iob surgebat, offerens victimas, & holocausta Domino, obsecransque illum, vt pro sua pietate seruaret liberos, ne inter epularum festiua gaudia, & oblectamenta tenerum modestiæ florem temerarent. Et monet sacra historia, perpetuum fuisse sancto Iobti hoc religiosum exercitium, & perenni eam rem studio curasse, inquiens: *Sic faciebat Iob cunctis diebus*; Iob. 1. v. 5.

Olympiodorus vult, pertinacem illam sancti Iob ergà liberos suos curam ob id commemorari, vt nobis sit documento, quem benè agendi modum tenere debeamus, vt bonorum operum studia nobis feliciter cadant, & quòd ille in dies singulos sacrificasse fertur, tantundem esse, ac si diceretur: *Neque interdùm actiones virtutis suscipiebat, aliquando verò prætermittebat, sed iusti vita adeò semper apta erat. Virtutum enim, bonarumque rerum cessatio reditus est ad improbitatem.* Hæc ille in sua Caten. in cap. 1. Iob. Ad insignem itaque sancti Patriarchæ laudem, & nostram institutionem hoc speciatim de illo traditum est, quòd nullus illi effluebat sine progressu in virtutum curriculo dies. Non enim faciebat quod socordes, & vecordes discipuli solent, qui vno die studiosâ manu versant libros, posthæc autem totis centum diebus non contingunt, sed religiosâ contumaciâ per viam virtutis iugiter, ac pertinaciter ferebatur. Nouerat quippè, subsistere tantundem esse, ac deditâ operâ referre pedem, & retrò abire. Qui enim non conatur esse melior, is repetere viam, quâ venit, & regredi ad vitia velle videtur, & qui non ad locum sublimiorem aspirat, hunc descendere certò videbimus: *Virtutum enim, bonarumque rerum cessatio reditus est ad improbitatem.* Formidabilis sententia remissis, incurijs, ignauis, & quorum nulla est, aut perexigua proficiendi solicitudo.

In eadem sententia erat Theodoricus rex inquit sanctus Enodius in panægyr. illius, cui sic aliquando aiebat: *Minus æstimas, quod non crescit, imperium*, & decedere putas regno ciuitates, subditos, regiones, dum non accedunt. Minus enim possides, qui non plus acquiris, & cùm non vlträ victricibus armis progrederis, purpuram tuam in posteriore loco relinquis.

Hinc Politicus noster, qui cœlorum auidè thesauros

ſ...ros perquirit, & ad æternæ patriæ dulcem portum anhelus ſuſpirat, accipere poteſt, neceſſarium eſſe ſemper ad anteriora extendi, & progredi, & nũquàm ſubſiſtere, iam enim illi & dixit Bernardus, & conſuluit Nyſſenus, & ſuaſit Vegetius, & indicauit Olympiodorus, ſtrenuè, conſtanterque terendum eſſe virtutis iter, eò quòd regrediatur, qui non progreditur, & deficiat, qui non proficit, & deſcendat, qui non aſcendit.

*Simile argumentum tractat fusè, & eleganter Periochâ III. Dominicæ VI. poſt Epiphaniam Tom. II. pag. 464. o. & alijs in locis ad finem eiusdem Periocha adnotatis. Vide etiam Periocham VI. Sabbati poſt Domin. V. Quadrag. Tom. I. pag. 447. o.*

## CAPVT VI.

*Nulla anima tam harmonicum eſt inſtrumentum, vt non aliquando eius nerui diſſonent, & ſemper ſint iuſtè contentæ fides.*

QVod hîc mœſtitudinem, triſtitiamque allaturum videtur, hoc ad maiorem conſolationem noſtrã, vt ſpero, redundabit. Cœlorum illi domeſtici, & obedientes miniſtri Dei, qui per myſticam ſcalam ſurſùm, ac deorſùm ibant, ſymbolum ſunt, & imago animarum, quæ in hac vita per ſcalam perfectionis feruentes aſcendunt, & ardentis ſpiritus pernicibus alis cœlos petunt, & aliquando vt aquilæ volant (quod eſt apud Prophetam Euangelicum) aliquando verò tam graues ſubſident, vt vix gradum mouere in via perfectionis poſſint. Hoc eſt aſcendere, & deſcendere, ſiue ſurſùm, ac deorſum ire per ſcalam ſpiritus, nunc habere viuum, vegetum, vigentemque boni appetitum, nunc verò tam languentem, ac nauſeabundam orexin, vt oculis grauia ſint, quæcunque ad virtutem ſpectant.

Huc reſpiciens ſanctus Claræuallis Abbas Bernardus Epiſt. 253. aiebat: *Quid ſtat in* hoc ſeculo? *Et certè de homine dictum eſt, Nunquàm in eodem ſtatu permanet,* Iob. 14. 2. Et quanquàm de omnibus vniuerſim mundi rebus verè dici poſſit, nihil habere ſtabilitatis, in hominem tamen aptiùs illa quadrat ſententia, cuius plures ſunt mutationes, quàm temporis inſtantia, vel momenta. Homo enim iam feruet, iam tepet, iam gaudet, iam mœret, iam timet, iam ſperat, & innumeris, ijsque contrarijs malis oppugnatur.

Si non ità eſſet, non conuerteretur ad animam ſuam Propheta regius, neque hortaretur eam immortales agere gratias generoſo benefactori Deo, è cuius liberalibus manibus tam innumerabilia ſemper accipiebat beneficia, inquiens: *Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis deſiderium tuum;* Pſal. 102. 5.

Gilbertus Genebrardus ex ſententia Rabbinorum ità interpretatur hunc verſum: *Qui replet bonis os tuum, id eſt, qui læſum tuum guſtatum ſanat, qui te reſtituit priſtinæ valetudini, vt tibi guſtum, & ſuauitatem morbo amiſſam recuperes.* Hoc autem eiuſmodi eſt, ac ſi diceretur, vt corpori, ſic & animo ſuas eſſe ægritudines, & infirmitates. Eſt nonnunquàm ità comparatus homo, vt vix habeat mundus cibos, quib⁹ inſatiabilis illius appetitus expleri poſſit, ſubinde autem tam eſt faſtidioſo ſtomacho, vt neceſſum ſit mille condimenta cõminiſci, & adhibere, quò vel vnam bucceam repugnanti ventriculo ingerere queat, qui & opiparis dapibus offenditur, & lectiſſima pulpamenta, lautiaſque horret. Animabus ſimile quidpiam accidit, quarum aliquando ſunt tam ingentes ſpiritus, tam vehementes ardores, vt putent, nullam eſſe tam acerbam pœnam, tam grauem ærumnam, quam non cum voluptate tolerare velint, aliquando tanto laborant tœdio, tepore, ac torpore, vt minimus labor moleſtiſſima crux illis videatur.

Nihil hîc abſque exemplo, & authoritate loquimur. Quis magis perfectus, quis magis cordatus, quis magis feruens in via perfectionis, quàm ille Iſraëlitici populi ab Ægyptiaca ſeruitute vindicator? Quis frequentiùs, & familiriùs cum infinita, & ſuprema Deitate loquebatur? Quis gratioſus intimus maiora, inſignitioraque ab ore, ac manu Principis ſui accepit beneficia? De hoc autem tam efflictim, & oculitùs dilecto ait ſanctus Baſilius Magnus Orat. 2. apud Metaphraſten: *Hoc & de Moyſe literarum monumentis proditum eſt, nempè quod non eodem modo ſemper vixerit, ſed interdùm ſanctiùs viuebat, interdùm verò propter imbecillitatem diſſoluebatur, atq; longè imbecilliùs operabatur.* Quanquàm maximâ eſſet Moyſes vitæ ſanctitate, quanquàm tanta ergà illum diuinæ manus prolixitas, non ſemper tamen fides ſpiritus illius ità contentæ erant, vt non remitterent, non vel aliquantulùm diſſonarent nerui. Aliquando enim per ſolitudinem curſitabat, tãquàm ſubiecto humero populum contumacem circumferret, idque faciebat tam leuiter, tamque animosè, ac ſi immanis gigas gracilem portaret ariſtam: Nonnunquàm verò tam velut grauedinoſus, tam moroſus, ac tetricus, tam impeditis pedibus, & imbecillis viribus erat, vt plus ſe peruicacis populi

ponderi-

ponderibus prægrauari putaret, quàm si vasti montis ingens onus debili formicæ imponerent: *Interdum sanctiùs viuebat, interdùm verò propter imbecillitatem dissoluebatur.* In his extremum verbum rem nostram confirmat. Dissolui namque spiritum quid aliud sonat, quàm fidium neruos laxari, aut recurrere verticulas, qui neruos moderantur, vt varia, harmonicaque sonorum compositio fiat. Neminem ergo hæc res frangat, si quandoque languescat illius animus, nam & Moyses, vir alioquin moderatissimus, & sui plerumque simillimus, interdùm id infirmitatis est passus, paribusque malis laborauit, quæ cùm nemini gratiam diuinam eripiant, humanæ sunt monitores, & excitatores infirmitatis.

Nonné Sponsa eos meruit à cœlesti ore diuini Sponsi accipere fauores, vt nunc amicam suam, nunc hortum, nunc paradisum, nunc solem, nunc omnium sensuum voluptatem, & delitium, nunc oculorum suspensionem blandè, comiter, suauissimèque appellaret? Ea verò, quæ in tam sublimem amoris, & amicitiæ statum euecta erat, dicebat tamen quadam occasione Sponso suo: *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*; Cant. 1. 3. Non rogat duci à Sponso, sed trahi, quod non vtcunque, sed per vim duci est. Itaque Sponsa petit quidem post Sponsum duci, verùm agnoscit etiam vi non qualicunque opus esse, vt efficaciter ducatur. Videtur hoc difficilè intellectu. Quid enim illa ingentem vim, efficacitatemque requirat, vt ad Sponsum adducatur, quem tam ardenter, vehementerq; amat? Si abripienda ex complexu brachiorum sui Sponsi fuisset, hæc res validissimos lacertos postulasset, sic vt totus virium omnium impetus eò verteretur, amantem enim ab eo, quem diligit, auellere, id omnium operosissimum opus est. Secundùm hæc, quid est, quòd Sponsa potentissimi brachij auxilium implorandum, dicendumque Sponso putauit, *Trahe me*, vt ad illum adduceretur, quod ei vt optatissimum, expetitissimumq;, ità suauissimum, iucundissimum, facillimum fuisse videtur? Quid hîc illi omnipotènte ope opus fuit?

O! succlamat hîc mellifluus Doctor vitæ spiritualis, & magister orationis, quàm benè hoc loco agnoscitur, quid sit spiritus humanus, & quomodo nemo debeat despondere animum, si talibus, alijsué malis, tædijs, languoribus, ægritudinibus se obnoxium sentiat, quando etiam illa tam dulcis, & chara Sponsa ità suum obtusum, habetatumque appetitum, & se tam tardam, debilitatam, torpidamque sensit, vt existimaret, nisi per vim, eamque magnam, traheretur, & abriperetur, sequi vestigia dulcis, & teneri Sponsi sui non posse, quem sic demoriebatur.

*Videsné*, inquit Bernardus serm. 7. in Cant. *illum, qui in spiritu ambulat, nequaquàm permanere in vno statu, nec eadem semper facilitate proficere, & nunc segniùs, nunc alacriùs, quæ retrò sunt, obliuisci, & ad anteriora se extendere?* Non eodem tenore, nec pari semper facilitate contendit per viam perfectionis spiritus humanus, sed nunc currit, nunc subsistit, nunc leuiter, celeriterq; volat, nunc impeditè, ac lentè ābulat, nunc pernicitate aquilā, nunc testudinē tarditate refert. Videre hoc licet in feruente spiritu tā efflictim dilectæ sponsæ, quæ per vim subinde trahi, & rapi debebat, quò aliàs lætanter aduolabat.

Secunda Patriarchæ nostri vxor erat mirabiliter fœcunda, quę intrà annos non omninò quatuor opimū illi quatuor filiorum fructū attulit, qui fuerunt quatuor capita, seu fontes, vnde tam illustris multitudo posterorū præclarissimorū descendit. Post hanc sobolē fertili aluo editā, *cessauit parere*, vt habet sacer textus Genes. 29. 35. siccatusq; est fons, qui perdiu tam largifluus fuerat. Post aliquod tempus redijt illi pristina fœcunditas, *quæ concepit, & peperit filium quintum*, Genes. 30. 17. neque hunc tantùm, sed posthæc alium etiam fructum, Dinam aio, ferax arbor produxit.

Quærit Guilielmus Ebroicensis, quid sensu mystico significet Lia nunc fœcunda, nunc sterilis, tantâque vicissitudine nunc exundas, nunc stagnans?

Respondit Clauss. 1. Morali 4. in c. 30. Genesios: *Per hoc, quòd Lia primò facta est fœcunda deinde sterilis ad tempus, posteà autem iterùm fœcunda, denotatur, quòd aliquibus Deus impertitur quandoq; fœcunditatem bonarum affectionum, quam tamen ad tempus ex suo immenso consilio retrahit, ità vt sentiāt se quasi omninò steriles, & aridos, atq; sine humore interioris deuotionis.* Sancta ergo hæc mulier, in qua mirabilis illa vicissitudo, & mutatio à fœcunditate in sterilitatem alternis vicibus facta est, significat animas, quæ in hac vita ad optatam, & multis suspirijs expetitam proficiscuntur patriam, quibus idem euenit, quod Liæ, nimirùm vt iam sint præmodùm steriles, & aridæ, & sine omni deuotionis succo, iam plurimùm aptæ, & expeditæ ad qualecunque virtutis opus, iam valdè remissæ, & tepidæ ad quamuis actionem pietatis, vt quibus per virium suarum imbecillitatem impossibile sit, in eodem constanter perdurare statu.

Amoris namque ignis, vt ait Gilbertus Abbas ser. 46. in Cant. plurimam similitudinem habet cum eo ardore,

ardore, quo vexantur, qui febrim habent: *Sicut enim corporalis languor non est semper æqualis vehementia, sed est aliquoties eius intensior passio; sic amoris affectio etsi iugi desiderio se tendit in dilectum, aliquando quidem intensioribus votis exæstuat.* Vt febris calor nec acutus æquè semper est, & feruidus, nec similiter semper affligat febrientem, habet enim sua incrementa, & declinationes, recessus, remissiones: Sic & amoris, quo Sponsa se languere aiebat Cant. 2. v. 5. febricula *aliquando intensioribus votis exæstuat*, vt inquit Gilbertus, augescitque, & imminuitur, & interdùm quidem vehementer inflammat, nonnunquàm verò detepescit. Nam vt fidium consonantiam non rectè contenti nerui soluunt: Sic & moderatissima anima subinde à sua æquabilitate, & constantia decedit, vel decidit.

Vt enim sanctus Petrus Chrysologus Epist. 1. apud Lang. habet, *non semper ingenij vena ad votum currit*, quandoque enim homo ità in promptu habet verba, vt ipsa illum titubare affluentia faciat, nonnunquàm verò tam est tardus, & stupidus, vt illum rerum facillimarum, & maximè perspicuarum intelligentia fugiat, vt ibi eum verba destituant, vbi pueris occurrit, quod dicant. Hoc est esse instrumenta humana, quorum neruos contenderit, & in concordiam adduxerit tenera, & caduca fidicinis manus, neruos, inquam, qui cùm ex tenui, & fragili materia constent, sæpè tunc rumpuntur, ac dissiliunt, cùm sunt maximè necessarij.

Sententia multorum habet, Sponsæ dictum esse Cant. 4. 15. quòd esset *fons hortorum, & puteus aquarum viuentium.* Notoria est, quod & alibi monuimus, differentia fontis, & putei. Ex puteo difficilè hauritur aqua, fontis frigida ad manum est leuiterque, & cum voluptate hauritur. Anima sæpè puteus, non rarò etiam fons est. Et puteus quidem, cùm nullas dat compunctionis lachrymas, nisi quas magno cum labore, & vi exprimas: Fons verò, cùm oculi velut maria quædam sunt amara, quæ lachrymarum flumina è corde scelerum suorum pœnitente inundatione perenni effundunt. Talem de se habebat opinionem gloriosus Pater Bernardus, qui serm. 54. in Cant. aiebat: *Nec compungi ad lachrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non inuenio. Vbi illa inebriatio spiritus? Vbi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto?* Et apud Hugonem Cardinalem in cap. 29. Genes. eandem suam ægritudinem sic deplorat idem melleus, & gemmeus Doctor: *Ab heri, & nudius tertius inuasit me languor quidam, & insolita quædam hebetudo spiritus, nec legere, nec meditari, nec orare delectat.* Quibus coloribus pingi expressiùs homo spiritu infirmus potuit? Cor habeo, inquit, quod saxi duritiem traxisse videatur, à quo vel vnicam lachrymulam petere tantundem sit, atque à rigido silice, aut arido pumice aquam postulare. Psalmorum mihi nullus gustus, librorum multum tædium, orationis non aliqua voluptas, consuetudo vetus meditandi non sapit. Triduum est quod meum spiritum grauis, ac terribilis infirmitas occupauit, tantâ namque me laborare nauseâ sentio, vt mihi videar spiritualium rerum gustum nullum recuperare posse. Vbi sobria illa temulentia spiritus? Vbi luculenta illa animi species, & solita quies, & iucunditas spiritualis? Fons eras nuper, anima mea, ex quo diuite, & promptâ venâ manabat aqua deuotionis, & calidarum lachrymarum plurima copia, quomodo nunc puteus effectus es, ex quo nonnisi operosissimè etiam modicum quid haurire spiritus possit? Sed nihil horum mirari debemus, hæc enim fiunt, vt moneamur, esse hanc instrumentorum humanorum conditionem, vt momento à iusta consonantia cadant, harmoniamque remissione neruorum vitient. Sæpè fit, vt hominis ità inflammetur spiritus, ac tam vehementer inardescat animus, vt plures inter orandum transmissas horas vnum temporis minutum reputet, optetque innumeras habere vitas, quas pro Deo periculo exponere mortis queat. Non rarò etiam sic hebetatur spiritus, obscuraturque lux eius, & remittit feruor, & conglaciat animus, vt perbreue orationis tempus videatur illi longum sæculum, tanquàm rimarum plenus sit, ità cogitationes illius hac, atque illac perfluunt, & fugiunt illum suæ potentiæ, & affectus frigescunt, totaque anima velut aridus caudex est, & hybernum, scythicumq;, aut si quod aliud rigidius gelu. Denique virtutis iter scala est, per quam interdùm celeriter ascenditur, & quandoque per teporem, torporemque descenditur. Forti animo itaque simus, & cogitemus permitti à Deo ista deliquia, & sanctarum exercitationum fastidia, bonorum studiorum nauseas, spiritus congelationem, fidium temperatissimarum, & consonantissimarum relaxationem, vt nostram fragilitatem, & miseriam, illudque simul agnoscamus, Dei gratiam, & beneficium esse, quidquid boni habemus. Namque illi tam gratiosi apud Superos, Moyses, inquam, & illa tam enixè dilecta Sponsa, & tâ charus Dei Filio ac Matri Bernardus, & quotquot in supremum contemplationis gradum peruenerunt,

runt, passi sunt has animi ægritudines, & infirmitates, & crebras spiritus remissiones.

*Non conuenit nihil huic capiti cum Periocha VI. Feria IV. post Domin. V. Quadrag. Tom. I. pag. 411. o.*

## CAPVT VII.

*Vt in supremum illud cacumen perueniamus, quod supremus mysticæ scalæ vertex contingebat, necessum est vt hinc spe, illinc timore stipati, ac suffulti ascendamus.*

DVo poli, quibus omnis bona, & prudens gubernatio nititur, & geminæ columnæ, quæ sustentant virtutem, constabiliunt æquitatem, coercent, recteque informant mores, sunt pietas & iustitia, suauitas & asperitas, timor & spes, supplicium & præmium, laurus & gladius. Hæc sunt fundamenta, ex quibus omnis bonæ actionis fœlix successus pendet. His duobus socijs comitatus homo per viam suam animosus, securus, ac tutus pergit. Si autem ab alterutro horum destituatur, aut deficiet animo, aut suæ confidentiæ manibus conficietur, ac peribit. *Inter spem, & metum, tanquàm duas molas versari debemus*, inquit Pontifex Maximus Innocentius III. Serm. I. Domin. 3. Aduent. *Vt videlicet timor temperet spem, ne præsumamus, spes verò timorem, ne desperemus.* Palàm est, quòd rectè moli triticum, commodaque pani coquendo farina confici nequeat, nisi saxum saxo immineat, eiusque rapido, & valido rotatu tritum frumentum pro rubicundis, aut fuluis granis candidos pulueres reddat. Concurrere ad eum effectum hæc saxa necessum est. Nam id quod in orbem semper agitur, parum efficit absque socio, & illud, quod immotum perpetuò iacet, non satis est solum, si non iuuetur ab eo, quod nunquàm cōquiescit, ambo saxa, quod impendet, quodque succumbit, coniuncta aptant commodiori alimoniæ triticum. Iam vt frumentum inter duos lapides morales versari debet, quò apta pani, & victui farina inde fiat, inquit Innocentius: Sic etiam vita spiritualis, & omnis bona Reip. procuratio inter spem & timorem, rigorem & lenitatem, gaudium & dolorem, pœnam & remunerationem, pietatem & iustitiam versari debet, vt asperitatem vnius leniat suauitas alterius, & rigorem timoris mitiget dulcedo spei, hæc enim nos roborat, quando ille angit, & in officio timor continet eos, qui à spe intumescunt superbiâ.

Huc procul dubio allusit secundùm sensum spiritualem Dominus in lege vetere, quando & hanc, præter multas, tulit, quâ seuerissimè cauit, ne quis pignoris loco ab Hebræo lapidem qualemuis molarem auferret, quo ille ad molendum seu triticum, seu aliud quodcunque necessarium familiæ esui, & vsui frumentum vteretur: *Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam*, aiebat ille Deuteron. 24. 6. Quid mystici sensus subest huic iussioni, quod nobis indicatum voluit legislator?

Hugo Cardinalis ait: *Duæ molæ Spes, & Timor. Spes superior, quia ad alta prouehit, timor inferior, quia inferius trahit. Prima tollitur per desperationē, secunda per præsumptionem.* Spes horrorem timoris temperat, præfidentiam spei timor corrigit. Vult ergo Dominus, vt neutrâ harum molarum careat, quisquis illi rectè, feliciterque seruire desiderat, nisi enim vtramque coniunctim habeat, audacter, tutoque pergere non poterit. Nam si tantùm sperat, fortè præsumptio erit, quod spem putat: Et si solùm timet, formido immoderata desperationem illi adferre potest. Hic studio deditus spiritus cantabit iustificationes Domini in loco peregrinationis suæ, vt ait Propheta, donec ad patriam optatæ, hoc est, æternæ quietis perueniat.

Huc faciet, quod sanctus Ioannes Chrysostomus obseruauit in quibusdam Doctoris Gentium verbis, qui dùm comparationem instituit inter ea, quæ sunt visui exposita, & illa, quæ sunt oculis inaccessa, dicit, hæc sempiterna esse, illa caduca, transitoria, momentanea. Verba illius 2. Corint. 4. v. 18. sic habent: *Quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Occurrit hîc dubitatiò, cur Apostolus, cùm æternorum, quæ sub visum non cadunt, meminit, non exposuit, quænam ea sint, & non dixit, cælorum regnum in his esse, & quietem perpetuam, & paradisum æternum, vt eorum spe nos aleret, excitaretque ad contemnēda fluxa huius sęculi bona, & inquirendam toto pectore, & omni studio beatam illam patriam: *De futuris verba faciens non dixit, Regnum æternum*, inquit Chrysostomus hom. 9. in 2. Cor. c. 4. At cur Apostolus non enudauit omnem suum, quem de hac re habuit, cogitatum? Tanti fortè negotij fuit, apertè eloqui, quid illud sit, quod nos in altera vita expectat? Quamobrem de futuris æternis disserens non expressit, esse in illis regnum æternum? *Quæ videntur, æterna sunt.*

Occurrit huic quæsito sanctus Constantinopoleos Pontifex, inquiens: *Non dixit, Regnum æternum, sed, Quæ non videntur, æterna sunt, siue regnum sit, siue*

*siue cruciatus, Vt & illinc nos excitet, atq; adhortetur, & hinc terrorem nobis iniiciat.* Æterna, quæ oculos nostros hîc fugiunt, non modò sunt præmia, quę Deus iustis constituit, verùm etiam supplicia, quæ improbis decreuit, hoc enim rectæ tanti Domini iustitiæ congruit. Itaq; Paulus, cùm de futuro loquitur, non gloriæ tantùm, sed & pœnæ mentionem tacitam fecit, ambæ enim sunt æternę, consultò tamē ac deditá operá neutrum eorum expressit, sed vtrumque velut dubium reliquit, vt quisque sibi, quod magis arriserit, accipiat, & bonus quidem confirmetur, malus verò conterreatur. Malus namque cùm intelliget, esse cruciatum, & supplicium æternum, timebit offendere Dominum tam iustum simul, & potentem: Iustus autem cogitans esse gloriam, & quietem perpetuam, concitissimo gradu per virtutis semitam properabit, præmij, quod expectat, calcaribus incitatus, volabitque alis subuectus quietis, quam suspirat. Si gloriæ solius meminisset Apostolus, nimiùm præsumendi occasionem dedisset: Si solam memorasset pœnam, etiam fortissimorum animos fregisset. Vt ergo pusillanimus confortaretur, & magnanimus non deficeret, vtrumque dixit Apostolus, simulque & frœnum timoris præfidentibus iniecit, & calcaria spei ignauis admouit.

Fecit hîc sanctus Paulus, quod prudentes exercituum duces supremi facere solent, ac debent, quibus Flauius Vegetiùs lib. 3. de re milit. c. 10. suadet, vt pugnam inituri, & signa cum hoste collaturi, milites suos ante congressus initium exhortentur, & hoc primùm, ac præcipuè moneant, vt nemo existimet, non posse eâ occasione id accidere, quod aliàs alijs sæpè euenit: *Vnum illud prædicendum est, Vt nemo desperet fieri posse, quæ facta sunt;* inquit ille.

Si quis militibus suis sinistrum belli exitum, vincendosque illos, & arrogantium hostium suorum misera mancipia futuros esse prædiceret, impruden ter ageret, vt & ille, qui certam ipsis victoriam, & indubitatum de subactis contrarijs triumphum, amplissimaque, & opulentissima spolia promitteret. Nam vt ille expertus imperator, & magnanimus bel li præfectus aiebat, *Varius est euentus belli*, 2. Reg. 11. 25. quique pridie subactum se videt, & prostratum dolet, ille postridie se victorem gaudet, & tùm lætabundus triumphat, tùm triumphabundus læta tur. Quid ergo militibus suis prudens Imperator dicere debet? Omne illud, quod & timeri, & sperari potest, quodque alio tempore alij timuerunt, & sperârunt: *Vt nemo desperet fieri posse, quæ facta sunt.* Dicere debet suis militibus, posse illis aduersa, posse prospera euenire, posse accidere læta, posse tristia, fieri posse vt vincantur, posse etiam fieri, vt victores euadant: Nam si sola illis sinistra denunciet, multá ijs ignauiá tam ingratum præsagiū adferet; sin omnē felicitatem, & euentum secundū promittat, immodicam in illorū cordibus præfidentiam augurium istud excitabit, sicque ignauia, & præfidentia, res duæ diuersæ malum vnum, idemque generabūt, hoc est, vt prostrati, & cæsi occumbant. Vt ne ergo perniciosè præfidant, monendi sunt, fieri posse, vt vincantur: Ne verò deficiant animis, confortabit eos, dicens, fieri posse, vt triumphatores è conflictu abeant, vt sic timor succumbendi temerariam emendet præsumptionem, & ignauiam quidem animet, pusillanimitatem verò omnem spes victoriæ fuget, ac propulset. Spe, & timore omnis nititur bonus euentus, fundatúrque, & constabilitur prosperitas. Eapropter Paulus suis vtrumque proponit militibus, hoc est, pœnam, & gloriam, laborem, & quietem, quodque possint æternùm beari, vt nonnulli, & ad inferos ire, vt multi, vt cùm hos intelligunt damnari, non intumescant superbiâ, nec præsumant, & cùm alios audiunt saluari, non despondeant animum, neque desperent beatitudinem: *Non dixit*, Regnum æternum, *sed* quæ non videntur, æterna sunt, *siue Regnum sit, siue cruciatus, Vt & illinc nos excitet, atq; adhortetur, & hinc terrorem nobis iniiciat.* O salutare militiæ spirituali prudentis Capitanei consilium!

Vox Domini in multis Scripturæ partibus appellatur vox horrisoni tonitrui, quod pluuia, & fertilitatis parens aqua consequuntur. Otiosum mihi videtur hoc probare, quod sacrarum literarum varia loca tanquàm fideles testes affirmant. At vellem ego nunc hominem, qui nobis aperiret, quid habeat mysterij, quòd vox Domini formidabili tonitruo cum placida, & blanda pluuia coniuncto comparatur.

Ioannes de sancto Geminiano lib. 1. Comparat. cap. 16. detegit secretum aptè in rem præsentem, dicens: *Ex pluuia terra fœcundatur, præcipuè ex illa, quæ cum tonitruo cadit.* Quanquàm aridam, sterilemque humum aqua omnis fœcundet, sed quàm tonitrua soluunt, ea maximè abundantem terram facit. Mirum profectò, quòd sonorum terrificumque tonitru cum molli, ac leni pluuia coniunctum maiorem terræ confert fertilitatem! Quid documenti haurire spiritus ab illo naturali exemplo potest? Id quod Geminianus affirmat, nimirùm tametsi spei suauitas, & præmij blanda, grataque aqua fœcun-

fœcundet sterilissimam animæ terram, si tamen aqua spei coniungatur cum tonitruo timoris, magis fœcundum reddere spiritum, facereque vt bonorum operum fructus maiore copiâ producat. Itaque spei aqua *cum timore diuini iudicij, quod est tonitruum, fœcundat animam, & reddit aptam ad fructum bonorum operum.* Tanti refert, vt spiritus binis his spei, ac timoris seu pedibus ambulet, seu alis volet, vt securus in finem optatum perueniat.

Duo concurrerunt ad conuersionem illius, qui tantam promittebat constantiam, & sedem firmitudinis tam leuiter deseruit, tam facilè perdidit, quæ diligentem profectò merentur considerationem. Ad leuem infirmæ mulierculæ ictum vasta Petrinæ animositatis machina tota contremuit, & porrò sublapsa fuit. Negabat ille suum Magistrum, qui cùm ad comprimendam eius præfidentiam paucas horas ante prædixisset, arrogantem præsumptionem illius ter lethaliter titubaturam, priusquàm gallus cantaret, res vaticinio successit, & Petrus nosse suum Magistrum negauit, postquàm gallus cantârat: *Adhuc illo loquente cantauit gallus, & conuersus Dominus respexit Petrum*; Lucæ 22. v. 60. 61. Dum gallus cantat, & Magister amanter respicit, Petrus (quod ipsi congruebat, & Dominus vehementer cupiebat) cœpit amarè turpe suum erratum deflere, & oculorum aquâ diluere sordidam, atramq; lituram, quâ suam apostolicam animam fœdârat.

Subnotauit Sanctus Laurentius Iustinianus mysticas circumstantias, quæ concurrerunt in conuersione Vicarij Christi, quasq; diuinus Magister coniunxit, vt infidum ad resipiscentiam, & lachrymas permoueret discipulum, de quo Lucas ibid. v. 62. *Et egressus foras Petrus fleuit amarè*, commigransq; è Babylone palatij transijt in contritionis Ierosolymam. Concurrerunt autem cantus galli, & visus Magistri ad conuersionem sacri Apostoli. Quid verò sibi vult ista rerum talium coniunctio, cùm nulla sit in Scriptura & Domini nostri gestis circumstantia, quæ non plurimis grauida mysterijs?

Respondet magnus Venetorum Patriarcha de agone Christi c. 9. *In galli cantu Iudicis terror, in aspectu Christi gratia cœlestis infusio. Præcedit iudicij pauor, subsequitur autē beneuolētia charitatis. Ambo tamē immutant propositū, adducunt fletū, dilectionem ingerunt, amoris enutriunt flāmam, & conuertunt ad Christum.* Gallus regiæ maiestatis est symbolum Corona, quam capite præfert, hoc loquitur. Vox illius ferocissimum quemuis leonem perterrefacit, vt aiunt, Pierius, Berchorius, Ricciardus, Bartholomæus Anglicus, & Vincentius Beluacensis, & alij non pauci. Est præterea contentiosum, & pugnacissimum animal, cuius seueriorem indolem produnt, & erectum collum, & rigida ceruix, & flagrantes oculi, & ipsa incessus immodica grauitas. Oculi Domini plurimùm sunt pietatis illius, & amoris signa. Conspersæ sunt diuinæ literæ crebris testimonijs, quæ hanc veritatem comprobent. Quòd ergò ad conuersionem Petri, & ad extrahenda ab intimo illius corde per oculorum fenestras pignora doloris, ad lachrymas, inquam proliciendas concurrerunt terror seueritatis adumbratæ in gallo, & dulcedo pietatis natæ ex beneuolo intuitu Domini, id factum, vt inditio, & documento esset, quòd ad conuersionem peccatoris, & gratiæ diuinæ stabilitatem fouendam, conseruandamque nulla sunt aptiora, & commodiora remedia, quàm terror iudicij, qui est pater timoris, & suauitas diuinæ clementiæ, quæ est spei mater. Ex his parentibus nascitur perennitas, & conseruatio status diuinæ gratiæ.

At quàm venustè, eleganterque dictum, *Ambo amoris enutriunt flammam*! hoc est, timor, & spes, terror iudicij, & beneuolentia charitatis confouent incendium, siue ardorem amoris. Metaphora subest his verbis, quæ sumpta videtur à nutrice tenerum pusionem suis vberibus amanter lactante. Prouida natura duo vbera constituit, tanquàm duos fontes, qui suam infantibus dulci scaturigine alimoniam lacteam fundant. Sunt autem gemini fontes, vt cùm vnus fatigari cœperit, alter illum suo onere tātisper leuet, pietatisque ministerium leuius illis accidat, dùm per vices obeunt. Sic etiam vt charitas nutriatur, & crescat, vtroque timoris, & spei vbere alenda est, inquit sanctus Laurentius Iustinianus, *ambo amoris enutriunt flammam.* Quòd si te alterum vberum suâ horribili specie terreat, arripe alterum, cuius elegantior, amabiliorque forma, spes enim præmij vehementer allectat, & roborat. Si autem spes nimis præfidentem faciat, papillam timoris inuade, vt is immodicam temperet præsumptionem. Vna enim mamilla absq; altera perfectè, vt videtur, nutricari, & conseruare amantem in statu gratiæ non potest.

Huc faciet, quod Celsus lib. 2. cap. 6. affirmat, qui cùm signa prolixæ ægrotationis, ex qua vix conualescere infirmus posset, exposuisset, mox ait: *Sed inter hac proposito metu spes tamen superest*; velut pluribus dixisset: Postquàm Medicus ægro periculosum, & ærumnosum sui morbi statum indicauit, ex quo necessum est illum consternari, eriget tristem

infirmum

infirmum spe aliquâ remedij, quod malo ipsius adferri queat, iubebitque non desperare salutem meliorem. Hoc autem cautè, consideratèque agendum. Nam si Medicus timoris claue portam spei incolumitatis recuperandæ malè habenti totam prorsùs occluderet, in desperationis abyssum sese præcipitandi occasionem illi ministraret: Sin immodicâ spe illum lactaret, certumque expectare omnis mali sui remedium iuberet, melioris valetudinis accessionem difficiliorem, magisque dubiam redderet, ac periculosam consanationem, ipse namque æger neque iustâ victus ratione vteretur, neque alia, quæ ad instaurandam sanitatem faciunt, debitè curaret. Vtrumque ergo faciendum, quò salutis suæ melius, optatiusque habeat prognosticum, timebitque æger posse totius valetudinis iacturam facere, sperabitq; ex morbo euadere, omninò atq; consanescere posse.

Hoc nos docet scala, quam in mystica visione Dominus Patriarchæ nostro ostendit, Angelique inibant, & deibant. Nam vt cæteræ scalæ duo habent latera, quibus transuersa immittuntur ligna, vt faciliùs per eas, securiùsque ascendere possint, & descendere, qui volunt: Sic & illæ scalæ Iacobææ, cùm per eas tam altum cacumen petendum esset, vt habebant gradus, quibus insisterent pedes, sic & sua vtrinque fulcra, quibus manus confirmarentur, & sustentarentur.

Quòd ergo istæ scalæ gemina habent statumina, id sensu mystico, vt multi exponunt, significat, vt quis in excelsum fastigium, quod illæ suo vertice tangebant, euadat, necessum esse duobus illis fulcris vti, vno spei, altero timoris, sic enim, cùm per virtutum gradus sursùm contendit, & hinc quidem à spe fulcitur, illinc verò à timore sustentatur, securus ascendet Politicus, qui animæ suæ, quam potest, ac debet, rationem habet, iustam nempè faciet amaritudinis, quam habet timor, & dulcedinis, quam spes adfert, temperaturam.

## CAPVT VIII.

*Cùm nemo se repentè in infimum insolentiæ præcipitet, quanquàm facilè sit hoc agere, quomodo Christianus in summum perfectionis apicem, quod tam arduum est, & operosum, vno volatu vult peruenire?*

Vidit sacer Patriarcha noster (quod frequenter iam diximus) *Angelos ascendentes.* Non vidit eos subuolare, sed ascendere. Cedit hoc in eruditionem nostram, monetque Politicum, quem seruare modum in procurandis animæ profectibus debeat. Modus autem talis est, vt per virtutum gradus paulatim ex ordine ascendat, & prudenter consideret, non derepente volatu vno in supremum illius cacumen penetrare posse. Nam cùm pronus sit ad vitia descensus, nec quisquam tamen subitò in extremam malitiam se deijcere soleat, quomodo velit momento vno in editissimum fastigium euadere, quò nonnisi per confragosa loca, & prærupta ingentium difficultatum iuga perquàm ægrè conscenditur? Benè validum hoc mihi argumentum videtur. Si enim quod minus est, nemo facilè assequi potest, quomodo maius quis subitò obtinebit?

Tertullianus lib. de præscript. hæret. cap. 1. cùm de modo agit, quo hæreses ad extinguendam pulcherrimam fidei nostræ lucem introducuntur, sic ait: *Hæreses ad languorem, & interitum fidei productas si expauescimus hoc eas posse, priùs miremur hoc eas esse*; tanquàm dixisset: Obstupescimus, nec immeritò, videntes hæreses ad hoc natas, & excitatas, vt fidei primùm ægritudinem, deinde etiam exitium adferant, nempè in illis, qui eam perdunt, hæresin enim semper aliquam apud nonnullos oportere permanere Verbum Patris æternum Vicario suo Petro prædixit.

Sed notanda verborum phrasis, quâ Tertullianus affirmat fidem apud aliquos deficere, inquiens, hæreses *ad languorem, & interitum fidei* productas, quasi diceret, primùm ægrotare, & febri laborare homines, posthæc verò mori fidei, & propterea fidem mori apud illos. Hoc ergo est, quod ille ait. Vt quis in abyssum miseriæ decidat, vtque in gradum infimum se præcipitet, hoc est, fidei iacturam faciat, hoc non fit repentè, neque primâ statim vice, primùm enim velut febri quadam corripitur, tum augescente paulatim malo in tumulum hæreseos mortuus incidit: *Ad languorem & interitum fidei* producta est hæresis.

Nam vt Quintilianus declamat. pro cœco ait: *Innocentia per gradus certos ab homine discedit.* Nemo repentè fit pessimus, sed pedetentim, gradatimque in extremum malitiæ inconsultus peccator descendit. Quàm admirabilia illa, & commoda confirmando argumento nostro verba, *Innocentia per certos gradus discedit!* Cùm enim ad peccandum ipsis vitiatæ, ac deprauatæ naturæ ponderibus tam procliuiter, faciliterq; feramur, quàm leuiter è loco decliui deorsùm imus, neque semper tamen in malitiæ vltimæ præcipitium homo concito volatu derepente descendat, sed gradatim, sensimque infrà

dilabatur,

dilabatur, si ad malè agendum, ad quod tam pronè animus humanus inclinat, tamq; expedita, prompta, & parata semper habet omnia, pedetentim mouetur, sic vt extremam malitiæ lineam non statim primo conatu, impetuque attingat: Quomodo saltu vnico supremum perfectionis verticem occupare & heroicarum virtutum excelsissimum gradum passu primo inuadere posse Christianus velit? Nimisquàm arrogans sit, qui hoc præsumat, præfidentisq; Icari similis, qui appellatione suâ suum stultum, insolentemque ausum satis indicat: Ad summum quippè nonnisi *per gradus certos* peruenitur. Sua temporis spatia res ista requirit. Cùmque ità sit, magnus mihi fuerit Politicus noster, si in supremum cacumen penetrauerit, iter enim, quod eò ducit, prolixum est, & non pauca habet impedimenta, quæ superari debeant, & multos inimicos, quos subigere oporteat.

Postquàm stupenda miracula cœlestis Magister ad vtilitatem miseri populi fecerat, actionum illius insidiosi exploratores, & obseruatores animo maleuolo eum conuenerunt, nouaque signa, & miracula rogârunt. Cùm videret sacer Dominus venenatam pharetram, ex qua fallacis, & malitiosæ eiusmodi petitionis sagitta veniebat, aiebat illis: *Generatio mala, & adultera signum quærit*; Matth. 12. 39.

Accuratè, grauiterq; expendit eruditus quidam modernus hanc Domini iustè irati responsionem, atque in illa hoc obseruat, quòd Scribas, & Pharisæos ante malos vocat, quàm adulteros nominet: *Generatio mala, & adultera*; sumptâ metaphorâ à muliere, quæ perfidiosè violans legem fidelitatis, quam ex contractu, & Sacramento debet suo marito, videtur impudentiori flagitio se obstringere non posse, quàm cùm periura contaminat, & sordida defœdat consortio extraneo castum thalamum, qui dominum non admittit alium. Multa peccata præcedunt, inquit ille autor, & docet experientia, priusquàm crimine tam nefario, atque infami se commaculet, perque multos variarum culparum gradus sese paulatim præcipitat, donec in profundam abyssum violati thori iugalis, & temeratæ fidei matrimonialis turpi prolapsione cadat; *Multa hoc facinus præcedunt*, (inquit multa cum elegantia Benedictus Fernandius in cap. 27. Gen. sect. 4. num. 2. To. 2.) *& disponunt ad ruinam, nimirùm mulier cupit videre, ac videri, excipit nuntios, respondet, rescribit, aspectum, & colloquium admittit, donec tandem infelix in adulterium prosternatur. Semper ad flagitium per viam inceditur*, neque fit pessimus, aut extremè sceleratus, qui non ante malus fuerit, & minoribus vitijs assuetus, vt nulla facilè in mœchiæ voraginem muliercula propudiosa se ingurgitat, nisi quæ ante oculos miscere oculis, & amatoriarum certare literularum mutuis officijs, & creba munuscula, frequentesque salutes tum missiculare, tum excipere amabat.

Ad hunc modum ergo Dominus rabidos inimicos suos primùm malos tùm adulteros nominat; *Generatio mala, & adultera*, quod perinde fuit, ac si dixisset, eâ ferè ratione illos in extremam malitiam peruenisse, quâ infida mulier eò prolabitur, vt coniugalis thori iura vsu inconcessæ Veneris polluat, quæ non statim huc se præcipitat, nec prorsùm momento vno cœcatur: Sic & illi cùm essent perditissimi, non vnâ prolapsione subitò in id malitiæ extremum deciderunt. At si ij tam contaminati, & omni scelere cooperti homines non statim in profundum improbitatis peruenerunt, quanquàm ad omne vitæ scelestæ genus velut nati essent, & plurimùm propenderent, quomodo vult Christianus in summum virtutis apicem derepente peruadere, habens infensum, & infestum dæmonem, qui mille dolos struit, vt per viam detineat illum, & compediat, viuens in mundo, qui suis vanitatibus illi moras injicere studet, intestinum domi, & portatilem alens aduersarium, carnem, aio, spiritui vehementer repugnantem, quæ suis fictis blanditijs, & veris præstigijs accelerationem illius retardare, & ascendendi feruorem intepefacere, & incitatum languefacere studium solet.

Præmodùm tritum, receptumque ab omnibus est nomen, *Microcosmus*, siue *Paruus mundus*, quo veteres Philosophi donârunt hominem. Caditq; hæc tam aptè in hominem appellatio, vt nunquàm sit illi adimenda. Est nimirùm ille, vt vult beatissimus Papa sanctus Gregorius Magnus, mundus quidam abbreuiatus, epilogus, summarium, & recapitulatio rerum omnium, quascunque terrarum orbis complectitur: *Omnis creatura aliquid habet homo*, inquit ille homil. 20. in euang. *Habet namque commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus intelligere cum Angelis.* Meritò ergo paruus mundus vocatur, qui velut compendium quoddam habet omnium, quæcunque mundus maior habet.

S. Petrus Damianus lib. 2. epistol. 5. aliam talis appellationis rationem tradit, inquiens, hominem vocari mundum minorem, vt sciat, & intelligat, *qualiter valeat consummari, quomodo debeat perfici, vt ad suæ plenitudinis incrementa contendens, ipsam*

*mundanæ conditionis speciem imitetur, vt sicut visibilis, atque corporeus hic mundus per suarum molem, ac multitudinem consummatus est partium, sic & homo noster interior paulatim ad sui plenitudinem veniat per augmenta virtutum.* Ex abysso nihili, & confuso chaos elegantem hanc totius Vniuersi machinam supremus Opifex eduxit. Et quanquàm omnipotens immensi Architecti dextera longulum illud sex dierum spatium, quod constructioni mundi dedit, minimè requirebat, vt sumptuosum hoc ædificium suis numeris absolueret, totum illud nihilominus tempus in perficiendo illo opere collocare voluit, vt hominem doceret, inquit S. Petus Damianus, quòd cogitatò, deque industria, & dedita opera, tot dierum moram in hac fabrica traxit, & nunc quidem lucem fecit, nunc verò rutilantes, fulgentissimasque illas faces, quarum altera diei, nocti altera inuicem præest, nunc cœlum, aues, pisces, brutas animantes, denique hominem in lucem produxit, vt illum tali exemplo institueret, quam excolendæ animæ rationem tenere, & quo modo profectuum illius curandorum pensum perficere deberet, simulque moneret, non debere existimare, posse se exiguo laboris, & temporis impendio vnâ vice mox consequi perfectionem, habet enim virtus quælibet multos gradus, & virtutes plures sunt, & in quouis gradu non pauca, quæ vinci, ac separari debeant. Aliquando studendum est patientiæ, aliquando castitati danda opera, aliquando laborandum, vt rerum mundanarum contemptus acquiratur, aliquando curandum, vt effusarum appetentiarum licentia, contumaciaque còerceatur, aliquando huc vertendus conatus, vt venarum sanguis amanter offeratur his, qui illum hostiliter sitiunt, auidèq; bibere cupiunt. Iam & animus valido nonnunquàm proposito obfirmandus ad solicitam, studiosam, & integerrimam executionem omnium, quæcunque ex officij munere, & status conditione, atq; obligatione facere oporteat. Ad huius rei studium acuendum plurimùm facit, si quis sedulò cogitet, plurima esse, quæ in viro consummato, & perfecto fieri debeant, & facere hominem omnibus virtutum partibus expletum tale ferè esse, quale nouum mundum construere: *Vt paulatim ad sui plenitudinem veniat per augmenta virtutum.* Intolerabilis enim arrogantia, & stulta præsumptio est, velle hoc vnâ vice, & breui momento absoluere, quod Deus nonnisi plusculorum dierum operâ perficere voluit.

Solinus cùm de rebus Africæ memorabilioribus agit, loquens de Tigride fluuio, quem *Medi*, inquit, *sagittam nominant*; sic scribit in polyist. cap. 46. *Nec ab exordio statim totus est, primùm pigrè fluit, nec cum suo nomine.* A prima sua scaturigine non est tantus, quantus cùm in Arethusam locum influit. Vbi primùm erumpit, sensim, impeditèque dilabitur, neque statim Tigridis, hoc est, sagittæ nomen habet. Videntur hâc re tacitè institui homines, quemadmodùm in semita spiritus progredi debeant. Vita humana fluuius est, sed tunc primùm, cùm vitalem anhelitum in amarum mortis mare exonerat. Nec enim quisquam putare debet, se, simulatque vsum rationis nactus est, vt per alueum virtutum ad oceanum mortis decurrat, iam tunc omnem suæ abundantiæ plenitudinem habere. A paruo incipere, & riuus esse ante debet, vt in fluuium posthæc lentis incrementis paulatim euadat, tardisque profectibus auctus tum demùm nomen sagittæ obtineat, cùm longiturnâ exercitatione virtutes coluerit: *Nec ab exordio statim totus est, primùm pigrè fluit, nec cum suo nomine.* Qui enim arbitratur, perfectionem vno, vt sic dicam, saltu assequi posse, & in supremum verticem vno momento penetrare, & ad maximum peruenire, nisi ante minùs transierit, is à stulta imaginatione sua luditur, & insania non ferendâ laborat. Ad malum per gradus itur, tametsi peccare tantundem sit, quod descendere, & flagitia nonnisi certo quodam laboris impendio patrantur. Quomodo ergò Politicus noster, sciens quanta sit perfectionis celsitudo, quanta humanorum gressuum ad bona tarditas, & pigritia, velit vno momento consequi, quod qui post longos cum virtute exactos annos, & studia vitæ sanctioris diuturna obtinet, is admodum felix est, & maximam laudem commeruit?

*Cohæret cum istis, quæ suprà P. I. Polit. lib. I. c. 3. tractantur, & alijs in locis ad finem istius capitis subnotatis.*

## CAPVT IX.

*Non satis nobis est, quòd dominus noster sit, qui Deus est, nisi curemus, vt & Deus noster sit, qui est dominus.*

EVanuit mystica visio, cùmque euigilasset viator noster, attonitus succlamauit: Verè Dominus singulari assistentiâ incultum hunc locum honorat. *Terribilis est locus iste, neque aliud est, quàm domus Dei, & porta cœli.* Hæc dixit, & ad humillimæ gratitudinis suæ demonstrationem, vtq; tam admirabilis beneficij memoriam monumento æterno insculptam

ptam ad omnes secuturas ætates transmitteret, lapidem ex his, quibus pro ceruicali vsus fuerat, quempiam arripiens, ceu pyramidem aliquam erexit, in qua visionis illius arcanum perennaret, tum oleo supernè infudit, & suo modo consecrauit, locoque nomen dedit *Bethel*, quod est *Domus Dei*, demùm tale Domino votum nuncupauit: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*, Gen. 28. 20. 21. 22.

In his verbis illa, *Erit mihi Dominus in Deum*, plurimum laboris, & fatigationis attulerunt studiosis interpretibus, quibus hæc res cordi fuit, vt sacri oraculi retrusiora mysteria, quantum fieri posset, exactissimè enuclearent, & accuratissimè enudarent. Difficile namque intellectu videtur, quid mouere potuerit illum, qui tam attentus in voti sui nuncupatione fuit, vt hoc promitteret, velle Dominum habere pro Deo, si per ipsum optatorum suorum compos fieret. Battologiam quis dixerit, & eiusdem verbi superuacaneam, inutilemque repetitionem, quod ait, Dominum se pro Deo habiturum. Qui enim Dominum fatetur supremum Conditorem, palàm est, Deum agnoscere debere. Quomodo ergò sanctus Patriarcha horum alterum ab altero, tanquàm diuersa sint, secernit, ac dirimit, inquiens, *Erit mihi Dominus in Deum!*

Fortè sit nonnemo, qui putet, votum istud, quoad hanc illius partem, superfluum, & otiosum. At si animum diligenter quis aduertat, inueniet tam cautè, ac sapienter esse ab illo editum, vt Politicus noster beatissimus sit futurus, si hoc opere persequatur, quod velle facere Iacob promisit. Quod vt elucidemus, dico paucis, non esse idem habere supremum Creatorem pro domino, & habere illum pro Deo. Qui pro Domino illum habent, neque ei tamen seruire, & gratificari student, de his affirmare possumus, tametsi Dominum agnoscant, pro Deo tamen (quod ad affectum, & voluntatem eorum attinet) non habere, cui nimirùm obsequi, debitumq; venerationis cultum pendere negligunt. In his, qui illum offendunt, & ad iram prouocant, habet Dominus (vt sic loquamur) supremum dominium superioritatis, & relationis Creatoris ad creaturam, quam superioritatem, quantumuis fortè inficiari homo velit, effugere non potest. Ijs tamen alterum illud dominium deest, & regnum, quo regnet Dominus in illorum voluntatibus, & affectibus, & horum, eo sensu, non est Deus, in quorum animabus, & cordibus per gratiam non imperat: At verò illorum est Deus, in quorum pectoribus omnimodè regnat, & vtroque dominio imperat, quem illi & Dominum suspiciunt, & Deum adorant. Quod ergò ad nos attinet, parum proderit, quòd Deus priore modo imperet in creaturis, nisi & posteriore ratione in eisdem regnet. Quare quod diuinus Patriarcha noster promisit, inquiens, *Erit mihi Dominus in Deum*, tantundem fuit, acsi pluribus verbis spopondisset, velle Deo seruire, & per omnia placere, fuitq; vtiles ac prudens votum, parùm enim profuisset, agnoscere ipsum pro Creatore, & Domino, nisi simul vt Deum suum adorasset, coluissetque.

Attentiùs namque rem consideranti occurret, in domo Dei, vbi pro Domino agnoscitur, multos clausos, absconsosq; latere idololatras, quod mellifluus Bernardus peracerbè deplorabat in Declamat. super Ecce nos, dicens: *Væ! væ! in domo Dei horrendum videmus, quidni idololatras ministrantes?* Domus Dei Ecclesia illius orthodoxa est. Itané verò in illa domo horribile istud Bernardi ætas vidit, puta catholicos idololatras! Quomodo fieri potuit, vt iidem & Catholici essent, & Idololatræ, cùm hæc itá mutuò pugnēt, tamq; mortalis sit eorum hostilitas, vt fœdere coire aliquo æternùm nequeant? Respondet tamen Bernardus, facilè captu esse, quod ipse affirmauit, & iam iam quæsitum fuit, si vnum ante ponas, quod nemo negat, nempe, *Quod quisq; præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probari.* Quod quisque adorat, erectoque in ara cordis sui simulachro veneratur, hoc illi pro supremo numine est. Ad hunc itaque sensum facilè fieri potest, vt reperiantur in Ecclesia Dei idololatræ catholici, qui Creatorem suum vnicum Dominum agnoscant, & in sua voluntate aliud quidpiam adorent.

Præcipua lex Dei, & statutum antiquissimum olim in Deuteronomio c. 6. latum, apud S. Marcum 12. v. 30. repetitum sic habet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*, sic vt nullum reserues cogitatum, quem non in illius cultum, amorem, reuerentiam vertas. Notandum quòd Moyses, cùm hanc legem, cœlesteq; istud edictum populo Israëlitico primùm indicaret, ac promulgaret, breuem hanc, compendiosamque admonitionem præmisit, dicens: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*; Deut. 6. 4. quod tale fuit, acsi dixisset, in corde animæ non debere esse aliam

aliam adorationem, niſi Dei, & Domini, ſed illius, qui verè ſit Deus. Quid ſibi vult, quòd lex iſta tam ſolicitè, & circumſpectè auocat cor humanum, affectus, cogitationes, vires, conatuſque totos ab omni eo, quod non ſit Deus, aut ad illum non pertineat, vel dirigatur?

Origenes homil. 2. in lib. Iudicum ait: *Præoccupare quodammodò ergà ſe cupiens totos humanæ mentis affectus, ſciens quia quod ex toto corde dilexerit quis, & ex tota anima, atque ex viribus totis, hoc ei Deus eſt.* Quòd ergò Dominus talis legis edicto animam hominis, quantà eacunque eſt, facultateſque illius omnes ſibi reſeruari, & ad ſe vnum vnicè amandum verti mandauit, non alio conſilio hoc fecit, quàm quòd ſciuit, id cuique pro Deo eſſe, quod toto cordis affectu complectitur. Quod enim affectus adorat, hoc velut ſupremum numen veneratur, & reueretur.

Ac niſi ità res haberet, quomodo S. Paulus multis perfuſus lachrymis affirmaſſet, quoſdam ità obbrutuiſſe homines, tamque terreos effectos, totoſq; animæ ſuæ affectus, & ſenſus, vigilias item, & cogitationes vili, & infimi gulæ idolo ſic conſecraſſe, vt præter ventrem Deum non haberent alium? Verba Pauli Philip. 3. v. 18. & 19. ſic habent: *Multi ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Palàm ergò, perſpectumq; habemus, eſſe quoſdam homines, qui vnum Dominum agnoſcentes, affectu ſuo adorant alium. Alienorum autem deorum, qui adorationis venerationem habent, vnus quidam venter eſt, ad quod Tertullianus apud Velaſquez (cui partem dictorum nō modicam debemus) in expoſitione illius textus reſpexiſſe videtur, cùm ait: *Ille deo idolo gulam ſuam mactat, tu Deo non vis, Deus enim tibi venter eſt; & pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos coquus*; tanquàm pluribus dixiſſet: Vorax epulo, & inſaturabilis heluo guttur, palatumque ſuum infami, propudioſo, & bruto ventri ſuo ſacrificant, & tu animam tuam Domino pro debitæ obſeruantiæ cultu tradere recuſas, vt ſit etiam tuus Deus, ſed ethnici potiùs turpem adorationem imitaris, tuum enim numen, cui tributa obſequiorum pendis, tuus venter eſt, tibi pro lario pulmo, pro ara ſtomachus, & ventriculus, pro ſacerdote opſonator, obſopæus, promus condus, & cocus eſt, quem varijs cibis, ciborumque condimentis ad acuendam orexin, & irritandam gulàm excogitandis, componendiſque fatigas, & adhibes, vt tam vili, ac ſeruili deaſtro, inexplebili abdomini tuo victimas litans offerat. Fieri ergò poteſt ad modum, quem diximus, vt ſupremus hominis Conditor ſit dominus illius, & non Deus eiuſdem, hoc enim homini deus eſt, quod ille adorat, ſingularique cultu, & veneratione, & affectu proſequitur.

Tale quidpiam affirmandi occaſionem præclaram nobis miniſtrat Propheta Regius, quando ad Patriarchæ noſtri ſimilitudinem teneræ voluntatis flagrante affectu, & ardenti amore totus abreptus in Deum ſic ait: *Dixi Domino, Deus meus es tu*; Pſal. 15. 2. dixi tanto Domino cum humillima ſubmiſſione, prout decebat. Tu es Deus meus, quem adoro, quem ſuprà quàm alia omnia reuereor.

Niſi ſuperiora quædam præceſſiſſent, poſſemus arguere ſacrum Prophetam tanquàm non ſatis conſequenter locutum, & parùm attentum ad verba ſua, ait namque dixiſſe Domino, *Deus meus es tu.* Cùm enim diſcrimen aliquod eſſe debeat (magnam quippè conſonantiam verborum Propheticorum eſſe oportet) fiet vt non ſit idem, quòd Creator noſter noſter Dominus, & quòd Deus noſter eſt. Proinde cùm ait, *Ego dixi Domino, Deus meus es tu*, tantundem fuit, acſi dixiſſet: Si ſatis foret, quòd Conditor meus quantum ad me attinet, ob hoc Deus meus eſſet, quià Dominus eſt, non fuiſſem proteſtatus, quòd Deus meus eſſet, qui eſt Dominus, hæc enim mutuò ſe compatiuntur, quòd Creator ſuperus ſit Dominus humanarum creaturarum, & non ſit Deus aliquarum, nam cùm illi ſeruire, & placere negligimus, dominium eius manet, diuinitas autem in creaturam transfertur, quam cum affectu ſingulari ſuprà Dominum amamus, Deum noſtrum facimus. Tota ergò felicitas noſtra in eo poſita eſt, quòd Deus noſter ſit, qui eſt Dominus.

Quàm præclarè hoc expoſuit ille ætatis ſuæ Phœnix, ille ſæculi ſui ſtupor, ille literarum, armorumq; gloriâ illuſtriſſimus! Ioannem Picum Mirandulæ, & Concordiæ Principem ſic dixi, cuius ſunt iſta in commentario Pſalmi decimiquinti: *Dixi Domino, Deus meus es tu. Totus iuſti ſtatus conſiſtit in hoc verbo. Quod verbum licet videatur ferè omnibus commune, pauci tamen ſunt, qui illud poſſint verè dicere. Illud enim quis habet pro Deo, quod habet pro ſummo bono, & illud habemus pro ſummo bono, quo ſolo habito, ſi cætera deſint, putamus nos eſſe felices, & quod vnum ſi deſit, etiamſi habeamus omnia alia bona, putamus nos eſſe miſeros.* Pergit porrò Mirandulanus: *Dicit auarus pecuniæ, Deus meus es tu, guloſus crapulæ, incontinens libidini, ambitioſus imperio, Deus*

*meus es tu.* Cùm ergò in mundo tam ingens sit copia auarorum, gulosorum, lasciuorum, ambitiosorum, vindictæ cupidorum, periurorum, murmuratorum, obtrectatorum, & tam innumerabilis caterua vitiosorum, qui adorant quæ amant, & flagitia sua pro dijs habent, inde accipitur, quàm paruus sit eorum cætus, qui verè cum Iacob, & Dauide Deum appellare, ac dicere possint, *Deus meus es tu*, vt qui animi affectu in aliud propendeant, quod non sit verus Deus. Id Picus Mirandulanus iterùm sic reddidit: *Vide igitur, quàm pauci possint dicere, Dixi Domino, Deus meus es tu, quià ille solus hoc potest, cui solus Deus sufficit. In hoc igitur dicto consistit totus status hominis iusti.* Ille igitur solus Domino verè dicere potest, cuius totus amor in Deum solum fertur, quem hæc vnica solicitudo insomnem facit, quomodo Deo placere, & gratificari queat, cuius hæc est curarum summa, vt quæ illi sunt placita, faciat, vt mandata eius, & cœlo allatas pragmaticas sanctiones sanctè, integrè, studiosè obseruet. Cùm verò tam rari sint, qui hoc agant, quàm frequentes, qui suis voluptatibus, cupiditatibus, & appetitibus per omnia obseruiunt, benè affirmabimus, illum solùm esse felicem, & fortunatum, qui Dominum pro Deo habet, in hoc enim tota illius beatitudo est posita.

Huius rei confirmationi non incommodum veniet, quod incredulus Discipulus cœlesti, & triumphatori Magistro dixit, quando postquàm sacram indulgentiæ portam, diuinum latus, inquam, tetigerat, tanti Domini amore inflammatus, attonitoque simili singulari cum affectus flagrantia, humilitate, deuotione, & contritione succlamauit. *Dominus meus, & Deus meus!* Ioan. 20. 28. quidni certò, indubitatòq; credam, quòd inuictus, & omnipotens in vitam redijsti? Hæc fuit perfectissima confessio, per quam Sanctus Thomas gratiæ, & amicitiæ diuinæ lucrum fecit. At videamus, quas det voces Apostolus. *Dominus meus, & Deus meus*, inquiebat.

Nicolaus Lyranus in cap. 20. Ioan. ait: *Suprà vocauerat Iesum Dominum, sed non Deum.* Verùm nunc quid agit? Vtroque nomine illum inuocat, & appellat dicens: *Dominus meus, & Deus meus*; sicque partibus omnibus explet suam confessionem, gratamq; reddit. Quamuis enim sit vera illius confessio, qui Christum pro Domino tantùm habet, agnoscitque (ipse quippè Discipulis suis ante dixerat, *Vos vocatis me magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim*, Ioan. 13. 13.) nihilominùs secundùm doctrinam traditam, & sensum, quo loquimur, parùm prodest Christiano habere Christum pro Domino, nisi habeat etiam pro Deo, hoc est, nisi illi consecret suos affectus, voluntatem, potentias animæ reliquas, cor, actiones. Faciendum ergò, quod Thomas, Iacob, Dauid fecerunt, vt qui Creatorem suum fatentur suum Dominum, habeant etiam pro Deo, vt huiusmodi confessio sit accepta, vtilis, & fructuosa. *Dominus meus, & Deus meus. Erit mihi Dominus in Deum. Ego dixi Domino, Deus meus es tu.* Sic nimirùm consequentur summam felicitatem, illam, aio, vt cor suum tradant summæ Deitati, quæ sola meretur amari, non vilibus, & sordidis creaturis, quibus seruire infamia est, quas amare dedecus est, & adorare præceps ad æternam damnationem, & tormenta perpetuùm duratura prolapsio.

# LIBER SECVNDVS.

## CAPVT I.

*Non magnus est, quem officia magna, & sublimia occupatum habent, sed qui ministerium suum probè curat, & muneris partes omnes rectè exequitur.*



QVàm perspicuè se prodit apud nostrum sacrum Peregrinum, & obedientem viatorem pollicitatio Dei, quâ illi spoponderat, velle se indiuiduum comitem, & fidum adiutorem per omnem viam exhibere! Inter media quippè experimenta omnipotentis manus, quæ illum ductabat, prosperè, ac feliciter, & citrà periculum peruenit in terram auunculi sui Laban, vbi & faustum peregrinationis illius finem felicitauit ac beauit optatus aspectus venustissimæ consobrinæ Rachelis, à qua comiter, blandè, peramanterque exceptus fuit. Simulac intellexit Labani filiam esse illam tam elegantem, tam pulchrâ specie custodem pecudum, quæ cum alijs sodalibus innoxias pascebat oues, non potuit se continere, quin ob illius oculos præclarum facinus ederet, solusq; graue saxum amoueret, quod suis ponderibus obstruebat, & velut obsignabat locum, è quo haurire frigidam, & commune refrigerium siticulosus grex solebat. Posthæc illam, vt proxima

ximâ consanguinitatis necessitudine coniunctam amplexatus fuit, cæteraq; fecit, quæ cognati è partibus absitioribus conuenientes in primulo congressu, ex more illius regionis, facere solent.

Premamus hoc loco, quod sacer Scriptor his verbis peculiariter notandum putauit: *Gregem ipsa pascebat*; Genes. 29. 9. In his magnam emphrasin habet ea vocula, *Ipsa*, & hoc fere significat, illa venustula, illa formosula, illa tenellula, & delicatula, illa, quæ formæ decentiâ, & morum gratiâ Syris virginibus antecellebat, quantum Sol reliquis planetis, & sideribus præstat, illa, quæ totum parentum suorum delitium & oculorum ijs charior pupillis erat, illa gregem pascebat, illa ruri vitam omnibus cœli iniurijs expositam agebat. Hæc omnia idcircò perscripta sunt, vt hinc acciperemus vtile monitum, quod multis de suo statu, aut officiorum conditione querulis magnam quietem, consolationemque adferet. Docentur enim huiusmodi exemplo, non esse felicitatem cuiusque in hoc positam, quòd grandia, aut exigua officia administret, nec quòd supremam, aut infimam dignitatem obtineat, sed in eo, quòd illam quisque rectè, laudabiliterque obeat, & curet prouinciam, quam illi Deus, siue maiorum obedientia demandârit. Rachel certè tantum merebatur, sedulæ custodis ouium humile officium, quod illi pater iniunxerat, studiosè exequendo, quantum si aliud quoduis honorificentissimum munus obiuisset. Magnitudo quippè dignitatis non in magnitudine meritorum, sed in eo posita est, vt demandatum opus probè, accuratèque quis exequatur, ac perficiat.

Hoc itâ nos docet primus Venetorum Patriarcha Sanctus Laurentius Iustinianus de triumphali Christi agone c. 26. nu. 1. inquiens: *Non ex dignitatibus, aut gradibus discernuntur merita, sed exercentur dona, nec ille apud Deum censendus est vilior, qui infimum locum tenet, sed qui virtutibus inferior est, non enim dona gratiam, sed gratia commendat dona. Nihil apud Deum interest, vtrùm quis præsit, an obtemperet.* Non ex dignitatibus, & gradibus suam habent dignitatem, aut gradus merita, sed ille dignior, ille sublimiorem gradum tenet, qui suum officium, quamuis humile, magno, & excelso animo rectè, dignè, decenterque procurat. Deo nemo vilis ex vili officio, si probè administret, is verò illi abiectissimus, qui virtutibus nudatus, tametsi in editissimo dignitatis loco positus. Ad gratiæ enim cõmendationem nihil officium, plurimùm verò strenua, iustaque eius administratio facit. Apud Deum itaque parui refert, siue quis imperet, siue obediat, siue rex sit, siue subditus. Is namque solus illius oculis placet, qui bonam status, & quæ illi coniuncta est, obligationis rationem habet, & muneris sui partes, prout debet, curat.

Agit Sanctus Apostolus Paulus de officijs, quæ curare mulieres debent, vt oculis diuinis placeant, & præter alia iubet, vt densam, prolixamque comam nutriant, quæ pro integumento sit, quo capita obnubant, quorum deoperta, & oculis exposita elegantia multis, ijsq; honestatis studiosis, & recessus amantibus causa turpis prolapsionis fuit, & miserandum sæpè exitium attulit. *Mulier si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*, ait ille 1. Corinth. 11. 15. Exponens hunc locum Doctor Ioannes Benceus, inquit: *Capilli dati sunt, hoc est, à natura habentur, in signum subiectionis*, suntq; velut nota quædam summo capiti inusta, ex qua seruitus, cui mulier ineuitabili necessitate subiacet, agnosci queat, vt proinde, quò crebriùs capillamentum alit, eò luculentiùs prodat submissionem, quam exhibere viro debeat, quiuis enim capillus suauis, grataeq; seruitutis est testis.

Libet hîc dictum Pauli cum expositione Bencei componere, & ex ambobus conceptum vnum proposito commodum exsculpere. Apostolus dicit, comam mulieri gloriæ esse, & ornamento: *Si comam nutriat, gloria est illi.* At si coma, ex iam dicti interpretis sententia, & commentatione, character quidam est subiectionis, & insigne seruitutis, quod Deus capiti mulierum imposuit, tanquàm titulum editiori loco inscriptum, ex quo illarum humilem, inferioremque conditionem legere omnes possint; quomodo Paulus affirmat, ex coma singularem in fœmineum sexum gloriam redundare, cùm vix res aliquæ aliæ magis compugnare videantur, quàm seruitus, & gloria? Si Apostolus diceret, quòd mulier, quæ comam, seruitutis suæ notam, alit, eadem sui luctus occasionem nutriat, suæ tristitiæ causam foueat, planum, perspicuumque videretur, quod ait, sed quòd seruitutem nomine gloriæ donat, nescio quomodo in sensum rectum trahi queat.

Difficultatem hæc suam, nec qualemcunq; haberent, nisi beati Laurentij Iustiniani doctrina præcessisset dicentis: *Nihil apud Deum interest, vtrùm quis præsit, an obtemperet.* Neq; abiectus Deo est, qui alijs ex obedientia subiectus, neq; sublimis Deo, qui alijs è loco sublimi imperat, sed qui obligationis suæ partes accuratè exequitur, non enim officium, sed studium, quo illud administratur, plurimùm quemq; commendat. Itaque mulier nutriens co-

mam, quæ seruitutis illius, & subiectionis insigne est, quod sui muneris est, probè curet, hoc illi gloriam conciliabit, & laudem. Gratia enim vniuscuiusque, & dignitas non in eo posita est, quòd sit Prælatus, aut Subditus, Rex aut famulus, magnus, aut paruus, sed in eo, vt rectam suæ vocationis curam, & iustam sui status, in quo à Deo costitutus est, rationem habeat.

Cum his cohæret, quòd magnus Theologus Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 9. ait, inquiens: *Quo vocatus est, in eo gradu quisq; maneat, etiamsi alioquin præstantiore dignus sit, plus vtiq; laudis habiturus ex eo, quòd præsenti gradui acquiescit, quàm si eum quærat, quem non accipit.* Teneat quisque locum, & statum, in quo à Deo positus fuit, quamuis digniorem meritus sibi videatur, hoc sibi persuasum habens, quòd ampliorem laudem referet, si in eo constanter perduret, quàm si in alio sublimiori minùs cautè, nec tam prudenter, vt decet, agat. Non enim ille verè maior, cui officium maius concreditum, sed qui ministerium, qualecunque illud, sibi commendatum rectè gerit.

De homine quodam nobili ait Dominus, diuisisse bona sua seruis suis, vt solerte industriâ suâ ad quæstum illa verterent, plurimasq; ex earum lucro opum facultates corraderent, & accumularent. Vni autem dedit quinque talenta, duo alteri, vnum tertio. Ex his duo priores tam sagaciter, ingeniosè, & feliciter suis talentis ad negotiationem sunt vsi, vt altero tanto maius retulerint, quàm è manu domini sui acceperant, & dupli lucrum fecerint. Serenissimo vultu tam lætanter illos excepit dominus, vt pari, sed copiosâ, & diuite mercede suos vtrique labores remuneraret, verbisq; eisdem ambos appellaret, dicens: *Euge serue bone, & fidelis, quià super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*; Matth. 25. v. 21. & 22.

Sancto Ioanni Chrysostomo, orat. 1. in 1. ad Heb. Isidoro Pelusiotæ l. 4 Epist. 106. & Thephylacto statim incurrit in oculos difficultas circà hanc remunerationem, aiuntq; quomodo his, quorum fuerunt inæqualia talenta, æqua gratia rectè fieri potuerit, vt ambobus promitteretur, super multa bona pariter constituendos? Qui quinque talenta acceperat, in sublimiori gradu constitutus fuit, cui duo solùm credita sunt, is inferiore in dignitate collocatus videtur. Quomodò ergo non fuerunt differentia præmia, quorum erant tam imparia ministeria?

Soluunt hanc difficultatem peropportunè in causam præsentem dicti Patres, dicentes, quòd præmia æqualia designata fuerunt ijs, quorum erant officia inæqualia, id factum, vt indicaretur, merita non ex officio æstimari, sed ex studio, & diligentia, quâ officium procuratur, & administratur, nam cuius negotiationi duo talenta sunt tradita, is tantum præmium consecutus est, quantum ille, cuius nundinationi, & fidei quinque concredita, quia & ille tam enixè, diligenterque suis duobus talentis negotiatus fuit, quàm hic quinque talentis.

Audiamus magnum Bulgarorum Archiepiscopum Theophylactum in cap. 25. Matth. vbi habet ista: *Vide autem quod & is, qui quinque talenta acceperat, & is, qui duo, eadem bona consequantur. Quando enim quis etiam pauca acceperit, & datum sibi donum, licèt paruum sit, bene dispensârit, æqualem honorem adepturus est cum eo, qui magna habuit, & fecit. Vnusquisque enim vt acceperit, ità & excelsus videbitur, si benè egerit.* Quòd is, cui sola duo talenta data, vt ex ijs quæstum faceret, parem plausum, & laudem meruit, ac ille, cui cum quinque talentis operosior, spectabiliorq; negotiatio demandata fuit, hoc ad consolationem eorum scriptum est, qui suâ fortunâ, & statu malè sunt contenti, vt hinc discant iustam habere rationem vitæ, & conditionis, in quacunque quantumuis humili ex Dei ordinatione viuunt, & pro virium facultate in ea laborant, tantùm enim præmij referent, quantùm ij, qui ministerijs sublimioribus occupantur, nam vt dicere cœpimus, perfectio non in officio posita est, sed in assiduitate, ac diligentia, quâ officij partes perfectè explentur.

Cupiebat Gentium Doctor affectus nostros auocare ab huius vitæ pompis, & vanitatibus, quibus addicere corda nostra cum magno animarum dispendio solemus, atque ità aiebat: *Qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur, præterit enim figura huius mundi*; 1. Corinth. 7. 31. velut dixisset: Vtamur hoc mundo, sed non fruamur, nemo enim prudenter ex mari portum, ex diuersorio patriam, quietem ex labore facit, & fallacis mundi huius figura celerrimè transit. Benè nota est LXX Interpretum græcorum translatio, quæ sic habet: *Præterit scena huius mundi*, cursim transit omnis hæc vita, non secùs ac figuræ, ac personæ, quæ in vano hoc mundo repræsentantur, tanquàm theatro quodam, vbi tam varia nobis quotdies in conspectu ponuntur hominum, statuum, conditionum genera. Theatrum visus est mundus mundi vanitatum detectori Ecclesiastæ cap. 1. v. 4. cùm ait: *Generatio præterit, & generatio*

*neratio aduenit, terra autem in aeternum stat.* Vt enim theatrum sub tanta personarum prodeuntium, abeuntium, repræsentantium varietate, ac vicissitudine firmum semper consistit: Ita mundus theatrum est, in quo variæ figuræ exprimuntur, & quotidie decedunt, cùm ipse permaneat, vt alias similes recipiat, de quo sanctus Gregorius Nyssenus hom. 6. in Cant. sic habet: *In theatrorum pompis nunc hi, nunc illi censentur apparere. Qui nunc seruus, aut homo priuatus apparet, paulò post bellator cernitur, & rursùs habitum subditi deponens, Imperatoris personam, & cultum assumit.* Tantundem in mundo euenit, in quo vt sunt varij status, ità personæ diuersæ repræsentantur.

Sed in rem præsentem, vsúmque nostrum ista traducamus. Vnum habet illa theatrica repræsentatio, quod omnibus imitandum, vt suo statu quisque sit contentus. In comœdijs præstantia repræsentationis non in eo posita est, vt quis personam sublimem, aut humilem, illustrem aut obscuram, regem aut pastorem, magnum Pontificem, aut pauperem Religiosum referat, sed vt quàm simillimis gestibus viuè exprimat: Nam si quis pastorem dextrè, exactèque referat, alius regem parùm aptè repræsentet, hunc quidem spectatores ludibrio habebunt ob suam inertiam, illius verò dexteritatem, & solertiam plausibus, & acclamationibus extollent.

Tantundem dicere possumus cum S. Laurentio Iustiniano in rem præsentem: *Nihil interest vtrùm quis præsit, aut obtemperet.* Nemo putet gratiam, & beatitatem in eo consistere, vt quis in huius mundi theatro Reges, Principes, Antistites sacros, & id genus viros maximates agat. Nec quisquam existimet, infelicitatem in eo positam esse, si personam rustici, pastoris, mendici, aut alterius cuiuspiam è vulgo exprimat: Felix enim est, & magnus, non qui felicem, & magnam personam refert, sed qui magnoperè curat, vt feliciter, solerterque repræsentet, quamcunque illi Deus repræsentandam dedit. Itaque si Pontifex, Imperator, Rex, Princeps, Nobilis, Patriarcha, Episcopus, Religiosus personam sibi demandatam non benè egerint, nullam reportabunt laudem ex eo, quòd eiusmodi personas expresserint, immò verò maius probrum, ludibriumq; ex inepta repræsentatione referent. Si cui autem iniunctum fuerit, vt humilem pastorem, rusticum pauperem, sordidum mechanicum personatus, aut verus pastor, rusticus, mechanicus agat, nullum ex ea repræsentatione detrimentum patietur, dùm rectè modò vti sciat statu, in quo illum prouidentia diuina collocauit, accommodetque se illius obligationibus, & quod illæ exigunt, faciat.

Huc respexit S. Ephræm de recta viuendi ratione num. 61. cùm ait: *Lapicida incidendis lapidibus, & faber ferrarius tundendo, producendoque ferro mercedem recipient.* Quantumuis humile sit aliquod seu officiũ, seu opificium, non erit illius absque sua certa mercede exercitatio. Dominus enim præmia decernit non pro ministerij sublimitate, aut dignitatis magnitudine, sed pro mensura studij, ac diligentiæ, quâ muneris sui partes perfecerunt, obligationesq; suas expleuerunt, seu magnum, seu exiguum fuerit officium, seu regem, seu pastorem, seu religiosum, seu de medio sæculo virum, seu coniugatam, seu virginem referant. Quare nemo officium, quod habet, nemo locum, quem occupat, spectet, non enim consistit gratia in loco, supposito quod cuiq; præmium obueniet par magnitudini laboris, & sedulitatis, quâ loci illius ministerium explet, exequiturq; officium, quod illi Deus, siue obedientia curandum demandauit.

## CAPVT II.

*Vbi pax deest, nihil boni reliquum esse potest, in alma, & chara pace namque omnes felicitates, cunctaq; bona continentur.*

PRimum, quod Iacob pastores ex Haran sciscitabatur, illud erat, vtrùm nossent Labanum filium Nachor, à quibus cùm audiuisset, nosse, de valetudine illius prætereà inquisiuit, dicens: *Sanusne est?* Genes. 29. 6. Responderunt illi rursùm, incolumem esse, & prosperâ vti valetudine. Sed hîc notandum, quod noster textus ait interrogasse, *sanusne* esset, id ex Hebræo, plerisque Expositoribus ità affirmantibus, etiam sic posse transferri: *Paxne illi?* Affirmant hoc Pererius, Martinus del Rio, Cornelius, Honcala, Istella, & Mariana cum nonnullis alijs, ex quibus Mariana ista: *Pacis nomine bona omnia intelligunt Hebræi, bellum Milhamah ab edendo vocant, quasi voret omnia.* Percunctabatur Iacob, vtrùm auunculus quietâ, tranquillâ, & amabili pace frueretur, eisdem verbis inquisiuit, num saluus esset, & firmâ corporis valetudine, num forte suâ contentus iucundè viueret, num reliquis bonis, quæcunque in hac vita appetere homo potest, afflueret, hæc enim omnia includi in pace videntur, absq; illa enim cum voluptate, lætanterque gaudere bono aliquo nemo potest, ac propterea Hebræi bellum *vorax* nominant, quòd quietem profliget, bona omnia succidat, & auferat, & tanquàm vorax, ac sanguinaria bestia

cunctam

cunctam abundantiam, & fertilitatem concerpat, lacerer, absumat: *Hebræi bellum Milhamah ab edendo vocant, quasi vorer omnia.*

Et verè ità est, nullum enim non timeri malum à bello, discordia, & dissensione potest, vt nulla non commoda sperari à pace, concordia, charitate. Idcircò noster Hispanus Silius lib. 11. pacem nomine rei omnium optimæ donauit, inquiens:

*. . . . . . . . . pax optima rerum,*
*Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis*
*Innumeris potior, pax custodire salutem,*
*Et ciues æquare potens &c.*

Pax est sospitatrix incolumitatis populorum, saturitas pauperum, leuamen oppressorum, securitas vitæ cuiusque, quies animarum, conseruatio diuitiarum, validissimus reipublicæ murus, & commune bonum omnium.

Innocentem Patriarchæ nostri parentem ex aula expulerat rex Abimelech. Is pœnitens posthæc inurbanitatis, quâ ergà tantum virum vsus fuerat, constituit illum non modò sibi reconciliare, verùm etiam arctioris amicitiæ, & fœderis sacrosancto nexu adstringere, ac deuincire. Ad eam rem conficiendam duos familiarissimorū intimos, & alios sine numero comites, ac stipatores adhibuit, vt maiore cum apparatu, & splendore fœdus illud celebraretur. Amanter illos S. Patriarcha excepit, & postquàm splendidum epulum instruxit, dapsiliterque habuit, *dimisit eos pacificè in locum suum*, Genes. 26 31. vt corpore tantùm ad sua se reciperent, animis enim coniunctissimos retinebat. Quo die hæc facta, ecce cursu aduenerunt serui Isaac cum optatissimo nuntio, dicentes fodisse puteum, & inuenisse aquam. Pars nonnulla Palæstinæ, ea vel maximè, in qua degebat Isaac, præmodùm sterilis erat, adeò ingentem detexisse thesaurum arbitrabantur vernaculi illius, cùm aquam repererunt. Sancti Patriarchæ famuli domestici alios inuenerant puteos, quibus ille diuersa inditum ibat nomina. Primum *vocauit Calumniam*, secundum *appellauit Inimicitias*, tertium *Latitudinem*. At considerandum studiosiùs nomen, quod huic postremò imposuit, de quo sanctus Moyses: *Appellauit eum abundantiam*; ibid. v. 33.

Sed cur illum tali nunc titulo insigniuit puteum? Videtur enim nunc maiorem sibi, quàm vnquàm ante pollicitus bonorum omnium copiam, & abundantiam. Nam in nominibus, quæ puteis imponebat, vt ex sacro textu constat, promittere sibi videbatur successus siue prosperos, siue aduersos, quoscunque vel sperare poterat, vel formidare. Quamobrem verò tantam sibi nunc spondet affluentiam, & saturitatem Isaac, vt hoc tam faustum omen, felixque præsagium titulo putei insculptum voluerit?

Facilè est causam diuinare, si animo perpendamus, quid sancto Patriarchæ cum rege Abimelech paulò ante acciderit, quando cum illo pacem inijt, amabilissimoque, & dulcissimo amicitiæ nexu coniunctus fuit: *Iurauerunt sibi mutuò*, inquit ille ibid. v. 31 iureiurando, ac Deo teste promiserunt, velle amicitiam, fidemque mutuam sanctè, atque inuiolabiliter colere, sicque illos à se pacificè, securèque dimisit. At si Isaac iam tunc pace, & tranquillitate gaudebat, viuebatque liber à calumnijs, inimicitijs, bellis, quid mirum, quòd sibi promittebat affluentiam? *Appellauitque eum abundantiam.* Quid enim pacem, fœderationem, animorum, & voluntatum coniunctionem consequi, quid sperari inde aliud poterat, quàm rerum omnium ingens copia, & redundantia, bonæque valetudinis, & opum, & quietis, & gaudij, & securitatis, & bonorum reliquorum omnium, quæcunque in hac vita desiderari possunt, affluentia?

Eapropter latinæ eloquentiæ parens Cicero in Orat. pro lege Agraria dicebat: *Nihil est tam populare, quàm pax, quâ non modò ij, quibus sensum natura dedit, sed etiam tecta, atque agri mihi lætari videntur*, qui fructus illius suâ viriditate, suâ amœnitate, suo algore quodammodò prædicant, & taciti laudibus extollunt.

Pace namque omnia crescunt, & augescunt, vt dissidijs vniuersa imminuuntur, & pereunt. Quò ingeniosè alluserunt Veteres, quando finxerunt, vt habet Claudianus apud Vincentium Cartarium, & Petrum Verderium, quòd Proserpina filiam suam Cererem permittere vxorem Marti noluit, tametsi hoc ille efflictim expeteret. Ceres messis dea colebatur, frugumque, atque in ijs potissimùm tritici, quòd triticum sit omnis abundantiæ fundamentum, nam vbi illud abest, tametsi cætera affluant, abesse omnia videntur, & vbi illius est copia, rerum aliarum nulla sentitur inopia: Mars autem bellorum, dissidiorum, simultatum, clandestinarum inimicitiarum, & apertorum odiorum numen erat. Quòd ergo Proserpina filiam suam Cererem, quæ abundantiæ præsidebat, collocare Marti bellorum incentori abnuit, hoc factum, vt inditio esset, abundantiæ iacturam, & penuriæ abundantiam in solo bello reperiri, neq; copulari matrimonio posse Cererem cum Marte, affluentiam cum discordia.

Consequenter ad hæc ait Pausanias, Pacis *statuam*

*am Athenis ad mulieris speciem esse effictam, Plutum puerum diuitiarum Deum manu tenentis.* Sic ille apud Petrum Verderium de imaginibus deorum in Mercurio. Plutus Græcis tanquàm diuitiarum deus venerabilis erat, ac proptereà Pax illum manibus præferebat, vt significaretur, opum copias, thesauros, abundantiam, saturitatem è pace, & concordia nasci, *diuitiæ enim pace magis, quàm bello parantur, ac conseruantur*, inquit Vincentius Cartharius. Quis enim exhaurit æraria, destruit facultates, inuehit famem, generat pestem, deuastat prata, & agros, obterit fruges, omniaque incendio absumit, nisi bellum, discordia, hostile odium? Quid verò terram fertilem reddit, quid vrbes condit, cumulat diuitias, solatur oppressos, in securitatem asserit potentes, nisi pax, amicitia, concordia?

Orbis reparator, cùm ab hac vita in alteram commigraturus charis Discipulis suis valediceret, aiebat illis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; Ioan. 14. 27. Et postquàm gloriosè de omnibus hostibus suis triumphasset, tristi Apostolorum collegio apparens, atq; in medium illorum sese inferens, vt omnibus parem sui copiam faceret, sic eos consalutabat: *Pax vobis*; Ioan. 20. 29. Et cùm posthæc eosdem iterùm, atque iterùm salutare amanter vellet, talibus verbis identidem hoc faciebat, inquiens: *Pax vobis.*

Diligentem certè meretur considerationem, quòd Dominus noster destituturus Discipulos suos nullum aliud pignus sui ergà illos amoris, non monile aliquod præstantius, non adamantem pretiosiorem inuenit, quo eos ditaret, quàm pacem, idque cùm à subacta morte, & hostibus omnibus triumphatis rediuiuus ad illos aspectabili specie venit? At tametsi illius bona essent, sintque infinita, & thesauri tam immensi, solam in omnibus pacem dignam putauit, quam illis ad magnificentiæ suæ ostentationem relinquere posset, cumque linguâ suâ, omnis boni promptuario, ad erogandum vti vellet, præter concordiam nihil inuenisse videtur, quod is imperciret, tametsi innumerabilia essent bona, quæ distribuere posset. An fortè nihil habebat reliquum, quod daret? An præter pacem, quod eis testamento supremo legatum relinqueret, nihil erat super?

Glossa Ordinaria in cap. 24. Lucæ ait: *Qui pacem dedit, vno verbo omnia dedit.* Perspicuum est, quod generosus, & confossis, perforatisque manibus Dominus vehementissimè tunc cupiebat, exanimitusq; semper cupit totos suos in nos exonerare thesauros, de munificentissimis enim illius visceribus, perliberalique, ac tantùm non effusè prodigo pectore minùs aliquid cogitare, aut sperare nō possumus, nec debemus. Vt verò hoc paternū, flagransq; desiderium patefaceret, priusquàm moreretur aiebat, pacem se suis relinquere, & à morte idem inculcabat, faciebatque quod alius solet, qui in vnum opulentum monile, diuitem margaritam, pretiosum adamantem omnia sua erogat, vt cum eo sua semel, simulque omnia donet, in quo thesauros suos totos collocatos nouit. Ità Dominus cùm sciret omnia bona includi in pace (suâ autem pace vel maximè) solam pacis suæ apud suos mentionem fecit, vt in qua bona omnia essent reposita. Nam vbi pax, ibi cornu omnis copiæ reperitur, ac propterea *qui pacem dedit, vno verbo omnia dedit*, & cumulum ingentem omnis felicitatis relinquit. Vbi enim pax imperat, & regnat concordia, omnes securè degunt, omnia bona reperiuntur, omnia affluunt, penuria nulla est.

Huc iuit (nec enim dubito) illud vetus dictum, quod eruditus Nouarinus in vmbra Virginea Excurs. 31. num. 329. his verbis refert: *Maximum bellum malorum, pax bonorum maximum, pace cælum, pace constat terra, pax mera est Deus.* Malorum pessimum bellum, bonorum optimum pax, quæ cœlum, terramque pariter sospitat, quin & supremus rerum omnium Conditor honorificentissimam sibi putat pacis appellationem, quâ illum Apostolus plusquàm semel donat, vocans *Deum pacis*, vt ad Rom. c. 15. v. 33. & c. 16. v. 20. & 2. Corinth. 13. v. 11. & ad Philipp. c. 4. v. 9. & Hebr. c. 13. v. 20. Quibus locis videtur beatissimus Paulus Christo eam existimationem conflare voluisse, vt omnis boni autorem, omnis copiæ fontem, omnis abundantiæ scaturiginem omnes illum crederent, putasseque non posse hoc efficaciùs persuadere quàm si Deum pacis illum nominaret. Nam si in pace omnia bona continentur, & Christus est Deus pacis, facile est, quòd inde fit consequens, colligere, & intelligere, nempè ad Deum recurrere oportere, vt ille hoc bonum det nobis, quod bonum omnia, omnemq; abundantiam, & felicitatem quamcunque complectitur.

Ità Tertullianus lib. 5. contrà Marcionem cap. 5. ex sententia Hebræorum pronuntiat, inquiens: *Hodie Iudæi in pacis nomine appellant, & retrò in Scripturis sic salutabant.* Quoties illi bona omnia significare volebant, id vno Pacis vocabulo faciebant, & quos saluos cupiebant, his solam pacem iam verbo, iam scripto optabant, vnoq; illo verbulo fe-

licitatem

licitatem omnem adprecabantur, qui enim pacem dicit, & optat, omnia dicit, & optat.

Huc appositè cadet, quod sanctus Ioannes Chrysostomus affirmat, quòd suâ ætate catechistæ, siue qui alios ad mysteriorum fidei cognitionem erudiebant, catechumenis suis dicebant, priusquàm illos sacri fontis baptismate initiarent, & primam, quæ in cœlum ducit portam ijs aperirent, nimirùm: *Angelum pacis petite, ô catechumeni*, hoc summis votis, hoc ardentissimis precibus perpetuò supplices optimum Deum obsecrate, & resecrate, vt pro sua infinita misericordia Angelum optabilissimæ, & amabilissimæ pacis vobis submittat, comitemque adesse indiuiduum iubeat.

Talis autem apprecationis causam Chrysostomus homil. 2. in 2. ad Corinth. cap. 1. his verbis exponit, dicens: *Prouidè eos Angelum pacis petere iubemus, docentes eos id, quod bonorum omnium vinculum est, hoc est pacem postulare. Vtcunque enim graue aliquid sit, dùm tamen pacem quispiam habeat, leue est.* Instituebantur ergo, qui fidei rudimenta prima ponebant, Deum quàm possent enixè precari, vt pacis non discordiæ Angelum (vtriusque enim rei Angelos sacrum oraculum nobis commemorat) perpetuum socium, custodemque adiungeret, vt hinc discerent compendiò bona simul omnia à munificentissimo Domino postulare, pax enim nexu vno omnia illa constringit, & in se continet: *Bonorum omnium vinculum, hoc est, pacem petere*, nam vbi hoc pacis vinculum abest, vbi corcordiæ nexus ruptus, vbi quietis publicæ nodus solutus, ac dissipatus, ibi nullum bonum, quod possit permanere, nulla abundantia, quæ sperari, nullum solatium, quod obtineri queat.

Itaq; cùm hanc veritatem assequeretur Menander, exclamabat, vt est apud Stephanum Bellengan. Verbo *Pax*, inquiens: *O veneranda pax! quo te nomine appellabo, & vnde verbum satis magnificum accipiam?* Vnde vocabulum mutuer tibi aptum, quodque tuam exæquet magnitudinem? Sed fieri non potest, vt nomenclationem, quæ in te quadret, inueniam, nisi priùs nouerim, & enumerem omnium bonorum conditiones, & qualitates, nam cùm tu sis causa illorum omnium, omnia agnoscere debent te suum principium, suamque originem, omnia seruitutis subiectionem, quã tibi ceu reginæ, & Imperatrici debent, profiteri, absque te namque nemo gaudet salute, nemo securus viuit, absque te non conseruantur diuitiæ, non obseruantur leges, absq; te profanantur templa, nullaque est neque obseruantia Dei, neque reuerentia hominum, sed diuina, atque humana insuper habentur, & loco vtraque eodem, hoc est nullo, absq; te confunduntur populi, totiusque Vniuersi ordo tantùm non prorsùs inuertitur.

## CAPVT III.

*Noli de primo statim aspectu, aut congressu censere hominis magnitudinem, seu præstantiam, opera expecta, eaq; pluscula, quæ ipsius virtutibus fidem, actionibus existimationem concilient.*

Simulac domui opulenti auunculi sui sacer viator noster pedes intulit, multis cum lachrymis, sed ab incredibili lætitia natis, & cum dulci pacis osculo amantissimè susceptus fuit. Tota gaudio exultabat familia, aduentumque noui contubernalis domestici omnes festiuis plausibus celebrabant. Postquàm verò ille dies nonnullos corpus ab itineris laboribus relaxárat, numerosum auunculi sui gregem custodiendum, curandumque impiger pastor suscepit. Mensem iustum opilio tyro exegerat, quando Laban, cùm illius interim diligentiam, solicitudinemque omnem explorasset, dixit ei: *Num quia frater meus es, gratis seruies mihi?* Genes. 29. 15. non fert ratio, nec permittit æquitas, vt gratuitò tam laboriosam, operosamque operam mihi naues, eo nomine tantùm, quòd mihi intimæ cognationis necessitudine es deuinctus.

Obseruatio Expositorum, interque eos Doctoris Antonij Honcalæ hoc loco sic habet: *Laban tanquàm homo prudens per vnum mensem vigilanter explorauit nepotis sui mores, solertiam, diligentiam, & in rebus gerendis fidem, quibus ad vnguem exploratis, & cognitis, decreuit eidem greges suos curandos, pascendos, atq; custodiendos committere.* Laban vt erat vir cautus, & consultus, ità non statim de studio, totoque ingenio sui consobrini pronuntiabat, sed mẽsem abire sinebat, post cuius elapsum, cùm mores illius omnes attentè pensasset, studioseque peruidisset, de mercede pascendorum gregum, operarumq; aliarum cum illo pacisci cæpit, postquàm scilicet iam præuidisset, quàm ille industriè, gnauiterque officij talis partes omnes perficere posset.

Hinc vtile documentum erui potest, illud puta, vt neminem derepentè, de primo aspectu, congressu, & actu virtutis vnico perfectum, consummatumque arbitremur, aut affirmemus. Non hæc eò dico, quòd nolim quenquam de proximo piè sentire, mitiusque & loqui, & opinari, semper enim pijs ocu-lis

lis spectandæ sunt fratrum nostrorum actiones, celebrandæque verbis honorificis, quamdiu aliter facere causa alia non cogit, sed huc meum consilium vadit, vt inconsulto experimento de operum alienorum magnitudine, præstantiaque nemo statim, vt ea primùm viderit, pronuntiet. Qui secùs facit, is le nis præcipitantiæ, aut præcipitis leuitatis, nimisque subitariæ credulitatis notam referet.

Scribit sanctus Paulus discipulo suo Tito, primisque illius Epistolæ verbis non paruam nobis ingerit difficultatem, vt in ipso vestibulo, & primo limine impingere videamur, *Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem Veritatis*, ait ille Tit. 1. 1. Posteriorum verborum sensus obuius est, priora ad rectum sensum exponere difficile. Videtur namq; Paulus quandam oppositionem constituere inter Apostolum Iesu Christi, & seruum Dei, dùm se Dei quidem seruum, sed Apostolum Christi nominat, inquiens: *Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi*; velut illa duo sibi mutuò aduersarentur, cùm alterum ex altero magis consequatur, nullus enim melior Apostolus Iesu Christi esse potest, quàm qui est seruus Dei. Si quis diceret, Petrus est egregius miles, seu militum ductor, sed apprimè literatus, posset admitti aduersatiua, fit enim vt gladius absque libro, armorumque tractandorum, & pugnandi peritia sine scientia literarum reperiatur. Sed quòd ea quis secernat, & diuidat, quæ tam coniuncta, tamque vna sunt, non videtur satis attentè, consultèque fieri. Quomodo ergo dictum Pauli vindicabimus à calumnia, quem attentissimum, prudentissimum, cautissimumque fuisse fateri debemus?

Duobus non ampliùs verbis diluit difficultatem Primasius magni Augustini discipulus, inquiens: *Discreuit Apostolatum, quià non omnis, qui seruus, statim & Apostolus.* Quòd itaque Paulus hos ab inuicem distraxit titulos, qui admodùm affines, coniuncti, ijdemque videntur, non fecit quià seruus Dei non admodùm congruat cum Apostolo Iesu Christi, sed vt corrigeret quorundam facilitatem, & leuitatem, quâ nimis citò censent alios, illorumque magnificant actiones, taleque fuit, acsi dixisset, monuissetque, non subitò extollendum vt Apostolum, si quis fortè nobis occurrat, aut videatur seruus Dei. Nam vt quis eò perueniat, vt nomen tam sublime promereatur, necessum est præcedere prodigiosissimas actiones, & heroicas virtutes, & eminentissimos sanctitatis gradus. Ac propterea diuidit Paulus titulum alterum ab altero, nam vt apud vnum coëant, oportet illum maximos ante fecisse in via spirituali progressus: *Discreuit Apostolatū, quià non omnis, qui seruus, statim & Apostolus.* Itané verò quià semel confessionem peccatorum suorum quisquam fecit, & communicauit, & flagris corpus suum verberauit, cilicium per vnam dieculam vestiuit, vno die Veneris ieiunauit, aut alium de verbo otioso arguit, idcirco catalogo Apostolorum adscribemus, Apostolumque pronuntiabimus? Nimis præpropera est hæc censura, multos enim dies requirit via, quæ virum alioquin bonum ad gradum Apostolicum ducit, atque vt eò quis peruenire queat, necesse habet diu, multùmque contentiosè ambulare.

Considerabat Sponsus dulcem Sponsam suam tam confertam, & cumulatam opimis fructibus, & omnigenis floribus, variarum virtutum, vt velut prouocaretur ab ea, insignire illam appellatione fragrantis horti, amœnique & fertilis viridarij, in quo omnis generis flores, ac fructus inuenire liceret, quibus pasceretur visus, oblectaretur olfactus, recrearetur gustus, & sensuum reliquorum quisque suam haberet voluptatem. Hoc autem talibus verbis affirmare cœpit: *Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus*; Cant. 4. 12. hoc est, semel, iterumq; aio, charissima Sponsa mea, quòd apricus, abundansque fructibus hortus es, isque conclusus contrà irruptiones, munitus aduersùs incursiones omniū, qui tuæ felicitatis inuidi, tuos flores vitiare, & perdere fructus volunt.

At videamus quomodo probetur, quòd Sponsa sit hortus tam abundans, viridarium tam odoriferū, & voluptuosum. Id proximis exemplò verbis euincit Sponsus, inquiens: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis*; ibid. v. 13. 14. Ex hoc tam concluso, & obmunito horto prodeunt fructus tam suaues gustui, & dulces, vt meritò paradisi nomine gaudeat. Flores erumpunt è solo huius viridarij, qui vt oblectant flagrantiâ, sic raritate obstupefaciunt, ijque tam odoroferi, & varij, quàm Libani mons odoratus, pulcherrimusq; proferre soleat.

Hoc verò verè bonum signum est, inquit venerabilis Abbas Gilbertus, quod tibi satis esse queat, vt animam aliquam horti appellatione donare possis, cùm vides quòd tantâ copiâ producit, generat, germinat virtutes, in plantis, arboribusque dictis adūbratas. *Vbi tantùm flos vnus est, quis ibi hortum esse diffiniat?* inquit ille serm. 87. in Cant. Si esses in

domo

domo cuiusdam familiaris tui, atque is tibi ostende-
ret terram non ampliorem palmo, in terra illa verò
florem vnum, & quęreret, quid tibi de horto illo
tam flagrante, & elegante videretur, vel si Catone
seuerior esses, intrà modestiæ limites te continere,
& à risu, ludibrioque coërcere non posses. Quis e-
enim flori vnico dare nomen horti possit, vt non
sannis excipiatur ab omnibus, quicunque illum hoc
dicentem audiant? Benè spatiosus, & varijs floribus
confertus, & multis arboribus consitus debet esse
locus, vt hortus vocetur, aut viridarij titulum me-
reatur, Sed quòd vnus flos appelletur viridarium, &
vna arbor dicatur hortus, nunquàm auditum est,
nec vsu aliquando receptum: *Vbi tantùm vnus flos
est, quis ibi hortum esse diffinitat?* Sic ergo Sponsus,
vt nos doceret quomodo censere virtutes, & rem
quamlibet nominare debeamus, quando Sponsam
suam appellatione horti honorat, mox prolixam ar-
borum, quas continet, plantarum, quas profert, &
florum, quos producit, memoriam facit. Nam qui
de primo flore, quem alicubi fortè videt, viridarij
nomen indit loco, vbi videt, & vnam arborem hor-
tum dicit, næ is nimis præcipitat sententiam, plusq;
satis prodigus est titulorum. Nam vt quis nomen
magni promereatur, necessum est plurimas laude di-
gnas actiones ante exercuerit, & in virtutum stadio,
studioque perdiu strenuè versatus fuerit, ac desudâ-
rit.

*Sic vna castitatis plantatio, nec vna iustitia horti
potest integritatem explere*, inquit rursùm Gilber-
tus. Si quis promptam inconcessæ voluptatis, ac
turpis flagitij occasionem semel fortè fortiter refu-
tanit, & iustitiæ rationem iustam semel habuit, non
ille propterea exemplar iustitiæ, charitatisque æsti-
mari debet, vt neque secundus Alexander haberi,
qui semel eleemosynam, aut aliud quidpiam libera-
liùs erogauit. Multos flores exigit locus, vt virida-
rium audiat, multas arbores postulat, vt hortus ap-
pelletur, & multis virtutibus, heroicisque actioni-
bus opus habet, qui consummatus, & perfectus non
otioso vocabulo nominandus.

Commonet sanctus Paulus Apostolus omnes Fi-
deles patientiæ, quam tenentur seruare in ærumnis,
laboribus, cruciatibus, carceribus, siti, fame, & ali-
js id genus tormentis, ac miserijs, quæ famulos Dei
plerumque persequi solent, calamitatum enim, &
aduersitatum æquanimi tolerantiâ conficitur im-
marcessibilis corona, & sertum pretiosum quietis
perpetuæ. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei mini-
stros in multa patientia,* inquiebat ille 2. Corinth. 6. 4.

Sufficiunt verba hæc causæ nostræ præsenti, ex
ijs namque, fauente, & iuuante Chrysostomo, alte-
rum eruemus rei huic constabiliendæ fulcimentum.
Duo subnotauit christianus Demosthenes, quæ pro-
posuit, exegitque Apostolus, vt nos in consumma-
tis Dei seruis iurè censere posset. *Exhibeamus*, hoc
est, verè ostendamus, monstremus, probemus *nos-
metipsos Dei ministros. Nec dixit* (inquit ille homil.
12. in 2. Corinth. c. 6.) *apparete, sed exhibete, hoc
est, liquidò ostendite,* irrefragabili, & insolubili argu-
mento, quod sit extrà omnem calumniam, euincite,
certumque, & palàm facite vos esse famulos Dei. At
quomodo hoc tam neruosum, & validum argumen-
tum conficiendum? *In multa patientia.* Chrysosto-
mus de his ait: *Non simpliciter patientiam dixit, sed
multam, neq; enim vnum aliquod, aut alterum incom-
modum perferre magna laudi ducendum est.* Aposto-
lus ergo ad conficiendam demonstrationem, quâ
probatum quis det, quòd sit minister Dei, non hoc
solùm requirit, vt vnam semel magno animo perfe-
rat iniuriam, verùm etiam vt plurimas, & quæcun-
que occurrunt aduersitates scuto patientiæ excipi-
at, & fortiter repellat. Nam pro vna calamitate pa-
tienter tolerata expetere titulum patientis, est po-
scere diuitem remunerationem pro tenuibus, & e-
xiguis officiolis. *Multa patientia,* inquit Aposto-
lus, longâ, constante, & pertinaci ærumnarum tole-
rantiâ paratur, & conquiritur gloriosa hæc appella-
tio, vt quis magnanimus Dei famulus dicatur. Nam
vt quis alium propter vnam semel æquo animo ex-
ceptam ærumnam titulo secundi Iobtis donare, &
ornare velit, tolerari non potest.

Non contentus hisce Apostolus longum texit ca-
talogum rerum, quas in medium afferre quis, & of-
ficiorum præstitorum, quæ exhibere debet, vt su-
blimem titulum ministri Dei obtineat. Iubet ergo
exhibere, & palàm demonstrare se ministros Dei *in
tribulationibus, in necessitatibo, in angustijs, in plagis,
in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs,
in ieiunijs.* ib. v. 4. 5. In quę Chrysost: *Densa tentati-
onum agmina subiungit.* Numerosam inimicorum,
& aduersitatum turmam ostendit, quam fundere, a-
ut subigere, ac superare miles Christianus debeat, vt
pugnacis militis famam, & validi, strenuique pugi-
lis appellationem sibi comparet. Si ad primulum
cum aduersario exercitu congressum, & ad vnius ho-
stilis militis cædem proclamaretur victoria, certus-
que putaretur triumphus, nonné illa magna leuitas
esset, nisi fortè insignem stultitiam dicere malis? In-
gens amentia esset. Nam vt vox contendatur, & vi-
ctoria

ctoria proclametur, etiam cùm hostes omnes sunt fusi, & subacti, vix rectè ab gaudibundis, lætabundisque victoribus fieri posse videtur. Apostolus itaque, vt Chrysostomus dicebat, *densa tentationum agmina subiungit*, frequentes ærumnarum, angustiarum, molestiarum, tormentorum copias, & infestas acies indicat, quas conficere, & extinguere debeat, qui perfecti militis Christiani nomine sit censendus, aut appellandus. Nam qui alium de prima virtutis actione, aut boni operis exercitatione consummatū pugilem arbitratur, & pronuntiat, nimiùm accelerat sententiā, & præcipitantior quàm par, est censor.

Benè congruet cum dictis, quod sanctus Gregorius Nazianzenus in Iambico 19. ait: *Senectam vnus crinis non facit.* Si quis decrepitum pronuntiaret eum, & capularem senem, cuius capillum vnum canities prima inalbasset, certò illum rideret, quisquis audiret. Simile quid in rem præsentem dicere possumus. Si fortè quempiam vno die ieiunare videamus, non debemus statim affirmare, quòd sanctus quidam Eremita est abstinentiæ vsu, & studio, aut quòd Iob quidam est, quià semel patienter aliquid tulit, aut quòd ad pœnitentem Dauidem accedit, quià ingemuit aliquando, & suspirauit. Aliud est benè, & piè sentire, aliud rectè æstimare, & pronuntiare de aliquo. Magnum vtriusque discrimen est. Et si crinis vnus canus non facit vetulum, cur vnica sancta ex virtute profecta operatio conflabit homini nomen sancti?

Volebat Dominus Patriarcham nostrum, cùm domum patriam repeteret, confirmare aduersùs timorem fratris sui, vt securi animi esset, nec metueret eum, quem magnoperè verebatur, ne cum manu armata obuiam ipsi veniret, exitiumque supremum afferret. Vtque omnem illi formidinem adimeret, adderet animum, misit ei Angelum, quocum noctē ferè totam luctatus, gloriosissimum retulit de cœlesti spiritu triumphum. Ex hac victoria confecit Angelus victus argumentum, quo persuasit victori Iacob, posse confidenter, ac tutò sibi promittere, quòd imbecillem hominem facilè prostraturus esset, qui Angelum superasset, ac subegisset: *Et ecce vir luctabatur cum eo vsq; mane*; Genes. 32. 23.

Quæri potest, cur tam prolixâ colluctatione certârint, atque in tam longas horas tam pertinaciter dimicârint. Respondet P. Martinus del Rio in cap. 32. Genes. *Voluit hucusq; luctam extendere, vt ipsâ morâ magis animus illius confirmaretur.* Tametsi Iacob, cùm primùm conserere manus cæpit, singularem animum monstrasset, non propterea statim fortis, audaxque censendus fuisset. Inter primos enim congressus vix quisquam est, qui non aliquantam roboris sui ostentationem faciat, neque ob id mox animosi, aut inuicti opinio illi concedi debet. Pertinaciter luctari, perdurare in conflictu, longas horas contendere, id optimus, & locupletissimus est ingentis animi testis. Vt ergo solidam sibi veræ fortitudinis existimationem compararet, totam noctem luctando exegit, nec de animo quicquam remisit, *vt ipsâ morâ magis animus illius firmaretur*, Animo namque obstinato rei cæptæ insistere, & persequi pertinaciter opus, cui semel manus admotæ, & robur animi longas horas, multosque dies idem seruare, id homini animositatis, & fortitudinis debitam laudem, opinionemque conciliat. At velle pro vna actione columnam erigere, cui inscribatur, aut insculpatur tanquàm egregium facinus, quod nec leuissimam memoriam, aut commemorationem promeretur, puerilis vanitas est, & ridicula præsumptio.

Parùm dixi. Gloriosus P. sanctus Enodius lib. 1. Epist. 6. acriùs id factum perstringit, censetque impudens flagitium esse tale quid agere, inquiens: *Nefas est hominem vno eodemq; tempore vniuersa optata promereri.* Prorsùs inuerecundiæ plenum crimen est, velle vno momento consequi, quidquid vana imaginatio alicui offert, aut repræsentat. Maxima stultitia est, velle ex vna actione esse magnum: Vt enim magni, summi, consummati titulum quis obtineat, id multis actibus positiuis, assiduâque & diuturnâ virtutum, & bonarum operationum exercitatione promerendum. Velut enim annis senescunt homines, stupendusq; profectus foret, si quem simul nasci, & canescere cōtingeret: Ita quando grande nomen expetitur, & celebris fama, & titulus illustris desideratur, ea magnorum operum vi, & præclarorum facinorum pertinaci studio, longoque exercitio sunt comparanda.

## CAPVT IV.

*Non est quisquam tantâ cognatione coniunctus, tamq; familiaris, & intimus amicus, qui vel pedem moueat, nisi lucri stimulo excitatus.*

QVanquàm Laban exploratam haberet sui consobrini Iacob industriam, diligentiam, solicitudinem, neque hoc nesciret, quòd ille pro labore pastoralis operæ nullam requirere vellet remuneratione: Ipse nihilominùs mercedem illi offerebat, certique præmij pollicitatione ad persequendam suscepti, & cœpti officij administrationem inuitabat, sciens, vt inquit

inquit Abulensis, quomodo plerumque se habeant homines, qui lucrum amant expectare ab ijs etiam, quos amant, & nisi spe quæstus ducantur, nec ergà coniunctos sunt satis officiosi. *Voluit conuenire, & libentiùs ipsi Laban seruiret,* ait ille in c. 29. Genes. Putabat Laban, quòd consobrinus Iacob vnum mẽsem quidem lubens, & cum voluptate seruiret, posthæc verò de studio, sedulitate, & solicitudine remissurus esset, adeò ne intepesceret diligentia, neue relaxaretur cura augendarum pecudum, & aliarum facultatum, mercedem offert arbitrariam, & salarium, quodcunque ipse vellet, promittit. Vix enim promouere gradum homo nouit, nisi lucri machina illum impellat, & nisi quæstus artificio fiat, lapis diligentiæ illius sursùm leuari non potest.

Prodigiosa miracula cœlestis Magistri viderant sacri Discipuli, quæ omnipotens dextera eius assiduè operabatur, sic vt immensa potentia illius in abditissima sepulchrorum vsque penetraret. Illud autem simul intelligebant, quòd tam stupendorum prodigiorum operatio fidem exigeret, sine qua facere miraculum, aut dextræ suæ omnipotentiam exerere vix volebat. Cùm hoc ergo comites illius indiuidui subnotassent, dixerunt aliquando: *Domine adauge nobis fidem;* Lucæ 17. 5. accende fidei lumẽ, quod paulatim extinguitur in cordibus nostris, aut non tam citò augescit, vt deberet.

Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum c. 1. ait: *Cùm sensissent magnitudinem potestatis, rogabant vt adderetur eis fides.* Cùm vidissent ab illo sanatos claudos, curatos paralyticos, illuminatos cæcos, resuscitatos mortuos, subacta dæmonia, tunc obsecrabant sibi augeri fidem. Denique tunc id petierunt, *Cùm sensissent magnitudinem potestatis* absolutæ in omnes creaturas, quæ talis esset, vt verbo infensissimum inimicum nostrum obmutescere faceret, soloque nictu tumentes procellosi maris fluctus in tranquillitatem adduceret, tempestatesque sedaret, tunc, inquam, postulârunt incrementa sibi dari fidei, vt illum credere, & adorare possent. Nam vt sumus inurbano, & rustico ingenio homines, nunquàm habere fidem videmur ad persoluendum Deo adorationis cultum, nisi magnitudinem potestatis eius ante experiamur.

Et ne quis existimet casu accidisse, quòd lucro nomen stimuli dedi, quadrare hanc in quæstum appellationem magnus Origenis Magister Clemens ipse satis declarat, nam de magnitudine potestatis dominicæ à discipulis intellectæ non ait, *Cùm cognouissent*, sed *Cùm sensissent*, quod ità dictum videtur per metaphoram sumptam ab equo, qui quantumuis volucer, concitus, rapidus, promptusque sit ad ambulandum, dum tamen calcaria non sentit sessoris, mox remittit animos, & negligentiùs incedit, vt sit necessarium excitare nonnunquàm calcaribus torpentem, vt progrediendi promptitudinem, celeritatemque non relaxet. Ad hunc modum itaque loquitur Clemens inquiens: *Cùm sensissent magnitudinem potestatis*, & taumaturus dextræ superi Magistri, tanquàm calcar quoddam, tunc *rogabant, vt adderetur eis fides.* Per fidẽ quippè illum cognituri erant, & quò magis augescebat fides, eò ampliùs crescebat notitia illius, ex maiore autem notitia familiaritas maior cum illo sequebatur. Hæc omnia mouebat rota magnitudinis potestatis, & quod incrementum suæ fidei desiderabant, & magnos in fide progressus facere optabant, à calcari potentiæ fiebat: *Cùm sensissent.* Nemo enim est, qui non expeditè, concitoque gradu pergat, dum lucelli alicuius calcar, aut stimulum modò sentiat: Vix autem quenquàm inuenias, qui pro commodo, & vtilitate alterius vel pedem moueat, nisi commodum alienum cum vtilitate illius propria coniunctum sit, & tali quæstus stimulo incitetur.

Ascendit diuinus Magister cum tribus intimis, gratiosissimisque discipulis suis in absitiorem montis Thabor verticem, ad quos cùm accessissent Moyses, & Elias, transfiguratus est ante eos. Posthæc descendit de monte, & *confestim omnis populus*, qui absorptus illũ sequi, & suspensus audire solebat, *videns Iesum stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum,* inquit beatus Marcus cap. 9. vers. 14.

Admiratur plurimùm Cardinalis Caietanus hunc modum, quo populus Christo obuiam effusus, debitam quidem, sed inusitatam venerationem exhibuit, & præter morem humiliter consalutauit: *Subiungitur insolitus actus turbæ, scilicet quòd accurrentes salutauerunt Iesum*; inquit Cardinalis S. Sixti, monetque aduertere, quid illud mouere potuerit populum, vt ijs tunc cæremonijs, & ciuilitatis officijs ergà Christum vterentur, quibus vsi nunquàm ante fuerant. Haud dubito, quin singularis aliqua ratio illos incitârit, vt tam vrbanè se ergà illũ haberent. Permirum enim sit inuenire aut videre hominem, qui ex nouo more, & magis comiter, quàm soleat, salutet, & reuerentiam insuetam, exquisitamque exhibeat, & vrbanitatis limites solènes egrediatur, nisi particulare aliquod commodum sentiat, aut lucrum expectet. Ità habet, inquit Caietanus: *Saluta-*

*Salutatio significat reuerentiam, vt ex hoc facto intelligamus, attractiuum aliquid in Iesu apparuisse.* Addit autem fieri potuisse (cùm ex monte descenderet, vbi transfiguratus fuerat, sic vt facies eius resplendesceret sicut sol, vestimenta verò alba essent sicut nix) vt pulchræ aliquæ reliquiæ istius nunquàm visi splendoris remanserint. *Nescio quid insolitum in Iesu ex transformatione descendente apparuit turbæ, sicut Moysis descendentis à colloquio diuino facies apparuit fulgens.* Quod Moysi accidit, hoc Dei Filio Christo multò magis euenire potuit, qui actionibus suis admodùm imperabat, & dominabatur. Quando ergo vulgares homines viderunt sacrosancti vultus nulli ante visam venustatem, *accurrentes salutauerunt eum*, amplius aliquid facientes, quàm soliti erant, cùm nimirùm vidissent in facie eius, quod nunquàm viderant, homo enim nunquàm plus facit, nisi vbi plus videt, atque vt videt crescere potestatem, sic accelerat passum, & prout expectat lucrum, ità adhibet laborem: *Vt ex hoc facto intelligamus, aliquid attractiuum in Iesu apparuisse.* Res enim ipsa loquitur, quòd nisi aliquid plus solito in Christo vidissent, nunquàm plus aliquid solito ergà illum egissent.

Hinc accipite, vt cùm videritis, quòd multi domum aliquam frequentant, hominem sequuntur, comitantur, salutant, comiter habent, nihil horum antehæc facere assueti, cogitetis illos nunc particulare aliquod lucri, vtilitatisque incitamentum habere, quo permoueantur, vt faciant, quod nunquàm fecerant: *Intelligamus aliquod attractiuum.* Nemo enim salutat, adstat, comitatur, obsequia, seu reuerentiam defert, nisi attractiuum aliquod, suumque magnetem quæstus, lucri, & particularis commodi habeat, vix namque est, qui se moueat, nisi calcaribus vrgeatur, aut stimulis adigatur emolumenti alicuius proprij.

Indicabat Moyses legem Dei, & cæremonias populo, ad quarum religiosam, studiosamque, & exactam obseruantiam vt eum permoueret, sic ordiebatur promulgationem: *Et nunc Israël audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.* Deuteron. 4. 1. Santes Pagninus, & alij Hebraizantes aiunt, huius sententiæ extrema verba ex originali textu sic transferri posse: *Possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dat vobis.* Et quanquàm horum textuum alter alteri opponi videatur, cùm noster vulgatus de futura donatione terræ promissæ loquatur, recentior verò Santis de præsenti traditione eiusdem, non est tamen repugnantia, siue oppositio aliqua, cùm horum temporum aliud pro alio sæpè numero accipi soleat, quod apud Expositores videre licet. Secundùm hæc, quod Vulgata versio inposterùm promittit, & quod posterior translatio in præsenti exhibet, idem erit.

Hoc posito accipite pulchram Oleastri obseruationem, qui sciscitatur, quid necessum fuerit in memoriam adducere Hebræis abundantem illam, & fertilem terram, quam de præsenti dabat, vt eâ commemoratione illos permoueret ad obseruantiam legis, & præceptorum, quæ tam sancta erant, & vitæ humanæ perquàm conformia: Si sacram suam maiestatem, authoritatemque interposuisset, nonné ea plùs satis erat excitandis illis ad accuratissimam custodiam mandatorum ipsius? Quid ergo opimas illas, opulentasque possessiones ij: prætereà ob oculos posuit, vt earum pollicitatione, vel præsenti potiùs donatione ad suscipiendas alacriter, explendasque diligenter leges, & satisfaciendum officio suo extimularet?

Oleaster in c. 4. Deuteron. in annot. morali ait: *Considera quàm sapienter legibus promissiones adiungit, quoniam optimè nouit, nos nihil sine mercede velle facere. Neq; oculus transeas, quod non dicit, Quam Dominus Deus patrum vestrorum dabit vobis sed dat vobis, quoniam nouit nos non diu præmium laborum nostrorum expectare.* Verùm quidem est, quòd satis erat à Deo interponi absoluti, & supremi imperij illius authoritatem, vt sine rei alterius cuiusquã intuitu obseruarentur diuinæ leges eius & præcepta, sed quoniam perspectissimam habet subrusticam hominum indolem, scitque eos, vbi lucrum in medio est, aut de quæstu agitur, nec summo Numini deferre, præcepta simul, & præmia proponit, vt remuneratione incitati velociter, expediteque per viam mandatorum ferantur. Ergo vt sapiens legislator legi mercedem connectit, homo nimirùm mouere pedem, impigreque pergere nescit, nisi lucrum videat: *Sapienter legibus promissiones adiungit,* præceptaque & præmia, labores & remunerationes, fatigationes & mercedes consociat.

Illud prætereà in superioribus verbis premendum, quod ait Dominus: *Vt possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dat vobis.* Non dicit, dabit, sed dat (ex textu originali) eam, quam coram oculis vestris expositam habetis terram, & calcatis, *quoniam cognouit nos non diu præmium laborum nostrorum expectare,* nouit quantùm natura nostra

ſtra quæſtui inhiet, nouit quàm ægrè feramus procraſtinationem remunerationis poſt laborem, ſtatim enim volumus ſolutionem, ſtatim volumus compenſationem, ſtatim retributionem, & præmium. Tam vehementer mouemur lucro.

Vulnerata ſecundùm cor Maria Magdalena iaculo amentato inſpirationis diuinæ, compuncta, atque illachrymans curſu abijt ad fontem ſui remedij Chriſtum Redemptorem noſtrum, infuditque pedes eius ſacros pretioſo vnguento, & capillis, quibus plurimas animas illaqueârat, eoſdem deterſit, tum copioſo imbre fletus ab oculis deciduo rigauit, & Dominus, qui illam internè vocauerat, ob oculos omnium conuiuarum plenè abſoluens, noxarum omnium gratiá donauit, inquiens: *Fides tua te ſaluam fecit, Vade in pace*; Lucæ 7.50. *remittuntur tibi peccata tua*; ibid. v. 48. tanquàm dixiſſet: Culpas tibi, vnáq; pœnas condonaui, lachrymæ cordis tui diluerunt turpitudinem flagitiorum tuorum, amor tuus magnus fuit, *quoniam dilexit multùm*, charitatem fides exæquat, vt benè in pace abire poſſis.

Cardinalis Caietanus notauit, præter externa officia Magdalenæ ergà Dominum, quæ videre omnes potuerunt, duas ab illo productas in publicum illius virtutes, quæ cùm intùs laterent, inacceſſæ erant præſentium oculis, & cognitioni: *Præter officia exteriora duas in hac muliere internas Virtutes habes ex Verbis Ieſu, fidem ſcilicet, & charitatem*; inquit ille. Vt Magdalena conſequeretur indulgentiam ſuarum culparum, & per virtutem excellentiæ poteſtatis Chriſti perueniret ad felicem ſtatum gratiæ, non per fidei tantùm, & charitatis, ſed etiam ſpei gradus aſcendere debuit, ſunt enim tres virtutes theologicæ, ſine quibus nec peccator iuſtificari, nec iuſtus in amicitia Dei permanere poteſt. Quod ſi ità eſt, cùm Dominus tam affectuosè cupiat à nobis ſciri viam quâ illum inuenire debemus, cur duabus, fidei puta, & charitatis vijs, quas Magdalena tenuit, oſtenſis, præterijt mentionem alterius, ſcilicet ſpei, quæ tam non ſolùm vtilis eſt, ſed & neceſſaria?

Reſpondet Caietanus, dicens: *Spes in officijs eius ſatis patebat, niſi enim ſperaſſet Veniam, non tot feciſſet.* Maria Magdalena, mulier nobilis, & ſummo loco nata, tantis, tamque inſignibus propenſioris naturæ ornamentis exculta, quantis vix eiuſdem vrbis alia, venit poſtpoſitis omnibus exiſtimationis ſuæ incommodis, laxo capillamento, & paſſis cirris, oblita mundum ſuum muliebrem ſuperiorem, ſpretâ grauitate nuperâ, calcatâ mundi pompâ, ſola per plateas, in quibus nuper benè comitata comiter, atque vrbanè ab omnibus colebatur, & honorabatur, non cogitans, neque curans quid homines dicturi eſſent, in medio ſplendidi epuli fleuit, ingemuit, ſuſpirauit, non ceſſans elegantia labra pedibus imprimere Domini, & capillis (qui pro retibus fuerant, in quæ multi ſæpè volentes, lubenteſque capti inciderant) tanquàm linteo abſtergens vnguenta, quæ generosè affuderat. Quæ tanta fecit, quæ tanta erogauit, ea certè aliquid expectauit: *Spes in officijs ſatis patebat, niſi enim ſperaſſet Veniam, non tot feciſſet.* Poteſt interdum, qui neque fidem habet, neque amorem, deferre obſequia, ſimulare ſubmiſſionem, fit enim nonnunquàm, quod vulgò dicimus, vt quis manuum exoſculationi ſe offerat, quas ſi amputatas videret, nihil doleret: Verùm vt quis ſeruiat, & nihil in vicem ſperet, res eſt mira, quàm rara; & ſi quis ſine expectatione mercedis laboraret, nunquàm viſum prodigium ille faceret. Dicatur ergò quòd Magdalena fidem, & charitatem habuerit, ſpes autem illius ſubticeatur, otioſum enim eſt dicere, quod tacentibus alijs per ſeipſum facilè quiſq; poteſt intelligere, quodq; res ipſa loquitur. Vix enim reperias hominem, qui obſequia impendat, laboret, ſudet, rei alicuius periculum ſubeat, niſi lucrum aliquod, aut incrementum rerum ſuarum expectet.

S. Ioannes refert, cognatos Chriſti ſecundùm carnem, quo tempore ille in Galilæa nonnihil occultus agebat, eum exhortatos fuiſſe, vt ad celeberrimam Scenopegiæ ſolennitatem, quæ tunc Ieroſolymis magnificè colebatur, aſcenderet, vt mundus totus, inprimis verò Diſcipuli, & quorum ſingularis erat ergà illum beneuolentia, viderent admiranda prodigia, quæ portentoſa eius dextra operaretur. Cùm enim tam ſtupenda eſſent opera, quæ faciebat, ratio poſtulare videbatur, vt ea in medio foro publicè patrarentur, vbi omnes ea vſurpare oculis, & celebrare plauſibus poſſent. Addit autem mox ſanctus Euangeliſta: *Nec enim fratres eius credebant in eum*; Ioan. 7.5. hoc eſt, quanquàm ea verba dicerent, quæ in maximam, vt videtur, prodigioſi Magiſtri commendationem redundabant, fidem tamen illi non adhibebant, quæ enim dicebant, eò magis tendebant, vt illum tentarent, quàm vt extollerent, aut magnificarent.

Theophylactus ait, hos cognatos, qui nunc tam alieni erant ab eo, vt in Chriſtum crederent, demùm prædicaſſe gloriam nominis eius, & doctrinam Euangelij, poſtquàm à triumphata morte rediuiuus factus prodigioſâ reſurrectione inaurauit ignominioſam

niosam mortem probrosæ crucis (cui tanquàm facinorosus homo, & infamis maleficus affixus fuit) ipsosque Sacerdotes,& Episcopos consecrauit: *Post crucem, & ignobilitatem, qua videbatur, pro ipso testimonium tulerunt, prædicatores, & Episcopi facti. Vnde sine contradictione illum resurrexisse viderunt*, Absq; vlla mortis formidine, interq; præsentanea, & manifesta vitæ pericula prædicârunt legem Euangelicam Iesu Christi cognati illius, postquàm potentiam eius immensam, gloriosumq; de morte iniustò tolerata triumphum viderunt.

Subijcit statim Theophylactus: *Non enim exposuissent se pro illo, nisi certa quadam, & solida habuissent argumenta de eius resurrectione.* Neque capillum vnum aliquem, aut si quid leuius, futiliusq; est, pro illius existimatione, aut defensione etiam minimo discrimini obtulissent, nisi triumphalis resurrectionis illius habuissent manifesta argumenta, indubitata inditia, ob quam ingentia, & plurima expectare ab illo beneficia possent. Homo namque sic amat commodum suum, sicq; inhiat suæ vtilitati, vt nec pro coniunctissimo, & cognatissimo amico rei quantulæcunq; subire periculum sciat, nisi aliquid inde expectet, nec alicui se committere discrimini, si non præuideat fore, vt insigne fœnus sibi pariat iactura, cui se exponit. Facere namq; benè non ob aliud, quàm vt benefacias, tam rara, & cara merx est, vt venalem vix inuenias, & felix sit, qui emat, integerrimus, qui rursùm facilè eroget.

## CAPVT V.

*Tametsi nulla habeas arma, milites nullos, nulla tamen sunt arma, nulli milites tam validi ad subigendum, tam potentes ad expugnandum, quàm formæ elegantia, & venustas.*

POstquàm à Labano Iacobti oblatum fuit, vt ipse sibi, quam vellet, operæ suæ mercedem designaret, delectu facto petijt sibi sponsam dari alteram filiarum, cui nomen Rachel, cuius nonnullam memoriam fecimus, & naturalem venustatem aliquantùm iam prædicare cœpimus. Rachel ætate minor, sed formæ gratiâ, & elegantiâ maior erat, & custos ouium pulcherrima. Non sic Lia soror annis prouectior, cui oculos lippitudo nonnihil deformabat, vt videntibus minùs gratus esset illius aspectus. Captus ergò (at honestè,& castè) liberalis modestæ pastoris specie petijt eam à patre vxorem,& vitæ sociam, obtulitq; velle pro ea commerenda septennem exigere seruitutem: *Lia lippis erat oculis, Rachel decorá facie, & venusto aspectu, quam diligens Iacob ait, Seruiam tibi pro filia tua minore septem annis*; Gen. 29. 17. 18.

Calumniæ (quam subire sancti Patriarchæ Iacob castitas, honestas, continentia posset, quòd minorem venustiorem poposcit vxorem, non curans maiorem, quòd turpicula, minùsque lepida, & festiua esset) occurrunt Expositores, dicentes iustè potuisse deligere elegantiorem, eiusq; pulchritudinem in sanctum, ac honestum finem expetere. Liberalioris enim formæ dignitas quædam naturalis supellectilis pars est, quam Deus munificè concedit, eamque cum dicta crcumstantia desiderare, licitum est, neque dari vitio potest. Post Pererium, Martinum del Rio, Cornelium, Honcalam, Guilielmum Ebroicensem, & Hugonem Cardinalem, audiamus Salomonem Hispaniæ Abulensem, cuius sunt ista: *Licitè Iacob desiderauit pulchritudinem, est enim pulchritudo donum Dei quoddam naturaliter datum, quo aliquo modo vti benè possumus, frui autem non.* Secundùm hæc quid mirum, quòd Patriarchæ nostri animum, oculosque abripuit Rachelis elegantia, quæ tam optabile donum est (nisi dulcem tyrannum dicere mauelimus, qui trahit, & violenter capit; & quasi vinculis quibusdam constringit arbitrij libertatem) vt ad illam expugnandam, & subigendam nulla, præter se, arma requirat, neque Capitaneis vllis, militibusué opus habeat, quæ vastum oculis exercitum circumfert, quo capere, vincire, occupare omnes obuiorum animos possit. Quò spectauit Plato apud Pererium in c. 29. Genesios, cùm ait, formositatem esse *principatum naturæ*, floremq; eius, & summam dignitatem. Et Aristoteles apud eundē *pulchritudinem potiorem omnibus epistolis in commendando esse dicebat*, vt nullæ commendatitiæ literæ tantùm impetrare, aut efficere possint, quantùm vna formæ venustas. Confirmatur hoc ab eo, quod de bellicosa, & Catholicissima nostra Regina Isabella produnt annales, cui cùm epistolam commendatitiam adolescens quidam quàm nobili genere, tam eleganti facie,& concinno totius corporis habitu attulisset, cuius ope apud Serenissimam Principem faciliùs exambiret gratiæ beneficium, quod optabat, & illa literas offerentis os, vultum, decentisq; formæ præstantiam attentiùs arbitrata fuisset, ità humanè, comiterque dixisse fertur: *No tenades necessidad de carta de recommendacion, que la meior recommendacion es vuestro talle, i rostro, que no puede dexar de ser ombre de bien, aquien el Senor dotò de tan airosa gracia*; quod latinè dixeris: Commendatorijs literis.

ris nullis tu opus habebas, quem venusta corporis structura, & facies quàm maximè commendant, nec enim potest non esse homo bonus, quem Deus tam liberalis, festiuæque formæ gratiâ donauit. Quid magnum ergò, quod Philosophus dixit, pulchritudinem *potiorem esse omnibus epistolis?* Qui & interrogatus, cur formosos tam libenter videamus, tamque iucundè cum eis loquamur, respondisse fertur, *cæci hominis esse talem interrogationem*, qui si oculos haberet, non sciscitaretur rem, de qua nemo nisi cœcus dubitare possit. Quid enim est, quod æquè oblectet, & suspendat, ac pulchritudo, & gratia, dignitasque elegantioris formæ? Eapropter & Carneades apud eundem Pererium aiebat, venustatem esse *regnum sine custodibus*, aut satellitio, quod non indigeat rhabduchis, lictoribus, armis, militibus, cùm ipsa per se horum omnia officia exequatur, rapiat, capiat, vinciat, compediat, vulneret, cædat, subigat, expugnet.

Frater Patriarchæ nostri, quod sacer textus refert, ex sylua, longaque, & operosa venatione domum redijt fractus duro discursandi labore, & dirâ fame tantùm non confectus, & cibum pro refocillatione extenuatarum virium, & confirmatione debilitatorum membrorum inhianter expetens. Cùmque vidisset, quòd Iacob haberet scutellam lenticularum optimè, vt quidem ipsi videbatur, coctarum paratam, petijt eius partem sibi dari, quoniam necessitas illius ingens erat, multumque molesta: *Da mihi de coctione hac rufa, quià oppidò lassus sum*; Genes. 25. 30.

Quid habebat rufa illa coctio, quo sic abripiebat oculos Esau, vt eam demoreretur? Habebat certum quendam colorem, quo illius orexin, appetentiamque excitabat. Ità affirmat Flauius Iosephus lib. 2. antiquit. c. 1. dicens: *Reuersus à venatu famelicus offendit fratrem coquentem sibiipsi in prandium lenticulam rubentem colore, quo magis excitatus rogauit, vt expetitum sibi cibum traderet.* Quanquàm acrem à venatione esuriem domum referret, color tamen cocti ferculi magis exacuit illius appetitum, vt coctum cibum vehementiùs à fratre exposceret. Notate in his verbis illud, quod *lenticulæ rubentis colore magis etiam excitatus* fertur. Iam si cibi alicuius, neque nimis opipari, color tantùm valet, vt hominis alioquin valde famelici, adeòque victum ardenter desiderantis appetitum magis excitare, acuere, inflammare queat, quomodo non auferat cor, non abripiat oculos, non vinctam constringat libertatem color animatus faciei venustæ, & elegantis, quæ per seipsam excitat cupiditatem etiam languentem, & torpentem, appetitumque penè extinctum resuscitat?

Facilè hoc probari potest ex eo, quod Propheta regius, dùm in consideratione versabatur pulchritudinis, gratiæ, festiuæ elegantiæ, venustatis Verbi diuini nostram carnem induti aiebat, dicens: *Speciosus formâ præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis*; Psal. 44. 3. velut dixisset: O decorum, & aspectabilem, & inuictum, valentemq; iuuenem, cuius pulchritudini nulla par sit hominum aliorum venustas! ô quantum mellis, & sacchari purpurea tua labra funditant! *Accingere* itaque *gladio tuo super femur tuum potentissime*; ibid. v. 4. quo homines subacturus es, & mundum totum tuæ seruituti subiecturus.

Armatum nobis pingit regius Propheta Christum, & qui femore gladium tanquàm pugnaturus præferat. Videamus an gladio isto feriat, vulneret, vincat. *Specie tuâ, & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, & regna*; ibid. v. 5. vultus tui specie, & admirabili totius corporis cōcinnitate fac potenter, feliciterque triumphes. Sanctus Basilius, Chrysostomus, & Theodoretus per gladium acutum intelligunt venerabilem pulchritudinem, & *cùm dixit*, Intende, *arcum significauit, & sagittas*, inquit Chrysostomus. Quis verò ille arcus, quem intendere, quæué sagittæ, quas eiaculari, quænam spicula, quæ intorquere, quæ iacula, quibus impetere, & ferire Propheta hortabatur? Non alia, quàm pulchritudo, quæ quoties spectat, toties excusso iaculo ferit, & mactat. Nam vt doctus quidam modernus, Benedictus Fernandius, ad hunc locum alludens, in c. 19. Genes. sect. 9. n. 10. ait, *pugnat pulchritudo, ferit, vulnerat, equitat super thronos regios, vincit, regnat, triumphat.* Nihil mirum, aut magnum, quòd pulchritudo gladio, & sagittæ conferatur, cùm gladij, & sagittæ munera illa omnia expleat, saucians, solijs imminens, superans, triumphans?

Robur hisce adijciet quædam Clementis Alexandrini narratio. Refert ille Menelaum, post captam Troiam, velut furijs abreptum, efferato animo, & præcipiti impetu iuisse ad obtruncandam Helenam, quæ causa, & occasio tantarum stragum, ruinarum, fataliumque, & lamentabilium tragœdiarum fuerat. Iam suspenderat ad feriendum manum, attinebat autem eam venustissimæ Helenæ aspectus, tanquàm laqueus, pulcher ille quidem, sed tam validus, vt demittere ad ictum non posset. Clemens ait, *non po-*

*tuisse efficere victum pulchritudine*, vt eam contrucidaret. In quam rem ludens Poëta quidam sic canebat:

*Mammilla vbi visa est, resecto gladio*
*Abblandiens cani perdita osculum accipis.*
*Ergo hebetantur enses pulchritudine.*

Vix decentissimam faciei speciem, & lactea Helenæ vbera Menelaus arbitratus oculis fuerat, quando ensem neci paratum abiecit, eiúque blandè assentari, & fieri supplex cœpit, ac dicere, singularis fauoris, gratiæ peculiaris, & ingentis beneficij loco habiturum, si vel vno semel intuitu ipsum dignaretur. Ex eiusmodi antecedentis successu hanc eruit Poëta consequentiam: *Ergo hebetantur enses pulchritudine*; ergo penetrantiores sunt radij talium oculorum, quàm acies sanguinolentissimorum gladiorum. Verè gladius est pulchritudo, cuius pedibus arma omnia aduoluuntur, ensis est, qui omnem animi spiritum iugulat, sagitta est, quæ corda configit, & penetrat, denique tyrannus est, qui fortissima, & chalybea pectora subigit, & prosternit.

Hinc Tertulliano in lib. de cultu fœmin. c. 2. pulchritudo dicitur *felicitas corporis, diuinæ plasticæ accessio, animæ aliqua vestis vrbana*. Quàm pulchrè dictum illud à magno Africano, *Animæ aliqua vestis vrbana*! Metaphora est, ab eo, vt videtur, accepta, quod facere opulentiorum liberi puberes, sed nubiles filiæ inprimis solent. Amant hæ plurimùm colere se, & comere, & perpolire, auroque & gemmis, & veste pretiosâ, & fuco, ac pigmentis ad omnem oculorum gratiam exornare, idque diebus festis vel maximè, quibus publici conuentus pro more religioso celebrantur. Si comptula talis quædam cœtum hominum rusticorum transeat, omnibus est admirationi, incultos paganos, squalidos montanos, & quotquot tales obuios suspendit, estque ornatus illius, & formæ elegantia violentus, & suauis magnes oculorum rusticorum, & dulcis suspensio ruri natorum & agrestium hominum, qui absorpti eam sequuntur, admiranturque attoniti, & tanquàm fascinati. Quod ornatus apud rusticanos, hoc apud omnes formæ naturalis elegantia efficit, inquit ferè Tertullianus. Pulchritudo enim, quacunq; circumferatur, appetit statim oculos, emittitq; iacula, quæ feriant, & saucient, radios lucis, qui admirationem adferant, suntque dulcis suspensio oculorum, suauis stupor sensuum, & aliarum potentiarum, & animæ gratissima, voluptuosissimaque ecstasis.

Quid mirum ergò, quòd Patriarcha noster impensiùs amauit Rachelem, quàm sororem eius Liam? Rachel namque perpulchra erat, & ad omnem venustatem omniscientissima summi artificis Dei manus eam finxerat, atq; effigiârat. Amare autem illam pulchritudinem, deperire illam elegantiam naturale erat, licitumque, & honestum, matrimonij ergò, tamq; sancti finis causâ expetere. Nam si puellæ, vt aiunt Theologi, concessum est, formæ naturalis gratiam cultu adscititio amplificare ob id tantùm, vt Sponsum inueniat, cur non detur alijs, vt naturalem decorem desiderare, & amare pulchritudinem possint, maximè quando laudabilis, & honestus est finis, ob quem desideratur, & amatur?

Verùm dum periculum, quod hac in re est, considero, & quàm pronum sit labi, quamque procliuiter à concessis ad prohibita, à licitis ad vetita transeatur, oro, & obsecro omnes, quicunque de vera suæ animæ politia agunt, vt Spiritus sancti consilium amplecti studeant, qui crebrò, instanterque nos monet auertere ab humana venustate oculos, quæ faciliter velut iniectis manibus prendit, suauiter subijcit, dulciter in captiuitatem abducit, & tanquàm ferreis vinculis miserè compeditam adstringit voluntatem, & liberum tragicè carceri addicit arbitrium, turbans, & prorsùs perdens quietem, & pretiosa supellectilia, thesaurosque animæ, quæ sunt virtutes, totos dissipans, ac diripiens. Dicat hoc regius Propheta, qui quòd suos semel non satis cautè custodiuit oculos, gratiæ, quâ apud Deum valebat, iacturam fecit, miserandâque prolapsione in obscœnum adulterij scelus incidit, quod plurimarum deinceps calamitatum, & tragœdiarum seminarium fuit. Sat est vnus Dauid, vt illius periculo sapiamus; Nam si mons tremere, si arx minari ruinam, si turris nutare & vacillare, & leui vnius incautioris aspectus vento cœpit, quid sibi arista, quid fragilis arundo, quid ruinosum, & caducum gurgustium promittat?

## CAPVT VI.

*Felicissimus foret homo, si quàm est expeditus, & comitus ad res corporis, tam solicitus esset ad curanda negotia animæ.*

SAnctus Ioannes Chrysostom. cùm secum expenderet promptitudinem, & alacritatem, quâ se noster Patriarcha exposuit operosæ, & negotiosæ septem continuorum annorum seruituti, sibique velut coëmit perpetuas vigilias, & iugum adornauit (iugum enim est omne connubium, tametsi alioquin suauissimum, dulcissimumque) forte conficit argumentum, eoque validè perstringit desidiam, ignauiam,

am,

ilm, pigritiam hominum in comparandis, conquirendisque bonis æternis. Pro temporalibus facultatibus corradendis quàm præproperè quoduis periculum suscipitur! quàm leuiter effundimur, & quoduis discrimen adimus! Pro temporali, & interituro lucro, pro breui, & caduca voluptate neque vitæ cura habetur, neque mors timetur, & diuitiæ profunduntur, & honor negligitur, sic omnia cœcus concupiscentiæ impetus abripere solet. Sed pro rebus ad animæ salutem æternam pertinentibus quàm rarò sudatur! quàm parùm laboratur! *Quando proponitur lucrum temporale*, inquit Chrysostomus in cap. 29. Genes. *omnia alacriter sustinere volumus, etiamsi quid laboriosum sit, & valde arumnosum, & sordidum, & pœnam in præsenti, & futuro sæculo præbens. Propter nostram autem salutem, & vt supernum nobis conciliemus auxilium, remissi, & supini, & dissoluti videmur.* Eheu, quàm cœci, & miseri sumus! Pro caduco flosculo propediem interituræ, & quæ tam facilè marcescit, pulchritudinis seruitur annis longis, & nihil non agitur, vt illo frui liceat, grauissimisque sæpè periculis vitæ temporalis, & æternæ se offert, qui vsuram illius desiderat, & ad consequendam indeficientem diuinæ venustatis elegantiam, quæ tam facilè videri potest, & quæ durabit æternùm, nihil laboratur, nec est qui incommodi qualiscunque tolerantiæ submittere caput velit! Maior stultitia excogitari non potest. At quod plerumque videmus, & perpetuò deplorari deberet, illud est, quòd caducis, & perituris soliciti, & anheli semper inhiamus, & pro æternis, ac permanentibus vix è loco mouere pedem nouimus.

Scripsit S. Paulus Apostolus manu suâ epistolam Philemoni viro nobili, & illustri, & amico suo familiari, in qua illum rogat, vt seruum quendam suum (Onesimus illi nomen erat) qui catenam ruperat, & fugâ dilapsus fuerat, humanè ac benignè in gratiam reciperet. Postquàm autem rationes proposuerat, ob quas Philemon se Onesimo non tanquàm austerus, & submorosum herum fugitiuo seruo, sed velut amantem, & suauem patrem filio exhibere deberet, ait illi: *Simul autem & para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis*; Philem. v. 22. Qui hanc epistolæ partem diligentiùs expenderit, arbitrabitur Paulum magnificam, & sumptuosè adornatam domum, in qua reciperetur, splendidèque, & opiparè tractaretur, affectasse, quod plurimùm derogat humilitati, & paupertati, quam vitâ, & voce euangelicâ commendabat Apostolus, qui cùm Christum crucifixum prædicaret, si sumptuosum palatium suæ habitationi expetiisset, secum ipse absurdè, turpiterque pugnasset. Certum ergo est, quòd Paulus non petijt domum, vt in ea magnificè coleretur, ac dapsiliter haberetur. Quid causæ ergo, quòd Paulus ædes Philemonis, viri æquè nobilis, ac diuitis anticipare voluit?

Respondent Sancti Hieronymus, & Anselmus, magnam illam, & peramplam domum præoccupare voluisse, vt in ea legem euangelicam, & doctrinam cœlestem prædicaret. At cùm ædes spatiosas plures ea ciuitas haberet, cur hanc vnam præ alijs suæ prædicationis, & Catholici cætus locum esse voluit? Occurrit S. Cantuariensium Pontifex, inquiens: *Quia in celebri vrbis erat loco, ad quem facilè conueniretur, deinde quia ab omni importunitate vacua erat, ac ampla, quæ plurimos caperet audientium, nec proxima spectaculorum locis, nec turpi viciniâ detestabilis, postremò quia in plano erat posita potius, quàm in cœnaculo.* Nonnè animaduertitis requisita, & circumstantias, quas Paulus obseruauit, quando elegit domum, & locum, vbi euangelij, & salutis animarum doctrinam prædicaret? Domum voluit, quæ in parte ciuitatis meliore sita à tumultuarijs vulgi conuenticulis absita esset, nec proxima haberet profana comœdiarum theatra, neque vicinas infames ganeas, in quibus propudiosæ, & obscœnæ mulieres venales se exponunt, & prostituunt.

Sed quid incommodi, aut periculi adferre poterat, si concio habita fuisset iuxtà ea loca, quæ Paulus tantoperè fugit? Quid obesse poterat, quòd *proxima spectaculorum locis, aut turpi viciniâ detestabilis* fuisset domus, in qua ille ad populum Christianum dicturus esset? Nonnè res ipsa id loquitur? Si propiùs à se abfuissent ecclesia & theatrum, prædicator, & comœdus, locus tractandi seria negotia animæ, & ludicra corporis, spectaculum & euangelium, mulier meritoria & lex euangelica, maiorem concursus partem mundus, & dæmonium suis vanitatibus, & stultitijs ad se traxissent, quàm Paulus suis veritatibus, & solidis rationibus, idque quod humana natura nostra plerumq; impetu concita vadit ad ea, quæ voluptatem, oblectationemque corpori adferunt, tarda, & impeditis pedibus ad ea, quæ animæ saluti sunt conducibilia. Non æstimat sumptus homo, quoscunque, & quantoscunque illos in vanitates, & stultitias mundi profundit: At si teruncius, aut minus etiam aliquid in pauperes erogandum, quo regnum cœlorum comparari posset, semper imparatus est, & egenum seipsum fingit.

Sancti Antonij Paduani obseruatio est, fœnum in

diuinis ſcripturis ſemper eſſe ſymbolum peccatoris, vt cùm dicitur: *Fœnum quaſi bos comedet*; Iob 40.10. Item: *Percuſſus ſum vt fœnum*; Pſal. 101. 5. Et rurſùm: *Homo ſicut fœnum*; Pſalm. 102. 5. At per meſſem, in qua colligitur frumentum, quo nutritur, & roboratur natura humana, ſignificantur viri ſancti, & iuſti, iuxtà illud: *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci*; Matth. 9. 37.

Poſſumus nunc percontari ſanctum virum, quamobrem fœnum ſit hieroglyphicum peccatoris, meſſis verò typus, ſiue adumbratio iuſti. Reſpondet Seraphicus eccleſiaſtes: *Quia fœnum naſcitur ſine cultura, meſſis autem cum labore perficitur.* Vt prata fœnum proferant, vigilantis agricolæ laborem, ſudoremque, & impigram illius manum non requirunt. Creſcit, augeſcitque fœnum, tametſi omnis diligentia abſit. Quantùm verò peruigilare, quot noctes tranſmittere inſomnes, quantùm ſtudij, & laboris collocare in agro debet negotioſus ruricola, vt optatos fructus cumulatè aliquando producat! Quoties ſtercoratione ſolicitanda, & ſubornanda terra, vt expetitas fruges ſuo tempore reddat! Quot ærumnis ſe ſubijcit, qui humum meſſi parandam ſuſcipit? Quanta proſpicere, quàm multa præuenire debet, qui rectè colere, & curare agrum cupit! Quot inimicos habet granum, priuſquàm in herbam emergat, culmumque exurgat! Quot accidentia patitur, poſtquàm è terræ ſepulchro caput eduxit! Quot ruri, vbi temporum inclementiæ expoſitum fuit, patitur hoſtes in ipſius exitium, & ad incrementa illius impedienda velut fœderatos! Beſtiæ, quæ tranſeunt, aues, quæ præteruolant, pariter illi incommodare ſtudent, & illæ quidem dentibus, & vngulis, hæ autem roſtris ſpicam, quanquàm ſuis ariſtis munitam appetunt, & inuadunt maiore præſumptione, quàm fortitudine, ſic vt minentur magis, quàm inferant pernitiem. Quid verò quando iratum cœlum grandinat, ſataque verberans, ſupremamque & agris vaſtitatem, & miſero agricolæ fruſtrationem adferens anxias ſpes eius ludificat? Et ſi fortè liberum à tot coniuratis hoſtibus granum euadat, quis referat martyria, vt ſic dicam, quæ ſubit, iactationes, quibus vexatur, & exagitatur, priuſquàm eò perueniat, vt alimonia hominis fiat? Hoc eſt eſſe meſſem, & hoc eſt eſſe hominem iuſtum, inquit ſanctus Antonius de Padua, vt nobis indicetur diſcrimen, quod eſt inter ſymbolum rerum animam concernentium, & typum earum, quæ ad corpus ſpectant. Meditanti opus virtutis quot, quantæque ſe offerunt difficultates! quot montes opponunt! Ad perpetrandum vitium verò, ad explendam voluptatem, ad malè agendum quàm ſunt in promptu, & proximè ad manum omnia! Quare? Quià fœnum hæc ſunt, & fœnum *ſponte naſcitur, ſic peccatum, & mala voluptas naſcuntur ſponte*, inquit Antonius. Vt conſequamur, quæ libidini noſtræ ſunt grata, quàm facilè parantur, quæcunque huc faciunt! Momento omnia prompta ſunt. Quàm velociter homo peruolat ad ſuum præcipitium! Ad carnificinam ſuæ animæ, quàm perniciter abripitur! Verùm ad æternam eius ſalutem quàm languidè, impeditè, atque ignauiter pergit!

Videbatur populo Hebræo, Moyſen ducem ſuum nimis longas moras nectere in cacumine montis. Quare deliberatione inſtitutâ communi conſilio definierunt rem omnium, quæ excogitari poſſint, ſtultiſſimam, brutiſſimam, indigniſſimam, nimirùm vt ſummum Sacerdotem Aaronem adirent, ab eoque Deos ſibi dari poſtularent, qui Moyſis vices per viam agerent, præirentque, & difficultatum occurrentium obſtacula omnia ſubmouerent, quouſque in terram promiſſam penetrarent. Cùm Aaron tam inſignem ſtultitiam audiret, populumque tam perditè flagitioſum cerneret, obſtupuit, petijtque ſibi inaures, cæteraque monilia vxorum, filiarumq; adferri, vt ex his ducem eis conflaret. Hæc autem talibus verbis expoſcebat: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me*; Exodi 32. 2.

Qui Aaronem culpâ (quod ad hanc rem attinet) liberare volunt, ij aiunt, quòd ille monilia mulierum, & filiarum petijt, hoc feciſſe, vt illos à præcipiti, & temeraria ſententia abſterreret, ne operè perſequerentur malum propoſitum, vt interim veniens Moyſes tumultuarios cœci populi animos pacaret: Nam quod tantis impendijs Deus, & dux nouus parandus eſſet, id videbatur eorum ardorem refrigerare, & efficere poſſe, vt à poſtulatis diſcederent, maximè cùm huc peterentur monilia à mulieribus, quæ cùm vanæ ſunt, ac ſuperbæ, non alium Deum tam enixè colunt, & adorant, quàm gemmas, & quæcunque prætereà ad ornatum corporis faciunt, in munditie namq; & lautitia exteriore omnis earum oblectatio eſt poſita, & ad carnis elegantiam curandam, amplificandam, conſeruandam ſtudium omne, cunctaſque commentationes diurnas, ac nocturnas conuertunt, nihilque ferè aliud vel cogitant vigiles, vel ſomniant dormientes, quàm quomodo niteat cuticula, & veſtis ſplendeat, fulgeatque, & ſuaueoleat. Obtinuit ne Aaronis illa diligentia, in-

duſtria,

dustria, solertia? Nihil prorsùm. Vix enim mundum muliebrem, quem dixi, armillasque, & monilia cætera poposcerat, quando inuenit domum suam confertam eiusmodi rebus, ex quibus conflaretur Deus.

Dùm in hanc rem incideret Oleaster, aiebat: *Si ab vxore, aut filia monile auferas ad bonum aliquod, vix totâ die fletum, & turbationem domus compescere poteris, nunc verò tam facilè pretiosis expoliari permittunt ad idola.* Hæc ille in c. 32. Exodi in annot. morali. Eiulatibus, ac vocibus maritum, seu patrem filia, materque obtunderent, si ornamenta ab eis ad virtutis, & pietatis opera exposceret, quibus nudari cum voluptate permitterent, si ad mundi vanitates, ad idoli cultum, & officia dæmonum verti viderent. Hic admonemur, inquit Oleaster, quàm faciles simus ad vitia, & quàm desides ad opera virtutum. *Imperat virtus, & dormimus, annuit vitium, & iam currimus. Vtinam sic se sineret homo à vitijs rogari, quemadmodùm ad opera virtutum.* Cùm tanta sit pulchritudo, & amabilitas Virtutis, eaque nos non tantùm magnis vocibus inclamet, verùm etiam bonorum perdurabilium, & æternorum oblatione inuitet, nihilominùs velut canes sub incude ignauiter stertimus: Peccatum solùm nictat, & lætantes subsultamus, & cursu in eius amplexus gaudibundi properamus, quantumuis ipsum fœdum, spurcumq; sit, quantumuis grandia incommoda, quæ ex illo in nos redundant, quantumuis sempiterna ruina, quam nobis adfert. O Deus quàm felices, ac fortunati essemus, si hoc virtuti amanter obsecranti daremus, quod vitio importunè, & improbè vrgenti concedimus!

Robur his dictis, vtinam non tam veris, neque tam crebro experimento comprobatis adijciet, quod Cordubensis Philosophus Seneca l.3 natural. quæst. c. 27. ait, dicens: *Nihil difficile est naturæ vtique, vbi in finem sui properat. Ad originem rerum parcè vtitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus, subitò ad ruinam toto impetu venit. Quàm longo tempore opus est, vt conceptus ad puerperium perducatur infans? At quàm nullo negotio soluitur? Vrbes constituit ætas, hora dissoluit, momento fit cinis diu sylua.* In his omnibus expressum habemus, inquit Seneca, quanto constet virtus, quàm facilè sit in vitia præcipitium, idem enim quodammodò est, facere opus aliquod bonum, ac educare infantem, excitare vrbem, plantare syluam. Sic & occumbere hominem, in rudera detrahi vrbem, conflagrare syluam idem est, ac peruerti ad vitia, & tradere se peccatis. *Vrbes constituit ætas, hora dissoluit. Momento fit cinis diu sylua.* Sæculum abit, priusquàm ciuitas vna ex suis ædificijs coalescit, diecula vna abolet omnia. Vix mille soles vident montem aliquem arboribus iustè conuestitum, nudari quempiam vna sæpè horula vidit. Plurima diligentia adhibetur, vt vnum opus bonum fiat, & vix permoueri potest homo, vt illi manum admoueat, ad suã perditionem procurandam verbo extemplò permouetur. Si quis illi malè agere consulat peiùs, quàm leuiter, & expeditè obsequitur! quàm facilè paratus est! quàm agilis! quàm perniciter velut celeribus equis abit!

Quæri potest, quamobrem Deus ante legem euangelicam permittere voluerit in mundum tot Prophetas prædicatores, tot præcedere cæremonias, quæ velut in tabula depictum repræsentarent, & præfigurarent aduentum Messiæ, & promulgationem euangelij.

Sanctus Irenæus lib. 4. aduersùs hæreses cap. 34. ait, quòd attentâ, & sapientissimâ prouidentiâ suâ hæc ità disposuit, *multis modis componens humanum genus ad consonantiam salutis.* Quàm pulchrè, & aptè dictum in rem præsentem! Cùm quispiam musicen addiscere cupit, inque eius disciplinam se tradidit, asperamque, & absonam habet vocem, quantùm laborare oportet magistrum, vt illud vocis organum in musices consonantiam adducat? Multo exercitio, & frequente experimento opus est, vt vocem harmoniæ, quam ars requirit, accommodet, nam cùm harmonicus concentus ex interuallis sonorum constet, necessum est attentè, delicatèq; moderari sonum vocis, vt iustam mensuram non excedat. Ad hunc modum, inquit Irenæus, cùm Dominus sciret, quàm ægrè ac difficilè homo se accommodet asperitatibus, & afflictationibus spontaneis, quibus salus æterna comparatur, talesque exercitationes in euangelio promulgandæ essent, æternâ suâ prouidentiâ disposuit, vt per veteris legis Patriarchas, Prophetas, Prædicatores, & cæremonias nonnihil velut emolliretur quidquid durum, & læuigaretur quidquid scabrum, & asperum, & alleuiaretur quidquid graue in vsu virtutum, quidquid molestum in exercitatione bonorum operum, & obseruantia eorum, quæ ex lege euangelica facienda forent, vt ità iustam consonantiam cum vita facerent, quando nouæ illius doctrinæ instrumentum pulsaretur: *Multis modis componens humanum genus ad consonantiam salutis.* Vt vitijs, voluptatibus, vanitatibus seruiat homo, non indiget ante componi, aut præparari,

parari, quò inueniatur iustè temperatus, & ad malè agendum paratus, vix enim sonum fidium audit, iamque saltat, vix illi propinatur, iamque hianti ore respondet, vocari & venire apud illum idem est, tam citus adest, cùm vel nictatione inuitatus.

Satis hoc nostra infelix fragilitas testatur, & proclamat, comœdiarum namq; domus, quibus ex Tertulliani pronuntiato præsidet malus dæmon, plurimùm frequentantur, cùm vix sit, qui nosocomia inuisat, egenisque, & pauperibus charitatis viscera exhibeat, & stipem ministret. Semper abundant, quæ in vilem, ac putidulam amiculam profundantur, honestæ familiæ, & bonæ famæ ratio insuper habetur. Quàm longa videtur Missa, quàm breuis mensa! Quàm prolixa videtur concio, quàm grata murmuratio! Quàm benè nôrunt opulenti domini nudare subditos, vt vestiant suos parietes, & fame conficere liberos, & famulos, vt nutriant canes, & parasitos! Quando defuit valetudo bona, & pecunia ad prosequendam causam iniustam, & inferendam sanguinariam vindictam? Quando benè valent homines, satisque diuites sunt, vt defendant orphanum, tueantur viduam, tegantque, & foueant inopem? Nonné dies, menses, anni alij ex alijs transmittuntur ludis, iocis, recreationibus, vanis, & otiosis obambulationibus, sic vt inter hæc nulla sit vitæ recordatio futuræ? Et mille semper inuenimus infirmitates, quæ ab oratione, peccatorum exomologesi, ieiunio, & pœnitentiæ studio impediant. Vt quis totam noctem compita terat, plateasque obeat, nulla prohibet stomachi debilitas, nulla imbecillitas constitutionis naturalis, nullus dolor capitis, cùm verò semel ieiunandum, nullam non fingimus ægritudinem, nullum non metuimus malum, & incommodum. Omnia hæc extremam nostram vecordiam, & amentiam satis indicant, qui tam anxiè quærimus, & consectamur ea, quæ perniciem nobis pariunt æternam, & tam languidi, tepidi, torpidi, supini, ac tardi sumus ad cõparandos thesauros illos cœlestes.

*Congruit cum his Persocha III. Dominica II post Pentecosten, Tom. 2. pag. 98 o. Vide etiam calcem istius Persochæ, & Persocham V. Sermonis de Siti Tomo 1. pag. 532. o.*

## CAPVT VII.

*Nulla maior malitia, aut crudelior iniquitas, quàm accipere lucrum, & pecuniam pro eo, quod dare ex iustitia debeas.*

IAm se aperire incipit sordida auaritia, atque vt meliùs dicam, suprema iniustitia, quâ idololatra auunculus ergà catholicum consobrinum suum vsus fuit. Addicebat hic sese septenni seruituti pro formosa Rachele adipiscenda, vixq; id fecerat, quando ille sic annuit pactioni, vt magnum se beneficium præstare indicaret admittendo fœdus, seu conuentionem, aitque, post exactos oblati famulatus annos velle tradere filiam, inquiens: *Meliùs est, vt tibi eam dem, quàm alteri viro,* Genes. 29. 19 & si alicui aliquando collocanda, qui sit dominus illius venustatis, & pulchritudinis, cur non te omnibus antеferam, qui mihi proximæ cognationis necessitudine es coniunctus? *Mane apud me*; ibid. viue mecum domi meæ, serui annos, quos pollicitus es, statimque opere explebitur connubium.

Omnes Expositores annotant hîc iniustitiam Labani ergà Iacob. Cùm enim dotem, quæ marito cum vxore datur, vt matrimonij onera ferre leuiùs posset, numerare, ac dependere deberet, non solùm hoc leuamen Labanus Iacobi cùm filia non præbuit, verùm etiam eò progressus fuit, vt vellet ab ipso Iacobe futuram vxorem dotari, & cum septennis seruituris graui pensione acceptari. *In hoc grauauit Laban Iacob*, inquit Tostatus Episcopus Abulensis, *quia cùm debuisset ei dare Rachelem, vel Liam, non solùm eas dare debebat, sed etiam dotes earum, sed nihil dedit, coëgitque magis pro aliquali substantia ad sustentanda onera matrimonij maiori vltrà tempore seruire, scilicet septem annis, quibus finierat pro filiabus.* Vbi sese aperit malitia, & iniustitia insignitissima, & infamissima, & quá, vt mihi quidem videtur, alia turpior, crudeliorque excogitari non possit, quæ in eo posita est, & consistit, quòd quis pecuniæ pretio illa vendit, quæ ex iustitia, & officij sui obligatione facere deberet. In quos hæc dicantur, qui non intelligat, næ ille cœcus sit.

Sanctus Paulus vt erat prædicator Gentium vniuersalis, ità probatum dare volebat, quàm purè, integrèque suum administraret officium, aiebatque, se, sociosque suos (qui eius exemplo excitati prædicationi operam dabant) non facere, quod alij innumerabiles agebant, qui verbum diuinum, & euangelicam adulterabant doctrinam: *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo coram Deo, in Christo loquimur*; inquiebat 2. Corinth. 2. 17. Deus bone, quàm multa hîc paucis Apostolus complectitur! Non est verbum, quod non sua plurima pondera habeat, vt hinc æstimare liceat, permagni momenti fuisse, quæ scribebat, cùm tam grauiter ea exaggeret, duobusq; cum iuramentis affirmet, quæ vt nos indubitatò crederemus,

mus, hoc solùm facere potuisset, si nudè modò, simpliciterque asseuerasset. Quòd verò iuramento semel, & iterùm eadem confirmare voluit, hoc mirum est. Dicit ergo sacer Apostolus: Nos, qui apostolicè prædicamus, non sumus multorum similes, qui adulterant verbum Dei, sed purum, sincerumque illud ministramus, sicut ministri Domini. Et quòd hæc ità habeant, coram Deo teste, & in Christo filio eius loquimur.

Causam præsentem solùm iuuat scire, quid sit adulterare, siue falsare verbum Dei: *Adulterantes Verbum Dei*; in hoc quippè vocabulo expendendo multùm laborârunt studiosorum ingenia Interpretum. Sancti Ioannis Chrysostomi commentatio, vt varias aliorum expositiones prætermittem, luculenta est, & trita, qui ait, adulterare hic esse, *cùm quis pecuniâ Vendit, quod gratis dare debebat*, cùm quis absque certa mercede, aut lucro agere recusat, quod gratuitò agere tenebatur. Hoc vocat S. Paulus adulterium ex sententia Chrysostomi.

Magnum est adulterij nefas, & grande piaculum, quod antiquitùs non leuiore pœnâ, quàm ignis mulctabatur, vt constat ex sententia Iudæ, quam contrà nurum suam Thamarem pronuntiauit: Nam cùm de adulterio apud illum accusata, & conuicta fuisset, inquiebat: *Producite eam*, & in publicum forum abripite adulteram mulierem, *Vt viua comburatur*; Genes. 38. 24. Tantum est adulterij scelus, tam immane flagitium, vt veteres putarent fœditatam eius solo incendio expiari, & aboleri posse. Et si ex grauitate pœnæ arbitrari possumus atrocitatem culpæ, videte quàm sit enorme adulterij crimen, quod solo ignis sæuo tormento plectebatur. Sed ad rem. S. Paulus vocat adulterium, *cùm quis pecuniâ id Vendit, quod dare debebat*, ob eam sine dubio causam, vt culpæ illius grauitatem tali verbo exaggeraret. Nam si adulterij scelus tam horribile fuit, vt ignis pœnâ castigaretur, videtur dicere voluisse Apostolus: Tam sinceri, puri, & recti sumus in administratione nostri officij, in prædicatione euangelij, vt cùm gratis acceperimus munus apostolatus, etiam gratis impertiamus gratiam doctrinæ. Si enim pro pecunia venderemus, quod nobis gratuitò est concessum, videremur quoddam velut adulterij flagitium perpetrare, eoque casu mereremur viui subiectis ignibus exuri. At si pro numis venundare, quod gratis dari debebat, tam immane nefas visum est Apostolo, quòd nomen imponeret illorum improbitati, qui pecuniam admittunt pro eo, quod non modò gratis dare debebant, verùm etiam ex iustitia facere tenebantur? Si viuus pyræ impositus conflagrare debebat, qui primum faciebat, facile est intelligere quod supplicium promereatur, qui alterum tyrannicæ iniustitiæ scelus incurrit, & pecuniam pro eo accipit, quod ex iustitia facere tenetur.

Homo quidam locuples, quod apud S. Lucam ait Dominus, permagnificum apparauit epulum, quod vt per omnia magis splendidum esset, voluit multos esse conuiuas, qui læti, hilaresq; opulentum, quàm lautum, ac dapsile conuiuium festiuè celebrarent. Eapropter fidum emisit seruum, vt plurimos aduocaret, qui sumptuosæ mensæ accumberent, & festæ præparatorum ciborum celebritati assisterent. Abijt seruus, cùmque varios inuitasset, excusârunt se homines rustici, ac barbari. Et alius quidem ait, villam emisse, necessúmque habere ire, & videre eam, alius verò inquit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa*; Lucæ 14. 19.

Hæc est quædam parabola, quam Interpretes variè exponunt. De cœna illa, & conuiuio aiunt hi quidem, eâ significari gloriam æternam, alij verò augustissimi Sacramenti quandam delineationem esse, & in illis inurbanis hominibus, qui oblatam tantæ cœnæ refutârunt gratiam, varia sceleratorum genera adumbrata. De illo, qui iuga boum quinque emisse dicebat, inquit S. Gregorius, & B. Augustinus, & venerabilis Beda, in quinque iugis boum totidem sensus humani corporis indicatos, quorum nomina etiam rudes pueri non ignorant. Sed hic notandum, quòd is, qui se excusatum petebat, aiebat: *Iuga boum emi quinque.*

Venerabilis Abbas Gilbertus serm. 25. in Cant. ait: *O stolida anima! non indiges emere, quod gratis innascitur.* O delirationem insignem, & brutam amentiam! O insensatam animam, quæ hoc suis numis vult comparare, quocum nata est, quodque gratuitò illi concessum! Conficiamus hinc argumentum. Si stultitia est, nec qualiscunque, velle pecuniâ emere, & soluere illud ipsum, quod quis habet, gratisq; datum accepit, nonné crudelis iniustitia sit, velle quæstum ex eo facere, quod gratis dare, & facere ex iustitia debeas? Nemo inficias ire poterit.

Sanguinarium edictum iniquus, & barbarus Pharao fecit, publicâque sanctione decreuit, ne quis sub ineuitabili vitæ pœna domi suæ Hebræorum infantem aliquem masculum occultare, & seruare absconsum auderet. Vt verò generis huius arborem prorsùm siccaret, extingueretque, obstetricibus Ægyptijs sub eodem certo capitis discrimine mandauit, vt quoscunque Hebrææ mulieres masculos eniterentur,

tererentur, eorum sanguinem, simulac nati essent, funderent. Nascebatur inter hæc Moyses, cùmq; illum mater eius, quòd tam pulcher, & elegans esset, videret, trimestri abscondit. At dum cogitaret, fieri non posse, vt formosum pignus diutius lateret, adornauit fiscellam scirpeam, & liniuit bitumine, cui impositum infantem Nilo copioso flumini exposuit, prouidentiæque Dei, qui optimus nauarchus est, & felicissimus gubernator, illum commendauit. Descendit ad fluuium filia Pharaonis, vt eius aquis sese ablueret, cùmque oculis in admirabilem nauiculam fortè incidisset, misit vnam è famulabus suis, quæ rem è proximo attentiùs arbitrata, qualis qualis esset, referret. Narrauit hæc, quod erat, cùmque filia Pharaonis allatum in fiscella vidisset infantulum, tenerum illum, & venustulum, vagientemque misereretur pupulum, ac diceret, ex Hebræis parentibus esse oriundum, soror infantis Maria, quæ solicitis fragilem lembum prosequebatur oculis, accurrit, & filiam Pharaonis appellauit, inquiens: Visné vt Hebræam tibi accersam mulierem, quæ venustum hunc enutriat puerum? Respondit illa, velle. Abijt illa quàm celerrimè, suamque, ac pueri matrem adduxit, ad quam Thermutis filia regis ait: *Accipe puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam*; Exodi 2. 9.

Notauit in hoc facto Oleaster, quod in alijs similibus damnari debeat, in matre autem Moysis iustam habet excusationem, & absq; peccato fuit. Quid est, quod egit Moysis mater? Pecuniam pro educatione proprij filij accepit. Quodnam est officium bonæ matris? Alere suos liberos, aut alias suis impendijs conducere nutrices, si præbere alimoniam ipsa non possit. Hâc autem occasione contrarium factum est: *Nam famula matrem suam pretium habere voluit pro eo, quod iure naturæ tenebatur facere*; inquit Oleaster ibi in annot. morali. Et nisi periculum, quod sibi parasset, si matrem, quod erat, se prodidisset, illam excusaret, quo loco actionem hanc constitueremus? Turpem malitiam, & indignè factum clamaremus. Quanta ergo malitia, & quàm graue scelus illorum hominum, qui accipiunt pecuniam pro eo, quod gratis dare, & iure naturæ, atque ex officij sui obligatione facere tenentur? Dicant ibi quidam Theologi, quod volunt. Mihi certum est, quòd mecum sentient, quicunque rem ad lucem veritatis, & non in tenebris suæ priuatæ vtilitatis, commodorumque propriorum examinabunt.

Timens Isaac, ne imparatum illum mors inuaderet, vocauit filium suum Esau, vt supremam ei benedictionem daret, simulque cum illa traderet priuilegia omnia, & immunitates primogenitis debitas, quæ non erant paucæ, vt affirmant Vatablus, Pererius, Honcala, Martinus del Rio, & alij Expositores. Accersitum ergo filium iubet sumere pharetram, & arcum, & abire in campum, & si quid venatu acciperet elui commodum, pulmentum inde facere, sic vt velle illum nosset, & post allatum, paratum, exhibitumque cibum in vicem expectare paternam benedictionem, quacum fiebat quædam velut donatio omnium gratiarum, & donorum, quibus primogeniti gaudebant. *Affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequàm moriar*, inquiebat Genesis 27. 4.

Peruulgata quæstio est, quamobrem Isaac imperauit filio suo Esau, vt cibos illi ministraret, antequàm acciperet benedictionem, quâ declararetur legitimus hæres omnium indultorum, & gratiarum, quæ primogenitis erant constitutæ.

Nicolaus Lyranus ait, eam ob causam voluisse sibi à filio ministrari cibos priùs, quàm ipsi benediceret, *quia filius recipiens benedictionem debebat priùs patri facere obsequium, & seruire in mensa*.

Doctissimus Pererius sententiam Lyrani tali censurâ perstringit: *Vnde hoc acceperit Lyranus haud equidem scio*. Et meritò suspecta debet esse ea ratio. Nam cùm pater iure naturæ teneretur ius illud transferre, pessimi exempli fuisset, pretium qualecunque pro tali re admittere, & vel cibum aliquem accipere pro eo, quod ex iustitia dari debebat. Quòd ergo ante cibos à filio expetijt, quàm illi benedictionem impertijt, hoc alias ob causas factum, quas apud Sanctos Augustinum, Gregorium, & Thomam videre licet. Itaque si absque fundamento dictum est, Isaacum, vt filio suo benedictionem daret, voluisse priùs obligari ciborum oblatione, talique officio deuinciri, & permoueri ad hoc faciendum, quòd ea res scandalosam consuetudinem introduxisset admittendi vel lautitias aliquas, quibus excitaretur ad præstandum, quod dare alioquin ex iustitia debebat: Quanta iniustitia simul & malitia fuerit, accipere commodum, & petere numos pro eo, quod ex obligatione dari, & fieri ex officio, & iustitia debet? Cùm Deus è supremo tribunali rationem huius sceleris exegerit ab eis, qui illud perpetrârint, tunc intelligent magnitudinem eius, grauitatemque agnoscent.

Verùm vt etiam nunc aperiamus aliquid eorum, quæ in illo horribili, & recto tribunali patefient, audiamus quid de hac materia dicat magnus ille Orientis

rientis Imperator Basilius dictus Philosophus, in quibusdam institutionibus, quas Cæsareæ maiestatis suæ successori, vt laudabilis, & rectus Princeps esset, reliquit. Mos tunc fortè obtinuerat, vt aliquanta pecunia acciperetur pro officijs tam gratiæ, quàm iustitiæ, vt pro officio Auditorum, Accensorum, Scribarum, Præsidum, Prætorum, Rectorum, Quæstorum, & aliorum huiusmodi. Cùmque prudens, & zelosus hic Princeps videret, quàm damnosa esset ea consuetudo, quàmq; & varia, & grandia incommoda in Rempub. manarent ex infernali sententia eorum, qui pro talium officiorum concessione munera, & pecunias rectè admitti posse affirmabant, ità filium suum monebat: *Auro, & muneribus venales honores, & dignitates caue ne habeas, sed eas dignis largire gratis. Qui enim magistratum pretio emit, subiectos illi magistratus magis emit, vt muneribus, quæ dedit, fretus ipse audacius munera capiat.* Hæc ille in exhort. ad filium c. 43. tanquàm explicatiùs dixisset: Cura fili, si monarchiam tuam in pace gubernare, & vigorem conseruare iustitiæ cupis, vt custodiantur leges, defendantur pauperes, nulla ministris per tyrannidem potestas concedatur, non enim debes administrationum, magistratuum, officiorum dignitates habere expositas ad modum officinarum mercatoriarum, in quibus qualitati panni respondet quantitas pretij. Absit vt audire feras, talis loci præfectura tanto prostat, tale officium tanto venale est, pro illius ciuitatis prætura tantum argenti pendi, pro illo consulatu tantum numerari debet. Hoc verò studiosè age, vt explores idoneos, inquiras benemeritos, & hos alijs præferas, officijsque gratuitò dones, quos ingenio, prudentiâ, talibusque rebus præstare videris, vt sic rectè procurent iustitiam. Qui enim pecunijs sibi parat magistratum, ille faciet, quod mercatores solent, emetque, vt vendat. Et qui mercatur Præturam, Consulatum, aut aliud quoduis officium, quid faciet, quàm vt & is, qui lite contendit, & qui ambit aliquid, seu pauper ille sit, seu diues, & omnes denique, quotquot suæ iurisdictioni habet subiectos, ipsi pretium dependant, velut ille Principi suo dependit? *Vt muneribus, quæ dedit, fretus, ipse audacius munera capiat.* Putabis fortè, fili, quòd ex officijs certo pretio venditis opulesces, & facultatum incrementa facies & augescet fiscus. Sed aduerte, quòd hinc magis euertis, perdisq; fortunas tuas, redigis namque in paupertatem subditos, quos deglubunt ministri, qui præfecturas suas à te emerunt. Perspicuum enim est, quòd damnum pecuniæ, quam pro adipiscendo magistratu tibi numerârunt, resarcire volent, eoque prætextu sumptuum emptionis recuperandorum aperientur fores subornationibus, muneribus, furtis, & alijs improbitatibus, quas illi committunt, & ministris inferioribus permittunt. Et velut tu inuenies Theologum, qui tibi dicat, quòd possis accipere pecuniam pro dignitatibus, quas concedere ex iustitia debes: Sic illi reperient Confessarium, qui consulat, vt quod à te sibi fieri vident, hoc ipsi faciant alijs. Hinc nascentur in tuo imperio perturbationes, scelera, flagitia, quibus tu occasionem præbebis falso illo prætextu necessitatis, quâ cogaris vendere magistratus, cùm potiùs deberes augere salaria tuorum ministrorum, vt illi sic maiore curâ administrarent iustitiam, aut si id prætermitterent, iustissima de causa illos castigare, cutesque eorum detractas tribunali ad terrorem, emendationemque aliorum exponere posses. At si tu illos ante deglubas, quid mirum, quòd ipsi excorient alios? Videant ergo Principes, quomodo officia distribuant, & animaduertant damna, quæ inde resultant, quòd pretio vendantur, quæ dari ex iustitia debent. Nam si quidquam aliud est, quod pro felici statuum, ac regnorum bono regimine diligenter attendi oporteat, illud, meo quidem iudicio, maximè necessarium est, vt in quo consistit recta iustitiæ administratio, quæ virtus maxima ad conseruandas monarchias habet momenta, quòd experientia, sacrum oraculum, literæ diuinæ pariter, & humanæ clamant.

## CAPVT VIII.

*Nescit quid sit amor, qui laborem sentit, paradisus namq; eius, qui amat, est, fatigari ex his, quibus dat operam.*

QVanquàm longum erat septem annorum & tanti laboris spatiũ, septennĩu tamen illud non maius septiduo Iacobti videbatur, breueq; tẽpus, & leuem laboré, & facilé pactionem putabat quoties ea conferebat cũ flagranti amore, quo animus illius occupatus formosam Rachelem demoriebatur: *Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine*; Genes. 29. 20. Vbi interpretes, cùm in hunc locum incidunt, notant potentiam amoris magnam, & vires, quas pectori infundit, quod inuadit, nec enim est mare, quod non sulcet, nec mons, quem non complanet, nec ignis, quem non oppugnet, nec incommodum, quod non contemnat, vel conterat, nec impossibile, quod non tentet. Ità sentit Abulensis, quando obseruat, quòd Iacob tam promptè, lætanterque suscepit septennis

ptennis seruitutis duros, ac diuturnos labores, vt formosam ouium custodem nancisci posset, neque lubens tantùm suscepit, verùm & exiguos, breuesque, ac leues, præut illam deperibat, existimauit: *Nullus enim labor magnus videtur amanti, ignes non timet, niues spernit, gladijs se opponit, & omnia pericula sibi grata reputat;* inquit ille. Quidquid alijs durum, molestum, operosum, hoc illi voluptas est, & deliciosus paradisus.

Ambulabat cœlestis Reparator orbis super aquas procellosi maris cuius tépestuosá incóstantia illi pro terra plusquàm firma, & immobili erat. Agnoscebat Petrus charum suum Magistrum, cupieniq; amabili, & dulci ei⁹ præsentiá è loco viciniore gaudere, facultatem petebat, vt ipsum conuenire, potentesq; illius plantas, quæ de infidis fluctibus tam gloriosè triũphabant, exosculari posset. Impetrauit Petrus, quod voluit, obtentâq; veniâ *ascendens de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum;* Matth. 14. 29. Coniecit se audacter in mare, vt propiùs charum suum Dominum Iesum esset, eiusq; consuetudine propinquiore vteretur. Perattentè considerauit Sanctus Mediolanensium Archiepiscopus Ambrosius deliberationem, & facinus illud Petri, aitq; quomodo fieri potuerit, vt se auderet credere mari, cuius paulò ante expertus fuerat rabiem, & feritatem, quando *nauicula in medio mari iactabatur fluctibus;* ibid. v. 24. ijsq. tantis, vt tempestas tum ipsum, tum illius socios in præsentaneum adduceret periculum. Quod cùm ità sit, quomodo tam citò oblitus fuit discriminis, in quod nauiculam ventus aduersus coniecit? Quomodo ibi figere pedes ausus fuit, vbi tam certam potuit cogitare, & timere submersionem? O si amares, mi homo, inquit Beatissimus Ambrosius, profectò nunquàm Petrum simili obiectione conuenires, non solùm si in aquas sese conijcientem conspiceres, sed etiam insilientem in flammas videres. Quò enim tendebat Petrus? Ad suum charissimum Dominum: *vt veniret ad Iesum.* At si iter ferebat ad fruendum re amatâ, quid mirum quòd se in mare dedit, quòd sæuitiam fluctuum eius comtempsit, quòd iram eius, furoremq; spreuit, & quòd via illi facilis, & plana visa fuerit? Quis amantem vidit ignauum, meticulosum, pusillanimum?

Audiamus Ambrosium ex serm. 16. de Sanctis: *Non videbat Petrus, vbi pedum vestigia poneret, videbat autem vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare. Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respicit elementum.* Dum in Christum figeret ocul-los, non formidabat, nec recordabatur voracem illam, & insaturabilem bestiam, mare dico, quæ illum vorare, & fluitantibus suis visceribus haurire poterat, amantem enim, cui præ oculis est, quem diligit, non terrent maria, non debilitant metu ignes, non exanimant districti gladij, non fugant pericula quantumuis magna, & euidentia.

Amarè lugebat diuina Pœnitens, & solicita perquirebat sacrum chari Magistri sui cadauer, atque ille, ne tam diu afflictam eam, & absq; solatio relinqueret, vtque dolorem mœrentis mitigaret, apparuit explorabundæ, sed alienâ hortulani specie tectus, & propriam, de qua agnosci poterat, formam dissimulans. Interrogabat autem illam, quid tam acerbè deploraret, quid tam anxiè indagaret in illo horto, quem oculorum ipsius fontes magis, quàm alia decurrentis fluuij aquæ rigabant. Magdalena rata eum, qui loquebatur, non alium esse, quàm qui videbatur, hæc ad illum affectuosè, humiliterque dixit: Domine, si tu fortè sustulisti pretiosum corpus, quod ego solicita inquiro, dicito mihi vbi posuisti, ego enim illud humeris excipiam, ego diuiti, ac sumptuoso monumento inferam, ego altum, sublimeque mausolæum erigam, quod sit venerabilium reliquiarum eius sacrum depositum, cæleste ærarium.

Tanquàm coram præsens adfuisset magnus Origenes, tristemque, & lacrymosam Mariam talia dicentem audisset, sic eam appellat serm. 10. de Diuers: Vide Domina, quid loquaris, & quantum viribus tuis sint superiora, quibus teipsam offers. *Ego eum tollam*, inquis. Itané loqueris! Hoccine affirmas! *Si corpus Iesu positum est in atrio Principis sacerdotum, in quo princeps Apostolorum calefaciebat se ad ignem, quid factura es?* Quid factura sim rogas! *Ego eum tollam.* Quid si militibus custodiendum traditum est, crudelibus, inquam, ijs, & efferatis, & infernalibus lictoribus, qui ausu dæmoniaco ipsum probroso illi ligno affixerunt, gladijsque, & lanceis, & bipennibus, & armis alijs prohibent aditum, ne quis adire propiùs queat, *quid factura es?* Hoccine interrogatur ea, quæ amet? *Ego eum tollam*, ingrediarque animosa per medios districtorum gladiorum mucrones, irrumpam, impetuque ruam per minacia tela, & præpilatas ferocissimorũ, & sanguinolentissimorum satellitum hastas. Quid si fortè opulentus ille thesaurus, quem tam studiosè scrutaris, vel in profunda maris abysso, vel in absconsiore terræ centro, vel in editissimo cœli fastigio sit repositus,

quid

*quid factura es?* quid consilij capies? *Ego eum tollam,* Seu pelagus illum hauserit, & in ventres immanissimorum cetorum demiserit, seu terræ centro asseruandus creditus sit, si cœlo supremo illatus, tametsi ardentissima ignis regio in medio sit, penetrabo tamen, & vbi vbi demùm fuerit, *Ego eum tollam.*

Exclamat Orig: *O ineffabilis huius mulieris amor! ô mirabilis mulieris audacia! O mulier non mulier! nullum locum excipit, nullum anteponit, sine timore dicit, absolutè promittit, Ego eum tollam.* Non terræ profundo, non abyssi periculis, non cœlorum inaccessâ altitudine deterretur, quò minùs tentare ea loca velit, vt inde humeris iniectas auferre dominici cadaueris diuinissimas reliquias queat, dummodò inueniat. Vt enim vera, ardensq; amatrix erat, sic illi assentatiuncula videbatur quoduis discrimen, & periculum omne voluptas. In igne quippè maximorum periculorū aurum veri amoris, eiusq; veritas, puritas, atque integritas quàm maximè se prodit. Qui namq; se verè amat, omnibus se difficultatibus animosè, intrepideque exponit.

Dictis vires adijciet id, quod Diogenes Laërtius, qui veterum Philosophorum historias conscripsit, refert, estque ferè huiusmodi. Interrogati Athenienses de nomine, quod accommodatissimum Amori fore putarent, postquàm diu secum altercati varios expendissent titulos, qui in illum quadrare videbantur, sed proprietates eius non satis exactè exprimebant, demùm vnum repererunt epithetum, quod significandis illius qualitatibus, & conditionibus aptissimum putàrunt. Itaque propositæ quæstioni sic responderunt: *Amor pro nomine* annuens *vocetur.* Annuens idem est, quod omnibus assentiens, der zu allem Ja sagt. Admirabilis reuerà titulus, & qui aptiùs in neminem, quàm in amantem cadat. Effusissimus, & maximè prodigus homo non concedit semper omnia, quæ rogatur, non occurrit omnibus, quæ petitur, Valentissimus nonnūquàm debilitatur. Ingeniosissimus non semper superat obscuritatem alicuius difficilis quæstionis. Prudentissimus, & consultissimus non semper ità comparatus est, vt rectè de omni re quouis tempore pronuntiet. Facilis ad risum, hilari, & iucundo, promptoque ad honestos iocos animo non semper exporrigit frontem, non semper remittit supercilia: At qui verè, & integrè amat, semper idem est, omni occasione ad omnia promptus, quià est *annuens*; omnibus assentiens, vt Maria Magdalena, gladijs, spiculis, tormentis æneis, machinis fulminatoribus intrepidum pectus animosè obijcit, cuicunque temporis inclementiæ sese accommodat, nemini quidquam negare nouit, gratificari omnibus quantum potest, studet.

Nam vt sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 55. in Genes. ait: *Quando quis sauciatur charitatis desiderio, nihil difficile spectat, sed id, quod fuerit plenum periculis, & multâ miseriâ, leuiter fert, vnum hoc videns, quomodo suo potiatur voto, & desiderio.* Quem Cupido flammantibus telis suis sauciârit, nihil illi arduum videtur, acutos tribulos, hamatas, & aculeatas spinas pedibus nudis tam voluptuosè calcat, quàm alius viridem herbam, & fragrantes rosas possit. In asperis, durisque ruderibus, & sordibus tam placidè dormit (si tamen dormire possunt, qui amant) ac si in mollibus, suaueolentibus rosis cubaret, ad eos enim, quos amat, oculus animusque illius tantùm vadunt, quorum cogitatione pascitur, & sagittis dulciter vulneratur.

Descendit ardens quidam Seraphin è throno illo excelso, & eleuato, manu præferens viuum carbonem, quem forcipe aureâ ex altari acceperat, admouitque labijs vrbani Prophetæ, vt ea mundaret, inquiens: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*; Isa. 6. 7. Cùm antè questus esset Isaias, non se tam puris esse labijs, ac cuperet, nunc illum consolabatur ardens spiritus, dicens, eâ admoti carbonis operâ sic esse emaculata, & perpurgata eius labia, vt contendere de munditie, & candore cum niue possint. Posthæc statim aiebat Dominus, qui sublimem illum thronum occupabat: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* ibid. v. 8. quem ablegabimus, vt duro isti, ac peruicaci populo prædicet? Respondit animosè Propheta: *Ecce ego, mitte me*; ibid. velut dixisset: Cùm ego hîc adstem, tu verò sis ille, qui hoc imperet, quid obstat quò minùs ego sim ille, qui ire debeat?

Vellem hîc sciscitari ex sancto Propheta, noueritné populum, cum quo illi negotium futurum, & cui turpia sua vitia exprobraturus erat, vt tam proiectè, celeriterque huic se muneri offerret. Perspicuum est nouisse, exordiebatur enim sermonem suum, priusquàm iterùm abire iuberetur à Domino, arguebatque eos, quòd ingrati, parùm vrbani, immò subrustici essent, & bestijs oppidò deteriores, & brutis magis bruti, eò quòd tardus bos suum possessorē, & insulsus asinus præsepe domini sui cognouissent, filij autem Israël velut ignari essent Dei sui, è cuius liberalibus manibus tam innumerabilia beneficia recipiebant: *Israël me non cognouit, & populus meus non intellexit*; ibid. c. 1. v. 3. At quomodo rursùm sese offert officio prædicandi ijs hominibus,

bus, exploratam habens eorum duritiem, pertinaciam, obstinationem, contumaciam, sciensque manifesta pericula, quibus se exponebat, dum ad illos Ecclesiastes abibat?

Respondet sanctus Basilius Magnus in cap. 6. Isaiæ: *Nihil inuitus seipsum permisit Deo, perq; exuberantem charitatem se iniecit medium subeundis periculis, nihil secum reputans eorum, quæ sibi irroganda essent à populo mala.* Erat cor sancti Prophetæ qualis Ætna quædam flagrans, sed amoris ignibus, cuius etiam labia ab ardente carbone inflammata fuére, & velut perfusa ardore, quoniam pectus æstuabat. At si animus illius ità flagrabat, & cor tam viuis prunis charitatis subiectis ardebat, quid mirum quòd pro honore, & gloria Domini sui nulla cogitauerit, vel curauerit incommoda, nulla extimuerit pericula, quæ sibi occurrere posse non ignorauit? *Per exuberantem charitatem se coniecit in medium.* Vix audierat vocem Domini sui, quando velut leo quidam in medias se discriminum flammas coniecit. Charitas enim, & metus nunquàm conuenerunt, neque ex eadem mensa, vt dicitur, simul comederunt amor, & ignauia.

Confirmet dicta Magni Basilij magnus quidam illius filius, sanctus Gregorius Papa, qui de charitate loquens sic ait apud Hugonem Cardinalem in Ps. 24. *Machina cordis vis amoris.* Benè expressit ijs verbis Doctor sanctus magnam violentiam amoris. Quando siue muniendi, siue exornandi ædificij necessitas postulat, vt ingens aliquod, vastumque saxum ad locum illius editiorem subleuetur, quod humeris in locum sibi conuenientem efferri nequeat, inuenit ingeniosa hominum industria instrumentum quoddam, seu machinam volubilem, quam viri pauci dùm ineunt, & gyrant, ac velut conuoluunt, immanes lapides, & grauissima saxa tam leuiter attollunt, ac si exiguus lapillus esset. Huc allusisse videtur sanctus Gregorius, cùm ait, *vim amoris esse machinam cordis.* Amor enim cor, quocunque libet, transfert, & attollit. Nonné hoc experimento quotidiano discimus? Auarus, cuius tam graue sẽper, & durum cor, manus autem, ac si congelauerint, tam pigræ, & torpentes ad dandum, si pectoris sedem amori semel concedat, & permittat, quàm facilitèr à sordida parcitate ad generosam liberalitatem transfertur, aut transit ipse! Timidus, & ignauus, quem leuissima vmbra exterret, nonné est ferox, & Mars quidam bellicosus, simulac sub Cupidinis vexillis militare incipit? Quis negare possit? Qui furiosè rixatur, & cæcatur irâ, nonné mitescit vt agnus, tigridisque feritatem facilè deponit, cùm eam videt, quam deperit? Per momenta singula id experimur. Quis has facit mutationes? Quis corda ista sic mouet? Quis subleuat illa tam grauia saxa? Amor, cuius vis est machina sursùm attollens quantauis pondera: *Machina cordis vis amoris.* Vbi amor regnat, non est periculum, quod exterreat, neq; discrimen, quod adferat metum.

In cœlo inueniemus scriptam hanc veritatem, si consulamus Marsilium Ficinum, qui tam doctè de hac amoris heroica passione scripsit, aitque, duos Veneris, & Martis planetas tam mystico ordine esse collocatos, vt nunquàm Venus Martem sequatur, sed Mars potiùs Veneris præcurrentis vestigijs insistat: *Mars sequitur Venerem, Venus Martem non sequitur*, inquit ille in Conuiu. Plat. cap. 5. Orat. 8.

Quid hac secretâ, & tam admirabili dispositione istorum planetarum monemur, per quàm sit, vt nũquàm Venerem Mars præcedat, nec Martem Venus sequatur, sed Veneris Mars semper sit à pedibus? Mars est Deus fortitudinis, belli, & furoris. Venus est amoris dea, quæ illaqueat corda, & inflammat pectora, vt coniunctionem faciat animorum. Quòd ergo Venus, quæ est amor, non sequitur Martem, qui est furor, bellum, fortitudo, sed econtrà Mars sequitur Venerem, eo significatur, non nasci amorem ex audacia, sed audaciam oriri ex amore: *Quoniam audacia amoris pedissequa est, non amor audacia, non enim ex eo, quòd audaces sunt, amore homines illaqueantur, sed ex eo plerumq; quòd amore saucij sunt, audacissimi fiunt ad quæq; pericula propter amatum intrepidè subeunda.* Hæc ille iterùm, vbi suprà. Non est legitima consequentia (inquit Florentinus iste Platonicus) si ità argumenteris: Iste homo est Mars quidam, ergo est Cupido, aut Venus, quià Venus, & Cupido non sequúntur Martẽ. Verùm si sic dicas: Iste est Cupido, aut Venus, ergo bellicosus Mars est, rectè intulisti, verus enim amans est animosus, impauidus, generosus Mars, qui omnia pericula subit, & nullæ sunt discriminum turmæ, quæ illum perterrefaciant, vt non audacter, atque intrepidè eas aggrediatur, & inuadat. Ex talibus namque agnoscitur verus amor.

Et hinc volo æstimet noster Politicus suum ergà Deũ amorẽ, vt tunc illũ sincerè diligere intelligat, si multa pro illo & faciat, & ferat. Si in ijs rebus,

quæ

quæ concernunt Dei honorem, & gloriam, inuenit difficultates, & impingit, offendit, terretur, si lex Dei illi est grauis, & iugum mandatorum ipsius, officiorumque, quæ profitetur, molestum, inditio est, in fornace pectoris illius exiguum esse, & parùm ardere igniculum.

# LIBER TERTIVS.

## CAPVT I.

*Beneficia Domini nunquàm dantur sine pensione, neque calamitatis pensione quenquam grauat Deus, quem non beneficij alicuius donatione leuet.*

POstquàm inclytus Patriarcha noster illam tam grauem fraudem passus est, introductâ ad ipsum Liâ filiâ maiore, pro qua non seruierat septem illos ex pacto constitutos annos (perfidus enim auunculus tenebrarum adminiculo visus lippam, & turpiculam pro venustula, & formosa supposuerat) tantamq; concoxisset iniuriam, & animo pacato esset, & ambas accepisset vxores, factum est, vt minor ex ordinatione, & dispositione Dei esset sterilis, & fœcunditatis gratiam haberet, cui gratia formæ elegantioris negata fuerat, hæcque quatuor ex ordine fructus pulcherrimos ederet, qui fuerunt Ruben, Simeon, Leui, & Iudas. Interim venustioris Rachelis sterilitas perdurabat, quam tametsi pulchritudinis dote Dominus ornauit, onerauit tamen hoc beneficium pensione sterilitatis, cùmq; Liam pensio turpitudinis grauaret, beneficio fœcunditatis eam pensionem Deus tolerabiliorem fecit. Exclamat hîc Salomon Hispanus Tostatus: *Ecce quanta diuina sapientia in rebus ordinatio!* Considerandum quàm sit attenta, & peruigil Dei prouidentia ergà suas creaturas, & hoc primùm, quòd eas vt pius pater regit, & gubernat, deinde istud, quòd beneficia, ne in superbiam excitent, onerat certâ pensione, vt humilient eum, qui illa recipit, rursùmq; pensiones, ne hos, quibus imponuntur, pusillanimes reddant, prosequitur certis beneficijs, quæ illos subleuent, & exhilarent. Sic pulchritudinem Rachelis, ne illa inde arrogans fieret, correxit, & temperauit sterilitate, & Liam, quæ se contemni propter oculorum fœditatem deplorabat, consolabatur concessione vteri fœcundi, & vt omnia tandem benè disponerentur, cùm quartum filium Lia fertilis enixa esset, *cessauit parere*, Genes. 29. 35. ne à crebriore conceptu & vterus, & animus simul intumescerent, & plus superbiret ex tam copiosa vbertate fructuum benedictionis, quàm humiliaretur ex turpi lippitudine oculorum. Et quoniam Rachel faciliùs desperationem incurrere poterat ex longiturna sterilitate, quàm insolescere ex natiuæ elegantiæ liberalitate, & formæ venustate, consolabatur eam Deus fœcunditate. Huic autem beneficio portam posthæc iterùm clausit, vt eam intrà modestiæ cancellos contineret, & Liæ, vt eam rursùm erigeret, suam reddidit feracitatem, alternâque illâ vicissitudine sapienter effecit, vt nec esset absq; pensione beneficium, nec absq; beneficio pensio, vt sic ex altero humiles, gratæ ex altero manum supremi benefactoris potentem sentirent, & agnoscerent. *Lia, quæ anteà omnibus contemptibilis, abundantiâ sibi felix posteà visa est. Sed quia si sic successus procederet, Lia in superbiam efferretur, & de Rachel vindictam caperet, eam totaliter infelicem reputans, cessauit Lia parere, ne inflaretur, & Rachel filium habuit, ne totaliter depressa omninò contemptui haberetur*; inquit Abulensis.

Viginti annos sancta Patriarchæ nostri mater improlis transmisit, cuius item sanctus maritus Dominum, vt coniugi liberorum gratiam faceret, feruentibus, crebris, importunisq; precibus rogauit. Annuit humili obsecrationi bonus Deus, & sterilem piæ matronæ ventrem propitius fœcundauit. Lætabunda ergò concepit, & post tempus aliquod elapsum sensit recens animatos intrà maternæ alui carcerem pugnâ mutuò animosè contendere. Sacer Scriptor hanc rem ità descriptam reliquit: *Dedit conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in vtero eius paruuli*; Genes. 24. v. 21. 22.

Pressit Abulensis in his illud, *Sed collidebantur*, hoc est, tam pertinaciter confligebant, tantisq; cum impendijs matris, vt eam in necessitatem vitæ extremam adducerent, & ait: *Ista coniunctio*, Sed, *est aduersatiua, & semper comminuit*, & extenuat, & est pomum, vt dicere amamus, quod nunquàm à colloquijs abest. Dicere namque solemus: Petrus est nobilis, prudens, ingeniosus, mox autem adijcientes quoddam, *Sed*, subiungimus, *Sed* est admodùm arrogans, seq; ipsum plurimùm, ac libenter audit, cùm loquitur. Item: Magdalena est formosa, festiua, lepida,

lepida, *sed* non illam pœnitet quòd nata est, nec ægrè fert spectari, & laudari. Ità aduersatiua illa, siue contradictio quædam velut pensio est, quâ onerari gratiæ, & beneficia solent, imminuique, & extenuari. Tale quid Rebeccæ cum gratia tam diu,ac vehementer expetita euenit, inquit Abulensis. Viginti annorum preces Isaac huc vertit (cùm Rebecca etiam, quod suum erat, faceret) vt fructum benedictionis vxori impetraret. Quòd sancta hæc mulier incredibili gaudio exultârit,postquàm obtinuit, quod tam longos annos & suspirauit, & desiderauit, res est, quæ nemini dubia esse queat, prout enim ingens est beneficium,& grauia gemituum, precumque impendia, quibus obtentum, ità maior est lætitiæ voluptas, quacum suscipitur. Multùm habere olim putabatur, qui habebat liberos, & post diuturnam sterilitatem gratior, voluptuosior, maioreque iucunditate comitata veniebat fœcunditas. Rebeccæ omnia hæc acciderunt. Verùm ne tantum donum caput eius peteret, vertiginemq; illi adferret, ne tam insignitum beneficium cor eius inflaret, ne ab ingenti, & pretiosa gratia turgescere inciperet animus, colluctatione infantium recens conceptorum, velut pensione quadam, gratiam illam prouidus Dominus onerauit, permisitque vt in præsentaneum mortis periculum adduceretur ab his, quibus vitam vixdum dederat. Et propterea Textus sacer apposuit illam voculam aduersatiuam, dicens, *Sed collidebantur* puppuli, suâq; contentiosâ conflictatione grauidæ matri mortales angustias adferebant. *Hæc particula*, Sed, *diminuit beneficium*, inquit ille, & subdit: *Sic est sensus: Deus dederat Rebeccæ conceptum, & in hoc magnam gratiam fecerat*, sed collidebantur paruuli, *id est, licèt ista gratia magna fuisset à principio conceptus, iam tamen magna non videbatur.* Insignitum (quis enim dubitet?) beneficij munus fuit, quòd Rebeccam conceptu vno parentē filiorum duorum fecit Dominus, hi filij tamen illam in periculum mortis extremum coniecerunt. Eâ ergò re temperatum fuit gaudium de gratia natum, & beneficium pensione formidinis,quam insolens illa infantium nondum in lucem editorum colluctatio pariebat,tanquàm appensione ponderum grauatum, vt via præcluderetur superbiæ, quam tantum benignitatis diuinæ munus generare poterat. Hæc est sapiens dispositio attentæ prouidentiæ Dei, beneficia pensione quadam onerare, vt ne superbiant, qui ea recipiunt, & ærumnarum pensiones collatione beneficiorum dulces reddere,ne prorsùm opprimant.

Cùm Patriarcha noster artis, quam illi mater suggesserat, industriâ, adeptus fuisset benedictionem, quæ Esau filio natu maiori debita videbatur, delusum hic se videns, cùm eandem petijsset, tantus fuit illius mœror,& luctus,tantâq; copiâ lachrymas fudit, vt permotus tristi dolore, & miserabili eiulatu decrepitus pater non potuerit non aliquas illi à Deo apprecari, & optare gratias. Quare benedicens ei quantum poterat, inquiebat: *In pinguedine terra, & in rore cœli desuper erit benedictio tua, Viues in gladio, & fratri tuo seruies*; Gen. 27. 39. 40. Notum beneficium est affluentia rerum, magna benedictio fertilitas terræ, verùm seruire, subditum esse, pendere ex alterius arbitrio,& dominio, *naturaliter durum, asperum, & odiosum est*, inquit doctissimus Pererius. Ad hanc tam vilem,hoc est,seruilem vitæ conditionem damnauit Dominus Esau per os patris illius Isaac, quam ipse quidem in sua persona non subijt, posteri tamen eius sunt experti. Tristis, & molesta res est seruire, pensio grauis, & acerba. At videamus,quibusnam Esau in suis posteris seruiet. *Et fratri tuo seruies, tempusq; veniet, cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis*; inquit ille ibid.v.40. Pererius ait: Amara pensio est seruitus, verùm *dupliciter mitigatur ab Isaac, tum quòd non erat seruiturus Esau alienigenis, aut barbaris, aut inimicis, sed fratri, & consanguineis suis, tum quòd futura non erat ea seruitus perpetua, sed aliquando excutienda, eratq; posteris Esau non libertas modò, sed etiam regnum comparandum.* Acrem pensionem seruitutis, cui soboles Esau subijcienda prænuntiabatur, leniebat duplex gratia, ea scilicet, quòd neque exteris, neque diu seruituri, sed à seruitute, & captiuitate non ad libertatem modò, verùm etiam ad regiam dignitatem euehendi, iugumque cum corona, purpuram cum sordido mancipiorum vestitu commutaturi erant. Ità nouit Dominus temperare beneficia pensionibus, & pensiones beneficijs mitigare, vt neque hæc tumorem superbiæ generent, neque illæ suprà vires grauent, & obruant.

Perfidi exploratores diuinarum actionum sacri Reparatoris nostri cùm pauperem quandam mulierculam in adulterio deprehendissent, vt malitiæ suæ telam ordirentur, introduxerunt eam ad tribunal præsentiæ illius,vt viderent, quid ex iustitia decerneret. Reuocabant autem illi in memoriam legem Moysis, quæ hoc habebat, vt lasciuæ id genus lapidibus appeterentur. Causa memorationis legis non alia erat, quàm vt nimiæ austeritatis eum ar-

gerent, si lapidandam ex legis tenore pronuntiaret, aut certè si absoluendam affirmaret, tanquàm legirupam, & laxum magistrum calumniarentur. Venit ergò ad illum rea, qui auditâ accusatione respondit: Cùm lex præcipiat huiusmodi homines lapidare, quisquis vestrûm sceleris purus est, is primus saxa rapiat, primus eam appetat, primus rigorem legis expleat. Confusi eâ sententiâ delatores abierunt, alterq; post alterum se subduxit. Sola itaque lugens, ac tristis mulier apud supremum Iudicem mansit, à quo interrogata, vtrum à quoquam condemnata esset, cùm à nemine se damnatam dixisset, tunc ille ad eam cum suaui quadam seueritate aiebat: *Vade, & iam ampliùs noli peccare;* Ioan. 8. v. 11. noli fidem marito datam posthæc iterùm temerare, noli deinceps perfidiosa esse, noli in posterum Dei præceptum, quodcunq; illud, temerè violare, ac præterire, fieri enim potest, vt iudicem tam beneuolum alio tempore non reperias, neque pietatem, ac misericordiam tibi tam addictam & beneuolentem.

Sanctus Abbas Tuitiensis Rupertus dùm oculis hanc percurreret historiam, piamq; auribus sententiam hauriret, inquiebat: *In vna, eademq; sententia misericordia, & veritas obuiant sibi, iustitia, & pax inuicem osculantur. Nam quod ait*, Vade, *misericordia, & pacis est, quod adiungit*, Et ampliùs noli peccare, *veritatis & iustitia. Ita iudex æquissimus neq; solum iudicium comminatur, neq; solam misericordiam pollicetur.* Digna consideratione est prudens, & discreta supremi Iudicis sententia, in qua iustitiæ amaritudinem mitigauit suauitas clementiæ, & misericordiæ dulcedinem temperauit asperitas seueritatis. Magnum beneficium fuit, quòd abire iussit eam, quæ se inopinatò absolutam vidit, cùm ex legis decreto pœnam capitis daturam, & atrâ saxorum nube adobruendam putaret. Quid fecit autem Dominus, cùm illa tam vehementer se absolutam gauderet? Beneficium istud pensione austeræ commonitionis grauauit, iussitque *non peccare ampliùs*, & neque solam misericordiam pollicitus fuit, neque solum iustitiæ rigorem minatus, vt neque hinc caderet, neque inde efferretur animo, nec desperaret territa seueriore iustitiâ, neque præsumeret tam facilem misericordiam consecuta: *Iudex æquissimus neq; solum iudicium comminatur, neq; solam misericordiam pollicetur.* Hic nimirùm admirabilis modus est, cùm velut in vnum volumen compinguntur suauitas beneficij, & amaritudo pensionis, vt post tam prudens temperamentum nec beneficium in superbiam excitet, neque pensio opprimat.

Doctrina hæc momentosa est, & non parum vtilitatis adferre Politico nostro potest, si ad regulam illius suam gubernationem quâ alios moderatur, componat. Si solâ in subditos vtatur beneficentiâ, multæ elationi portam aperiet. Si nonnisi pensionibus grauet subditos, crebræ desperationi occasionem ministrabit, & obruet miseros. Beneficia ergò vt prudens & discretus, sic eroget, ne superbiam generent, pensionibus ità oneret, vt non opprimant, non extinguant.

## CAPVT II.

*His quæ Deus ordinat, & disponit, tam submissè, humiliterq; obtemperare debemus, vt hæc sit nostra maxima semper consolatio, quòd scimus ab illo constituta, quæcunq; patimur, seu toleramus.*

CVM Rachel suam sterilitatem animaduerteret, videretq; copiosum benedictionis fructum, quo Deus sororem illius Liam cumularet, aiebat marito suo: *Da mihi liberos, alioquin moriar;* Genes. 30. 1. Hebræus textus apud Caietanum sic habet: *En mortua ego,* præut iamdudum intolerantissimè prolem ex te expecto. Muliebri huic, & leuiculæ petitioni hæc Iacob immodicâ, sed iustâ irâ inflammatus respondit: *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?* ibid. v. 2.

Notant hoc loco Expositores, quòd Rachel tametsi admodùm mœsta, & querula, & importuna cum istis suis precibus aduenerat, æquanima tamen abiuit. *Videns Rachel,* inquit Abulensis, *quòd Iacob iustè responderat, redargutionem factam patienter tolerauit.* Ratio autem patienter acceptæ increpationis ea fuit, quià Iacob dixerat, quòd causa sterilitatis illius esset non alia, quàm prouidentia altissimi Dei recondita. Itaque vbi audiuit, ex Dei ordinatione descendisse suam istam sterilitatis miseriam, *patienter tolerauit,* æquanimiter tulit defectum illius, quòd tantoperè desiderabat, vt se adaptaret voluntati illius Domini, cui nos semper debemus submittere, & accommodare. Id enim debet cordis nostri conquietatio esse, & infrenatio oris, quòd scimus à prouida maiestate illius ordinari, quæ patimur.

Postquàm patiens Iob è sublimi throno in sordidum sterquilinium deiectus, & nudatus omnibus opum copijs, & orbatus dulcibus liberorum pignoribus, totoque corpore à summo vertice ad imas calces vsque conuulneratus, & sauciatus fuit, inimicus dæmon,

dæmon, Deo ità permittente, fecit, vt vxor illius seruaretur viua, vt per eam extremum impetum in admirabilem illius patientiam faceret, cuius paucu-lis verbis adamantinum pectus eius expugnare, & inuictam constantiam euertere posse rabiosus hostis sperabat. Quæ enim marito suo mulier dixit, ea magis à dæmone dictata, quàm ab illa excogitata fuerunt. Venit ergò vxor, & pro eo, vt ærumnosum, miserrimèq; afflictum coniugem consolaretur, hæc illi submorosa, & cum stomacho dixit; *Adhuc tu permanes in simplicitate tua! benedic Deo, & morere;* Iob 2. 9. Itané insanire vsq; pergis? Nonné satiùs fuerit vitæ simul & miseriarum finem semel facere, quàm longam mortem viuere? In morte quippè vitæ quietem reperies, qui dum sic viuis, in agone plusquàm terribili positus degis.

S. Ioannes Chrysostomus in caten. Græc. c. 2. Iob, monet *diaboli hic plenum fraudis artificium cognoscere, qui cùm flagrans Iobi ergà Deum studium præclarè teneret, haud siuit Vxorem contrà Deum accusationem factitare. Nusquam Dei mentionem facit, calamitates autem semper tantum miscet.*

Quando ergò murum illum adamantinum præstigiarum peritissimus artifex dæmon per suppetias mulieris omninò semel deijcere cupiebat, fecit vt illa mentionem Dei nullam faceret, sed calamitates tantùm solas commemoraret, & infelicitatem extremam, in quam iniquior fortuna illum, ipsamq; vnà coniecisset, exaggeraret dolorem, luctum, penuriam recenseret, nihilque aliud diceret, quàm quòd lachrymosa tragœdia mundi, & probrosissima mundi fabula ambo coniuges facti essent.

Quamobrem verò dæmon, cùm sedem in labijs mulieris fixit, hoc astu vsus est, vt non memoraret, quòd Deus esset author illarum calamitatum, & ærumnarum, sed miserias, angustiasque solas referret? Hinc crudelem illius fraudem æstimare licet. Nam cùm efferatus hostis ægrè ferret, quòd sanctus Iob omnes suas calamitates in Dei voluntatem, tanquàm earum vnicam originem referret, diceretque identidem submissè, ac humiliter, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est, sit nomen Domini benedictum;* Iob 1. 21. atque ad hanc anchoram miserè fluctuantem, & agitatam patientiæ nauiculam inter procellosas persecutionum suarum tempestates alligaret, *nusquam Dei mentionem facit*, cùm illum per subsidiariam mulierem oppugnat, vt experiretur, num deijcere illum, & subigere posset, si Dei recordationem ei adimeret, sciens seruos Dei in omnibus suis ærumnis, & aduersitatibus non habere aliud solatium, nec asylum, quàm quòd sciant, ex Dei ordinatione omnia, quæcunq; patiuntur, descendere, vt proinde se illi volentes, lubentesq; conforment, miseriasque omnes hilariter, ac lætanter excipiant.

Eglon sanguinarius populi Hebræi hostis, grauiter Israëlitas oppugnabat, quòd quàm illis infensus, tam studiosus esset suæ gentis, & honoris illius. Aod vir strenuus, & robustus edere facinus constituerat, cuius memoria annos mundi exæquaret, certumque, ac deliberatum habebat trucidare idololatram Eglon, infestumque Principem occidione delere. Ingressus itaque conclaue illius secretum, vultumque assimulans beneuolentem dixit ei: *Verbum secretum habeo ad te, ô rex;* Iudic. 3. 19. Tunc ille imperauit silentium, iussitque reliquos omnes abire, sedens in æstiuo cœnaculo solus, ad quem Aod: Cùm soli hîc absq; vllo sermonum nostrorum arbitro simus, scire te velim rex, quòd nuntium tibi, nec ex alio, quàm ipso Deo fero: *Verbum Dei habeo ad te;* ibid. v. 20. Audijt hæc Princeps Gentilis, *qui statim surrexit de throno suo;* ibid. & regio solio.

Quærit Abulensis, cur finxerit Aod, se ferre ex Deo nuntium, cùm tamen soli essent, & ipse, quod animo decreuerat, citrà tale commentum, & absq; periculo aliquo suo facilè exequi posset.

Respondet, thronum, in quo rex Eglon sedebat, fuisse admodum sublimem, adeò confodere illum, quamdiu sedebat, tam commodè, celeriterque, vt volebat, non potuisse, ac proptereà optasse, vt surgeret, quò configere, & conficere hominem expeditiùs valeret. Ergoné illi ad surgendum permouendo non habebat aptius remedium, quàm vt diceret, se ex Deo ferre nuntium? Aut si hoc promptissimum putauit remedium, cur non declaratè dixit, quis ille Deus esset, Israëlitarumné, an Chananæorum, sed absolutè ait, *Verbum Dei habeo ad te?*

Occurrit huic quæstioni Abulensis, inquiens, vt rex ille ad surgendum permoueretur, satis fuisse dicere, quòd ex Deo loqui illi vellet, nec opus fuisse explicatè dicere, quonam ex Deo, Hebræorumné, an ipsius Eglonis. Fortis enim Aod prudenter arbitrabatur, surrecturum illum de solio suo, reuerenterque auditurum, quæ dicere velle simulabat, si modò crederet negotia Dei esse, de quibus cum illo communicatum veniret: *Siue ergò esset Deus Hebræorum, siue Gentis cuiuscunque, rex Eglon ducebat illum dignum honore, ideò non curauit petere cuius Dei esset Verbum illud, sed illicò, Vt audiuit, quòd erat*

*erat verbum Dei, surrexit de throno.* Hæc est admirabilis doctrina, quàm obseruare meritò studiosè debeamus, qui veram supremi benefactoris maiestatem certâ fide nouimus, vt nos conformemus cum diuina eius voluntate in ærumnis, & aduersitatibus, quas in hac vita toleramus. Nam si quidam ethnicus rex simulac nomen Dei audiuit, *statim de throno suo surrexit*, cur homo Christianus, qui scit omnes calamitates, anxietates, persecutiones ex Dei ordinatione proficisci, per q; manum ipsius disponi, ac dispensari, non cum gaudio, & voluptate eas ferat, vt voluntati diuinæ ità se accommodet? Cur non surgat, vt secretæ prouidentiæ, & dispositioni Dei reuerentiam, quam debet, exhibeat?

Educebat sanctus Patriarcha Abraham filium suum vnicum, & charum Isaac, vt illum Dei iussu immolaret, nec quenquam huius sui propositi voluit esse conscium. Cùm omnia præparasset, quæ holocausto necessaria erant, lignisque humeros rationalis victimæ Isaaci onerasset, hicq; optimum deesse putaret, aiebat patri suo: *Ecce ignis, & ligna, vbi est victima holocausti?* Genes. 22. 7. Commouit amantissimi patris viscera curiosi filij quæstio, cui respondit: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi*; ibid. v. 8. non te hæc cura solicitum habeat. Cùm hæc pater diceret, & filius auscultaret, *pergebant pariter*, quod sacrum oraculum ijs verbis monet, & sanctus senecio quidem ignem, obediens filius autem ligna portabat.

Quid est, quòd Isaac non plures patri quæstiones mouit, sed humiliter, demissèque sua ligna ferens, prosecutus iter suum fuit?

Respondet S. Ioannes Chrysostomus homil. 4. in c. 1. ad Corinth. 2. *Vt Dei nomen audiuit, nullum vltra verbum addidit, nec curiosiùs quicquam inquisiuit, vsq; adeò prudens erat hic puer.* Vbi à patre accepit, quòd Deus holocausti offerendi victimam suâ prouidentiâ procuraturus esset, ne mu quidem ampliùs dixit, nec interrogandum aliud quidquam putauit, sed viæ, & patris sui vestigijs institit: *Vt Dei nomen audiuit, nullum vltra verbum addidit.* Hic seruorum Dei mos proprius est, & consuetudo eorum, qui illi famulari, & per omnia placere student, vt cùm sciunt ab eo aliquid fieri, ordinari, constitui, non obloquantur, non repugnent, non interrogent, sed inclinent ceruicem, demittant humeros, accommodentque se voluntati talis Domini, qui tam sapienter nouit omnia disponere, vt ea ad maius bonum nostrum, & vtilitatem cedant.

Hâc medicinâ putat magnus Tertullianus ægritudines nostras omnes curari, ac sanari posse, quod lib. de Pœnit. c. 4. hac tam graui, & profundâ verborum formulâ expressit: *Nec pluribus de obsequij exhibitione debita à nobis Domino Deo*; hoc est, nolo multùm laborare, ac defatigari in conquirendis remedijs, & monitis, quibus Christiano persuadeam, & aperiam quantùm teneatur magnam in omnibus ærumnis, & persecutionibus ostendere patientiam: *Satis enim agnitio Dei, quid sibi incumbat, intelligit*; sola Dei cognitio satis est, vt quantamuis calamitatem æquissimo animo feras. Subiungit autem quædam verba, quorum non est facilè obuius sensus: *Quum ergò Dominus omnium bonorum & demonstrator, & acceptor Deus, quis de bono eius latè retractet? Per qua in expedito, & quasi in præscriptionis compendio & commendatio, & exhortatio de patientia constituta est.* Hæc ille, tanquàm diceret: Suppositâ agnitione Dei, qui ipse nobis attulit eam cognitionem tanquàm dux, & quidem vt dux, & causa omnis boni, non est necessarium multùm laborare, vt exhortemur, & permoueamns ad æquanimem ærumnarum, & calamitatum tolerantiam, per hanc enim cognitionem, nempè quòd Deus disponat, & ordinet nostras calamitates, infelicitates, & aduersitates, facilè peruenitur ad tolerantiam, obtineturque patientia, idq; magno viarum, & laboris compendio, quod Tertulliano *præscriptionis compendium* dicitur, plurimùmque torsit, ac delassauit ingenia Interpretum. At posito, quòd Tertullianus fuerit consummatissimus Iurisconsultus, vt constat ex varijs allusionibus ad Ius, quibus conspersa sunt ipsius scripta, si etiam statuamus, quòd eo verbo *præscriptionis* quoque ad idem ius alludat, facilem reperiemus istius sententiæ explicationem. Nomen præscriptionis, vt affirmat Alexander Scotus in Vocabular. Iuris, verbo *Præscriptio*, aliquando idem valet, quod *exceptio*. Exceptio autem est, cùm quis se defendit, retorquendo in accusatorem crimen, quod ipsi impingere conabatur. Itaque *Exceptio*, & *Præscriptio* quoddam velut scutum sunt, quod arripiens reus tuetur se aduersùs æmulorum suorum calumnias, eodem illos gladio feriens, quo ipsum sauciare volebant. Hoc ità constituto dicit Tertullianus, quòd per Dei cognitionem *in expedito, & quasi in compendio præscriptionis exhortatio de patientia constituta est*, velut apertiùs dixisset: Vt homo amplectatur patientiam, vt viâ compendij vtatur, vt clypeo se aduersus omnes inimicos muniat, satis est nosse, quòd Deus sit ordinator, & adornator aduersitatum, permittatque persecutiones. Nam si tanta fuit

fuit Pythagoræ apud suos discipulos authoritas, vt cùm illud tantùm audirent, *Magister dixit*, statim acquiescerent, seq; conformarent illius dictis, & iussionibus, & neque repugnarent, neque causam inquirerent, satis namque erat illum dixisse, aut mandasse, vt extemplò executioni mandaretur: Si homo quidam tantam sibi comparauit apud homines alios naturæ conditione pares existimationem, cur inferiore loco sit Dominus apud suos seruos, Creator apud creaturas, Redemptor apud suos captiuos?

Quando Politicus noster in procelloso mari huius mundi iactatus fluctibus variarum persecutionum, & aduersitatum deplorârit suam miseriam, hanc semper cynosuram respiciat, hanc animo cogitatione voluat, quòd omnia disponat supremus ille Vniuersi gubernator, vt tametsi fluctuet vt homo, vt Christianus tamen non naufraget, scit enim quòd summus Creator, & pater non possit errare in sua gubernatione, & quòd ponat quemq; in eo statu, in quo ipsi commodiùs placere, & seruire queat. Ità ex tribulationibus merita sibi comparabit, si Domini sui voluntati humiliter se conformârit.

## CAPVT III.

*Si in domo Dei parùm fortè proficimus, id fit quià parùm ei seruimus, vt enim quisq; seruit, ità & proficit.*

CVM se Rachel diuinæ dispositioni, & ordinationi submisisset, & accommodasset, rogauit maritum suum, vt matrimonio iungeretur ancillæ cuidam suæ Balæ, vt vel ex illa acciperet liberos, quos posset vocare quoquo modo proprios, idq; pro solicitudine etiam quâ illorum rectam educationem, institutionemq; honestam curatura esset. Concessit precibus Rachelis suæ sanctus Patriarcha, & coniugium cum Bala iniijt, ex qua filium habuit, qui vnius tribus è duodecim caput, & Dan dictus fuit. *Ingresso ad se viro concepit, & peperit filium*; Genes. 30. 4. Sanctus Ioannes Chrysostomus ait: *Didicit manifestè per ancillam, quòd Iacob non fuit in causa, quare liberis careret*, verùm suo potiùs vitio id accidisse. Et quanquàm eiusdem veritatis experimentum plusquàm vnum apud sororem viderat, demùm tamen, cùm etiam famulam concepisse ex marito conspexit, omninò quod res erat, intellexit. Cùm enim sterilitatis causa tam vir, quàm mulier esse possit, duplici hoc experimento Rachel eò adducta fuit, vt se esse causam illius defectus indubitatò crederet. Est hæc præclara imago eius, quod supero Sponso cum animabus accidit, quæ sæpè conqueri solent, quòd pauciores gratias, beneficiaq; rariora, quàm se promereri præsumunt, ab ipsius munificis manibus accipiant, neque considerant, id sibi euenire, quod Racheli cum Iacob. Quòd enim non sunt fœcundæ, & non augescunt, neque proficiunt, id non Sponsi, sed spiritus illarum non satis culti, & dispositi vitio accidit, si enim illæ se magis aptarent, studiosiùsque præpararent, Deus liberaliùs se illis communicaret. Quò respiciens Sanctus Laurentius Iustinianus lib. de triumph. Christi agone c. 11. § 1. ait: *Dei amor igni meritò comparandus est, quò enim crebriùs agitatur, vehementiùs inardescit, nunquam ex sua natura (dummodò materia non deficiat) ardere desistit.* Nunquàm cesset anima officijs demereri suum Sponsum, sic ille nunquàm cessabit eam ditare, & honorare. Amoris ignis ex se nunquàm deficit, nostrâ culpâ sæpè extinguitur, cùm bonorum operum vsu, & exercitatione virtutum à nobis non nutritur.

Regnum cœlorum cœlestis Magister diligenti agricolæ comparat, qui bonum semen in agro suo seminauit: *Cùm autem dormirent homines*, quos custodes agris deputârat, *venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt*; Matth. 13. 25. Per istum agrum, in quo impiger agricola Christus seminauit bonum verbi sui diuini semen, intelligunt Expositores cor humanum. Ità venerabilis Beda, Hugo Cardinalis, Guilielmus Ebroicensis, Guido Carmelita, Ioannes Mayronis, & alij multi. In hoc cordis agro auidus ruricola Christus seminat triticum, vt bonorum operum opimos fructus, & vberem messem proferat. Per zizania autem volunt significari malas cogitationes, quas diabolus superseminat, vt boni seminis fruges vitiet, ac soliciti agricolæ diligentiam, vigilantiamque ludat.

Diues ærarium prędicabilium subtilitatum S. Petrus Chrysol. acutè notauit vocabulum, quo Dominus nominauit pernitiosum laborē astuti dæmonis, cui homo suâ oscitantiâ, inertiâque, & negligentiâ otium permittit, & tempus, vt zizaniorum iniectu stragem tritico afferat in agro cordis: *Superseminauit*, inquit, *non seminauit*. Cur tali cum animaduersione, & cautione loqui Dominus, & superseminasse dæmonem potiùs, quàm seminasse dicere voluit? Vt intelligamus, inquit Chrysologus, quòd *præcedunt Creatoris bona, mala diaboli post sequuntur, vt malum, quod est ex diabolo, sit accidens, non natura*. Superseminasse itaque nociuam, & pe-

pestilentem herbam fertur nocendi artifex diabolus, vt hinc acciperemus, quòd Dominus salubri semine agrum nostrum ante inspergit, quàm ille inimicus zizaniorum admixtione incommodaturus adueniat, quodque per nostram incuriam, & desidiam, & torpentem somnolentiam fiat, quoties pernitiabilem peccati herbam in nostris animabus callidus dæmon serit, à Domino autem tam diligenter, ac solicitè profectus nostros expeti, & curari, vt bonum nobis contulerit, antequàm malum adueniat. Certè si nosipsos, vt decet, & debemus, disponeremus, nunquàm intermitteret Dominus nos ornare, & cumulare beneficijs, quæ desideramus.

Hac de re sic protestatus fuit Deus populo suo apud Prophetam Zachariam. Plectébat Dominus illorum offensas, & flagitia, illi verò rustici, & cœci dabant quærimonias, quòd minùs liberalis ergà ipsos esset, quàm sperârant, & solito parcior. Huic tam iniustæ expostulationi satisfacit respondens: *Contracta est anima mea in eis, siquidem & anima mea variauit in eis*; Zachariæ 11. 8. velut dixisset: Ito, Propheta mi, & dicito, quamobrem istas contrà me querelas iaciant, parcumq; me, ac tenacem, neque tam effusum, vt olim, clament, non cogitantes, ab ipsorum ingratitudine venire quod liberalitas mea stagnat, & contractioribus sum manibus.

Aquilæ translatio aptissima est rei præsenti, & sic habet: *Mutilata est anima mea in eis*; hoc est, peruicacia illorum cordi meo suas detruncauit manus. Audiamus hîc doctum quendam modernum ea verba eruditè, atque eleganter amplificantem: *Mutilata est anima mea in eis, hoc est, ingrati amorem meum ergà illos fermè prodigum præciderunt, ac beneficentissimi animi velut manus beneficiorum administras præacuto ingratitudinis ferro amputârunt.* Hæc Benedictus Fernãdius in cap. 30. Genes. sect. 5. n. 2. velut pluribus dixisset: Eram ego in illum agrestem populum tam prolixus, vt profusi incurrere notam possem, generosum pectus, & liberale cor meum quasi mera, & multiplex manus, eaque tota in erogandis beneficijs sic erat, vt ab illo gratissimo exercitio nunquàm feriaretur, aut conquiesceret. Et quando ego munificus ergà ipsos quàm maximè eram, & immensas opum copias inexhaustorum thesaurorum meorum plurimùm ostentabam, tunc illi cœci, & perditè flagitiosi in suæ ingratitudinis igne, & incude fabricabantur gladium, quo mihi largas istas manus succiderunt. Itaq; si conqueruntur, quòd velut absque manibus sum, quibus dem, cur non animaduertunt, quòd ipsi mihi eas demutilârunt suâ ingratitudine, & inurbanitate, vt proptereà cordis mei liberalitatem in illos exerere, & exercere nequeam? Quòd enim Dominus nonnũquàm minùs est munificus ergà suorum animas, id fit, quod illi prætermissâ deditâ vrbanitate non satis decenter respondeant, & vices, quas possunt, ac debent, non rependant. Nam vt insigne Hispalensium decus Arias Montanus in eiusdẽ loci cõmentario ait, *diuina ergà homines tutela, & cura non ante remittitur, quàm ab ipsis, quamobrem remittatur, commissum fuerit.* Nunquàm Dominus benefaciẽdi operam deponit, si satisfaciendi studium, ac solicitudinem homo non abijciat.

Redierunt nuntij ad Iacob, quos ille ad fratrem suum Esau ablegârat, vt eum reconciliarent, quem ob præreptam benedictionem grauiter offensum, & infensum pertimescebat, solicitique, & consternati dixerunt: *Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris*, (Genes. 32. 6.) ijsque armatis, nec alio consilio, quantùm æstimare possumus, quàm vt te inuadat, ferroque exanimalem faciat. Cùm hæc tristia noua sanctus Patriarcha accepit, extemplò se ad asylum orationis recepit, ne malè offensi fratris rabidus illum furor comprehenderet. Affusus autem terræ has Deo preces fundebat: *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac, Domine qui dixisti mihi, Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi*, (ibid. v. 9.) & nouas gratias non angustâ manu, sed pleno sinu affundam. Nihil minùs ego quidem promereor, quàm tantam tuæ beneficentiæ largitatem, sed non idcircò prætermittes pollicitationi tuæ satisfacere, & regiorum verborum tuorum fidem liberare, meque à fratris mei præcipiti, & cœca ira vindicare. Hæc postrema verba huc faciunt, quæ in textu nostro vulgato sic habent: *Minor sum cunctis miserationibus tuis*; ib. v. 10. hoc est, ingenuè fateor, me infinitè inferiorem esse tuâ in me pietate, & prolixitate.

Cardinalis Caietanus ait, verba illa ex Hebræo, si latinitas admitteret, sic posse verti: *Me minoraui*, siue inhabilem, incapacem, ineptumque tuis beneficijs feci, & exilius, atque angustius vas apparaui, quàm vt liberalitatis tuæ ampla dona capere possit. Addit autem Caietanus, esse illam humilitatem, & agnitionem theologicam, cùm homo se minorem reputat, neque tam capacem, quàm munificentiæ Dei largitas, gratiarumque illius amplitudo requirit: *Sumus siquidem impares diuinis beneficijs, & ipsam imparitatem nosipsi efficimus, tùm minus præparando,*

*parando, ac disponendo nos ad suscipienda, tùm minùs respondendo acceptis.* Neque humeri nostri sunt ferendo pondera beneficiorum Dei, nec vires illis pares, sed hoc inde nascitur, quòd humeros ipsi debilitamus, & vires ipsi frangimus, ac comminuimus, & capacitatem nostram angustamus, dùm neque dignè ad ea excipienda nos componimus, neque vices mutuas, quas possumus, reddimus. Quare si vas est angustum, si humeri infirmi, si capacitas stricta, & angusta, dicere potest, ac debet homo: *Me minoraui*, arctaui me egomet, & contraxi, exigua mea, nec satis bona dispositio fecit, quòd non plura beneficia sum consecutus. Defectus ex homine totus est, ex Deo nullus.

Sacrilegus ille, & excommunicatus Discipulus nocte supremæ cœnæ aderat, vt sacramentum Corporis dominici, hoc est, innocentem Agnum sanguinarius lupus acciperet. Vrgebat illum infernalis cupiditatis perfidiosa anxietas, sic vt velocissimum instans longis sæculi spatijs par illi videretur, adeòq; *cùm accepisset bucellam*, mit dem Bißle noch im Maul/ *exiuit continuò* (Ioan. 13. 30.) tam certum, deliberatumque habens cogitatum suum opere persequi, & conceptam adornare proditionem, vt neq; horribiles noctis tenebræ infrenare illum possent: *Erat enim nox* (ibid.) tunc, cùm à sacra mensa ad nefandissimum scelus deproperabat.

Pressit diuinus Venetorum Protopatriarcha sanctus Laurentius Iustinianus illud, quod Euangelista ait: *Exiuit*; abijt sponte suâ, & excessit iniussus. Cùm cœlestis Magister exturbare illum è sacro conuiuio, & postquàm in statu peccati mortalis de arbore scientiæ, & vitæ comederat, è diuinæ præsentiæ suæ paradiso eijcere potuisset, patientissimè tamen tulit, & secum in suo contubernio morari permisit, donec ipse execrabilis proditor sacrilegè ingratus tergum obuertens abijt. *Non se absentauit Christus* (inquit ille de triumphali Christi agone cap. 1. §. 11.) *neque sacrilego suam denegauit præsentiam. Omnibus præstò est, vt communicet se. Proditor tamen ipse secessit.* Non reliquit proditorem Discipulum pius Magister, sed beneuolentem patrem trinequam apostata destituit, & à mensa Domini sui monstrum flagitiosi hominis ad proditionem contendit. Si ille curari optasset, ad manum fons salutis erat. Si pœnitentia peccatum suum damnare voluisset, origo omnis gratiæ coràm aderat Christus, promptus liberalissimè condonare noxam, quam ipse perpetrasse doleret. Omnia hæc eò dicta sunt, vt hinc omnes intelligamus, quanta sit Domini (qui ergà hominem, hominum, quotquot nati, ac nascituri sunt, nefandissimum, & infamissimum tam largus fuit) munificentia ergà eos, qui sese gratiæ ipsius donis aptant, & animarum suarum spatia dilatant, sinus expandunt, domos extendunt, vt beneficiorum illius ingentes cumulos, & maximam copiam excipere possint, quorum communicandorum flagrantissimo ille semper desiderio ardet, & æstuat. Disponat ergo se creatura, præparet seruus, respondeat famulus, tam immensus Creator enim, tam amans Pater, tam beneuolus Dominus nunquàm soluendo cambio deest, nunquàm mutui gratiam violat, nunquàm commertium, communicationemque dirimit, nunquàm vices pares prætermittit.

## CAPVT IV.

*Fidere summam causam, & negotium salutionis studio alieno, est velut fouere, aut refocillare vulnus, sed non quærere solicitè eius curationem.*

Cùm sterilitatem suam Rachel cognouit, intellexitque à superiore dispositione & prouidentia fieri, quòd infœcunda esset, remedio, quòd diximus, vsa, famulam Balam viro suo coniugem dedit, vt hæc marito prolem gigneret, quam parere ipsa non poterat. Dicebat ergo: *Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios*; Genes. 30. 3. Expositores inquiunt, hoc fecisse, vt anxius illius animus vel nonnihil respiraret à mœstitudine sterilitatis, & liberorum vehementissimo desiderio. *Habuit aliquomodò, pariente ancillâ, vel breuem consolationem*, inquit sanctus Ioannes Chrysostomus. Accidit vt conciperet, & pareret ancilla. Habuit Rachel suam inde voluptatulam, sed perbreuem, habuit suam inde lætitiam, sed exigui ponderis, & leuem. Liberi enim, quos aliorum dolor enixus est, quique diligentiæ alienæ sunt partus, parùm eis conferunt, qui non ipsi conceperunt, & pepererunt. Et omne vniuersim solatium, ac gaudium, quod nititur labore, & sudore alieno, parùm stabile est, & parui momenti, & modicæ vtilitatis: *Habuit aliquomodò, pariente ancillâ, vel breuem consolationem.* Et cùm communiter per liberos significentur opera, docetur hic Politicus, qui in cœlum aspirat, vt ad hunc finem vltimum consequendum, putet solis operibus bonis, & meritis peruenire non posse alienis, nisi adiungat labores, & sudores proprios. Nunquàm enim quis arctam viam, quæ fert in vitam æternam, pedibus tantùm confecit alienis, nisi suis etiam eò contenderit.

Idolo-

Idololatriæ scelus commisit contumax ille, & obstinatus populus, cœcusque adorauit idolum quod figuram vituli præferebat, eique cultum supremo Numini debitum exhibuit. Agebat per id tempus in cacumine montis sanctus Moyses, quando ei Dominus ingratæ plebis pudendum flagitium indicauit. Descendit curarum plenus, *iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis*, Exodi. 32. 19. Erant eæ tabulæ lapideæ, in quibus deferebat legem manu ipsiusmet supremi Legislatoris scriptam. Vt nihil venustatis his tabulis deesset, ipse eas expolire voluit, qui & decalogum illis exsculpsit. Sic enim habes ibidem v. 15. & 16. *Reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei.* Digitus Dei pro scalpro fuit quo in lapide decalogum cælauit. Placatus Dominus Moysis precibus, & vindictâ, quæ de illa infami adoratione sumpta fuerat, decreuit renouare legem, & ait gratioso suo: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti*; Exodi 34. 1.

Dubitari hic potest, quamobrem Dominus, qui antehæc tam comis, & humanus ergà populum fuerat, tamque ineffabili gratiâ eum dignatus, vt ipse illi concinnaret lapides, in quibus & sculpsit decalogi legem, nunc Moysi eam operam commendauit, præcepitque, vt ipse cæderet, leuigaret, perpoliret nouas tabulas, in quibus cælanda lex esset. Certè non fuit sic defatigatus Dominus ex confectis primis tabulis, vt non manserit illi brachium sanum, quo posset adaptare nouas. Cur ergo Moysen voluit hoc lapicidæ munus obire?

Respondet Nicolaus Lyranus in cap. 34. Exodi: *In primis tabulis Moyses nihil fecit, in secundis verò ipse disposuit materiam dolando, quia sicut alias fregerat, iustum fuit quòd istas dolaret.* Docuit nos hac re mysticè Dominus, quòd ipsus ille resarcire debeat damnum, qui intulit. Itaque & Moysi dicere videtur: *Fregisti* tabulas? *Præcide* ergo, tuoque sumptu, labore, studio, industriâ para alias. Tantundem dicere possumus cuiuis homini Christiano: *Fregisti?* Violasti tabulas legis? Rupisti suaue iugum mandatorum dominicorum? *Præcide* itaque, & refice hoc damnum tuis impendijs, contere cor tuum malleo pœnitudinis natæ de offensis, quibus illum Dominum offendisti, cui tanta debes. Nam quòd tu tabulas fregeris, alius autem damnum resarciat, quòd tu malum egeris, & alius id luat, neque tu pro illius abolitione quodcunque studij, siue diligentiæ impendium facias proprium, stultitia est manifesta. Quisquis legem præceps violat, idem malum diluere pœnitens debet.

Rursùm pro fulcimento huius tam momentosæ veritatis debet esse nostra formosa Rachel. Miseratus Dominus illius dolorem, quem patiebatur, & probrum, quo affligebatur, cùm sororem suam tam fœcundam, se verò tam sterilem videret, claui pietatis suæ aperuit fores fœcunditatis, quam illa enixè, auidissimèque expetebat. Id sacer Scriptor ità memorauit: *Recordatus Dominus Rachelis exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius*; Gen. 30. 22. Plurimas illa fuderit lachrymas inter tam diuturnos cruciatus, quos illi sterilitatis opprobrium adferebat. Verùm notandum, quod sacrum Oraculum quidem refert, exauditas fuisse à Domino preces Rachelis, facilè tamen esse & cogitare, & credere, quòd Iacob quoq; Dominum assiduè, vehementerque obsecrauerit, vt vxori suæ concederet fœcunditatem, & adimeret ignominiam, quâ vexabatur, sterilitatis. Quam in rem Doctor Honcala ità: *Nec dubium, quin Iacob, cùm esset vir bonus, Dominum quoque pro obtinenda dilectissimæ vxoris fœcunditate summis votis sit precatus.* Quòd si ità est, quid causæ, quòd Scriptura tam alto silentio inuoluit obsecrationes sancti Iob, & solarum Rachelis precum meminit?

Occurrit huic dubitationi grauis ille autor, inquiens: *Enimuerò non sine causa Iacob precatio tacetur, Rachelis autem apertè insinuatur, videlicet vt vel hinc constet, quantùm oratio propria præstet alienæ, nam quamuis precibus adiuuemur alienis, nisi nostris conspiremus, valde raró expetita consequemur.* Mysterium ergo habet, quòd S. Moyses tacitas præterijt Iacobtis Orationes, solasque Rachelis scripto euulgauit preces, quas illa pro impetrando fructu benedictionis fudit, (tametsi probabile sit, quòd Iacob nihil eorum, quæ ad hanc rem obtinendam facere posse putauit, prætermisit) vt hinc palàm fieret, quantùm studia propria antecellant alienis. Tametsi enim ex certa fidei regula id semper & credere, & fateri oporteat, quòd opem nobis, auxiliumque accersere debeamus & ab orationibus, quas viri Deo chari fundunt, & ab operibus bonis, quæ faciunt, illique tantopere placent, credimus enim communionem Sanctorum: Monemur nihilominùs illo Rachelis exemplo, quanti referat, quòd vnusquisq; per se curet diligenter facere, quæcunque ad impetrandum fructum benedictionis bonorum operum sunt conducibilia, parùm enim obtinent studia aliena, nisi

accedant

accedant nostra propria: *Nam quamuis precibus adiuuemur alienis, nisi nostris conspiremus, valde rarò expetita consequamur.*

Sacer Cantor in quodam Psalmo loquitur de vocis diuinæ prodigiosa efficacitate, deque omnipotente illius virtute, cuius ille cùm in alijs rebus, tùm in hac maximè faciat ostentationem, quòd florentem frondosarum, & sublimium cedrorum, quidem Libani, elegantiam, gratumque virorem in frigidos cineres vertat. Psalmo 28. v. 5. de hac re sic habet: *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.*

S. Basilius Magnus iubet animaduertere geminationem eiusdem vocis in paucis verbis, quibus ait, quòd valida irati Numinis vox comminuit proceras cedros, non quasuis, sed eas, quas mons Libanus alit: *Non omnes cedros confringit Dominus, sed montis Libani tantùm*, inquit ille in commentario eius Psalmi.

Secundùm hæc quæri potest, cur vox Dei indignabundi magis infesta sit cedris Libani, quàm alijs, illarumque excidio magis intenta, quàm harum, quando in istis arboribus (vt & hoc obiter, & velut in transitu memoremus) significatur certum quoddam genus hominum, quos huius tam excelsi montis proceræ cedri symbolicè referunt.

Respondet interrogationi magnus Pater, inquiens: *Appellari merentur cedri Libani, quòd alienâ subnixi altitudine intempestiuo gaudio diffunduntur.* Quando arbor, quæ in humili valle sita est, sublimis erigitur, & in magnam altitudinem suis incrementis exurgit, videtur nonnihil causæ habere, ob quam glorietur: Verùm quòd illa suam celsitudinem iactet, quæ in montis cacumine est collocata, vanissimè gloriatur, & stultè se iactat, volens sibi attribuere celsitudinem velut natiuam, & propriam, quam ab editiore monte habet mutuatiuam: Velut de nihilo arrogans esset pygmæus, siue nanus, qui vasti gigantis humeris insistens, se turrem putaret, cùm tamen altitudo illa istius proceri hominis sublimibus humeris debeatur. Quod ergo sanctus Dauid ait, *Confringet Dominus cedros Libani*, perinde est, ac si diceret: Quos vox Domini confringet, & comminuet, ij sunt, qui velut cedri Libani altitudinem sibi arrogant alienam, & quam aliunde habent, suam putant eminentiam: *Qui enim se rebus ingerunt alienis, & per eas sibi conciliant, & adsciscunt superbiendi occasionem, ij sunt cedri Libani*, inquit magnus Ascetarum Patriarcha. Non omnes cedros destruit Dominus, sed eas tantùm, quæ sublimitatem sibi adscribunt alienam, & eminentes videri volunt impendijs celsitudinis aliorum. Arbor, quæ suis augmentis erigitur, quæ suo studio frondes sibi parat, quæ cum supernæ irrigationis adiumento virescit, & pinguedinem, fertilitatemque suam suo labore acquirit, & conseruat, huic Dei vox benedicit, & manus applaudit diuina. Tale autem est, quod dicitur, nimirùm qui saluari, & cœlo inferri humeris velit diligentiæ alienæ, eum à consecutione beatitudinis tam futurum alienum, & remotum, vt sit potiùs destruendus omnipotentibus iusti, & rigidi Iudicis manibus. Nostra opera, nostra studia sunt quæ Dei fulta fauore, & auxilio debent conficere coronam, & quietem nobis parere sempiternam.

Extranea, & singularis, verùm peropportuna mihi videtur causæ præsenti quædam melliflui Doctoris commentatio, quâ exponit illud Ioannis 6. 54. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

De his ait sanctus Bernardus serm. 3. in Psal. 99. ita: *Loquebatur de pœnitentia ipsa Dominus, sed in figura,* de pœnitentia, inquam, quam facere omnes debemus, quam Scribis, & Pharisæis tunc quidem, sed nobis simul commendabat. Sed quid hæc commune habent? Quid connexionis est inter vtraque illa, vt Pharisæi moniti de periculo intermissæ sumptionis corporis, & sanguinis dominici, simul iussi fuerint agere pœnitentiam? Respondet Bernardus: *Manducare eius carnem, bibere sanguinem, est communicare passionibus eius, & eam conuersationem imitari, quam gessit in carne.* Verùm meo iudicio magna est proportio pœnitentiæ, & comestionis, quam sic expono. Sunt quæ homini vtilitatem adferant, tametsi manu, & operâ curentur alienâ. In multis rebus id videre licet. Potest enim quis alteri facultatem dare, vt ipsius nomine exigat, & recipiat pecuniam, debita, & his similia. Potest manu alienâ conficere suum negotium, obtinere causam (vt fit quotidie) studio, & curâ aliorum, aduocatus namque, & procurator, & reliqui causidici adhibent industriam, solicitudinem, laborem, & alius refert commodum. Verùm vt homo viuat incolumis, id fieri non potest, nisi ipse bibat, & comedat, & si hanc diligentiam propriam prætermittat, diu sanus viuere citrà miraculum non potest. Nam si quis stomacho lethaliter nauseabundo iussus à Medico cibos capere, diceret, velle hunc laborem alteri commendare, eumque rogare, vt pro ipso cibos sumat, & comedat, tum quæreret, satisne hoc esset? perspicuum est, quòd Medicus phrænesi laborare hominem, ca-

ptumq; iudicio rationis pronuntiaret eum, qui tale quid interrogaret, qui enim ipsus non vescitur, viuere diu nequit. Sic ergo nunc dicit cœlestis Magister: *Nisi manducaueritis, non habebitis vitam in vobis.* Quò respiciebat autem hæc dicens? *Loquebatur de pœnitentia*, idque sub metaphora manducationis, & bibitionis, perindeque fuit, ac si dixisset: Vt qui per se non comedit, non habet in se vitam temporalem, sic nec vitam æternam obtinebit, qui per se non agit pœnitentiam, qui propriam suam ad hanc rem non vertit diligentiam, sed omnia labori, & studio credit, committitque alieno.

Ælianus de varia historia lib. 4. cap. 1. cùm varios diuersarum gentium mores refert, de Biblijs hæc narrat: *Biblij in via si inciderunt in aliquid, nihil tollunt, quod non posuerunt, non enim hoc inuentum, sed furtum arbitrantur.* Vix eam alibi hodie videas consuetudinem, vt homines, *si in aliquid inciderint, non tollant, quod non posuerunt.* Quod Biblij olim faciebant, idem in domo Dei inuiolabiliter obseruari sacra Biblia nos docent. Mos enim illius domus sempiternus hoc habet, vt nemo quidquam tollat, quod non posuerit, nemo quietem æternam obtineat, qui non suâ diligentiâ, defatigationeque sibi eam pararit. Nam vt sanctus Domini Beniamin Ioannes ait, cùm de mortuis loquitur, qui inter dulces Dei amplexus felicem huius mortalis vitæ periodum concludunt, ij propterea sunt beati, quià inter labores, virtutumque & bonorum operum exercitationes pensum ærumnosæ vitæ absoluerunt. *Opera enim illorum*, inquit, *sequuntur illos*, Apoc. 14. 13. Vbi alia litera habet, *Famulantur illis*, suntque eorum velut anteambulones, qui omnia per viam submoueant difficultatum impedimenta, vt expediti ineant æternam expetitæ patriæ quietem.

Multi sunt, qui, quod fieri nequit, similes esse vellent arboris, quam *Alfonsigo* vocant, egoque in loco, qui *Gerafe* dicitur, & duobus miliaribus Madrito abest, cum stupore non paruo vidi. Sunt duæ id genus arbores, quæ se mutuò spectare semper debent, vt fructus edant, non secùs ac Palmæ, quarum radices consertæ suo quodammodò copulantur matrimonio, alteraque mascula est, fœmella altera. Sed hoc in prioribus arboribus penè incredibile notatur, quòd illarum vna flores producit, alera fructus. Rarum certè, & quod nescio an in alijs aliquibus totius mundi arboribus animaduersum fuerit.

Tale quid multi videntur optare, vt sibi eueniat, nempè vt ipsi flores proferant, vt in floribus morari, & tradere se voluptatibus, oblectationib⁹, obambulationibus, delitijs queāt, alij fructus pœnitētiæ producāt, ieiunēt, vigilent, carnē afflictēt, & cū suis concupiscentijs crucifigant, ac mortificent. Verùm sanctus Ioannes monet, vt ne quis ità desipiat, neque tam stultum cogitatum admittat. Loquens enim cum peccatoribus, qui caducos vanarum voluptatum amabant & consectabantur flores, sic eis aiebat: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*; Lucæ 3. 8. Notate in his illud, *Ergo*, quod legitimæ, talisque consequentiæ est nota: Vos florem tulistis voluptatis, ferte *ergo* & fructum pœnitentiæ. Delitias namque, in quibus vestra caro fuit, castigare debent vestræ lachrymæ, contrariumque sibi persuadere, insignis amentia est. Vt enim parum gaudij tibi adfert voluptas alterius, quâ tu cares, parumque tibi conducit lætitia alterius, cùm tuum animum tristitia occupatum habet: Sic exiguam tibi vtilitatem adducet, quòd alter ferat fructus pœnitentiæ ad expianda tua peccata, quando tu in horto lasciuiæ carpis flores voluptatum corporearum, & carnalium oblectamentorum. Hæc est stultitia, quâ multas animas vafer dæmon dementat, illustrium præcipuè, & in magnis delitijs viuentium virorum, ac mulierum, qui quòd in monasterijs Religiosi corpus flagris, ipsorum rogatu, cædunt, & ieiunijs emaciant, rem suam totam confectam, bonamque causam apud tribunal Dei se habituros arbitrantur, cùm interim nullum sit pratum, vt est apud Sapientem, quod luxuria eorum non pertranseat, nullum viridarium, vbi non suas consectentur delitias, non expleant concupiscentiæ suæ malas voluptates. Benè, sanctèque factum, quòd alij nos Deo commendent, at si omnia diligentiæ credimus, & relinquimus alienæ, necessum est vt nos delusos inueniamus, & deceptos, mandat enim Dominus, vt qui tabulas legis fregit, idem ipsus reparet, quod eiusmodi est, ac si diceret, vt qui peccat, pro seipso per seipsum pœnitentiam agat, si vitam vult consequi æternam.

*Tomo 2. Periochâ II. Dom. V. post Pascha pag. 610. habes multa in hanc rem, tum & alijs in locis Tomi 1. ad finem eiusdem Periochæ subnotatis.*

## CAPVT V.

*Soli ex omnibus dominis supremo seruire & maximè debemus, & facillimè possumus, nemo enim illi seruit, qui non proficiat, nemo placere studet, qui non augescat.*

NOn sine speciali mysterio dicebat Angelicus paranymphus, qui à supremo Patre luminum ad

ad intemeratissimam Virginem legatus veniebat, illum, qui intrà purissima viscera eius concipiendus erat, præter alia magna hoc quoque habiturum, vt regnaret in domo Iacob. Voluit autem hoc nuntio indicare, diuinum Reparatorem communi omnium bono, & vniuersali remedio cunctorum nasciturum, quòd præfiguratum in domo Iacob fuit, in qua, vt iam iam videbimus, omnes profecerunt, & creuerunt, & in omnes redundauit liberalitas. In hac domo mulieres principes, Lia & Rachel germanæ sorores conceperunt, & pepererunt, Bala & Zelpha ancillæ, & fœminæ inferiores, quanquàm legitimæ coniuges, etiam fructu grauisæ fuerunt benedictionis, quemadmodùm illarum dominæ, quarum fuerant famulæ. Iacobti Dominus duodecim filios dedit, qui omnes habuerunt ingentes opum copias, vehementerque aucti diuitijs fuerunt. Vt ergo intelligamus, quòd Deum habeamus perliberalem, munificum ergà omnes, & qui omnibus sese impertiat (si rerum minimarum cum supremis fieri comparatio potest) regnaturus in domo Iacob, & domum domui illius similem habiturus dicitur, sic vt apud illum domestici omnes abundent, & affluant honoribus, donis, opibus, vt accendamur ad seruiendum tam prolixo Domino, cuius semper sunt patentissimæ fores ad excipiendum omnes, qualescunque illos, seu diuites illi sint, seu pauperes, siue serui, siue Domini, siue Reges, siue subditi, denique vt verbo iterùm dicam, omnes.

Incipit sanctus Lucas describere prodigiosam diuini Præcursoris, & Baptistæ prædicationem, orditurque telam historiæ verbis neque communibus, neque vulgaribus, inquiens: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto*; Lucæ 3. 2.

Sanctus Petrus Chrysologus serm. 137. sciscitatur: *Quare non ad Ioannem, sed super Ioannem?* Insitata Scripturæ phrasis, quòd vebum Domini super, non ad Ioannem dicitur factum. In Prophetis sæpenumerò reperias, quòd Domini verbum ad hunc, aut illum sit factum, factum autem super aliquem nescio an alibi inuenias. Quid causæ ergo, quòd super Ioannem verbum Domini factum scribitur?

Respondet sacer Rauennatum Archiepiscopus inquiens: *Quià quod sursum est, super omnes est.* Dicitur ergo verbum Domini è cœlo venisse *super* Ioannem, non *ad* Ioannem, vt inditio esset, quòd dona cœlestia non sunt similia humanorum, quòdque de cœlestibus non debemus loqui, tanquàm ad vnū descenderent, aut pertinerent. Si dictum fuisset, verbi diuini thesaurum *ad* Ioannem descendisse, liberalitatem Dei velut coarctasset, qui *ad* vnum Ioannem illam deriuatam affirmasset. Dicatur ergo verbum Domini descendisse *super* Ioannem, quod perinde est ac si diceretur, tametsi *ad* illum descendat, *super* illum nihilominùs manere velut paratum in omnes deriuari, omnibus sui copiam facere: *Quod de sursum est, super omnes est*, & Solis habet proprietatem, illius instar ad omnes se diffundens, & dispergens.

Suadet Propheta regius, vt quicunque voto speciali se obstrinxerunt Deo, solicitè, fideliterque id explere curent. *Multò enim melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere*, aiebat Ecclesiastes cap. 5. v. 4. nam vt voluntatis fuit vouisse, ità necessitatis est persoluere quod voueris. Verba consultoris Dauidis Psal. 75. 13. sic habent: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera*.

Aquila Doctorum sanctus Augustinus plurimùm admiratus fuit hunc loquendi modum, inquiens: *Quid est hoc, omnes, qui in circuitu eius sunt, offerent munera?* Quid sibi vult, quòd non à latere Domini esse feruntur, qui oblaturi sunt munera, sed in circuitu, velut illum obsiderent, includerent, coronarent? *In circuitu eius.*

Respondet magnus Augustinus, cum magno, & singulari mysterio dici, quòd æterna Veritas, & Dei maiestas in medio posita est, & ab omnibus circumdatur, vt significetur, Deum, quantum in ipso est, facere, quod centrum cum circumferentia, cui se æqualiter communicat, quæcunque enim à centro linea exit, æqualiter se toti extremitati impertit. Sic ergo & Dominus noster, tanquàm centrum in medio creaturarum lineas suarum gratiarū illis communicat. *Quidquid omnibus commune est, in medio est, quare in medio dicitur, vt tantùm distet ab omnibus, & tantùm propinquet omnibus. Quod non in medio est, quasi priuatim fit, quod publicum est, in medio ponitur*, inquit Augustinus. Quòd ergo Propheta regius ait, Deum esse velut centrum quoddam, eos autem, qui munera ei offerunt, quasi circumferentiam illius, quem videlicet ambiunt, & circumdant, perinde est, ac si diceret, Deum vehementissimo desiderio teneri communicandi sese omnibus, quidquid enim ponitur, & disponitur ad modum centri, satis ostendit, quàm ardenter cupiat se impertire, & copiam sui facere, vsibusque aliorum tradere: *Quidquid omnibus commune est, in medio est*. Gaudere ergò

go possunt, qui tam pio, & beneuolenti Domino seruiunt, qui vt centrum circumferentiæ, vt Sol toti terrarum orbi, sic se omnibus hominibus communicat.

Ad Titum cap. 2. v. 11. ait Apostolus: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos.*

Cardinalis Caietanus in hæc ità differit. *Ad manifestandum quòd tam serui, quàm cuiusq; ætatis homines rectè se gerentis ornant doctrinam Saluatoris nostri Dei, affert beneficium diuinum commune tam dominis, quàm seruis, quàm cuiuscunq; conditionis hominibus.* Cùm hæc scripsit sanctus Paulus, bonum Logicum probauit. Recta logica cùm totum affirmat, nihil excludit, velut si diceremus: Omnis homo est animal rationale; palàm est id non de solis regibus, sed de quocunque homine, seu liber ille sit, seu seruus, seu infans, siue senex, intelligi. Ad hunc ergo modum dicit Apostolus: *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus*; vt neminem exciperet, cui non apparuerit, non diuitem, non pauperem, non subditum, non dominum, non magnum, non paruum, aut cuiuscunque demùm conditionis, siue status alius, satis enim est, quod fuit gratia Dei, quæ apparuit, vt appareret omnibus, & ad omnes se dilataret, atque extenderet: *Tam dominis, quàm seruis, quàm cuiuscunq; conditionis hominibus.* Quis ergo non cum voluptate seruiat Domino, cuius tam sunt beneuola, & paterna viscera, qui se tam munificè impertit pauperi, quàm liberaliter communicat diuiti, cuius amplissimum pectus est commune hospitium, & perfugium omnium hominum, nullum, qualis qualis ille cumque sit, excludens?

Matthæi c. 13. v. 31. & 32. sic aiebat cœlestis Magister: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ità vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius*, Stupendus certè profectus grani sinapis, quod tanta incrementa facit, vt inter olera arbor fiat, quod inter arbores olusculum erat! Subijcit mox Dominus ibid. v. 33. *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.*

Obseruauit in his sanctus Petrus Chrysologus, attentionem, & cautionem sacri Magistri quâ vsus fuit, cùm tradens parabolicam cœli doctrinam semel illud confert cum minutulo sinapis granulo, quod à viro satum excrescit ad miraculum, moxque cōponit cum exiguâ portione fermenti, quo mulier auctiorem reddit farinam. *Ante sinapis granum memorat accepisse virum. Verè sicut dixit Apostolus Paulus* (1. Cor. 11. 11.) *neq; vir sine muliere, neq; mulier sine viro in Domino.* Notandum itaque, quòd postquàm Dominus comparauit regnum cœlorum viro, qui seminauit granum sinapis, statim confert cum muliere, quæ farinam fermento subigit, cum viro, inquam, & muliere, qui res tractant, quæ hanc habent similitudinis cognationem, vt de minimis magnæ fiant. Quamobrem verò Dominus non voluit præterire mulierem, quin cum illa componeret quoque regnum cœlorum, postquàm illud viro assimilauit? Fecit hoc, vt comprobaret, veramque ostenderet doctrinam Pauli dicentis, in domo sic aperiri portam cœli viro, vt tamen non sit contemptui mulier, & mulierem ità admitti, vt vir non negligatur. Pro omnibus est cœlum, gloria pro omnibus, omnes, nemine excepto, regia ista, & magnifica domus admittit.

Constabiliam hæc quadam sancti Basilij Magni meditatione in quandam dulcissimi Psaltis cantilenã, quâ hortatur Ierosolymam, & Sionem, vt laudent, & glorificent Deum pro continuis beneficijs, quæ ab ipsius munifica manu accipiebant, inquiens: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*; Psal. 147. 1. vbi postquàm multas seorsim gratias enumerasset, prosequitur dicens: *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius*; ibid. vers. 4.

Quid sibi vult (inquit Magnus Basilius, siue vt alij volunt Chrysostomus, aut Theodoretus, de quo nolo contendere) quod Sioni, & Ierosolymæ dicitur, vt hoc nomine etiam laudent Dominum, quòd verbi sui salutarem rorem per totum longè, latèque orbem terrarum effundat? Respondet Patres supradicti: *Quoniam enim dixit*, Lauda Ierusalem Dominum, *ne quis tantùm Israëlitarum curam Deum habere putet, ostendit prouidentiam eius toti orbi communem esse, & ad omnia extendi. Quod verò dicit, tale est: Non solùm nostri, inquit, curam gerit, sed & totius orbis.* Enumerauerat sacer Cantor particularia beneficia, ob quæ Ierusalem specialiter obligabatur Domino. Nè verò quis arbitraretur, tam arctam esse illius manum, tam restricta viscera, vt ad vnam tantùm se exererent ciuitatem, mox subiecit: *Qui emittit eloquium suum terræ*, tanquàm dixisset: Habet Dominus etiam cum reliquo mundi orbe sua familiaris consuetudinis, & colloquij commertia. Nemo itaque existimet, quòd ille beneuolentiam

fuæ præſentiæ vni tantùm vrbi exhibet, bona gratia illius, & magnificentia in omnia totius mundi loca exundans effunditur: *Non ſolùm noſtri curam gerit, ſed & totius orbis.* Felices ergo, & fortunati ſunt, qui ſeruiunt Domino, cuius ita per omnia ſeſe expandit liberalitas qui non ſecùs ac Sol ſuos explicat, & quaqua versùm emittit radios. Et quomodò Deum ſe probaret, ſi palatium illius eſſet terrenarum regiarum ſimile, quæ ſolos admittunt potentes, & locupletes, tenuibus autem, & parùm valentibus occludunt fores?

*Eandem cantilenam, ſed meliùs, ſuauiùsq; cantat Tomo ſecundo, Periochâ IV. Dominica infrà Octau. Natiuitatis Domini pag. 385. c. 2. o. & alijs in locis, quæ ad finem adſcripſi.*

## CAPVT VI.

*Quòd homines tam ſint mortaliter infenſi ſuis animabus, vt æterna ſua bona cum caducis, & temporalibus permutent, cæcitas eſt, & amentia, tamq; exquiſitum, & rarum prodigium, vt quò magis videtur, eò maiori ſit admirationi, quò ſæpiùs auditur, eò magis obſtupefaciat, & attonitum reddat.*

CReuit primogenitus Ruben, cùmque in campum tempore meſſis triticeæ exijſſet, inuenit herbam, quam appellant mandragoram, deditque eam matri ſuæ Liæ. Vidit mandragoras Rachel, tantaque earum cupiditate inflammari cœpit, vt ſibi eas dari à ſorore petierit. Arripuit hanc auidè occaſionem Lia, & cum ſtomacho dixit: Nonnè ſatis eſt, totum marito meo expectoraſſe animum, omnemq; illius tibi rapuiſſe beneuolentiam, & in te tranſtuliſſe affectum, vt nunc etiam mihi adimere velis has mandragoras, vnicam præſentis oblectationis meæ, & qualiſcunque voluptatulæ materiam? Audiens hæc Rachel reſpondit: Mitteſis, ſoror mea, iſtas querimonias: Nam ſi ego fruitura ſum hac nocte marito noſtro, tibi illum volens, ac lubens cedo, dum me in vicem modò herbâ, quam filius tuus attulit, dones: *Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui*; Geneſ. 30. 15.

Vt perſpicua vobis fiat res, quæ me primùm permouit, vt hoc affirmarem, quod capitis huius titulus habet, neceſſum eſt breuiter exponere qualitates herbæ, quâ tantopere capta Rachel fuit, vt mariti vſuram, quam nocte proximâ ex conuento habitura erat, ſorori pro illa offert. Sanctus Auguſtinus ex admiratione commutationis, quam Rachel fecit, accenſum ſe dicit deſiderio ſciendi quænam herba, quis frutex, aut flos fuerit, qui tantam in Rachele excitauerit ſui cupiditatem, & *rem comperi*, inquit lib. 22. contrà Fauſtum, cap. 56. *pulchram, & ſuaueolentem, ſapore autem inſipido, & ideò cur eam tantoperè concupierit, ignorare me fateor.* Et ſanctus Cyprianus lib. de Operib. Cardinal. in prologo ait: *Rachel ad odorem, non ad eſum Lia mandragoras concupiſcit.* Tantundem affirmat Doctor Angelicus in cap. 30. Geneſios ex autoritate ſancti Auguſtini dicens: *Vnde videtur, quòd curioſitate fœmineâ voluerit illa poma, quamuis enim non ſint apta eſui, ſunt tamen pulchra, & odorifera.* Ioannem Druſium legat, qui plura de fruticis huius conditionibus ſcire cupit. Verum P. Ludouicus de Alcazar magis ſedabit curioſitatem, qui tam exactè deſcripſit omnes illius proprietates, & naturam totam, vt non reliquerit quidquam vlli ſcriptori, de quo laborare deinceps, quod ad hanc rem attinet, poſſit. Illud præterea conſtituendum, quòd ſanctus Iacob, vt Interpretes ferè aiunt, quò pacatas haberet vxores, omnemque illis corrixandi materiam adimeret, cum illis ex pacto conuenerat, quod ſuas cuique noctes ex ordine dare vellet. Hinc arbitrari poſſumus admirabilem noſtri Iacobtis continentiam, raramque virtutem, & honeſtatem, quatuor vxorum eius, quæ tam facilè, citràquè vllam querimoniam, & altercationem voluntati mariti ſe permiſerunt. Rachelis tamen temperantia maior meretur laudem, quòd parem ſe haberi alijs hac in re tulit, quæ ſe chariſſimam, dilectiſſimamque marito ſciebat, & pulcherrimam eſſe non ignorabat.

Ad rem nunc accedamus. Racheli nox proxima coſtituta erat, quâ mariti copiam habitura eſſet, & pro tantillo frutice, vilique plantula ius ſuum Liæ ſorori ceſſit. Non poſſum hîc non damnare factum, arbitriumque Rachelis, quòd pro exigua recula vnius plantæ, quæ odoratum parùm oblectabat, & guſtum grauiter offendebat, mariti ſui honeſtæ conſuetudini tam leuiter renuntiauit, & mariti, qui ſeptênis ſeruitutis laborioſiſſimæ magno pretio eam ſibi comparauit, eiusque gratiá & æſtatis iram, & hyemis rigorem tam diu tolerauit. Habemus in hoc facto Rachelis adumbratum id, quod nos nimis, eheu, ſæpè, & in horas penè ſingulas agimus, qui pro perituris, & momentaneis voluptatibus nimiſquàm ruſticè, viliter, & propudioſè tergum obuertimus beneuolentiſſimo, & pientiſſimo Domino noſtro, qui non tres annos tantùm, vt Iacob, ſed triginta tres pro nobis in labore, & dolore, & omni miſeriarum genere exegit, & ſic tranſmiſit, vt nullum lucrum, commodum-

modumué sperare potuerit, aut voluerit ex tantis ærumnis, ex tantis calumnijs, ex tanta fame, ex tanta siti, ex tantis periculis, ex tantis contumelijs, & probris, ex tantis colaphis, ex tot flagris, ex tanta sanguinis effusione, deniqué ex cruce (vt eâ afflictationes illius, cruciatusque omnes obsignem) tam ignominiosa, in qua innocentiæ auctor sic occubuit, tanquàm caput omnis malitiæ fuisset. Rachel noctis vnius dulce cum marito commertium curiositate fœmineâ perdidit: Nos verò claritatis æternæ iacturam facimus pro turpi, & vili voluptatula, pro flosculo vnico corporeæ oblectationis, tam fugacis, vt retineri non possit, tam breuis, vt momento eodem & nascatur, & extinguatur. Res hæc omnem superat admirationem, talisque est, vt terrorem, horroremque incutere rectè considerantibus possit.

Sanctus Lucas Euangelista refert, nocte Cænæ corrixari de primatu cæpisse Discipulos, & altercari, quis cæteris præferri, & primam occupare sedem deberet: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior*; inquit ille cap. 22. vers. 24. Extinxit iurgium illorum suauis Magister, iussitq; attendere, quantùm obligarentur sectari humilitatem, vt qui præstantissimum ob oculos haberent illius virtutis, viuumque exemplar, in quo tanquàm in terso speculo videre possent, quomodo se demissè gerere, & submittere omnibus deberent, cùm ille, qui infinitus Dominus esset, descenderit, non vt seruorum ministerijs vteretur, sed vt alijs minister famularetur. Posthæc statim subiecit: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; ibid. v. 28.

Cardinalis Caietanus perattentè expendit rationem, ob quam Dominus tunc curandos putauit Apostolos, quando ambitionis vitio laborare cæperunt. Videtur enim non satis commodam esse tali morbo medicinam, quòd sic eos appellat. Ne sitis ambitiosi, quià fortiter mecum inter aduersa perdurastis, nec à latere meo in tribulationibus, & ærumnis vos auelli siuistis. Hæc namque parum ad persanandam illam ægritudinem facere videntur, & conuenientius fuisse fortè quis dixerit, si infirmitatis, & miseriæ fragilitatis suæ illos commonuisset, quo tempore superbiâ efferri vidit: At reuocasse illis in memoriam, quòd fidi, constantesq; in tribulationibus socij fuissent, non videtur satis opportunum eiusmodi infirmitati remedium. At quoniam fateri debemus, fuisse præsentaneam medicinam, inquiramus, qualis fuerit illius ad curandum id malum efficacitas.

Cardinalis Caietanus: *Reuocat ante oculos eorũ, quòd secum perseuerauerint, ac si apertiùs diceret: Considerate tanti temporis laborem*, quem exantlastis *mecum perseuerando, & hinc perpendite quàm dedeceat vos in ambitionis vitium modò incidere.* Cœlestis prudentia fuit, quòd superus Magister ægros discipulos reddidit memores temporis, quo ipsi cohæserant animosi, vt vitium ambitionis illis adimeret, perinde enim fuit, acsi dixisset: Recogitate dies, quibus mecum perdurastis, recogitate merita, quæ vobis comparastis, recogitate spirituales diuitias, quarum lucrum ingens fecistis, recogitate gratiarum thesauros, quos acquisiuistis, recogitate, res tantas, tamque pretiosas cum inanis gloriæ, & vani ambitus leuissima aura commutare velle, esse temerariam stultitiam, & emotæ mentis inditium, velut insaniæ certum argumentum esset, si quis inæstimabilis pretij adamantem pro titiuillitio exponere venalem vellet: *Considerate tanti temporis laborem perseuerando mecum, & hinc perpendite quàm dedeceat vos in ambitionis vitium modò incidere.* Ac si tres calamitatum fortiter toleratarum annos cum honoris ambitione commutare valde indecens erat, quo nomine donabimus eorum dementiam, qui æternæ gloriæ iacturam faciunt, quò voluptate aliquâ tam vili, quàm leui frui ad momentum queant?

Venit communis humani generis inimicus, vt pium damnorum nostrorum Reparatorem tentaret. Et primò quidem congressu duris lapidibus illum appetijt, qui tamen non plus effecerunt, quàm si blanda cera ad flammam ardentem propiùs accederet. Posthæc duxit illum in locum templi editiorem, atque inde vanæ gloriæ aspiritu illum deijcere volenti hoc accidit, quod vehementissimo vento venire solet, qui suo flamine vastissimam rupem tentat, vt euertat. Non remisit tamen de pugnandi pertinacia, sed totum orbem velut in tabula geographica lynceis illius oculis exposuit, inquiens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*; Matth. 4. 9. acsi pluribus dixisset: Quæcunque hîc vides, ea pedibus tuis, potestatique subijciam, dum tu meis tantùm accidas, & me humilis adorationis veneratione in terram effusus colas. In quauis tentatione ostendit dæmon singularem aliquam suam conditionem, & qualitatem. In saxis suam crudelitatem detexit, in templi pinnaculo sacrilegam suam malitiam aperuit, in monte autem modicam suam scientiam, & plurimam ignorantiam enudauit. Immanitas fuit lapides obtulisse famelico, blasphemia suasisse scelus in templo, & stultitia mundum obtulisse Christo in monte.

monte. Quâ autem re prodidit stultum suum in postrema tentatione cosilium? Ex quonam cæcam illius dimicandi, & oppugnandi rationem arbitrari licet? Quinimò prudenter, consulteque egisse dæmon videtur, quòd cùm semel, iterumque nequicquàm conflixisse cerneret, totius mundi subire periculum, iacturamuè non curauit, dum vel tali dispendio vnam sibi aliquando victoriam pararet. Quē enim lapidem superbus non mouet, quæ incommoda non contemnit, vt pertinacium votorum compos fiat? Secundùm hæc quomodo affirmamus, quòd damnatus Lucifer insaniæ suæ luculentissimum, & insignitum specimen dedit, cùm Christo orbis terrarum imperium, ac dominium obtulit? Videamus pro qua re tam opulentam remunerationem illi promisit? Pro leui aliqua submissione, pro assentatoria quadam comitate, pro adoratione momentanea, inquiens: *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me.* Dicit nunc Euthymius: *Quomodo, ô dolose, tot, ac talia commutas vnicâ adoratione!* Quomodo pro tantillo vnius adorationis officiolo copiam mundi totius promittis! Hinc verò, hinc cæcam versuti dæmonis ignorantiam æstimare licet. Nam si ille verè fuisset Dominus mundi, offerre illum pro re tam exigua, quàm est vnum officiosæ vrbanitatis obsequium, sine turpi, & euidenti stultitiæ nota non potuisset. Res namque tam ingens, & præstans, quàm est totius mundi Dominium, pro vili vnius adorationis pretio dari non debuit.

Construamus ex his argumentationem. Si dæmon mundi dominus fuisset, ac proinde nonnisi insipientissimè illū pro re tantilla dedisset, quanquàm mundus ipse caducus sit, & breui interiturus: Quāta insania sit, pro breui, & momentanea voluptate iacturam regni facere, & renuntiare imperio, quod ipsiusmet vitam duratione exæquat? Itaque homini Christiano, quicunque tam pudendas, & infelices facit commutationes, dicere poterimus: *Quomodo, ô dolose, tot, ac talia commutas vnicâ voluptate!* Cæce mercator, perdite nundinator, stulte, dolose, ac deluse negotiator, quomodo tam pertinaciter aspernaris pretiosum adamantem, illum non alio, quàm incomparabili Agni immaculati sanguine elaboratum, vt pro fœdo, ac sordido momentaneæ volupatis pretio eroges, & indignissimè profundas?

Ridet magnus Tertullianus illum mundi terrorem, & stuporem hominum Herculem, qui tot regna subiugauit, tot vastauit ciuitates, tot leones concerpsit, cuius fortiter gestis conferta sunt tota fabulosarum narrationum volumina. Iste ergo monstrorum domitor, iste impossibilium superator, & magnificus victor ità demùm viluit, & sorduit, vt fallacibus blanditijs libidinosæ voluptatis succubuerit, atque ità succubuerit, vt formidabilem vestitum suum (quis credidisset?) cum delicato, ac molli fœminarum habitu commutaret, filia ad colum sicut mulier inter mulieres duceret, qui solo nominis sui auditu perterrefacere viros fortissimos solebat. *Turpiùs adhuc libido virum cultu transfigurauit* (inquit ille lib. de Pallio c. 4.) *quàm aliqua matrem formido, qui erubescendus est scytalosagitti-pelliger, ille qui totam epithets sui sortem cum muliebri cultu compensauit.* Nulla vnquàm amantissimam matrem inauspicata, & inopinabilia perditi filij nuntia sic deturpare potuerunt, vt Herculem vestis fœminea fœdauit. Quis adorare possit hominem tam inuerecundum, & impudentem, impotentēq; sui, illum, aio, cui pro facinorum præclarorum suorum merito hanc tam ampullosæ appellationis titulum concesserunt, vt *scytalus sagitti-pelliger* diceretur (quod nomen annum requirere videtur, vt rectè commendare memoriæ possis) hoc est, *vir clauam, spicula, & exuuias leonis circumgerens.* Hunc autem, qui thrasonicum illud, & pompale præferebat nomen, quo remotissimis mundi prouincijs terrorem incutiebat, videte quàm infelix iaceat, qui eò sese abiecit, vt tanti nominis apparatum perderet, quod vilis mulierculæ vestem induere non erubuit: *Totam epithets sui sortem cum muliebri cultu compensauit*, & cum claua colum, fusum cum sagittis, cum leonis horribili pelle togam muliebrem commutauit, & hac turpi, inconsulta, & stulta actione tanquàm sordidā liturā amplissimū illustrium facinorum suorum librum fœdauit.

Hoc ipsum miser, & infelix peccator facit, quoties Creatorem suum offendit. Christus est generosus, & fortis leo de tribu Iuda. Hunc leonem induunt, quicunque sacro fonte ablui initiantur, quemadmodùm docet Apostolus Galat. 2. 27. inquiens: *Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Christum ergo induti, & pro claua crucem illius præferentes, clauosque pro sagittis, vel et inuicti quidam Hercules efficimur, sed per fœdam voluptatem tam præclarā veste, omnique gratiā nudamur, & cùm maiore iure, quàm ille, dici possemus, scytali sagitti-pelligeri (vt qui loricam ex pelle inuicti leonis Christi confectam vestimus, & formidabilem crucis clauam manu gestamus, & celeres diuini amoris sagittas iaculamur, eisque ardentes ictus veteratoris inimici retundimus) pro vna sordida oblecta-

blectatiuncula omni hoc ornatu, nomineque adeò tam celebri destituimur, *totamq; epitheti nostri sortem cum muliebri cultu compensamus.* Omnibus titulis nostris, immunitatibus, priuilegijs, exemptionibus, iuribus renuntiamus, & filij dæmonis efficimur, idque pro quadam & vili, & fugacissima voluptate. Fieri non posset, vt fidem inuenirent, quæ diximus, nisi creberrima experimenta eandem veritatem comprobarent.

Admirabilis est modus, quo vrbanus Propheta exaggerat dolorem quendam suum, & stuporem, qui tantus sit, vt ab illo velut mortuum cor habeat viuo in corpore: *Emarcuit cor meum, tenebræ obstupefecerunt me;* inquit Isaias c. 21. v. 4. Vnde verò horror ille tantus, & stupor descendit? *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum;* ait, tanquàm dixisset: Detegam vobis terroris mei totam originem. Prodigium video, id mihi stuporem adfert. Quid illud porrò portenti cernis, Domine? Illud, quod Israelitica mea, illa tam chara, & amata patria conuersa est in confusam, & turpem Babylonem. *Et meritò es mihi miraculo,* (inquit Domin⁹ apud sanctũ, & Seraphicum Bernardinum Senensem sabbat. post Domin. 5. Quadrag. serm. 38. tom. 4.) *quia propter modicum corporalis delectationis vis perdere infinitam, & perpetuam lætitiam paradisi.* Hoccinè verò in miraculis Propheta numerat, quòd Israël in Babyloniam populum transformatus, æternam paradisi quietem, & amœnitatem cum fallaci, quàm fugitiua voluptate permutauit? Hocciné tantum stuporem illi adferre potuit, vt penè attulerit mortem? Miraculum id vocatur, quod rarò videtur, prodigium dicitur, quod totis sęculis vix auditum. Quod rarum, idem mirum, quod insolens id obstupefacit, vt si laboret sol, vt ait Seneca, vel si mortuus excitetur, vt vult sanctus Augustinus: At quod passim obuium est, aut frequenter occurrit, perdit suam admirationem, sic enim & quædam miracula *assiduitate viluerunt,* inquit idem Augustinus Tract. 24. in Ioan. si Sol quotidie eclipsin pateretur, nemini nouum, mirabileque accideret.

At cùm nihil sit vsitatiùs, quàm sordidas videre cæcorum peccatorum permutationes, qui æternis delitijs ex amore temporalium, earumq; turpium, & abominabilium renuntiant, cùm nihil aliud tam sit obuium, quàm insignes eiusmodi stultitiæ, quomodo hæc Prophetæ visa fuêre miracula? *Facta est mihi miraculum.* Quæro rursum: Quomodo miraculum stultè illa facta, quibus nihil magis tritum ac peruulgatum? Miraculum dicitur, vt vel hinc videas, tantam esse illorum insaniam, & amentiam, qui pro momentaneis, sordidis, ac nihili rebus susq; deque habent, & deserunt bona æterna, thesauros indefectibiles, vt quanquàm res eiusmodi quotidie in oculos, in aures, in manus incurrant, semper tamen sint admirationi, & stupori tanto, vt in miraculis, & prodigijs censeantur. Esto frequentissimè talia occurant deliria, esto phrænetícos tales pene vbique habeamus obuios, qui tam viles, atque indignas faciunt commutationes, obstupescimus nihilominùs velut ad inauditi miraculi aspectum, & incredibile nobis videtur, quòd tanta in hominem cadere possit stupiditas, & mentis alienatio. Hoc est prodigium, quod suum seorsim chorum habet particularē, cùm cætera quidem eò plus habeant miraculi, quò rariùs videntur, & audiuntur, illud verò maiorem inde adferat horrorem, quod tam frequenter audiri, & videri contingat. O miserum peccatorem! Meritò bestiam te sacrum Oraculum nominat, & alienam ab omni ratione pecudem, & crebrò tibi dicit, quòd bruto quouis magis brutus es, vt qui pretiosum monile animæ tuæ venale vilissimo exponas, & inæstimabilem Reparatoris tui sanguinem turpiter prodigas, & aurum bonorum æternorum purum, ac putum cum puluere, luto, vento caducatum, & spurcarum delitiarum harum corporalium permutes, & tantis sumptibus res despicabilissimas, indignissimasque plusquàm stultus nundinator tibi merceris, cùm tam facili negotio, & velut per otium tibi comparare possis, quæ tam perdurabilia sunt, & æterna.

*Non habet nihil cum his affinitatis Periocha quintæ Dominicæ II. post Pentecosten pag. 103. c. 2. o. Tomo secundo.*

## CAPVT VII.

*Augmentum proprium nullâ artè faciliùs, magisq; industriè curaueris, quàm si profectui studeas aliorum, in domo enim Dei sibi commoda parat, qui alijs bona accumulat.*

REddita fuit Liæ subtracta aliquamdiu, & impedita per Dei secretam prouidentiam gratia fœcunditatis, cumque tam insignito beneficio se onerari sancta matrona cerneret, grata pro tanto munere ait, hoc sibi indè venisse, quòd ad exemplum suæ sororis curauerit, vt famula sua Zelpha Iacobi marito nuberet, quæ vt ante illam Bala, sic concepit, & peperit filium dictum Gad, qui & ipse caput fuit vnius ex duodecim tribubus gentis Hebrææ. *Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam viro meo,* aiebat

aiebat illa Genes. 30. 18. velut dixisset: Rediȷt mihi illud à liberalibus Domini manibus fertilitatis beneficium, eam haud dubium ob causam, quòd tam comis, & beneuola ergà famulam meam fui, auxiq; illam statu, & feci, vt materfamilias, & vxor domestica fieret, quæ fuerat ancilla, & vxor fieret non qualiscunque viri, sed illius, cuius posteris Deus tam multas immunitates paratas, priuilegia tam grandia constituta habebat.

Hinc possumus & Politico nostro, & omni homini officia charitatis amanti doctrinam valde consolatoriam eruere, vt solicitè, affectuoseq; inuigilet, ac studeat commodis, & profectibus aliorum procurandis: Ingeniosa namque hæc industria est, & artificiosus modus sua non tantùm stabiliendi, sed & amplificandi, etenim in domo Dei certò sibi inuenit, qui alijs bona ex charitate quærit.

Voluit Dominus Apostolis suis ostendere, quantum hi, qui se discipulos illius profiteri vellent, tenerentur mutuas sibi inuicem condonare iniurias, & hæc tùm illis, tùm omnibus nobis ait: *Attendite Vobis. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi*; Lucæ 17. 3.

Hæsit in primis huius exhortatorij sermonis verbis Sanctus Petrus Chrysologus, mysteriumq; notauit in eo, quod dicitur, *Attendite Vobis. Non dixit, Attende tibi*, inquit ille Serm. 139. non dixit Dominus, Prospice negotijs tuis, cura profectus tuos, & incrementa rerum tuarum, sed *Attendite Vobis*, tanquàm dixisset: Consulite mutuò rebus vestris, inuigilate inuicem commodis vestris, & proximorum vtilitati studete. At nonnè Dominus cupiebat, vehementerque etiamnum cupit, vt vnusquilibet sua incrementa spiritualia, & animæ profectus curet? Quis dubitet? Quomodo ergò contrarium suadere videtur, dicens cuique, vt sua oblitus commoda alienis consulat, & studeat lucris? Quomodo desiderium illud prius cum hac doctrina posteriore cohæret? Optimè, inquit Chrysologus, idque ex eo, quod Capitis huius titulus habet: *Quia quidquid alteri attenderit homo, attendit sibi, & quantum Videbit ipse alteri, Videbit alter ipsi.* Eadem doctrinâ, & operâ, quâ iubet, vt quisque attendat, consulatq; proximi sui rebus, etiam contradit industrium modum, quomodo curare negotia propria debeat, nam quo studio quis vtilitatem quærit alienam, eodem curat, & inuenit propriam. Quam in rem etiam Sanctus Basilius Magnus homil. 4. de gratiar. action. sic differit: *Qui Vltraneo mœrore se afficiunt ob peccata proximorum, haudquaquàm per id lætitiam exinaniunt suam. Veriùs auctiorem eam, & cumulatiorem reddunt.*

Quàm benè dictum illud, *Non exinaniunt lætitiam*! Metaphora videtur, sumpta ab eo, quod puteo accidit, qui eò magis exinaniri putatur, quò plus ex illo aquæ hauritur. At non est ità, quod enim hinc illi extrahitur, id aliunde copiâ maiore redditur. Ità si quis existimet, inquit Basilius, omnem suæ lætitiæ voluptatem siccandam, solatiorumque thesaurum totum vacuandum, quòd peccata lugeat, & defleat aliena, ille fallitur, quià ad eum modum potiùs auget, & amplificat bonum, quod sibi decedere existimat: Nam vt per illam tristitiam procurat proximorum lætitiam, quæ in eo consistit, vt Deus illis sua scelera condonet, sic quò plures lachrymas pro aliorum salute verterit, quò magis, enixiùsque fratrem deplorârit, eò magis stabiliet, augebitq; lætitiam propriam. Qui enim aliorum quærit gaudium, quomodo sibi non inueniet proprium?

Illa quatuor animalia, quæ mysticum suum tam æqualiter trahebant currum, & ostensa fuerunt Ezechieli, expansas habebant singula suas alas, tanquàm operire, protegere, & inumbrare vellent: *Facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper, duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum*; Ezech. 1. 11.

Notandum quòd translatio quædam, quâ Sanctus Gregorius vsus fuit, sic habet: *Vnumquodque duabus alis Velabat corpus suum.* Vidit idem sanctissimus Pontifex editionem bibliorum nostrorum vulgatam, aitque, videri has mutuò pugnare versiones, & quærit, quomodo rectè intelligi queat, quòd hæc animalia corpora tegebant aliorum, si alis ambabus inumbrabant propria. Quomodo eisdem alis tegebant & sua corpora, & obnubebant aliena?

Respondet beatissimus Doctor homil. 7. in Ezechielem, dicens: *Ipsæ erant pennæ, quæ iungebantur alterius ad alterum, & ipsæ, quæ eorum corpora cooperiebant. Quod per figuram benè accipitur, quià illæ nos Virtutes apud omnipotentem Deum protegunt, quas ex charitate proximis impartimur, atq; coniungimus.* Vt erat imaginaria visio, ità symbolum erat, quidquid illa continebat. Quod ergò Propheta vidit res in speciem tam contrarias, nimirùm quod animalia illa eisdem alis, quibus socia animalia obtegebant, se multò magis operiebant, mysterium fuit, eoque significatum, quòd qui in domo Dei ex charitate tegit nuditatem proximi, is suam magis tegit, & qui ex suis facultatibus subuenit egestati aliorum, is suarum opum augmenta multò ampliùs procurat.

Certò enim sibi inueniet, quisquis alijs quærit. Nam vt Sanctus Sidonius Apollinaris lib.6.epist.12. ait: *Aliquis aliquem, ego illum præcipuè puto suo viuere bono, qui viuit alieno*, hoc est: Sentiat, dicatq; alius quidquid illud libet, ego illum rerum suarum incrementis vel maximè intentum arbitror, qui vtilitatibus studet alienis, & commoda proximorum solicitè, ac diligenter procurat, vt sua Dominus tanquàm propitius pater augeat.

Hinc accipiemus sensum quorundam Euangelij verborum, quæ mihi semper visa difficilia. Redijt in vitam triumphator mortis Christus, vultumque & habitum indutus hortulani apparuit Magdalenæ, quæ lachrymabunda sacri cadaueris pretiosum thesaurum perquirebat. Simul autem ac detractâ laruâ sese apertè conspiciendum exhibuit, illa gaudio exultans victricibus plantis eius accidere voluit. Inhibuit subitam deliberationem Dominus, inquiens: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*; Ioan. 20. 17.

Difficultas consistit in ratione, ob quam aiebat Dominus Magdalenæ, quòd illam ad tactum pedum suorum admittere nollet, inquiens: *Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum*, nondùm secundùm carnem occupaui sedem, quæ mihi in regno æterni Patris mei seruatur. Hæc interdicti attactus causa multum laboris Scriptoribus, Doctoribusq; sacris attulit, quorum sententias omnes plurimùm veneror: Moderni tamen cuiusdam Interpretis aptissima, & appositissima videtur commentatio.

Quid est, quod volebat Maria Magdalena? Abijcere se ad pedes sui Magistri, illosque suauiter complexari, & reuerenter, vt par erat, incessanterque deosculari, & immorari, immori etiam, si ità oporteret, gaudio, quo ibi fruebatur, quo perfundi ampliùs ex illis pedibus optabat. Itaque alios oblita, qui hoc anxiè afflicti lugebant, quod illa paulò ante acerbè deplorârat, volebat sola tanto bono gaudere. Vt verò Dominus illam doceret solertiam, & industriam, quâ hoc ipsum consequi meliùs, faciliùsque posset, ait ad illam: Non sic erit, vt tu putas, perge antè ad fratres meos, & condiscipulos tuos, eisque nuntia bonum, quod inuenisti, ego interim hîc maneo, neque ad patriam æternam tam citò abeo. Esto tu diligens, & solicita procuratrix commodi alieni, ità fiet, vt fruaris proprio, fac gaudeant fratres tui, hoc enim faciens, & ipsa lætaberis. Ne timeas, quòd diuitiarum tuarum imminutionem patieris, si hunc thesaurum alijs, vt eodem gaudeant, detexeris, immò hinc magis opulesces. Nec verearis, quòd ego me hinc festinatò proripiam, dum tu Apostolis mei rediuiui, & tuæ felicitatis nuntia perlatum vadis, quin potiùs certum habe, quòd me hac ratione magis fixum hîc retinebis, pedumque meorum complexu diutiùs, voluptuosiùsque perfrueris.

Audiamus iam doctissimum P. Franciscum de Ribera, cuius sunt ista in c. 20. Ioannis: *Sciebat Magdalena Christum fore ascensurum, nec posteà se fruituram eius conspectu, & colloquio, ideò occasionem datam tangendi Christum elabi nolebat, cui ait Dominus: Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum, vade autem ad fratres meos, id est, tempus tibi restabit tangendi, & colloquendi, adhuc enim sum in terra, nec ascendi in cœlum, ideò noli nunc morari, sed gaudio, quo frueris, fac vt fruantur Apostoli.* Admirabilis doctrina, & perutilis ad nos excitandos, vt charitatis officia nostris intrepidè exhibeamus proximis, qui scimus quàm certum habeamus nostrum remedium, & solatium, dum solatio, & remedio illis subuenimus, nullumq; esse magis securum vadimonium, aut cambium, nullum præstantiorem aut efficaciorem modum amplificandi nostras opum facultates, honorem, statum, diuitias, quàm alijs procurare bona, eorumque defendere opes, conseruare famam, sustentare vitam.

Huc spectabat Sanctus Gregorius Nyssenus in Orat. de Pauperibus amandis, quando aiebat: *Calamitate affectum vt aurum amplectere, infirmam pauperis valetudinem ità foue, vt in ea sanitatem tuam, & salutem vxoris, & filiorum, & seruorum, & totius deniq; familiæ sitam putes.* Quanto enim studio curatur ægra valetudo proximi, & necessitati eius fertur remedium, tanto negotium nostrum agitur, & salus curatur propria, & quidquid commodamus alteri, id nobis inprimis, & vel maximè prodest.

In breui illa parabola, quam Dominus prædicauit suis Discipulis, postquàm celebrem illam peccatricem Samaritanam Fotinam conuertit, dixit aliquid difficile, & obscurum. Instituens enim comparationem inter seminantem, & metentem, eosq; admodùm distinctos, & diuersos faciens, concludit inquiens: *Qui metit, mercedem accipit, vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit*; Ioan. 4. 36.

Difficile, vt dixi, intellectu est istud, nunquàm enim ars agriculturæ tribuit gaudium seminanti, at metentem lætari affirmat non semel. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua*, ait ille rusticationis

valde peritus Psal. 125. 6. idque propter incertum laboris fructum: Verùm cùm demessæ colliguntur, & in horrea inuehuntur fruges, cùm sudoris, & fatigationis,& solicitæ expectationis lucra colliguntur, tum gaudium, & lætitia, de quo ibidem : *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Et Isaiæ 9. 3. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Secundùm hæc quid est, quod Dominus aiebat : *Vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit,* cùm omne gaudium falci magis, quàm aratro seruatum videatur?

Vt sensum itaq; verborum illorum percipiamus, notandum, quòd hic metaphoricè locutus fuit Dominus,& Prædicatori quidem dedit nomen seminatoris, auditori verò nomen collectoris frugum, seu messoris, qui in animæ suæ terra seruat verbum Dei, vt optatum fructum reddat. Atque vt intelligatur, quomodo ille, qui in domo Dei alijs quærit, sibi inueniat, dicit Christus, quòd tametsi aliud sit seminare,aliud colligere,siue excipere verbum Dei, aliud prædicare,aliud audire, & non sit idem serere, ac metere, si ex vsu agriculturæ corporalis de his rebus loquamur, plurimùmque distet falx à vomere, quòd illius sit iucundus, huius tristis, & morosus labor: In spirituali tamen agricultura idem est serere, & metere, qui enim ex charitate seminat prædicando, consequetur gaudium illius, quo fruitur is, qui metit excipiendo, & audiendo, hoc ipso enim,quod Prædicator studet quærere, & adferre fructum auditori seminando,siue concionando, certò sibi persuadere potest, quòd metit, & colligit messem, & fructum sibi inuenit.

Audiamus Guilielmum Ebroicensem huius commentationis parentem, qui in c. 26. Gen. claus. 3. Moralit. 2. To. 2. sic habet : *Procurando proximorum salutem procurat, & auget seminans verbum Dei salutem propriam, quasi pro seipso laborans. Vnde benè ad propositum loquitur Christus dicens, Qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. Et est sensus: Qui seminat verbum Dei, & experitur auditores inde proficere, & effici meliores, debet inde gaudere, gratias agens Domino Deo, qui talem profectum operatur interius.* Quis ergò hæc audiens non sit admodùm liberalis ergà proximum suum, profectumque illius ex charitate ardenter procuret, sciens in domo Dei neminem sibi honorem, diuitias, salutem, quietem ingeniosiùs, solertiùsque parare posse, quàm si proximorum egestati subueniat, necessitatibus opem ferat, nudum pauperem vestiat, honorem, & existimationem eorum, quibus dedecus infamiæ illatum, tueatur, consoletur afflictos, visitet ægros, manum lapsis offerat? Tali enim charitatis solicitudine, tali pietatis studio, tali misericordiæ operâ sibi honorem, leuamen, salutem, & quod ampliùs est, bona sempiterna certò parabit.

*Tomo primo Periochâ II. Feria V. post Cineres pag. 27. c. 2. 0. habes de hac re plura.*

## CAPVT VIII.

*Quanquàm sterilissimus peccator in extremum malitiæ prolapsus sit, non aperiat tamen desperationi portam, quamdiu enim viuit, semper patent fores veniæ, & indulgentiæ.*

TAndem aliquando ardentium desideriorum suorum compos facta Rachel diu optatum edidit filium, per quem præclaram,& illustrem inclyti, ac nobilis mariti sui prosapiam propagaret, & longiturni dedecoris vexationem perdiu expetiti conceptus, & partus monili redemit, cùmque Iosephtem suum eniteretur, inquiebat : *Abstulit Deus opprobrium meum;* Genes. 30. 23. tanquàm dixisset : Gratias ago clementissimo Domino, qui me tam insignito beneficio tam liberaliter ornauit, & honorauit. Iucundissimam post hanc vitam meo tam suaui pignore læta ducam, quòd coniugem meum arctiori amoris vinculo mihi adstringit, quòd gloriam meæ familiæ, gaudium parenti, leuamen anxietatum mihi adfert.

Notandum hîc, quòd illa, quæ tot cum gemitibus, & lachrymis venit ad maritum suum prolem ab illo petens, & talia cum ingenti eiulatu dicens : *Da mihi liberos, alioquin moriar;* Genes. 30. 1. siue vt Hebræus apud Caietanum habet, *En mortua ego,* subaudi, nisi me sobole dones, cùm aliquot annos in sterilitate transmisisset, & liberos inanibus diu votis postulasset, demùm benedictionis fructum consecuta fuit, & post multos dies velut exsucca arbor virescere cœpit. Ex hoc arido cortice doctrinam suauem, & spiritui admodùm profuturam excerpere possumus, eam videlicet, vt nullus in hac vita despe- ret quantumuis aridus, sterilis, inutilis, & perditus peccator quisquam sit,aut existimetur, tametsi enim in extremos malitiæ fines peruenerit, tametsi lethalissimè sit vulneratus, dùm non desperet æger, in misericordia Dei habet repositum suum remedium quæuis illa plaga,vt curari possit, & sanari. Nam vt Magnus Basilius in homil. de Pœnit. aiebat : *Spes est etiam post peccatum, medicina est etiam post acceptum vlcus.* Post qualecunq; flagitium spes reliqua

est

est indulgentiæ, nec vlla tam est periculosa ægritudo, vt non conualescere ab ea possit infirmus, in cuius potestate, & arbitrio est, vt auxiliaris manus diuinæ ope adiutus consanescere, & à grabato infirmitatis suæ exurgere queat, cùm etiam talem medicum,& medicinam præstò habeat. Quantumuis infœcunda quædam Rachel sit anima, non diffidat, fieri enim potest, vt fructum benedictionis consequatur, si benè, vt debet, se disposuerit, atque superno auxilio rectè vsa fuerit.

Habebat suas æmulas illa de Canticis Sponsa, quæ vitam illius, omnesque actiones attentis explorabant, obseruabantque oculis. Cùmq; illa animaduerteret, errata quædam sua, & imperfectiones, sine quibus etiam circumspectissimus, & solicitissimus vix in hoc mundo viuere potest, ab inuidis notatas,improbum illarum vitæ alienæ indagandæ studium talibus verbis perstrinxit: *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem*; Cant. 1. 4. velut dixisset: Habeo meas, filiæ Ierusalem, fateor, mendas, habeo defectus, nec enim est aliqua sine suo næuo facies, quamuis numeris suis omnibus alioquin absoluta: Veruntamen gratias agere debeo Sponso meo pro collatis aliquibus gratiæ ornamentis, quibus tanquàm lituris tollo fœditatem negligentiæ, quam mihi impingitis, & vitia, quæ obtruditis.

Quibuscum Sponsa loquitur? Cum mulierculis æmulis, quas furor inuidiæ occupauerat, immaniterque cruciabat aspectus gratiarum, & prærogatiuarum, quibus Dominus Sponsam locupletauerat, vt propterea linguis illam aculeatis configerent, non secùs ac pungentes spinæ tenera sauciare candidorum folia liliorum solent. Hoc ipse Sponsus fatetur, qui peruersas, & damnatas liuidarum sociarū cogitationes attentus cernens, aiebat: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; Cant. 2. 2. Hoc ità constituto, quid est, quòd Sponsa filias Ierusalem vocat eas, quarum malitiam,inuidentiamq; non ignorabat? Sicciné animas nefariæ inuidiæ malo infectas, quæ per os Sponsi asperæ spinæ meruerunt appellari, rectè,congruenterq; filias Ierusalem Sponsa nominauit? Quomodo filiæ Ierusalem illæ tales erant? Vocentur magis, vt est apud Prophetam, *filia Babylonis misera*, quas dura æmulationis, & inuidiæ captiuitas turpiter subiectas habet. Quî factum autem, quòd tam honorificâ appellatione filiarum Ierusalem donatæ fuerunt, quibus alterum illud tam probrosum nomen debebatur?

Huic interrogationi satisfacit mellifluus Doctor Sanctus Bernardus Serm. 25. in Cant. inquiens: *Propter spem futuræ salutis (à qua omninò non sunt, quamdiu hic viuunt, vel tales desperandæ, quantumlibet viuant desperatæ) non incongruè filiæ Ierusalem appellantur.* Tametsi sociæ Sponsæ pro illo statu,in quo tunc degebant,merebantur nomen filiarum Babylonis, quæ in tanta culparum suarum confusione versabantur, nihilominùs vt illis animus adderetur, & significaretur, reliquum habere peccata earum remedium, & posse curari, dùm illæ modò huc se disponerent, ipsarum ægritudines, vocauit eas filias Ierusalem,vt quæ tam facilè possent assurgere à statu, & misera captiuitate Babylonis in dulcem libertatem Ierosolymæ: *Omninò non sunt, quamdiu hic viuunt, vel tales desperandæ, quantumlibet viuant desperatæ.* Nullum enim est tam graue peccatum, nulla tam periculosa infirmitas hominis in carne mortali degentis, quæ non habeat certum remediū, si tantùm infirmus non desperet posse sanari.

Obseruauit quidpiam Dydimus notatu dignum, estque illud, quod sacer Scriptor,cùm narrasset colloquium Domini cum perfido Cain de nefaria trucidatione sui fratris, & rebus alijs, quas occasioni alteri seruamus,mox commonet, quòd *egressus Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam*; Genes. 4. 16. Scriptura cùm in historia patientissimi Iobtis de malo dæmone loquens, recenset verborum pugnam, quâ ille cum supremo Dominó de incly ti Husitæ inculpabili vita contendit, ait, quòd ille Acherontis princeps, vt sancti Iobtis patientiam tentaret, & exploraret toleranтiam, *egressus est à facie Domini*, Iob 2. 7. Notauit ergò lynceus ille cœcus,quòd eodem modo loquitur Scriptura de Caino, & de malo dæmone, vt videantur verba, quæ nefario fratricidæ dicebantur, seruata fuisse damnato spiritui, qui obstinatus permanet, & inflexibilis persistit in sua sententia, & perpetrato semel apostasiæ scélere. Ex his fieri videtur, quorundam hominum peccata tam esse grandia,grauia, & horribilia, quàm fuit Caini flagitium, vt iam de ijs loqui possimus non aliter, ac si culpæ illorum pares essent crimini superbi angeli, cui nullum superest remedium,quià nullum admittit medicamentum. At cùm dixerimus, nullam esse inueniabilem; incurabilemq; culpam,quid est, quòd sacrum oraculum huic se videtur opponere veritati, cùm non aliter loquitur de peccatore homine, ac de obstinato, & inemendabili dæmone?

Occurrit huic quæstioni Dydimus in Caten græca in Iob c. 2. inquiens: *De diabolo magis propriè dicitur*, Exiuit à facie Domini, *cui par est in Dei cogi-*

*tatione, ac mente nequaquàm versari.* Quamuis sicut dæmon spiritus,ità vt Cain homo dicatur egressus à facie Domini, quamuis hoc vnum de vtroque eisdem verbis affirmetur, non par tamen amborum abitus, & defectio fuit. Satan enim à Deo abijt, quemadmodùm ab arca Noëtica coruus ille discessit, at homo quanquàm Deum per culpam destituat, non supremum vale illi dicit, neque sic, vt cacodæmon abit. Homini namque semper aperta relinquitur porta, vt patentem illam inuenire possit, quandocunq; reuerti velit. Semper etiam diductis brachijs, & passis vlnis illum præstolatur Deus, vt suscipiat, quantumuis ab illo prouocatus, enormibusque,& immanibus sceleribus offensus fuerit: *De diabolo magis propriè, quàm de Caino dicitur,* Exiuit à facie Domini. Dæmon, quique cum illo apud Inferos remum ducitant, ij soli sunt, quorum mala non habent remedium: Verùm homines reliqui quamdiu viuunt, quamdiu spiritus mortalem animat carnem, & fragiles regit artus, habent remedium, spemque salutis, & medicinam in pœnitentia repositam, quæ persanandæ quantæcunq; infirmitati, & curando desperatissimo morbo sat est.

Hinc facilè assequemur quorundam Apostoli verborum sensum, quæ hæreticis (quòd illi tam sint cœci,) stultorum quorundam errorum præbuerunt occasionem. Sanctus Paulus Hebr. 6. 4. sic ait: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, rursùs renouari ad pœnitentiam.* Videtur hîc Apostolus totam spei consequendæ per pœnitentiam remissionis,& indulgentiæ portam prorsùs obturare, cùm ait, *impossibile* esse eorum resarciri damna, qui bonorum cœlestium iacturam post illuminationem iterùm fecerint. At si Paulo non difficile hoc, sed planè impossibile videtur, quomodo nos idipsum non modò non arduum, operosumque arbitramur,sed & leui negotio obtineri posse affirmamus?

Respondet huic difficultati gloriosus P. Sanctus Ioannes Chrysostomus, dicens, diligenter expendentibus verba Pauli statim sequentia perspicuum fieri, quòd ille non de pœnitentia, sed de baptismo loquitur, vti mox declarat, inquiens: *Renouari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Quæramus nunc ex Chrysostomo, quid sit crucifigere Filium Dei, & respondebit, idem esse quod baptizari quempiam, iuxta illud eiusdem Apostoli: *Consepulti sumus cum eo per baptismum in mortem;* Rom. 6. 4. Per baptismum moritur vetus homo noster,& cum Christo velut tumulo infertur, cùm aquis piacularibus immergitur, sicque crucem illius, & mortem vitâ nostrâ, actionibusque imitamur. Quare Chrysostomus homil. 9. in epist. ad Hebræos ait: *Rursùs crucifigentes, hoc est quod dicit, Baptisma est crux, & vetus homo noster.* Ergò baptizari aliquem, idem est, quod crucifigere, & velle suscipere iteratò baptismum tantundem, ac rursùm crucifigere eundem Dominum. Hoc ipsum Apostolus ipse satis indicauit, cùm ait, impossibile esse eos renouari, qui semel sint *illuminati.* Hoc enim *illuminatorum* vocabulo, vt affirmat Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, censebantur baptizati in primitiua Ecclesia, idq; propter lucem agnitionis diuinorum mysteriorum, quæ in Sacramenti perceptione infunditur.

His ità prælibatis sententiam Pauli faciliter perspiciemus, qui postquàm dixisset, *impossibile* esse *rursùs renouari ad pœnitentiam,* non ibi substitit, sed vlteriùs progressus addidit *rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei,* siue quod idem est, iterùm suscipientes baptismum. Impossibile autem est, vt quis ad hunc modum pœnitentiam agens renouetur, & hoc velle est cupere quidquam, quod nunquàm erit. Ergò pœnitentiam Paulus non excludit, sed renouationem peccatoris iteratam per susceptum rursùs baptismum. Sic enim renouari impossibile, id enim medicinæ,& sacramenti nunquàm iteratur. At pœnitentiæ remedium semper in promptu est, iterùmq; & iterùm adhiberi potest.

Quapropter dicit Chrysostomus: *Quid ergò inquit, non est pœnitentia? Est pœnitentia, sed non secundùm baptisma. Est autem pœnitentia, & magnam habet vim, & quæ potest eum, qui est peccato immersus, si velit, liberare ab onere peccatorum, & eum, qui est in periculo, in tuto collocare, etiamsi veneris in ipsum vitij profundum.* Siccine post dissipatam paternæ hæreditatis substantiam, & decoctam, perditamque baptismi gratiam nullum superesset pœnitentiæ remedium? Est vtique & pœnitentia,& salutis, curationisque spes reliqua, vt sanari à culpa miser peccator non semel, iterùmué tantùm, sed quoties rectè se disponere velit, possit, quanquàm in ipsam se abyssum scelerum ingurgitauerit, tam longas enim manus pœnitentia habet, vt illas peccatori in profundissimum licet pelagus prolapso porrigere, atque inde eruere miserum, & in amicitiæ Dei tutissimo portu collocare possit, duoq; insignita eidem præstare beneficia, quorum alterum est, quod illum è lutulento, & graueolente cœno

eximit,

eximit, alterum, quod in sublimem gradum gratiosorum supremi Domini reducit. O immensam Dei infinitè pij bonitatem! *Potest & eum, qui est in periculo, in tuto collocare, etiamsi venerit in ipsum vitij profundum.*

S. Ambrosius lib. 3. Hexameron cap. 13. versùs finem ait, amygdalis hoc modo medicari solere agricolas, vt illarum ex amaris dulces fiant fructus, vt & tenebrent radicem eius arboris, & in medium inserant surculum alterius arboris, quam nos piceam, seu pinum dicimus. Quid hinc spiritualis emolumenti haurimus? Illud, vt nemo, donec hîc mortalis viuit, spem abijciat: *Nemo ergo positus in intemperantiæ lubrico de sui conuersione desperet*; inquit ille. Absit, & procul absit, vt desperet: *Ligna enim plerumque in meliores vertuntur vsus, & non possunt hominum corda mutari!* ait ille rursùm. Est industria, per quam fiat, vt arbor amaros fructus edere solita producat dulces, & non sit medicina, per quam iustus fiat, qui peccator erat? Derogare hoc Domini nostri honori, & existimationi videtur, qui & agriculturæ summâ peritiâ, & Patre agricolâ ità gloriabatur, vt hoc velut per ostentationem diceret: *Pater meus agricola est*; Ioan. 15. 1. Si ergo rudes, & agrestes rusticorum pueri medicari sciunt amygdalis, vt aiebat Ambrosius, eiusque plantæ corrigere certis remedijs amaritudinem, quomodò cœlestis ille tam sapiens agricola non inueniret, aut nesciret remedium curandæ arbori, quam tanti fecit, vt sanguine Filij sui rigauerit, quando videt amaros proferentem culparum fructus! *Ligna in meliores vertuntur vsus, & non possunt hominum corda mutari!* Habet remedium arbor, cui non alia, quàm vegetatiua anima, & non sit modus sanandæ plantæ, cuius anima rationalis! Quis sibi hoc persuadeat? Quantumuis arida sit, & amara per culpas hæc arbor, reuirescere tamen potest, & fructus pœnitentiæ dulcissimos producere.

Admirabantur Sponsam Angeli, quòd illa per inculta iuga montium, per asperam eremi solitudinem, tantam afflans fragrantissimorum odorum suauitatem, ascendens, ipsas nubes penetraret, superaretque. Dicebant autem: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij!* Cantic. 3. 6. Præstantia fragrantiæ eius exaggerari ampliùs non potuit, quàm quòd *vniuersi pulueris pigmentarij* odorem spirasse prædicatur.

Hoc nempè ex sententia Doctoris Angelici Thomæ, & Seraphici Bonauenturæ, Cardinaliumque Aliaci, & Ailgrini, & Pontificum Gregorij, & Innocentij non aliud fuit, quàm quòd illam tanquàm perfectam, & ab omnibus virtutibus instructissimam tùm admirati sunt, tùm commendauerunt, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit!* In quæ Gilbertus serm. 15. in Cant: *Attende profectum. In superioribus custodes interpellat, & de visione rogat dilecti, hîc ipsis custodibus admiranda prorumpit, & noua sub specie.* Angelos, qui sunt peruigiles Ecclesiæ custodes, solicita, & anxia Sponsa paulò antè interrogauerat, *Num quem diligit anima mea vidistis?* ibid. v. 3. Quæ hîc se tam humiliter, ac reuerenter submittit Angelis, illa paulò abhinc *ipsis custodibus admiranda prorumpit*, illam vident Angeli incredibilem penè exhalantem odorum fragrantiam, & omnibus virtutum copijs collocupletatam. Cur scribitur illa tanta Sponsæ ergà Angelos demissio, & humilitas, cur etiam illa Angelorum nata ex affluentissimis eiusdem virtutibus admiratio? Cur dicis! Vt hinc animum animæ peccatrices sumant, quæ Sponsum suum perdiderunt, & de gratia Dei illud benè sperent, quòd quæ nunc illum perdidisse infirmæ lugent, ac dolent, per virtutem pœnitentiæ in statum valde sublimem ascendere possint, & quæ nunc immundæ, & putidæ in abominabili cœno culpæ iacent, per compunctionis virtutem ità excitari, atque erigi queant, vt raptæ in aëra purissimos spiritus angelicos magnitudine admirabilis fragrantiæ suæ dulciter suspendant, & attonitos reddant.

Transferat in vsus suos hanc doctrinam Politicus noster, qui si quâ homo cadere valet, quâ Christianus erigere sese potest. Non illum distineat à salute speranda suorum scelerum immanitas, non exanimet peccatorum grauitas: Nam quantumuis illa enormia sint, & grandia, exinanire tamen, aut siccare immensum oceanum infinitæ misericordiæ tam dulcis, ac pij Domini non possunt, qui tam crebris, & suauibus vocibus nos identidem inclamat, & inuitat oblatione veniæ, & indulgentiæ, cui *tardiùs videtur peccatori veniam dare, quàm ipsi peccatori accipere, sic enim festinat reum absoluere à tormento conscientiæ suæ, quasi plùs eum cruciet compassio miseri, quàm ipsum miserum compassio sui.* Ità sanctus Augustinus lib. de Spiritu, & lit. c. 6.

*Huius Capitis argumentum vt est desperabundorum, quorum ingens numerus, consolationi longè vtilissimum, ità ab Autore varijs in locis sæpè, & semper ingeniosè tractatur. Vide partis primæ librum 2. cap. 8, & loca ad finem annotata.*

## CAPVT IX.

*Tanta est vis, & efficacitas exempli, vt plùs videatur liberum opprimere tyrannide arbitrium, quàm mouere voluntatem.*

VT vidit Patriarcha noster, quòd dulcis, & dilecta Rachel sua optatum illi fructum, filium, dico, attulisset, mox comiter à socero suo Labano petijt licentiam redeundi ad charam patriam, vt decrepitos consolari parentes posset, à quibus sciebat se, tanquàm baculum senectutis illorum, vehementer desiderari. Ægrè ferebat socer, quòd gener, & nepos abeundi propositum concepisset, sciebat namque quantùm facultates suæ propter ipsum à Domino amplificarentur: Nam simulac Iacob pedes domui Labani intulit, Deus illi affatim benedicere cœpit, ad ingressum enim sancti consobrini tantis incrementis bona sua, opesque augescere sensit, vt fateri cogeretur, per illius virtutes, & sanctitatem se omnium illius terræ hominum opulentissimum factum. Cùm ergo vidit, certum, ac deliberatum illi esse repetere patriam, atque inde migrare, dixit: *Quid tibi dabo?* Genes. 30. 31. Vide sis quam mercedem ampliorem velis, numerabo enim quantamcunque voles, tantùm vt non me destituas. Respondit Iacob: Si diuturniorem pascendis gregibus tuis nauare operam necessum est, remunerationem laboris mei nolo aliam, quàm vt mihi dentur oues, & capræ, quæcunque vel ab vnicoloribus diuersicolores, vel à diuersicoloribus vnicolores natæ fuerint. Placuit fraudulento Labano pactio, arbitratusque quòd Iacobtem sua ludificaret, perderetq; conuentio, lætanter inijt fœdus. Iacobti nihilominùs feliciter cecidit sua stipulatio, vt qui ex Angelo didicerat, qualem ea finem habitura esset. Separati sunt ergo greges varij ab vnicoloribus, datæque Iacobti oues, & capræ, quæ siue prorsùm nigræ essent, siue omninò albæ, qui vt ex vnicoloribus pecudibus versicolores nascerentur, hâc industriâ, quam ab Angelo edoctus fuerat, & hoc vsus est artificio. Virgas partim detracto cortice, partim integras, ac proinde partim albas, partim virides, & subnigras ouibus potatum venientibus proposuit in canalibus, vt cùm aquam inde aridis faucibus, auidis oculis autem colorem virgarum haurirent, quo tempore arietes, hircosque admitterent, vario colore oues, aut capras conciperent, sagacemque, ac solertem pastorem copiosâ sobole collocupletarent. Textus sacer hanc rem sic reddidit: *Factumque est, vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa:* Genes. 30. 39.

Indagemus nunc spiritualem huius facti intelligentiam, de qua si consulamus Sanctos Patres Ambrosium, & Gregorium Magnum, item Hugonem Cardinalem, Guilielmum Ebroicensem, Cornelium à Lapide, & alios Interpretes, dicent, eâ re nobis indicatum, quanta insit vis, & potestas in exemplo Superiorum, & Prælatorum ad permouendos, abripiendosque subditos, vt quod à maioribus factum viderint, imitentur, sequanturque quò illi præcesserint. Loquatur vnus pro omnibus sanctus Gregorius, qui lib. 21. Moral. cap. 1. sic habet: *Quid est virgas virides ante oculos gregum ponere, nisi antiquorum Patrum vitas populis in extremum præbere?* Vt subditi cogitatus bonos, seu malos concipiant, intuitus virgarum facere potest, hoc est, studiosa, & attenta consideratio eorum, quæ à Prælatis fiunt, omnis enim tam felicitas, quàm pernicies regnorum, rerum publicarum, & quorumuis locorum, vbi communem sub vno capite vitam multi ducunt, posita est in vitæ moribus, & exemplis Regum, Principum, Moderatorum, & Prælatorum, qui cum imperio præsunt. Nam Superiores vt sunt capita, ex quibus omnis motus in membra deriuatur, sic qualis est illorum vita, & institutio, talis est etiam Inferiorum agendi mos, & conuersatio.

Venit quondam, vt ferunt Euangelistæ, Dominus noster in partes Cæsareæ Philippi, sciscitatusque fuit discipulos suos, quænam esset hominum de ipso opinio, inquiens: *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* Matthæi 16. 13. Quo me loco habent? Quam in mundo existimationem obtineo? Quid de me vulgò dicitur? Quid de vita, deque miraculis meis per compita, vicosque loquuntur? At illi dixerunt: *Alij Ioannem Baptistam* te affirmant, *alij autem* esse *Eliam* contendunt, *alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis* esse volunt; ibid. v. 14. Cùm hæc ille audisset, nihil quidem miratus fuit, tot capitum tam varias esse sententias, conuersus verò ad discipulos suos ait illis: *Vos autem quem me esse dicitis?* ibid. v. 15. Quodnam est vestrum de me arbitrium? Quæ vestra de meo patre sententia? Quo me genitore editum censetis?

Sed cùm diuinus Reparator noster eo consilio iudicium de se aliorum exquisierit, vt ne quis in agnitione illius vera hallucinaretur, aut erraret, aliterque de ipso, ac res est, sentiret, quamobrem cæterorum opiniones, susque deque habuit, ac præterijt, & solam valere Apostolorum sententiam voluit? *Vos*

*autem quem me esse dicitis?* Cur spretis aliorum arbitrijs vnam nobis ratam, certamque esse debere Apostolorum existimationem placuit?

Mouit hanc sanctus Ioannes Chrysostomus quæstionem, atque ità dissoluit in Orat. de Sigill. To. 5. *Nullam imperitæ multitudinis rationem, sed vestri meorum præconum habeo. In vobis res humanæ nutant, in vobis periclitantur. Et quemadmodum vestra cognitio publicum mortalium beneficium, sic vestra inscitia totius orbis detrimentum, idcirco vos quemnam me dicitis?* Destinati erant Apostoli Principes, ac duces orbis, soles Euangelij, tubæ doctrinæ Christianæ, primum mobile cœli Ecclesiæ militantis. In illis, post Deum, collocata erat veritas, & agnitio sublimium, & reconditiorum legis nouæ mysteriorum. Contempto igitur totius orbis reliqui iudicio, & omni eo, quod vulgus hominum dicere poterat, solum requirit Apostolorum arbitrium, quià ex eorum seu vera, seu erronea sententia pendebat cæterorum omnium rectum, aut sinistrum iudicium. Dum capita, Superioresque rectè modò sentiant, errorem subditorum metuere non possumus, nec debemus: At si Principes hallucinentur, quid aliud timere possumus, quàm ne falsâ opinione etiam imbuant eos, quos susceperunt gubernandos? Eapropter aiebat Christus: Sentite vos rectè, qui futuri estis Principes, nam tametsi alij offendant, & impingant, exemplo vestro correcti euadent errorem: Verùm si vos consilio labamini, si vestrum fallatur arbitrium, periculosè cum alijs agitur, qui procliuiter vadunt in errores, ad quos Prælati præiuerint. Omnis enim felicitas, & pernities ab exemplo Superiorum in subditos manat. Quare etiam dicebat Dominus: *Nullam multitudinis rationem, sed vestri meorum præconum habeo, quià in vobis res humanæ nutant, in vobis veritas periclitatur. Vestra cognitio publicum mortalium beneficium, vestra inscitia totius orbis detrimentum.*

Perspicuè hoc idem docet coronatus inter Prophetas Princeps, quando de his, qui in lege euangelica moderaturi erant Ecclesiam, loquens, sic ait: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui*; Psal. 44. 17. 18 ac si apertiùs dixisset: In vicem veterum Patrum tuorum gaudebis filijs, quorum erunt tam illustes, ac heroicæ virtutes, vt Principes fieri mereantur totius mundi, qui etiam ad indubitatiorem suæ sanctitatis testificationem habebunt nomen tuum cordium suorum laminis velut chalybeis indelebiliter insculptum. Quid verò ex illo tam sanctorum, ac religiosorum Principum exemplo fiet? Illud, quòd *propterea populi confitebuntur tibi*, Messiamq; te, & Reparatorem humani generis vnicum, verumque Deum, ac Dominum agnoscent, venerabuntur, adorabunt.

Redeamus ad priora. Principes *memores erunt nominis tui*. Dicit hoc in loco Hugo Cardinalis: *Si iste versus verus esset de Prælatis, sequens versus verus esset de Subditis*, nimirùm, *Propterea populi confitebuntur tibi, quià si boni sunt Prælati, boni erunt & subditi*. Ieremiæ enim 31. 14. dicitur: *Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur*. Tanta enim ferè est Superiorum, & Subditorum, quod ad vitæ mores attinet, conformitas, & cognatio, vt videatur esse impossibile, vt sub capite sancto membra militent peccatricia, & improbi Prælati signa milites vitæ laudabilis, & integræ consectentur.

Cùm videret dæmon, quàm sinistrè illi caderet suum de Christi passione, ac dehonestatione consilium, veritus ne per illius passionem, ac mortem redimeretur mundus, voluit tanto bono afferre impedimenta, mulierisque operâ ad struendam fraudem vti, ideòq; Pilati vxorem excitauit, quæ hæc ad maritum nuntia dedit: *Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter illum*; Matth. 17. 19. velut dixisset: Cura modis, quibuscunque potes, vt sanctum hunc, innoxiumque virum dimittas liberum, horribilia enim sunt, quæ mihi per quietem de illo occurrerunt, & maximum tibi malum comparabis, si sanguinem illius inculpatum fundas.

S. Laurentius Iustinianus de triumphal. Christi agone cap. 13. §. 5. ait: *Hominum redemptio, Pilati mediante vxore, ne fieret, laborauit satanas*. Omnes ingenij sui vires huc vertit diabolus, vt mundi redemptioni poneret obstaculum, cuius libertatem ex sanguinis Christi effusione secuturam suspicabatur. Atque vt moram tanto bono inferret, mulierem, (vetus, vsitatumque suum instrumentum) ad hanc rem adhibuit, vt ipsa Pilatum à ferenda contrà Dominum sententia deterreret, itaque captiuus maneret mundus, dum liber abiret Christus. Fuitné bonum illud mali dæmonis artificium? Fuitné solers industria, aut ingeniosus astus, prudenterque ad efficiendum, quod volebat, excogitatus? Minimè omnium, inquit sanctus Laurentius Iustinianus. Quonam ergo medio vti debuit, aut certè rectius potuit? Respondet vir sanctus: *Consultius propositi sui poterat obtinere effectum, si quos inflammauerat sacerdotum animos euertisset*. Accendebant quidem iniu-

stitiæ

ſtitiæ ignem homines plebeij ſed incitati à ſacerdotibus ſuis,& Principibus,qui per id tempus cum poteſtate præerant. Si ergo dæmon tunc intellexiſſet quanta ſit efficacitas exempli, quàm ingens illius ad impellendos alios vis & poteſtas,quid eum facere oportuiſſet? Conſilia ſacerdotum diſſipare,euertere ſtudia Principum debuiſſet, & curare, vt illi defenderent Chriſtum, factaque eius probarent, & collaudarent: Nam ſi vulgus hominum vidiſſet,ſuſceptum à ſacerdotibus, & principibus Chriſti patrocinium, geſtaq; illius ab eiſdem commendari, communis etiam plebecula ſententiam ſuam mutaſſet, Chriſtumque & propugnaſſet, & prædicaſſet,& non iam Barabbam, ſed Dominum dimitti à Pilato poſtulaſſent. Quid enim tam vſitatum, quàm quòd dominorum ſuorum veſtigijs ſerui inhæreant, & à Superioribus abripi ſe ſubditi ſinant?

Hoc autem adeò verùm eſt, vt illuſtris ille ſenator Caſſiodorus lib.3. epiſt.12. audacter, quàm grauiter diceret: *Publici decoris mater eſt mens regentis, & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aſpectum. Facilius quippè eſt* (quanta, Deus, verborum pondera!) *ſi dicere fas eſt, errare naturam,quàm diſsimilem ſui Princeps poßit formare Rempublicam.* Vt matris bona vita ad honeſtatem, receſſuſque amorem facilè inſtituit filiam, ſic è moribus Superiorum pendet vita Subditorum ſiue honeſta, ſiue effuſior, ſiue modeſta, ſiue liberior, & ab vna Principis voluntate proficiſcitur quidquid agunt inferiores, *& quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aſpectum.* Itaque tanta ineſt Superiorum exemplo mouendi ſubditos efficacitas, vt illud Superiorum exemplum videatur ſubditis velut pro libero arbitrio eſſe: Et quemadmodùm per arbitrium fit vt homo liber ſit,& ſuarum actionum Dominus, velitque aliquid, aut nolit; ſic Rex, Princeps, Prælatus in regno,Repub. Communitate ſuo exemplo eſt quodammodò arbitrium ſuorum ſubditorum, qui videntur neque nolle, neque velle aliud poſſe,quàm Princeps, omniſq; Superior nolit, aut velit: *Facilius eſt quippe, ſi dicere fas eſt, errare naturam, quàm diſsimilem ſui Princeps poßit formare Rempublicam.* His verbis videtur Caſſiodorus totam, quantùm verbis fieri poteſt, expreſſiſſe vim, quâ exempla Principum, & Parentum ad permouendos ſubditos, ac liberos valent, cùm ait, facilius credi poſſe, ex lupo agnum, & leæna leporem, philomelam ex ſerpente natam, productumque ex rubo malum citreum, quàm ſub malis Principibus bonos ſubditos, aut improbos ſeruos ſub pijs, & ſanctis Dominis reperiri. Tanta eſt exempli ſeu boni, ſeu mali efficacitas,vt faciliùs aliquis ſibi perſuaſerit, poſſe totum naturæ ordinem peruerti, quàm diſſimiles eſſe Prælatis ſubditos,Parentibus liberos, Dominis ſeruos.

Admirationem aliquibus adferre poteſt illa tanta viciſſitudo, quantam in hac aëris regione inferiore, & terra videre licet, ex quibus hæc varias habet euaporationes, ille verò mille mutationes, vt qui iam ſerenus ſit, iam obſcurus; iamque atras habeat nubes, iam fuſcas, iam gratas, iam horribiles aſpectu, iam coruſcantibus ſolis radijs rubeſcentes, & velut inauratas, iam caligine tam denſâ, fœdâque tinctas, & obductas, vt cum ipſo horrore, & vmbra mortis certare poſſint. Sed quid has in infimis regionibus demiramini viciſſitudines, clamat Seneca, cùm in ipſo cœlo, & parte orbis ſuprema ſint tam crebræ mutationes? *Nec mirum eſt, ſi in terris omnis generis, & varia euaporatio eſt, cùm in cœlo quoque non vnus appareat color rerum, ſed acrior ſit Caniculæ rubor, Martis remißior, Iouis nullus*; inquit ille in qq. natural. lib. 1. cap. 1.

Si mihi dicas, vnde illa in vulgo mentiendi, iurandi, blaſphemandi conſuetudo, vnde tam familiaris mercatoribus impoſtura, auaritia, fœneratio illicita, negotiatio iniuſta, vnde illa communis plebeculæ deſidia, & inertia, vnde illa tam exigua filiorum deuotio, puellarum laſciuia, & petulantia, vnde illa morum corruptela, animarum neglectus, & legum diuinarum contemptus? Reſpondebo: Quid tu talia miraris, qui non neſcis,quanta ſit Planetarum,& aſtrorum viciſſitudo,quanta Principum, & Superiorum viuendi licentia, & præcipitantia agendi? Si ij, qui negotiationes vetitas ex officio tenentur plectere, multò auidiùs, ſordidiùſque eas exercent, ſic vt occultare illos quæſtus ſuos, quanquàm velint, non poſſint: Si togâ prætextâ ſuam tegunt auaritiam, & cupiditatem, qui annonam animalium, hominumque abſcondunt,& ſeruant occaſioni, quâ pretio inſolubili vendant; quid nundinator hæc ſciens,aut intelligens faciet? Si Domini, qui pro ſpeculo eſſe debebant, in quo rectè viuendi modos videre, & diſcere ſubditi poſſent,peſſimo ſuo exemplo illos ſeducunt, ac peruertunt: Si magnates neque debitam mercedem ſoluunt famulis, nec parcunt ſubditis, neque puellas virgines in ſuis penetralibus agere quietas ſinunt,& coniugatas à thalami ſui aſylo abſtrahunt: Si in locis Deo ſacris, templis, aio, verba obſcœna liberrimè,& impudentiſſimè dicunt, & faciunt, quæ dicere non ſit fas ho-

minibus, & horrorem ipsis etiam adferant dæmonibus, si ibidem iurant, & blasphemant, si sic viuunt, vt videantur operibus clamare, non esse Deum, non aliam vitam, quàm præsentem, nec venturum iudicem, qui malè actorum rationes exposcat, quid faciet famulus, qui illi seruit, quid plebeius, qui talia videt, quid omnes alij, ob quorum oculos illa fiunt? Si mater filia coram præsente schedam recipit, & reddit amatoriam, admittit officiosas, affectatasque salutationes, & monilia, demùm vultu, gestuque beneuolentiore blandiusculè amasium tum spectat, tum appellat, quid filia faciet? An fortè illa castimonialis religiosa sub matre tam fatua, & libera erit? Si obscœna mater, cùm è strato surrexit, non librum perfecti Christiani, aut contemptus mundi, non Opuscula spiritualia Patris Ludouici Granatensis, aut sanctæ Matris Theresiæ, non Officium beatissimæ Virginis, sed speculum ante petit, & fucos, & purpurissam, & peregrinos, accersitosque ornatus, & calamistrum, & discerniculum, & pectinem, & mundi muliebris reliquam tam variam supellectilem conquirit, quam infernalis, & diabolica vanitas ad tam horrendam animarum stragem, & facultatum vastationem excogitauit, vt nesciam, quid de bellorum incommodis queri possimus, quando publica relaxatio, & conniuentia tales iam permisit vestitus, qui maiorem honestis moribus perniciem afferant, quàm vlla infesta hostium arma, quomodo filia librorum piorum lectione oblectari, quomodo concionum auditu, & sacramentorum frequenti vsu pasci, & alia id genus sacra exercitia amare potest? Si pater quispiam est vindictæ cupidus, amans lusus, turpi libidini addictus, prodigus, qui nunquàm domi tractare manu Rosarium videtur, vomere pleno ore iuramenta persæpè auditur, quomodo illius filius sit modestus, frugi, verecundus, pius? Potestné fieri, vt ille amet frequentare sacramenta, cui domi propositum est exemplum patris, qui nisi sanctæ Inquisitionis sanctum, sed rigidum, & subausterum tribunal metueret, ipso Epicuro magis atheus esset? Si Prælatus sui officij tam est negligens, vt nihil minùs, quàm illud curet, sed delitias, lautitiasque sibi vndequaque comparet, primusque ad epulas accurrat, ad labores postremus veniat, aut ne veniat quidem, vultisné vt subditus ea videns abstineat à cibis, amplectatur asperitatem, lubens, gaudensque ferat rigorem? *Nec mirum est, si in terris omnis generis euaporatio est, cùm in cœlo quoque non vnus appareat color rerum.* Quid nouum est, quòd inferiores inuerecundè, licenterque agant, quòd tanta sit in vulgo inundatio scelerum, cùm eos tam flagitiosos, contaminatosq; videamus, qui cœli esse debebant, & virtutibus tanquàm stellis micare? Quid mirum, quòd rudis plebecula leuiter prosiliat ad crimina, si apud eos, qui sublimem dignitatis locum tenent, dominantur vitia, imperat culpa, triumphat malitia, cœnosaque turpis luxuriæ, & id genus spurcitiarum aqua inde venit, vnde bonæ, & sanctæ vitæ pura, & perspicua aqua deriuari ad subditos debuerat?

Hinc potest noster Politicus accipere, quantùm teneatur bonum de se præbere exemplum, si illum Dei manus in locum superiorem, ex quo cum potestate præsit, euexerit. Præpositus enim alijs est velut lucerna candelabro dignitatis imposita, vt luce quidem suâ ignorantes illuminet, & vitæ ardore excitet segnes, eosque, qui peccatorum profundo lethargo, & periculoso somno demersi iacent. Cogitet autem sæpè, ac multùm strictas rationes, quas Dominus exiget eorum, quos suo malæ vitæ exemplo corrupit, & peruertit. Consideret gloriam, quâ remunerabitur eius labor, & studium, quodcunque huc vertit, vt alios suo exemplo ad virtutis amorem accenderet, & ad frugem bonam adduceret. Omnia diligenter, studiosèque expendat, conuenit enim vt hinc illum timor infrenet, inde spes alat, & confirmet. Scit nimirùm quòd Deo seruiat, qui vt habet lucem, quâ coronet Prælatum, qui bono exemplo fuerit, itâ & ardentes flammas seruat, quibus eos, qui suis factis alios offéderint, puniat, & castiget.

*Meliora de hoc argumento inuenies in Tomo 2. Periocha I. Dominicæ IV. Aduentus pagin. 362. & Vide etiam calcem istius Periochæ.*



# LIBER QVARTVS.

## CAPVT I.

*Omnis vitæ felicitas ex morte pendet.*

QVanquam omnia pia monita, quæ in cælum aspiranti Politico Christiano damus, eò spectant, vt illum tuto ad beatam patriam itinere securum conducant, nulla tamen magis & momentosa sunt, & vtilia, quàm ea, quæ in hoc quarto libro suggeremus. Hic enim tractabimus, quid fieri debeat, vt vitæ periodum extremam optatâ clausulâ laudabiliter, ac gloriosè quis finiat. Nam si omnis nostra felicitas, vt mox videbimus, & spes tota obtinendi finis vltimi in fine vitæ prospero posita est, honestissimus, fructuosissimusque labor erit, quemcunque ad obtinendam bonam mortem verterimus.

Introducendæ nostræ doctrinæ occasionem sumemus ab illis verbis, quæ Patriarcha noster socero suo Labano dixit. Seruierat huic ille annos longos, omnique contentione, & viribus totis eius vsibus, & rei familiari augendæ, atque amplificandæ strenuam operam dederat, demùm verò rogabat veniam, vt domum suam reuerti, & familiam propriam gubernare, liberosque educare, & cætera omnia curare posset, dicens: *Iustum est igitur, vt aliquando prouideam etiam domui meæ;* Genes. 30. 30. Iustum est, vt familiæ meæ iustam habere rationem incipiam, postquàm Domino placuit felicitare me dulcibus his, & charis pignoribus, quibus gaudeo, ratioque postulat, vt & mihi, & illis prospiciam, nec enim decet, vt ingenium meum, viriumque robur totum, omnemque vigilantiam semper occupatam vna, solaque domus tua habeat, tempus iam est, vt ad meam rectè instituendam me conuertam.

His Patriarchæ nostri verbis totâ mentis intentione, & fixis cogitationibus per omnem vitam perpetuò immorari Politicus noster deberet, illudque persæpè, atque in dies dicere: *Iustum est, vt aliquando prouideam domui meæ;* iustum est vt familiæ meæ, hoc est animæ prospiciam, vt me salutatio illius, & salus æterna solicitum habeat, vt rectè ordinem res meas, & sensus meos moderari, cupiditates meas coërcere, infrenare prauos appetitus studeam, & status mei obligationibus satisfaciam, & mandata Dei studiosè obseruem, & continuè ob oculos habeam fatalem illum, & supremum è corpore abitum, post quem incidam in manus illius recti, & seueri iudicis, qui omnium minutissimorum, interque hæc etiam occultissimarum cogitationum rationes exactissimas requiret. Totum vitæ tempus (si fieri posset) exigi in his meditationibus deberet, & in vnico studio vitæ ad mortem ritè præparandæ, in hac enim omne bonum, totaque humanorum desideriorum felicitas est posita. Qui enim vitam morte non claudit bonâ, is boni omnis iacturam æternam facit. Et si regius Propheta sepulchro nomen domus ad extremum iudicij diem vsque duraturæ dedit, inquiens: *Sepulchra eorum domus illorum in æternum;* Psal. 48. 12. nihil rationi, nihil iustitiæ magis consentaneum, quàm vt Christianus omni vigilantiâ cõsideret fatalem hanc domum, consideretque in vltimo vitæ exitu consistere felicem æternitatis successum, basi enim nostræ mortis innititur totum nostræ perpetuæ seu beatitudinis, siue infelicitatis, ac miseriæ ædificium.

Fatetur de se regius sacer Cantor, totâ neruorum contentione, & quo maximo studio potuerit, percurrisse semitam præceptorum Dei, inquiens: *Viam mandatorũ tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum;* Psal. 118. 32. tanquàm dixisset: Cursu expeditissimus ferebar per omne sacrosanctorum mãdatorum tuorum iter, Domine, quoties tu mihi cor latè explicabas spe lætâ bonorum æternorum, quibus labores meos remuneraturus eras.

Sanctus Ambrosius apud Ludolphum Carthusianum in Psal. 118. Ludolphusque ipse hoc verbum, *Cucurri*, sic interpretantur: *Vt bonus equus cursum vitæ meæ secundùm mandata tua direxi.* Non itaq; dicit Propheta, *Cucurri vt equus*, sed *cucurri vt bonus equus.* Quicunque equorum ad cursum rectè instituendorum disciplinam, præceptionesque tradunt, aiunt, cursus equorum summam dexteritatem, gratiamque in eo positam esse, si alacriter, animoseque suum curriculum absoluant, & non languidè, ac remissè, quemadmodùm animalia cętera ferè solent, quæ minùs sunt generosa. Si fortè benè cæpit equus, sed ignauiter, torpenterque finijt cursum, omnem anterioris laboris gloriam impar initio clausula obliterauit.

Dicit nunc Propheta rex, atque ex illo omnis iustus, quicunque per diuinorum præceptorum semi-

tam celeri cursu contendit: *Viam mandatorum tuorum cucurri vt bonus equus*; hoc est, benè cucurri, cursum vitæ meæ animositate christianâ generosè absolui. Vnde hoc intelligemus? Ex eo, quod ait, cucurrisse instar boni, rectè eruditi equi. Bonus enim equus hoc nominis non obtinet, nisi cursum suum benè absoluat. Fortunatus ergo, prorsùmque felix vocari possum, inquit Iustus, qui cùm cursum meum ad modum, quo bonus equus solet, clausi, fructuosè in curriculo laboraui. Omne nimirùm bonum, & tota felicitas hominis christiani ad hoc reuocatur, vt benè finiat, qui in bona morte æternitatis beatæ lucrum inuenit.

Detegebat se cœlestis Magister, quòd ipse verus, ac legitimus animarum pastor esset, dicens, omnia in se reperiri, vt qui non pastor solùm, sed pastus quoque dulcis, & opimus esset, portaque vnica, quæ ad fœlicitatē supremā duceret. *Ego sum ostiū, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*; Ioā. 10. 9. Quid est, quod ait, *Ingredietur, & egredietur?* Nicolaus Lyranus sic exponit: *Ingredietur hic ad fidem, & egredietur ex hoc mundo*, & posthæc ferens fidem constantem, & charitate formatam, inueniet pascua vitæ æternæ.

Ioannes Baptista Folengius in Psal. 12. secutus paraphrasin Lyrani ait: *Vide quàm paucis Sanctorum Ecclesiam effinxit* Dominus, in introitu scilicet per fidem, & exitu per mortem. At cur harum duarum rerum tantùm fit mentio? Vt significetur, post primum in bonam vitam ingressum, nullius rei maiorem, nullius vel tantam habendam rationem, quantam bonæ mortis, omne namque bonum hominis in introitu, exituque est positum. Bonâ morte, & sanctâ vitæ clausulâ omnia nostra in tuto collocatur. Qui enim vitæ periodum malè claudit, ei omnis spes status melioris æternùm est succisa, & adempta.

Huc sine dubio alluserunt Hebræi, quando eodem mystici sui alphabeti charactere significari voluerunt conclusionem, & oculorum, animique attentionem. Litera ea est *Koph*, de qua sanctus Ambrosius in Psal. 118. Octon. 19. *Eius*, inquit, *interpretatio est*, Conclusio, *& sicut alibi inuenimus*, Aspice. Quid est, quòd eadem literâ voluerunt significari conclusionem, & animaduersionem, siue attentionem? Quid sibi vult harum rerum in vno vocabulo coniunctio, & concursus? Hoc sibi vult ista duplex vnius literæ significatio, vt intelligamus, quòd si res alia quæpiam postulat animum attentum, diligentemque considerationem, eam vel maximè requiri ad mortem, ad conclusionem, ad vitæ clausulam extremam, ad mortis horam, ex qua omnis secundus euentus hominis pendet, bona namq; mors, laudabilis vitæ clausula, & sanctus finis vitam totam honestant, & felicitant.

Volebat Apostolus persuadere Hebræis, vt seriò, ac studiosè tractarent suæ saluationis negotium, quod vt efficeret, reuocabat eis in memoriam illud quibusdam infelix iter, quo à dura seruitute Pharaonis iam liberi contenderunt ad terram promissionis, & ad ipsum eius vestibulum peruenerunt, inquiens, *& videmus quià non potuerunt introire propter incredulitatem*. Hebr. 3. 19. velut dixisset: Scimus illos exisse ab intolerabili seruitute, scimus per asperas solitudines, & incultas eremos viâ difficili perrexisse, scimus crebrò, & validè cum plurimis hostibus pugnasse, qui sæpè impedire, prorsùmque obstruere iter voluerunt, scimus post multos exantlatos labores, post exæquatos non paucos difficultatum montes demùm eos, qui hæc omnia & fecerunt, & tulerunt, factos miseros promissæ felicitatis Tantalos: *Non enim potuerunt introire*. Ex eo tam insperato euentu hanc Apostolus tam formidabilem conficit illationem: *Timeamus ergo*; Hebr. 4. 4.

Sanctus Ioannes Chrysostomus quærit, quidnam illud Hebræorum infelix successus ad Christianorū timorem facere possit, & cur Apostolus voluerit, vt illorum periculo cautiores facti sapere disceremus, quomodo felicitatem nostram prouidè curare, & studij nostri rectam rationem habere debeamus? Orat. 7. in c. 4. ad Hebræos sic ait: *Potest dici nempè, quòd cùm vitæ maiorem partem confecissent, cùm essent ad ipsas portas, in ipso portu sunt submersi. Hoc de vobis quoq; timeo.* Sic ille. Nulla fuit alicuius hominis tanta aliquando infelicitas, quanta miserorum Hebræorum, aduersa illorum fortuna cum omni cunctarum gentiū calamitate certare de magnitudine potest. Nam cùm tam vicini terræ promissionis, & quàm proximè alterum paradisum essent, tantùmque vno velut passu abessent ab amica quiete, & optata fertilitate, & tot pericula superassent, totque hostes subegissent, & per deserti procellosum mare totos quadraginta annos variè, ac miserè iactati ad ipsum littus appulsissent, in ipso portu naufragium fecerunt, spesque illorum omnis est suffocata. Quænam acerbior, miserabiliorque infelicitas esse possit! Qui enim sub finem curriculi interierunt, omnis anteacti laboris iacturam momento vno fecerunt.

Sic nunc dicit Apostolus: *Timeamus ergo*, & ob oculos

oculos habentes spem illorum tam miserè frustratam, ac delusam soliciti metuamus, & anxij formidemus, ne tale quid etiam nobis eueniat. Nam si quis omnem vitam superiorem sine periculo transmisisset, & desertum huius mundi fortunatè pertransiisset, & per inquietum turbulentarum tentationum mare prosperè vectus, demùm iuxtà marginem vitæ, in ipso portu mortis euersâ naui mergeretur, nę illa incomparabilis infelicitas esset, cum malæ enim mortis calamitate nulla conferri miseria potest, nam qui sinistro fine vitam claudit, quid sperare boni potest, quid non timere mali debet?

Doctus quidam libri Genesios interpres obseruauit, quòd tametsi inclytus Patriarcha noster quorũuis bonorum operum exercitationi impensè deditus fuit, & orationis, contemplationisque studium plurmùm amauit, nunquàm tamen solicitiùs peruigilauit, nunquàm maiore conatu, curâ enixiore Deo se comendauit, quàm tunc cùm à Labano ad patriam tendens transiturus erat Iordanem. Tunc enim, vt sacer Textus indicat, *totam noctem duxit insomnẽ*, & defatigato diurnis laboribus corpori consuetum, ac debitum negauit alleuamentum.

Quid ex mystica hac actione accipimus? Illud, *Vt discamus, cum ad Iordanem, id est, ad mortem appropinquamus, fortius orare, & inuigilare, ne tunc impediamur à diabolo per omnes vias insidiante. Tunc enim vel maximè opus habemus Dei auxilio, etiamsi totâ vitâ in vijs Domini incessimus.* Ità Ioannes Ferus in c. 32. Genes. Iordanis idem est, quod *fluuius Iudicij*. Iordanem ergo transimus, cùm per amaræ mortis angustias ad terribile iudicium, & supremum tribunal Domini pergimus, quod cùm facimus, tunc preces precibus iungere, tunc iterare obsecrationes, & protrahere vigilias debemus, vt pius Dominus, & amantissimus Pater tutelæ sit nobis, & patrocinio. Quanquàm enim diuinæ protectionis eius valido scuto semper egeamus, sed nunquàm magis, quàm in supremo supremę horę, & mortis discrimine, tunc enim crudelis inimicus noster (vt posthęc dicem⁹) acriùs nos insectatur, & ferociùs oppugnat, & quod caput est, error, qui tunc committitur, inemendabilis est, & absque remedio, & quod sub id tempus rectè, ac prudenter agitur, id tam opportunâ occasione agitur, vt effectus illius totâ Dei perdurent æternitate. Morte namque bonâ bonum hominis Christiani omne nititur. Proptereà Salomon Prou. 14. 32. aiebat: *Sperat iustus in morte sua*, vt qui omne solatium suum, omnem vitæ successum in extremo illius accentu collocatum habet, sciens mortem esse portam, per quam ad æterna gaudia, & quietem vitæ beatæ perpetuùm duraturæ transeat.

Consulebat Propheta regius Fidelibus de profectu animarum suarum solicitis, vt corda, vigilantiamque suam omnem addicerent cognitioni virtutis, & potentiæ, quam noua Sion, quæ est Ecclesia, haberet, vt excitati illius magnitudine seruirent Domino, cuius ipsa esset sponsa. Aiebat autem ità: *Ponite corda vestra in virtute eius*. Psal. 47. 14. Quid ità? *Quoniam hic est Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula*; ibid. v. 15. velut dixisset. Totos animos, cogitationesque omnes conuertite ad Sionem, vt semel rectè intelligatis, quàm ingens sit virtus eius, quoniam sponsus eius est Deus noster, qui nos æternùm, si tamen volumus, suâ gloriâ beabit: *Ipse reget nos in sæcula*. Textus Hebræus apud Iacobum Fabrum habet: *Ipse erit dux noster in morte*. Videtur hæc versio aduersari, neque parùm, textui vulgato, nam quod hîc est, *Sæcula*, id ibi dicitur *Mors*. *Ipse reget nos in sæcula*, dicit nostra translatio, illa verò, *Ipse erit dux noster in morte*. Et cùm mors momento perficiatur, quid illi cum sęculis? Cumque mors sit finis, quid illi cum æternitatibus, quæ finem nesciunt, affinitatis? At si benè aduertas, inuenies magnum hîc subesse mysterium. Propheta dicit: Redemptor, & Dominus noster *ipse reget nos in sæcula*, cum ardentissima cupiditate, vt æternùm ipso gaudeamus, & fruamur. Quomodo autem illud amantissimi Domini Desiderium obtinebit? Quomodo explebitur? *Dux erit noster in morte*, inquit Hebræus, dux, qui omnes submoueat difficultates, auferat impedimenta, repellat pericula, & quando illo comite, & benè iuuante angustum mortis transitum feliciter superauerimus, tunc *ipse reget nos in sæcula*, certaq; nos manet æternitatis quies. In bona enim morte includitur omnis bonus successus, & tota felicitas hominis Christiani. Hoc ergo ardentissimè rogare, hoc anxiè, flagrantissimisque cum suspirijs obsecrare Dominum debemus, vt bonam mortis horam nobis concedat, hæc enim & argenteâ claue totum vitæ curriculum claudet, & aureâ portam gloriæ, & quietis æternæ aperit.

*Eandem molam versat Periochâ tertiâ Dominicæ I. Septuagesimæ Tom. II. pag. 480, c. I. o. Vide.*

CAPVT

# CAPVT II.

*Quod semel factum malè non habet remedium, quo curari possit, aut corrigi, id priusquàm fiat, diligentissimè considerandum, quomodo rectè fiat.*

SI quod multum valet, paruo (vt vulgò dicitur) constare non potest, si bona mors est præcipuum vitæ & bonum, quòd aperit portam omnis boni, palàm est quòd rem tanti pretij gratis, & absque magnorum laborum, plurimarumque defatigationum sumptu consequi non possumus. Multis capitulis deinceps ostendemus semitas, per quas consequi possimus hanc felicitatem felicitatum, hoc est, mortem bonam, & sanctam vitæ clausulam obtinere. Primum iter vtilissimum, rectissimumq; mihi illud videtur, quod iam indicauimus.

Apostolus ait, vnam cuilibet homini semel oppetendam mortem. Id his verbis affirmauit Hebr. 9. 27. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* Lex Dei communis, & ordinaria hoc habet, vt quisque semel morte occumbat, & secundùm mortem statim vitæ actæ rationes supremo iudici reddat, & hic est totius vitæ humanæ finis; post quē homo aut in lucem vadit, aut in flammas, aut flagellis addicitur, aut gloriâ coronatur, aut cœlos petit, aut in tenebras proijcitur. Quod autem homini vel cruciatus æternos, vel quietis, ac beatitudinis semper duraturæ iacturam adfert, id persæpè, & circū spectè, & attentè, vigilantioribusque oculis, quàm fabulosa antiquitas Argo affinxit, est considerandum.

Cùm Ionas Ierosolymis in Tharsis fugere cogitaret, vt effugeret onus prædicandi, & prædicendi Niniuitis suæ vrbis proximum excidium, nauem iniens vix naulum soluerat, quando concitatum mare fluctuabundam nauem in præsentaneum adduxit periculum. Eiectis vasis minuerunt quidem onera nauis, sed non periculum. Iacebat in naui interiore Ionas alto somno sopitus, quem conueniens nauarchus, cùm expergefecisset, hortatus fuit, vt Deum suum supplex adiret, & malè irati maris commotos fluctus componi ab eo rogaret. Posthæc sortes missæ, vt viderent quis in mare conijciendus, si fortè tali victimâ furorem concitatarum aquarum placare possent. Cecidit autem sors super fugitiuum Prophetam, quem cùm illi interrogassent, quamobrem illud malum ijs euenire putaret, quid operis exerceret, quâ patriâ oriundus esset, quo tenderet, tum ex quo populo esset, respondit ad omnia ingenuè, se Hebræum esse, Deum cœli, qui fecerit mare, & aridam timere, & adorare. Demùm ait: *Tollite me, & proijcite in mare, & cessabit à vobis tempestas hæc grandis;* Ionæ 1. 12. Trepidabant consternati animis miserè iactatæ nauis gubernatores, & quanquàm Ionas diceret, se esse tam sæuæ, ac periculosæ tempestatis causam, eamque mox sedandam, si ipse in mare eijceretur, *remigabant* nihilominùs *viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valuerunt,* ibid. v. 13. totâque lacertorum contentione quàm potuerunt enixè laborârunt, vt nauem ad terram appellerent, tametsi in ea sententia essent, quàm Propheta contrà seipsum pronuntiauerat, illiusque eiectio vnicum esset sospitatis illorum remedium.

Theophylactus in c. 1. Ionæ ait: *Demirari dignum est nauticorum hominum mores. Neq; enim in eum insurrexerunt. Mare vehementiùs crescebat excitabaturque, neq; sic tamen quidquam aduersùs prophetam aggrediuntur, cùm id iure possent, simul atq; seipsum condemnârat.* Seipsum submersioni Ionas addixerat, & dixerat, aliter nautas, nisi ipso in aquas proiecto, saluari non posse, neque proiecerunt illum tamen, quamuis fluctus magis, magisque intumescerent, & cum tempestate augesceret periculum, sed velis, & remis potiùs contenderunt ad littus, vt à propria sententia, si possent, Prophetam absoluerent. Cur tam longas traxerunt moras? Cur non statim opere expleuerunt sententiam Propheticam, sed priùs omnem, quam pro tempore poterant, diligentiam adhibuerunt, vt eum seruarent, cunctatique sunt, neque subitò ad executionem prosilierunt? Cur? Quià mortis sententia erat, & quoniam vita semel ablata restitui non potest, & facta executio non habet remedium, propterea magnâ attentione ad eam rem vtebantur, & solicitè, quid optimum factu esset, cogitabant.

Nam vt magnus regis Theodorici secretarius Cassiodorus lib. 7. Epist. 1. aiebat, *cunctator esse debet, qui iudicat de salute, alia sententia potest corrigi, de vita transactum non potest immutari.* Qui iudex alieni capitis futurus, is debet passibus lentis, & attentis in causa progredi, videre acta, examinare testes, litem, controuersiamque circumspectè arbitrari; nam cùm semel ab humeris detruncatum caput, & vitæ nexus amabilis solutus, nec resarciri damnum potest, nec reparari iactura. In alijs rebus minùs periculosa, ac damnosa est iudicis præcipitantia, nam si furore cæcus huius quidem bona sequestrò deponeret, illum verò in carcerem detruderet, alium debita iniusta soluere iuberet, posset ille sibi redditus, & veritatis certior factus facilè & reddere detenta bona, & absoluere vinctum à carcere, & pecuniam restituere: At vita semel adempta

dempta restitui à nemine potest: Quare *cunctator esse debet, qui iudicat de salute.* At si tam diligenter deliberandum est de vita caduca, & ruinosa, priusquàm illius adimendæ sententia proferatur, eò quòd semel erepta restitui nequit: Cùm in hora mortis homo periclitetur de vita æterna, & de salute animæ, cuius duratio vitam illam exæquat, nonné iustum est, vt se ad mortem præparet, & priusquàm semel mortuus rationes dare cogatur, crebrò eas ad calculos reuocet, crebrò expendat, crebrò se disponat, vt ità morte bonâ defungatur, detque feliciter rationes iustas, accuratas, & inculpabiles.

Multis fortè videbitur immodica diligentia, nimiaque, & superuacanea solicitudo, quâ sanctus Patriarcha Isaac angebatur, quando extremam benedictionem illi impertire deliberatum habebat, quem primogenitum suum esse putabat. Præcipiebat illi sumere arcum, pharetram, sagittas, & quæ sunt talia venandi instrumenta, & si quid ferinæ acciperet, inde pulmentum, aut pulpamentum, lautum, delicatumque conficere. Audijt Rebecca, quæ dixerat maritus, dumque Esau ruri feram indagaret, illa cibos domi extemporales parauit, filioque suo Iacobti autor fuit, vt Esau se fingeret & patri expetita fercula ferret. Ille pelles hœdinas manibus, & collo circumdedit, vt pilosum, hirsutumque fratrem suum Esau magis assimularet, intulitque ad patrem pulmentum à matre sic coctum, conditumque, vt gratum fore palato eius illa crebrò, ac diuturno experimento nouerat. Animaduertebat cæcus Senecio celeritatem illius, quem coram habere putabat, & aiebat: *Quis es tu, fili mi?* Genes. 27. 18. Cumque ille se esse primogenitum Esau diceret, rursùm quærebat, quomodo fieri potuerit, vt tam citò in campum exierit, & feram inueuerit, & condierit, coxerit, atque esui aptarit, respondit, Deo volente, ac iuuante factum, vt tam expeditè omnia ista conficere potuerit. Nondum conquiescebat vetulo patri animus. Itaque iubebat præstereà, vt propiùs accederet, vt tentare manibus manus illius, collumque posset, atque ex eorum asperitate arbitrari, num Esau præsentem haberet. Cùmque etiam istud experimentum nondum illi satis esset, rursùm interrogabat: *Tu es filius meus Esau?* ibid. v. 24. ac tum deniqúe, cùm ille se esse Esau respondisset, iussit inferre cibos, & potum, & postquàm inde, quod refocillando corpori necessum erat, accepisset, nihilominùs præcepit, vt accederet, & osculum præberet, quod cùm ille faceret, & vestimentorum fragrãtiam pater sentiret, benedixit filio.

Quis nõ existimet otiosas fuisse tam crebras interrogationes, & nimis prolixam inquisitionem, & plusquàm satis solicitum, anxiumque in re tantilla examen? inquit sanctus Ioannes Chrysostomus. Quid opus tantâ ad conferendam benedictionem indagine? Cùm tam facile esset illi benedicere, quid ità cunctabatur, morasque tam longas nectebat Isaac, antequàm Iacobti benè precaretur? Ne miremini tarditatem (inquit sanctus Doctor) quia benedictio illa talis erat, vt semel data retractari nõ posset: Hoc satis indicauit sanctus Patriarcha filio suo Esau, qui cùm seruus veniret, benedictionemque exposceret, hæc ad illum animo turbato, & confuso ait: Tu ex me quæris, num reseruauerim tibi benedictionem. Respondeo, nullam esse reliquam, venit enim frater tuus, & accepit benedictionem tuam, *& posthac, fili mi, vltrà quid faciam?* ibid. v. 37. obturatæ sunt fores, non superest remedium. At si semel data benedictio reuocari non potuit, non irrita fieri donatio primogenituræ semel facta, quid mirum quòd Isaac quæsiuit, & requisiuit, iterùmque, & iterùm solicitè indagauit, & examinauit, vtrùm is verus, certus, indubitatus hæres benedictionis esset, qui illius ambitiosus, & cupidus? Existimabat nimirùm si quid eâ in re per errorem fieret, id corrigi, & emendari nunquàm posse. Proprium hoc est hominum prudentium, & solertium, maturam adhibere attentionem, quoties aliquid aggrediuntur, quod infectum fieri nequeat, cùm semel factum.

Tertullianus in lib. de velandis virgin. habet quædam subobscura, quæ tamen non difficilè intelligi queant, dùm ad sensum modò rei præsenti commodũ exponantur. *Dicã, licèt nolim,* ait ille, *difficilè mulier semel fit, quæ timet fieri.* Hæc verba sic continuatè, simpliciterque lecta, neque intercisa suis cõmatis, sũt implicata, aut inuoluta, vt monet optimus Tertulliani interpres P. Cerda Annot. 226. in dictũ librum, vbi vult sic debere legi: *Difficilè virgo fit mulier semel,* ægrè primis solicitatorum precibus tantùm concedit, vt candidum, & pretiosum integritatis suæ lilium temerari semel rogata permittat, quod tale est, acsi dicas, inquit eruditus ille Interpres: *Non illicò vt inuaditur, finit se corrumpi, eludit sæpè amatorem suum,* non simul atque appetitur, exponit venalem inæstimabilem virgineæ puritatis suæ margaritam, mille modis, ac dolis fallit importuni amatoris tentamenta, & pertinaces conatus, priusquàm tam tenerum, & elegantem florem attaminari permittat, arripit scutum verecundiæ, quo turpiter lasciuientis insultus retundat, loricam honesta-

nesta-

nestatis vestit, quâ se ad hominum procaciam oppugnatione defendat.

Quamobrem verò *difficilè Virgo fit mulier semel?* Cur non primo statim inuasori cedit? Cur non exemplò amori triumphare de suæ castitate permittit? Cur! Quià videt se iacturam facere gemmæ, quæ semel perdita reperiri nunquàm possit, & rem periculo exponere, cuius damnum resarciri nequeat, propterea cautè sibi prospicit, & tergiuersatur. Quod enim semel vitiatum restaurari non potest, non debet leuiter exponi discrimini. Prudentiam, circumspectionem, deliberationem multam præexigit opus, quod semel factum fieri infectum nequit.

Successit Roboam patri suo Salomoni in regno, quem ille Israelitici populi Principem designârat. Primum, quod illum subditi rogârunt, fuit, vt minueret tributorum onus intolerabile, quod pater illis imposuerat. Molestissimum debuit fuisse hoc onus, quod ante omnia deprecandum putârunt. Pondera tamen illius oneris inde etiam arbitrari licet, quòd supplices subditi bis dixerunt, iugum Salomonis fuisse grauissimum, & durissimum. Pacatè (quod non est parùm in rege) preces illorum audiuit Roboam, & ait: *Ite vsq; ad tertium diem, & reuertimini ad me*; 3. Reg. 12. 5. mihi interim curæ erit cogitare, quid optimum factu. Hoc est, quod Reges plerumque supplicibus respondent, ad quod erudiuntur, cùm prima gubernationis rudimenta ponunt, quanquàm ferè maiore curâ teneantur delitiarum, & quarumuis corporis oblectationum.

At si preces populi tam iustæ erant, tam consentaneæ rationi, & rex illa immodica tributa minimè opus habebat, cùm monarchiam iniret pace tranquillam, & felicem, opum copijs circumfluentem, cui nemo bellum intentaret, nullus hostis erat quem formidare posset, nullum sumptuosum ædificium, quod excitare deberet, (quæ maximam plerumque adferre vastitatem regnis solent, quod experientia docet) cur non statim illis annuit, atque vt beneuolus pater dixit, velle rogatibus acquiescere, & vectigalium, tributorumque graue iugum alleuiare, & minuere onera? Cur in tertium diem concessionem gratiæ, quam expetebant, & responsum suspendit? *Ite vsq; ad tertium diem, & reuertimini ad me.*

Respondet propositæ difficultati Abulensis, inquiens: *Petiuit Roboam inducias trium dierum, & in hoc prudens fuit, quià agebatur de magna parte status sui, scilicet an relaxaret magnam partem tributorum populo, id autem quod nunc* ex tempore, cùm primùm rogabatur, *respondebat super hoc facto, debebat manere pro semper, ideò cum magna deliberatione respondendum erat.* Fortè mos illius temporis habebat, quòd reges in suis promissis constarent, & perpetuò rata haberent, quæ semel dixissent, & addixissent. Et quoniam magni momenti erat, quod illi à Roboamo petebant, & patrimonio regio non parùm derogare videbatur, idcircò tridui moram voluit, quòd sciret perpetuam fore gratiam, quam semel concederet, nec emendari posse errorem, per quem semel imprudenter aliquid promitteret, vel committeret, vt posset attentè dispicere, & maturè deliberare, quid consultius statueret, ac responderet: *Quod nunc responderet super hoc facto, debebat manere pro semper.* At si perenne futurum erat, quod Roboam semel decerneret, *prudens* ille *fuit*, cùm spatium capiendi consilij, & inquirendi in postulationem subditorum petijt. Summa enim prudentia est, & laudabilis discretio, sæpè, ac diligenter consultare de re, eamque sedulò considerare, quæ semel facta corrigi nequit.

Hæc omnia præcipuè, ac maximè Politico nostro Christiano, & Catholico dicuntur, qui debet seriò animæ suæ saluti prospicere æternæ, vt aduertat, animam, quam habet, vnicam esse, & quòd ex vno momento pendet æternitas vel cruciatuum, quibus subiacebit, siue beatitudinis, & gloriæ, quâ perpetuùm fruetur. Et quoniam Catholicus est, ad quem sermo iste dirigitur, debet etiam hoc cogitare, quòd post redditas semel supremo Iudici rationes, tam nulla est reliqua ad aliud tribunal prouocatio, quàm nullus potest cadere in illius Iudicis sententiam error. Ac propterea potissimum Politici nostri studium illud esse debet, vt ad illam sese benè præparet horam, ex qua illius bonum, malumuè omne pendet, disponatq; se studiosè ad supremum iudicium, quod subterfugere non poterit, dicatque identidem cum Iacobte, cuius illi exemplum imitandum proponitur: *Iustum est, vt prouideam domui meæ*, prospiciam animæ meæ, cùm illius bona verè sint bona, & talia bona, quæ veram adferant felicitatem. Relinquat ergò vanas curas, quibus nequicquàm insudat, & plurimi temporis iacturam facit, & tot benè agendi occasiones perdit. Ad animæ curam autem totum se conferat, & redemptioni tam pretiosi monilis solicitè inuigilet, post mortem enim frustraneum est omne illius redimendi studium, inanis illius requirendi labor, si tunc perijt, cùm è corpore abijt, tametsi sanguineas pro illa vindicanda, & recuperanda lachrymas vertat. Si mori semel vult feliciter, moriatur crebrò antequàm moriatur, summæ

namque

namque beatitatis loco habere poterit, si mortem, postquàm illi sæpè prælusit, demùm rectè, atque vt par est, repræsentare mortuus in Domino sciuerit.

## CAPVT III.

*Ità suum quisq; remedium procurare, ità quærere saluationem debet, vt cogitet, quòd ipse saluus fiat, siue damnetur, id tantundem esse, acsi totus mundus saluus fiat, aut damnetur.*

EX Sanctis Gregorio Magno, & Petro Damiano, & peruulgata Græcorum philosophorum sententia suprà iam diximus, quòd homo olim dictus fuit, *Microcosmos*, siue *Paruus mundus*, vt qui sit quoddam mundi istius maioris breuiarium, summa, compendium. Secundùm hæc dum Politicum nostrum exhortamur, vt solicitus curet salutem animæ suæ æternam, & quietem perpetuam studiosè, atq; ambitiosè consectetur, id perinde est, acsi illi persuaderemus totius mundi saluationem cum sua quærere. Et verè ità res habet, quòd velut totius mundi salutem quærat, qui suam procurat: Nam si ipse damnetur, aut saluus fiat, eius arbitrio, & existimatione tantundem hoc erit, quantum si vniuersus terrarum orbis saluus fieret, aut damnaretur. Ergò hæc illum excitare, & perurgere consideratio debet, vt rem tantam summo studio, & quâ maximâ potest diligentiâ, solicitudine, vigilantiâ, assiduitate, & ardentissimo animi affectu curet.

Canticorum liber pro argumento habet desponsationem Christi seruatoris nostri cum Ecclesia, quæ ex illius latere prodijt, sicut Eua ex latere Adæ est facta. Quòd autem hoc sit illius libri argumentum, ex libro ipso facilè est intelligere, in quo illa honorifico amicæ, & charæ sponsæ nomine sæpiculè donatur. Superuacaneum fuerit id probare, cùm in varijs capitulis eam sic appellitet. *Veni de Libano, Sponsa mea*, ait Cant. 4. 8. & mox: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*; ibid. v. 9. & paulò post: *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa*! ibid. v. 10. & c. 5. v. 1. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.*

Hisce in locis, vt volunt Theodorétus, Maximus, Psellus, Ailgrinus, Honorius, Doctor Angelicus, & penè omnes Expositores, casta Redemptoris mundi Sponsa vocatur vniuersalis Ecclesia. Sancti Isidorus, Bernardus, item Dionysius Carthusianus, Gislerius, & Abbas Sancti Pantaleonis, & alij plures volunt in sensu mystico cuiuis animæ in singulari eam Sponsæ appellationem conuenire, & congruere. Videtur tamen in his quædam esse contrarietas. Nam si liber ille Sponsæ nomine totam orthodoxam denotat Ecclesiam, quomodo id vocabulum aptè cadere in vnamquamlibet potest animam? Si Canticum de toto Fidelium cœtu loquitur, quomodo vni soli indiuiduo applicari singulariter potest?

Respondet Sanctus Petrus Damianus in Opusc. *Dominus vobiscum*, inquiens: *Ecclesia Christiana in pluribus vna, & in singulis tota, ità vt omnis vniuersalis Ecclesia non immeritò perhibeatur vna Christi singulariter Sponsa, & vnaquæq; anima plena creditur esse ecclesia.* Sed quare vni soli animæ accommodari potest, quod de tota intelligitur Ecclesia? Causa ea est, quam toto hoc Capite persequimur, nimirùm quòd cùm vna anima in cœlum salua admittitur, hoc illi tantundem est, quantùm si tota Ecclesia admitteretur, & si damnetur, hoc illi tam acerbum accidet, ac si totus mundus simul damnaretur.

Habebat Quintus Fabius, vt de illo Iulius Frontinus lib. 4. Stratagem. c. 6. num. 1. memorat, exercitum in loco incommodo, & ad confligendum cum hoste non satis idoneo. Videbatur filio cuidam illius cum iactura paucorum posse meliorem parari militibus stationem. Communicabat hoc suum cum patre consilium, qui respondens ait: *Visne tu ex illis paucis esse?* velut dixisset: Si cum nonnullorum dispendio, & internecione in locum commodiorem penetrare omnes possumus, visné tu ex his, qui mortem sunt oppetituri, vnus esse? Audiuit filius responsum patris, sed conditionem oblatam acceptare noluit: Tametsi enim initiò putauit, paucos fore, qui suæ vitæ impendio parare toti exercitui locum opportuniorem possent, postquàm tamen animaduertere cœpit, quòd ipse vnus è paucis illis futurus, & interimendus in conflictu esset, iam aliter sensit, existimauitque infinitos fore eos, quos pro communi salute trucidari oporteret. Loquebatur enim apud se ferè ità: Putabam paucorum damno posse malo publico ferri remedium, at si id meæ vitæ iacturâ depelli debet, iam mihi videtur non exercitus tantùm totus, sed mundus etiam vniuersus interiturus, nam si ego morte sublatus fuero, id mihi perinde fuerit, ac si totus mundus extingueretur, & omnes exercitus occidione delerentur.

Doctor Angelicus 3. p. q. 79. art. 10. quærit, *Vtrùm per Sacramentum altaris conferatur gratia.* Et respondet, indubitatum, & communi omnium consensu receptum esse, quòd verbis explicari non possunt beneficia gratiæ, quæ in hoc sacro conuiuio consequuntur, quicunque debita cum munditie, ac

deuotione

deuotione illud adeunt. Ad rem nostram plurimùm faciunt verba, quibus sanctus Doctor hoc affirmat: *Effectus huius Sacramenti*, inquit, *debet considerari primò, & principaliter ex eo, quòd in hoc Sacramento continetur, quod est Christus, qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ, secundùm illud Ioannis*, Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, *ità in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur*.

Notanda in his comparatio, quâ gratiam vnam cum altera sanctus Doctor componit. Ait namque, quòd Dominus velut mundo gratiam contulit, cùm in illum conspicuus venit, sic etiam, cùm in hominem laruâ mysticâ specierum sacramentalium tectus descendit, illi beneficia impertit. Itané verò vt intelligamus quid gratiæ Christus vni singulari homini conferat, considerare primùm debemus eam quam in totum mundum effudit? Quid homini vni, & toti mundo? Plurima est amborum connexio, & paritas. Nam si vnumquemque hoc Sacramento refectum interrogares, quis panem illum sacrosanctum acceperit, responderet, sibi videri totum mundum ex illo accepisse: Nam si fieri posset, vt vnus homo cum omnibus totius mundi hominibus vni mensæ accumberet, & hi quidem omnes auidè, hilariterq; comedissent, ille nihil ciborum degustasset, parùm vtilitatis illi splendida, & lauta comestio cæterorum attulisset, & è contrariò, si nemo aliorùm de propositis ferculis quidquam accepisset, & ille solus magna cum voluptate, & auiditate cibum sumpsisset, perinde illi fuisset, acsi reliquus mundus totus cum illo comedisset; ità nunc ait Doctor Angelicus, quòd *sicut in mundum veniens Christus contulit mundo vitam gratiæ, ità in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur*, & cùm in diuino altaris conuiuio pascit hominem vnum quendam, tantundem facit, quantum fecit, cùm venit, vt mundum totum redimeret, nam quod sibi quisque bonum seorsim accipit, hoc ille tanti facit, quanti si totus mundus reciperet, quilibet enim separatim integer quidam mundus est, & cùm ille vel perit, vel saluatur, hoc ei tantundem videtur, quantum si vniuersus terrarum orbis vel saluus fieret, vel periret.

Quisquis vel mediocriter sapit, difficilem captu arbitrabitur quandam regis Pharaonis ergà Iosephtem beneficentiam. Interpretatus hic illi sua inuoluta, & obscura somnia fuerat, cuius sapientiam, & præstans ingenium cùm rex agnoscére cœpisset, voluit honorare, & in sublimi dignitatis gradu collocare hominem. Ergò Vice-regem suum illum constituit, *tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitq; eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti*; Genes. 41. v. 42. & 43. Quæ hucusque dixi, non sunt intellectu difficilia, quià varia habemus exempla regum, qui permunifici fuerunt ergà suos gratiosos, quanquàm beneficia sua tam benè, ac Pharao, non collocârunt, nam Ioseph famem ex Ægypto sublatam expulit, alij verò gratiosi fame necant subditos, & Principum suorum ditiones exhauriunt, & perdunt, vt suis commodis, & vtilitati priuatæ studeant. In nomine reperio ego difficultatem, quo appellari Iosephtem Pharao voluit, à quo illum proximum à se esse, & haberi iussit. *Vertit nomen eius, & vocauit eum linguâ Ægyptiacâ Saluatorem mundi*; ibid. v. 45. Talis nominis impositi rationem tradit Abulensis, inquiens: *Vocatur saluator mundi, quià per interpretationem somniorum, & dispositionem collectarum saluauit Ægyptum totam à morte, quæ illi inferenda erat per famem.* Communis hæc interpretatio confirmat, augetque etiam meam dubitationem. Nam si Ioseph Ægyptum à crudeli sæuæ famis tyrannide vindicauit, vocetur, quod plurimùm meruit, saluator Ægypti, at mundi saluator quamobrem dicatur? Si totus in Ægypto inclusus mundus fuisset, extràq; illam terram terra nulla fuisset alia, aptissimè in illum titulus sospitatoris mundi quadrasset. At cùm Pharao non ignoraret, esse mundi partem maximam extrà Ægyptum, cur Iosephtem mundi saluatorem appellari voluit, tanquàm totum mundum seruasset? *Vocauit eum saluatorem mundi.*

Responsum ex doctrina tradita facile accipiemus. Nonné Pharao per prudentiam, prouidentiam, & vigilantiam Iosephtis eruit ex fame, liberauitque à penuria totum regnum suum, ditionesque illius omnes? Ità res habet. Quid fecit ergò rex? Saluatorem mundi illum nuncupauit, ipsi enim videbatur totum mundum saluasse, quando regnum eius sospitauit, nam si totus mundus reliquus saluatus fuisset, solumq; illius regnum interijsset, hoc ipsi tale fuisset, quale si regna mundi omnia perijssent, sua enim quisque bona, vel malè ità sentit, acsi totius mundi bona, siue mala essent. Ad eundem modum vos argumentari de saluatione, aut damnatione vestra æterna potestis.

Hinc intelligemus acutum aliquod verbum, quod Poëtarum maximus fraudulentissimo Græcorum sugges-

suggessit. Cùm perfidus Sinon ad regem Priamum adduceretur, blandisq; verbis, & pollicitatione illa inuitaretur, quòd municipem suum facere vellent, si detegeret secretum istius tam vasti equi, qui montem magnitudine penè exæquabat, ille respondit, velle aperire mysterium, quod in illo equo latebat, dum ipsi è contrà pollicitationi suæ starent. Id apud Virgilium Æneid. 2. his verbis aiebat:

*Tu modò promissis maneas, seruataque serues*
*Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.*

Pressit in his Tiberius Claudius illud, *Magna rependam.* Latinis *Rependere* idem est, quod par pari, & monetam, quod aiunt, monetâ æquali referre, mit gleicher Muntz zahlen. Debes cuidam amico centum argenteos, reponis argenteos totidem, hoc est *rependisse*, & iustè satisfecisse. Hoc itâ posito, quomodo Sinon dicere potuit, se paria *rependere* velle Troianis, si ab illis libertate, & immunitate ciuicâ donaretur, cùm ille vnus quidam homo esset, & Troia ciuitas ingens, & populosa, quam sospitare velle spondebat? Claudius Tiberius ait: *Vsus est Sinon tali verbo, vt diceret*, Rependam, *quasi tantùm reciperet, quantùm dederat, hoc est, vt salutem mereretur, qui se offerebat salutis beneficium præstare, ideircò posuit: Si vera, & magna pro incolumitate tua feram, debeo paria rependere.* At si rependere est vices pares reponere, videtur Pòeta non satis iustam, accuratamque habuisse verborum suorum rationem, cùm Sinonem affirmasse ait, velle Troiam in libertatem asserere, idque pro libertate, quam ab ipsa in vicem expectaret, sicque par pari rependere? Quomodo enim paritas inter res tam impares, inter hominem vnum, & regnum integrum, inter Sinonem, & Troiam esse potuit? At si rem suis ponderibus expendas, inuenies acutè dictum à Virgilio, quòd Sinonem dixisse ait, se pro libertate, quam speraret, rependere pares vices, & totum iustè exsoluere debitum, nec tantillo manere obnoxium: Nam ille de sua vita, & incolumitate eam habebat existimationem, quòd tantùm valeret, quantùm vita Priami, & regni ipsius salus, quisque enim se tanti æstimat, quanti mundum vniuersum, & quisque sibi velut singularis quidam mundus est, mundus enim totus interire illi videtur, qui ipse occumbit.

Quapropter Politicus noster salutis suæ cupidus debet eam solicitè, anxiè, totâque virium contentione procurare, in se namque totum mundum spectat, & si ipse pereat, hoc tam acerbè aliquando deplorabit, quàm si totus mundus damnationem incurrisset. Quantam ergo diligentiam, vigilantiam, curam mereatur negotium, in quo de totius mundi salute agitur, res ipsa loquitur.

## CAPVT IV.

*Non satis prouidè fit, cùm curæ committitur alienæ, quod studio fieri debet proprio.*

VT maiorem fructum doctrina nostra faciat, bonum fuerit dictis aliud non minoris momenti, & vtilitatis monitum addere, & Politico nostro suadere quidpiam, quod tametsi plurimi non nesciant, pauci tamen opere explent, estque illud, vt res suas, quantùm per virium facultatem fieri potest, ità disponat, & comparet, vt cùm ex hac vita emigrat, omnem bonorum operum apparatum secum ad tribunal Domini ferat, sic vt manus alienæ opem in altero sæculo non requirat, per quam euadat pœnas, à quibus seipsum seruare, aut liberare potuisset, si per se, quæcunque huc spectant, cùm viueret, ante prouidisset. Dicam id etiam apertiùs. Politicum nostrum hoc capite hortabor, vt quæ pro salute animæ suæ facienda putârit, ea omnia testamenti sui executoribus, tametsi amici, cognati, liberi sint, curanda non relinquat. Si enim quis ea, quæ curare ipse potuit, & ipsi necessaria sunt, neglexit, permiserit, si alium reperiat, ad quem non magnoperè spectant, qui ea studiosè, diligenterque tractet, ac perficiat, quæ ille ex ignauia, & oscitantia prætermisit. Doctrina hæc tam perspicua est, & fructuosa, & salutaris, tantamque secum fert sui commendationem, vt eruditissimus Doctor Honcala Opusc. de satisfactione hìc facienda dicendum putârit: *Multò esse præstantiùs, atque eligibilius, hominem, quamdiu hanc vitam degit, rectè factis Deo satisfacere, quàm testamentarijs committere, vt ea exequantur opera, atque suffragia, quæ ipse pro se agenda eis commendauit, vt à purgatorijs pœnis eripiatur, non tam disputatione, quàm suasione indiget.* Rem enim tam magni momenti, in qua quisque tantùm vel damni, vel commodi positum habet, committere diligentiæ alienæ, alienum à recta prouidentia, & inconsultè factum videtur.

Dignus notatu est catalogus, quem Propheta regius texens commemorat opera pœnitentiæ, & afflictationes, quibus carnem suam emaciabat, & castigabat: *Non est sanitas in carne mea, afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei*; inquiebat Psal. 37. 8. 9. tanquàm dixisset: Nullam viuo iucundam, ac voluptabilem vnquàm horam.

ram. Verberabilissimam carnem, quæ vile obscœnarum culparum instrumentum fuit, crebris, durisque flagris addico, vt sic luat in hac vita turpes voluptates, in quas liberiùs effusa fuit. Quòd oculi petulante suâ licentiâ, & lasciuo intuitu peccârunt, hoc amaris lachrymis abluunt, & emaculant. Cor, quod ceu primum mobile sensus, & potentias animæ reliquas post se abripuit, & inter sordidas corporis delitias, & oblectationes obbrutuit, nunc suspirat, gemitque, ac rugit, non secùs ac irâ inflammatus, & furore percitus leo solet.

S. Basilius Magnus Dauidem sic loquentem inducit: *Ego cùm prauerterim, nec expectauerim, vt vnus aliquis externe hoc meum corpus puniret, inflicto quopiam vlcere pessimo, ipse ex me malui pœnam vltricem expetere, carnemque meam, per quam peccatum illud admissum est, pœnis tradidi, me puniendo, multisque modis castigando.* Dum grauitatem scelerum meorum mecum reputo, ego ipse à carne, quæ portam flagitijs aperuit, vindictam, & pœnas cupiditatum, quibus indulsi, sumo, consultèq; , & solicitè præoccupo omnem manum alienam, quæcunque mihi irrogare supplicia possit: *Ipse ex me malui pœnam vltricem peccatorum expetere.* Quàm elegantia, & apta rei præsenti verba! Ipsus ego in carne mea, quod caro malè egit, plectere volui, carnis malas voluptates non alijs, quàm carnis afflictationibus vindicaui, debita quæ caro contraxit, in carne, & cute lui, delitias carnis, luxumque & victus, & vestitus mulctaui eiusdem carnis inediâ, & nuditate, noluì alienâ diligentiâ confici, quod proprio carnis labore fieri poterat. Cùm enim haberem ipse, quo me certò, ac facilè exsoluere debitis possem, non putaui prudenter factum, si necessariò faciendam solutionem studio, & fidei, solicitudiniq; seu cognati, seu amici, seu etiam filij testamentarij relinquerem.

Videamus an fortè Propheta regius in eiusmodi fuerit cogitatione, cùm ista diceret. At cui hoc dubium esse possit? Statim enim subijcit: *Amici mei, & proximi mei aduersùm me appropinquauerunt, & steterunt, & qui iuxtà me erant, de longè steterunt*; ibid. v. 12. ac si dixisset: In viuis video, quòd ab amicis familiaribus, & intimis destituor, experiorque ab ijs me grauiùs oppugnari, quos beneficijs maioribus arctiùs mihi deuinxeram, cùm alij gratias, quibus illos cumulaui, vertant in lanceas, quibus me configant, & conficiant. Si hæc, dùm adhuc viuo, conspicio, si filius me bello lacessit, & insectatur, si hi, quos fœderatissimos habebam, in me coniurant, cui me credam? Qui me viuentem non solùm obliuiscitur, sed etiam persequitur, tametsi beneficijs à me oneratus, quomodo mei post mortem recordabitur? Quomodo curabit, vt me bono Deo commendet? Hæc cogitans, *ipse ex me malui pœnitentiam vltricem peccatorum expetere*, ipse mihi esse testamentarius malui, ipse per opera pœnalia satisfacere culparum mearum debitis, ipse res meas omnes disponere, & Dominum, quo meliore modo possem, placare malui, quàm alijs hæc curanda relinquere, de quibus vix aliud sperare possum, quàm quòd memoriam mei à morte omnem abijcient. Nam si amici me obliuiscuntur viuum, quomodo expectem, vt recordentur mortuum?

Confirmabo hæc quodam consilio, quod noster Hispanus Quintilianus patronis, & aduocatis causarum controuersarum dedit, estque eiusmodi, vt cùm lis momentosa est propugnanda, non alteri aduocato, aut legisperito commendent studium, quod causæ certa cognitio postulauerit, & diligentiam, quæ rebus ad defensionem facientibus conquirendis necessaria fuerit: *Ne illas quidem tulerim delitias eorum, qui doceri amicos suos iubent. Sed quis discet tam benè, quàm patronus? Quomodo autem sequester ille, & media litium manus, & quidam interpres impendet æquo animo laborem in alienas actiones, cùm dicturus ipse non sit?* Quomodo inuigilet causæ defensioni patronus, cui nullus ex labore fructus, nulla nominis existimatio ex studio nascitur, si illum, cui res commendata est, & magnam adferet vtilitatem, tam incurium, desidem, negligentemque videat? Ergo aduocatus, qui superior à iudicio vult discedere, diligentiam ipse adhibere debet, stultum enim est putare, quòd alter studiosè curabit rem, quæ ad ipsum non pertinet, quando ille eam negligenter, & ignauiter tractat, cuius emolumentum, & honor ex incuria periclitantur? *Quomodo æquo animo laborem impendet in alienas actiones, cùm dicturus ipse non sit?*

At si Quintilianus in rebus tam leuibus, quàm sunt opum facultates, commoda, & honor temporalis, tam vehementer damnat segnitiem, & inertiam aduocatorum, qui alijs committunt studium conquirendi argumenta, quibus causa clientis defendi possit, ac debeat, eò quòd fieri nequeat, vt quis rectè curet, quod ad illum nō pertinet: Consultènè faciet homo Christianus, si alienæ solicitudini, dispositioni, diligentiæ, & curæ aliorum, ad quos non magnoperè spectant, ea credat, per quæ, nisi rectè curentur, anima in periculum adducitur salutis, & quietis æternæ? *Ne illas quidem delitias tulerim.*

 Nimia

Nimia mollities est, ne dicam damnabilis remissio, velle vt alius solicitè, & anxiè, enixiùsque quàm tu, hoc agat, quod tu ipse pro te agere noluisti. Vt inuenias hominem, qui te plùs, quàm tu ames, fieri fortè potest, difficilè tamen reperias aliquem.

Videamus quid fecerint sancti Patriarchæ, quos nobis Dominus tanquàm specula animarum, & prototypa virtutum, & exempla bonorum operum proposuit. Quid egit Abraham, priusquàm moreretur? *Dedit cuncta, quæ possederat Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret.* Gen. 25. 5. 6. Vt pax inter liberos post mortem patris constaret, ipse inter eos sua bona dispertijt, & Isaacum quidem hæredem nuncupauit, alijs autem inferiorum vxorum filijs quandam facultatum suarum portionem designauit, & contubernium eorum, conuictúmque soluit, vt diuersis in locis habitarent. Hæccine cognato alicui, aut amico curanda reliquit? Non profectò. *Dùm adhuc ipse viueret*, ipse bona sua ex æquo, & bono distribuit, ipse cuique suum priuatum habitationis locum designauit, nemini hoc opus credere, ne familiarissimo quidem, aut intimo voluit. Nam si opum suarum copias testamentario alicui commendasset, vt ille filijs eas traderet, fortè factum fuisset, quod fieri à multis solet, qui vt hæredibus omnem litigandi occasionem amputent, totam sibi vsurpant hæreditatem, ex quo fit, vt omnes omnia perdant, & viui quidem spolientur hæreditate, defuncti autem fraudentur suffragijs eleemosynarum, & bonorum operum, quæ mortuus fieri iusserat. Præuidens ergo Abraham quo in periculo versentur bona, quæ in manibus versantur testamentariorum, quàmque procliuiter illi ex testamentarijs fiant hæredes, *dùm adhuc ipse viueret*, bona sua suis pro cuiusque conditione, & qualitate distribuit, sicque omnes habuerunt, vnde commodè, & pacificè viuerent, cùm non fuerunt relicti in potestate testamentariorum, quorum nonnulli hoc officio victum sibi parant, quemadmodùm alij manuum suarum labore.

O quàm grauiter arguit, & damnat Plinius iunior hanc quorundam tam reprehensibilem negligentiam lib. 2. epist. 10. cùm ait: *Dispice, ne sit parùm prouidum sperare ex alijs, quod tibi ipse non præstes.* Vide ne sit damnosa ista tua desidia. Tu rerum tuarum es negligens, & speras alium eas solicitè curaturum? O quanta deceptio! Propterea magnus credentium pater res suas suo quasque loco disposuit, *dùm adhuc viueret*, tunc de omnibus, quæ post mortem siue ergà filios, siue pro animæ suæ leuamine fieri voluit, constituit, neque hanc diligentiam solicitudini alienæ reliquit.

Optimè hoc Isaac à Patre suo Abraham didicit. Nam vt vidit, quàm feliciter illi cecidit, quòd tam studiosè in viuis distribuit, quæ periculosè post mortem relinquuntur curanda, ipse etiam antequàm viuere desineret, noluit declaratum relinquere, quem relinqueret primogenitum, hæredemque benedictionis suæ, & priuilegiorum præcipuum. Quare filio suo Esau maiori natu imperabat: *Affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea*; Genes. 27. 4. Quantum temporis intercessit inter mortem, & diem, quo hæc fecit? *Vixit posthac Isaac adhuc annis quadraginta tribus*, inquit Cornelius à Lapide in c. 27. Genes. colligitque ex ipsa sacræ historiæ calculatione. Hæc verò, hæc pulchra est prouidentia, totis quadraginta tribus ante mortem annis disponere res suas, componere rationes, statuere quid pro anima fieri debeat, & non expectare donec non solùm quadraginta tribus annis sequentibus, verùm etiam nullo vnquàm tempore voluntas suprema testamento expressa impleatur, nec sit, qui vllum aliquando moueat lapidem, vt è Purgatorio eximatur anima, quæ ibi detinetur, quòd non sit, qui pro illa satisfaciat.

Patriarcha noster Iacob cùm timeret iram crudelis fratris sui, vt indignationem eius mitigaret, misit ad eum opulenta dona, inquiens: *Placabo eum muneribus, quæ præcedunt, & posteà videbo illum, forsitan propitiabitur mihi*; Genes. 32. 20.

Notate in his insignem prudentiam sancti Iacobis. *Placabo illum muneribus*, inquit, non quæ posteà irato fratri offeram, sed *quæ præcedunt*. Hæc enim singularis prouidentia est, præmittere dona, quibus reconcilientur animi alieni. Si ergo homo tali artificio placatum efficit hominem, cur non Deum ad eundem modum mitigare studeat? Qui Deum grauibus culpis, & enormibus sceleribus suis habet offensum, eumque cupit placare muneribus, quæ ille grata habet, suntque lachrymæ, cor dolore contritum, & pœnitens, verberationes corporis, ieiunium, eleemosyna, Missæ, frequentatio sacramentorum, faciat quod Iacob, præmittat illas Missas, illas corporis castigationes, ieiunia, lachrymas, & alia pœnitentiæ opera, muneribus, quæ præcedunt, illum pacatum reddere laboret, vt & dicere cum Iacob queat: *Posteà videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.* Ità faciens citiùs admitteris ad conspectum Domini, & si pœnæ Purgatorij subeundæ fue-

sint, non tam diu ibi detineberis, quàm si expectes, vt pro te post mortem satisfiat per eleemosynas, Missas, orationes, & alia suffragia, si tamen hæredes, ij etiam, quibus ingentem vim auri, argenti, omnisque æris, & innumeras facultates reliquisti, vel eam habent tui memoriam, vt etiam vnam Missam pro te celebrari curent.

Transeamus ad id, quod Moyses dux populi Dei fecit, qui postquàm præceptorum diuinorum studiosam, solicitamque obseruantiam suis commendasset, *separauit tres ciuitates trans Iordanem ad orientalem plagam, vt confugiat ad eas, qui occideret nolens proximum suum*, vt habet sacer textus Deuteron. 4. 41. 42.

Oleaster in annot. morali ibid. ait: *Omnis diuisio, ac rerum distributio, quam potueris in vita tua facere, fac, ne post mortem tuam non tam benè fiat, aut inde lites, vt fieri solet, inter hæredes tuos oriantur.* Duo mala impediunt, qui Moysis exemplum secuti in viuis sua distribuunt. Primùm contentionibus aditum præcludunt, quæ inter hæredes nasci solent. Deinde maiorem ab hæredibus pernitiem auertunt, illâ, ne in manus testamentariorum incidant, qui sunt inimicorum maximi, litigantium pessimi, vique ac per tyrannidem occupantes bona, faciunt vt nec liberi eis gaudeant, nec defuncti suffragia ex eis, quæ possent, habeant.

Quid putatis hæredes maiore parte facere suis defunctis? Id, quod Hebræi illis centum octoginta quinq; millibus militum impij, & barbari regis Sennacherib, quos nocte, & occidione vnâ vnus Angelus extinxit, de quo sic habes 4. Reg 19. 35. *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit centum octoginta quinque millia.* Magna cædes. Quo mortis genere tam numerosa hominum multitudo perempta fuerit, non est satis vnanimiter constitutum inter Expositores, eò quòd sacer textus hoc non exponat. Nicolaus Lyranus ex sententia Hebræorum ait, *fuisse incineratos sub armis, vestibus intactis, ità quòd populus Ezechiæ potuit spolia facilè colligere.* Veniebant ergo Hebræi, & frigidos extinctorum cineres quidem afflatu remouebant, atque in campum abiectos cœli iniurijs confici sinebant, in hoc autem toti erant, vt sarcinas occasionum dissoluerent, prædâ gauderent, vestes sibi raperent, & vsurparent, diuitesque opulentis spolijs domum redirent. Hoc est, quod plerumque vitâ functis superstites hæredes faciunt, inquit P. Franciscus Labata in Apparatu concion verbo *Mors*, Proposit. 5. To. 2. his verbis: *A morientibus spolia detrahunt, cineres relinquunt, hæreditates, inquam, & legata morientium gaudentes adeunt, spolia eorum accipiunt, cineres eorum tradunt obliuioni*, ex testamenti iussis ea solùm curant, quæ sibi commoda vident, cætera ferè incurata relinquunt.

Huc respiciens Plinius iunior lib. 6. epist. 10. inquiebat: *Tam rara in amicitijs fides, tam parata obliuio mortuorum, vt ipsi nobis debeamus conditoria extruere, omniaque hæredum officia præsumere.* Perit plerumque memoria defunctorum cum sonitu campanarum, quo illis extremùm parentatur. Ità nemo cognatis, vel si fratres sint, aut etiam liberi, fidere tutò potest, nemo ferè certam sperare à morte sepulturam, nisi quam ipse sibi viuens apparauerit. Feris obijcerentur defuncti, nisi metus, aut pudor prohiberet. Nisi ipsi nobis, dùm viuimus, testamentarij simus, nemo ea, quæ secundùm mortem fieri pro nobis vellemus, faciet: Ipsi nobis debemus *omnia hæredum officia præsumere.* Vxor enim mox nouum maritum, & quod ex illo solatium habere possit, suspirat, hæres omnes cogitatus ad curanda bona sibi relicta conuertit, amicus rebus suis attendit, omnes sua negotia occupatos habent, vnusque, ac solus maximè memoriam fugit mortuus. Videte Christiani, quid vobis dicat Gentilis. Neglige rem, quæ ad te plurimùm pertinet, & videbis quàm tibi damnosa tua desidia erit.

Propterea Innocentius Papa III. in tract. de eleemosyn. aiebat: *Noli bonum, quod concepisti, differre, quoniam à mane vsq; ad vesperam mutabitur tempus, & mens rapitur in diuersa, nec dimittas illud exequendum hæredi, quià vix tibi laudem, nedum mercedem rependet.* Si Missas vis dici, si dari eleemosynas, si aliud quidpiam boni operis fieri, noli credere manibus alienis, quod potes facere proprijs, hæres enim, cui ea fortè curanda relinques, ne semel quidem precabitur, vt Deus remuneret, quæ in illum contulisti beneficia, immò multas aduersùm te querimonias dabit, quòd non plura illi sunt à te relicta. Missas, quæ pro te legendæ erant vertet in murmurationes, memoriam tui faciet crebram, sed in media turba, in cœtibus hominum otiosorum tua facta, atque infecta ore maledico perstringens. Pecuniam, quam in eleemosynas erogaturus pro tuæ animæ leuamine erat, lusu prodiget, fortè & maledictis te proscindet, quòd non plura illi es lucratus, & si te deflere videatur, id faciet, quòd non multò ante mortuus es, nec plura parasti. *Non dimittas exequendum hæredi*, quodcunque illud bonum concepisti, *quià vix tibi laudem, nedum mercedem rependet.*

Hæc non in omnes, sed plerosque tantùm sunt dicta, quia sunt etiam hæredes nonnulli valde grati, & testamentarij admodùm pij, ac probi, quibus credi animarum suffragia possunt.

Nihilominùs in re tam periculosa, & momentosa autor fuero nostro Politico, vt Sanctorum Patriarcharum vestigia premat, qui dùm viuerent dispofuerunt sua, facultatesque liberis distribuerunt, vt ne illis corrixandi materiam relinquerent, præparârunt se autem etiam ad horam mortis, vt magis securi, expeditique ante conspectum Domini apparerent. Non satis prouidè quis committit negotium diligentiæ alienæ, quod ipse per se exequi potest.

*Hanc materiam crebrò tractat Autor. Vide Periocham II. Dominica V. post Pentecosten, Tomo 2. pag. 127. c. 1. 0. & loca ad finem illius Periochæ adscripta.*

## CAPVT V.

*Magis stulta temeritas, & præsumptio excogitari non potest, quàm eorum, qui cùm imbecilles sint, non timent offendere, vbi fortissimi ceciderunt.*

EX superiore monito sequitur documentum præsens, æquè graue, vtile, & momentosum, ac illud, quorum vtrumque coniunxit venerabilis P. Bernardus Syluest. inter opera sancti Bernardi tom. 2. dicens: *Diligentibus personam tuam non committas animam tuam. Committe animam tuam diligentibus suam. Dispone de rebus ante morbum. Sæpè quis efficitur infirmitatis seruus, & seruus testari non potest. Liber ergo testeris, antequàm seruus efficiaris.* Quando ergo libertate tuâ per integram valetudinem etiamnum gaudes, quando potentijs tuis per saluum rationis iudicium adhuc tibi præsens dominaris, & nosti rectè imperare, tunc dispone res tuas, quæcunque enim ad animam spectant, ea longum requirunt temporis spatium, multam animi attentionem, & quietem, sunt namque negotia, ex quibus non minùs aliquid, quàm bona felicis æternitatis procuratio pendet, & reijcere hoc in vltimã horam, quod multis horis, diebus, annis antè, multo studio attentissimè, & perquàm solicitè disponi debuit, est damnosissima negligentia, quâ perniciabilior Politico nostro alia nulla esse possit.

Ad hanc tam exitialem socordiam nos impellere crudelissimus, & rabiosissimus inimicus noster impellere modis, quibus potest, laborat. Dicat hoc Propheta regius, qui cùm de tentationum sæuis procellis, quibus scopulus validissimi pectoris eius ab inuidis hostibus immanè verberabatur, loqueretur, sic aiebat: *Verbum iniquum constituerunt aduersùm me;* Psal. 40. 9. hoc est, verbo vnico, sed malignissimo, voluerunt mihi bellum mouere crudelissimum, & sanguinolentissimum. Tantanè verò verbo vni vis oppugnandi inesse potest? Tantum venenum subesse sententiolæ vni perexiguæ? At videamus quænam vis illa, aut quale in verbo vno toxicum. *Nunquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat?* inquiebant ad illum ibidem, acsi dixissent: Nonnè qui velut frigidum cadauer semel concidit, erigere sese, & resurgere animosus potest? Hoccinè verò est bellum, de quo sacer Propheta querebatur, hoccinè venenum, quod illi ab hostibus propinabatur? Quidnam illi talibus verbis volebant? Quod illi ijs verbis volebant, tale erat: Qui in mortem animæ & somnum lethalem, per peccatum mortale incidit, nonnè is ab illo somno euigilare ad vitam gratiæ potest? Nonnè peccator conuerti, nonnè qui morbum per culpam contraxit, sanari potest? Quid ergo est, quòd timeat, vel tremat, qui semel, ac sæpius peccat?

Apud Hugonem Cardinalem alia versio habet: *Verbum diaboli constituerunt aduersùm me*, hoc est, verbum, quod mihi dixerunt, tale est, vt necessum sit, ab alicuius diaboli ore profectum, & authorem alium, quàm illum, habere nullum queat. Iam minùs assequor sensum querimoniæ Propheticæ. Nam qui dicat peccatori, posse illum conuerti, quantumuis hactenùs fuerit sceleratus, posse grauissimorum licèt flagitiorum indulgentiam apud clementissimũ Dominum reperire, ille magis verbum Dei, idque multoties in Scripturis ad erigendos peccatores repetitum, quàm dæmonis sententiam locutus videtur, qui vnum hoc velut ex officio agit, diligentissimeque, & contentiosissimè curat, vt desperare veniam, despondere animum, & nullam à Deo expectare remissionis gratiam persuadeat. Quod si ità est, quamobrem sacer Propheta Domini vocat verbum iniquum, verbum diaboli, toxicum inferni illud, quod Dominus ipse ad excitandos à lapsu, confirmandosque ad benè sperandum peccatores, & ad inclytæ dexteræ suæ, atque immensæ benignitatis ostentationem per omnia passim Prophetarum suorum ora est locutus? *Verbum diaboli constituerunt aduersùm me.*

Respondet Hugo Cardinalis in illius Psalmi commentario: *Verbum diaboli fuit*, Nequaquàm moriemini, *& modò per adulatores, qui sunt organa eius, dicit: Nequaquàm adhuc moriemini, benè potestis modò bibere, & comedere, vos estis adhuc iuuenes, quando senueritis, tunc facietis pænitentiam.* Protoparenti-

parentibus noſtris dicebat olim indutus ſerpentem dæmon, *Nequaquàm morte moriemini*, Geneſ. 3. 4. atque vt tunc per ea verba feliciter apud incautos, & infortunatos obtinuit, ſic nunc eadem per improbos aſſentatores adminiſtros ſuos identidem, & vbi vbi poteſt, inculcat, quo alios, ætate immaturiores maximè, pœnitentiæ ſtudijs ſeſe tradere volentes vel moratur, vel prorsùm auocat, vel tepidos, ac torpentes reddit, idque verbis ferè eiuſcemodi: Eia hilariter agite, animo indulgete, mundo, dùm per floridulam ætatem licet, fruimini, habet ſuum pœnitentia tempus reliquum, cui longam poſt annos longos rugoſa, & moroſa, & nata ijs ſtudijs ſenecta operam dare poterit, ætas hæc tenerior fugit lachrymas, neque fert duras corporis afflictationes, *nunquid qui dormit, non adijciet, vt reſurgat?* qui iuueniles annos inter ſomnum vitiorum exigitis, euigilabitis annis proceſſioribus, Deus enim pater miſericordiarum eſt, ſanguinemque pro nobis ſuum fudit, & qui ſub vltimam vitæ periodum exaudijt, & beauit latronem; neque vos in pari diſcrimine poſitos deſtituet. De talibus talia loquentibus aiebat Propheta: *Verbum diaboli conſtituerunt aduerſùm me*; ſermones venenati ſunt, toxico imbutæ ſagittæ ſunt è pharetra mali dæmonis: Nam vt vafer, & inſidioſus hic inimicus ſcit manifeſtum periculum, cui obnoxia eſt anima, quæ pœnitentiæ opera horis vitæ ſeruat extremis, ità quantâ maximâ diligentiâ, & contentione poteſt, ſtudet malè agentibus repræſentare, & amplificare, atque extollere miſericordiam Dei, vt incurium, & de illa benignitate nimiùm præfidentem peccatorem ſpes ſua ſub horam mortis fallat, & fruſtretur.

Itaq; ſi Politicum meum quiſquam talia loquens conueniat, aduertat dæmonem eſſe, qui eiuſmodi verbis tectus veniat, & ſermones illos ſpurium aurum eſſe, quo ad fraudem obducuntur pilulæ ſuſpenſionis pœnitentiæ, & procraſtinandæ emendationis vſque in ſupremam mortis horam. Dominus autem, qui ſpem peruerſiſſimi peccatoris fouet, & alit, quando inuitat ad veniam, non conſulit eſſe negligentem, aut cunctatorem, aut craſtinum, aut incurium, velut diabolus ſuadet, ſed iubet exurgere ſimul ac ille hoc præcipit, ſaucijque cerui in morem ad fontem ſalutis quàm celerrimè accurrere: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, aiebat ex Deo Propheta pœnitens Pſal. 94. 8. velut dixiſſet: Quo momento vos inclamauerit Dominus, è ſtrato peccatorum ad lachrymas, & pœnitentiam expediti, feſtinantesque ſurgite. Itaque Dominus dicit quidem omni malò culpæ eſſe paratum remedium, ſed non dicit peccatori, nec conſulit ægro, vt ſit incurius ſuæ infirmitatis, verùm hoc magis ſuggerit, vt quam primùm manum imploret medicam, cùmque prolapſus fuerit, mox faciat quantum valet, vt reſurgat, & manum Domini, quam ille protendit, ſtatim arripiat, vt eius adminiculo ſe erigat.

Seneca lib. 3. Controu. 5. ait: *In lege quoties tempus non adijcitur, præſens intelligitur.* Vt ne ergo peccator quiſquam ſuam ignorantiam prætexat, putetque leges Dei, eò quòd diuinæ ſunt, differre, quod ad hanc rem attinet, ab humanis, deſignat Dominus per Prophetam tempus, quo debeat, qui peccauit, emendationi ſtudere, inquiens: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*; acſi dixiſſet: Si hodie cecideritis, hodie ſurgere debetis, ſi hodie ægrotare cæperitis, hodie vt conualeſcatis, curare debetis, ſi in adoleſcentia, in iuuentute animas veſtras fœdis ſceleribus contaminaſtis, in eiſdẽ ætatibus turpes illas notas per pœnitentiam emaculare debetis. Fieri poteſt, vt ſenecio reſtaures mala, quæ animæ tuæ adoleſcens intuliſti; verùm cùm hoc ſit perdifficilè, & incertum, propterea ſuadere, vt in ſeram ætatem emendationem differas, dæmon, non Deus ſolet.

Huc oculos, vt arbitror, intendit ſanctus Hieronymus, quando in Epiſt. 65. peccatores exhortatur, inquiens: *Iungamus gemitus, lachrymas copulemus, & conuertamur ad Dominum, qui fecit nos.* Hîc perſpicuè alludit ſanctus Doctor ad Pſalmum, cuius pauca verba paulò ante produximus, quibus antequàm peccatoribus citam, præproperamque conuerſionem conſuleret, præmiſit iſta: *Venite adoremus, & procidamus, ploremus ante Dominum qui fecit nos*, ibid. v. 6. Hæc reſpiciens dicit beatus Hieronymus: *Ploremus, & conuertamur ad Dominum, qui fecit nos*, & medicinam vulneribus noſtris lethalibus quæramus efficacem. Quid verò fiet ei, qui non citùm quærit ſuis malis remedium, ſed tardas pœnitentiæ aſſumere medicinam? *Non expectemus diaboli pœnitentiam*, inquit Doctor maximus. Si tunc demùm remedium ſalutis quærere incipimus, cùm viuere deſinimus, ſi pœnitentiæ opera, & curam animæ, rerumque ad illam pertinentium diſpoſitionem in tempus morti proximum reſeruamus, pœnitentiam diaboli quærimus, ſicque facienti continget, quod diabolo euenit, hoc eſt, vt non inueniat locum pœnitentiæ, æternasque pœnas ſine ſpe remiſſionis exſoluat.

Et nescio, an dæmon laborauerit malo, ex quo multis hominibus fuit ægrè, multi etiam damnationem æternam incurrerunt. Sanctus Bernardus Doctor mellifluus in ea est opinione, hac re, præter alias, permotum Luciferum, vt in Deum, & Creatorem liberiùs insurgeret, quòd sciret immensam esse bonitatem illius, & facilem sibi ab illo veniam concedendam promitteret, quidquid peccaret, iuxtà illud Psalmi noni, *Secundùm multitudinem iræ suæ nō quæret*, quod ità accepisse satan videtur, acsi dictum fuisset: Quid refert, quòd ego proximus illi sedere, & æmulari magnitudinem eius infinitam appeto, & qui eam exæquare nequeo, omnem aliam creaturam loco, ac dignitate supergredi volo, cùm tanta sit, tamque immensa illius misericordia, vt facilè me in gratiam suam denuò admittat, quoties hoc ego optaro? At quid illi euenit? Quòd rex propheta ait: *Exacerbauit Dominum peccator*, ibid. tamq; acerbè Lucifer animum illius exulcerauit, vt nullum ægritudo eius habitura sit remedium, nec ille vnquàm è strato suæ culpæ sese erecturus. Hoc ipsum, quantum æstimo, dicere voluit Sanctus Hieronymus, cùm suasit statim à perpetrato peccato, ab accepto animæ vulnere cursu petere remedium, procurare medicinam, & totâ pedum pernicitate contendere ad fontem salutis. Nam à primo rationis vsu, à rudibus pueritiæ annis initium facere peccandi, & pœnitentiam reijcere in occasum vitæ, idque ex præfidentia nimiæ bonitatis Dei, & cum diabolo sentire, non esse tantam feritatem supremi Iudicis, quantam illi timor noster appingit, quin potiùs Iudicem non solùm perindulgentem, sed etiam indulgentiam, & misericordiam ipsam esse, est spem diabolicam habere, & *diaboli pœnitentiam expectare*, aut pœnitentiæ illius similem aliquando habere. Hæc dico, non quòd vel nesciam, vel diffitear, articulum fidei esse, hominem, donec viuit, absq; remedio salutis non esse, (quamdiu enim anima corpus vegetat, nullum tam est graue flagitium, quod lachrymis, & verâ contritione obliterari, prorsùmq; aboleri non possit) sed quià inter supremas vitæ periclitantis angustias homo difficilè se præparare, difficilè superiora malefacta exanimitùs detestari, difficilè deplorare seriò potest. Varius enim tunc animum timor occupat, & dolor plerumque tantus, vt illius sensus vix aliud cogitare sinat, tentationes autem in illo extremo transitu vehementes sunt, & horribiles: Velle verò in vno illo expirantis animæ momento facere, quod totis effluxis annis nunquàm factum, aut etiam cœptum, est conari aliquid, quod est moraliter impossibile.

Transferamus huc in vsum nostrum aliquod Sancti Ioannis Chrysostomi dictum rei præsenti natum. In orat. de S. Pelag. ille sic habet: *Scitis omnes vos quemadmodùm post multa sæpè, ac multo tempore cogitata, cùm occasio quædam conatum à nobis exigit, si paululùm timoris mentem nostram corripuerit, formidine repentè perculsi consilia omnia effundimus.* Experientia sæpè offert homines, quibus tam certum, quàm deliberatum fuerit opus aliquod moliri, & ab instituto reuocant animum, non ob aliud, quàm quòd inopinato casu, neque etiam graui, exterriti non ausint conceptum persequi consilium. Quoties contigit Prædicatoribus, ijs etiam, qui sermones acutos, elegantes, proficuos, accommodatos ad docendum, & persuadendum, neque prolixos, magno studio, & singulari ingenij industriâ elaborârunt, memoriâ autem penitissimâ ità combiberunt, vt domi in secretiore musæolo tam expeditè recitarent, quàm si è libro legerent, vt cùm sacrum theatrum inscendunt, ità derepentè turbentur, & confundantur, vel quià insolens quidpiam ab aliquo auditorum fieri insperatò viderunt, vel quià aliud quodcunque animo incidit, vt simul se & signo crucis præmuniant, & inchoënt, & absoluant concionem? Quoties fit, vt id minimè nobis occurrat, cùm occasio postulat, quod illi diligentissimè à nobis designatum, destinatum, deputatumque fuerat? Quoties id primùm excidit, quod maximè cogitaueramus? *Si paululùm timoris mentem nostram corripuerit, formidine repentè perculsi consilia omnia effundimus.*

O quàm benè dictum illud à Chrysostomo: *Consilia omnia effundimus*! hoc est, quæcunque longo temporis spatio diu, ac multùm soli per altam quietem meditati constitueramus, ea leuiter profundimus, si leui solùm, exiguoq; metu impellamur, non secùs ac vitrum vel tenui aspiritu euersum, vel blando contactu fractum effundit omnem, quo impletum erat, pretiosum liquorem.

Conficiamus ex his nunc argumentum propositæ rei appositum. Si id, quod longis horis diligenti meditatione, per summam quietem à nobis deliberatum fuit, & constitutum, leui timoris alicuius vani impulsu tam facilè effunditur, & exinanitur: Quomodo vult homo illud ex tempore, & improuiso benè facere, cuius non solùm nullum antè periculum fecit, verùm etiam contrarium semper fecit? Quomodo putat derepentè id obliuisci posse, in cuius exercitatione per omnem vitam versatus fuit? Quomodo sperat id se tunc acturum, quod nunquàm

quàm

quàm cogitauit, operaturum, quod nunquàm disposuit, effecturum, quod nunquàm probauit, maximè tot inter timores, & animi angustias, & sensuum confusiones, & perturbationes, & corporis dolores, & cogitationum tumultuationes, & dæmonũ incursiones, quibus per illud tempus obnoxij sunt ij etiam, qui per omnem vitam studiosè, ac solicitè ad mortem se præparârunt, vt videre est in multis perfectissimis, & consummatissimis viris? Dicat hoc vnus pro omnibus Sanctus Hilarion, qui septuaginta propè annos in aspera solitudine, & pœnitentiæ operibus etiam asperioribus, in vitæ inaudita, & inimitabili sanctitate, ac perfectione transmisit, atq; interim aliud nihil egit, quàm vt omnia & faceret, & adornaret, quæcunque ad felicem mortem spectant, & totis visceribus nihilominùs contremuit, quando in supremo agone positus, terribilis Iudicis intolerabilem seueritatem cogitauit. Vbi verò gigantes, post omnem eamq; longam, in admirabili sanctitate, & pertinaci virtutum studio, actam vitam, toto corde trepidant, & pertimescunt casum, quomodo non formidet miser peccator, ille Dei offensis semper assuetus, qui supremam maiestatem, ob cuius oculos princeps, ac præcipuus Seraphinorum tremulus prosternitur, tam multis, & magnis, & indignis modis grauissimè irritauit, & exacerbauit?

Animaduertat ergò Politicus noster quanti referat præparare se mox ad illam horam, præmunire se aduersùs illius transitus extremi pericula, & dicere cum Iacob: *Iustum est, vt prouideam domui meæ*, & anticipatò prospiciam animæ meæ. Quicunque tempestiuè domui suæ prospiciunt, eorum semper sunt optimè instructæ à rebus necessarijs ædes, quià & meliora coëmere, & minoris solent, qui verò necessariarum rerum procurationem in finem vsque differunt, vel prorsùs non inueniunt, quibus indigent, vel ægrè reperiunt, & magno tum labore, tum pretio comparare debent. Sic illi, qui maturè præparant se ad horam mortis, & in tempore sibi prospiciunt, & ad transitum postremum se disponunt, facilè superant, quæ tunc occurrunt, difficultates, ac timores, & Dominus tanquàm pater misericordiarum adiuuat, & corroborat illos, vt citrà periculum possint omnes vincere aduersitates. Secùs otiosus peccator, qui contrà omnes bonæ agriculturæ canones, & contrà naturæ leges & cunctas rectè agendi regulas, vult messem colligere, quo tempore agros colere, & seminare deberet, & cùm tempestiuè sibi non prouiderit, vel non inuenit quem quærit rerum apparatum, vel difficulter reperit, citiùsque se delusum videbit, quàm consequatur vno momento, quod longis annis demeritus fuit.

*Non longè hinc abit argumentum Periochæ II. Dominicæ VIII. post Pentecost. Tom. II. pag. 153. c. 1. 0.*

## CAPVT VI.

*Horis vitæ supremis, & morti seruat dæmon crudelitatis suæ rabiem, & omnem solertiæ astutiam, ingeniiq;, & consilij vafritiem.*

NOmine rugientis, sæui, & famelici leonis donauit communem generis nostri hostem primus à Christo Ecclesiæ Pontifex, & tanquàm pius, percupidusque salutis ouium suarum pastor, & pater nos monet, vt vigilanter ab illo caueamus, ne sanguinarijs vnguibus suis nos concerpat, & rabidis dentibus laniatos in immania viscera traijciat: *Sobrij estote, & vigilate*, inquit ille 1. Pet. 5. 8. *quià aduersarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circumit quærens quem deuoret*. Totum dæmonis ingenium, indolemque illius omnem sacer Apostolus describit à sanguinolentia, ab astutia, à ferocitate, & fraudulentia. Insatiabilem auiditatem, quâ animarum nostrarum pernitiem desiderat, indicat, dùm ait, rugire, dolos & præstigias aperit, cùm dicit circumire, hoc est, omnes vias percursare, omnes tentare fores, & rimas, per quas ad inferendum nobis exitium, supremamque stragem consciscendam penetrare queat.

Allusit ad ea Sancti Petri verba diuinus Nolæ Episcopus Paulinus in epist. 34. quando in hanc rem ista grauiter dixit: *Aduersarius noster non quiescit, & in nostrum peruigil hostis interitum obsidet omnes vias nostras, egressusq;, & aditus omnium diligenter explorat, vniuscuiusq; vestigijs comes indiscretus affigitur, ac sepes egressibus nostris obijcit, & pedibus interserit, vt in plano quoq; latentem salebram malè cautus offendas.* Notanda in his ista: *Vniuscuiusq; vestigijs comes indiscretus affigitur*, hoc est, nemo pedem mouet, cuius passum vnumquemlibet non obseruet, vt in deuia abducat, vel deijciat. Non sic vmbra corpus sequitur, vt homines malus dæmon indefessè incessanterq; comitatur, vt eos destruat, & perdat.

Et quanquàm ille hoc per omnem vitæ nostræ discursum faciat, semperque nos absque vllis inducijs persequatur, ac perpetuus oppugnator infestet, tunc tamen vehementiùs efferatur, & venenum suum, maiore copiâ, & rabie effundit, & validiore conatu nos aggreditur, cùm in extrema, & fatali vitæ necessitate

sitare positos cum anxietatibus mortis decertare, & inter procellosas vndas dubij exitus,& varij timoris periculosè fluctuare cernit. Ibi tunc imaginationem metu pœnarum, quæ malefactis præteritis sint paratæ, solicitat: Ibi memoriam repræsentatione omnium,quæ siue perperam acta, siue malè intermissa, angit, sic ea exaggerans, & amplificans, vt vastorum elephantorum specie obijciat animo, quæ nuper ad exilitatem formicarum vsq; extenuabat: Ibi Deum, quem de vultu semper beneuolentissimum, & amantissimum patrem arbitrati sumus, tanquàm merus rigor sit, & ipsissima seueritas, in mortali agone positis exhibebit,& ex minutulis arenis excelsum montem conficit. Denique illi momento seruat extremos virium suarum conatus, & omnes veteratoriæ artis suæ copias, sciens nostri iacturam sempiternam facere, nisi lucrum faciat, sciens nunquàm obtinere deinceps posse, quos tunc perdat. Itaque etiam sancta mater nostra Ecclesia, tametsi ea Sancti Petri verba, quibus ille crudelis inimici nostri sæuam fraudulentiam, & fraudulentam sæuitiam describit, ad qualemuis aliam ex Horis canonicis (quibus Deus per diem pro more religioso colitur) dici, aut cantari præcipere potuisset, ad solum Completorium tamen, quæ est Horarum istarum vltima, commemorari voluit, vt simul doceret, ac moneret, quòd rabidus hostis noster, quanquàm semper dolosè oppugnet, & rabidè insectetur, nunquàm tamen enixiùs hoc agit,neque astutiùs vigilantiùsq; exitium nostrum machinatur, quàm cùm exitum nobis supremum, & horam vitæ vltimam imminere putat.

Id Propheta Ieremias in sensu mystico vaticinatus fuisse videtur,qui vt nos aduersùm suprema vitæ pericula præmuniret, quænamque illa, & quanta tunc futura sint, præmoneret, aiebat: *Ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem*; Ierem. 1. 15. tanquàm ex ore Domini dixisset: Meo permissu fiet,vt omnia Aquilonis cognata regna aduersùs vnam Hierosolymam concurrant, & quodlibet eorum thronum suum in ipsis vrbis portis statuat.

Sanctus Petrus Damianus lib 5.epist.3. ait: *Quæ sunt illæ congregationes*, siue cognationes *regnorum Aquilonis, nisi malignorum spirituum multitudines?* qui cum magna caterua crudeliter coniurati veniunt, vt miserum in supremo agone, & præ mortis foribus positum sanguinolento bello opprimant, & ad inferos transmittant: *Hi solium suum vnusquisq; in introitu portarum Ierusalem ponunt, cùm egredientem de corpore infelicem animam circumpositâ, ne libera prodeat, obsidione custodiunt.*

Notandum in verbis Ieremiæ, quod ait, vnumquemque malignorum spirituum tendere papilionem suum, & figere tabernaculum: *Et ponent vnusquisq; solium suum in introitu portarum*; quià in illa vltima hora peccatum quodlibet animam, à qua perpetratum fuit,maiore cum furore demigraturam è terrestri hoc carnis gurgustio adoritur, inuadit, oppugnat. Tunc enim stygius lauernio totam repræsentat culparum fœditatem, speciesque illarum, & circumstantias, grauitatem autem etiam amplificat, & exaggerat, vt ità in desperationem abripiat. Hoc est, quod ait Ieremias,dæmones velut in syluarum latebris, & insidijs opperiri eum, qui animam agens cum extremo spiritu confligit. Quando autem infelix anima tam valido fœderatorum infensissimorum hostium exercitu cinctam, tot legionibus nequissimorum, ac potentissimotum contrariorum obsessam, bellumq; internecinum sibi à tot efferatis phalangibus paratum cernet, quomodo non pauebit, non trepidabit, non contremiscet ob oculos inimicorum, quorum tametsi maximus numerus, maior tamen est crudelitas,& sæuitia, maximè in illo extremo vitæ articulo, vbi aduersarij totas exerunt vires, remq; summo dolo agunt, & ad omnes artes, præstigiasque se conuertunt, quòd ex illa hora successum non minoris alicuius rei, quàm totius æternitatis pendere sciunt.

Sanctus Mediolanensium Archiepiscopus Ambrosius, & Magnus Basilius homil. 9. in Hexæm.hoc in ouibus singulare notârunt, quòd sub expirantem autumnum & plus solito comedunt, & maiore cupiditate in pastum feruntur: *Oues accedente hyeme pabulum copiosiùs, auidiùsq; ventri ingerunt*, inquit Basilius.

Quid verò causæ est, quòd oues appetente hyberno tempore, tanquàm insatiabiles sint, tam cupidè, abundanterque cibis suos infarciunt, & distendunt ventriculos?

Respondet Sanctus Basilius, id facere, *quasi sibi viaticum prouidentes pro indigentia cibi futura*. Naturæ instinctu doctæ ouiculæ sciunt, quòd per asperum, frigidum, rigidumque hyemis tempus congruentis alimoniæ laborabunt penuriâ, itaque dùm aduertunt paulatim marcescere, & deficere annonam, *copiosiùs eam, auidiùsq; ventri ingerunt*, & quanquàm toto anno alacriter, celeriterque herbas carpant, cùm verò proximam imminere hyemem sen-

tiunt, multò enixiùs, vberiùsq; eas bidente falce suâ demetunt. Sic & perfidus generis nostri hostis quanquàm semper nostram anhelet peruitiem, & ruinam, semper modos comminiscatur, quibus nos perdat, semper vias exploret, per quas exitium nobis adducat, semper circumeat *quærens quem deuoret*, sed in vna mortis hora maximè ferocit, & impotentissimè furit, & omnes aduersùm nos euocat fœderatos, & quàm vehementissimo impetu potest in moribundos inuehitur, sciens perpetuò se victum, nisi hac vice victor euadat.

Huc adduci solet illud ex Sancti Ioannis Apocal. c. 12. v. 12. *Væ terra, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.* Magnam iram habens, inquit, non nescius, quòd omnia perdat, si in hoc supremo conflictu occumbat, eaque propter maiore armatur furore, tectioribusque vtitur dolis, & stratagematis, & pugnat pertinaciùs. Huc etiam ferè adferunt illud, quod de Noruegiæ accipitribus, siue falconibus dicitur, nimirùm esse illos maiore volandi pernicitate à natura præditos, quàm cæteras eiusdem speciei volucres, idq; quòd Noruegiæ dies perbreues, ac nonnisi trihorarij sint, ex sole tribus, neque ampliùs, horis, plagam istam illucescente. Vt ergò exigua in eis oris sunt diei spatia, sic concitissimus est falconum volatus, vt necessariam agere prædam queant, & per velocitatem faciant, quod per exiguitatem diei non possunt. Sic ille Orci falco animarum raptui intentus inhiantiùs, incitatioreq; impetu inuehitur in eas, cùm morti vicinas videt, *sciens quia modicum tempus habet*, sciens quòd in finem vita decurrit, capiendæq; prædæ spes omnis auolauit, cùm vngues illius semel anima euasit.

Adductus fuit ad cœlestem Magistrum miserabilis quidam iuuenis, quem nequam spiritus inuaserat. Domini iussu ad illum allatus, *cùm vidisset eum statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terrâ, volutabatur spumans*, Marci 9. 19. spumasque in ore agens prodebat dolorem, qui latebat in animo.

Quid est, quòd tunc cacodæmon magis desæuijt, ardentioreque irâ inflammatus, cruciabiliùs hominem, quem occupauerat, afflictauit?

Respondet Nicolaus Lyranus: *Videns se citò eijciendum, faciebat peius quod poterat.* Cùm se quamprimùm exturbandum è corpore miseri, quod tenebat, & ex fortissimæ arcis, quam expugnârat, præsidio mox eijciendum intelligeret, grauiùs vexabat, & intolerabiliùs afflictabat ærumnosum hospitem suum, totasq; ad illum cruciabilissimè torquendum vires expromens, *faciebat peius quod poterat*, acerrimèque, & acerbissimè illum exagitabat. Quod tunc luctuoso illi, à quo emigraturus erat, faciebat, hoc abituris è vita alijs scelerum architectus dæmon facit. Cùm enim videt moribundis exiguum vitæ spatium, sibique modicum expugnandi, ac perdendi illos tempus esse reliquum, *facit peius quod potest*, efferaturque & ferocit ampliùs, & insidiatur dolosiùs, & pugnat pugnaciùs, & irruit vehementiùs, & confligit pertinaciùs, nunquàm enim subigere illum deinceps, ne tentare quidem potest, quem tunc non superârit.

Lais formæ venustate, sed meritorij corporis ad illiberalem quæstum turpi prostitutione magis celebris, etiam Axine cognominata fuit, de quo Ælianus lib. 14. c. 35. sic habet: *Lais etiam Axine nuncupata est, quòd eius cognomen ingenij sæuitiam redarguebat.* Scita illa, elegansq; erat, sed dolosa etiam, quàm formosa, & quàm pulchra, tam vafra, & fraudulenta. Nec parùm fuit, quòd eadem solerte ingenio, & liberali specie, pulchra, simulq; prudens fuit. Quanam verò in re sæuities illius, & vafrities, & calliditas posita fuit? Respondet Ælianus: In eo, *quòd nimium quæstum exigeret à peregrinis, eò quòd statim essent discessuri.* Hospitibus, & aduenis, si quos venustatis suæ fascino in transitu dementârat, corporis sui vsuram nimis magno vendebat, idq; *quòd statim essent discessuri.* Versipellis enim lupa hæc ferè apud se aiebat: Præda hæc, quæ in pulchritudinis meæ casses nunc incidit, mox auolabit, nec mihi videbitur ampliùs. Volo ergò illam expilare, vt benè glabra hinc abeat, & pretij magnitudine breuitatem mansionis compensare. Sic dæmon cum animabus in confinio mortis positis agit. Quando enim astutus hic inimicus præsentit adesse horam, quâ homo Christianus ex hac vita in alteram commigrare debeat, scitq; illum tunc magis peregrinum esse, quàm omnibus diebus superioribus fuerit, & nunquàm ad manus ipsius redituram animam, si eo momento euadat libera, maiore ferocitate, & latentioribus technis, & enixiore contumaciâ eam appetit, inuadit, oppugnat, tentat, exterret, eò *quòd statim est discessura*, nec reditura vnquàm, vbi vel telis eius configi, vel alijs quibusuis armis lacessi possit.

Flauius Vegetius postquàm monita dederat, quibus solicitus, & diligens imperator ad instruendum, moderandumque exercitum vti debeat, posthæc de ijs agens, quæ fieri oporteat, quo die in pugnam cum hoste descendendum, sic ait lib. 3. c. 11. *Hoc tempus est, quo tantò magis duces debent esse soliciti,*

*quantò maior speratur diligentibus gloria, & maius periculum comitatur ignauos, in quo momento peritia, vsus pugnandi, doctrina, consilium dominatur.* In horam dubij conflictus incertam tota seruari disciplinæ militaris scientia debet. Tunc & animi vigor elucescere, & pugnandi dexteritas se prodere, & solicitudo flagrantior, & vigilantior cura esse debet. Tunc capitanei suam experientiam, suum robur milites, summi, atque infimi totas vires suas expromere, omnesque neruos contendere, & inflammare iram, & bilem suam accendere, & timorem abijcere, & imperterritè adoriri hostem debent: Nam quorum tunc frangitur acies, & funditur, aut fugatur, dissipaturque exercitus, eorum conclamatæ res arroganti ex victoria parti aduersæ in prædam cedunt.

Huiusmodi consilio crudelis inimicus noster præclarè vti nouit, qui cùm sciat, nunquàm referre posse victoriam ab anima, cui in supremo conflictu semel succubuerit, idcircò ad eam pugnam & vires proprias omnes exerit, & copiarum auxiliarium suppetias, quascunque potest, aduocat, vt victoriâ potiatur, ex qua triumphum habeat sempiternum.

At cùm hæc tam vera sint, & certa, atque indubitata, quàm experimento quotidiano testata, potestné quisquam esse adeò salutis suæ inuidus, vt non se præparet ad horam vitæ vltimam, & ad animæ abitum supremum, quam in tectissimis insidijs positæ totæ legiones dæmonum præstolantur, & obseruant tanta cum auiditate illam perdendi, vt non sit lapis, quem non moueant, non modus, quem non adhibeant, non medium, quod non arripiant, non fallacia, quam non excogitent, non artificium, quod non comminiscantur, non latus, in quod non se vertant, non techna, quâ non vtantur, vt emigranti è corpore supremam pernitiem adferant. Sciunt se ibi de victoria periclitari, cum qua æternum vel perdant, vel obtineant triumphum, ac proptereà omni studio, & totâ virium contentione dimicant.

Præparet se ergò Politicus noster, vt benè ab omnibus instructus intrepidè in arenam descendere cum ferocibus illis, & versutis, & per omnem vitam infensis semper, & infestis possit. Præmuniat autem se multis eleëmosynis, orationibus, abstinentijs, ieiunijs, corporis verberationibus, Sacramentorum frequentationibus, & id genus alijs bonorum operum exercitationibus, vt tam validâ armaturâ, tam multiplici scuto tectus possit securus supremi transitus euadere periculum, quod vbi superauerit, ridere feram dæmonijs astutiam, & astutam feritatem poterit, & capite immarcessibilem quietis perpetuæ coronam triumphator excipiet.

## CAPVT VII.

*Qui Deum non timet Iudicem, is vel iudicio laborat rationis, vel fidei lumine est destitutus.*

SI omnia acta essent, cùm vita est peracta, nihil magnoperè in morte timendum foret, immò verò etiam, vt sunt huius vitæ multiplices, & graues ærumnæ, appeti mors posset, tanquàm finis calamitatum, & iactationum omnium tranquillus portus. Verùm cùm post mortem vlteriùs progrediendum sit, locusq; formidabilissimus, & periculosissimus adeundus, nihil mirum est, quod mortis palæstram ingredi trepidant, qui oculos fide illuminatos habent. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*, inquit Apostolus Heb. 9. 27. Morti lex ordinaria omnem hominem addixit, à morte autem ad supremum Dei tribunal extemplò quisque abripitur, vbi verba illius, etiam quæ leuioris momenti, & opera omnia, & cogitatus secretissimi, absconsissimi discutiuntur, pensantur, examinantur. Verborum autem, factorum, & cogitatorum censor sedebit Dominus ille, cuius sapientia infinita, potestas immensa, tanta verò erit per id tempus austeritas, vt idem Apostolus in seueritatis illius consideratione positus dixerit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*; Heb. 10. 31. in manus, inquam, omnipotentes Dei, qui tanquàm vigilantissimus excubitor, & lynceis explorator oculis omnia nostra peruidet, & obseruat.

Quis ille ob oculos Dei Iudicis, nisi qui fidem supremi perdidit iudicij, solutiorem vitam viuere, aut quidpiam agere ausit, quod non iustitiæ regulis, & præceptorum dominicorum, rectæq; rationis amussi sit quàm maximè consentaneum?

Agar cum filio suo Ismaële eiecta è domo Abrahæ ibat exul, non aliud secum ferens, quàm panem, & vtrem aquæ, consumptaq; est ea intrà dies paucula annona. Grauiter afficiebat puerum ardens sitis, prorsùsque confecisset, & exanimasset, nisi Angelus ostensione putei siti, & labanti vitæ remedium attulisset. Bibit ergò siticulosus puer, & fugitiuam à vestibulo mortis animam reuocauit. Cùm hæc ferè ità narrasset sacer Textus, mox addidit: *Et fuit cum eo, qui creuit, & moratus est in solitudine, factusque est iuuenis sagittarius*; Genes. 21. 20.

Duplex est in his verbis difficultas. Prima, quis ille fuerit cum Ismaele, cùm dicitur, *Et fuit cum eo:* Altera,

Altera, quale genus vitæ duxerit in solitudine, in qua moratus fuisse fertur, diciturque creuisse, & factus iuuenis sagittarius. De hac posteriore difficultate non conuenit Expositoribus. Multi enim aiunt, vitæ illius institutum fuisse non venari feras, sed trucidare homines, & sanguinem vertere non brutarum pecudum, sed animalium rationalium. Quod si affirmant, tale est, acsi grassatorem fuisse, & latronem viarum dicerent.

Verùm Cardinalis Caietanus vult ex dilucidatione primæ dubitationis etiam secundam explicandam. Exponens autem quis cum Ismaele fuerit, sic inquit: *Iuxtà hebræum habetur, Et fuit Heloim cum eo;* Heloim autem Deum iudicem, & censorem humanarum actionum significat. Subijcit his statim Cardinalis Caietanus: *Hinc apparet nugas esse, quòd Ismaël exercuerit latrocinia.* Nec dissimulauit causam, ob quam in fabulis recenset eorum opinationem, qui Ismaëlem in latrocinijs egisse vitam putant, dicens: *Si enim Deus, quatenus iudex, erat cum puero, longè erat à latrocinijs.* Nouerat puer latrocinia esse peccata, ijsque offendi Deum, quem & præsentem adesse non ignorabat. Quomodo ergò ob oculos coràm positi iudicis peccatum qualecunque perpetrare poterat? Nemo vel in secretiore eremo, & abstitissima, abditissimaque solitudine peccare audet, qui fide certum habet, esse Deum iudicem: *Si enim Deus, quatenùs iudex erat cum puero, longè erat à latrocinijs.* Quid ergò dicemus, qui tot hodieque inter Christianos videmus latrocinia, homicidia, & sine numero malitias? Si fortè eos, qui talia agunt, interroges, vtrùm sciant, quòd Deum, à quo iudicandi sint, offendant, respondebunt, scire. At si sciunt futurum iudicium, & pœnã æternam talibus præparatam, vbi iudicium eorum, & ratio, qui tam leuiter, ac temerè prosiliunt in offensas Dei iudicis?

Immeritò sanctus, & innocens Iob in sordido sterquilinio varijs vexabatur doloribus. Cùm autem ad vitam præteritam se reflecteret, & ætatis actæ volumina relegeret, leuamen inde suis cruciatibus, consolationemque accersebat, ac nihilominùs dicebat: *In profundissimum infernum descendent omnia mea. Putasnè saltem ibi erit requies mihi?* Iob 17. 16. quod ferè huiusmodi est, acsi dixisset: Quanquàm in memoria hominum sepultæ sint omnes actiones meæ, nec sit quisquam illorum, qui me calumnietur, nec dæmonum aliquis, qui me vel insectetur, vel accuset, an propterea mihi esse securo licebit? *Putasnè saltem ibi erit requies mihi?*

At cùm sacrosanctus Patiens in asylo sepulchri positus, certus erat, quòd nec dæmones ipsum persequi, nec homines facta eius criminari possent, cùm mors vitæ simul, infestationumque omnium, & calamitatum finem faceret, eidemque tumulo & cadauer, & omnia inferrentur, quid est quòd inclytus triumphator dæmonum, & aduersitatum velut dubitat, num vel à morte optatam sit habiturus requiẽ?

Sanctus Gregorius Magnus de hac re ad nostram eruditionem opportunè, & sic ait: *Perpendamus quantâ debemus formidine venturum iudicium semper expauescere, quando & ille, qui à iudice laudatus est, adhuc de retributione iudicij in suis vocibus securus non est.* Vtilissimum hinc, commodissimumq; nostræ institutioni exemplum, & documentum eruere possumus, hoc nempè, quantum horrere debeamus nos miseri peccatores teribile illud supremi Iudicis tribunal, cùm & ille tam magnanimus ærumnarum grauissimarum tolerator, tam inclytus calamitatum acerbissimarum victor, tam magnificus aduersæ fortunæ, & qualis quantæcunque infelicitatis triumphator, qui ab ipso Iudice hæc laudum encomia audire meruit, quòd esset *vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, cui nullus similis in terra*; Iob 2. 3. nihil ferè per omnem vitam egerit, quàm vt diceret, quantùm illam extremi judicij horam pertimesceret: *A Iudice laudatus adhuc de retributione iudicij in suis vocibus securus non est.* At si ille adhuc pauebat, quem viuum etiamnùm ipse Summus Pontifex albo Sanctorum adscripsit, si ille hoc vnum propè semper, & vbiq; commemorabat, quàm vehementer illius diei metu, & horrore laboraret, quomodo non dirigescit formidine eiusdem terribilis diei peccator, qui magnum illum Dominum, & Iudicem magnis, ac multis modis indignè, immaniterque offendit?

Comprobabo hæc parte quadam literarum, quas Libanius sophista ad Magnum Basilium dedit, quæ est inter illius epistolas 17. & sic habet: *Ecce misi tibi orationem meam abundè sudore perfusam. Quomodo namq; anxiè non sudarem ei viro orationem meam mittens, cuius tanta est iudicandi facultas, vt & Platonis sapientiam, & Demosthenis vehementiam frustrà iactatas esse conuincere queat? Vnde & horreo, & tremo diem illum, in quo sermonem meum iudicaturus es, quin parùm abfuit, quin mentis sim facultate destitutus.*

In his percommoda veniunt causæ præsenti hæc postrema: *Horreo, & tremo, diem illum cogitans, in quo sermonem meum iudicaturus es, quin parùm ab-*

*fuit, quin mentis sim facultate destitutus.* At si homo hominis censuram ità metuebat, quâ hac solùm notaturus erat, num quid minùs cultè, minùs tersè, scitè, politè, eleganterq; dictum, num satis depexa, & ornata verborum phrasis, vt tantùm non in mortis angustias formido illum conijceret, quomodo non artubus omnibus, & corpore toto contremiscet homo, cuius etiam occultissimos, & abstrusissimos cogitatus ad suam falli nesciam trutinam exactissimè pensabit non miser homo, sed omniscius Deus? Quomodo non exanimabitur timore, qui omnia longæ vitæ suæ spatia transmisit in flagitijs, & Dei offensis, quando cogitat, quòd illius, quem toties, tamq; enormiter irritauit, tribunali sistere se debeat, à quo prouocare aliò non licebit? Quanto iustiùs ille, quàm Libanius dicere poterit: *Horreo, & tremo, diem illum cogitans, in quo sermonem meum iudicaturus es,* ô supreme Iudex, & Domine. Nam si tunc bonorum etiam expetetur ratio operum, quàm strictâ discussione examinabuntur malefacta, & peccata?

Vidit Propheta Ezechiel quatuor illa admirabilia, & mystica animalia, quorum vnumquodlibet quatuor alas, totidemq; facies habebat, putà hominis, aquilæ, leonis, bouis. Visio autem talis erat, vt cordatissimum, & animosissimum hominem percellere metu posset. Ille tamen omnia tam intrepidus spectabat, acsi ludum aliquem festiuissimum vidisset. Inter alia, quæ oculis illius obijciebantur, fuit quidpiam solij figuram referens, *& super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper;* Ezech. 1. 26. Vix autem quidquid illud hominis simile in throno arbitratus fuit, quando totus expauit, & expalluit, totumque corporis illius ædificium tremore concussum, atque euersum corruit: *Et cecidi in faciem meam,* inquit ipse c. 2. 1.

Notauit hunc admirabilem successum sanctus Abbas Tuitiensis Rupertus lib. 1. c. 17. in Ezechielem, & ait: *Non statim vt vidit similitudinem quatuor animalium, vel cætera, quæ consecuta sunt, cecidit in faciem suam, sed postquàm vidit similitudinem throni, & desuper similitudinem quasi aspectus hominis.* Tunc enim *cecidi, ait, in faciem meam.* Quid ille thronus tam sublimis, & excelsus repræsentabat? Deum hominem, qui è suo tribunali, & solio supremo vitæ actæ rationes ab omnibus hominibus exiget, & excipiet. Quid mirum ergò, quòd Propheta non solùm interrito animo, verùm & auidis oculis aspectauit tam rara, & prodigiosa, tam variè, & mirabiliter figurata, è tam multis vultibus conflata, & nunquàm ante visa animalia, attonitus verò, & expauefactus, & humi deiectus fuit magnitudine timoris, quem hausit, cùm similis Deo Iudici oculis illius occurrit? Nam si rem probè consideres, inuenies, quòd nec ærumnæ, nec persecutiones, neq; visiones, nec Angeli, nec dæmonia æquè debeant exterrere hominem prudentem, atque irata facies, fulgurantes oculi, sanguinolentus gladius, & supremum tribunal Dei Iudicis. Sic enim quidam veterum eremi Patrum apud Nouarinum in Electis sacris lib. 4. Excurs. 87. aiebat: *Si possibile esset animas interire, id fieret in aduentu Iudicis.* Mortem immortalibus animabus si quæ res consciscere posset, vnus maximè adferret intuitus supremi Iudicis tam potentis, sapientis, immensi, irâque, & furore inflammati aduersùs eos, quos sanguine suo redemit. Res ista ampliore, vt videtur, exaggeratione augeri non potest.

Reuersus Abraham ex Ægypto in Palæstinam cum sua chara Sara, & dilecto consobrino Loth, *erat diues valde in possessione auri, & argenti;* Genes. 13. 2. nec minùs varij pecoris copijs affluebat. Quod hîc de Abrahamo dicitur, *Erat diues,* id pluribus modis transtulerunt linguæ Hebrææ periti. Alij enim verterunt, *Erat grauis,* alij verò, *Erat ponderosus nimis,* quando scilicet de Ægypto regressus.

Quæ verba, tametsi aliud fortè sonare videantur, Glossa ordinaria apud Abulensem in c. 13. Genes. sic interpretatur: *Erat grauis, vel onustus debitis, & non diuitijs, quià illi, qui peregrinantur, plura expendunt, quàm in terra sua manentes.* Parùm ergò faciebat, quòd magnam vim auri, atque argenti secum ferret, cùm ex alia parte in magno ære alieno esset, quo plus grauabatur, quàm opulesceret ex auro. Cohærent ergò ista, quòd & diues valde, & plurimùm oneratus reuertisse dicitur.

Tale quidpiam de quolibet homine Christiano affirmare possumus, nimirùm quòd & *diues valde* sit, *& ponderosus, & grauis,* siue grauatus, hochbeschwert mit Reichthumben / vnnd Schuldenlasten. Quis enim opulentior Christiano, quem Deus absque vllo illius merito exemit è Gentilismo, & in Ecclesiæ suæ amœna, & voluptuosa plantaria transtulit, postquàm animâ rationali tribus nobilissimis facultatibus præditâ donauit, atque à brutis illum secreuit, & Angelis cognatum fecit, & ad suam imaginem, similitudinemque effigiauit? Posthæc & lumine fidei diuino cœcos illius oculos illuminauit, cuius ope, ac beneficio reconditissima mysteria cognoscit.

gnoscit.

gnoscit. Et ne inopem in Ecclesiæ paradiso vitam viueret, septem illi fontes totidem Sacramentorum ad omnem voluptatem dedit, & victum non alium, quàm diuinæ carnis pollucibilissimas lautitias, & pretiosi atque inæstimabilis Sanguinis sui nectar, & ambrosiam. Beneficia inspirationum, & vocationum singularia inexplicabilia sunt, pericula verò, à quibus liberatur, innumera. Quis locupletior illo dici possit, qui hoc in terris accipit, quod gratiosissimo Seraphino non conceditur in cœlis, quale est accumbere quotidie mensæ, cuius Deus ipse & conuiuium est, & conuiua? Nihilominùs ille tam copiosus, & affluens Christianus maximæ miseriæ, pauperiei, infelicitati proximus est, nisi tantæ Dei beneficentiæ humiliter respondeat, & pro tam insignitis gratiæ donis, quascunque cum eiusdem gratiæ ope potest, vices rependat, & vel partem debiti luat, qui totum soluere non potest. Dicere ergò possumus, quòd Christianus flagitiosus, & ingratus diues est fide, quam habet, per quam est omnium enumeratorum bonorum capax, sed maximè omnium mundi hominum etiam oneratus debitis, *Erat ponderosus nimis:* Daturus enim est exactissimam rationem beneficiorum omnium communium, & priuatorum, & quià cum donis crescunt rationes simul donorum (quod in œconomorum administratione, & calculis videre licet) strictissima sanè exigetur ratio à Christiano, cui tam multa, & magna sunt concredita. Et cùm suas rationes illi Domino exhibere debeat, qui quàm liberaliter sua beneficia erogauit, tam accuratè, rigidèque vsum illorum discutiet, ac ponderabit, quis non timebit, quis iudicij compos ad huius non contremiscet memoriam iudicij?

Ergo si Politicus noster, qui perpetuo studio suæ animæ administrationem curare quàm diligentissimè debet, non plurimùm solicitè suas examinat rationes, non anxiè ad calculos sua accepta, expensáque reuocat, neque sæpè cogitat, quomodo suam purgare negligentiam, excusare oscitantiam possit, cùm certum habeat, quòd mori debeat, & iudicium subterfugere extremùm non possit, vel infidelitatis illum arguemus, vel conuincemus stultitiæ.

*Eundem scopum petit Periocha I. Dominicæ VIII. post Pentecosten, Tomo 2. pag.* 151. *c.* 1. *o. Vide in Vtriusque Tomi Indice rerum Verbo* Iudicium.

# CAPVT VIII.

*Ex mala vita sperare mortem bonam, est fructus ab amara radice expectare dulces.*

Cùm suprema nostra felicitas (quod probatum dedimus) in felici vitæ præsentis clausula sit posita, beatitatisque illius obtinendæ varia magno studio conquisita remedia proposuerimus, superioribus aliud, idque tanquàm fundamentum illius consequendæ præcipuum hoc capite adijciemus. Quisquis ergo prosperam, & secundam optat mortem, curet bonam ducere vitam. In hac basi spes extrema tutò fundabitur. Nam ex principijs facilè est conijcere successum, & primordia sunt prognostica finis, quem habitura est actio. Ità sentiebat S. Laurentius de triumphali Christi agone cap. 13. §. 4. inquiens: *Præteritorum exhibitio, venturorum est certitudo*, & de via, quam quis init, arbitrari licet, quò tendat.

Cùm de templo secundo instaurando ageretur, *plurimi de Sacerdotibus, & Leuitis, & Principes patrum, & Seniores, qui viderant templum prius, cùm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magnâ*, 1. Esdræ, 3. 12.

Sed quare tam altùm eiulabant, qui templum prius viderant, & videbant initia posterioris? Erant tunc alij, qui tantâ lætitiâ exultabant, vt animi gaudium magnis vocibus patefacerent. *Multi enim vociferantes in lætitia, eleuabant vocem*, vt habes ibid. Quid est, quòd alij acerba lamenta edebant, cùm alij risu diffluerent? Quamobrem hi cachinnabantur, cùm lachrymas illi funderent?

Respondet P. Caspar Sanchez in cap. 3. libri 1. Esdræ: Primores populi, & qui cùm ætate, tùm prudentiâ antecellebant alijs, cùm scirent quàm ingens, quàm sumptuosum, quàm magnificum, & admirabile fuisset primum illud Salomonicum templum, & ex fundamentis, ichnographia, siue delineatione concepti operis noui diuinare facilè possent, quale futurum esset templum posterius, quod tunc adornabatur, *ex fundamentis, quasi ex vnguibus leonem, cognoscentes* fabricam secundam, quæ apparabatur, dirùm illachrymabant, quòd promptum illis esset arbitrari, quantò inferior futura esset hæc secunda priore. Itaque ex exordio augurabantur finem, ac proptereà flebant.

Quando videmus hominem, qui à teneris annis perditè viuere, delitijsque, ac turpibus voluptatibus se tradere incipit, illius finem, & infelicem vitæ clausulam deplorare possumus, ac meritò debemus. Ex

forma, & ratione vitæ præsentis coniecturam de morte illius, qualis ea secundùm cursum ordinarium futura sit, facere possumus. Nam vt magnus Cassiodorus lib. 12. epist. 2. ait, *de rebus præteritis spes magna redditur in futuris.* Itaque qualis fuerit vita superior, talem plerumque fore mortem præsumere possumus. Ex vngue vitæ leonem mortis secundùm morale iudicium æstimare possumus. Spem ergo felicis mortis tantam aliud nihil, quantam vita sancta facere potest, vt enim quisque viuit, sic ferè moritur.

S. Propheta Daniel refert, Nabuchodonosorem regem vidisse aliquid in somnis, quòd magnam animo illius attulerit turbationem. Hoc verò illum maximè angebat, quod recolere memoriâ non posset, quidnam illud vidisset. Accersijt ergo sapientes suos, eisque præcepit, vt non tantùm edicerent, quid illi in quiete per visum occurrisset, verùm etiam quid somnium portenderet. Rogàrunt illi regem, vt ipse, quid dormienti visum fuerit, aperiret, tuncque mysterium sibi aperiri imperaret. Tunc rex: *Si somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciam, quòd interpretationem quoque eius veram loquamini*; Dan. 2. 9. tanquàm apertiùs dixisset: Tempus nequicquàm prodigimus. Nisi vos mihi quid ego per somnium acceperim, dicatis, de fraude vestram suspectam habebo sapientiam. Nam si ego vobis somnium detegam, facilè vobis erit comminisci interpretationem, quæ ad me non pertineat, & ad me circumueniendum solùm sit excogitata. Somnij ergo memoriam mihi refricate, alioquin imposturam putabo quidquid hac de re mihi coniectores dixeritis.

S. Gregorius Magnus quærit, cur hic rex tam pertinaciter inhæserit suæ sententiæ, volueritq; ex reuelatione præteriti somnij certior fieri de successu euentus illius futuri, cùm satis illi esse posset sapientum suorum interpretatio, qui se somni portentum expositùros promittebant, dùm ipse somnium tantummodò manifestaret?

Respondet beatissimus Pontifex homil. 1. lib. 1. in Ezechielem, prudenter factum à rege, quando voluit, vt arioli priùs somnium ipsum, deinde illius significatum diuinarent, vt quæ futura augurarentur, indubitatiùs credere posset, si veram de præterito somno coniecturam fecisse antè vidisset. Verba Magni Doctoris sic habent: *Certè rex Babylonicus cùm somnium vidisset, misit ad magos, & ariolos, omnesque sapientes Babyloniæ conuocauit, nec ab eis solummodo interpretationem somnij, sed etiam somnium quæsiuit, vt nimirum ex præterito colligeret, si quid in eorum responsionibus de venturo certum teneret.* Optimus ille visus est regi diuinandi modus, si futuri veritatem de præterito conijcerent, rerum enim anteactarum cognitio facit, vt earum, quæ venturæ sunt, præuisionem certam facilè habere possimus, ex primordijs enim extrema ferè colliguntur, finisque ab origine pendet.

Volebat Propheta regius omnes inuitare mortales, vt ipsum attenti audirent, & soliciti auscultarent. Qui autem tam ingentem expetebat hominum concionem, eius procul dubio admodùm vtilis, momentosa, & necessaria doctrina fuit. *Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei*; clamabat ille Psal. 77. Quid rei dicturus est Propheta, pro qua nostram tam studiosè captat beneuolentiam? *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio*, inquit ibid. vers. 2. Quænam illæ propositiones, de quibus pro concione dissereret? Nam quòd tam confertam auditorum multitudinem adesse cupit, eisque non alia, quàm parabolarum, & ænigmatum fercula præbiturum dicit, parùm voluptuosum, ac tale videtur conuiuium, quod auscultandi orexin, etiam non languentem, vix excitare possit. Ità foret, nisi mox subiungeret, quâ de re dicturus esset, inquiens: *Loquar propositiones ab initio*; velut dixisset: Parabola mea, & meum ænigma non aliud est, quàm vt dubitationem quandam, difficultatemque dilucidem, & hoc exponam, quid demùm de homine futurum, cuius tam est dubius finis, quem terminum vita illius, qualemq; peregrinatio eius conclusionem sit habitura. Obscurum hoc ænigma est, & inuoluta, difficilisque parabola, inquis. Itané verò intricatum hoc tibi videtur ænigma? Ego verò rem apertam, luculentamque existimo, pronuntiare de clausula, siue conclusione vitæ hominis, qualis ea sit futura. Vnde autem huius rei alioquin perdifficilis, & abstrusæ tam apertam aauries cognitionem? *Loquar propositiones ab initio*, inquit, quasi dicat: Dicito tu mihi vitam hominis priorem, & anteactam, ex hoc principio ego illius certò conijciam conclusionem. Incipiat quis viuere sanctè, habeat bona, & felicia primordia, ex his principijs ego argumentando colligam, qualis sit futurus finis.

Hugonis Cardinalis commentarius in illa verba sic habet: *Loquitur propositiones à principio incipiens vsque ad finem mortis cuiuslibet nostrûm, in quo fine*

non

*non loquetur propositiones, sed conclusiones, secundùm quod nos sumpsimus assumptiones.* Loqui propositiones ab initio idem est, quod colligere ex initio conclusiones, quales habebunt singulorum vitæ. Hoc enim cursus rerum ordinarius habet, vt cuius fuerunt bona initia, eiusdem sit etiam felix finis: Nam cùm sancta primordia sint bona dispositio ad vitam sanctam, & bonam, ex illis duabus propositionibus primordiorum bonorum, & vitæ sanctæ deducitur conclusio, colligiturq; non difficilè, qualem quis vitæ clausulam sit habiturus. Sanctam enim inchoare vitam, eamque constanti pede persequi, est laudabilis, & optati finis felicissimum prognosticum, & faustissimum auspicium. Vitam nempè inter virtutum studia actam mors plerumq; sancta excipiet. Velle autem, vt vitam contaminatam, & flagitiosam, & perditam felix, & fortunata mors consequatur, tale est, ac si optes, vt dumus syluestris suaues fructus proferat, & tribuli ficus edant, & radices amaræ dulcia poma generent.

Cùm sanctus totius Ægypti præses Ioseph apud se iam haberet charos fratres suos, priusquàm ad salutandum, venerandumque regem ingrederentur, præmonebat eos, quid responsi dare deberent, si de vitæ suæ statu, officiorumq; conditione ab illo fortè interrogarentur. Dicite, aiebat, *Viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra vsque in præsens. Hac autem dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen,* Gen. 46. 34.

Quo consilio suaserit Ioseph fratribus suis, vt regi dicerent, se pastoritiam artem ab annis vitæ suæ primulis constanter coluisse?

Respondet Abulensis: *Hoc dicebat Ioseph, ne rex eos faceret bellatores, & disiungeret.* Optabat castus iuuenis fratres suos habitare simul, & esse contubernales, adeò laborabat, ne dare militiæ nomina rex iuberet, quod inde futurum esset, vt à sese diuellerentur, & distraherentur. Vt ne verò mereri stipendia cogerentur, præcepit dicere: *Pastores sumus ab infantia nostra vsque in præsens.* Ergoné ex eo, quòd muneri pastoritio iugem penè ab incunabulis operam dedissent, futurum erat, vt rex militare non imperaret? Perspicua res est, inquit Abulensis, quòd rex *non faceret eos bellatores, sciendo totâ vitâ hoc officium tenuisse, quia iudicaret eos inhabiles ad aliquid aliud.* Quid enim? Qui per omnes vitæ superioris annos aliud nihil egerant, quàm vt greges pascerent, ijné posterioribus diebus strenui esse milites poterant? Nemo senex facilè discit artem, cui non studuit puer. Rex ergo, vt Ioseph prudenter arbitrabatur, ità apud se disseruerit: Qui vitam semper quietam, qualis est pastoritia, duxit, is in bello, quod milites solent, non benè eam finierit, qui solùm hactenùs pedum gestauit, & inter mansuetas oues vixit, is gladium tractare, & cum militibus leonum similibus, hoc est, efferatis, & sanguinarijs hominibus consuescere ægrè poterit, neque felicem annorum conclusionem faceret, si quis ab illa tranquilla vita, quam semper tenuerat, demùm ad hanc tumultuariam transiret.

Ex his in rem nostram à contrario sic dissero. Qui omnem ætatem superiorem in bello, diffidijs, contentionibus, & offensis diuinæ maiestatis exegit, demùm autem fine quieto, & tranquillo suam vult concludere vitam, is miraculum nunquàm visum expetit. Nimium quantum præsumit, qui inter brachia, & amplexus Domini, tanquàm alter quidam Moyses, cupit suauiter, pacatèque obdormire, cùm per omnem vitam suam Dominum illum totâ lacertorum suorum vi, & brachiorum contentione varijs, enormibusque sceleribus indignè oppugnârit, & lacessiuerit. Nescio quomodo talis vitæ finem talem sperare quis possit. Vita omnis bellica fuit, ergo mors erit pacifica. Malè infert, qui sic ratiocinatur. Verùm à vita sancta ad mortem quietam, & beatam optima est consequentia. Hæc de ijs dico, quæ plerumque, & maximam partem eueniunt, potest enim misericordia Dei facere, vt mala vita finem bonum sortiatur, potestque ex eiusdem iudicijs occultis fieri, vt quispiam vitam infelici morte claudat. Verùm ex his, quæ rarò accidunt paucis, non debemus, nec possumus paria promittere omnibus, vt neque de vno singulari totam æstimare communitatem.

Admiratus cœlestis Magister fidem magnã Centurionis, cùm dixisset, non inuenisse tantam in omnibus Isrâëlitis, subiunxit, inquiens: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum*; Matth. 8. 11.

Multam hæc dicta parere possunt difficultatem, per quæ nimirùm ab expectatione regni cœlorum excludi videntur, quicunque Septentrionem, Meridiemque habitant. Cùm enim sint quatuor partes mundi, & Dominus eos solos recubituros in isto regno cum tribus ijs illustribus Patriarchis affirmet, qui ab Oriente, & Occidente venient, consequens videtur, quòd Septentrionalium, Meridionaliumq; nemo ad illum conuiuium perueniet. Hoc autem durum est, & incredibile, in omnibus enim mundi partibus

partibus erunt, qui cœlo potientur, & ad consortium illud commigrabunt. Quid ergo est, quòd Dominus Meridionales, & Septentrionales ab ea excludere videtur felicitate, quam solis promittit Orientalibus, & Occidentalibus? *Multi venient ab Oriente, & Occidente.*

Nullum hominum, quacunq; in parte mundi degat, excludit ab illa felicitate Dominus, inquit sanctus Paschasius, omnes vt beneuolus pater vocat, omnes vt pius Dominus admittit. Quòd verò ait, venturos ab Oriente, & Occidente, hoc fecit, vt indicaret modum, quo sibi quisq; finem optatum procurare debeat. Modus autem hic est, vt quisque ab Oriente, siue principio vitæ vitam bonam inchoet, solemque euntem imitetur, incedens per illustres virtutum, & bonorum operum semitas. Felicem enim occasum habebit, quicunque hoc fecerit. Solius ergo Orientis, & Occidentis mentionem fecit Dominus, vt significaret, eum felicem bonæ mortis occasum habiturum, qui statim cum oriente luce fidei splendere operibus bonis cœperit, & in illorum studio, atque exercitatione perseuerauerit. De hac re sic habet S. Paschasius lib. 5. in Matth. *Prima, & vltima ideò ponuntur, nam & illi soli tunc in regno recumbent, quos nimirùm initium rectæ fidei, & consummatio boni operis probauerit idoneos.* Denique à bona vita ad felicem mortem bona fit consecutio.

Cùm verò nemo sit, qui non prosperum sibi vitæ finem optet, Politicus noster, qui & ipse suam morte beatâ claudere desiderat, curet seriò, grauiterque, vt omnes vitæ actiones desiderio illi respondeant. Sit diuinorum præceptorum studiosus, ac solicitus obseruator; propositumq; illorum custodiendorum firmiter, animosèque semper retineat. Dominus enim suorum fidelissimus remunerator, qui per omne vitæ curriculum dedit mandatorum obseruandi gratiam auxiliarem, in extremo etiam mortis discrimine, & formidabili illo periculo opitulatricem porriget dexteram, iuuabitque, vt suauiter obdormiscant, & ab huius peregrinationis miserijs in patriam gloriæ semper felicis secundo itinere, & felici transitu perueniant.

*Vide Tomo 2. Dominica in Septuagesima Periocham III. quæ tota in eodem argumento versatur pagina 480. c. 1. o.*

# LIBER QVINTVS.

## CAPVT I.

*Firmitudinem ab eo, quod per vim fit, expectare, tale est, ac si quis montem in debili arista stabilem consistere posse præsideret.*



QVàm citò idololatra Laban venenum cordis per oculorum fores foras produxit, seuerioreque fronte, & austero supercilio, & morosiore vultu suum alienum à sancto consobrino Iacob animum indicauit! Susurrârant aduersùs illum apud auunculum filij eius, & Iacobtem ex improbæ suspicionis suæ malignitate arbitrati dixerant, quòd ille omnes sibi facultates, & greges solus vsurparet, atque hinc tam opulentus effectus esset. Cùmque parens crederet ità esse, vt filij affirmârant (rebus enim pessimis aures patulas procliuiter damus) dissimulare indignationem, & stomachum, quanquàm vellet, non poterat, neque facere, vt non per oculos erumpens sese proderet, quæ apud animum latebat, iracundia. Quod enim per vim alicubi attinetur, ægrè diu, quin se proripiat inde, contineri potest.

Emisit Dominus ad prædicandum suos Discipulos, varijsque monitis, ad ritè procurandum cœleste illud ministerium, imbuit. In his autem vnum quoddam Matthæi 10. 11. tale erat: *In quamcunque ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit; & ibi manete, donec exeatis.*

Quæri potest, quamobrem Dominus voluerit, vt Discipuli, quam semel delegissent hospitij sedem in aliqua ciuitate, aut castello, eam constanter vsque in finem absoluti ministerij retinerent. Hospitalitatis enim, maximè ergà Christi Apostolos, magnum erat bonum, adeò meliùs, vt videtur, fecissent, si apud plures ex ordine diuertissent, tamque ingentis gratiæ occasionem multis attulissent. Cur ergo præcepit Dominus, vt hominis digni ædes semel ingressi nunquàm desererent, quousque opus suum, ad quod conficiendum missi fuerant, prorsùs explessent? *Ibi manete.*

Respondet Paulus de Palatio: *Vt maius sit vestræ sanctitatis testimonium*, magisque exploratam habeant vitæ vestræ integritatem, idcircò volo vos diuturniores eiusdem domus hospites. Itané verè

sanctæ

sanctæ vitæ synceritas de longiore consuetudine, & vsu familiari perdurabiliore rectè æstimari potest? Palàm est posse: *Facile enim est*, inquit Palatius, *per breue tempus specimen sanctitatis ostendere, at diu sanctitatem simulare, difficile est*. Diu fingi non sinit, quæ non est solida sanctitas, nec durabilis est extorta virtutis ostentatio, & facilè corruit, quæ suprà debilem simulationis basin construitur pietas. Itaq; vt omnes intelligerent, neque fictam esse Apostolorum virtutem, neque affectatam sanctitatem, voluit cœlestis Magister Discipulos suos diu in vna domo commorari, vt longo experimento, & crebris testandæ integritatis suæ occasionibus probatum darent, veram, & synceram esse suam probitatem, & virtutem, quæ tanto tempore firma, stabilisque permanserit. Nam si per artem facta, & per vim extorta fuisset eorum sanctitas, quomodo tam diuturna esse potuisset? *Facile est per breue tempus specimen sanctitatis ostendere, at diu sanctitatem simulare, difficile est.* Quoties hanc experimur veritatem! Falsa, & spuria sanctitas facilè se aperit, & manifestat. Simulator enim, qui magnam affectat virtutem, & hypocrita, qui inanem fingit probitatem, non diu potest suum occultare ignem, nam si verbulo iniurioso aliquo eum vel leuiter contingas, statim per impatientiam prodit, quod figmentis tectum habuit.

Simul Agaris & vterus ex conceptu, coniugioque Abrahæ, & animus ex superbia intumescere cœpit, cùmque nosset quale pignus intrà suam aluum gestaret, dominam suam Saram aspernata fuit. Querula de contemptione famulæ hera cùm à marito impetrasset, vt ipsa meritas tam insolenti, & arroganti ancillæ infligere pœnas posset, sic illius proteruiam castigauit, sic elatos spiritus compressit, vt cùm moderatum tolerare supplicium nequiret, fugâ sibi remedium parandum putaret. Cùm ergo se in pedes dedisset, *inuenit eam Angelus Domini iuxtà fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto*, Genes. 16. 7.

Cardinalis Caietanus monet, non otiosam putare sacri Scriptoris diligentiam, qui tam minutatim describere voluit iter, quod fugitiua ancilla inijt. Primò ergo communem locum, desertum scilicet, memorat, in quem se Agar receperit, posthæc etiam singularem nominat, ad quem contenderit, dicens in eam viam se dedisse, quæ in Sur tulerit. Quid sibi vult ista tam accurata singularis itineris, & semitæ denotatio, in quam se ancilla coniecerit?

Caietanus ait, idcircò tam exactè viam Agaris commemorari, vt significaretur, quem itineris scopum sibi præfixum habuerit, aut quem locum petere voluerit. Via *Sur* in Ægyptum ferebat, Agar verò Ægyptia erat. Vt ergo intelligeremus diuturna esse non posse, quæ per vim alicubi detinentur, quodq; omnia suum locum, & centrum petunt, propterea describuntur inditia viæ, quam illa ingressa fuerit, vt simul cognosceremus, quòd eò quisque tendit, quò illum sua natiua propensio inclinat. *Versùs Ægyptum Ægyptia ibat*, inquit Caietanus, simulq; nonnihil affligi cœpit, & redire velle in suam Ægyptum constituit, & patriam repetere decreuit. Quisque enim se, qualis sit mox prodit, quantumuis dissimulare velit, violentaque, & ficta, & affectata diu permanere non possunt.

Ingenia Philosophorum omnium plurimùm solicitauit, quòd viderunt aërem tam firmum, stabilemque permanere in sua regione, neque causam tamen illius perdurabilitatis tantæ dispicere potuerunt. Aquam terra sustentare videtur. Ad ignem elementarem non pertingunt oculi humani. Aërem in suis effectibus videmus, sed quid illum in loco, qui videtur esse eius proprius, tam constanter retinet, non cernimus.

Respondet Abulensis q. 3. in c. 2. primi libri Regum: *Non desiderat aliquem alium locum aër, quià est in proprio loco, ideò non indiget, quòd ab aliquo teneatur, quià res indiget tenente, cùm extrà suum locum est, cùm ibi non se possit tenere.* Perdurauitné aër in sua regione annos longos? Inditio id est, quòd sit in suo naturali loco, nam si per vim ibi detentus fuisset, iam pridem inde excidisset, elapsusq; fuisset. Quòd per vim, contraq; naturæ suæ inclinationem alicubi versatur, hoc multis fulcris, & fundamentis, quibus nitatur, retineaturque, indiget, neque sic tamen etiam diu sustentari, ac retineri potest, nullum violentum enim perdurabile.

Duro grauis manus suæ flagello cædebat Dominus proteruum regem Pharaonem, qui cùm dolorem ex verberibus cruciabilem perciperet, accersijt populi Israëlitici ductorem Moysen, & fratrem illius Aaronem, rogauitque eos, vt suis precibus & iratum Dominum placarent, & ranarum intolerabilem immunditiem, quâ omnes Ægyptij acerbè vexabantur, auferrent. Petijt Moyses tempus sibi à Pharaone præscribi, quo pro se Deum exorari vellet. Respondit ille: *Cras* velim Dominum obsecres, vt suam ergà meum regnum iram mitiget.

*Quæritur quare Pharao in crastinum distulit, cùm maximâ necessitate vrgeretur?* Ità Nicolaus Lyranus in cap. 8. Exodi. Tantæ afflictionis remedio etiam

tiam hodiernus dies nimis serus erat, quid ergo contumax rex crastinum Moysi constituit, quo illam miseriam suis precibus amoueret? Cur non statim cursu ad Deum pro leuamine contendere præcepit?

Qui feram huius difficultatis excitauit, idem mactet, dissoluatque dubitationem, qui mouit. *Dicendum, quòd credebat rex, si arte magicâ essent adducta ranæ, maleficium illud per se deficeret, & ideò hoc aliquantulùm experiri voluit.* Ità idem Lyranus, Magi incantatores Pharaonis opponebant se miraculis, quæ Moyses in Ægypto operabatur. Proijciebat ille virgam suam in terram coram rege, & seruis eius, moxque in terribilem colubrum vertebatur. Tantundem faciebant magi non in hac re tantùm, verùm etiam in aqua. Sed hoc erat inter vtrorumq; facta discrimen, quod miranda opera, quæ Deus per seruum suum Moysen faciebat, semper manebant, quæ verò magi patrabant, ea vt falsa, fictitia, & imaginaria erant, sic quamprimùm euanescebant. Cùm ergo rex illam ranarum plagam videret, dubiùsque esset, vtrùm ab arte magica, an verò à Dei manu venisset, voluit temporis spatium aliquod intercedere, quo veram istius supplicij originem indagare certiùs posset. Nam cùm falsarum, apparentiumque rerum (vtpote quæ per vim artis finguntur) duratio sit breuis, si plagam illam magi adornasset, videbat parùm illam duraturam, propterea non volebat, vt Moyses statim ad Dominum pro illius amotione accurreret: *Credebat si arte magicâ essent adducta ranæ, quod maleficium illud per se deficeret.* Itaq; perdebile, infirmumq; fundamentum habent falsa, ficta, affectata, vt enim desinant esse, & pereant, non requirunt aliam vim, quàm eam, quâ sunt facta, & ficta, sic vt interitum ijs adferat non inimicus aliquis extraneus, sed ipsa illorum fictio. Rerum enim simulatitiarum contrarius infensissimus, à quo maximè oppugnantur, est ipsa illarum inanis species, atque ad deijciendum coacta, & extorta, non est necessarium quærere alios aduersarios, vis enim, quæ naturæ earum illata, maximus illarum est inimicus intraque earum viscera nascitur malum, ex quo pereant.

Hinc accipiebat Nazarius, quàm verus, & syncerus fuerit subditorum ergà Constantinum Imperatorem suum amor, quàm integra, atque ab intimo animo profecta obseruantia, quâ illum colebant, quàm nihil fucati oculi, quibus illi hilares arridebant. *Aboleri hic vultus non potest. Vniuersorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet, sed desiderio efflorescit animorum. Vna demùm Christiani obliuio est humani generis occasus*, inquit ille in Panægyri Constantini. Affectus itaque, quo illi prosequebantur Constantinum, non erat affectatus, non fucatus, sed natiuus amor, cuius radix è penitissimo corde nascebatur, sic vt facilius esset mundum interire, quàm illorum hominum in suum Imperatorem beneuolentiam extingui.

Quàm benè dictum illud, *Pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet!* Discrimen pulchritudinis natiuæ, & suppositiæ, eius quæ habetur, & illius quæ pretio comparatur, eius, quam natura dedit, & illius quam ars adsciuit, notorium est. Genitalis enim forma, tanquàm naturalis, & propria seipsa sustentatur, & firma permanet: At fictitia, & aliunde accersita, leuiter deficit, & perit, artis enim fulcimentum, & adminiculum cùm sit, violentum, non est diuturnum, quod verò à natura est, idem perdurabile est, atque vt vim passum sui interitus causam circumfert, ità natiuum intrà se habet, vnde confirmetur, & stabiliatur. Ergo si Imperatoris amor non arte nititur, aut fictione, sed intùs in corde radices egit, firmus, stabilisque erit, & ante homines occumbent, quàm suauis illa flamma extinguatur. Quod à natura inest, id spem vitæ habet, quantumuis graui ægritudine laboret, coacti verò firmitas, quantacunq; vis eius conseruationi adhibeatur, diuturna esse non potest.

Multum temporis, ac papyri huc vertendum esset, si commemorare, ac discutere vellem omnia, quæ Genesios Interpretes de gigantibus scripserunt, qui super terram fuisse feruntur per illos dies, quibus homines elegantiâ, & venustate mulierum à mente recta abducti mundum turpium scelerum suorum illuuie fœdârunt, & contaminârunt. Digna lectu sunt, quæ viri docti in hanc rem elucubrârunt. At ne tempus prodigam, ad sanctum Hieronymum me recipiam, qui de his gigantibus opportunè in rem nostram disserit. Quod ergo noster vulgatus textus habet, *Gigantes erant super terram in diebus illis*; Genes. 6. 4. hoc Hebræi apud Hieronymum in qq. Hebraicis verterunt, *Cadentes erant in terra*, Symmachus autem transtulit, *Violenti erant in terra.* Si versionem Hebræorum cum translatione Symmachi coniungas, ex vtraque id, quod hoc capite tractamus, conficitur. Gigantes Hebræis dicuntur *Cadentes in terra*, Symmacho autem *Violenti in terra*, idque magno mysterio, quo docemur, violentiam, & prolapsionem tam esse coniuncta, & affinia, vt priùs

dies

dies luce careat, quàm non cadat violentum, non pereat simulatum, & affectatum. *Erant violenti, erant cadentes*, coactum enim, & violentum per seipsum corruit, tametsi à nullo euertatur, ex seipso moritur fucatum, sibijpsi manus violentas affert fictum, suæque artis gladio sese iugulat. Timeant ergo quorum est simulata virtus, ficta, & fucata sanctitas, quià malè illis intrà paucum tempus sua hypocrisis cedet, & artificij, quo ad hanc rem vtuntur, obscuritas lux clara affectatæ falsitatis illorum erit. Quapropter Politicus noster natiuum splendorem, & sinceram puritatem veritatis procuret, quæ in seipsa firma permanet, & humeris suæ sinceritatis, atque integritatis constanter innititur.

## CAPVT II.

*Cùm nemo leuiter debeat existimari malus, de seruis Dei talem habere suspicionem minimè omnium debemus.*

NOn est quisquam Expositorum, qui non statim damnet nimiam Labani credulitatem, qui filijs suis Iacobtem affinem suum futiliter accusantibus tam facilè fidem dedit. Criminatio illorum apud patrem talis erat; *Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus*; Genes. 31. 1. tanquàm dixisset: Quomodo non peropulentus sit affinis noster, quomodo non circumfluat omnibus fortunæ bonorum copijs, qui sibi patris nostri & greges, & facultates alias quotidie liberrimè vsurpat, & adscribit? Ad hunc modum quisque breui opulescere potest. Supercilium, quocum socer generum posthæc audita aspiciebat, satis perspicuè indicabat, quàm facilè auidis auribus eam admisisset murmurationem. Pro eò autem, vt filios talia susurrantes seuerè obiurgaret, toruis, fastidiosisque oculis sanctum Patriarcham intuebarur, quo satis approbabat tanquàm vera, quæcunque contrà illum filij affirmârant. Omnia hæc admodùm damnabilia erant in Labano. Nam cùm Iacob opinionem integerrimi viri, & magni serui Dei existimationem eatenùs apud illum obtineret, non debuit inuidæ obtrectationi fidem tam leuiter commodare, cui obsistebat armata crebro experimento veritas, eaque tam luculenta, & manifesta, vt & ipse confessus fuerit, se, rerum suarum omnium incrementa soli, post Deum, felici Iacobtis in domum suam ingressui ferre debere accepta, inquiens: *Experimento didici, quià benedixerit mihi Deus propter te*; Genes. 30. 27. Et Iacob ipse socerum suum magnæ inurbanitatis arguit, vt qui pro diuturnæ seruitutis operosis officijs, quibus greges ipsius fidelissimè custodierat, non aliud reponeret, quàm graues iniurias, & bonæ famæ indignas offensiones. Ex his omnibus augescit culpa, aggrauanturq; pondera peccati Labanis, qui tam facilè aperuit fores aurium, vt verum esse crederet rumorem, quem tincta veneno inuidiæ corda per summam nequitiam, & improbitatem mendaciter confinxerant. Neminem præcipitanter iudicare debemus, ad pronuntiandum tamen de illorum vita, & moribus, qui præclaram ex virtute laudem, & gloriosam famam sibi comparârunt, merueruntque, vt serui Domini audiant, tardis, impeditis, plumbeis pedibus, & suspenso gradu ire debemus.

Ex Dei commissione sanctissimum illorum sæculorum Iobten è sublimi throno in sordidi sterquilinij squalidum, & abiectissimum locum communis generis nostri hostis deturbauit. Spectaculum illo tristius, magisque miserandum ætas nulla vidit, neque vlli hominum acerbiores dolores vnquàm sunt arbitrati. Ærumnosam hanc calamitatem, & fatalem aduersitatem cùm amici familiares eius accepissent, ad consolandum illum vndique concurrerunt, de quo Iob 2. v. 11. ista: *Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.* Extrema huius sententiæ verba indicant, dierum aliquot moras ab ijs tractas, priusquàm coirent ad consolandum sanctum Patriarcham, qui cum omni dolorum genere confligens, eiectus ex hominum contubernio, prostratus in putido sterquilinio iacebat, tanquàm si pestis, & contagio hominum esset: *Condixerant, vt pariter venientes visitarent eum.*

Olympiodorus in sua catena græca in cap. 2. Iob ait: *Quærat quispiam, quamobrem longo interuallo pòst amici venerunt.* Erant coniunctissimi necessariorum sancti Iobtis, eius fidi amici videri, & haberi cupiebant. Quid ergo longum tempus extraxerunt, cùm diem constituerunt, quo conuenirent, & de inuisendo calamitosissimo amico diu deliberarent, cùm sinceræ amicitiæ integritas de nullo alio æstimari euidentiùs possit, quàm si quis totâ pedum pernicitate ad afflictum amicum deproperet, vt illius ærumnas, & cruciatus suâ præsentiâ quoquo modo leuet? Amici enim titulum iniustè sibi vsurpat, qui cùm consolari amicum posset, cunctatur, & tardat. Cùm autem sancti Iobtis familiares essent veri, & sinceri illius amici, quâ ratione tarditatem illorum inumbra-

inumbrabimus? Excusationem habeo, quæ in magnam tùm sancti Iob, tùm amicorum illius laudem, & gloriam cedit. Fama sanctitatis, & celebritas virtutum opulentissimi Orientalium beati Iob tam latè per omnem sese diffuderat Orientem, vt nemo esset per id tempus, qui parem raris eius meritis existimationem sibi comparasset. Cùm hæc amici illius probè scirent, & ex altera parte audijssent, quòd orbatus liberis, possessionibusque, & gregibus, & diuitijs, & maiestate, & rebus omnibus nudatus esset, suspirari cœperunt, hæc illi flagra pro scelerum aliquorum malis meritis fuisse inflicta, idcircò tardiùs venerunt. Nam cùm hinc arbitrarentur, illas calamitates suam à perpetratis culpis ducere originem, inde verò de viro tam sancto persuadere sibi non possent, vel leui aliquo flagitio se contaminasse, propterea non statim accurrerunt, neque enim primis statim rumusculis, qui de illius infelicitate spargebantur, crediderunt; donec constante plurium dierum famâ certiores facti de veritate consilium de illo inuisendo, & consolando inierunt. Fecerunt hac in re, quod cordati, & prudentes homines solent, dùm non præcipitanter crediderunt, quæ de calamitatibus amici sui Iob ferebantur, eò quòd illas scelerum filias, & nonnisi ob peccata infligi putarent.

Audiamus Olympiodorum: *Calamitas ijs præter fidem, omnemque opinionem esse iudicabatur, vt Iobus omni ope destitutus iaceret in stercore. Ergo priusquàm proficiscantur, expectant dùm res, quæ ad eorum aures affluxerat, multorum sermonibus confirmetur.*

In probroso patibulo innocentem vitam mortalium Reparatori sanguinariæ manus morte crudelissimâ eripiebant. Pendebat sacrum ignominioso in stipite cadauer. Nobilis quidam Decurio, & Discipulus Domini honorare illius corpus, & monumento nouo, quod in horto habebat, inferre voluit. Persequi opere tam pium animi consilium non poterat, nisi proposito illius Pilatus præses annueret. Ingressus ergo ad Pilatum, corporis dominici gratiam audacter ab illo, fidenterque petijt. Pilatus vt audiuit, quòd mortem infami in ligno iam oppetijsset, *mirabatur si iam obijsset*, Marci 15. 44.

Vnde verò illa admiratio Præsidis, qui non ignorabat quantùm sanguinis illi nefariorum lictorum crudeles manus excussissent, cùm illum, antequàm cruci adfigerent, columnæ alligârunt, innoxiumque tergum eius præacutis scorpionib' dirùm sulcârunt, laniârunt, concerpserunt, sciebatque alijs varijs, ac tam immanibus tormentis excruciatum, vt vnumquodlibet eorum illum exanimalem fecisset, nisi diuinâ virtute ad seruandam vitam vsus fuisset? Quid ergo obstupescebat tam citò illum expirasse, qui tam diu in acerbissimis pœnis fuerat?

Satisfacit huic quæstioni Euthymius, inquiens: *Sperabat tardè illum moriturum tanquàm diuinum quendam hominem, qui cæteros excederet*; velut dixisset: Nemini noua videatur Pilati admiratio nata de tam celeri Christi Seruatoris obitu. Nam ille Dominum suprà homines, & virum diuinum arbitrabatur, vt qui prodigiosa eius miracula nouerat, & stupendas virtutes intellexerat, quas ergà mancos, claudos, mutilos, oculis captos, arreptitios, omnesq; ægros pro communis salutis beneficio operatus fuerat. Neq; nesciebat, quòd illius vnius fama opinionem sanctitatis omnium, quotquot illum præcesserant, longè superabat. Cùm ergo audiret, quòd animam in cruce egisset, *mirabatur*, qui enim de bonis hominibus mala, & quæ fidem existimationis illorum obscurent, narrari audit, debet ante plurimùm demirari, quàm credat, & talia ferentibus vel nunquàm, vel ægrè, ac tardè fidem adhibere.

Adoleuit Moyses in aula regis Pharaonis. Cùm audiret lamenta, & lachrymas suorum captiuorum fratrum, vnumque seorsim Ægyptium videret, qui miserum miseris modis cædebat, & affligebat Hebræum, nactus pulcherrimam occasionem, quâ crudelem secretò, & absque homine arbitro trucidare Gentilem posset, arrepto gladio confodit hominem, & *percussum Ægyptium abscondit sabulo*, Exodi 2. 12.

Iam nouimus, quòd omnes Interpretes hîc hæsitant dubij de actione illa Moysis, gratané Deo fuerit, an inuisa, & peccatum. Sunt authores, qui damnent Moysen, tanquàm qui immoderato Zelo laborârit, & nimis laxas iræ permiserit habenas, dùm nece Ægyptij vindicauit oppressionem Iudæi. Verùm Abulensis, & alij defendunt illum, dicentes, interfectionem Ægyptij fuisse opus vestitum omnibus circumstantijs, quas actio meritoria requirere possit: *Moyses iustè occidit Ægyptium, & pro causa iusta, & iusto ordine, & processu*, inquit ille q. 6. in cap. 2. Exodi. Quâ verò ratione efficiemus, vt Moysen non solùm omni culpâ vacuum probemus, verùm etiam attenti iudicis, & fidelis ministri, & iniuriarum subditis eius illatarum prudentis depulsoris officium rectè, probèque egisse conuincamus?

Tostatus ait: *Quia non esset de tanto viro, qui sic continuè cum Deo facie ad faciem loquebatur, præsumendum, vt quicquàm iniustum, aut inordinatâ passione agente mouisset, sed quidquid gestum est, vt decuit*

*cuit factum fuisse opinari rationi consentaneum est.* Plurimùm deditus erat Moyses contemplationi cœlestium, familiaris consuetudo illi cum Deo tanta erat, quanta homini cum intimo suo. Vitæ sanctitas illius tam magna erat, vt promeritus videretur, qui se in Dei consuetudinem sic immergeret, & plurimis, insignitisque ab eo beneficijs ornaretur. Denique vita illius tota ad leges veritatis, & rationis amussim composita erat. Quæ cùm ità sint, quis de viro tam sancto, tam exculto virtutibus tam indignā admittat opinionem, quòd absque iusta causa verterit sanguinem humanum, passionumque cœco abreptus impetu in homicidium sese præcipitauerit, & in rationis, atque iustitiæ leges tam grauiter impegerit? Suspicari hoc de illo nemo potest, & hoc potiùs cogitare quisque debet, sanctum, & à virtute profectum, & ornatum ijs circumstantijs, quas actio perfecta, & omnibus numeris absoluta postulat, fuisse opus, quod Moyses fecit: *Quicquid gestum est, Vt decuit factum fuisse opinari rationi consentaneum est.* Eam de seruis Dei semper habere existimationem oportet, vt non statim ad condemnanda eorum facta humanum se præcipitet iudicium; immò omnia eorum facta, atque infecta congruere cum ratione, & in partem meliorem interpretari debemus, nisi præsumptio contraria euidens obstet.

Diximus superiùs, quanto in periculo fuerit nauis, cuius naulum Propheta fugitiuus Ionas anticipatò numerârat. Cùm venti magis, magisque efferarentur, decreuerunt mittere sortes, vt viderent, vtrùm ex ijs diuinare possent, quisnam illis tanti discriminis autor esset. Cecidit autem sors in refractarium, & inobedientem Prædicatorem, quem cùm extemplò in concitati maris vndas eijcere possent nautæ, examinare priùs voluerunt, quod vitæ genus profiteretur, quibus occuparetur studijs, quâ patriâ oriundus esset, quâque ex prosapia suam duceret originem. Respondit ille, Hebræum se esse, & illum solùm agnoscere Deum, qui cœli, ac terræ conditor esset. Cùm hæc audijssent, illius de seipso sententiam expetebant, dicentes: *Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis?* Ionæ 1. 11. Quibus ille: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à nobis;* ibid. v. 12. interitus meus vnicum vobis reliquum est salutis vestræ remedium. Quanquàm hæc ille diceret, ipsi tamen non remittebant, quin totâ remorum contentione litus appeterent. Sed vani erant omnes eorum conatus, quò enim vehementiùs impellebant remos, eò ferociùs mare deseuiebat. Et quoniam ipsâ Prophetæ confessione docti fuerant, necessum esse opere, quod sors tulerat, explere, eiecerunt illum in procellosas aquas, neque id antè tamen, quàm Deum talibus verbis contestati essent: *Quæsumus Domine, ne pereamus in anima Viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem;* ibid. v. 14.

Admiranda protestatio hominum eiusmodi, qui cùm improbissimi, ac tales ferè esse soleant, vt Leuiathan ipsum, siue cacodæmonem suscitare valerent, si ille dormire in sua malitia posset, nunc magnis vocibus proclamârunt Ionam sanctum, & innocentem, quando ille seipsum verbis apertis, ac minimè tectis tam magnum fatebatur peccatorem, vt suis sceleribus imputaret, quod à sæuissima tempestate in tam præsentaneum periculum & nauis, & omnia, quæ vehebat, coniecta essent! Quis non stupeat, quòd ipse quidem se pronuntiat dignum, qui eiectus in mare victima iratorum fluctuum fiat, barbari verò nautæ illum ab eximia sanctitate contentis vocibus commendant, & celebrant! Cui non mirissimum videatur, quòd ille talibus hominibus visus, & habitus fuit vir perfectus, qui sua ipsius sententia erat peccator fugitiuus! Vnde tam præclaram haurire potuerunt de illo existimationem?

Doctus quidam interpres Paulus de Palatio in c. 2. Ionæ ait: *Ex habitu cognouerunt Ionam esse Iudæum, & vt ego credo, ex veste nouerant eum esse religiosum.* Hebræi per id tempus hominum omnium religiosissimi habebantur. Cùm ergo illi Ionam de veste non solùm Hebræum, sed & Prophetam, & religiosum Carmelitam, qualis ea veteris Testamenti ætas ferebat, arbitrarentur, peccatorem flagitiosum illum esse, tametsi ipsus hoc de se affirmaret, credere nolebant, existimabant enim sub habitu religioso irreligiosum animum, malitiamque aliquam latere non posse, confessionemque religiosi Ionæ magis ab humilitate profectam, quàm à certa veritate dictatam.

Discat hinc Politicus cœlorum attentionem magnam, quâ vti debeat, cùm pronuntiaturus est, aut iudicium laturus de proximorum erratis, inprimis autem seruorum Dei, qui famam sanctitatis, & perfectionis obtinuerunt, maximè omnium verò cùm vult eorum censere mores, qui specialibus votis se consecrârunt Deo, quales sunt Sacerdotes, & Ascetæ religiosi, de quibus semper attentè, honorificè, & reuerenter loqui debet, sic vt non inhæreat vestigijs idololatræ Labani, qui cùm longo, ac multiplici exemplo compertum haberet, quàm præclaris virtutibus præditus esset Iacob, leui, & ab imprudentibus, inuidis-

inuidisque pueris conficto remusculo abduci passus est, vt & minùs gloriosè de sancto Patriarcha nostro sentiret, & hanc suam opinionem seueriore vultu, & toruis oculis palàm omnibus faceret. Nautarum verò exemplum magis imitari studeat, qui tametsi barbari, & pagani homines essent, sanctum tamen, & innocentem, & perfectum proclamârunt Ionam, cùm eum veste religiosa indutum viderunt: Cùmq; illum ex sua ipsius sententia in mare à piscibus gluttiendum eijcerent, mortemque exequi vellent, quâ se ille dignum pronuntiârat, etiam tunc offensam, suppliciumque vindicis Dei timebant, innoxium enim illum esse, quem eijcere volebant, existimabant.

At si barbarorum, agrestium, paganorum, ac gentilium nautarum tanta fuit ergà vestem religiosam reuerentia, cur homines Christiani, & fideles, qui nouimus quanta sit status religiosi perfectio, & sublimitas, quanta dignitas sacerdotum, qui sunt alteri quidam Christi in terris, non loquamur de ijs tam honorificè, & reuerenter, quàm hoc celsitudo status eorum requirit? Decet plurimùm semper de talibus personis & magnificè sentire, & laudabiliter loqui, quàm hoc obseruantia illis debita exposcit. Nam si malum est malè de quouis iudicare, aut loqui, de seruis Dei sacerdotibus, & religiosis qui sentiat, loquaturque malè, ille pessimè faciet, cùm maximam illis venerationem, & reuerentiam singularem omnes debeamus.

*Vide in parte Politici priore Librum VII. & Caput illius VIII. & locum ad finem illius ex Tomo I. annotatum.*

## CAPVT III.

*Quod semel exitij nostri causa fuit, semper timeri tanquàm suspectum salutis nostræ instrumentum debet.*

OPtabat Patriarcha noster repetere patriam, in qua natus erat, & relinquere domum sui soceri, in qua totos viginti annos seruierat, reique familiaris sibi concreditæ augmenta summo studio, & inexplicabili vigilantiâ curauerat. Illius reditus singulare à Deo mandatum habebat. Cùmque de consilio suo, & proposito itinere cum vxoribus suis communicaret, aiebat sed ad reuisendum patrios lares non solùm Dei iussione permoueri, verùm etiam soceri sui inhumanitate, duritie, morositate, & nimis crebrâ fraude, quâ sæpè sæpiùs ab illo circumscriptus esset: *Pater vester*, inquit, *circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus*; Genes. 31. 7. Et statim ante v. 6. *Ipsa nostis, quod totis viribus meis seruierim patri vestro*, operosarum autem operarum mearum, & impigrè, fideliterque procuratorum officiorum vix aliam habui remunerationem, quàm quòd mihi tot fraudes fecit, quòd meo studio capras, & oues accepit, quæ vt ferè innumeræ fuerunt, sic nemo facilè computauerit impostuгas, quibus me ludificauit & fefellit. Itaque necessum est hinc demigrare, nimis enim stultus sim, si fidem deinceps habeam homini, qui tam rusticè me offendere ausus fuit. Vtilis est hæc Politico nostro doctrina, ex qua discat, quàm acutè, circumspecteque apud eos agere debeat, quorum fraudes, & præstigias semel expertus fuit. Quanquàm enim amari omnes debeant, suspectos tamen semper fugere, eorumque dolos malos, ac fallacias timere oportet. Non enim facilè salutis remedium ab illo sperare debemus, quod exitij aliquando causa fuit.

Propheta Oseas accusat ignorantiam Ephraim, comparatque illum columbæ, quæ absque felle, & corde sit, & prudentiam non habeat, quâ damnum suum caueat. *Ephraim factus est quasi columba seducta, non habens cor*, Oseæ 7. 11. Columba Scriptoribus sacris, & profanis fuit symbolum simplicitatis, & hieroglyphicum eorum, qui non sciunt suam declinare, & fugitare pernitiem. Ità obseruârunt, Pierius, Berchorius, Ricciardus, Scipio Amiratus, Alexander Capaci, & Camillus Camilli. Ratio huius est, quià hæc auis, vt aiunt, caret felle, eaque est causa ipsius simplicitatis. Et mos apud nos obtinuit, vt columbam absque felle dicamus eum quem de simplicitate, & sinceritate commendare volumus. Sic ergo Propheta dicit, Ephraim similem columbæ sine felle esse, quæ cautionem adhibere incommodis suis, & mala declinare nesciat: *Factus est quasi columba seducta non habens cor.*

At Videamus, quanam in re Ephraim suam simplicitatem, imprudentiam, incircumspectionem prodidit. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 137. ait: *Si causam requiris*, ob quàm Ephraim cum excorde columba confertur, *ipse eam statim Propheta adfert*, cùm subdit: *Ægyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt.* Ægyptij, & Assyrij erant mortales hostes Israëlitarum, horum damnis nationes illæ perpetuò inuigilabant, neque alios vel peius oderant, vel abominabantur vehementiùs. Quid autem fecit Ephraim? Ægyptiorum opem implorauit, & ad Assyriorum auxilium confugit, cùm vtrique essent infensissimis ergà populum Dei animis. Ad demonstrandam ergo imprudentiam, vecordiam, & stulti-

& stultitiam Ephraimitarum illud abundè sufficit, quod infensissimorum hostium suorum suppetias ad sui defensionem aduocarunt, validiore namque, & magis inuicto argumento amentia eorum conuinci non potest.

Isidorus vbi suprà in hanc rem sic ait: *Duarum gentium tyrannide, & odio, & antiquâ auaritiâ laborantium alteram quidem in auxilium aduocabat, ad alteram verò confugiebat quasi salute ibi potitura terra Ephraim. Quis ergo hoc dementior esse possit, qui ad eos confugit, qui etiam captiuitatem, & seruitutem ipsius assiduè meditantur?* Insania magis insignis excogitari non potest, quàm sit eorum, qui vitæ præsidium apud eos quærunt, quos sanguinis sui sitientissimos nouerunt, ac prope suprà fidem est eorum insulsitas, & dementia, qui libertatem sibi ab ijs promittunt, quorum cogitatus, & conatus omnes eò vadunt, vt ipsis seruitutem, vincula, captiuitatem, si possint, perpetuam adornent, mortem adeò pro vita, quam sperant, adferant. Talis fuit stoliditas Ephraim, inquit Oseas. Ægyptios, & Assyrios hostes suos capitales, & publicos implorauit, pacem à bello, à morte vitam, libertatem à tyrannide, à veneno theriacam postulauit. Ecce fatuitatem. Ergo prudens, & qui sapit, illam suspectam semper habere debet felicitatis causam, quæ pernitiei instrumentum quandoque fuit.

Tritâ quadam comparatione hanc elucidat doctrinam S. Ephræm Parænesi 41. To. 1. inquiens: *Mercator si in piratas, atque latrones inciderit, siuè etiam subuersa fuerit nauis, & onera perdiderit, non obliuiscitur loci, vbi eorum iacturam fecerit, si autem post multum temporis acciderit ipsi locum eundem adire, magna cum suspicione per illum transit.* Omninò qui ab insidiosis viarum seu terrestrium, seu maritimarum latronibus semel alicubi rebus suis exutus fuit, is, nisi memoriam, mentemque omnem perdiderit, quoties infelicia illa loca transit, pericula, & incommoda similia semper pertimescit, veretúrque, ne, quod semel factum, rursùm euersâ naui à fluctibus hauriantur thesauri, aut erumpentes è latebris grassatores sarcinas diripiant, vulnera inferant, auferant merces, ac denuò damnum ibi incurrat, vbi in aduersam fortunam aliquando incidit. Quod enim semel nobis iacturam attulit, id non timere, ne similis ruinæ causa sit, stultum est.

Concurrebant sanguinolento bello cum Hebræis Ammonitæ, atque hi magnis, pertinacibusque animis pugnacissimè pugnabant. Redacti in extremam necessitatem Israëlitę decreuerunt aduocare strenuum pugilem, & intrepidum ducem Iephte, velut certi de sua liberatione, dùm illum modò exercitus sui imperatorem, & moderatorem habere possent. Abierunt ergo ad illum maiores natu populi, oblatisque insignibus imperatorijs rogârunt, vt supremi ductoris officium susciperet, inquientes: *Veni, & esto princeps noster, & pugna contrà filios Ammon;* Iudic. 11. 6. Respondit Iephte legatis cum stomacho, & supercilio: *Nonnè vos estis, qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei?* ibid. v. 7.

Quærat aliquis, quamobrem Iephte oblatam à Galaaditis imperatorij muneris prouinciam tam morosè initiò refutauit, quam tamen posthæc admissurus erat?

Respondet Nicolaus Lyranus in c. 11. Iudicum: *Non statim credidit eis, propter ea, quæ passus fuerat ab eis.* Frequentes ab illis contumelias acceperat, iniurias multas, fraudesque viles, atque infames non paucas passus fuerat. Quando ergo illum conuenerunt, oblatisque fascibus imperatorem exercitus, & ducē armorū depoposcerunt, *non statim credidit eis, propter ea, quæ passus fuerat ab eis.* Viri enim cordati, & prudentes non debent statim certos putare honores eorum manibus oblatos, qui irrogârunt aliquando iniurias, neque mox credere ab animo sincero proficisci obseruantiam, quam illi exhibent, qui olim fecerunt imposturam.

Nam vt habet sanctus Zenon Veronensis in sermone de Fide, Spe, & Charitate, *nemo censum debitori committit, nec desertorem præmijs triumphalibus honorauit.* Nemo suæ pecuniæ custodem illum facit, qui & debita non soluit, & technas comminiscitur, modumque, quo inficiari ea possit: Qui enim debita non luit, credita multò minùs reddet. Sic & prudens vir militaribus trophæis nunquàm illum ornat, qui statione suam destituens, ad hostiles partes perfidus transfuga semel desciuit. Semper enim ille metuendus est, qui fidem aliquando fregit, & muneris sui obligationes violauit. Homines enim cauti, & sagaces, & qui rationem status, vt vocant, benè callent (etiam iuxtà Dei legem, quæ veram status materiam docet) tametsi amare omnes, & benè ijs velle semper debeant, non debent tamen semper credere illis, aut fidere, quos iustas ob causas cauere, & declinare possunt.

Quanquàm verum sit, quòd communis hostis noster amplissimam habuerit commissionem persequēdi sanctum Patriarcham Iobtem, quanquàm largissimam dæmon acceperit potestatem tentandi patientiam illius, quanquàm illum prouida permissio Dei

Dei posuit in manibus tam efferati inimici, potestas tamen illa suis limitibus circumscripta,& commissio intrà cancellos arctata est, cùm dictum: *Ecce in manu tua est, Veruntamen animam illius serua*; Iob. 2. 6. tuæ libidini seruus meus Iob permittitur, fàcillum magnis modis miserum, dum non exanimalem facias, verbera, crucia, vexa,cæde, sic tamen,vt ne prorsùm occidas.

Hæc limitatio potestatis dæmoni concessæ,illiusq; sensus, non parùm defatigauit huius textus Interpretes. Fuerunt enim, qui dicerent, animam Iobtis diabolo à Deo commendatam, vt eam non secùs atque Angelus quidam custos cœlestis obseruaret, ac tutaretur, illiusque vtilitati, & profectibus tanquam attentus excubitor inuigilaret. Verùm Olympiodorus in sua catena in c. 2. Iob ait: *Non id Deus mandauit diabolo, Vt pro Iobi animi salute excubaret.* Sed cur non credamus quòd Dominus dæmoni præcepit, vt pro salute animi Iobtis vigilaret? Ob id, quòd ille declaratus hostis, leo rugiens, famelicus lupus erat, visusq; esse fuisset ipse Dominus labe aliquâ profundam suam aspersisse sapientiam, si illi curam commendâsset salutis, qui perpetuis in vigilijs positus nihil aliud agit,quàm vt ægritudines adferat, si illi prouinciam quærendorum lucrorum demandasset, qui exitia, damna, iacturas hominum magno cum furore solicitè, atque inhianter adornat, si columbæ accipitrem, oui lupum custodem addidisset. *Nam qui tandem hostem à benè merendi studio suapte sponte, ac naturâ abhorrentem tuendæ animæ præfecisset?* inquit ille iterùm. Consultè ne fieret, si exercitui catholico Turca archigubernus constitueretur, aut notorius depeculator custos opulento thesauro deputaretur? Tantundem fuisset, ait Olympiodorus, fecisse dæmonem curatorem, & tutorem sancti Iobtis, vt qui sit animarum omnium capitalis,& iuratus hostis. Quis illum credat procuraturum lucra eorum, quorum interitum intolerantissimè sitit? Nemo illum, qui hoc sibi persuasum haberet, prudentem arbitraretur, quantumuis prudentiæ gloriam amaret laudemque ambiret. Noli ergo illi commodorum tuorum curam credere, quê exitij tui, interitusque diligentem venatorem nouisti.

Occurrit pius Æneas in campis Elysijs charo parenti suo,quem cùm dulci amplexu stringere vellet, non admisit ille beneuolentiæ obsequium. Cùm verò illum filius omninò permouere, perque vrgere vellet, vt amantissimis citò stringi brachijs sineret, id hac ratione efficere posse putauit,si diceret, quòd exercitum in mari Thyreno reliquisset, *Stant sale Thyreno classes*, à quibus diutiùs abesse non posset, ne si socij vela ventis interim darent, ipse ludibrio habitus relinqueretur, & peruenire ad copias suas nauales nequiret.

Donatus in hac Æneæ ratione notat, eam de triremibus non in altum mare prouectis, sed in portum reductis intelligi debere dicens: *Quod ait, Tyrheno mari, hoc intelligi potest, in portu, non in alto naues meas dimisi.* Sed cur tranquillo portui plus credidit quàm alto mari? Respondet pro Ænea Donatus in lib. 6 Æneidos: *Sauū est Tyrhenum mare, nouit iam nostra naufragia, cauendum est, ne quid iterùm moliatur, cuius perfidiam sensimus.* Plurimas hausimus ex salso illo æquore calamitates, incommoda nobis intulit mare illud & varia, & grauia, idcircò classem nostram improbo illi non credimus, sed in portu tutiorem relinquimus. Ità damnabilis stultitia est, si quis leuiter se homini credat, quem formidare, pro damnis ab illo semel acceptis, semper debeat, & insignis stoliditas est inde expectare vitam, vnde timere possis mortem: *Cauendum est, ne quid iterùm moliatur, cuius perfidiam sensimus.*

Concurrerunt aliquando in eodem antro Rex Saul, & innocens Dauid, vbi Propheta sacer peruersi aduersarij sui fundere facili negotio sanguinem poterat. In huius rei indubitatam fidem seruauit sibi Dauid oram chlamydis, siue summitatem purpuræ regiæ, quàm silenter præciderat, cuius irrefragabili testimonio perfidissimum etiam conuincere posset, pronam, promptamque habuisse trucidandi Saulis occasionem. Tantam hæc res animo Saulis attulit confusionem, vt culpam suam deploraret, ingenueque confiteretur, quòd immeritò tenderet vitæ Dauidis insidias, magnis etiam vocibus diceret, multo illum se esse iustiorem, & sanctiorem, vt qui semper fidum subditum exhibuerit, & persecutiones bonis officijs compensârit. Demùm cùm Dauidem iuramento obstrinxisset, ne semen illius, posterosque regno potitus deleret, instauratâ mutuâ amicitia discesserunt, & *abijt Saul in domum suam, & Dauid, & Viri eius ascenderunt ad tutiora loca*, 1. Reg. 24. 23. Saul ergo ædes suas repetijt lætus de securitate sua, ac prosapiæ, quam illi Dauid iureiurando præstiterat. Sed monet hîc sacrum oraculum aliquid dignum notatu, nimirùm quòd Dauid, & asseclæ eius non in suas domos, sed in loca munitiora, quæ non natura tantùm, verùm ars quoque inaccessa fecisset, vbi secretiùs, tutiusque

què commorari possent, sese receperunt: *Dauid, & Viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* Videtur hoc difficilè creditu. Dauid, & Saul per id tempus tam amici facti sunt, quàm qui amicissimi, & arctissimè fœderati. Et Saul, quanquàm potentiâ oppidò superabat Dauidem, huic se tamen pro ingentibus beneficijs plurimùm obnoxium palàm profitebatur, seque improbum, illum verò iustum eiulans vociferabatur, de quo Scriptor sacer: *Et eleuauit Saul Vocem, & fleuit, dixitq; ad Dauid. Iustior tu es, quàm ego, tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala*; ibid. v. 18. Cur ergo Dauid, commilitonesque eius non redierunt securi in domos suas, sed tanquàm Saul certam necem comminatus fuisset, in abstitiores eremos, in obscuriores specus, in densiores, intimasque syluas, in editissimos scopulos se abdiderunt, vt tuti ab illo viuerent, qui Dauidem iustum & magnis vocibus proclamauerat, & multis lachrymis contestatus fuerat?

Respondet Dionysius Carthusianus, inquiens: *Quià non crediderunt Verbis Saulis, cuius infidelitatem, & instabilitatem, & odium toties fuerant experti, propter quod probabiliter conie cerunt, quòd eos rursus in breui insequeretur, quod & fecit.* Ergo quòd Dauid, illiusque caterua locum tectiorem, tutioremque perquisierunt, id factum, quòd non se crederent Sauli, quantumuis illachrymasset, quantumuis vocem in laudes Dauidis extulisset: Nouerant enim illius implacabile odium, nouerant illius promptam furendi facilitatem, & ferociendi libidinem, nouerant illum à bonis propositis leuissimè resilire, nouerant illius fidem græcâ esse peiorem, nouerant ab illius verbis non plus sperari posse, quàm ab eorum promissis, qui vectigalia, quæ nunc imponunt, post annum adimenda pollicentur. Itàque cùm & instabilitatem pectoris illius, & animi perfidiam perspectam haberent, maiore curâ sese munierunt, quando ille omnem securitatem addicebat, stratumque suum nihil metuens inibat, & timore omni vacuus somno se tradebat. Insignis nempè amentia est, ab illo veritatem expectare, quem semper fraudulentum veteratorem expertus fueris, & ab eo sibi promittere pacem, qui nihil aliud cogitat, quàm vt bellum machinetur.

Eapropter sanctus Sidonius lib. 1. Epist. 13. aiebat: *Mihi latronum & beneficia suspecta sunt.* Et quis hominum maleuolorum blandæ salutationi, quis consceleratorum officiosæ compellationi, quis perditorum munificentiæ fidat, à quibus mortem iustè timere possumus, vt in quorum manibus vitæ paratum sit periculum? Nunquàm rectè, secureque bona ab eis manibus expectantur, quæ notoria fuerunt nostrorum instrumenta malorum. Domus suspecta, in qua castitas naufragium fecit, consuetudo familiaris cum amicula pellice, apud quam honestas periclitata fuit, amicus fucatus, cuius fides lucro non est durabilior, loca, vbi in discrimen adducta vita fuit, semper formidanda sunt, semperq; cauenda, & fugienda. Quomodo enim potest Politicus sibi promittere securitatem, vbi pericula est expertus? Quomodo sperare vitam, vbi timuit mortem?

*Eundem agrum colit Persocha secunda Feria IV. post Domin. I. Quadragesima Tom. I. pag. 95. Et Persocha prima Dominica V. post Epiphaniam Tom. II. pag. 445. c. 2. o. similem causam Versat.*

## CAPVT IV.

*Crudeliùs eos dæmon persequitur, quos enixiore studio, & accuratiùs, perfectiusque Deo seruire cernit.*

VT Patriarcha noster consilium suum minore negotio perficeret, bonam arripuit occasionem, eo tempore viam iniens, quo socer Laban ad tondendas oues ierat. Eâ opportunitate cùm liberos vxoresque validis camelis imposuisset, cum tota supellectile, gregibusque, & rebus omnibus, ex Mesopotamia in patriam suam contendere cœpit. Simul eius abitum accepit Laban, & comites assumens cognatos suos, *persecutus est eum diebus septem; & comprehendit eum in monte Galaad*, Genes. 31. 23. Furore soceri, quo inflammatus in generum erat, ex eo licet arbitrari, quòd ad reprimendum illum necessarium fuit, vt Dominus ipsi appareret, ac præciperet, non tantùm abstinere manus à Iacobte, vxoribus, liberis, facultatibus eius violentas, verùm etiam nihil illi dicere asperum, neque verbum loqui, quod non humanitatis, & vrbanitatis esset plenum.

Plerique Expositorum hoc in loco dicunt, Labanum esse effigiem dæmonis, qui tunc ferociùs insectatur, tunc vela sua expandit tota, passisque carbasis inuehitur, quando videt suas ab hominibus ædes deseri, eosque ad domum Dei confugere. Ità docet Guilielmus Ebroicensis, Ferus, Honcala, & Glossa Angelica, quæ sic ait: *Laban in hoc loco diaboli typum gerit.* Benè autem ea dæmoni quadrat imago. Quando enim Iacob à patre suo ad socerum abibat, nullum per viam damnum passus, nihil impedimenti habuisse legitur, cùm autem domum Labani semel ingressus fuit, officiaque illius admisit, longos annos inibi

inibi detentus, plurimas difficultates, & obstacula varia superare, antequàm ad patrem suum iteratò peruenire posset, debuit. In hoc enim itinere à tergo illum persequebatur iratus socer, ante oculos se illi obijciebat infensus frater, quem muneribus placare, & reconciliare debuit. Iam quis verbis enarret tragœdiam, quam filia eius Dina apud Sichemitas excitauit? Quis enumeret aduersitates, & pericula, in quæ illum furore perciti, & nimis præcipites filij coniecerunt? Hæc omnia eò spectant, vt sint nobis documento, quòd dæmon, cùm illius domum homines destituunt, & ad Deum se recipiunt, vehementiùs furere, validioribus armis pugnare, pertinaciusquè, & efferatiùs insectari desertores suos soleat. Dei enim seruituti se tradere, & diabolo infensum fieri, eiusque inuidiam incurrere ità vnum sunt, vt vel Domini famulatum deserere, vel dæmonis persecutionem sustinere quisque debeat. Est enim ille perpetuus insectator hominis, qui non vult esse Dei sui desertor.

Meritò notes duo quædam epitheta, quibus Spōsam suam Sponsus donat, quando delineat pulchritudinem eius, & elegantiam vultus, & totius corporis concinnam structuram, gestusque omnes, & admirabilem venustatem eius aptis comparationibus inumbrat. Collum descripturus, sic ait: *Collum tuum sicut monilia*, Cant. 1. 9. quibus ceruices suas, onerare dicam, an onerare amant, quæ pulchritudinis famem auidè aucupantur.

Rupertus, Honorius, & Hailgrinus aiunt, Sponsus hic ænigmaticè declarasse multitudinem, & varietatem gratiarum, & donorum, quibus collocupletata diuina sponsa erat. Non enim dixit, collum illius esse sicut monile, sed *sicut monilia*, quibus indicatur ingens copia cœlestium ornamentorum, quæ niueam Sponsæ ceruicem condecorabant. Aduertendum autem, quòd Sponsus, cùm de eiusdē Sponsæ suæ perfectionibus iterùm sermonem instituisset (amanti enim nullum tempus suauius accidit, quàm quod commemorationi talium rerum impendit) & spectatione colli oculos suos aliquamdiu oblectasset, demùm ait: *Sicut turris Dauid collum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*; Cant. 4. 4.

Gilberto Abbati comparationes has, quibus collum Sponsæ extollitur, consideranti visus est Sponsus immemor fuisse prioris collationis, dùm instituit posteriorem. Ibi mera erant monilia, hîc clypei, & scuta, ibi ornamenta muliebria, hîc omnis generis arma bellica, ibi Sponsa videbatur casta Minerua, hîc belligera Pallas. Quamobrem Sponsæ collum cum rebus tam diuersis componitur, & nunc quidem monilibus, nunc turri propugnaculis munitæ, omnique genere armaturæ, quâ fortes vti soleant, instructæ simile dicitur: Gilbertus serm 26. in Cant. ait: *Iam fortia ad Sponsam, & de Sponsa loquitur, nam delicata in superioribus, vbi sic ait; Collum tuum sicut monilia.* Quid ergo sibi volunt isti tam differentes Sponsæ habitus, vt ibi quidem fuerit ad omnem venustatis gratiam vestita, & exculta, hîc velut ad fortiter pugnandum armata? Res ipsa causam diuersi vestitus loquitur. Nunquid è collo pendebant ornamenta virtutum, monilia donorum, margaritæ gratiarum? Ex eodem collo pendebant scuta, & clypei, *Mille clypei pendent ex ea*, Sponsa enim quæ diuite vestitu à suo Sponso est exculta, & tam pretiosè ornata incedit, incidet in principem tenebrarum infensissimum exploratorem, atque ab illo oppugnabitur. Habeat ergo sibi illius quælibet virtus clypeum, quælibet gratia scutum, quodlibet doni monile turrim, quælibet prærogatiua murum, quodlibet spirituale ornamentum propugnaculum, quantò enim magis gratiosa fuerit suo Sponso, tantò magis exosa erit dæmonio, & quò maior fuerit ergà eam Domini beneuolentia, eò infensior, & infestior erit diaboli inimicitia. Sic namque ait magnus senator Cassiodorus lib. 11. Epist. 11. *Quia grauiores insidias antiqui aduersarij tunc subimus, quando Dei dona suscipimus.*

Huic proposito non incommodum veniet, quod magnus Origenes attigit, nempè quòd populus Dei nunquàm fertur bello à quoquam hoste appetitus, priusquàm panem Angelorum manducauit, & frigidam miraculo è duro silice expromptam bibit. De hac re ille homil. 11. in Exodum sic ait: *Antequàm manducaret panem de cælo, & biberet aquam de petra, non refertur populus pugnasse.*

Quid verò mysterij habeat, quòd in populum Dei nulli insurrexerunt hostes, quòd ille prælio, & armis à nemine lacessitus fuit ante illud tempus, quo manna suauissimum desuper accepit, cibum, inquā, illum Angelicorum spirituum tam experti um, tam opiparum, & saporatum, potum item è prodigiosa petra gelidum, & melle dulciorem? Haud dubitem, quin id factum, vt moneremur, quòd diabolus nunquàm grauiore bello animas vrget, & infestat, nunquàm acriùs eas vexat, & exagitat, quàm cùm videt, per sacri baptismi lauacrum factos filios Dei, & manna sacrosanctæ carnis eius, simulque innumera gratiarum ornamenta accipere. Nam vt sanctus Gregorius

rius Nazianzenus Orat. 31. habet, *quò puriorem cernit animam, eò enixiùs commaculare, atq; inquinare contendit*, quò sanctiorem, gratiosioremque Sponso suo eam videt, eò fraudulentiùs persequitur, & tentat pertinaciùs, & conspurcandæ illius pulchritudini contentiosiùs, inhiantiùsque insistit.

Describit pius Æneas, refertque Reginæ Didoni fatalem stragem, & supremam ruinam ciuitatis Troianæ. Seorsim autem narrat singulares quosdam successus, qui in illo sanguinolento bello, & funesto conflictu acciderunt. Dumque recenset crudeles assultus, quibus palatium Priami expugnatum fuit, sic ait apud Virgilium lib. 2. Æneidos:

*Protinùs ad sedes Priami clamore vocati,*
*Hic verò ingentem pugnam, ceu cætera nusquam*
*Bella forent, nulli tota morerentur in vrbe.*

Quanquàm perfidi Græci caliginosæ noctis horrendis tenebris adiuti demoliebantur domos, euertebant muros, obtruncabant homines, depeculabantur palatia, arces, aulas, cùm tamen ad Priami ædes peruenerunt, sic alueo suo effusus furor fuit, ita rabies eorum exarsit, tantus clamor insonuit, tantus excitatus fuit vocum rugitus, gladiorum verò is fuit & fulgor, & strepitus, & iræ tantus feruor, & tam densa agmina oppugnantium, vt reliqui, (tametsi tota conflagraret ciuitas) tranquilla pace, & securitate maximâ gaudere viderentur, præut inexplicabilis erat malorum inundatio, quibus Priami ædes, resque omnes obruebantur. Cur verò in vnius maximè Priami pernitiem, & excidium tam inexplicabili furore inflammatus Mars fuit? Respondet Donatus: *Causa autem, quæ fuerit tanti certaminis, in aperto est, ibi enim fuit rex, vxor, ac liberi. Hi propter maiorem victoriæ gloriam aut occidendi fuerant, aut capiendi, quià illic sperabantur regales diuitiæ auiditatem expleturæ victoris.*

Tantundem crudelis, & capitalis noster inimicus agit. Nam quos copiosioribus, & opulentioribus virtutum thesauris abundare cernit, quos ditiore bonorum meritorum supellectili instructos videt, hos persequitur efferatiùs, tentat rabiosiùs, oppugnat pertinaciùs. *Diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos, sed vt iustos capiat, sic laborat*, inquit sanctus Petrus Chrysologus serm. 96. Facit dæmon, quod auceps. Hic aui, quam manu tenet, non struit laqueos, non tendit plagas, sed ei, quæ per apertum aërem vago liberè circumfertur volatu. Sic & dæmon non tendit retia flagitiosis, nō tegit escâ voluptatum hamum, quo capiat peccatores, quos iam irretitos vitij s, ac quæatos sceleribus tenet, illarum tantùm animarum exitium solicitus, & anhelus quærit, & procurat, qui gratiæ alis in celsitudinem amicitiæ Dei euolârunt, inquit sacer Rauennatum antistes.

Mandabat Dominus Prophetæ Ezechieli sumere laterem, atque in eo describere vrbem Ierosolymitanam, ad modum, quo in linteis delineari regiones orbis terrarum solent, in quibus tametsi tota latitudo exprimi nequeat, de veritate tamen nihil prætermittitur. Iussio dominica sic habebat: *Tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem*; Ezech. 4. 1. Ponamus totam hanc leuigato in latere suis coloribus tam accuratè, exactèque expressam vrbem, vt nulla eius pinna sit omissa, quæ non depicta. Videamus nunc reliqua. Subiungit mox Dominus: *Ordinabis aduersùs eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contrà eam castra, & pones arietes in gyro*; ibid. v. 2.

Sanctissimus Pontifex Gregorius Magnus lib. 1. in Ezech. homil. 12. in hanc rem sic ait: *Benè post descriptam ciuitatem Ierusalem in latere, dicitur Prophetæ*, Et ordinabis aduersùs eam obsidionem, *in qua enim iam pacis visio describitur, ei necesse est vt tentationum bella nuntientur.* Ierusalem visio pacis dicitur, & propter hanc appellationem typicè repræsentat animam sanctam, quæ intrà Dei complexum suauiter conquiescens, singulari amicitiæ illius honore gaudet, & fruitur gratiâ. Cùm autem describitur anima, quòd sit mystica quædam Ierosolyma, & quietæ pacis gratâ visione gaudeat, quid inde consequi potest? Id quod Dominus ait, nimirùm, vt obsideant eam castra hostilia, vt ordinentur aduersùs eam obsidiones, vt comportentur aggeres, vt armorum strepitus, & scloporum crepitus, & fulminarium machinarum tonitrua personent. *Mox enim vt animus amare cœlestia cæperit, antiquus ille aduersarius, qui de cœlo lapsus est, inuidet, & insidiari ampliùs incipit, & acriores, quàm consueuerat, tentationes admouet.* Ità rursùm sanctus Gregorius vbi suprà. Quoties ergo inuidentissimus dæmon cernit animam in Dei amicitiam intimè se immergere, atque à suo sponso & beneuolentiùs tractari, & ornari impensiùs, & excoli studiosiùs, ille etiam ferociùs, furiosiùsquè præparat arma, adornat bellū, instruit fraudes. Non illum insomnem faciunt peccatores, quos tutò possidet, sancti verò illum peruigilem faciunt, quorum gratiæ aspectu liuidi oculi eius torquentur, totusque ille turbatur, & furore accenditur. Nisi enim animæ tam admirabilis esset

pulchritudo, & venustas, quomodo illam diabolus bello lacesseret? Auidus pirata non inuehitur in vacuam scapham, tenuemque lembum, animosus miles non inuadit prostratum, & inermem hostem, insidiosus latro non inhiat direptioni humilis gurgustij, aut rusticanæ casæ: Ita dæmon siticulosus animarum pirata, virtutum iuratus hostis, cœlestium diuitiarum fraudulentus depeculator nunquàm tentat, aggreditur, oppugnat alios quàm quos affluere putat spiritualium opum copijs, quæ sunt quędam sumptuosa diuinæ gratiæ palatia, nec persequitur nisi vasta nauigia, eaque virtutum thesauris onusta, & bonorum meritorum cœlestibus, opulentissimisque mercibus conferta. Cui crebrior frequentandæ mensæ dominicæ cõsuetudo, huic ille infensior est, & quo die quis illum superum hospitem accidentium pallio tectum intrà animæ suæ tectum excepit, eo ille insidiosus, & humanæ infelicitatis inuidus inimicus plures, tectioresque struit laqueos, & occultiora tendit retia, maioremque procurat inquietem, quod experientiâ quotidianâ discunt ij, quos studia virtutum ferè occupatos habent. Quò sæpiùs ieiunant, quò enixiùs orationi vacant, eò grauiores patiuntur vanarum, & variarum cogitationum, & imaginationum incursiones. Quò pertinaciùs sese ad obseruantiam silentij, & custodiam taciturnitatis obfirmârunt, eò plures, ac vehementiores impatientiæ occasiones illis nequissimus hostis ministrat.

His omnibus admonetur noster Christianus, & deuotus Politicus, vt solicitus viuat, & vigilanter, ac diligenter se obarmet aduersùs insidias, & ictus huius maligni hostis, & fraudulenti aduersarij, qui hoc vnicum vnicè, nec aliud quidquam tam studiosè agit, quàm vt eos impediat, circumscribat, oppugnet crudeliùs, quos Deo impensiùs seruire, & studere animarum suarum saluti enixiùs cernit.

*Vide, Lector, hunc postremum conceptum magnificè, & ampliter tractatum à Reuerendissimo Patre Hieronymo Baptista de la Nuza homil. 5. in Quadrag. §. 1. num. 2. quem magno Ecclesiæ beneficio latinè fecit admodùm Reuerendus, & Venerabilis P. Onesimus de Kroen Iprensis Capucinus, Prædicator Prouinciæ Flandro-Belgicæ, & insigni orbis Catholici commodo typis latinis primùm procudit, Clarissimus Vir, Dominus Gulielm⁹ Lesle enim ciuis, & Bibliopola Antuerpiensis. De toto autem hoc argumento vide & dictum §, Nuza, & Nysseni Periocham secundam Domin. I. in Quadrag. Tomo I. pag. 59. o.*

## CAPVT V.

*Sordidorum, & versutorum hominum proprium est, tunc suam gratificandi, & obsequendi promptitudinem iactanter ostentare, quando non sunt vsui, nec admitti possunt eorum officia.*

ASsecutus est socer Laban generum suum Iacob in monte Galaad, vbi tentoria sua fixerat, familiamq; omnem respirare ab arduo itinere, & captare quietem iusserat. Simul autem & illum vidit, & grauces dare querimonias cæpit, quòd se insciò furtiuè recessisset, inquiens: *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Genes. 31. 27. velut pluribus dixisset: Meritò tecum expostulare vehementer possum, quòd tam parùm vrbanè mecum egisti, meq; insalutato abijsti. Scis nimirùm, quantis te cum lætitiæ signis deduxissem, quàm festiuo harmonicorum instrumentorum concentu, quanto meo, meorumq; omnium plausu discessionem & tuam, & filiarum mearum, nepotumque celebrâssem, idque ad contestandam publicè gratitudinem, quam tuis in me non minùs insignitis, quàm diuturnis officijs, & beneficijs debeo.

Quis hæc audiens verba non animaduertit simulatam vrbanitatem, fictam comitatem, affectatam, & fucatam humanitatem Labani, qui dicebat, propositum sibi fuisse, cum gaudio, & magnifico plausu prosequi Iacobum, & non ob aliud persecutus fuerat, quàm vt vxoribus, liberis, rebus omnibus nudaret? Cùm autem vidit sibi à Deò obstrictas manus, & ablatam malè faciendi potestatem, nec posse infensi animi dãnata explere opere cõsilia, tũc voluit obligare Iacobum significatione officiorum, quæ nunquàm facere cogitârat, & prolixa commemoratione beneuolentiæ, & honorificentiæ, quâ illum prosequi voluisse mentiebatur. O quàm multos numerat hæc ætas nostra Labanos! Quàm vsitatæ seculo nostro id genus fictæ, fucatæq; comitates! Non hodie primùm mos ille natus est, vt tunc se vrbanos, & ad quæuis officia expeditè promptos exhibeant, cùm officiorum nulla est necessitas, vsus nullus. Duo tamen faciunt, qui sunt tales. Primum est, quòd nihil agunt, alterum, quòd alios sine vllo suæ vrbanitatis sumptu obligare volunt.

Obtinuerunt ij de tribu Manassis illam memorabilem, tamq; celebrem, quàm notoriam victoriam, quando buccinarum sonitu, & lagenarum complosione totus fugatus, fususq; Madianitarum exercitus

fuit.

fuit. Cùm huius tanti triumphi fama ad Ephraimitas perlata esset, acerbè dolere simulârunt, quòd non ad communem cum hoste conflictum vocati essent, inquientes ad Gedeonem: *Quid est hoc, quod facere voluisti, vt nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contrà Madian?* Iudic. 8. 1. velut pluribus dixissent: Insignem iniuriam interpretamur, quòd cùm expugnandi gentis, & patriæ nostræ inimici essent, nostris ad eam rem conficiendam rebus, ac personis vti noluisti, quibus certum, deliberatumq; erat omnia certo periculo exponere, quò te, ac tuos sospitare, & in securitatem asserere possemus.

Subegerat iam hostes Gedeon, & gloriosum de Madianitis triumphum retulerat, bellique pars maxima feliciter confecta, & in finem perducta fuerat. Quærit itaq; Abulensis: *Quare Ephraita conquesti sunt?* Quare iurgabantur, quòd non ad commune bellum fuerunt accersiti, cùm alioquin magna semper fuerit inter istas duas tribus animorum simultas, & altera alteri suas victorias, felicitatesq; prodiuiter inuiderit, maximè verò cùm, *si non fuisset tam memoranda victoria, non contendissent, quare non vocauerat eos, immò fortè à principio, si vocasset eos Gedeon dedignati fugissent, ne subijcerentur ducatui filiorum Manasse?* vt inquit idem in c. 8. Iudic. q. 4. Cur ergo post confectam pugnam, & superata pericula, & exantlatos labores *conquesti sunt*, quòd prætermissi fuerant, neq; accersiti ad prælium, qui si ante initum certamen vocati fuissent, capere arma recusassent? Voluerunt vti vrbanitate illâ, quæ mundo perfamiliaris est hodierno, semperquè fuit seculis superioribus. Voluerunt Gedeonem deuincire officijs, quæ ille neq; antea requisierat, neq; tunc admittere poterat. Et cùm iam expugnati hostes essent, & Gedeon non haberet, cur auxiliares aduocaret, Ephraimitæ, cùm se à præterito periculo liberos viderent, voluerunt illum sibi obstringere officijs, quæ fecissent, vt videri volebant, si vocati fuissent, qui tamen nec pedem mouissent, nec admouissent manum gladio, aut hastæ, tametsi magnis precibus à Gedeone ad ferendum suppetias vocati fuissent. Comitates eæ sunt hominum, qui demereri sibi volunt alios simulatâ gratificandi voluntate, quæ ad gratificandum permoueri fortè non fineret, si etiam magnis vocibus eam appellares, & euocares.

Egressus fuit Hebræorum populus ex dura Ægyptiorum seruitute, Pharaonem autem Dominus rubri maris fluctibus inuoluit, & extinxit. Paucis abhinc diebus, cùm aqua Israëlitas destitueret, quibus suam, suorumq; gregum sitim mitigarent, irâ inflammati, & furore correpti murmurârunt aduersùs ductorem suum Moysen, tanquàm is illos in solitudinem ad certam necem meditatò induxisset, inquientes: *Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumenta siti?* Exod. 17. 3. Quantò tolerabilius nobis fuisset, natisq; nostris, mortem oppetijsse ab Ægyptijs illatam, quàm hac durâ, ac diuturnâ siti tam cruciabiliter vexari? Aliam tunc vitam agebamus, quàm nunc viuimus. O quàm conducibilius nobis esset eò reuerti! Recenti enim memoriâ tenemus opimas illas carnes, & suaues hortorum fructus, quos abundans illa terra producit, quæ de fertilitate certare cum paradiso terreno potest.

O proditores! (clamat in hos ità Origenes) qui Ægyptum nunc suspiratis, cùm Ægyptios suffocatos, & totos vobis aquarum montes obsistere per viam videtis. *O populus ingratus! desiderat Ægyptum, qui Ægyptios vidit extinctos. Carnes Ægypti requirit, qui Ægyptiorum carnes vidit maris piscibus, & cœlitibus datas.* Quanam verò in re ingratitudo illa, & malitia obstinatorum Hebræorū posita fuit? In ea, quòd ex hac parte quidem lætabantur euasisse captiuitatem, ex illa verò, ne pro tam inæstimabili beneficio gratias agerent, aiebant, malle sub Ægyptijs dominis seruire, quàm sitire in eremo. Appetebant quæ videbant consequi non posse, ne pro eo quod iam consecuti erant, gratias referrent. Queri de eo simulant, ob quod lætabantur, ne cogerentur magnum fateri id, quo gaudebant, & fruebantur. Duo ergo hîc sunt, nam & horrere fingunt, quod desiderant, & nolunt videri nosse bonum quod possident, ne pro illo se obnoxios fateantur. Tale quid multoties in mundo accidit, vt dicere cæpimus. Sunt homines tam fictè comes, tā fucatè vrbani, vt tales sint in suis comitatibus, & vrbanitatibus, quales Hebræi in suis querimonijs, & murmurationibus: Nam vt hi optabāt, quod obtentu impossibile sciebant, sic multi multa officiosè obsequia offerunt, quādo vident ea admitti nequaquàm posse, & officijs, quæ nulla fuerunt, & vel præstari, vel acceptari non posse cernunt, obligare volunt, quo vrbanitatem exhibent, sed in speciem tantùm, & prorsùm fictè, imaginariâ comitate deuincire volentes, ac si vera; realiaque officia deferrent.

Supremo agone cum proximâ morte misera Dido propter ademptam Æneæ vitam confligebat, quando soror illius ingressa locum, vbi illa animam agebat, acerbissimè lugebat, triste, ac miserandum

de se

de se omnibus spectaculum exhibens, funestisq; exclamationibus aures, & animos præsentium percellens, ardentissimaque ab intimo pectore suspiria ducens, talia multis cum lachrymis efflebat apud Virgilium lib. 4. Æneidos:

*Quid primùm deserta querar? comitemné sororem*
*Spreuisti moriens? eadem me ad fata vocasses,*
*Idem ambas ferro dolor, atq; eadem hora tulisset.*

velut dixisset: Vndenam tristis lugubrium querimoniarum mearum telam ordiar? Solitudinemné meam ante omnia deplorabo, aut vilem, quam de me habuisti, existimationem flebo, illudq; lamentabor, quod me tam ignauam putasti, vt socia mortis esse non possem? Accersijsses me, & comitem extremæ necessitatis esse iussisses, vidisses sororem, quæ suo pectore ante excepisset gladium, quàm ille tua viscera confixisset, vidisses me non sanguinis tantùm, verùm & mortis communione germanam: *Idem ambas ferro dolor, atq; eadem hora tulisset.*

Fueruntné feriæ, & veræ, & à sincero animo profectæ istæ verborum, eiulatuum, promissorum vrbanitates? Intimoné è pectore Annæ (hoc enim sorori Didonis nomen) natæ istæ comitates? Minimè omnium, inquit Donatus, *dixit enim illa, quod factura non fuerat.* Vnde verò colligemus, inania tantùm verba fuisse, quæcunq; Anna dixit? Respondet Donatus: Si certum habuisset, cum sorore mortẽ oppetere, *si futurum diceret, mox sese iugularet, habens occasionem gladij, quo soror perierat.* Quid enim obstabat, quominùs faceret, quod antehac facturam fuisse aiebat, si tamen verum erat, quod dicebat? Sed voluit illa suam officiositatem, & vrbanitatem facere testatam ijs rebus, quas nunquàm fecisset tametsi à sorore ad communia fata subeunda vocata fuisset, voluit magnanimam se ostendere, quando ostentandi animi occasio præterierat, & hoc futurum fuisse indicare, quod non euenisset. Percomis est ergà defunctam sororem, sciens eam officia vrbanitatis admittere non posse: *Dixit illa, quod factura non fuerat.* Cùm autem soror quædam tam fucatè, simulatèque sorori defert officia, quæ neque certò constare poterant, neque acceptari, quid mirum, quòd alij ergà alios similia faciant?

Vinctus detentus fuit Simeon in Ægypto obses tritici, quòd duo fratres in annonam suam, & paternæ domus victum inde exportârunt. Volebat Ioseph, vt adducerent fratrem suum Beniamin, qui illi ex vtroq; parente germanus erat, eamq; ob rem etiam Simeonem pignoris loco retinebat, vt voto illius prorsùm, atque indubitatò facerent satis. Venerunt ergò domum, qui attulerunt frumentum, narraueruntque patri quod acciderat. Noluit ille comprobare pactionem, putans omnibus se liberis orbandum, si vnum ab se dimitteret Beniaminum. Cui Ruben: *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi, trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituam*; Genes. 42. 37.

Qui hanc tam liberalem gratificandi promissionem, & illa tam plena, vt videtur, pietatis verba audiuisset, putasset à prona, deliberataq; voluntate, & animo penitissimo profecta esse. Verùm Oleaster in Annot. morali ait, non tam nobilem habuisse originem, inquiens: *Ergà Simeonem pietatis viscera ostendit, sed callidè cum patre agere vult.* Constrictus, vt diximus, tenebatur Simeon, non antè dimittendus, quàm adueniret Beniamin frater longè charissimus. Magnæ ergà fratrem pietatis opinionem sibi conflare Ruben apud patrem voluit, quando illi duos filios suos pro vno Beniamin, nisi illum saluum reduceret, simulque Simeonem liberaret, obtulit: Verùm astus, merusque dolus fuit, quidquid cum patre egit: *Obijcit filios à patre interficiendos, quià nouerat senem nepotes suos non esse interfecturum.* Filij Ruben erant nepotes Iacobtis, nepotes autem, vt vulgò dicitur, bis filij sunt. Hos auo obtruncandos offert, si non reducat Beniamin. Oblatio autem illa nulla erat, nec vlli periculo se exponebat, qui filios neci offerebat, certò enim sciebat, quòd auus nepotibus neque manus violentas, neque incommodi quidpiam allaturus esset, tametsi Beniamin nunquàm reuerteretur. Ità fratres cùm fratribus, cum parentibus liberi agere, & officia nunquàm exhibenda polliceri, & magnam vrbanitatem simulare solent, quando præuident, exequendi, aut admittendi officia, quæ spondent, nullam aliquando fore occasionem.

Erat homo quidam quàm opulentus, & diues rerum, tam inops animi, & consilij. Obibat ille cogitationibus horrea sua, & granaria, & apothecas, siue cellas vinarias, vidensq; hæc quidem omnia plena esse frumento, & vino, agros verò promittere messem affluentissimam, & qualis nulla visa, siue audita fuerit alia, cœpit suâ afflictari abundantiâ, quantum alios sua penuria contristat, secumq; deliberare, quid de frumento, vino oleo tam copioso faceret, cùmque certum aliquid secum statuisset, exultans gaudio aiebat: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*; Lucæ 12. 19.

Sanctus Basilius Magnus in illud, *Anima mea,*

ſic inquit: *O bruta Verba! ſi ſuillam animam haberes, quid ei, niſi hoc ipſum renuntiares? Adeòne bonorum animæ imperitus, Vt ei carnalibus eſcis adblandiaris?* Non poterat ille neſcire, quòd anima neq; ſomno, neq; epulis paſceretur corporalibus. Palàm eſt nequiuiſſe hoc ignorare. Quid ergò illam inuitauit ad cibos, dapes, ac delitias, quibus non poſſe frui ſciebat? Quid gratificandi voluntatem illi offert, quam ſcit oblata non poſſe admittere officia? *Comede, bibe, epulare,* aiebat illi, quæ nec os habebat, quo aliquid horum faceret, neque ventriculum, in quem traijceret epulas, ſi quas etiam ſumere ore poſſet. Quorſum iſta tam vana, quàm humana inuitatio? Reſpondeo. Sunt homines tam fictè, & fucatè vrbani, tam improbi, & verſuti, vt etiam ergà animas ſuas affectato illo, & ſimulato comitatis genere vti velint, taliumque officiorum oblatione deuincire, quæ ſciunt acceptari non poſſe. Fit ſæpè, vt quis ſciat amicum ſuum indigum numorum, quærere ſibi dari eos commodatò, & poſtquàm intellexit, accepiſſe iam illos mutuò, tum demùm cum illo expoſtulet, tanquàm grauem iniuriam paſſus, quòd à ſe id officij requiſitum non fuerit, non quòd commodatò dediſſet pecuniam, ſi rogatus fuiſſet, ſed vt ſibi eum deuinciat beneficio, quod non præſtitiſſet, præſtiturum autem fuiſſe ſimulatò tunc affirmat, cùm ab alio ſcit exhibitum, perque illum exhibendi occaſionem ſibi ademptam. Vult ſibi demereri amicum verbis, cùm videt ſe præoccupatum, & liberatum ab executione operum. Hæ ſunt vani, & fucati mundi fictæ comitates, qui tunc ſuam vrbanè offert gratificandi voluntatem, cùm acceptandorum beneficiorum nulla eſt neceſſitas, nullus vſus. Abſq; vllo impendio ſuo vult ſibi alios reddere plurimùm obnoxios, tanquàm ſi magnos ſumptus in illos feciſſet.

Nolumus talem noſtrum Politicum, quià Politicus cœlorum eſt, qui non patitur peregrinas impreſſiones fictionum, & vanitatum, & ſimulationum, & inanium vmbrarum. Candidum illum cupimus, ſincerum optamus, qui veris officijs ſibi alios deuinciat, & bonis factis obliget, & illam per omnia ſeruet animi integritatem, ac ſimplicitatem, quam chriſtiana, & religioſa inſtitutio requirit.

## CAPVT VI.

*Vnum gubernandi, ſiue regendi onus oneribus alijs omnibus grauius eſt, quantum enim diſtat cœlum à terra, tantum differt moleſtia, quâ laborant Prælati, ab ea, quam patiuntur Subditi.*

POſtquàm affectatas ſuas querimonias dediſſet Laban, officiaque, quibus abiturum proſequi, & ornare voluiſſet, (ſi certior de diſceſſu factus fuiſſet) magnis, ſed ampulloſis verbis, & verbis tantùm iactanter prædicaſſet, reſpondit Iacob, honorem, quemcunque illi deferre voluiſſet, ſe maximè, & optimè meritum, hanc autem in ſummis iniurijs grauiſſimam interpretari, quòd in ſuſpicionem furti, & ſurreptorum idolorum apud illum venerit, qui eius fidelitatem, & integritatem tam longo, & vario experimento didicerit. *Die, noctuq; æſtu Vrebar, & gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis, ſicq; per Viginti annos in domo tua ſeruiui tibi,* vt gregibus tuis eſſet benè, & fortunæ incrementum facerent, aiebat Iacob iuſtè iratus inhumano ſocero ſuo Geneſ. 31. 40. 41. velut dixiſſet: A quo paſcendarum pecudum tuarum munus apud te ſuſcepi, tam lethaliter mutuò odiſſe oculi mei, & ſomnus cœperunt, vt hic illos tanquàm duos infenſiſſimos, & immaniſſimos, ſanguinolentiſſimoſque hoſtes ſemper fugitârit.

Sancto Iſidoro, Venerabili Bedæ, Hugoni Cardinali, & Guilielmo Ebroicenſi viſus fuit ſanctus Patriarcha hîc retuliſſe ærumnas, inquietem, moleſtias, defatigationes alicuius paſtoris, qui regit oues rationales. Nemo enim alius inſomnes noctes ducit, nemo alius gelu æſtuq; vritur, nemo alius omnibus cœlorum, hominumq; iniurijs æquè eſt expoſitus, ac qui regit, & gubernat, quiq; humeros ſuos grauiſſimo, & intolerabili oneri imperandi, & curandi animas ſubmiſit. Leuamina ſunt, laxamenta ſunt, ſolatia ſunt, refrigeria, & oblectamenta ſunt quæcunque alia onera, ſi cum hoc vno curandarum animarum onere comparentur. Nam vt omnia flumina ſuis deſtituuntur nominibus, mox vbi in mare influxerunt: Sic omnia onera, & pondera, cunctæque moleſtiæ nomina ſua perdunt, ſi cum illo, quod dixi, onere conferantur; cùm enim animæ ſint ſpirituales, illarum procuratione, & gubernatione nihil grauius.

Querebatur Sponſa, quòd teneri, & delicati vultus ſui venuſtatem perdidiſſet, deplorabatq; bellum, quo grauiter à matris ſuæ filijs vexata fuiſſet, inquiens: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quià decolorauit me ſol, filij matris meæ pugnauerunt contrà me;* Cant. 1. v. 5. tanquàm apertiùs dixiſſet: Ne miremini faciem meam emaciatam, deuenuſtatum, deformatumq; colorem illum nuper viuidum, ac decentiſſimum, ac me totam ex vrbana montanam, rudem, agreſtem. Sol vnus hæc omnia fecit. Ille

Ille me ex palatina domicella in rusticam incultam vertit. Quanquàm non parùm etiam natiui decoris mihi ademerunt quidam matris meæ filij, qui me infestis armis acerbè exagitârunt: *Filij matris meæ pugnauerunt contrà me.* Quidnam mali intulerunt? *Posuerunt me custodem in vineis*, vineas mihi obseruandas, curandasque tradiderunt. Hoc est bellum, quo illi Sponsam lacessiuerunt, hoc prælium, quo illam oppugnârunt. At quid est posuisse illam custodem in vineis?

Sancti Gregorius Nyssenus, & Magnus, & Bernardus, Hugo Cardinalis, Titelmannus, & Iacobus de Valentia inquiunt, nihil aliud esse, quàm commendasse illi prouinciam curandarum animarum. Illud verò est bellum, & oppugnatio, & prælium? Ego potiùs affirmarem, esse honorem, esse dignitatem, & maiestatem. Quid ergò Sponsa, cùm vidit sibi vinearum, siue animarum custodiendarum munus demandatum, oppugnatam se, & bello cruento appetitam dicit? Visa fuit Sponsa tali loquendi modo, vt exprimeret, quid sit alijs ex officio præesse, & eos, qui tam auidè, ambitioseq; aucupantur honores, doceret, non esse hoc præfecturas, quod illi opinantur, vel quod officia ipsa præseferunt, sed esse ærumnas, quæ videntur dignitates, plusque habere ignis, qui adurat, quàm lucis, quæ splendidum faciat. Nam prout grauia onera coniuncta habet imperandi officium, sic idem est, præponere aliquem curandis animabus, quod oppugnare infestis armis. *Pugnare reuerà aduersùs aliquem est, custodem eum in vineis constituere, per diem & noctem, in armis esse oportet* eum, cui curandarum animarum negotium traditum, vt qui per diem pugnare, vigilare per noctem debeat, militemque agere, cùm vigilat, excubitorem, cùm somnus delassato corpori alioquin permittendus esset, inquit ferè Vincentius Richardus in c. 1. Cant.

Et Sanctus Petrus Damianus Serm. 59. To. 2. sic aiebat: *Ducem te constituerunt, & data est tibi facultas, vt miser sis, & ampliùs non quiescas. Cumulatur materia solicitudinum, & inter ærumnas cor ipsum exedentes necessum est vultum induere gaudiorum. Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest?* Gaudeant immortaliter, triumphentq; lætitiâ quotquot Prælati, simul enim cum officij sui dignitate amplissimum accipiunt priuilegium, vt siquidem rectè illud curare velint, possint esse hominum omnium miserrimi, ærumnosissimi, infelicissimi. Vnam hanc à summo Rege Deo habent facultatem, vt nunquàm dormire, quiescere nunquàm queant; tota enim curarum agmina illos inuadunt, quæ somni possessionem interpellant, voluptatem omnem velut iniectu fellis reddunt amaram, & quietem perturbant. Quis enim tam firmo est capite, vt nullam in editiore loco positus patiatur vertiginem? Quis tam sano animo, vt nullum illi tumorem honor adferat? Quis ità ab omni est destitutus sensu, vt nulla eum curâ præfectura grauet, nullo cruciatu afficiatur ex præsulatu?

Notatissimè in verbis Eminentissimi Cardinalis ista: *Data est tibi facultas, vt miser sis, & ampliùs non quiescas?* Quàm præclaræ immunitates! quàm illustria priuilegia! quàm optabilis, scilicet, gratia, quæ cum præfectura conceditur! Immunitas ea est, vt noctes viuat insomnes, priuilegium illud, vt mores omnium, qualescunq; illos, vnus ferat, & posthæc de factis, infectisque singulorum strictas Deo Iudici rationes reddat. Vide an inuidere alicui eiusmodi immunitates, & priuilegia meritò possis.

Secundùm hæc quid mirum, quòd Sponsa dixit, *Nolite me considerare, quòd fusca sim,* tanquàm vetuisset mirari, quòd tam adustus, demutatusque faciei eius color esset. Nimirùm custos vinearum posita, & præposita curandis animabus erat, quod officium tam pugnaciter cum omni quiete, & otio pugnat, quàm coniunctissimum est cum perpetua vigilantia, iugi inquiete, continuis pugnis, & conflictibus.

Si minùs creditis esse ità vt dixi, testem huc accersam hominem ethnicum, qui hac de re tam grauiter pronuntiauit, vt in omni profana literatura nihil sit par illius exaggerationi. Querula Polynice cum superis expostulabat, quòd iustas de fratre illius pœnas non exigerent, & dignis supplicijs immania illius flagitia, insignitaque scelera, & notam orbi improbitatem non plecterent. *Sceleris, & fraudis suæ pœnas frater vt nullas feret?* aiebat illa apud Senecâ Tragœd. 3. Act. 4. velut pluribus dixisset: Quid hoc dicam, Cœlites, quòd tam intolerabiles insolentias tam longanimiter fertis! De perfidioso fratre, de contaminatissimo homine, quem terræ hiatus pridem excepisse, & hausisse abyssus debuit, vindictam non sumitis! Quomodo facere, Diuorum maximè Iupiter, potes, vt periurum istud hominis flagitium non fulmine percellas? Respondit furore plenæ Polynici Iocasta, inquiens: *Ne metue, pœnas, & quidem soluet graues.* Fortéan vnguibus fera eius laniabuntur viscera? Punietur atrociùs. Fortean lento igne paulatim adustulabitur, vt illius cruciatus ex longa mora maiorem trahat acerbitatem?

Pœna-

Pœnaliùs luet. Fortéan manus, ac pedes eius ad quatuor procerarum arborum validos alligata ramos à trunco reliquo per vim auellentur, dum remos currentium ad sua loca ramorum quilibet partim sibi adstrictam abripiet? Immaniore supplicio mulctabitur, pœnarum quædam vmbræ sunt, quas hucusque commemorasti, si cum eis componas, quæ fratri tuæ sunt constitutæ. Et quis ille cruciatus laniatu vnguium, vstulatione ignis lenti, & ramorum recurrentium conceptione truculentior esse possit? *Regnabit. Hæc est pœna.* Permittent irati dij vt hic omnibus sceleribus non opertus tantùm, sed etiam confertus sublimem regni thronum inscendat, sicq; pœnas ab illo sæuissimas exigent. Quis enim cruciatus de grauitate certare cum regnandi onere ausit? aut quis comparari dolor cum animarum cura queat? *Regnabit. Hæc est pœna.* Quas enim laminas, quas catastas, quos equuleos, aut quæ tormenta excogitare alia Siculi potuêre tyranni, quæ regendi pœnales molestias exæquent? Nam si benè rem cum animo tuo pertractes, inuenies nullum esse tam cruciabilem equuleum, quàm est solium, nullum sæuiorem taurum æneum, quàm est sedes imperij, & omni laminâ ardente flagrantiorem esse purpuram, & animarum præfecturam. Crudelissima ergò vindicta, quam dij, vt Poëta fingit, expetere de quoquam possunt, ea est, cùm faciunt, vt ascendat, non in funestum theatrum pœnas capitis daturus, sed in sublimem thronum animarum curam sufscepturus.

Confirmabit hanc veritatem id, quod in ordine tentationum, quibus Christi diuinitatem periclitari Lucifer voluit, obseruabimus. Plerique Expositorum affirmant illas eo modo euenisse, quo Lucas refert. Prima ergò periclitatio fuit in oblatione lapidum, secunda in monte, tertia in templo, in cuius summum fastigium adduxit illum Dei permissu malignus spiritus, & *statuit super pinnam templi*, Lucæ 4. 9. Post confectas has tres pugnas, & consummatâ omni tentatione *ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei*; Matth. 4. 11.

Difficile est hic statuere, quid illud ministrauerint suo Domino Angeli. Quanquàm enim communis interpretatio, & peruulgata sententia habeat, quòd cœlestes palatini, & supremi Imperatoris ephebi Angeli Regi suo victum detulerint, & mensam instruxerint, quam illius ex tam longo ieiunio fames plurimùm requirebat, idq; facilè sic intelligi queat: Attamen Scripturæ textus id non tam apertè affirmat, quin dubitationem aliquam adferre, & generare scrupulum communis illa, ac vulgò recepta expositio possit.

Volo ergò nunc interrogare, num quæ ali[illegible] [illegible]ficia præstiterint Christo Angeli præter id, quòd adornârunt mensam, & ministrârunt annonam.

Doctissimus Paulus de Palatio in c. 4. Matthæi ait, aliam operam nauasse Christo antè, quàm exhibuerint paratos cibos, idq; his verbis: *Credo quòd Angeli ministrârunt Christo, abducentes eum à pinnaculo templi (hæc enim fuit postrema tentatio) & deducentes eum in locum planum, ibi forsan cibos ei ministrârunt.* Itané verò singulari dæmonis studio Christus supremo templi vertici fuit impositus? Itané improbus spiritus, cùm victus, confususq; aufugit, satis grauiter vindicasse ignominiam suam putauit, quòd Christum sublimi in loco constitutum reliquit, & Angelis nihil gratius optatiusq; accidere potuisse existimauit, quàm quòd Dominum suum ab illa celsitudine in locum humilem deportare concessum fuit? *Ministrârunt Christo abducentes eũ à pinnaculo templi, & deducentes eum in locum planum.* Immò sic res habet, eâq; nobis indicatum fuit, solo inter homines loco eminere, & in sublimi positum esse, hancq; inanem vmbram tantùm, & vapositum esse, hancq; inanem vmbram tantùm, & vacuam speciem habere præfecturæ, siue dignitatis superioris, tam esse graue onus, tam molestum pondus, vt & dæmoni videatur, non posse insigniùs vlcisci confusionem suam, quàm si eum, à quo subactus fuit, in locum editiorem adducat, ibique relinquat, & Angeli arbitrentur, non posse ampliore, & insignitiore beneficio eos, quos amant, & magni æstimant, ornare, quàm si ex altitudine illa submittant, ac deducant.

Huc faciet, quod eruditè, vt solet, Christophorus Salazar, & Mardones Philippo IV. Hispaniarum Regi à secretis literis, Comment. Fabul. Pyrami, & Thisbis num. 119. refert de Serenissima Venetorum Rep. nimirùm Ducem illius, & Patriarcham quotannis stipatum nobilissimis, & opulentissimis illius vrbis viris pergere ad mare eo die, quo Sospitator noster in cœlum redijt, & vastiorem aliquam nauim sumptuosè adornatam, quam illi *Bucentaurum* vocant, inscendere, atque inde post alias cæremonias solennes, eijcere annulum in mare, eoque illud sibi velut despondere. Habent illi suos talis actionis fines, de quibus consuli possunt Petrus Gregorius, Thadæus Pise, Borrelus, Ioannes Baptista Lupus, & alij multi Iurisconsulti, & Historici, quos commemorat Secretarius Salazar, quem dixi. Verùm ego mihi commodum secretum, & mysterium in eo inuenio,

uenio, quòd Dux mari desponsatur. Quando duo coniugium ineunt, nonné aiunt, eos sic copulari, vt velut vnum efficiatur ex ambobus? Sic dicunt. Quod ergò Dux, qui alijs præsidet, & ex officio imperat, mare sibi despondet (quod propter saporis sui acerbitatem, & tempestatum tumultuationes est symbolum inquietis, curarum, anxietatum, perturbationum) quid eâ re significatur, nisi res alias nullas tam coniunctas, & coniugatas esse, quàm gubernationem, & inquietem, Prælaturam, & amaritudinem, Præfecturam, & perturbationem, imperium, & curarum procellas, solicitudinum fluctus, & tempestates. Nam si rem probè dispicias, quod aliud tam feruens, tumultuarium, procellosum mare, quàm Princeps, quàm Rex, quàm Pontifex cum suis officijs, & obligationibus? Quinam tales fluctus, atque illorum curæ? quænam tales abyssi, atque eorum intimi dolores? quænam tales amaritudines, atque eorum timores, & angores? Cuiusnam Tithij viscera sic diri concerpunt vultures, vt eorum, qui præsunt, animos curæ mordaces laniant, & lacerant? Nisi Dei supera prouidentia subsidio esset, atque assisteret Principibus, & Prælatis alijs, & omnipotentis dextræ suæ singulari auxilio subueniret, quomodo resistere tantis negotiorum ponderibus, quomodo persistere sub tam graui curarum mole possent?

Non ineptum huic rei fuerit, quod sanctus Cyprianus lib. 4. epist. 2. de illustrissimo Pontifice, & inclyto Martyre sancto Cornelio refert, inquiens: *Episcopatum nec voluit, nec postulauit, nec vim, vt quidam, fecit, vt episcopus fieret, sed ipse vim passus est, vt episcopatum coactus acciperet.* Vt Pontificatum Romanum, hoc est, supremam orbis dignitatem Cornelius admitteret, *vim passus est*, inquit. Vimné passus est, cùm tormenta pro Deo subire debuit? Fractusné animo fuit, cùm equuleum illi intentarét, & flammas? Fugitné ignauiter, quando crudelis lictor sanguinolentum nudabat, & vibrabat gladium, vt illi innoxium ab humeris caput demeteret? Nequaquàm certè. Nam valentissimo animo, & magno ausu, & ingenti cupiditate propugnandæ, & propagandæ, & exaltandæ fidei incitatus lacessebat tyrannum, prouocabat carnificem, contemnebat gladium, aspernabatur ignem, ridebatque omnem furorem, & crudelitatem. Quomodo tam alacer ad cruciatum, tam impeditus ad Pontificatum? Quomodo tam lætanter pœnas adijt, & thiaram tam grauatè admisit? Itané ad supplicium vltrò, volensque, ac lubens iuit, ad Pontificatum raptari debuit! *Vim passus est, vt episcopatum coactus acciperet.* Videtur sanctus Pontifex protestari potuisse, quemadmodùm reus solet, quem ex loco sacro abripiunt, qui non habet aliud nomen quàm Ecclesiæ, dicens se vocari Ecclesiam: Ità sanctus Cornelius, quando ad Pontificatum raptus fuit, protestabatur de vi, quam patiebatur, aiebatque se Martyrem nominari, & hoc suum asylum fore, si Martyr occumberet, hoc verò sibi pro carcere futurum, si Papa esse cogeretur. Et hoc videtur dicere voluisse sanctus Cyprianus, cùm ait: *Vim passus est, vt episcopus fieret*; moderari enim animas tam ingens cruciatus est, tam intolerabile onus, vt quod pœnalissimum est in martyrio, pro asylo, & optato refugio haberi possit, & pro acerbissima passione reputari, quidquid honoris est in episcopali, aut alia quauis dignitate.

Hanc doctrinam nobis hominibus ipsæ etiam omni ratione destitutæ, & brutæ aues tradunt, vt vel hinc intelligamus, quanta sit cœcitas ambitiosorum, quos mundus habet, quantaque in errore agant. De gruibus memorant sacer Mediolanensium Archiepiscopus Ambrosius, & communiter omnes, quotquot de natura animalium scripserunt, eas cùm ex vna regione in aliam commigrant, ad illum modum per viam pergere, quo benè instituti, & ritè ordinati exercitus solent. Cùm per noctem conquiescunt, iniusso & voluntario vsu solicitam exercent custodiam. Dispositos vigiles cernas, & cæteris consortibus generis quiescentibus, aliæ circumeunt, & explorant, ne qua ex parte insidiæ tendantur. Vna per singulas cohortes singulariter excubat, alteroque pede tenens lapidem, vbi leuissimum subodorari periculum videtur, deijcit illum, ac tum eius strepitu, tùm oris sui clangore reliquas admonens discriminis, facit vt omnes extemplò aërem petant, & periculo caput subducant. Quæ in excubijs agit, eadem dormientibus præest, & ex officio velut præsidet, atque vbi vigiliarum tempus expleuerit, persuncta munere in somnum se præmisso clangore componit, vt excitet dormientem, cui vicem muneris traditura est. Pleraque horum ferè B. Ambrosius, qui hac in re obseruauit, quod meritò notetis, inquiens: *Admonentur, vt exerceant custodiæ vices, non admonentur, vt de potestate decedant.* Cur verò admonentur ad somnum capessendum abire, non admonentur à vigilijs decedere? Quià decedere ab excubijs, est decedere à potestate, cedere officio, renuntiare dignitati, & potestati, & quoniam hæc omnia permolesta sunt, & perquàm grauia, idcircò non est necessarium admonere aues, vt ea excutiant, vel abijciant.

ant. Negauit illis natura intellectum, sed genitalem instinctum dedit, quo grauitatem publici muneris satis, superque cognoscant, vt illud à se absq; alterius monitione vltrò abdicent: *Non admonentur, vt de potestate decedant.* Cùm hoc faciant irrationalia animalia, mirum, ac miserum est videre decrepitæ, & exactæ ætatis homines, qui cùm fractis senio, & caducis humeris infinitarum curarum intolerabilem molem sustineant, nutabundumque eorum caput, & vacillantes pedes, & titubantia genua per Deum iudicem rogent, illud abijcere onus, ob id etiam, quod pensi absoluendi, & abrumpendi fili tempus iam adsit, tam occupatos tamen, & cœcatos esse à sua ambitione, vt vires sibi nouas fingant, tantumque valetudinis robur, quantum grauioribus oneribus ferendis sit satis. Res hæc talis est, vt & offendiculo sit hominibus, & damnetur à brutis animantibus.

Ego de talibus sic arbitror, quòd animas, quià non eâ vastitate, & mole, quâ montes cernunt, leuia habere pondera existimant. Verùm si ardentissimum Seraphin sanctum Franciscum auscultarent, ille eos aliud doceret, qui epist. 7. ad Ordinis sui Generalem Eliam sic scribebat: *Onus, quod humeris portas, magnum est, & graue, animas videlicet multorum* portas, velut pluribus dixisset: Vide sis, frater Elia, quòd animæ, tametsi neque plumbi, neque arenæ qualitates habent, nihilominùs præmodùm graues sunt, & onerosæ, & qui vnius animæ curandæ munus admittit, maiora pondera excipit, quàm si centum millium mundorum oneri humeros subijceret.

Videat ergo Politicus cœlorum, quanta pondera humeris suis inijcit, quando publicæ dignitatis officium quodcunque subit, cùm & Angelorum humeri, vt sanctus Gregorius affirmat, grauissimo curandarum animarum oneri videantur impares.

*De hoc argumento multa habet vterque Tomus superior. Vide in Indice rerum verbo* Prælatus, *Periochâ I. Dominica II. post Pascha, Tomo 2. pag. 18. c. 1. o. pulchrè hanc rem versat.*

## CAPVT VII.

*Perindignè, & nimisquàm probrosè agitur cum bonis indefectibilibus, & æternis, quòd non vel eodem loco habentur, quo peritura, fluxa, & caduca.*

EX querimonia, quam Iacob noster socero suo Laban dedit, eruemus Politico nostro vtilissimum monitum, & documentum. Vt secreti abitus, & clandestinæ discessionis suæ causam illi indicaret, antequàm diceret, crebrâ decies mutatæ mercedis fraude vehementer permotum fuisse, vt clam se proriperet, commemorabat verbis pluſculis studium, vigilantiam, labores, aëris iniurij tolerantiam, quibus incrementa gregum, & augmenta rerum cæterarum soceri sui diu, noctuque solicitè procurârit, dicens post alias: *Die, noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis*; Genes. 31. 41.

Ex his tale conficit argumentum noster insignis Hispanus, ac Pontifex maximus Damasus epist. 4. inquiens: *Si ergo sic laborat, & vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labori, quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oves Dei!* Si in rebus temporalibus tantum operæ ponitur, quantum curæ, & diligentiæ in diuinas, & cœlestes collocare debemus? Cùm valetudinis corporalis tam solicita ratio habeatur, quàm studiosè, & enixè salutem animæ curare oportebit?

Cùm cœlestis Magister chari Præcursoris sui elogia prædicaret, hæc demum aiebat: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; Matth. 11. 12.

Hoc Domini effatum afferre difficultatem, vt videtur, cuiuis potest. Nam quòd tantis laborum sumptibus regnum illud à nobis vult comparari, & per summam vim, contentionemque rapi, hoc summæ illius liberalitati, & prolixitati derogare, neque parum, videtur. Si tantum bonum absque vllo nostro labore, & sudore obtineremus, maiorem indicaret generositatem, & largitatem eius, cuius beneficentiâ nobis obueniret: Nam quò pretiosius est donū, & impetrandi illius leuius negotiū, eò munificentior animus concedentis. Quomodo ergo Saluator mundi, qui liberalitatis existimatione inprimis semper & gauisus, & gloriatus fuit, vult vt supremam felicitatem, & gloriam visionis beatæ per laborum, sudoris, defatigationis, & strenuæ operationis vim nobis rapiamus? *Et violenti rapiunt illud.*

Inuicto argumento hanc obiectionem vestram confutat sanctus Ephræm Parænesi 16. Tom. 6. inquiens: *Si qui secundùm carnem ægrotant, suæ vim inferunt naturæ, vt seruent quæcunque ipsis præscripserint medici, nonne multò magis decet morem ijs gerere, quibus cura animarum nostrarum est credita?*

Non prætereamus cursim, sed expendamus sensim, ac studiosè verba sancti Ephræm, quibus diluitur argumentum, quo verba oppugnabantur Christi. *Qui secundùm carnem ægrotant*, inquit ille, *suæ vim inferunt naturæ.* Quanquàm ardentissimâ siti quis

quis laboret, & affligetur, si medicus ægro præcipiat non bibere, quòd per eam abstinentiam bona valetudo illi sit reditura, quàm accuratè obsequitur! Si cibos sumere vetet, quibus maximè alioquin oblectetur, quàm lubens à se abdicat escam aliàs inprimis expetitam! Ne totum corpus intereat, parte illius magnâ fraudari, & destitui non curat, tametsi horribiles dolores prætereà subire oporteat. Quàm diris excruciationibus non se volens subijcit æger, vt à malo consanescat? Nullum tam amarum fel, quod non auidis faucibus hauriat, & ore hianti excipiat, si in eo suum consistere remedium putat. Argumentatur nunc Ephræm in hunc modum: *Si qui secundùm carnem ægrotant, suæ vim inferunt naturæ, vt seruent quæcunq; ipsis præscripserint medici*, ijque sæpè submorosi, & importuni, & nihil studij prætermittunt, quo febriculam (vt sub exemplo dicam) euadere possint: Quid non facient, vt animam saluent, & seruent pretiosum illud monile, quod incomparabilibus impendijs sanguinis Christi redemptum fuit? Quibus hoc medijs, & remedijs non curandum? *Si ergo sic laborat, & vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labori, quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei?* Tanta cura vnius ouiculæ, & tantus neglectus animæ! Insigni ignominiâ afficit res æternas, qui eas contemnit, vt augeat temporarias.

Regius Propheta, cùm de ingenio, & moribus hominum peccatorum agit, sic inquit: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*, Psal. 15. 4. hoc est, quotidie magis, magisque in voluptates malas, & delitias se ingurgitârunt. Si quis fortè arithmeticæ peritus adest, volo expendat, quod sacer Propheta non ait, *auctæ* sunt, sed *multiplicatæ sunt infirmitates eorum.* Qui scit arithmeticam, etiam hoc nouit, aliud esse rem augescere, aliud multiplicari. Tabula, in qua latrunculorum ludus agitur, sexaginta quatuor tantùm habet loca, per quæ scrupi huc, illucque commeant. Si primæ sedi vnum granum tritici imponas, secundæ duo, tertiæ quatuor, quartæ octo, quintæ sexdecim, & sic multiplicare pergas, vt altero tanto plures imponas sequenti, quàm habebat proximè præcedens, tantus cumulus inde euadet granorum vltimæ sedis, vt vix multis curribus aduehi queant. Dicit nunc Propheta: Nôrunt peccatores itá se tradere vitijs, & concupiscentijs, itá consectari omnem carnis sui libidinem, & voluptatem, itá se totos immergere scelerum voragini, & cœno, vt non curent multiplicare sumptus, curas, labores, solicitudines, quibus perficiant, quæcunq; corpori grata sint, & iucunda. Quid verò post tantam voluptatum, delitiarumque multiplicationem, post innumeros pro carnis oblectatione exhaustos labores egerunt? *Posteà accelerauerunt*, hoc est, postquàm tam prodigiosè multiplicârunt suas turpitudines, & lasciuias, & in omnem sese latè effuderunt libidinem, velut nec vnum quidem passum progressi essent vixq; extremis labris fœdas degustassent voluptates, itá incitatiùs currere, & bibere auidiùs denuò incipiunt. *Posteà accelerauerunt, quia scilicet post sua desideria præcipites ruunt, & inconsideratè* feruntur quocunque illos carnis perlecebræ vocant, inquit sæculi sui Phœnix Ioannes Picus Merandulanus.

Quid est in his verbis Propheticis, quod in vsum nostri profectus transferre possimus? Respondet idem ille: *Edocemur, vt non minùs ipsi celeriter curramus ad virtutes, quàm ipsi currunt ad vitium, nec Domino nostro minùs diligenter ipsi seruiamus, quàm ipsi seruiunt Domino suo diabolo*; velut diceret: Ex dictis Dauidicis debemus insolubile construere argumentum. Si peccatores, posteaquàm multiplicârunt suas infirmitates, & voluptatibus, quantum per temporis angustias, & corporis vires licuit, liberrimè indulserunt, denuò se totos turpitudini, omnique fœdæ libidini itá tradiderunt, acsi nunquàm talibus rebus vacassent, tantùm vt vel vni sordido desiderio satisfacere, vel causam aliquam, pro qua diu pertinaciter pugnârunt, obtinere, vel iniuriam vindicare possint, nullâ habitâ ratione vel sumptuum, vel aëris iniuriarum, vel aliorum incommodorum, quæcunque illis occurrant: Quare ab animæ salute æterna curanda nos vlla difficultas vel absterreat, vel retardet? Si peccator in præcipitium, & exitium suum currit, quare iustus non volatu petat suam beatitatem, & veram felicitatem? Si flagitiosus tam promptè seruit dæmonio, cur pius non multò expeditiùs, studiosiùs, ardentiùsque famuletur suo Domino, & Reparatori? Cur plùs valeat culpa ad perniciem, quàm virtus ad salutem?

Prædicabat Magister diuinus doctrinam cœlestem, quæ hominum animas ad quietem ducit æternam. Cùm inter dicendum maximè caleret supremi oratoris pectus, & feruentissimè cœptam persequeretur materiam, nuntius quidam à Matre, vt dicebat, & fratribus illius, siue cognitis missus aiebat: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant*, quærentes te; Matth. 12. 48. rogantque, vt filamen abrumpas orationis, tuique copiam illis facias. Huic nuntio respondit sacer Prædicator supercilio cũ aliquo, dicens: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* ibid.

ibid. v. 49. velut alijs verbis dixisset: Quid tu mihi nunc ex matre, & fratribus adfers nuntia? Tempus non fert, vt quæ sunt carnis, & sanguinis, in præsentia cogitem.

Arripuerunt hæc verba famosi illi hæresiarchæ Apelles, & Marcion, dicentes, magnam hîc ministrari occasionem calumniandi exiguam charitatem, perpusillam vrbanitatem, & obseruantiam pietatis prorsùm neglectam ab illo, qui conabatur nouas inuehere mundo leges, eisq; stabilire veteres semper duraturas. Aiebant verò: Quomodo credi potest, hunc esse Filium Dei, qui honorandorum parentum legem olim promulgârit, hunc, inquam, qui honorandæ matris pulchram occasionem nactus, nuntio ab illa venienti hoc tam morosum, subacidumq; responsum dederit: *Quæ est mater mea?* quod perinde videtur, ac si dixisset: Nullam ego noui matrem, nec volo hâc occasione aliquam mihi eius fieri mentionem.

Videtur aliquem colorem habere calumnia. At videte, quàm lepidè illam, festiuèque ridet, & dissipat magnus Africanus Tertullianus lib. de carne Christi cap. 7. vbi his tam salsis iocis perstringit Apellem, & Marcionem: *Oro te Apelles, vel tu Marcion, si fortè tabulâ ludens, vel de histrionibus, aut aurigis contendens tali nuntio auocareris, nonne dixisses; Quæ mihi mater, aut qui fratres?* Si de comœdis, cuiusnam eorum excelleret in repræsentando dexteritas, aut de huiusmodi re alia nihili altercareris, atque interim dùm ferueret corrixatio, adueniret quispiam, & importunis vocibus tibi obtunderet aures, succlamans, & dicens, adesse matrem, quæ te videre cupiat, & cum ea fratres, qui alloqui velint, nonné cum stomacho indignabundus facessere matrem cum toto necessariorum grege iuberes? Haud dubito, quin id faceres, quod alij passim tali occasione solent. At si tu ægrè ferres per tuam ipsius matrem, ac fratres interpellari tuam ludendi voluptatulam, adimique tibi temporis pretiosi partem, quam in vanam id genus oblectationem malè collocabas: Si hoc te in furorem tantùm non excitaret, quòd mater, fratresque inanis disputationis filum abrumperent, qualis est illa de his, quinam aurigandi, siue repræsentandi magis, periti sint, concertatio; magnumné fuit, quod cœlestis Magister, cùm importunus ille aduenit, qui cum nuntio à se forsan confictо magnum impedimentum dicenti adferebat, sermonemq; amputabat, nonnihil commotus amariusculè respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* quid mihi cognatos intempestiuè appulsos nunc indicatis, quando de his verba facientem auditis, quæ ex Patre æterno inde huc attuli, & saluti animarum curandæ tam sunt necessaria? Homines ergo, cùm animum rebus ludicris malè feriati oblectant, ne à matre quidem vel pauxillisper auocari sinunt, dùm ijs vacant, & Redemptori mundi vitio dabitur, quòd morosulum se ergà matrem exhibuit, quando per illius quoddam nuntium abstrahere ipsum à summo animarum negotio, & studio profectus illarum æterni voluerunt?

Huc ibat magni Augustini commentatio in serm. 13. de Sanctis, quando aiebat: *An verò non in te sunt viscera Christianæ miserationis, vt plangas corpus, à quo discessit anima, & non plangas animam, à qua discessit Deus?* Si quis amicum defunctum deploret, probant illius lachrymas, quotquot vident, & qui tale cadauer absque vllo sensu doloris spectarent, illum omnes horridi montis partum, vel immanis tigridis fœtum dicerent: Et non prosequamur lamentis miseram animam peiore morte defunctam! Rectènè fit, cùm affluunt lachrymæ, quæ pro mortuo vertantur corpore, & non est, qui vel guttulam pro mortua effere queat anima? Sunt qui carnem mox sanie vitiandam, & consumendam officiosâ pietate curent, & honorificè sepeliant, & non sint, qui saluti animarum studeant æternæ? Tantâ vigilantiâ custodiuntur oues Laban, & grex Christi insuper habebitur, nec quâ par est sollicitudine seruabitur?

Describit Spiritus sanctus terribilitatem peccati, simulque commendat, vt illud cane peius, & angue declinemus, inquiens: *Quasi à facie colubri fuge peccata;* Eccli. 21. 2.

Pulchrè indicat filius Siracidis, quomodo cauere debeamus venenum noxæ mortalis, cùm suadet ità fugitare, vt viperam, scorpium, colubrum solemus. Philo in lib. de specialibus legibus ait: *Viperas, scorpios, aliasq; venenosas bestiolas; priusquàm mordeant, aut saucient, aut omninò se commoueant, sine mora ad primum aspectum occidimus, præcauendo genuinam eorum malitiam, priusquàm noceant.* Sic nunc inquit Ecclesiasticus: *Quasi à facie colubri fuge peccata;* tanquàm diceret: Cùm peccatum sit vipera animæ, & culpa scorpius, qui necat animam, cui virus suum infundit, nonné indignum est, quòd qui totâ pedum contentione, quàm possumus celerrimè fugimus viperam, & scorpium, ne nos feriat, & mactet, peccatum ipsum, quod mors est animæ immortalis, deuitare negligimus? Cùm nemo tibi probro det, si magnis modis te aduersùs serpentem obmu-

obmunias, eò quòd mortem adferre vitæ alioquin perituræ potest, quis in vitio ponat, immò quis non plurimùm laudet, si culpam lethalem, quæ est toxicum salutis æternæ, exhorreas, & declines?

Vulnerata felicissima Peccatrix spiculo amoris diuini, tanquàm ceruus ferro confixus, veloci cursu fontem omnis sui remedij petijt, qui tunc in domo cuiusdam Pharisæi iuxtà mensam illius manabat. Ingrediebatur plorabunda locum, vbi conuiuium eâ occasione instructum erat, cùmque humum aquâ ex oculis deciduâ humectaret, aërem ardentibus inflammabat suspirijs. De illa sic scribit beatus Lucas cap. 7. 37. 38. *Vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*

Nimis mulierem, & plus satis audaculam dicat quis fuisse hâc vice Magdalenam, si attentiùs, quæ hic fecit, dispiciat: Nonné parùm decuit fœminam nobilem, opulentam, & toti amplissimæ vrbi cognitam, quòd in medium conuiuium, in locum, vbi virorum primariorum ad festa gaudia inuitatorum amplissimus erat consessus, importuna irruit, illachrymans, & altùm eiulans, & miserabiliter vociferans, non satis tecta caput, capillamentum vt iubas spargens, inconcinnè culta, & laxam humi trahens vestem, eaque sola, & incomitata, neque vllam rationem habens murmurationis, & obtrectationis publicæ cui causam, vt videtur, non qualemcunque ministrauit? Ità ferè sanctus Augustinus. Nonné consultiùs fuisset, occasionem remedij expectare magis commodum, quàm tunc irrupisse, quando vel stulta putari potuit, vel prorsùm desperabunda? Quomodo ergo mulier alioquin cordata, & prudens, & paucis secunda, neque vulgi dicteria, neque virorum primorum sconmata curauit?

Respondet sanctus Doctor in Psal. 125. *Quæ solebat in sui fornicatione fortaßè esse frontosa, frontosa facta est ad salutem.* Maria Magdalena vt nobilis, & copiosa erat, sic & mulieris nimis liberæ famâ apud omnes vrbis suæ incolas laborabat, quæ exosam habens domesticam solitudinem, amabat publicum, & mutuas tùm oculorum occursationes, tùm literularum amatoriarum missiculationes, & vrbanas salutationes, & verborum sales, atque lepores, & confertæ multitudinis publicos conuentus, nec vllum præteribat locum, vbi frequentem hominum concionem adesse sciebat. Hæc omnia tribus verbis complexus videtur Euangelista, cùm ait: *Erat in ciuitate peccatrix*; in quæ sic dissterit S. Petrus Chrysologus serm. 93. inquiens: *In ciuitate peccauerat, quià famâ suâ totius tetigerat famam ciuitatis, sicque iam non peccatrix solùm, sed ipsius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatum.* Fabula vulgi erat, & quanquàm non nesciret, quàm malè apud omnes audiret, quàm turpiter de se omnes & sentirent, & loquerentur, velut surda aspis tamen non audiebat voces incantantium, dissimulabat murmura obtrectantium, & persequebatur suas libidines, voluptatibusque suis malis, quibus semel tradere se, & obtemperare cœperat, pertinaciter morem gerebat, & indulgebat, nauci faciens, quòd senibus opprobrio, infantibus esset ludibrio. Frontem non perfricuerat solùm, sed etiam posuerat totam, neque iam aut vultus aliorum, aut calumnias erubescebat, neque honestatis eam, quam propter illustrium natalium suorum splendorem debebat, rationem habebat.

Dicit nunc Augustinus: *Quæ solebat in sui fornicatione fortaßè esse frontosa, frontosa facta est ad salutem*; velut pluribus dixisset: Nolite mirari, quòd diuina Pœnitens, & felix peccatrix tam parùm verecundè egisse videatur, neque admodùm curauerit, quòd notam aliquam contrahere posset, quando iuit, vt animæ suæ remedium sibi quæreret, & vulneribus medicinam indagaret, quæ antehæc nihil pensi habuit, quòd propudium, & offendiculum totius ciuitatis habita fuit. Nulla enim verecundia prohibuit, quò minùs turpibus consuetudinibus, suspectis congressibus, inconcessis cum impare sexu commertijs, & vsui virorum contaminatorum familiari vacaret, & pergeret, quocunque illam libido mala vocabat. Non curabat animæ suæ interitum, non infamiam nominis, famæque iacturam, non murmura hominum. Quomodo ergo curare debuit notam ciuitatis, & dicteria hominum, cùm ex incendio scelerum, & è media flagitiorum Babylone proripere se voluit? Præclarè, si fas est dici, actum fuisset, si pudor illam ab emendatione vitæ prohibuisset, quam absterrere à malè agendo verecundia non potuit. Immò verò quæ non erubuit vitia, inquit Augustinus, etiam pœnitentiam erubescere non debuit. Quæ Deum offendere ausa fuit, quomodo ignaua esset ad lachrymas, pudibunda ad fletum? Quæ tot artificia comminisci potuit, quibus mundi gratiam, ac beneuolentiam sibi conciliaret, quæ tam varia ornamenta, vestium formas tam multas, & exoletas excogitare nouit, cur habitum pœnitentiæ, modumque, & tempus illius agendæ opportunum, scelerumque expiandorum methodum non inueniret?

Adferat ergo vnguenta, fundat lachrymas, laxet capillaturam, deijciat se ad offensi Domini pedes, eorumque exosculandorum nec modum teneat, nec finem faciat, tùm rideat, & obtrectationem vulgi, & murmura Pharisæi, & supercilium totius conuiuij.

Nam vt Tertullianus habet in l. de veland. Virgin. cap. 1. *quale est, vt diabolo semper operante, & adijciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit?* Quod dicit, huiusmodi est. Quis æquis oculis videre, quis satis concoquere possit, quòd dæmon tam facilè adducat homines, vt non contenti ætatis superioris culpas imitari, & pro more præteritorum sæculorum vestire, non indumentorum tantùm nouas formas excogitent, magno fortunarum, & animarum damno, verùm etiam peccandi modos insolentes, inuisosque, & inauditos adinueniant, atque interim ad omnem Dei famulatum, ad studium curandæ salutis animarum, ad omnem boni operis vsum tam sint rudibus ingenijs, tam impeditis pedibus, tam torpentibus manibus, tam languidis totius corporis, & animi viribus? Est qui totam inter hyberna frigora noctem compita lubens obeat, vt voluptatulam turpem aliquam captare possit: Et non sit, qui per totam Quadragesimam lubens ieiunet, vt beatitudinis consequi gloriam queat! *Quale est illud!* quàm indignum! quàm turpe, ac probrosum! quanta confusio, & cæcitas! quanta præcipitantia! quanta generis nostri ignominia, videre hominem, qui in sordidam, putidam, diobolarem lupam rei familiaris suæ partem magnam hilariter profundat, & ad incitas redigendum se timeat, si vel quadrantem in pauperes eroget! Cùm suam habeat corpus moriturum curam, quare animarum immortalium saluandarum negligatur studium?

*Eiusdem argumenti est Periocha V. Dominica II. post Pentecosten, Tomo 2. pag. 103. c. 2. o.*

# LIBER SEXTVS.

## CAPVT I.

*Quisquis rē aliquam curandam ex Dei iussione suscipit, certò sibi promittere potest, quòd subministrabit vires perficiendi, qui imperauit laborem.*

Digressus à socero suo Labano sacer noster Patriarcha, postquàm mutuam cum illo amicitiam instaurârat, & religioso iuramento constabilierat, prosequebatur iter suum, cumquè vix aliquantùm processisset, occurrerunt illi numerosæ copiæ cælestium spirituum, quales generosi, & strenui milites, quos vt vidit, incredibili perfusus gaudio, aiebat: *Castra Dei sunt hæc;* Genes. 32. 2. exercitus cœlorum sunt, inde huc submissi, vt me tueantur, firmo suo præsidio defendant. Non errauit Iacob, nam ad hoc delegati à Deo fuerant, vt difficultates itineris submouerent, & per viam illum protegerent, ac propugnarent. Priusquàm enim ad patrem suum perueniret, multa, vt posthæc dicemus, illum expectabant pericula, quæ superaret, multa impedimenta, quæ vinceret.

Animaduertendum hîc, quòd iter illud Dei iussu suscepit, qui ei dixerat: *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam,* Genes. 31. 3. velut pluribus dixisset: Tempus est, vt parentes tuos cõsoleris, quare mando tibi, vt patriam repetas. Et quanquàm aliquæ se offerant difficultates, quanquàm impedimenta occurant, & obstacula se obijciant, noli propterea metuere, quià *ero tecum,* ego comitabor, custodiamque, ne quod à tergo te malum inuadat, omnipotens dextra mea tuum scutum erit, mea iussio tuus saluus conductus, quæ te ab omnibus tutabitur aduersis, & periculis. Vbi enim ex mea authoritate descendit præceptum, ibi ex mea potestate venit auxilium, & vbi mea voluntas iubet, ibi mea manus obsequendi vel adimit, vel minuit difficultatem. Nam si illi nauarcho vela vento dare timenti, eò quòd sæui maris furentes fluctus supremum exitium minarentur, Cæsar, quem vehebat, dixit, vt est apud Lucium Florum lib. 4. c. 2. *Quid times? Cæsarem vehis.* Quid trepidas, quid vereris conijcere nauem in oceanum, qui Cæsarem proximè ad manum habes, cuius vnicus nutus iratum placare mare, & omnem sedare tempestatem potest? Si hoc dixit homo (qui hoc titulo tantopere gloriabatur, quòd Cæsar esset) vt nauclerum meticulosum erigeret, cur formidat homo, qui immensũ Deum vitæ comitem habet, & tutorem? *Ero tecum.* Age ergo, mi Iacob, & viam securus, intrepidusque capesse, nam cùm ad meum imperium iter suscipias, ego

ego te liberum, inoffensum perducam, quo tendis, quantauis in te incursârint pericula. *Quid times? Deum Vehis.* Infinitam imperantis Dei potestatem sociam viæ habes, proinde tutissimus vadis. Meo hortatu, & mandato iter ingrederis, prosperum itaque futurum est, & felicem habiturum clausulam. Quando enim Dominus onus aliquod imponit, aut imperat opus, simul auxilium præbet, & vires, quibus confici, & absolui possit, ministrat.

Hoc sibi certò persuasum, indubitatumque habens Propheta regius, aiebat Domino: *Fiat misericordia tua, Vt consoletur me, secundùm eloquium tuum seruo tuo*; Psal. 118. v. 76. Alia versio habet: *Fiat misericordia tua, Vt exhortetur me.*

Quamobrem Propheta rogabat, vt Dominus illum & adhortaretur ad passionem, & sui eloquij decreto, diuinæque voluntatis suæ mandato decerneret ærumnas, quascunque tolerare necessum esset? Cur tam anxiè obsecrabat positus inter aduersa Dauid, vt hoc illi Deus significaret, singulari prouidentiæ eius consilio constitutum esse, quidquid calamitatum subiret, quòd hoc ipsi maximam inter grauissimas ærumnas consolationem allaturum esset?

Huic quæsito respondebit sanctus Ambrosius Octonario 10. in Psal. 118. inquiens: *Non omnis passio digna consolatione est, sed quæ passio pro Christo est, hæc consolationem Christi meretur. Pulchrè autem addidit,* Secundùm verbum tuum seruo tuo, *ipse enim Dominus pro suo nomine prælantibus auxilium pollicetur.* Optabat ergo Propheta scire, ex Dei ordinatione venire, quòd aduersitatibus affligeretur, cùm hoc non ignoraret, certò adfuturam sibi Domini opem, si quam ex illius constitutione subiret calamitatem. Semper enim Deus suum pollicetur adiutorium his, qui pro illius nomine, ac iussu incommoda tolerant. *Pulchrè addidit, Secundùm Verbum tuum seruo tuo.* Imperet Deus pugnare, & indubitata sequetur victoria. Injiciat Deus humeris cuiuspiam onus tribulationis, & non deerunt vires ferendi.

Decreuerat Dominus nominare summum populi sui sacerdotem fratrem Moysis, ad placandos animos, præoccupandamque, & auertandam omnem tanti honoris ambitionem. Præcepit ergo, vt quisq; duodecim tribuum princeps virgam adferret, cuius summitati nomen vniuscuiusque inscriptum esset. De Aarone hoc seorsim mandauit: *Nomen autem Aaron erit in tribu Leui.* Tùm iussit, vt virgas in tabernaculo collocarent, & ab ea, quæ sola ex omnibus germinaret, discerent, quis summi Pontificatus sedem occupare deberet. Obtemperatum est diuino hortatui, & die sequenti admirabile visum portentum, quod sacer Scriptor his verbis exponit: *Inuenit* Moyses *germinâsse Virgam Aaron, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt*; ibid. v. 8.

Dubitari potest, neque de nihilo, quo consilio Dominus, cùm tam admirabili modo Pontificem, & summum populi sacerdotem declarare vellet, ad hanc rem vti voluerit aridâ, & exsuccâ virgâ, quæ repente viruit, fronduit, floruit, germinauit, cùm alia media prodigiosa infinita illi non deessent, quibus indicare posset illo munere dignissimum, quemque ille præ omnibus alijs Pontificem cuperet. Cur alta illius prouidentia elegit virgam primùm siccam, deinde viridem, & florentem, quæ designaret eum, qui ex vniuerso populo aptissimus esset tam sublimi ministerio?

Multi multas acutas, & congruentes huius facti rationes excogitârunt, docti verò alicuius de hac re cogitatus causæ præsenti commodus venit, & sic habet: *Virga, quâ Aaronis electio designata est, floruit, cùm esset arida, Vt significaret, etiamsi Virgam nobis in superiorem eligamus excisam trunco nihil humoris ab arbore, aut terra trahentem, & aridam, facturum Deum, Vt florescat, & fructus nobis pariat.* Sic Tuffus in c. 8. Eccl. v. 7. Hinc accipimus, quòd Dominus, cùm alicui officium curandum imponit, aut committit, quanquàm is truncus sit, vel stipes, vel lignum aridum, faciet vt virescat, frondescat, fragret. Quod Dei iussione, & ordinatione fit, quantumuis sit arduum, ac difficile, id semper feliciter perficitur, qui cùm onus immittit, vires simul submittit, quibus ferri queat: *Pro nomine suo prælantibus auxilium pollicetur.* Certissima est victoria, vbi ex Dei imperio etiam cum innumeris hostibus pugna.

Propter quendam Cardinalis Caietani scrupulum non possum, quin hîc iterùm moueam quæstionem de facto illo Moysis, quo manus violentas Ægyptio, mortemque attulit. Monuimus, iam suprà, quòd Moyses, cùm inuisum iret miserum suum, & duro tyrannicæ seruitutis iugo intolerabiliter oppresum populum, videretque quendam suorum verberibus grauiter onerari ab Ægyptio, & dissimulare non posset iniuriam, exerto pugione confodit insolentem hominem, *percussumq; Ægyptium abscondit sabulo*, Exod 2. 12.

Dicit nunc Caietanus: *Antiqua occurrit quæstio de excusatione facti huius. Apparet enim ex textu, quòd inexcusabile sit.* Vndenam verò colligi potest, quòd Deus non fuerit Moysi autor talis cædis, adeòque

òque

ò queipse excusari ab homicidio non possit? Caietano videtur hæc à sacro Scriptore iam decisa dubitatio, qui refert, quod Moyses non ante trucidauit insolentem Ægyptium, quàm *circumspexisset huc, atq; illuc, & nullum adesse vidisset*, qui cædis spectator, & renunciator esse posset. Facitné hæc circumspectio, vt nullâ excusatione purgari, quod Moyses fecit, posse videatur? Facit. *Huiusmodi* enim *circumspectio signum est humanæ cautelæ, non diuinæ inspirationis*, inquit Caietanus. Ad excusandum factũ Moysis sat erat, si à Deo inspiratus occidisset oppressorem. Sed videtur absque vllo Dei hortatu, aut iussu id fecisse. Vnde hoc accipitur? Inde quòd timuit, ac circumspexit, ne quis conscius cædis esset, qui renuntiare alijs posset. Si enim Dominus illi suggessisset, vt interficeret Ægyptium, animi etiam robur illi addidisset, vt nullum propterea metueret periculum. Quando namque Deus aliquem discrimini exponit, & ad facinus quodpiam suo suasu, aut mandato impellit, etiam perficiendi animum, audaciamque suppeditat. Quod ergo tam trepidanter illam aggressus est cædem, inditio est non ex Deo fecisse, nam *huiusmodi* meticulosa *circumspectio signum est humanæ cautelæ, non diuinæ inspirationis*. Quoties Deus arduam aliquam, & difficilem, periculosamque prouinciam suscipere iubet, etiam vires, quibus rectè ac decenter procurari, & discrimen omne superari possit, subministrat.

Apparuit Deus sacro illi populi sui ductori, & ait: *Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, & dices ad eos, sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester*; Leuit. 19. 2.

Cùm hoc Domini edictum attentioribus oculis arbitraretur Tullius catholicus sanctus Leo Papa, perquàm rigida illi lex ea videbatur, quæ ab homine perfectionem diuinæ sanctitati parem exposcit. Quomodo enim homo, cuius omnes non corporis tantùm, verùm etiam animæ facultates tam angustis sunt circumscriptæ limitibus, in illud infinitæ celsitudinis fastigium perfectionis diuinę peruenire queat? Quomodo ergo Dominus exigebat tunc ab Hebræis, quod vires humanæ imbecillitatis longè superabat, & ex his, quæ sunt, impossibilia factus erant?

Respondet sanctus Leo, Dominum non præcepisse, vt Iudæi æquè, ac ille, sancti essent, cùm enim hoc fieri nequeat, palàm est etiam exactum ab illo non fuisse, qui est ipsa prudentia, & sapientia. Hoc ergo solùm poposcit, vt quantùm per vires liceret, perfectionis ipsius vestigijs insisterent, & passus sanctitatis consectarentur. At nonné hoc perdifficilè? Perarduum profectò, si rem cum viribus humanis componas, at facile, si cum potentiâ illius, qui præcepit, conferas, qui enim fert legem, conferre robur tenetur, quo seruari, & perfici possit.

Audiamus sanctum Leonem, qui in serm. de ieiunio septimi mensis sic habet: *Cùm videtur esse difficile, quod iubeo, ad iubentem recurrite, vt vnde datur* præceptum, *præstetur auxilium, non negabo opem, qui tribui voluntatem*; velut dixisset: Quoties operosum aliquid impero, non legis grauitatem attendite, sed Legislatoris potestatem cogitate, & implorate, hoc vobis persuasum habentes, quòd qui onus præcepti inijcit, etiam vires impertit, quibus voluntas ferre possit pondera, quæ excepit. Hinc accipitur, quanta cum fiducia adfuturæ diuinæ opitulationis tolerare debeamus ærumnas propter Dominum nobis inflictas, & calamitates, quas ex illius ordinatione patimur, ille ipse enim, qui commendat, & iniungit opus laboriosum, adiunget robur, & animum, quo perficere possimus, & absoluere.

Non absque mysterio monet sacer textus, Moysen fuisse octogenarium, & Aaronem octoginta trium annorum tunc, cùm arduum illud opus vindicandorum ab Ægyptiaca seruitute Hebræorum susceperunt, quæ res tam multis flagris, & plagis confecta fuit. *Erat Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem*; inquit Moyses ipse Exod. 7. 7. Et minor, vt videtur, fuisset illius negotij difficultas, si solùm educere populum, & nihil præterea facere oportuisset, quàm ad hanc rem conficiendam necessum fuerit concitari elementa, & omnes aduersùs barbarum Pharaonem, cæcosque illius asseclas coniurare creaturas: Verùm quæ sanctus dux posthæc totis quadraginta annis & à suis, & ab extraneis passus est, dici non potest, nec dissimulat tamen sacra historia.

Quid verò est, quod tam grauè onus, tamque molestam prouinciam humeris longæui ducis imposuit? Octoginta annos numerabat Moyses, & præfecturam capessere tam laboriosæ administrationis iubebatur! Delectus fuisset homo iuuenis, animosus, & robustus, qui tot monstra difficultatum conficere, tot incommodorum (quæ per viam, cùm abituri rent, sese offerebant) montes complanare potuisset, factum id æquiùs, consultiùsque qui negaret, nemo esset. Cur ergo contumaci illi, & propteruo, & duræ ceruicis populo imperare prouectæ, & decrepitæ vir ætatis debuit?

Respondet Ioannes Raulinus serm. 49. Tomo 5. dicens: *Vt Dei virtus splendeat in suis præceptis, & manda-*

*mandatis*, vtque omnes intelligant, non attendendas tenues, imbecillasque vires eius, qui legem est obseruaturus, quam fert Deus.

Nam cùm ille aliquid imperat, quantumuis sit operosum, quod iubet, quantumuis debilis, & infirmus, cui præcipit, noli metuere, ne res feliciter non succedat: Qui enim vetulo mandat, vt populi alicuius sit ductor, & ductor, & curator, ipsus idem dabit robur iuuenile, & animum virilem, vt rectè administrare demandatum munus possit.

Hac doctrinâ nixus dicebat sanctus Leo, sed nomine solùm, re autem verà agnus in serm. 1. de anniuersario assumptionis suæ: *Etsi necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamen gaudere de dono, quoniam qui mihi honoris est autor, ipse fiet administrationis adiutor, & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.* Deus ipse præses suorum est verborum, cumquè officium curandum iniungit, vires etiam contribuit, quibus ità perfici possit, vt placeat ipsi, qui iniunxit.

Nullam itaque calamitatem Politicus noster pertimescat, nullus illum labor exterreat, nullum horreat Dei mandatum, qui cùm fert legem, confert etiam inuictæ manus suæ opem, & auxilium, quo obseruari queat. Qui enim homini opus curandum imponit, sibi ipsi necessitatem velut imponit ferendi subsidium, quo perficere possit, quod illi iniunxit. Si scopulo præciperet volare, alas adderet, quibus editissimum celsissimi Olympi cacumen peteret, qui cùm efferatissimo mari suâ lege præscripsit limites, quos prætergredi non deberet, fecit, vt cùm minutulas litoris arenas reuerenter libauit, retrò humiliter celeriterqu e abeat.

*Tomo primo Periochâ octauâ Dominica in ramis palmarum pag. 460. o. habes idem argumentum pulchrè tractatum. Vide etiam Periocham quartã Dominica IV. in Aduentu Tom. II. pag. 371. c. 2. o. & calcem eiusdem Periocha.*

## CAPVT II.

*Auxilium, & opitulatio Dei non semper excludit studium, & solicitudinem cooperationis humanæ.*

QVanquàm diuinus viator, & sacer peregrinus noster secum ferret amplissimum saluum conductum omnipotentis protectoris, vt tutò terrâ, marique itinerari posset: Nihilominùs cùm intellexit, fratrem suum Esau in via esse, veritus illius stomachum pio subreptæ benedictionis furto commotum, oratores ad illum cum muneribus ablegauit, qui furorem irati lenire, & longâ simultate tot iam annos occupatum reconciliare studerent. De hac re sic habet sacrum oraculum: *Misit nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir*, Genes. 32. 4. In his illud diligentiùs considerandum, quòd fertur Iacob ad fratrem suum submisisse legatos, vnaquè munera, quibus apud illum efficerent, vt liberi transitus gratiam faceret. Magno beneficio submiserat Deus Iacobti numerosissimum exercitum, & leuis armaturæ, eines fliegeden Lagers / sed ex solis Angelis conflatæ milites, quos ad se iuuandum, defendendumque è cœlo submissos tam nihil dubitabat, vt diceret: *Castra Dei sunt hac*, & suppetiæ mihi ab illo missæ: Nihilo seciùs narrat sacer Chronographus, misisse extemplò legatos, qui mitigarent fratrem, & transeundi veniam ab illo peterent. Sed quid isti confessioni, & huic diligentiæ? Quorsùm hæc placandi fratris industria illi, qui parata sciebat suæ defensioni castra Dei, & copias validissimas exercitus Angelici? Addixerat ei Dominus suam opem, & defensionem, eamque præstiterat, quando Labano præcepit, vt ne asperius quidquam Iacobti loqueretur. Quamobrem ergo ille hac occasione tam solicitè, & anxiè, vt fratrem demulceret, sibiq; demereret, laborauit, tanquàm non ad manum fuisset infinita Dei potestas, quæ illum propugnare vellet?

Respondet huic interrogationi Cardinalis Caietanus, Oleaster, & Cornelius à Lapide ex sententia sancti Augustini, Iacobtem, vt potè diu, multumquè versatum in schola Dei, cordatè, ac prudẽter egisse, cùm sciret Deum velle, vt nostra studia ad ipsius auxilia accedant, & nostra industria coniungatur cum ipsius opitulatione, neque enim vel vni gratiæ humero totum inijci onus debet, vel soli imbecillis naturæ ceruici imponi. Dicam hoc apertiùs. Quamuis maiorem operis partem Dominus perficiat, nostram tamen cooperandi solicitudinem, curam, diligentiam non excludit. Tametsi enim nos sine nobis fecit, non vult nos sine nobis iustificare, & saluare, vt ferè dicit nonnullibi Aquila Doctorum beatus Augustinus.

Audiamus Caietanum: *Non est à ratione alienum*, inquit ille, *& quòd exemplo duarum societatum Angelorum, & quòd humano vsus est consilio multiplici, vt ex parte sua consuleret sibi, & suis. Humanis officijs adiungit inuocationem diuini præsidij.* Itaque pro more catholico, & ex præscripto doctrinæ orthodoxæ sic vsus est Iacob medijs ad placandum fratrem

trem humanis, ac si præsidiarios tutelares non haberet Angelos, & postquàm humanam, quam potuit, adhibuit industriam, tam enixè obsecrauit Dominum, vt per ipsum ab irato fratre seruaretur, acsi nihil hanc in rem collocasset studij, & laboris proprij, de quo Oleaster ità: *Nihil industriæ humanæ prætermittit, vt nos doceat facere, quæ in nobis sunt, etiamsi certissimus Deum nos adiuturum.* Quod enim homo adultus supremum beatitudinis finem consecuturus sit solà Dei operatione, nihil ad rem cooperante studio, & labore cuiusque proprio, id hæreticorum vana persuasio, & erronea opinio habet, quam corde pariter, & ore catholici omnes detestantur, & execrantur.

Promittebat Dominus cuidam apud Oseam animę tam ingens beneficium, quàm nullus vel Dominus seruo, vel subdito rex præstitisse visus sit, siue auditus. Illud autem beneficium paucis verbis ter pollicetur inquiens: *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio* sponsabo *in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scias, quià ego Dominus*; Ose. 2. 19. Ter ait cœlestis amasius, quòd sibi despondere animam charam velit. Vbi Ecclesiæ cæremoniam obseruare voluisse Dominus videtur, & tres velut proclamationes præmittere, quibus admoneret animam, ad submouendum omnia impedimenta, quæcunque optati illius, & diuini matrimonij effectui adferre moras possent.

Notandum verò, quòd cùm Dominus cupit, vt anima illo æternùm fruatur, vult illam sibi quodam velut coniugio, & matrimonio adstringi, iuxtà illud eiusdem ibidem: *Sponsabo te mihi in æternum.* Et in Canticis tametsi dilectam animam donet illustri appellatione sororis, & immaculatæ, & columbæ, idque passim, vocat tamen nihilominùs etiam sponsam, quod & suprà submonuimus. Cur verò sponsam potius vocat, quàm alio quouis nomine appellat, illam animam, cùm gloriam æternam, & quietem perpetuam illi promittit?

Causam subesse dixerim, quæ causæ præsenti peropportuna veniet. Voluit eo ænigmate indicare Dominus, tractatum, & pactum beatitudinis à se impetrandæ non aliter celebrari debere, ac verum matrimonium solet. Nullum est legitimum, & verum matrimonium, nisi mutuo, & reciproco eorũ, qui coniugandi sunt, consensu stabilitum, & confirmatum, vbi enim alterutrius consensus deest, coniugium non est. Parùm facit, quòd vir velit, si repugnet mulier, & nihil refert, quòd mulier consentia, si vir resistat. Sic ergo ait nunc Dominus: *Sponsabo te mihi in æternum*; tanquàm diceret: Si vis, ô anima, gloriam sempiternam, quietem perpetuam, animaduerte quòd eam non aliter adipisceris, ac sibi copulari coniuges solent. Concurrere ambo debemus, vt ego quidem opem feram, tu verò operam tuam simul adhibeas, & ad meam gratiam tuà industria accedat, nam & tu gloriam absque meo auxilio non consequeris, & non erit efficax mea gratia, nisi eam tua comitetur solicitudo, & diligentia. Mutuas vices, & consensum inter nos reciprocum esse oportet.

Quàm pręclarè has contractus leges expressit sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 58. in Genesin, cùm ait: *Sicut enim, nisi gratiam habeamus, nihil vnquàm possumus rectè agere, ità nisi quod nostrum est, attulerimus, non poterimus supernum acquirere fauorem. Demus igitur operam, vt & nostra afferamus, & supernum fauorem alliciamus, vt & ex nostro studio, & ex Dei misericordia virtutes nostræ quotidie crescant, multaq́; superna fruamur gratiâ.* Nonnè videtis, quemadmodùm os aureum posuit mutuam fœderationem, & consensum reciprocum gratiæ diuinæ, & studij humani? *Ex nostro studio* inquit, *& ex Dei misericordia virtutes nostræ crescãt.* Hæc duo connectanda sunt, vt ex ambobus sic augescant virtutes nostræ, vt in cœlum vsque pertingant, quod aliter obtinere impossibile erit.

Vt verum, ardentemque amatorem animarum Dominus demonstraret, ait per sanctum Beniaminũ suum Ioannem, se ad portam animæ, quam deperit (tametsi illa morosula fores cordis, in quo morari amat, claudat,) constanter adstare, & velut illius inhumanitatem non animaduertat, expectare, pulsare, & rogare, vt aperiat. *Ecce ego sto ad ostium, & pulso*, inquit Apoc. 3. 20. *si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*; velut alijs verbis dixisset: Quanquàm flagrantissimus sit meus amor, & constante perseuerantià circumeam domum animæ, nisi ipsa tamen vltro mihi aperiat, per vim nunquàm mihi parabo introitum, vbi sponte non admittor ab his, quorum appeto hospitium. Qui autem volens, lubensque excipit, cum hoc erit mihi mutua in vna mensa concœnatio.

Venerabilis Iacobus Ianuensis Serm. 1. de Magdalena sic disserit: *Dicit*, Cœnabo cum illo, & ipse mecum, *id est, ego ponam partem meam, & ipse ponet partem suam.* Cœna, ad quam Christus animam inuitat, est beatitudo, & gloria cœlestis, quam eo cœnæ nomine significari tam est tritum, peruulgatumque

que apud sacros Expositores, vt penè nihil sit ijs æquè certum, & indubitatum, maximè cùm & Dominus ità eam vocet, qui ad eam inuitat, inquiens: *Homo quidam fecit cœnam magnam*; Lucæ 14. 16. vbi Sanctus Gregorius, Venerabilis Beda, & ambæ Glossæ aiunt, per illam cœnam intelligi æternam gloriam. Nam vt *post cœnam nullum aliud conuiuium restat*, quod ex B. Gregorio Glossa Ordi. affirmat, sic post beatitudinem illam obtentam nemo amplius quid expectat, in qua beatus inuenit, quidquid optare, & desiderare possit. Hinc nunc augescit admiratio. Cùm Dominus sit infinitè amans, consequens est, vt sit etiam æquè munificus, & liberalis. Quomodo ergò inuitans animam ad extremũ conuiuium gloriæ, ad splendidum epulum deliciarum omnium, dicit, *Cœnabo cum illo, & ipse mecum*? Hoc enim ex Ianuensi Episcopo perinde est, acsi diceret, necessum esse vtrimq; conferri fercula, vt ambo lautè victitent, & epulentur festiuiter, ac pollucibiliter, vtrimq; missus apparari, vt velut Dominus, sic & anima sumptus ad communem cœnam vertat: *Cœnabo cum illo, & ipse mecum, id est, ego ponam partem meam, & ipse ponet partem suam.* Hiccinè verò est amor? Hæccinè generositas animi, & munificentia? Quis vnquàm audiuit opulentum aliquem dicere amicæ suæ, velle cum ipsa cœnare, sic tamen vt ipsa etiam partem impensarum ad epulum conferat, aut cœnam aliam vicissim instruat? Nonnè hoc esset satis amori ad omne dedecus, notoriamq; turpitudinis maculam illi inureret? Quomodo ergò Dominus neminem vult admittere ad mensam extremam gloriæ, nisi qui suam sumptuum partem ad eandem conferat? Quæris cur aliter admittere quenquam ad suam cœnam nolit? Respondeo, idcircò nolle, quià id illius conuiuij vltimi leges postulant. Nec solus Dominus, neque anima sola debet omnes facere impensas, sed ille quidem auxilij sui ferculum ad cœnam confert, & animæ suæ industriæ missum struit, & apponit. *Cœnabo cum illo, & ipse mecum, ego ponam partem meam, & ipse ponet partem suam.* Nisi enim hæc duo simul concurrant, & per manus ducant opitulatio diuina, & cooperatio humana, non celebrabitur conuiuium, vel matrimonium, neque anima admittetur ad cœnam, seu ferculum gloriæ.

Postquàm Dominus illum tam demissæ humilitatis actum exercuerat, & sordidos duodecim piscatorum pedes abluerat, ait illis: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim*; Ioan. 13. 13.

Quòd Dominus se magistrum, nos discipulos nominauit, hoc fecit, vt tacitè, & mysticè doctrinam, quam hìc versamus, traderet. Vt cogitatum hac de re nostrum illustremus, audiamus Quintilianum, quàm ille obsequentes magistris discipulos velit, cùm lib. 12. c. 9. ait: *Sicut magistrorum officium est docere, sic discipulorum præbere se dociles, & sicut hominis hortus ex vtroq; gignentium confertur, & frustrà sparseris semina, nisi illa præmollitus fouerit sulcus, ità eloquentia coalescere nequit, nisi sociatà tradentis, accipientisq; concordià.* Quòd ergò Dominus se magistrum nostrum appellauit, hoc fecit, vt nos moneret, ad condiscendam rectè efficaciterque philosophiam christianam, necessarium esse duos coire, hoc est, magistrum, qui disciplinam tradat, & discipulum, qui eam excipiat. Parùm enim refert, quòd magister à cathedra operosè doceat, nisi in schola illum discipulus attentè audiat. Sic & parùm vtilitatis hauriet discipulus ex diligente frequentatione scholæ, si magister otiosus sedeat in cathedra. Concurrere vtrimq; oportet, & laborem magistri, & studium discipuli, vt fructuosè & ille doceat, & hic discat, *alioquin neutrum sine altero sufficit*, & si alterutrum desit, otiosa est vtriusq; defatigatio. Sic nunc dicit Christus: *Vos vocatis me Magister, & benè dicitis, sum etenim*, & partes officij mei omnes exactissimè, perfectissimèq; expleo, eòq; vobis simul dico, quid à vestra parte agere, & quàm diligenter, quidquid bonorum discipulorum est, curare debeatis. Parùm enim vobis profuerit, quòd ego doceam, nisi vos discatis. Omnia coniungi debent, & ad gratiam meæ institutionis vestri profectus studium accedere, *alioquin neutrum sine altero sufficiet.* Sic & conuenta Dei cum hominibus habent, vt ad consequendam vitam concurrant gratia diuina, & diligentia humana, auxilium Dei, & studium nostrum.

Ex hac doctrina accipiemus, quo conciliemus duo Prophetæ in speciem contraria loca. Nonnullibi ait: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua*; Psal. 118. v. 101. His videtur aduersari quod in Psal. 114. v. 8. dicit: *Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.* Quomodo hæc sibi cohærere possunt, inquit Ambrosius, cùm ibi dicat Propheta, quòd ipse ab omni via mala prohibuit pedes suos, hic verò quòd Deus eripuit eos à lapsu? Quomodo exemit Dominus à vinculis pedes Dauidis, quos ipse, ne vincirentur, custodiuit?

Respondet Doctor sanctus Octon. 13. in Psal. 118. vtrumq;

vtrumq; esse verum inquiens: *Eruit Dominus pedes à lapsu, si cognouerit, quòd tu prohibeas pedes tuos à lapsu. Ideò hoc meruit Dauid, vt Deus à lapsu pedes eius erueret, quoniam pedes suos ipse prohibuit.* Facilè intelligitur esse veritatem infallibilem, quod videtur contradictio manifesta. Quòd enim Propheta dicit, & se prohibuisse pedes suos à laqueo inimici, & Dominum eos custodiuisse à retibus aduersarij, hoc fecit, vt nobis traderet doctrinam, quā nos instituimus nostrum Politicum, estq; ea, quòd ad euadendum lethiferas tendiculas inimici, necessum est, vt & à Deo seruemur, & nosipsi nobis prospiciamus, vt concurrant gratia Dei, & diligentia nostra. Putare enim, quòd solus Deus omnia faciet, somnium est, & stulta imaginatio: *Eruit Dominus pedes tuos à lapsu, si cognouerit, quòd tu prohibeas pedes tuos à lapsu.* Qui optat, & expetit auxilium Dei efficax, debet ipse ex parte sua magnam adhibere diligentiam.

Nam vt ait Tertullianus in Apologet. c. 13. *De vestris fuimus, fiunt, non nascuntur Christiani*; velut dixisset: Animaduertite, Gentiles, quòd nos, qui vanos ritus vestros, & superstitiosas cæremonias ridemus, Christiani sumus, qui nunc puras veritati aquas bibimus, antehac ex cœnosis torrentibus haurire soliti. Non enim per natiuitatem suam accipiunt Christiani; vt sint hoc, quòd dicuntur (quemadmodum Poëtæ nati dicuntur quidam) sed quòd vocantur, hoc primùm beneficio Dei, tùm & suo simul studio fiunt. *Fiunt, non nascuntur.* O quàm præclarè dictum! Nemo existimet, quòd quis Christianus est, id tale esse, quale quòd filius Principis nascitur, qui absq; omni labore, diligentia sua Princeps, & dominus genitus, simul & sapere, & se talem esse animaduertere incipit. Christianus hoc, quod nomine præfert, fieri suo etiam labore, & studio, & exercitatione operum bonorum debet. Deo vocanti respondere homo, sub docente magistro proficere scientiā discipulus, cum auxilio gratiæ diuinæ fœderari studium industriæ humanæ, cùm cœlo concurrere terra debet. Parùm enim proderit, quòd sint beneuolæ influentiæ cœli, nisi homo eas excipere, & ad vsus suos transferre studeat: Velut vanè laborat agricola, qui semina spargit, quando terra non est culta, & præparata, vt fructus ex eis edere queat.

*Meliora habes de hoc argumento Periochâ V. Dominica II. post Pascha Tomo II. pag. 30. c. 1. 0. & alijs in locis ad finem eiusdem Periocha adscriptis.*

## CAPVT III.

*Vt crudelitatem Timoris cognoscas, satis est scire, quòd mors & pulchra est, si cum illo comparetur, & suauis medicina dolorum, quos ille adfert.*

POstquàm Patriarcha noster, quæcunq; per suam industriam, facultatemq; potuit, fecerat, implorauit subsidium gratiæ Dei, idq; per humilem, ac deuotam orationem, in qua hoc præfatus, quòd ab ipso, quem rogabat, Domino, reuerti in patriam iussus esset, gratam posthæc, gloriosamque commemorationem facit beneficiorum, quæ ab ipso accepisset, atque in his istud seorsim, ac singulariter, quod per eandem viam diues liberorum, & opum nunc rediret, per quam olim solo baculo comitatus aduenisset. Finis demissæ, & ardentis precationis illius talis erat: *Erue me de manu fratris mei Esau, quià valde eum timeo*; Genes. 32. 11.

Dignum certè notatu est, quòd à timore, quem ex fratre conceperat, liberari petijt, non à morte seruari, quam sibi ab illo inferendam metueret, dicens, fratrem timere, non necem, quam ille consciscere posset. Vbi benè ostenditur, ex omnibus animæ passionibus, ex omnibus conflictibus, qui cor angere, ex omnibus pœnis, quæ cruciare pectus possunt, nullam esse timore terribiliorem. Et quanquàm Aristoteles dixit, mortem esse omnium terribilium terribilissimum, ego tamen probatum dabo, timorem esse morte formidabiliorem, atque ità simul conuincam, idq; perspicuè, & euidenter, quòd timor vnus rebus omnibus horribilior est, vt qui mortem etiam superet, quæ maximè alioquin ab omnibus metuitur.

Sanctus Nilus apud Anastasium Nicænum q. 23. ait: *Verè terribile est mortis mysterium, vt etiam ante tormentum sufficiat timor ad cruciatum.* Hinc colligit Nilus, quàm horribilis sit mors, cùm solus eius metus sufficiat ad consternandum, fugandumq; audacissimos quosque. Ad crudelem mortem misero homini sat est ipse mortis vnicus, ac solus timor.

Eam doctrinam sanctus ille fortè acceperat ex quibusdam Beati Pauli Apostoli verbis, quæ hanc sententiam non parùm exaggerant, Heb. 2. v. 15. ait ille, Christum participasse pueris, qui communicauerant carni, & sanguini, *vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Quatuor modis exposuit hunc locum sanctus Ioannes Chrysostomus, ex quibus postremus aptè cadit

dit huc, & ſic ait: *Vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti, quod in perpetuo metu viuerent homines ſemper expectantes ſe morituros, & mortem formidantes, nullius voluptatis ſenſum poterant accipere, cùm hic ſemper eis adeſſet metus. Hoc enim tacitè ſignificat, dicens, Per totam vitam.* Hæc ille. Idcircò ergò dicitur Deus veniſſe, vt vindicaret homines à metu mortis, quo per omnē vitam laborabant, quià priuſquàm ille immensâ ſuâ poteſtate formidabilem mortis ſæuitiem, ac tyrannidem oppreſſiſſet, timor illius homines perpetuus tenebat, qui cùm ictum omniſecæ falcis illius in ſingula momenta opperirentur, eius horrore attoniti, & exanimati nihil guſtare poterant, quod palato gratum eſſet, nihil cogitare, quod animo leuamentum, voluptatemq; aliquam adferret. Hocque voluit dicere Apoſtolus, cùm ait, *Per totam vitam.* Itaq; ſupremi Monarchæ, & potentiſſimi Reges, & animoſiſſimi viri, & venuſtiſſimæ domicellæ, & iucundiſſimus adoleſcens, & elegantiſſimi, ac robuſtiſſimi iuuenes metu mortis iacebant oppreſſi: *Timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.* Vbi cùm Apoſtolus dicere potuiſſet, quòd omnipotens immenſi Domini pietas liberârit homines à morte, voluit Hebræos ſuos arctiùs ſibi deuincire collatione maioris beneficij. Beneficium autem illud fuit, quòd illis hoc bonum nuntium tulit, quòd benigniſſimus Creator non ſolùm à morte illos ſuâ morte liberârat, verùm etiam ab alio tyranno auſteriore, & crudeliore, hoc eſt, à formidine, metuque mortis vindicârat. Hinc ergò colligitur, nullum eſſe tormentum, quod plus cruciet, nullum cruciatum, qui pœnaliùs torqueat, nullum equuleum, qui intolerabiliùs affictet, quàm timor, qui morte alioquin terribiliſſimâ eſt horribilior.

Ex his accipiemus ſenſum quorundam difficilium Tertulliani verborum, qui loquens cum martyribus in carcere iam ſeparatis, atque ad ſupplicium extemplò educendis, ſic aiebat in lib. ad Martyr. c. 2. *Non in loca libidinum publicarum oculi tui impingũt, vacas à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malis, iam & à perſecutione.* Hæc ille, velut vnumquemq; eorum, qui iam iam pœnas ſubituri erant, ità ſeorſim appellaſſet: O te felicem ſacratiſſimi Agoniſtæ athletam, qui iam in carcere ab alijs es ſegregatus! nunc enim oculi tui liberi viuunt à publicis locis, in quibus paſſim obuiæ occurrunt, quæ corpora ſua ad omnem fœdam libidinem circumgeſtant venalia. Per ferrum, quo compeditus es, euaſiſti laqueos, omniaq; fallacis ſæculi irritamenta, & tentamenta. Nulla te nunc rerum præteritarum memoria perturbat. Hæc autem beatitatum tuarum facilè princeps eſt, quòd *iam & à perſecutione* es exemptus. At quomodo vacuus à perſecutione? quomodo ſolutus à pœnis, & tormentis? Remouerunt martyrem carnifices ab alijs, vt in equuleum rapiant, in crucem agant, ad pœnam capitis excipiendam educant, & hic dicitur liber à perſecutione! Immò verò ea, vt videtur, ſanguinolentiſſima eſt perſecutio, quidquid contrà opponi à quoquam poſſit. Præclarè locutus eſt Tertullianus, cuius verba hac paraphraſi illuſtrat interpretum illius doctiſſimus Cerda, dicens: *Adhuc & cares perſecutore, qui iudicis authoritate te quærat, & inquirat, vt in carcerem trahat, qui iam quæſitus es, & tractus in carcerem.* Nullus te iam tyrannus iudex nefarijs miniſtris ſtipatus indagat. Nullæ te perfidorum rhabduchorum voces, nulli atrocium lictorum tumultuarij clamores inſectantur, vt è cauernis, & ſpeluncis, vel ex abſitioribus eremis abripiant, quando certam tibi nunc mortem ſcis conſtitutam, & mortem velut toleraſti, quam indubitatò ſubiturum nôſti. Cùm ergò nulla tibi nunc ſit reliqua via præter eam, quæ ad ſupplicium è carcere, & à vinculis ad tabulatum ducit, nihil reliquum videtur, quod pati debeas. Qui enim in carcere perſiſtit, cùm negando fidem inde liber euadere poſſit, ſatis indicat, optare mori, non timere mortem. Quod ſi ità eſt, vt mortem non metuas, ergò *vacas iam & à perſecutione.* Qui enim mortem intrepidus excipit, non perſecutionem patitur, ſed glorioſum, & dignum immortalitate facinus edit. Vbi ergò timor abeſt, ibi nihil formidabile mors, vel cruciatus aliquis habet, timor enim tormentorum terribiliſſimum eſt, & pœna illius dolore mortis acerbior.

Et ſi vultis videre, quàm hoc ſit verum, perſpicuè id euincam. Si enim demonſtrâro, quòd mors ſit medicina timoris, conſequenter manifeſtè probatum dedero, quòd mors, quanquàm admodùm horribilis, timore, vtpotè cuius vulnera ſanet, minùs ſit formidabilis, cùm etiam nullo alio remedio æquè curari timor, ac morte poſſit.

Vt teſtatum faciam, quod dixi, non poſſum præterire timores Caini, qui poſtquàm illud ſuprà quàm facinoroſum ſcelus fratricidij perpetraſſet, tamque ſanguinarij flagitij ergò à ſupremo Iudice obiurgatus eſſet, aiebat Domino: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me*; Geneſ. 4. 14. Reſpondit autem ei Deus: *Nequaquàm ità fiet, poſuitq; Cain ſignum vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum*;

ibid.

ibid. v. 15. Non paruo astu factum, quòd se Cain ab omni obuio trucidandum dixit, voluit enim hac ratione intelligere, vtrùm illi quisquam ademptu-rus vitam esset, atque ex Domini ore accipere, fu-turumné esset, quod ipse sibi persuaserat. Huic au-tem tam fraudulentæ cogitationi occurrit infinitè sapiens Dominus, inquiens. Mortemné oppetere velles? *Nequaquàm itá fiet.* Immò vt omninò con-trà accidat, ego te signo quodam notabo, & velut quodam priuilegio regio muniam, vt nemo tibi in-ferre necem ausit, nisi qui septupli pœnam luere in vicem velit.

At nonné consultiùs fuisset, si Dominus ad vin-dicandum perfidiosam cædem innocentis Abelis, & sanguinem tam impiè fusum, statim permisisset con-trucidari maledictum, & execrabilem illum aggres-sorem, vt mox etiam videre licuisset, quàm parata est laurus iusto, tam in promptu esse gladium ad ple-ctendam fratricidæ crudelitatem? Quare ergò Dominus pro eo, vt illum quamprimùm ex homi-nibus auferret, longos annos viuere voluit, grauis-simarumq; pœnarum comminatione, & conspicuæ notæ impressione cauit, ne quis illi celeri morte vitam præsentem amputaret?

Philo Iudæus lib. de antiquit. ait: *Rerum huma-narum inspector Deus, vt vidit, auersatus damnauit non præsenti quidem supplicio, quòd confestim ei cala-mitatis sensum adimeret, sed mille mortes intentan-do, vt sentiret alios super alios pauores, & acerbatas molestias, atq; ità dignam pro maleficio pœnam recipe-ret.* Quamprimùm Deus prouidâ, & attentâ vigi-lantiâ suâ conspexit illud immane scelus, & atroci-tatem omni sæuitiâ barbaricâ truculentiorem, se-uerissimum tanto flagitio cruciatum decreuit, non acuens gladium, quo perfidi grassatoris ferocem sanguinem funderet, sed innumeras illi ante mor-tem mortes adornans, timoremque, & tremorē per-fidioso illius cordi, & corpori toti infundens, à quo sic concuteretur, & exagitaretur, vt tanquàm in per-petuis fluctibus positus incessanter iactaretur, & vbique tremulus trepidaret, nullibi quietus degere posset. Hæc est pœna, hoc supplicium, quod iratus Dominus perfido illi reo seruauit, vt nō moreretur, quò moreretur, vt viueret, quò non viueret, vt per omnē vitam, & annos longos pugnaret cum efferata timoris bestia, vt folij strepitus illum exterreret, me-tumq; illi incuteret & fera, quæ in solitudine degit, & quæ per aërem volat auis, & qui eximens vaginâ gladium simulat suspensâ ad terrorem manu ictum, & nulla sit creatura, quæ non illi horrorem adferat, sic vt in omni nube fulmen, in qualibet stella pugi-onem suo exitio paratum formidet, cùmque omnia suspecta habet, suæq; occidioni intenta vanè timet, perpetuò in metu, & pauore amaram vitam ducat. Ea verò maxima pœna, & pœnalissimus cruciatus, & cruciabilissimus dolor, & intolerabilis anxietas fuit. Quando enim Cain quæsiuit mortem, vt con-fanesceret à timote, Dominus illi pro pœna vitam reliquit, vt sub dura timoris seruitute viuens, acer-bissimæ passioni subiaceret. Qui enim in cruce ti-moris patitur, illi nihil reliquum est, quàm vt timeat pati, nam cùm extremos cruciatus iam dependit, non habet alios cruciatus, quos timeat, vt quem suis manibus timor ipse cruciat: *Non præsenti supplicio eum damnauit, quòd confestim ei calamitatis sensum adimeret, sed mille mortes intentando, vt sentiret a-lios super alios pauores, & acerbatas molestias.*

Plurimam S. Petro Chrysologo admirationem attulit quædam Eliæ petitio, qui iram cuiusdam mu-lieris, & reginæ, eiusque grauissimæ infensæ fugiens, & sub vmbra iuniperi requiescéns, postquàm cum sua ipsius vita de negotio communicasset, consen-sumque eius impetrasset, obsecrauit Dominum, vt è viuis ipsum auferret, qui neque fortior neque san-ctior maioribus suis esset, inquiens: *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm patres mei*; 3. Reg. 19. 4 satis est, quòd hanc molestam, & acerbam vitam duxi, quare te oro, & obtestor, vt sub hac arbore, quæ me inumbrat, vitam mihi, si ità expedit, adimas.

Quid est, quod petit sanctus Propheta? Nonné id perspicuum? Mortem rogat. At nonné iamiam fugitiuus eò aduenerat, vt deuitaret mortem? Sic enim habes ibid. v. 3. *Timuit Elias, & surgens abijt, quocunque illum ferebat voluntas.* Misit Iezabel re-gina Eliæ nuntium, qui diceret, certum sibi esse illum exanimalem facere. Vix id audierat Propheta, quando conterritus, & expauefactus expalluit, to-toque animo consternatus, in pedes se coniecit, & per viam, quæsecunque prima oculis obtulit, fugâ dilapsus excessit, euasit, erupit. Qui tantâ celeri-tate mortem declinauit, quomodo nunc mortem tam vehementer exposcit? Vnde illi tam varia intrà tantillum tempus consilia?

S. Petrus Chrysostomus serm. 147. ait: *Elias ille vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat, quam fu-gerat, mortem, meliùs existimans morti succumbere, quàm timori.* Quando mortem vitauit, quam illi furibunda Iezabel minabatur, repræsentabatur illi mors, qualis qualis ex seipsa est, fœda, & terribilis,

vtque sanguinarios, & horribiles,& implacabiles illius vngues euaderet, locum secretum, in quo se defendere posset, inquisiuit. Timorem de facie eousque non viderat. Postquàm autem terribilitatem formidabilis vultus eius rectè arbitrari cœpit, iam mors cum illo comparata non ei fœda, & horrenda, sed elegans, & expetenda videbatur, quam proinde ad sese inuitabat, & aduocabat, tam vehementer faciem timoris cohorruerat: *Meliùs existimans morti succumbere, quàm timori.* Hinc æstimate, quàm sit crudelis passio timoris,quàm intolerabilis illius cruciatus, cuius tam est informis,& terribilis species,vt mors alioquin squalida, sordida, fœda, funesta, si cum timore conferatur, formosa videatur, & venusta.

Eapropter Docta Heloissa scribens charo suo Abailardo, epist. 7. aiebat: *Omne ineuitabile, quod cùm acciderit, mœrorem maximum secum infert, vt subitò veniat, optandum est, ne timore diu ante cruciet, cui nullâ succurri prouidentiâ potest.* Malum nempè, quod ante timemus, quàm accidit, peius, deteriusque, & perniciabilius est interim,quàm cùm euenit. Damnum ergo, quod necessariò subeundum,eò minus noxium erit, quo minor illius metus, aut prorsùm non erit incommodum, si non fuerit malo timoris coniunctum.

Inter cætera monita, quæ Dominus Discipulis suis dedit, quando eos titulo Prædicatorum insignitos ad euulgandum Euangelium emisit, præcipuum quoddam illud fuit, vt hospites suos tali verborum formulâ salutarent: *Pax huic domui*; Matth.10.12. Vt hilariter, hospitaliterq; susciperentur Apostoli, plurimùm referebat, vt pacem, tranquillitatem, quietem precarentur his, ad quos diuerterent. An parum fortè fuit, quòd talia dicerent, & optarent? Immò res maxima fuit, quòd talia suis hospitibus cupiebant, inquit Paulus de Palatio in c. 10. Matth. subdens: *Id si expendas quantum sit, fateberis nihil in tota vita praclarius esse.* Optabilior, gratior,magisque salutaris salutatio nulla, quàm eius, qui pacem precatur. Pax contrariatur bello, bellum plenum est timore, tumultuatione, perturbatione, curis. Optare ergo domui alicui, vt sit extrà omnem timorem, absque vlla perturbatione, inquiete, anxietate, est precari illi omnia simul bona, pace namque excluditur timor, in quo tanquàm in cumulo quodam sunt omnia mala collecta. *Ego quidem potiùs vellem non turbari, nec formidare, quàm omnia regna*, inquit idem autor. Et quisq; vel parùm prudens mauolet tranquillam in paupertate vitam agere, quàm totius mundi imperium cum pensione varij timoris tenere. Vt videatis, quàm sit terribilis crux, quàm crudelis equuleus timoris, quocum nemo rex, aut monarcha esse velit, quantumuis homo amet imperare, & dominari, quià melior est conditio mancipij quiete gaudentis, quàm Principis in metu degentis, & timore vexati. Cogitate quàm horrenda & sæua sit illa passio. Cùm enim homo à natura vehementer defugiat mortem,contremiscatque, cùm eius qualecunque periculum imminet, & turpissimus sit illius vultus, si tamen ex aduerso timoris eam constituas, pulchra, & grata eius species videbitur, vt cuius fœditate horribilitas timoris curatur.

*Hinc est, quòd mundus perire maluit, quàm timere*, inquit rursùm S. Petrus Chrysolog. serm. 147. Tam fœdâ facie est timor, vt mundus videns hinc illius horribilitatem, indè mortis terribilitatem, mortem præ timore eligendum putârit. Et quando vnum malum, quod est magnum, eò vertitur, vt sit medicina mali alterius, cogitate, si potestis,quàm ingens sit hoc malum timoris ad quod euitandum, fugiendum, curandúm, aliud malum, idque tam atrox, & crudele, quàm est mortis, arripitur.

Secundùm hæc quid mirum,quòd Patriarcha noster tam humiles, ardentesque ad Deum preces fudit, vt per illum liberaretur à violentis infensi fratris sui manibus, de quo fatebatur, quòd vehementer illùm formidaret? *Quià valde eum timeo.* Nulla quippè est animæ passio,quæ pœnaliùs affligat,quæque crudeliùs anxiet, & acerbiùs afficiat, quàm timor.

## CAPVT IV.

*Species, splendor, & existimatio rei non tam in substantia illius, quàm in modo, quo fit, consistit.*

POst absolutam orationem, post imploratam humili, & affectuosâ oratione opem Dei, post adhibita media præcipua statim conuertit se cordatus, & prudens Patriarcha noster ad humana, adornans pro fratre suo demerendo diues, & pulchrè concinnatum munus. Misit autem illi capras, oues, arietes, camelos, vaccas, tauros, asinas cum suis pullis, sed ità vt horum pecorum singulæ species seorsim, aliæque ab alijs separatæ, ordine quodam irent. *Antecedite me, & sit spatium inter gregem, & gregem*, aiebat famulis suis, Genes. 32. 16. Vbi cum aliquibus Interpretibus inquit Oleaster: *Nouit sanctus vir munus suum decorare, vt maius appareret*, sciuit ità digerere illam gregum suorum partem, quam

fratri

fratri suo munus destinârat, vt ordo illi maiorem quandam aspectabilitatem, & amplitudinem adferre videretur. Docuit nos eâ actione, quanti referat ordinatè res suas instituere, & distribuere. Nam quamuis munus Iacobtis per se magnificum, & sumptuosum esset, modus tamen, quo disposuit, maiorem illi splendorem, & speciem illustriorem addidit. Si pecora omnia (tametsi penè sexcenta essent) turmatim, ac promiscuè per viam iuissent, vix sexaginta visa fuissent: Cùm autem sic ducerentur, vt species singulæ peculiarem facerent congregationem, multò plura, quàm erant, de aspectu arbitraretur fuisset, quisquis ea è loco paulò abstitiore vidisset. Reuerà enim splendor, & species rei nonnunquàm non tam in eius substantia, quàm in modo, quo fit, siue ordine, quo disponitur, consistit.

Exhortatur nos diuinus Magister, vt ferro ieiunij succidamus vitiatas radices, & malas cupiditates liberioris carnis nostræ, inquiens: *Cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans*; Matth. 6. 17. 18. quasi dixisset: Si vis optatum ex ieiunio referre meritum, caue imiteris hypocritas, qui magnam simulant vultu tristitiam, cùm diem aliquem impasti transmiserunt, vt ex deiectis oculis, & pallida facie inediam eorum legere possit, quisquis illos videt. Noli hos inanis ventris sui vanos ostentatores imitari, sed vnge potiùs caput tuum, vt illâ exteriori specie obnubas abstinentiam tuam, eâdemque operâ fores & vanæ gloriæ clausas, & apertas relinquas Patri æterno, qui inde è suorum penetralium recessu te spectat, ieiuniumque tuum remunerabit, & lauro abstinentiam donabit.

Innocentius III. in serm. Fer. IV. Cinerum ait: *Quià Deus magis attendit modum in facto, quàm factum in modo, magisque considerat quomodo aliquid fiat, ipse nos instruit, quomodo ieiunare debeamus*, vt ieiunium nostrum sit ipsi gratum, & nobis fructuosum, ac meritorium. Itaque non totum actionis momentum in substantia illius positum, sed modus, & ordo, & ratio, quâ fit, sua illi addit pondera, quibus destituta sæpè parùm probatur Deo, qui *magis attendit modum in facto, quàm factum in modo*. Nam rebus spiritualibus, quæ ex suo genere sunt bonæ, si modus suus desit, omnia paulatim desunt. Non satis est ieiunare, dare eleemosynam, corpus flagris exarare, longam orationi operam dare, & his similia facere, hæc enim suum requirunt modum, temporisque, ac loci occasionem certam ità exposcunt, vt inania sint, quando ijs destituta.

Dignum notatu est vaferrimum artificium, quod versutus dæmon adhibuit, quando potestate à Domino concessa vti voluit ad expugnandum animum sancti Iobtis, & inuictæ patientiæ eius murum adamantinum deijciendum. Greges pecorum primo loco aggressus, statim ferro omnia extinxit, hoc est, boues, qui aratrum ductabant, & asinas, quæ iuxtà eos pascebantur, & non contentus eam fecisse stragem, pastores etiã contrucidauit. Ferebat hoc nuntium sancto Iob famulus quidam, & nondum totam verbis exposuerat cladem, quando alter anhelus appetijt, & dixit, fulmine tactas oues omnes cum suis custodibus conflagrasse. Etiam iste totum adhuc non edixerat damnum, ecce alium, qui narrabat, tres Chaldæorum turmas incursionem fecisse in camelos, & hos quidem secum abstulisse, seruos autem obtruncasse gladio. Ac ne hic quidem sermonem finierat, quando alius ingressus, funestissimam, & luctuosissimam omnium, quotquot mundus aliquando vidit, cœpit narrare tragœdiam, sic ferè inquiens: Filij tui, ac filiæ omnes simul accumbebant in domo fratris sui maioris natu, dùmque conuescerentur, neque tam lautis epulis, quàm dulcibus colloquijs, & festiuis gaudijs mutuò amanter oblectarent, vehemens inopinatò ventus à regione deserti irruit, domumque à quatuor angulis concutiens euertit, & solo æquauit, & fatale liberorum tuorum omnium vnum monumentum fecit! *Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt*; Iob 1. 18. 19.

Audiamus Sancti Gregorij hac de re commentationem, Interpretis, quo præstantiorem sancti, & patientissimi Iobtis liber non habuit alium. Prolixior est illius expositio, quàm hunc adferam, sed faciet illius subtilitas, vt ne sit vobis molesta. *Intuendum est*, inquit ille lib. 2. Moral. cap. 8. *quàm callidè curauit hostis antiquus non tam iacturâ rerum sancti viri patientiam rumpere, quàm ipso ordine nuntiorum, qui studens priùs parua, & postmodùm nuntiare maiora, in extremo filiorum mortem intulit, ne vilia pater rei familiaris damna duceret si illa iam orbatus audiret, & minùs percuteret rerum amissio, praecognitâ morte filiorum, quia videlicet nulla esset hæreditas, si illos priùs subtraheret, qui seruabantur hæredes, sed à minimis incipiens in vltimum grauiora nuntiauit, vt dùm gradatim deteriora cognosceret, in eius corde doloris locum omne vulnus inueniret.* Ampla facultas

cultas concessa erat dæmoni, graue habebat sub manibus negotium, idque cum multis impedimentis coniunctum. Vt ne opus, quod machinabatur, minùs feliciter illi caderet, voluit (quæ ipsius versutia erat) sic illud adornare, & ordinare, vt modi ac dispositionis momenta paria essent illius substantiæ ponderibus. Itaque quæ leuiora, & tenuiora erant, ea ante omnia perdere cœpit; posthæc autem maioribus perniciem, ac postremò necem liberis intulit, qui sancto patienti omnibus opum copijs facilè antiquiores, ipsis etiam visceribus longè chariores erant. Hâc re fraudulentam vafræ sagacitatis suæ industriam vetaratorius nebulo prodidit. Nam si primo loco internecionem dilectæ sobolis illi denuntiasset, nullum doloris sensum ex iactura rerum cæterarum percepisset, idque non solùm quià fortunæ bona cum liberis comparata minùs aliquid illi erant, quàm exiguus lapillus cum vasto monte compositus, vt proinde tam dulcium pignorum domus ruinâ oppressorum, & extinctorum inauspicato nuntio perculsus, nuntia rerum aliarum ablatarum, velut insensibilis ex priore factus, percipere non posset, verùm etiam quià hæredibus fato sublatis, parùm, ac penitissimè nihil erat habere hæreditatem. Vt ergo sancti Patriarchæ animo suum singuli ictùs peculiarem inferrent dolorem, primùm sclopos minores tenuioribus glandibus oneratos in illum explosit, & posthæc grauiores globos ex tormentis maioribus in eum effulminauit: *A minimis incipiens in vltimum grauiora nuntiauit, vt dùm gradatim deteriora cognosceret, in eius corde doloris locum omne vulnus inueniret.* O quàm callidè versipellis, & execrabilis hic hostis aciem suam instruxit! quàm artificiosè turmas suas digessit! quàm dolosè machinas suas explosit, quas eo astu exonerauit, vt nullus ei de toto numero globus perierit! Quanto rhetorices artificio ad pugnam vsus fuit! nam à minoribus ad maiora paulatim ascendens, ità sua per singulos gradus collocauit tormenta, vt quæque peculiarem saucio cordi inferrent cruciatum. Si grauiora primùm intellexisset sanctus Patriarcha, leuiora deinceps tulisset leuiùs, solet enim ictus acrioris dolor sensum leuioris vulneris opprimere. Nonné videtis, quòd & ipse dæmon suo exemplo nobis prædicat, vt opus quodlibet tale sit, quale expetisse potest ipse, qui facit, non tam in eo positum esse, quod fiat, quàm in eo, quòd debito modo, recto ordine, ac singulari artis industriâ fiat? Modus, ars, ordo sunt velut substantia operis, prosperique illius successus.

Nisi ità esset, nunquàm Flauius Vegetius tanto-perè commendaret curam rectè ordinandi, instruendi, digerendi exercitus, qui lib. 3. cap. 14. sic ait: *Hæc in pugna publica, si sapienter disponitur, plurimùm iuuat, si imperitè, quãuis optimi bellatores sint, malâ ordinatione franguntur.* Non consistit magnitudo exercitus in conferta peditum multitudine, neque in grandi turmarum equestrium numero, neque in armorum, cæterique apparatus bellici copia, nisi hæc omnia prudenter disponantur, & ritè ordinentur: Nam si iusta ordinatio desit, vastissimus, & splendidissimus exercitus suis ipse manibus conficitur, & à seipso consumitur. Econtrà quanquàm parua sit manus peditum, equitum exiguus numerus, armorum apparatus non magnus; si tamen omnia ex arte militari rectè, atque vt æquum est, instituantur, ac disponantur; exercitum indigestum, & inordinatum, quamuis frequentissimum, & copiosissimum, indubitatò superabunt, & fundent. Huius rei habemus tam crebra exempla, quàm experimenta. Benè itaque diximus, non satis esse aliquid facere, si modus, ordo, & iusta ratio operis prætermittatur.

Veritus Sanctus Isaac, ne imparatum illum dies vitæ supremus occuparet, sciensque quàm fragili basi ruinosum vitæ nostræ ædificium niteretur; aduocauit filium suum Esau, vt illum suorum priuilegiorum, immunitatumque hæredem pronuntiaret, iussitque vt antè cibos adferret, quàm referret benedictionem. Subaudijt hæc Rebecca; optansque hanc à Iacobte suo præoccupari benedictionem, de re ista, deq; toto patris proposito cum illo communicauit, imperauitque ire, & duos hædos pinguissimorum optimissimos adducere, ex quibus patri ipsa quidem conficeret, ille verò adferret gratum ferculum, sperans eum tum hâc ratione, tum reliquo artificio posse adducere, vt Iacobtem benedictione, & quæ cum illa coniunctæ erant, immunitatibus donaret: *Affer mihi duos hædos optimos; vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur;* aiebat illa Gen. 27. 9.

Eruditus, & eloquens Pererius in hanc rem sic inquit: *Appositè porrò, & circumspectè diuina Scriptura in hac narratione illud posuit, Vt* faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur, *& paulò infrà,* Parauit illi cibos, sicut velle nouerat patrem illius.

Quamobrem verò hoc sacræ literæ monendum putârunt; Eam ob rem, vt videamus, quantum sit modi momentum in rebus, quantique referat opus maturè, debitè, decenterque confecisse. Nequicquam enim Rebecca tantùm operæ, ac diligentiæ in

coquendis, & condiendis illis hœdis collocasset, nisi eo modo etiam præparasset, vt eis cum voluptate senex, & imbecillus maritus vesceretur: *Non enim satis est delicatum, & optimum esse cibum, nisi accommodatè ad gustum eius, cui apponendus est, & coctus & conditus sit. Festiuè enim quidam poëta dixit, solam artem non esse satis coquo; sed potissimùm seruire debere palato domini, atque eius quasi gustum, & palatum habere ipsum oportere.* Hæc item ad superiora Pererius. Voluit ergo Scriptor sacer hanc non prætetire minutiam, quòd Rebecca cibos marito suo adornauit sic, vt eius palato gratos fore longo experimento didicerat, vt nos doceret non tantùm in re, quæ fit, sed in modo, quo fit, aliquàmmultùm esse positum, parum enim facit lautitia cibi, nisi saporem eius amet ille, qui est comesturus, & conditura sæpè facit, vt cibus alioquin tenuis, & vulgaris, ac nihili, acceptior sit palato, quàm alius quilibet quantumuis opiparus, & exquisitus. Modus denique est, qui rebus, & actionibus ornamenta, splendorem, admirationem adfert; quod insignis Honcala in cap. 33. Genes. his verbis affirmat: *Ordo commodus & rebus, & actis appositus non modò spectantium oculos capit; & oblectat, sed etiam res ipsas seruat, augetque.*

Hæc est commoda Politico nostro doctrina, ex qua illud accipiet, vt res suas, & opera, quantùm fieri potest, rectè ordinet, & concinno modo disponat, si vult ea honestum habere, & laudabilem splendorem. Habet enim ordo nescio quid illud, vt rebus & ornatum, & magnitudinem, & pretium, admirationemque addat. Non est prolixus sermo, qui ex multis conceptibus conflatus, si ij non sint ritè dispositi. Decedit sua conuiuio alioquin sumptuoso magnificentia, si fercula non sunt decenter ordinata. Obscurat altaris quantumuis pretiosa, & opulenta ornamenta malè digestæ sacræ supellectilis apparatus. Tenebras offundit libro, licèt pereruditо, rerum confusa moles, & prætermissa iustæ collocationis ratio; & inconcinna structura. Videmus namque homines exilis doctrinæ exiguis alis instructos euolare altiùs vulgaribus suis scriptis, quàm alios oppidò eruditiores, qui methodi, & rectæ dispositionis fuerunt negligentes. Denique vt sunt nauseabundi huius ætatis homines, ità illis modus operis debet esse substantia; quanquàm modus exiguæ sit substantiæ, & parui ponderis. Omne punctum tamen tulit, qui bona benè, aptè, ordinatè, concinnè elaborauit.

# CAPVT V.

*Illud solùm inexpugnabile videtur, quod potens munerum, siue donorum tyrannis non occupauit.*

APeruit sanctus Patriarcha noster suum propositum, inquiens: *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum;* Gen. 32. 20. Cùm suspicer fratrem meum in hunc diem vsq; mihi iratum, & infensum, remedium excogitaui, quo ardorem animi illius mitigare, & placare furorem cordis queam. Muneribus voluntatem illius quantumuis alienam facilè reconciliabo, efficiamque vt tutò, & securè illum conuenire possim. Quod nostra vulgata versio habet, *Placabo illum muneribus*, hoc alij (vt alibi etiam monuimus) ex Hebræo transtulerunt: *Operiam faciem eius velamine*, oblato munere, quasi oppanso linteo oculos eius obnubam, vt inuehi in me, quantumuis furor suadeat, non valeat. Cicurabo efferatum illius animum, & perdomabo rabiem. Oleaster ait: *Videat ipse priùs munus, quàm ego faciem eius, vt munus faciem leniat ad aspectum meum, ne in me malum, quod sibi intuli, videat, seu videat oculis muneris me, non suis; qui enim munera accipiunt, vident per munera, non oculis suis.* O quàm diuina sententia! quàm apta ad demonstrandum, quàm ingens sit munerum tyrannica potestas, quanta sit donorum ad subigendum, & expugnandum vis, & efficacitas! *Qui munera*, inquit, *accipiunt, vident per munera, non oculis suis.* Videtur metaphorâ vsus sumptâ ab eis, qui vtuntur conspicilijs diuersorum colorum, quibus omnia cærulea, aut viridia videntur, & eo colore tincta, quo conspicilia sunt imbuta. Ità qui dona admittit seu pecuniaria, siue alia quæcunque, quidquid per illa cernit, de eorum colore, & specie arbitratur omnia, neque aliud fieri posse putat, quàm quod oblata munera postulant, siue imperant. Nec enim vel arx est, quam illa non expugnent, vel mons, quem non complanent, vel difficultas, quam non superatu facilem reddant.

Balac filius Sephor, vt liber Numerorum refert, cùm intellexisset quantæ essent vires filiorum Israël, quamque insignia facinora edidissent per omnem viam, quâ venerant, veritus ne regnum ipsius vastarent, & occuparent, decreuit seniores populi sui ablegare ad Balaam, vt malediceret Isrëelitis, sicque à regno Moabitarum malum omne propulsaret. Abierunt ergo primores Moabitarum ad Balaam ariolum cum auro, & argento, pro quo inimicum populum anathemate percelleret, exitiumque à pa-

tria omne auerteret. *Perrexerunt seniores Moab, & maiores natu Madian, habentes diuinationis pretium in manibus*; Num. 22. 7.

Notandum hic, quòd litera originalis, LXX. Interpretes, Origenes, S. Augustinus, & alij non legunt, *Diuinationis pretium*, sed absolutè, *Diuinationes*, tanquàm has in manibus suis attulissent. Sed quare Hebræus, & LXX. prætermiserunt, vt videtur, illud *Pretium*, & absolutè affirmârunt, seniores illos in manibus attulisse maledictionem, quam expetitum veniebant? Id fecerunt, vt vim, efficacitatemque auri declararent, & quanta sit expugnandi virtus in muneribus, aperirent. Et quod illi de hac re pronuntiârunt, perinde fuit, ac si dixissent: Nonné Seniores illi ferebant aurum? Ferebant. Dici ergo de ijsdem absolutè potest, contulisse secum execrationem, quam desiderabant, & rem totam ex voto confecisse. Facilè namq; erat diuinare, quòd Propheta malus diuinaturus esset, quidquid illi vellent, cùm aurum, argentum, talesque causæ patronos adducerent. Præferre enim aurum manibus, & feliciter confecisse negotium, tandundem est. Qui ergo aliquid ambiens, auro ad procurandum vtitur, certò sibi potest promittere officium, quod prensat, manus enim, quæ fert dona, ipsa sibi suam ex suis muneribus augurari felicitatem potest, indubitatòque consequetur, quod cupit.

Hinc Lucianus apud doctissimum, & nobilissimum Iurisconsultum Ioannem Baptistam de la Rea in lib. nouar. decisionum Granat. disp. 12. num. 62. aiebat, *monetam æqualem cum incantationibus vim obtinere*. Immò merum fascinum est, ità omnia apud homines & facit, & obtinet. Quando rem aliquam exoletam, raram, insolentemque videmus, dicere amamus, *Parece cosa de encanto*, hoc est, *Incantamentum videtur*, es siehet einem Hexenwerck gleich. Ad hunc modum dicit Lucianus de pecunia, *æqualem cum incantationibus vim obtinere*: Tam magna enim sunt, quæ efficit, tam admiranda, quæ impetrat, tam rara, & inaudita, quæ operatur, vt fascino vti ad res suas videatur. Pecunia dat alas abiectissimo, ingenium stultissimo, iustitiam iniquissimo, nobilitatem vilissimo, existimationem propudiosissimo, celebritatem infamissimo. Denique vt ille ait:

*Et genus, & formam regina pecunia donat.*

Et quid hoc? Nonné res incantamento similis est, quòd qui pridie nundinator erat, postridie vi numorum in nobilibus recenseatur, & qui heri ad mensuram, & pondus suas merces vendebat, hodie equis, & curru circumferatur, famulis, quantum Princeps aliquis, stipatus? Quis talium fascinorum autor? quis structor incantationum? Pecunia, quæ omnia vincit, & lites omnes componit, incantamentaq; eiusmodi, & admiranda sine numero alia facit.

Funebre panegyricon rex Propheta exequijs intimi amici sui Ionathæ adornabat, interque varia elogia hoc etiam numerauit, quòd tanta fuerit illius iaculandi dexteritas, & peritia, vt nullum vnquàm vano iactu exploserit telum: *Sagitta Ionathæ nunquàm redijt retrorsùm*, aiebat 2. Reg. 1. 22. Quanta vis brachij, quanta lacertorum aptitudo, & facilitas fuit, qui nunquàm iaculati sunt, quin collineârint, nunquàm exploserunt sagittam, quin feliciter perlatæ sint in illum, quem sauciandum propositum habebant! Hugo Cardinalis ait, Ionathæ tela nunquàm redijsse retrò, eò quod chalybeam cuspidem, eamque semper exacutam habuerint, ac propterea fixa hæsisse loco, in quem ab arcu fuerint emissa, tametsi ærata lorica, fortissimumque scutum esset, in quod dirigerentur: *Sagitta Ionathæ nunquàm redijt retrorsùm, acuta enim sagitta non abit retrorsùm, obtusa autem retrorsùm abit, quià non infigitur*, inquit ille in cap. 1. lib. 2. Regum.

Quid sensu morali significat nobis Ionathas, ille tam peritus iaculandi, cui de mille sagittis, quas contento arcu explosit, nulla à scopo aberrauit, nulla suum iaculatorem fraudauit optatis?

Hugoni Cardinali, Guilielmo Ebroicensi, Sancti Pagnino, Antonio Ricciardo, & alijs Hebraizantibus *Ionathas* idem est, quod *Columba dans*. Hinc iam intellexeritis mysterium, quamobrem sagitta Ionathæ non redijsse retrorsùm dicatur. Causa itaque illius dicti mystica hæc est. Nulla è scopo resilijt sagitta *Ionathæ*, nullum inaniter emissum est telum *columbæ dantis*, quià quantumuis sit quisquam columbinus, simplex, indoctus, si tamen armatus sit muneribus, quæ dare possit, ac velit, fit eloquens, & facundus, & linguâ aureâ, atque argenteâ fit ad persuadendum quiduis efficacior, quàm Cicerones, aut Demosthenes vlli fuerunt, quique loricam argenteam vestit, & lanceam auream ad pugnam adfert, ille certò expugnabit, quamuis alioquin pusillanima, & infirmis viribus sit columba.

Tale quidpiam diu ante nos dixit de antipapa Cadaloo, qui sibi Honorij II. titulum assumpserat, S. Petrus Damianus lib. 1. epist. 21. inquiens: *Ducis post te castra, auro potius armata, quàm ferro, & sic numi proferuntur è loculis, tanquàm gladij vibrentur è thecis. Phalanges planè, quæ te sequuntur, ad tua signa militia, non tam litui buccina, vel tuba clan-*

*gor*

*gor excitat, quàm vena metalli vibrantis inuitat. Habens enim (vt aiunt rustici) pugillum aureum frangis murum ferreum*; velut pluribus dixisset: Iactas te insolenter, ô papa intruse, de numerosa hominum turba, quæ te sequatur, iactas de plurimorum animis, quos occupaueris, de voluntatibus, quas subegeris, & à sua sententia ad tui arbitrij partes transtuleris. Facilè adducor, vt credam ità esse, cùm exercitu vteris aureo, & argenteo, & aurum tuæ thecæ promant, velut pharetræ tela, & argentum tuæ manus vibrent, vt sagittas arcus iacit. Nihil mirum, quòd tam est frequens hominum ad tua castra concursatio, quæ cùm auro tantùm ad omne negotium vtantur, nunquàm pugnant, quin expugnent. Non litui clangor, sed auri fulgor militaris tibi copias conflat, & *habens pugillum aureum frangis murum ferreum*. Quid magnum ergò, quòd *Ionatha*, hoc est, *Columba dantis* nulla retrorsùm sagitta redijt? Nam cùm telorum cuspides sunt aureæ, nunquàm vacuo feruntur iactu, quin attingant, & feriant, in quem collimant.

Non possum non huc accersere testem Ecclesiasticum, cuius quàm est peruulgatum, tam crebro experimento comprobatum hac de re effatum, quod pulchris Interpretum annotamentis exornatum dabo. Ille c. 20. v. 31. sic habet: *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum*. Præcipuus huius sententiæ vigor positus est in his verbis extremis, *Quasi mutus in ore auertit correptiones eorum*, quæ nonnullam habent difficultatem. Quid *mutus* hoc in loco significet, id obscurum, & dubium. Multi aiunt, pro hoc vocabulo esse apud Græcos *Frenum, capistrum, camum*, itaq; sic posse reddi verba superiora: *Et quasi capistrum auertit correptiones eorum*; quorum hic sit sensus, munera, siue dona hoc efficere apud homines, quod apud bestias cami, frena, capistra. Quis ferocem cicurare equum posset, nisi freni ope adiutus? Immanissimum bubalum iniectus naribus annulus ferreus perdomat, vt capistrum caballos. Laqueus auem pernicissimè auolare solitam retinet, & fugacissimos pisces rete cohibet. Mordacissimos, & indomitissimos calcitrones camus coërcet. Atque vt noster Hispanus Mars, & diuinus Apostolus Iacobus c. 3. v. 7. ait, *Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana*. Quod ergò frænum bruto, quod capistrum equo, hoc barbaris, & agrestibus iudicibus aurum, argentum, munera. Ad hunc sensum legit ea verba Sanctus Hieronymus, inquiens: *Munera excæcant oculos etiam sapientum, & quasi frenum in ore auertunt increpationes.* Itaque dicere possumus, quod iudices, qui suscipiunt munera, sunt bestiæ doctæ admittere frænos. Facillimè namque ephippium, & capistrum excipit, & in omnem partem inflecti permittit iudex, qui dona admittit, muneribusque dat manus.

Nicolao Lyrano, Dionysio Carthusiano, & alijs significatum huius nominis, *Mutus*, est quoddam genus ranarum, quæ iniectæ ori atrocissimi, & immanissimi canis, illum mutum reddunt, vt docent Strabo, Sanctus Isidorus, Vincentius Beluacensis, & alij, qui de proprietatibus animalium scripserunt. Lyranus sic ait: *Est autem mutus quadam species ranæ, quæ proiecta in os canis facit eum tacentem, & non potentem latrare. Sic xenium datum pro subuersione iustitiæ facit iudicem tacere, & à punitione mali cessare.* Tametsi Rhadamantus quidam alioquin sit, & tenacissimus recti iudex, & vocalissimus canis, qui omnem magnis clamoribus allatret iniquitatem, si tamen ore ranam, manibus dona excipiat, obmutescet, conniuebit, dissimulabit, & ab æquo deflectet.

Notandum prætereà quid de huiusmodi ranis dicat Beatus Albertus Magnus, cuius sunt ista ex lib. 26. de animalibus: *Si ranæ ossiculum in vas aquæ feruens injiciatur, deferuescat aqua, nec amplius bulliet.* Videte hîc, quid apud iudices faciant munera, inquit Ecclesiasticus, nempè quòd apud feruentissimam aquam ossiculum ranæ. Videas iudicē toto animo inflammatum aduersùs reum minari illi publicum dedecus, triremes, flagra, patibulum, gladium, crurifragium, rotam. Bulliens olla est, cui si ossiculum ranæ injiciatur, hoc est, aurum propinetur, remittit illius feruor, mitescit furor, silent minæ, intepescit, & prorsùm conglaciat illud paulò antè tam ardens pectus. *Sic xenium facit iudicem tacere, & à punitione mali cessare.* Quisquis iudex amat videre, & accipere dona, non ille inferre flagra iubet, non secari in frusta maleficos imperat, tanquàm hoc esset falsam cudere monetam. Quis talis est, ille iam extenuat scelera, iam pondera flagitiorum facit leuiora, iam legem interpretatur, tanquàm ad illa piacula non pertineat. Sed quî hoc? Quoniam *qui munera accipiunt*, vt dicebat Oleaster, *vident per munera, non oculis suis.* Ossiculum ranæ, loculi, volo dicere, auro farti feruorem iustitiæ mitigant, rigorem disciplinæ frangunt, studium, & amorem obseruantiæ legum extinguunt, & cùm iudex perspicilijs vtatur aureis, erratum rei videtur illi aurum, sicque ex iudice, &

fiscali

fiscali patronus, & aduocatus. O inexplicabilem auri potentiam! O vim argenti semper triumphatricem!

Mihi videtur huc allusisse idem Siracides, cùm ait: *Repromissio nequissima perdidit multos dirigentes, & commouit illos quasi fluctus maris*; Eccli. 29. 24.

Explicat hunc locum Doctus Geneseos Interpres Benedictus Fernandius, inquiens, hoc efficere dona in cordibus humanis, quòd fluctus in his, qui nauigant. Romam orbis caput, & fidei Catholicæ principem sedem nauis secundo vento petit, cùm ecce densantur nubes, exurgunt venti aduersi, concitantur fluctus, & miseram in Algiriæ, Mahometanorum sentinæ litus inopinatò conijciunt triremem. Videte hîc quid faciant munera. Habet quidam iudex plenam notitiam causæ, quæ apud illum agitatur, scit quàm iustum sit quod pauper, & egenus nonnemo litigans petit, & certò nouit, debitissimum esse illi, quod postulat. Prospero vento vtitur hic iudex, & vehitur, quò iustitia vocat. Fit tamen, vt pars contraria, illa diues, & opulenta intelligat quò iudex tendat. Donis itaque illum appetit, pertentat muneribus. Sic exurgunt fluctus auro commoti, & venti argento suscitati sese obijciunt, & ex vtroque nata tempestas abreptum à recto iustitiæ itinere aliò abducit: *Et commouit illos quasi fluctus maris*. Nulla est tam vasta nauis, hoc est, nullus tam amans æqui iudex, quem tempestas auri, & argenti fluctus non vel prorsùm euertant, vel certè in certum, & præsentaneum naufragij seu violandæ iustitiæ periculum conijciant.

Audiamus huius conceptus parentem illa suis verbis dicentem. *En quid repromissio, quid munera tandem efficiant. Rectus erat, & integer iudex; sic prosperum cursum tenebat. At ex aduerso nescio quis aut grandem pecuniam promittens, aut pretiosa mittens munera, bone Deus quàm periculosam excitauit procellam, quâ vehementer iudicis animus repercussus, fracto demùm integritatis, & constantiæ rigore in fœdum iniustitiæ barathrum impactus hæsit!* Tale quidpiam possumus affirmare etiam de nonnullis honestis viduis, circumspectis virginibus, & castis maritatis. Quot sunt, & fuerunt, quæ cùm diu per tranquillum mare felici cursu ad cœlestem ferebantur patriam, demùm promissorum, siue oblatorum munerum tempestate iactatæ naufragium pudicitiæ fecerunt, & castitatis?

S. Sidonius Apollinaris de quibusdam, qui leones in tribunalibus sunt, lepores in conflictibus, sic ait lib. 5. epist. 2. *Quorum si nares afflauerit vspiam rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illic & oculos Argi, & manus Briareæ, & Sphingarum vngues, & Vlyssis argutias, & periuria Laomedontis, & Sinonis fallacias adhiberi.* Sunt iudices thrasones, qui se Rhadamantes, Æacos, Minoës, seuerissimos æquitatis exactores iactant, & oculorum perspicaciâ Argum, multitudine manuum Briaræum, perfidiâ Laomedontem, offucijs, & præstigijs Vlyssem, improbitate sceleratissimum quemque superare incipiunt, mox vbi oculos etiam mucosos, oblisosque dùm nummis infartos subolfaciunt. Tanta est euertendi, & peruertendi vis in auro, tanta expugnandi, ac subigendi potestas in argento, vt Argo oculatiorem, aquilâ velociorem faciat etiam procul positi marsupij sola ostensio eum, qui nec oculos habebat, quibus iustitiam videret, nec alas, quibus sese moueret. Deus bone quot se offerunt textus, leges, canones, rationes ijs iurisperitis, quibus clientes munera offerunt! Quàm citò rigorem iudicis lenit, qui ei manus palliidi auro inungit! & inflammatum irâ quàm facilè nitidum argenti vnguentum sanat! Et quanquàm ità plurimùm fiat, non tamen negauero esse iudices, Principes, Dominos, coniugatos, viduas, virgines, præsides, quos non subigant dona, non expugnent auri, argentique munera. Sed ingens reuerà periculum adferunt animis etiam æreis, & chalybeis, & adamantinis aurei, & argentei arietes, vt propterea tam vehementer & Spiritus sanctus moneat, & sacri Doctores suadeant non admittere dona, non suscipere munera, quæ tam facilè peruertant, & cœcent, & subijciant homines qualescunque illos.

Nisi ità esset, non diceret S. Petrus Chrysologus serm. 126. de mammona, & pecunia, quòd *imperat Gentibus, iubet Regnis, bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, prodit patrias, vrbes destruit, vexat ciues, foro præsidet, ius delet, fas nefasque confundit, fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, pietatem sepelit, necessitudinem subruit. Et quid plura? Hoc est mammona, Dominus iniquitatis, qui iniquè humanis & corporibus dominatur, & mentibus.* Quis crederet numorum marsupium esse equum Troianum, vnde tanta malorum penè omnium examina progrediuntur, nisi vir tantus tam apertè affirmaret?

Dominus ergo per infinitam suam misericordiam Politicum nostrum à tam potente tyranno liberum seruet, idq; in omni statu, quemcunque teneat. Fugiat autem ipsus omni studio non solùm munera ipsa, verùm etiam omnem illorum aspectum, & odorem, qui

qui pestem adfert, non secùs atq; contagio infectus aër solet. Magni refert declinare illa, quæ Spiritus sanctus cauere toties præcipit.

*Eandem Vitam terit Perocha II. Dominica XIV. post Pentecosten Tomo 2. pag. 207. c. 1. 0.*

## CAPVT VI.

*Humilis oratio est aurum, quo Deus superatur. Tanta nimirùm est eiusmodi orationis potestas, vt Deus videatur debere illi obuertere tergum, ne ab ea vincatur.*

DEuenimus iam ad celebratissimam actionem, ad pugnam decantatissimam, ad conflictum, & luctam, cui aliam similem nulli annales referunt, nulla memorat historia: Videmus iam descendere in arenam cum suo Creatore creaturam, & Patriarcham nostrum cum Deo consertis brachijs luctari, immensam potentiam Domini tenuibus imbecillis hominis viribus cedere. *Famosa lucta, & totius ore Ecclesia per orbem celebrata, quâ homo cum Deo luctatus est, & tam diu tenuit, donec à Victo benediceretur ille, qui Vicit,* inquit venerabilis Abbas Rupertus lib. 8. in Genesin. c. 6. Res est, quòd Patriarcham nostrum operam orationi dantem inuasit quidam humani corporis figuram indutus luctator. Appetitus ab illo Iacob tam validè, pugnaciterque repugnauit, vt victum se fateretur is, qui ad certamen prouocarat. Per totam noctem protracta pugna fuit. Cùmque sacer athleta cognosceret superioris ordinis esse illum, quo cum congrediebatur, & hic se dimitti rogaret, protestatus ille fuit, se nunquàm id facturū, àtequàm benedictionē ab illo præciperet. Fecit itaq; victus victor, quod rogabatur, dicens: *Nequaquàm Iacob appellabitur* posthac *nomen tuum, sed Israël,* hoc est, videns Deū, Genes. 32. 28. Cùm ergo benedictione illū impertiuisset, euanuit. Pro monumento illius tā celebris luctæ, vocauit Iacob nomen loci illius Phanuel, quod est *Visio Dei.*

Concertatio est, neque exigua, Interpretum de hac concertatione, eiusque significatione. Verùm sepositis controuersijs, & quæstionibus, satis nobis fuerit sequi eorum opinionem, qui aiunt luctam istam partim corporalem fuisse, partim spiritualem, nituntur que illo Oseæ 12. 4. *Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum;* quibus satis indicat Propheta, quòd Iacob lachrymis vicit Angelum. Nam ad superandum, subigendumque Deum nulla sunt validiora, quàm orationum, & lachymarum humanarum arma. Hoc est aurum (dicamus enim ità) cui potentia Dei cedit, & quo fortitudo illius expugnatur. *Aurum potest significare laudes Dei, & preces,* inquit Hieronymus Lauretus post Berchorium, Ioannem Cluniacensem, Ricciardum, Santem Pagninum, & alios. Si ergo aurum est symbolum diuinæ laudis, & flagrantis orationis, oratione autem vincitur Deus, ad modum, quo immensa illius pietas vinci tolerat, benè affirmare possumus, quòd velut aurum apud homines omnia subigit, sic oratio est aurum, quod apud Deum omnia superat. Nempè de ipso Deo triumphat oratio, cuius ob oculos ille omnem maiestatem exuere, omnē submittere dominatum videtur.

Obtrectare, & repugnare Moysi fratri suo Aaron, & Maria cæperunt propter æthiopissam, quam acceperat vxorem, ac talia ferè dicere: Putat frater noster, se solum cum suprema maiestate familiariùs agere, tanquam nobis non æquè comem, facilemq; sese exhibeat. Audiuit Dominus eorum indignam commurmurationem, abductosque à vulgo grauiter, & asperè obiurgauit.

Sed notandum, quòd sanctus populi sui dux Moyses non erat coram præsens, quando Dominus ambos illos duris verbis increpauit, Mariam verò etiam luridâ leprâ perfudit: *Et ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix;* Num. 12. 10.

Dubitari hîc potest, quamobrem Dominus ità rem instituerit, vt Moyses non esset præsens, cùm pœna infligebatur murmuratoribus, qui se fratri exæquare volebant. *Quare non præsente Moseh* supplicium illis irrogauit? inquit Oleaster. Quid incommodi adferre correptioni præsentia illius poterat?

Respondet Oleaster: *Noluit eius causam agere eo præsente, qui forsan suis orationibus pœnam poterat impedire.* Ad condonandas iniurias procliuissimè mouebatur Moyses, atque vt de illo sacrum oraculum affirmat, *erat mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra,* ibid. v. 3. qui si austeram Domini increpationem audisset, & tam grauiter iratum illum vidisset, ad familiare orationum patrocinium se recepisset, Deumque precibus à concepto supplicio absterruisset. Et quoniam conueniebat, vt Maria lueret, quò illius damno alij cautiores facti timerent inuidas in talem, tamque sanctum virum exerere linguas, idcircò fecit, vt Moyses abesset à loco, vbi alij pœnas meritas dependebant, ne fortè orationibus suis manus illi obstringeret, vt ad inferendum supplicia extendere non posset: *Noluit eius causam agere eo præsente, qui forsan suis orationibus*

*nibus pœnam poterat impedire.* O supremam orationis vim, & potestatem! Congressum illius, conflictumque ipse Deus pertimescere videtur, qui metuens illi succumbere, fugit, velut declinans pugnam, in qua inferiorem se fore verebatur.

Vt ad huius tam fructuosæ, & necessariæ virtutis amorem nos accenderet sanctus noster patronus Iacobus, ait, nullam esse tam bellicosam Palladē, nullam tam mauortiam Bellonam, nullam tam strenuam, pugnacem, & validam Amazonem, quàm sit cena Oratio, de quâ sic pronuntiat: *Multùm valet deprecatio iusti assidua*; Iacob. 5. 16. velut alijs verbis dixisset: Nullis verbis explicari satis potest, quantùm apud Deum possit oratio constans, ac perdurabilis hominis sancti, quem ille charum, & amicum habeat. Exaggerari pro dignitate nequit, quãta ad expugnandum vis insit in ardente globo lachrymarum, quem cor per oculorum tubos explodit. Et quoniam faciliorem inuenit fides exemplis adornata, & comprobata veritas, exemplo, quod nemo ignoret, contestata dabo, quæ dixi. Vultis ergo videre, quanta sit potentia orationis? Eliam testem adduco locupletissimum, qui vnus millium instar erit. *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terrã, & non pluit annos tres, & menses sex.*; ibid. v. 17. Tanquàm non satis validum fuerit istud ad demonstrandam orationis efficacitatem argumentum, ità ab alio eandem comprobat, quo videtur fortiùs euinci, quàm sit ingens piarum precationum virtus, inquiens: *Rursùm orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum*; ibid v. 18. velut dixisset: Miseratus fatalem populi sui penuriam obtorsit clauem cœlorum sic, vt terram fertili rore fœcundaret, castigatique peccatores ex sepulchro famis emergerent. Videtur hoc argumentum firmum esse ad probandam vim, potestatemque orationis, priùs verò debile esse, ac tale, vt illo potiùs extenuetur, quàm probetur eius virtus, & efficacitas, cùm dicitur, quòd cœlum clausit, atque ità famis pœnam populo attulit. Quisquis tamen rem hanc attentiùs considerârit, reperiet validiore, magisque inuictâ ratione (ad nostrum modum intelligendi) demonstrari potentiam orationis non posse, quàm eâ, quæ cœlum oratione occlusum affirmat. Id ego perspicuè, vt mihi quidem videtur, ostendo. Primum argumentum ait, quòd Elias oratione cœlum clausit: *Oratione orauit, vt non plueret.* Tribus annis, & sex mensibus castigauit Dominus populum suum. Secundum refert, quòd oratione permouit Deum, vt misericordiâ, & pietate vteretur ergà populum. Inferre pœnas nonné repugnat naturali conditioni Dei? Nonné vim sibi quodammodò adfert, cùm arcum tendit, aut eximit gladium, ut puniat? Quis inficiari queat? Otiosum foret id hic probare, quod ego multis in locis testatum dedi, & vos crebrò audieritis. Facere autem gratiam, conferre beneficia, nonné res est, quæ cum ingenio Dei, & generoso pectore quàm maximè congruit? Id plusquàm euidens est. Ad rem nunc. Eliæ oratio impediuit misericordiam Dei, & manus illius obstrinxit, vt nulla funderent beneficia, tantumque valuit, vt illum toto triennio, & sex mensibus quasi vinctum, constrictumque retineret. Ergo magna est potestas orationis, magna vis, magnum robur, quæ hoc facere potuit, vt Deus, qui naturâ propendet ad benefaciendum, tot annos, ac menses velut coactè abstineret à benefaciendo, & misericordiarum suarum impetuosissimum cursum sisteret. Permouere Dominum, vt natiuæ pectoris sui liberalitati obsequatur, & munificæ indoli suæ morem gerat, non est tam insigne facinus, quàm vincire illi manus, & liberalitati eius moras inijcere. Ergo magis, vt videtur, exaggerari non potuit vis orationis, quàm cùm dicitur, tantum potuisse, vt Deum non solùm impedierit à benefaciendo, sed etiã permouerit ad sumendã vindictam, ad inferenda supplicia, quod à regio pectore, & liberalissima indole illius perquàm est alienum.

Tristes, mœstosque videbat Dominus, & cœlestis Magister suos discipulos ex eo, quòd de suo propinquo abitu certiores eos fecisset, dixissetque fieri non posse, quin proximè abiret. Vt illorum abstergeret lachrymas, & serenaret animos, aiebat: *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum*; Ioan. 14. v. 15. 16.

In his verbis inueniet curiosus, quod expendat. Promittit enim Dominus, quòd Patrem æternum rogare velit, vt Spiritum Sanctum mittat, quem ipse ex se mittere poterat, qui parem cum Patre habebat potestatem, & maiestatem. Hoc nemo citrà magnam æterni Filij iniuriam negare potest. At si ità est, quomodo aiebat, *Ego rogabo Patrem*, vt illud vobis inæstimabile donum mittat?

Huic dubitationi responsio magni Bulgarorum Archiepiscopi Theophylacti non vulgaris occurrit, quæ sic habet: *Si dixisset*, mittam, *non sic credidissent, nunc autem credibiliorem faciens sermonem, inquit*, rogabo Patrem, *& si opus fuerit patrocinio, & oratione*,

*oratiône, omnibus modis operam dabo, vt veniat super vos Spiritus. Id quod & nos sæpè dicere solemus, animam meam pono, vt hoc fiat.* Nondum satis perspecta erat Apostolorum animis infinita potestas sui Magistri, qui vt maiorem sibi apud illos fidem conciliaret, non aiebat, mittam vobis diuinum Spiritũ, sed Patrem rogabo, inquiebat, vt is vobis illum mittat, vt sic pollicitationi eius indubitantiùs crederent, velut dixisset: Scio quidem, quòd Pater vobis mittet inæstimabile monile, & pretiosum pignus, & dulce solatium animarum, Spiritum, inquam, suum, ac meum, quià ille vos sic amat, vt haud difficilè tantum bonum sit collaturus. At si tamen ægrè hoc faceret, quid remedij? *Rogabo Patrem,* oratione apud illum vtar, & sic omnem, si quæ est, de medio submouebo difficultatem. Vbi enim oratio adhibetur, ibi omnia superantur, & impetrantur. *Id quod & nos sæpenumerò dicere solemus, animam meam pono, vt hoc fiat,* priusque vitam relinquam, quàm negotium, quod curandum suscepi, non confectum, inquit ferè Theophylactus, supremam orationis potentiam paucis verbis indicans, ex quorum sensu tale ferè est, quod Christus dixit: Optimè noui, Discipuli mei, quòd Pater vobis diuinum Spiritum lubens mittet, si quid tamen difficultatis fortè occurret, *ego rogabo,* vtar oratione, neque desistam ab huius causæ procuratione vsque dum fundam orationem, quod est quasi vitam profundere, & vires extremas adhibere. Quod enim oratio non obtinet, id nemo impetrare posse videtur. Itaque vt certam illis faceret diuini Spiritus expectationem, dicebat, se precibus effecturum, vt mitteretur, quod enim oratio non assequitur, id nemo petere, vt videtur, audebit: *Credibiliorem faciens sermonem, inquit, rogabo eum.* Quid ad amplificandam orationis vim dici magnificentius possit, quàm quòd Filius Dei, vt Apostolis, quantum gratia apud suum Patrem valeret, ostenderet, ait, se oratione illam obtinuisse, quando cum illis loquebatur, tanquàm cum hominibus, qui perfectam potestatis illius immensæ notitiam nondum habebant? Palàm namque est, quòd Filius, vtpote Deus, non indigebat oratione apud Patrem vt quiduis illud ageret, inter eos enim, qui æquè per omnia potentes sunt, non est necessarium intercedere preces, & obsecrationes.

Non parùm momenti addet huic causæ illa Dei cum Abrahamo de Sodomitarum excidio disceptatio. Obsecrabat sanctus Patriarcha Dominum, vt non illorum cæcorum hominum flagitia, verùm infinitæ misericordiæ suæ magnitudinem attenderet. Respondebat Dominus, peruelle misericordiâ ergà contaminatissimos illos vti, dùm quinquaginta modò iustos eorũ ciuitas haberet. Cùm humili, & supplici oratori videretur nimis magnus ille numerus, obtinuit, vt Dominus à quadraginta quinq; ad decem descenderet. Sic enim dicebat Abraham: *Quid si inuenti fuerint ibi decem?* Genes. 18. 32. hoc est, quid si in tanta consceleratissimorum hominum colluuie reperiantur decem, nonne propter horum sanctitatem alijs suas noxas condonabis? Respondit iterùm Dominus, si decem tantùm viros probos numeraret ciuitas, parcere alijs propter eos velle. Sed notandum, quod mox subijcit textus sacer: *Abijtq; Dominus, postquàm cessauit loqui ad Abraham;* ibid. v. 33. & tergum obuertit hospiti suo, postquàm cum illo de decem iustis conuenisset.

Caietani notatio in illa verba talis est: *Significãtiùs narratur, quòd cùm Deus finisset vltimam responsionem,* Non delebo propter decem, *recessit, non expectans vlteriores preces.*

Cur verò Dominus *recessit non expectans vlteriores preces?* Idcircò, quòd iam penè victus, expugnatusque esset orationibus Abrahæ, qui hoc iam obsecrando consecutus fuerat, vt Dominus ad numerum denarium à quinquagenario descenderit. Habebat Sodoma saltem vnum iustũ, nempè Loth, eratque ex alia parte, ob quod conueniret supplicia exigere ab eâ ciuitate, cuius immania scelera vindictam magnis vocibus ipsa poscebant. Si autem moram indulsisset Dominus Abrahæ, vt precari ampliùs posset, fortè ad vnum vsque descendisset, rogassetque vt propter vnum illum gratia scelerum omnibus fieret. Vt ergo omne à se periculum succumbendi orationi amoliretur, nullum aptius inuenisse remedium videtur, quàm vt fugâ declinaret eum, à quo rogari poterat. Tantum nempè est robur orationis, tanta efficacitas, vt Deus videatur non habere vires, quibus illius potentiam expectet. Eapropter fugit, vt effugeret vim illius, non secùs ac se abscondere solent alij, ne illis denuntietur, quod audire nolunt. *Recessit, non expectans vlteriores preces.* Quando enim quis euitat supplicem, ne quid ab eo rogetur, manifesto inditio est illum orationis vi multùm valere, quem non deuitaret, nisi precibus illius superari posse timeret.

Sed quantum illud est, quod dixi, orationem esse aurum, quòd in domo Dei omnia subijciat, omnia possit, & efficiat? Audiamus sanctum Gregorium Nyssenum, qui de oratione ait, eam omnia bona complecti, vt de auro Beatus Petrus Chrysologus affir-

affirmauit, in illo vniuersa mala includi, idque tanta verborum conformitate, vt hic, cum auri damna describeret, alterum commoda orationis narrantem audiuisse videatur. Nyssenus itaq; orat. 1. in orat. Dominicam sic ait: *Oratio pudicitiæ præsidiū, iniustitiæ sublatio, impietatis correctio. Oratio corporum robur, abundantia domus; recta iuris, ac legum in ciuitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, coniunctiorum conseruatio, virginitatis sigillum, matrimonij fides, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, fatigatorum requies, lugentium solatium.* Hæc omnia, & plus aliquid est oratio. Illa namque est, quæ omnia impetrat & consequitur. His autem satis commendatam puto nostro Politico orationem, vt eam ardenter colat, familiaremque habeat. Neque enim cœlorum Politicus dici poterit, nisi eam vehementer amet. Nam vt Nyssenus ibidem ait, *recedit à Deo, qui per orationem sese Deo non coniungit*, vt nomine Politici cœlorum indignus sit, cuius conuersatio, vt Apostolus inquiebat, non est in cœlis.

*Vide Periocham quintam Dominicæ XXI. post Pentecosten Tom. II. pag. 292. c. 1. 0. vbi meliora de hoc argumento.*

## CAPVT VII.

*Consulendum aliquando quibusdam, vt Deum pro Deo relinquant, quò sibi eum magis demereantur.*

PVgnabat pertinaciter in palæstra noster agonista sacer, inclinabatq; in illius partes victoria. Cùm inter productiorem conflictum aurora proximum diem nuntiaret, dicebat ad Iacobum ille, quocum luctabatur: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*; Genes. 32. 26.

At quid impedimenti adferre intermissioni pugnæ dies poterat? Cur ille finem luctæ ante fieri voluit, quàm dies appeteret? Et si concertatio illa & corporalis, & spiritualis erat, sic vt Iacob spiritu etiam pugnaret, ardentibusque precibus Deum appeteret, & plurimas illi ab oculis lachrymas affunderet, quare orandi studium propter ingruentem diem relinquere, aut seponere debuit? Cùm Deus amet audire orationes, & multa illis impedimenta sol cū die per se adferat, quid erat, quò minùs Iacob per diem tam sancto operi operam rectè daret?

Satisfaciunt huic dubitationi, saluberrimumque simul monitum suggerunt Glossa Angelica, & Pererius, qui aiunt, illud, *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, perinde fuisse, acsi dixisset: *Tempus est, vt ab inuisibilibus ad temporalia tractanda descendas*. Habebat Iacob vxores non minùs quatuor, sobolem multam ex matribus pluribus, familiam copiosam. Quando ergo dilucescere cœpit, iussus est intermittere studium orationis spirituale, & vacare gubernationi domus, disponere necessaria, & rem curare familiarem. Non enim est grata Deo oratio, quæ tunc fit, cùm faciendum aliud. Multò autem magis probat, cùm iusta habetur ratio necessitatum, & illi primùm occurritur, quæ maxima est. Et quoniam magis congruebat studere curæ domus, quàm orationi tunc, cùm dies appetebat, idcircò ille glorioso colluctatori suo dicebat, *Dimitte me*, & vade procuratum res tuas familiares, & ordinatum operas domesticorum tuorum, hæc enim Deo acceptissima fuerit oratio. Deum enim pro Deo, vt aiunt, relinquere, non est illum deserere, sed potiùs maiora apud illum lucra facere, ampliorem que apud illum gratiam inire. Sanctum enim adagium docet, illum optimè orare, qui officij sui partes rectè curat, probeque exequitur. Ille verus quærendi, & inueniendi Deum est modus.

Suauissimam fragrantiam, quam Sponsæ vestimēta exhalabant, Sponsus sentiens, aiebat, thuri quod carbonibus impositum supremo Numini votiuo cultu adoletur, similem sibi eorum odorem videri, inquiens: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*; Cant. 4. 11. Notorium est, quidquid rei materialis ad Sponsæ commendationem assumitur, id allegoricum esse, & mysticum, nam sub cortice materialium latet spirituale, quod Sponso maximè est propositum. Videamus itaque nunc, quid vestimenta Sponsæ significent. Richardus de S. Victore cum omnibus alijs Expositoribus ait, vestimenta esse symbola virtutum, & operum meritoriorum, quibus fouetur, & contegitur anima, & omnium exercitationum piarum, quibus illa ornatur, & venustatur. Richardi verba sunt eiusmodi: *Vestimenta animæ sunt opera, quæ in charitate sunt, vel fiunt, quibus vestiti, & non nudi inueniuntur ante Deum electi.* Cultus ergo animæ sunt opera misericordiæ, vt visitatio infirmorum, consolatio in carcere detentorum, erogatio eleemosynarum in pauperes, vestitio nudorum, & alia id genus opera sacra. Notandum verò, quòd odor thuris erat, quem illa vestimenta spirabant. Cuiusnam rei hieroglyphicum est thus? Non puto esse aliquem, qui nesciat, thus esse typum orationis. Nihil magis tritum, peruulgatūque, quàm illud Psalmi 140. 2. *Dirigatur oratio sicut incensum in conspectu tuo.*

Secundùm hæc quòd Sponsæ vestimenta, quæ erant virtutes, & opera charitatis, &c. thus, vt Sponsus aiebat, siue incensum olebant, perinde fuit, ac si dixisset, olere orationem. Verùm cùm visitare captiuos, consolari lugentes, vestire nudos, sepelire mortuos, ferre opem egentibus sint opera plurimùm distincta ab actu, & exercitio orationis, quomodo omnia illa olebant thus, siue orationem? Voluit Spiritus S. eâ re tacitè insinuare doctrinam, quam hîc tradimus, & significare, illam esse optimam orationem, cùm quis officium suum rectè curat, Deumque, qui videtur esse in oratione, relinquendum pro Deo, quando magis conuenit, & res ità postulat, quià tunc Deo magis placent alia opera magis necessaria, quàm oratio.

Meliùs hæc dicet Richardus, quàm ego. *Vestimenta sunt sicut odor thuris; quia sic bonum odorem de se mittit bona operatio, sicut deuota oratio. Si enim propter occupationem vtilem orationem aliquis intermittat, ipsa occupatio vice orationis reputabitur, vt iuxtà Apostolum sine intermissione oret, qui semper benè operatur.* Itaque intermittere orationem, contemplationem, aut aliud quodlibet spirituale exercitium, vt rebus alijs magis vtilibus, & necessarijs opera detur, etiam est orare, & contemplari, & secundùm Pauli dictum perpetuò precari: Ille namque legitimè orat, qui quòd suæ obligationis est, facit, ille scit Deum quærere, qui nouit ipsum pro ipso relinquere, quando magis expedit, & maioris refert.

Tam vehementer flagrabat spiritus Prophetæ regij, vt non contentus, quòd ipse pientissimo Domino suo laudũ cãtica pangeret, & cõcineret etiã, Angelos ad celebrandas alternatim eiusdẽ Domini laudes ardentibus votis, & magnis vocibus inuitaret, inquiens: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, benedicite Domino omnes Virtutes eius*; Psal. 102. 20. 21. Non dissimulauit autem Propheta modum laudum, & orationum, quibus vacaturi erant Angeli, dicens: *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius*; ibid. velut dixisset: Facite, quæcunque illum velle nostis, quidquid voce imperat, aut annuit oculis, explete, este famuli eius promptissimi, & expeditissimi ad exequenda omnia iussa illius.

Notandum hîc, quòd Sanctus Propheta non satis consequenter locutus, & hortatus Angelos videatur. Inuitabat illos, vt communibus laudibus communem Dominum celebrarent, benedicerent, magnificarent; statimq; dicebat, vt voluntatem eius facerent, præcepta eius opere perficerent, & verbis eius citum obtemperantissimè morem gererent, *facientes verbum illius.* Quid hîc vni cum altero conuenit? Quid connexionis inter inuitationẽ ad orandum, & exhortationem ad faciendum, quæ iuberentur? Quomodo qui vacare laudibus suaserat, mox dare operã explendis mandatis consuluit?

Occurrit dubitationi Sanctus Augustinus, inquiens, non fuisse ita abreptum à feruore spiritus Sanctum Dauidem, vt imprudenter verba effutiret, sed valde consequenter, & cohærenter potiùs locutum, quando primùm ità inclamauit Angelicos spiritus, *Benedicite Domino omnes Angeli eius*, statimque subiunxit, *Facite verbum illius.* Hoccine verò sit benedicere Domino, facere verbum illius? Istné laudet, & oret Deum, qui operatur, quæ illi grata putat, & iussa illius exequitur? Immò verò, inquit Augustinus: *Si vis benedicere Dominum, fac verbum eius, voluntatem eius.* Si vis vacare orationi, quæ Dei pergrata sit oculis, sepone orationem, intermitte contemplationem, cessa tantisper ab illius laudibus, quando aliæ status tui occupationes necessariæ aliò te vocant, quando ex officio tuo facere aliud teneris, cui dum operam nauas diligentem, acceptissimam Deo laudem offers. Optimum genus orandi est, Deum pro Deo relinquere, quod cùm facis, deuotissimum illi obsequium, & cultum religiosissimum offers: *Si vis benedicere Dominum, fac verbum eius, voluntatem eius.*

Huc commodum veniet visum quoddam singulare, quòd sancto Dorotheo quidam venerabilis senex narrauit, estque huiusmodi. Nocte quadam, cùm psalmos canere in choro religiosi ascetæ inciperent, vidit è sacrario prodire pulcherrimum iuuenem, qui manu præferens calicem, & hostiam, intincta in calicis sanguini hostiã frontes præsentium monachorum obsignabat. Non aderant ibi omnes præsentes. Vidit tamen sanctus senecio aliquod absentium sedes ab eodem iuuene obsignari, tanquàm præsentes fuissent, suumque illis tam eximij beneficij stipendium numerari, velut communem laudum diuinarum laborem cum alijs ibidem exsoluissent. Vidit adhæc alijs quorundam absentum locis vacuis nihil talis honoris exhibitum. Quod initio, idem sub finem cantus fecisse iuuenis visus. Admiratus mysterium senex submissis ad reuerentiam in terram poplitibus rogauit iuuenem enixè, ac humiliter, vti aperiret, quid sibi vellet, quòd aliorum sedes inanes sanguine tinxisset, aliorum præterisset. Respondit se Angelum Dei esse, & ad hoc venisse, vt

illo inæstimabili signo eos, qui prompti, hilaresq; ad cantandum dominicas laudes conuenerant, notaret, & præterijsse quidem aliquorum sedes, quos sua negligantia à communibus officijs abstinuisset, aliorum verò consignasse, quos iussio superiorum rebus alijs occupatos habuisset, vt publicæ psalmodiæ adesse præsentes non possent: *Eorum se loca obsignasse* aiebat, *qui & promptissimi, & paratissimi, quantum in ipsis erat, ad vigilias surgere, sed vlla necessitate compediti cum patris obedientia, & benedictione, vel etiam imperio obdormissent.* Hæc sanctus Dorotheus doctrinâ 11. Hinc accipimus, inquit idem, facere quæ obedientia iubet, perinde esse, atq; assistere orationi, Angelus enim æquè obsignauit absentum loca, atq; illos, qui aderant præsentes, eodemque honore dignatus fuit & hos, qui in choro Dei laudes celebrabant, & eos, quos alibi Superiorum iussa occupatos habebant. Amplius aliquid affirmat Dorotheus, nempè idem cœleste signum impressum ijs etiam, *qui cum patris imperio obdormissent*, vt inde intelligeremus, posse nonnunquàm eligi somnum, & relinqui vigilias, tametsi hæ ad laudes Dei adhibeantur, quando Prælatus dormire præcipit. At si dormire tam meritorium quandoq; est, quàm orare, cur non intermittatur oratio, quando curam, operamque nostram res aliæ magis vtiles, & necessariæ postulant?

Accipiamus hanc à cœlesti Magistro doctrinam. Attentissimam ille, ardentissimamq; in horto Gethsemani ad Patrem suum æternum fundebat orationem, inquiens: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*; Matth. 26. 39. at si non ità expedit, fiat tua per omnia voluntas, cui subiectissimè obtemperare sum paratus. Habebat tunc apud se tres charissimos Apostolos, & monet S. Matthæus, quòd intermissa ad tempus oratione venit illos inuisum, inuenitque somno oppresos, & obiurgauit vnum maximè Petrum, qui tantam constantiæ firmitudinem tam iactanter pollicitus esset, & nec ad horulam cum Domino suo pro communi salute vigilante, & tribunal Patris appellante vigilare potuisset, postquàm in mortem cum illo velle ire spopondisset. Matthæus ibid. v. 40. sic ait: *Venit ad Discipulos suos, & inuenit eos dormientes.* Recepit se denuò ad orationem anxiè afflictus Dominus, siue vt ille ibid. v. 42. habet, *iterùm secundò abijt, & orauit.* Aliquamdiu precatus etiam hanc tantisper se posuit orationem, *& venit iterùm* solicitus magister ad somniculosos Discipulos. Confugit etiam tertiò ad orationem, & tertiò inde ad gregem suum impiger, ac peruigil pastor recurrit.

Sed quid est, quòd cum Patre æterno Filius eius coæternus loquens, toties ab illo recessit, vt abiret ad Discipulos? Sicciné Creatorem reliquit, vt creaturas visitaret? Parùm vrbanè factum videtur, quòd susceptum cum tali Patre colloquium iterùm atq; iterùm interrupit, & ab illo ad tales creaturas secessit.

Respondet Simon de Cassia, inquiens, magno consilio hoc fecisse Dominum, & Magistrum, vt nobis inculcaret doctrinam, quam hic versamus, crebroq; illo accessu ad orationem, & recessu ad Discipulos nos doceret, propter maiorem quandam necessitatem nonnunquàm intermittendam orationem, & seponendas preces, quando res postulat, vt vel dormientem excitemus, vel negligentem stimulemus. Bona enim oratio fuerit, & qualis illa Christi, si orationem deseras, vt obiurges somnum aliquorum discipulorum, & socordiam Apostolorum corrigas, & castiges, qui tunc vigilare, & obseruire suo magistro, & insomnes illum sequi deberent.

Simonis de Cassia verba lib. 13. in Euang. talia sunt: *Nullo responso suscepto interpellauit orare per modicum, reuersus tamen ad piam, & vtilem actionem, nam venit confortaturus discipulos. Oportet siquidem orationem intermittere pro vtilitatibus proximorum, maximè vbi spiritualia bella timentur. Et discretionis insignis est virtus actum virtutis pro alio actu virtutis intermittere.* Quòd orationem Dominus intermisit, hoc fecit, vt alteri operi pietatis, hoc est, discipulorum exhortationi, emendationi, corroborationi studeret. Conuenit enim aliquando seponere orationem, quando aliorum salus curam, opemque nostram efflagitat, inprimis verò cùm anima cuiusquam periculo proxima per nos sospitari potest, tunc enim rem magis gratam Deo feceris, si illo etiam relicto, ad auertendum à periclitabundo exitium te conuerteris. Magnæ enim prudentiæ est, minùs lucrum deserere, & maiorem quæstum consectari. Omnibus ergo danda opera, & orationi præ omnibus, nisi quando grauior necessitas & debita officij, vel status proprij officia nos ab eâ aliò vocant: *Discretionis insignis est virtus actum virtutis pro alio actu virtutis intermittere.*

Et hoc dicitur Iacobi, nostroque item Politico, scilicèt illum verè, & optimè orare, qui officij sui partes, & status munia rectè curat. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, inquiebat victus victor, velut dixisset: Abi hinc, & res tuas domesticas digere, iam enim præterijt orandi tempus, liberum me discedere sine, nam propterea Deum non perdes, imò arctiùs, fortiùsque eum tibi adstringes. Non

vult

vult Deus, vt id tempus, quod muneris nostri officia necessaria requirunt, demus orationi, & alijs exercitijs spiritualibus. Non est bona oratio parentum, qui maximam diei partem in templo exigunt, & liberos suos domi in periculo honoris, & famæ relinquunt. Non est bona oratio eius, qui longas horas adgeniculatus ante augustissimum Eucharistię Sacramentum preces fundit, laboremque, quo parandus erat familiæ victus, prætermittit. Qui visitat patrem spiritualem, hospites domi apud filiam relinquens neque patres, neque viros spirituales, non est illius à bono spiritu visitatio. Audire multas missas, & missa facere studia, quibus curanda erat alimonia paruæ, & famelicæ soboli, nemini videbitur laudabilis virtus. Audire sermones sacros, quãdo suspicio est, quòd alij domi ferant turpes, & perniciabiles quibus in lapsum detrahant vernaculos, neque accurrere ad ferendum remedium, extinguendumque ignem, nescio quis benè factum arbitrari queat. Certè permittere flammis absumi ædes, & auscultare interim doctrinam, quæ auscultari alio tempore possit, non est bona doctrina.

Audiamus Pererium: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, inquiebat Angelus, quod authori, quem nunc dixi, perinde est, acsi dixisset: *Iam tibi tempus est ab inuisibilibus, & diuinis ad corporalia, & humana negotia tractanda discedendi, tanquàm nocturnum tempus vsq; ad exorientem solem conueniens sit contemplationi rerum diuinarum, & spiritualium rerum tractationi, diurnum verò temporalium negotiorum functionibus, & officijs, quæ proximo vel ex obligatione, vel ex charitate præstanda sunt.* Qui enim non nouit discernere inter opera, neq; sua singulis virtutum exercitijs deputare tempora, is Deum offendet illis rebus, quibus demereri poterat.

*In eodem campo latè, & latè exspatiatur Periocha quinta Dominica infra Octauam Natiuit. Domini Tomo II. pag. 388. c. 1. 0.*

## CAPVT VIII.

*Non est similis æterna saluatio aliquorum vulnerum, quæ certis quibusdam verbis curantur, quia immortalis quies mortalis agonis pretio comparatur.*

QVærebat ex animoso Iacob ste strenuus illius colluctator, quomodo vocaretur. Respondit ille, Iacob sibi esse nomen. Tum ille iterùm: Non erit hoc tuum deinceps nomen, alia debet esse tua, eaq; illustrior appellatio. Israël posthæc vocabere: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël*; Genes. 32. 28. Iacob idem est, quod luctator, siue homo, qui in puluerulenta palæstra certando desudat: Israël verò idem est, quod videns Deum, vt communiter aiunt omnes. Quicunque Interpretes mysticum huius loci sensum persequuntur, considerant hìc aliquid, quod necessum est amplificare, quià & vtile, ac necessarium est omnibus, tametsi vulgare, & tritum. Obseruant itaque antelationem horum nominum, & ordinem, quo fuerunt imposita. Primùm Iacob dictus est Patriarcha noster, deinde Israël, priùsque consertis validè brachijs luctatus, quàm hoc posterius nomen adeptus.

Hugo Cardinalis, quem alij sine numero sequuntur, ait: *Post luctam mutatur nomen, de IACOB fit ISRAEL, quià vt dicit authoritas, non erit ISRAELITA, qui prius non fuerit IACOBITA.* Tale est, quod dicitur: Nullus eò christianus perueniet, vt illius tempora immortalis corona quietis æternæ cingat, qui non antè per frontem, perque faciem totam, & omne corpus tota sudoris diluuia fuderit, qui non antè cum suis passionibus acriter depugnârit, qui non antè multos labores exantlârit. Ad hunc sensum aiebat Sanctus Bernardus Serm. de Natiuit. Virg. *Luctare cum Angelo, ne succumbas, quià regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ærumnarum hilari perpessione, & dolorum tolerantiâ, & voluntariâ corporis afflictatione, alijs pœnitentiæ operibus iucundum illud, & felix regnum expugnandum. Hoc enim habet lux Dei, & hac solùm conditione opulenti illi thesauri, & diuitiarum copiæ parantur.

Multi sunt, qui præfidunt se obtenturos æternam illam quietem, & perpetuum otium, atque ad eum modum saluandos, quo multa vulnera *por ensalmos*, vt vocant, siue conceptis quibusdam verbis curantur. Sit licet periculosissimum vulnus, aiunt tamen esse homines, qui eâ valeant gratiâ, & virtute, vt illud persanare solâ quorundam verborum prolatione possint, sic vt suauius absq; vllo suo labore, ac dolore à plaga sua curetur, & consanescat. Simile quidpiam multi delicatuli optant, & sperant, qui se beari posse præfidunt, vt solis aliorum verbis id efficiatur, ipsi verò nihil laboris ad eandem rem vertant, sed absq; vllis studij proprij impendijs gloriam consequantur.

Sed quanta hæc amentia! Quàm pulchrè illorum errorem deoperit Arnobius lib. 2. contra Gentes inquiens: *Neque illud obrepat, aut spe vobis aëreâ blandia-*

*blandiatur, quod magi spondent commendatitias se habere preces, quibus emollita nescio qua potestates, vias faciles ad cœlum contendentibus subuolare faciant.* Magi erant, qui indoctum miserè ludificabant vulgus, dicentes, habere concepta quædam verba, quibus certò ad cœlum perducere alios valerent, qui talia verba apud se haberent, sic vt hoc nulla vis, aut potestas contraria impedire posset. Quàm benè autem dicit Arnobius: *Neque illud obrepat, aut spe vobis aërea blandiatur!* Velle solis aliorum verbis saluari, & obtinere beatitudinem sine labore, ac dolore proprio, perinde est ac velle turrim vastam, qualis illa Babylonica fuit, construere suprà lubricum, tenuem, ac liquidum aërem. Et veluti nos, cùm rem perimbecillem, ruinosamq; significare volumus, dicere solemus, esse fundatam in aëre: Ità Arnobius ait, spem eorum, qui per sola verba saluari volunt, fundatam in aëre, & prorsùs aeream esse eiusmodi cogitationem. Qui enim vult beari, qui obtinere salutem, & quietem æternam, multorum, & magnorum laborum sumptu id efficere debet. Sola verba non sunt satis. Nam vt Sanctus Hilarius in c. 7. Matth. ait: *Regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent, neque qui dixerit, Domine, Domine, hæres illius erit.* Nonné vides, quòd etiam Hilarius istam stultorum fabulam, cogitationemq; impugnat, & ridet, qui solis verbis saluari posse præfidunt, tantilloq; sumptu effecturos sperant, vt beatitudinis fores patentissimas à morte reperiant, postquàm longos in obscœnis voluptatibus, & turpibus delitijs vitæ annos transmiserunt? *Sola verborum officia non obtinent*, & manifesta stultitia est tale quidpiam sibi persuasum habere. Multa tolerare debet, qui vult frui multis, & studiosè laborare in hac vita, qui vult coronari in futura.

Duos ex ordine filios vna vxor peperit Iacobti, eisque indita sunt nomina, quorum sensus mystici non parum iuuabunt causam, quam tractamus. Concepit Zelpha, edidítq; filium primum, *vocauitq; nomen eius Gad* Lia, quæ Zelpham ancillam viro vxorem dederat. Enixa fuit alterum Zelpha, *& appellauit eum Aser* eadem Lia.

Cùm penè in omnibus Scripturæ verbis sint mysteria, quæri potest quid hic subsit secreti, quòd prior filius Gad, posterior Aser appellatus fuit.

Hugo Cardinalis paucis illam nobis diluet dubitationem, & aperiet sacramentum, cuius sunt ista: *De Zelpha duos filios suscepit Lia. Primus Gad, id est Accinctus, secundus Aser, id est Beatus, quià per ignominiam passionis peruenitur ad gloriam beatitudinis.* Singulari mysterio primus filiorum Zelphæ dictus est Gad, quod significat accinctum, armatum, paratum ad pugnam, pugilem, qui consertis brachijs cum hoste suo confligat: Alter verò vocatus Aser, quod idem est, ac beatus, quiq; æterná felix quiete gaudet, vt inde cognosceremus, quàm germana, coniuncta, & affinia sint pugna, & corona, pœna, & gloria, labor, & otium. Separari hæc duo nequeunt, qui enim vult peruenire in requiem, debet transire per dolorem. Nemo solis verbis saluari potest. Fugere enim pœnam, & expectare gloriam, non qualiscunque stultitia est.

Nam vt Sanctus Theodorus Studita catech. 116. ait: *Nemo dormiens trophaum statuit, nec resupinatus messem colligit, quin ingens vtrimq; opus est sudor, & industria. Si illic ità se res habet, quanto magis in nostrate bello?* Nemo vnquàm inerti somno laxas habenas indulgens superauit hostem vigilem. Nullus torpens agricola vitam in otio rusticam exegit, qui sua tritico horrea, granariaque impleuerit, nisi longas priùs cœli inclementias subierit. Sed velut hosti succumbit, qui somno, ità ignauum ruricolam sua spes fallit, & ridet. At si tanta vigilantia necessaria est, vt triumphum temporalem, & caducum frumentum referatur, nonné omnibus viribus laborandum erit, vt laurum immortalem, & gloriam perpetuam, & aspectum beatifici vultus omnipotentis Dei æternum consequamur? Nonné pro tantarum rerum obtentu homo christianus ad omnem infelicitatem huius vitæ perituræ, & quæcunque genera asperitatum, ærumnarum, laborum sese volens offerre debet? Cui hoc dubium esse possit? Qui ergò volet esse *Aser*, siue *beatus*, curet priùs esse, *Gad*, hoc est, *accinctus* bello, paratus ad pugnam.

Quanquàm non sit canonicum, quià tamen causæ præsenti opportunum est quidpiam, quod Olympiodorus in historia Iob ex Syro textu refert, huc adferam. Absoluit ille textus sacram suam Iobtis historiam his penè extremis verbis: *Accipiens igitur vxorē Arabissam, gignit filium, cui nomen Ennon.* Vulgatus textus noster solùm memorat, quod beatus Iob post finita flagella, post sedatam tot ærumnarum tempestatem in priorem illum suum felicem statum redijt, & cætera quidem bona duplicia, liberos autem eo numero, quo amiserat, recepit, nempè septem filios, & tres filias, quot & anteà habuerat. Quorundam autem Græcorum, qui textu Syro nituntur, sententia habet, primam vxorem iustissimas ob causas, quas certè habebat, repudiatam

à san-

à sancto Patriarcha, quod tunc leuiùs, quàm nunc, fieri potuit, ductamque aliam Arabem.

Sed hîc iam possemus indagare, & interrogare, quænam præcipua, & potissima causa fuerit, ob quam ad nouæ felicitatis consortium admittere noluerit eam, quæ prima vxor fuit.

Causam reddidit Seuerianus in Addit. catenæ græcæ in c. 42. Iob, inquiens: *Forsitan autem nec consentaneum, nec rectum erat, vt ea bonorum particeps esset, quæ certaminum tempore virum despexisset.* Non scimus hoc esse authenticum, verùm si quid probabilitatis habet, causæ nostræ confirmandæ plurimum confert, & seruit. Noluit sanctus Iob eam habere sociam gloriæ, & beatitatis nouæ, quæ noluit esse compos pœnæ, noluit habere consortem felicitatis, quæ calamitatis exors esse voluit. Indignam putauit eam communione prosperitatis, quæ illum inter ærumnas destituit, neque solùm destituit, verùm etiam, cùm videret eius toto corpore diffusa vlcera scatere vermibus, ità fugit, quasi pestem contagiosissimam omnibus artubus exhalaret, vt dicere potuerit: *Halitum meum exhorruit vxor mea;* Iob 19. 17. Et tanquàm exigua fuisset ista contemptio, à dæmone inspirata etiam in desperationis barathrum illum impellere voluit, inquiens: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere;* Iob 2. 9. velut dixisset: Habetné mundus fatuum similem tui alium, qui veteri simplicitati tuæ tam pertinaciter inhæres? Iace aliquam in Deum contumeliam, dic blasphemiam, ità fiet, vt ille & vitam tibi adimat, & ærumnas. Dicit nunc Seuerianus: Potuitné Iob sociam gloriæ, & complicem beneuolentioris fortunæ facere eam, quæ illum & deriserat turpiter, & indignè spreuerat, & exhorruerat viliter, & ad blasphemandum iniquissimè inuitârat? Non debuit certè, quòd id rationi quàm maximè repugnaret.

Tantundem ego de anima quauis peccatrice dico: Debetné illa, quæ per omnem vitam blasphema, periura, vitijs omnibus, quæcunq; excogitari possunt, cooperta, & contaminata fuit, omniaque turpium delitiarum prata viuendo luxuriosè pererrauit, & Sponsi sui nullam interim memoriam, nullam ergà pauperes illius misericordiam habuit, post absolutum huius vitæ curriculum ad consortium gloriæ illius admitti, cum quo nullum habuit pœnarum commertium? *Nec consentaneum, nec rectum erit, vt ea bonorum particeps sit, quæ certaminum tempore Christum despexit.* Audiat Paulum, qui dicit: *Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis;* 2. Corinth. 1. 7. Cùm Christus tenuerit iter pœnarum, crucis, tormentorum, famis, sitis, opprobriorum, ignominiarum, homo verò per viam incedat turpium delitiarum, vetitarum voluptatum, inconcessæ libidinis, vindictæ, blasphemiæ, auaritiæ, fieri non potest, vt in patria beatitudinis æternæ, & quietis perpetuæ conueniant, inquit ferè Apostolus. Qui Christum vult assequi in gloria, debet illum comitari in pœna. Qui vult illo gaudere in beatitudine, debet illi assistere in cruce. Ex solo namque flore pœnæ nascitur fructus gloriæ.

Quàm præclarè in hanc rem dixit Sanctus Gregorius Nyssenus Orat. 3. de beatitudinibus: *Proinde fructuum, qui sperantur, flos afflictio est. Propter fructum igitur etiam florem decerpamus.* Cùm in naturæ ordine sit lex infallibilis, & indispensabilis sanctio, vt fructum flos præcedat, & sine hoc præuio ille obtineri nequeat: In ordine gratiæ idem considerare debemus, multoq; magis nobis persuadere, & certius habere, quòd pœna flos est, & fructus gloria: *Fructuum, qui sperantur, flos afflictio est.* Quis ergò tam stultus, & amens esse potest, vt velit carpere fructum beatitudinis, absq; eo, quod præcesserit flos, qui est crux, pœnitentia, flagellatio corporis, & cætera opera pœnalia, quibus debet studere homo christianus, vt summum bonum consequatur? Quod si ità est, quomodo homo delicatus, & innutritus delitijs, quomodo mulier mollicella, quæ otioso, & vano corporis ornatui inuigilat, & perpetuâ vnius cuticulæ curandæ solicitudine laborat, & hoc ferè solùm agit, vt misero corpusculo sit commodè, quod putida fœdorum vermium esca est futurum, vt nullas sentiat temporum iniurias, non ardores æstiuos, non hyberna frigora, quomodo ij, qui volunt carnem suam similem esse tabernaculo Altissimi, cui flagellum nullum appropinquat, qui nullam prætereunt voluptatem, cui non indulgeant, qui omnem penè in epularibus conuiuijs exigunt ætatem, quomodò ij, inquam, ex talibus floribus volunt carpere æternos gloriæ fructus? Nonné res monstro similis esset, si quis è spinoso dumo malum punicum expectare vellet? Maius portentum expectat, qui ex temporalium delitiarum floribus æternæ quietis fructum se collecturum sperat, cùm gloriæ fructus nascatur ex flore pœnæ. Quòd quis solis verbis beatitudinem, & absq; labore gloriam obtineat, quòd ad illas perpetuæ quietis sedes perueniat, qui hîc perpetuò sedit otiosus, in quonam vel Scripturæ, vel Doctorum libro id vnquàm lectum est, vel repertum. Cui hoc Christiano aliquando euenit,

nit, cùm & Christus ipse sui corporis gloriam tantâ effusi sanguinis inundatione, tanto pœnarum toleratarum diluuio, tantâ falsorum testimoniorum tempestate sibi comparauerit? Aut vult homo quisquam alius immunis esse à lege, quæ ergà Christum innocentem, & sanctum sanctorum tam rigidè obseruata fuit?

*De hoc argumento sapiculè agit in omnibus Tomis prioribus. Vide Partis I Politici lib.3, c.3. & quæ ad calcem illius subnotata.*

## CAPVT IX.

*Qui maiora pericula superauit, habet validum argumentum, quo conuinci queat, vt maiora intrepidè, & magno animo aggrediatur.*

COmmunis omnium Expositorum sententia habet, quòd Iacob tam pugnaciter pugnauit cum Angelo, tamque animosè, & validè luctatus est, vt eum expugnârit; & superârit; vt hæc victoria illi adimeret omnem fratris sui Esau timorem, persuasumque faceret, quòd hunc imbecillem facilè suppeditare posset, qui cum illo potentissimo pugile tam strenuè, feliciterque dimicasset. *Si contrà Deum fortis fuisti, quantò magis contrà homines praualebis?* aiebat ad illum Genes. 24. 28. is, qui se robore animi, & vi lacertorum eius victum, subactumque fatebatur, velut dixisset: Si tu orationibus tuis, & fortitudine efficere potuisti, vt omnipotentem Deum superares, quomodo non leuiter subijcies infirmam, ac debilem naturam humanam? Tali argumento prorsùm conuictus noster Patriarcha fuit, nec fieri aliter potuit. Ingentes enim vires habet argumentum, cùm à maiore ad minus ratiocinamur: Vicit gigantem, ergo & pygmæum subiget. Item: Leuiter per confragosam viam in editum scopulum ascendit, ergo haud difficile per campi planitiem progredietur. Siue ità: Ea fuit S. Elizabeth in egentes prolixitas, vt vim auri magnam in eos erogaret, ergo vt triennem daret, facillimè ab se impetrare potuit.

Ex hac doctrina accipiemus, quo euadamus difficultatem, quam plerumque excitare Interpretes solent. Admirantur omnes prodigiosam Redemptoris nostri patientiam, quâ excepit crudelia illa tormenta, & inaudita probra, quæ toties vel legimus, vel pro concione audimus. Nec minus admirantur, quòd illa tam inuicta eius patientia nonnullibi aliquantùm vacillare visa est. Innocentem Magistrum nocte passionis improbus, ac malignus pontifex de doctrina sua, discipulorumque eius interrogabat, cuius quæsito cùm inopinatâ responsione occurrisset, sæuus quidam satelles ex his, qui satanico tribunali adstabant, truculentam extulit manum, & decentissimæ Saluatoris faciei, quam humillimè, ac reuerentissimè Angeli supremi, infimi, medij adorant, immanem colaphum infernali ausu impegit. Quid ad hæc tam indignè ab indignissimo homine, si tamen homine, dehonestatus Dominus? In vicem vindictæ, quam de probrosissima iniuria sumere poterat, hæc nefario ministro modestè, benignè, mansuetèque reponebat: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, cur me cadis?* Ioan. 18. 23.

Non deest, qui hic arguat cœlestem Magistrum de sui magisterij officio non satis probè, integrèque curato, vt qui contrà fecerit; ac docuerit. aliud agendum prædicauerit, aliud ipse egerit. In illò celebri sermone, quem in monte habuit, inter varia salutis monita etiam hoc inculcabat: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prabe illi & alteram;* Matth. 5. 39. Cùm ergo perfectus prædicator, vt vehementiùs moueat auditores, doctrinamque suam eorum animis profundiùs imprimat, debeat non solùm docere, verùm etiam facere (*cuius enim vita despicitur, restat vt prædicatio contemnatur*, quod nonnullibi ait Magnus Gregorius) videtur Redemptor mundi eâ occasione, quâ cæsus alapâ in vna maxilla fuit, obuerso vultu debuisse offerre alteram pugno pariter dedecorandam, vt opera verbis respondent, & dictis facta consentirent. *Fortè hic dicit aliquis: Cur non fecit, quod ipse præcepit?* Ità egregius Doctor S. Augustinus Tract. 113. in Ioan.

Quid respondebimus huic dubitationi? Quis hanc nobis diluet difficultatem? Capitis huius titulus, & quoddam Isaiæ effatum omnem nobis eximent ab animo scrupulum. De mundi Sospitatore ait Isaias, siue ipse potiùs apud Isaiam mundi Sospitator: *Corpus meum dedi percutientibus;* Isaiæ 50. 6. volensque permisi laniandum immoderatæ libidini efferatissimorum satanæ ministrorum. Testentur hoc manus, ac pedes grandibus, & obtusis clauis confossi. Testetur caput aculeato diademate coronæ spineæ tam miserabiliter cruentatum. Testetur dorsum immanibus flagris tam atrociter exaratum, & concerptum. Testetur latus, cui etiam defuncto insatiabilis iræ furor, ac rabies non pepercit, quin lanceâ crudeliter configeret Ergo quòd maxillam alteram alteri alapæ non obtulit, mysterium fuit, non imbecillitas. Qui enim tantâ fuit animi fortitudine,

vt corpus totum tam diuersis cruciatuum, verberum, dolorumque generibus offerret, quomodo hic vnam maxillam pugno subtraheret percussoribus? Cui vires supererant ad ferenda maiora, quomodo robur ad toleranda minora deesse poterat?

Audiamus Doctorum aquilam, & principem Augustinum. *Quid quod & veraciter, mansuetè, iustèque respondit, & non solùm alteram maxillam iterùm percussuro, sed totum corpus præparauit?* Hæc ille, cuius vestigia præmens S. Laurentius Iustinianus, ait: *Annon offerre potuit genas, qui totum corpus exposuit? Audi quid per Prophetam dicit:* Corpus meum dedi percutientibus. *Prorsùs hac, quæ pertulit, maiora sunt.* Hoc semper nobis habere persuasum debemus, quòd leuiora incommoda facilè vincet, qui superare grauiora potuit.

Amanter querebatur credentium Pater apud suauem, beneuolumque Dominum suum, quòd non donasset filio, quem alijs multis, ac magnis modis honorasset, filio, inquam, hærede bonorum, ac priuilegiorum, quæ omnia vernaculus quidam illius tandem aditurus, & possessurus esset, si Sara sterilis, & ipse improlis, vt erat, maneret, quod absque ingenti dolore cogitare non posset. Consolabatur illum Dominus, & aiebat: Attolle sis oculos, & vide globum illum tam vario adamante tesserulatum, tam copioso micantium siderum emblemate vermiculatum, & si fieri potest, recense coruscantes gemmas, quibus exornatur, reuoca ad calculos radiantia momilia, quibus conuenustatur, eorum namque multitudini par erit numerus liberorum, quos fortunarum tuarum hæredes, & inclyti nominis propagatores relinques superstites.

Sed obseruanda hîc quædam sacri Textus annotatio, ea scilicet, quòd sanctus Patriarcha, cùm illum luctuosæ querimoniæ suæ libellum supplicem lachrymis oculorum papyro linguæ inscriptum omnipotenti Domino offerret, in abstrusiore tabernaculo suo morabatur, indeq; à Deo in medium campum euocatus fuit, vt magnificam eius promissionem patente in loco exciperet. Genesis 15. 5. de hac re sic habes: *Eduxitque eum foras, & ait illi, Suspice cœlum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.*

Honcala hîc monet animaduertere illud sacri Textus, *Eduxit illum* è suo tugurio, idque facilè, & sine vi aliqua, hoc enim significatur verbo illo, *Eduxit. Manentem in tabernaculo suo Patriarcham Dominus* foras eduxit. *Non ait,* Traxit *tanquàm inuitum, & renitentem,* eduxit *velut spontaneum, & promptum*, inquit ille. Sed cur eâ occasione sacer Scriptor non fuit vsus vocabulo vim sonante, sed potiùs verbo suauem, blandamque euocationem significante? Vt alteram nobis argumenti nostri comprobationem ministraret, neq; admiraremur Abrahæ tam facilem, promptumque è tabernaculo suo egressum, vt qui iam ante ad vnam Domini vocem patriâ suâ excesserat, cognatosque, & amicos, domumque, & facultates, & omnia commodæ, quietæque vitæ adminicula deseruerat, & varijs prolixæ per alienas, & incognitas terras peregrinationis laboribus se exposuerat, ad illam Dei tam breuem iussionem, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*; Genes. 12. 1. quam vix auribus hauserat, quando persequi opere extemplò cœpit, & sine cunctatione omnia sua relinquens in viam se dedit, de quo ibid. v. 4. *Et egressus est Abraham, sicut præceperat ei Dominus.* Quando ergo Dominus prodire Abraham è tabernaculo suo voluit, non *traxisse*, sed *eduxisse eum foras*, non per vim eruisse, sed leniter, leuiterque euocasse sacer Textus dicit, vt significaretur, quòd illum Dei vox nullo negotio producere in campum potuit, quæ faciliter, & absque vi è media patria, & intimorum consuetudine euocatum permouere potuit, vt in exteras, easq; nunquàm visas regiones commigraret: *Non ait,* Traxit, *tanquàm inuitum, & renitentem, sed* Eduxit *velut spontaneum, & promptum.* Suspectam enim redderet fidem scriptoris, si minora facere non potuisset Dominus, quem maius fecisse narrauit. Benè namq; sequitur, quòd eius manus conficiendo agno esse impares non potuerunt, cuius validi lacerti concerpendo leoni fuerunt satis.

Vt populi sui imperatorem Iosue ad suscipiendam alacriter, tentandamq; fortiter promissæ terræ expugnationem Dominus accenderet, hæc illi aiebat: *Omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam, à deserto, & Libano vsque ad fluuium magnum Euphraten. Omnis terra Hethæorum vsque ad mare magnum contrà solis occasum erit terminus vester*; Iosue 1. v. 3. 4. velut dixisset: Macte virtute esto, Iosue, & magno animo audacter, intrepidèque in eos inuehere, quicunque obsistere voluerit per viam, quæ in secundum paradisum ducit, terram, aio, quam maioribus tuis pridem sum pollicitus. Ego tibi in omni conflictu adero, ego pugnas tuas omnes felicitabo. Ampla, & latè patentia sunt locorum spatia, quæ vobis habeo parata, à Libano ad Euphraten vsque, & per omnem Hethæorum regionem, quousque à magno mari alluitur, sese diffundunt,

fundunt, digna pro quibus valentissimè, & pertinacissimè dimicetis.

In his notandum, quòd cùm tam varij essent populi, & hostes, quos Iosue cum suis bello appetiturus, fortiterque subacturus erat, solos tamen Hethæos Dominus de proprio nomine expressit; quibuscum de summa regni, totiusque patriæ illorum decertare oporteret, inquiens: *Omnis terra Hethæorum erit terminus vester.* Quamobrem verò solius gentis Hethææ facta est mentio inter prouincias tam multas, ac varias, quas ferro subigere necessum erat, vt penetrare in terram promissam pede libero possent, & ijs superatis Dominus inuictæ dexteræ suæ potentiam ostenderet?

Respondet quæsito eruditissimus Andreas Masius in cap. 1. Iosue dicens: *Ideò prouincia Hethaeorum singularis mentio fit à Deo, quià de ea expugnanda, quàm de alijs diffidere magis poterant Israëlitæ, vt in quâ Enacinos giganteâ mole homines conspexerant speculatores Moysis, eorumque fama extremo pauore vniuersum populum perculerat, & propemodùm ad repetendam Ægyptum redegerat. Ne igitur vlla imperatoris animum difficultas perturbet, aut etiam populi, cùm sit in Chananæam traijciendum, addidit Deus explicatè, ea etiam loca reductum iri in potestatem Israëlitarum, cùm primùm illuc pedes intulerint, quæ præ cæteris inexpugnabilia visa fuerant, nimirùm quæ ab Hethæis tenebantur, gente omnium Chananæorum bellicosissima.* Vir quilibet Hethæus turrem exæquare magnitudine, & solo minaciore aspectu mortem adferre videbatur. Sic ferè dixerunt, qui ab explorata eorum terra reuersi aiebant: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur*; Num. 13. 34. Simul hæc audire ignauus, & spe suâ deiectus populus, & succlamare cœpit: *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum*; Num. 14. 4. Ingens eos Hethæorum, qui erant de genere Enac, timor ceperat, qui in miseram Ægypti seruitutem redire, quàm in eorum manus incidere malebant. Vt ergo animos Iosue, adderet, populumque erigeret Dominus, & ad inuadendum intrepidè inimicum inflammaret, cæteros quidem tacuit, solos autem Hethæos subigendos memorauit, quos vehementer formidabant, & quòd tam vastis essent corporibus, & tam fero aspectu, tam bellicosi in prælio, tam insuperabiles bello. Hos itaque tam feros, & horribiles primo loco posuit, vt hinc argumentum conficerent, cogitarentque, qui gigantes obtruncasset, eum pygmæos facilè delere posse, & leuiter extincturum culices, qui leones interfecisset.

Truculentissima quædam tigris scelus perpetrauit, quo immanius in eo genere vix aliud esse possit. Abimelech fera ea fuit, qui *occidit fratres suos filios Ierobaal, septuaginta viros super lapidem vnum*, Iudic. 9. 5. Vix hoc tam crudele facinus ediderat, quando *congregati sunt omnes viri Sichem, & vniuersæ familiæ vrbis Mello, & constituerunt regem Abimelech*, ibid. v. 6.

Quid mouere istos potuit, vt regem deposcerent, ac renuntiarent hominem tam sanguinarium, & truculentum, idque tunc, quando tot fratrum suorum cruorem super lapidem vnum, inaudito exemplo fudit, & colla eorum gladio cæcidit, quæ dulcibus amplexibus stringere amanter debuisset, si tam intimæ necessitudinis, & consanguinitatis rationem aliquam habere debuisset? Et si hic illis commodus imperator futurus videbatur, talisque, sub cuius vexillis feliciter concurrere cum hostibus possent, cur non diu ante delegerunt, quos grauis necessitas boni ducis iam pridem tenuerat? Cur tunc primùm arbitrari cœperunt, hostibus suis conficiendis illum aptum fore, quando in proprios fratres tam barbarè deſæuijsse acceperant?

Huic dubitationi satisfaciet opportunè in rem præsentem Salomon Hispaniarum Abulensis, qui q. 23. in c. 9. Iudic. sic habet: *Quià volebant Sichimitæ videre, an rex constituendus super eos esset vir bellicosus dignus regno, quià alioquin stultum erat talem efficere regem. Cùm autem ipse cautè se habuit contra fratres suos, occidit q; omnes præter minimum, viderunt Sichimitæ eum posse pugnare contrà hostes.* Ex eo trucidatorum ab Abimelech fratrum facto sic ratiocinabantur Sichimitæ: Qui tantùm habuit animi, vt fratrum suorum non parceret sanguini, sanguinem hostium faciliùs fundet. Qui non detulit coniunctissimis amicis, quomodo ille in hostes pius erit? Qui gladium suum suorum fratrum cruore tinxit, quomodo mucrone suo non ipsum cor, si potest, inimicorum transfadiget? Profuit hæc Sichimitis argumentatio. *Cùm ipse cautè se habuit contrà fratres suos, viderunt Sichimitæ eum similiter pugnare contrà hostes posse.* Bona est in his casibus ratiocinatio, per quam à maiore ad minus descenditur.

Sic itaq; Politicus noster in similibus occasionibus spem de bono Deo habeat, quam Iacobtem Dominus ipse habere iussit, cùm ei tali argumento in fiduciam fraternæ violentiæ facilè à se retundendæ erexit: *Si contrà Deum fortis fuisti*, quomodo fieri

possit,

possit, vt fratrem tuum, hominem debilem, & imbecillum superare nequeas? Qui maius, idem etiam minus præstare potest.

Nam vt dixit Quintilianus lib. 2. cap. 3. *nemo sic in maioribus eminet, vt eum minora deficiant.* Si quem Dominus à grauioribus periculis vindicauit, benè speret, quòd & à leuioribus liberabit. Si tanta fuit eius ergà quempiam beneuolentia, vt illum inter acerbiores calamitates seruauerit, non erit tam pauca deinceps, aut nulla, vt in ærumnis minùs sæuis illum destituat.

# LIBER SEPTIMVS.

## CAPVT I.

*Abundare, & timere literis, syllabis, vocabulis plurimùm differunt, reapse nihil.*

NOn possum promouere gradum ad alia, quin diligenter ante considerauerim angores, solicitudines, diurnos, ac nocturnos metus, quibus Patriarcha noster vexatus fuit, priusquàm ad patrem suum perueniret. Quando à patrijs laribus abijt, & ad auunculum suum contendit, non meminit Scriptura cuiuscunq; periculi, quod illi occurrerit: At in reditu nulla fuit sine discrimine dies, nullum sine pauore iter, & vix passum metu vacuus fecit. Quid est, quòd tam securus, tutusq; abijt, & tam plenus timore redijt? Causa ea esse potest, quam ipse indicat in sua oratione ad Dominum, quâ rogabat, vt ab irati fratris furore seruaretur illæsus, inquiens: *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior*; Genes. 32. 10. velut dixisset. Quando à parentibus meis ad auunculum perrexi, tota fortunarum mearum summa in vnico baculo posita erat, quo & fulcro, & comite vtebar, iam verò peropulentus, & rebus omnibus circumfluens reuertor, hinc turbâ hominum, illinc pecorum copioso grege stipatus. Hinc illi timores omnes haud dubium nati. In abitu simul & rebus alijs, & angore, solicitudineq; vacuus erat, nihil formidans, quià nihil habens. In reditu, quoniam plurimam numerabat familiam, atq; in ea vxores, liberos, greges, famulos, ancillas, tantisque opum copijs vallatus erat, vt sexcenta capita ex armentis, & pecudibus dono offere absq; graui suorum bonorum dispendio posset, animi inopem copia rerum, & meticulosum abundantia faciebat. Multùm enim habere, & non parùm timere quanquàm vocibus multùm discrepent, reapse tamen neque parùm differunt. Id vel hinc arbitrari licet, quòd Iacob primus fratrem suum Esau vidit, quando hic veniebat, vt illum cum pompa, & apparatu magnificè exciperet, simul autem & vidit, & suos viæ comites ad modum exercitus in omnem euentum ordinauit. *Eleuans oculos suos vidit venientem Esau*; Genes. 33. 1. Primus ille vidit fratrem appropinquantem cum quadringētis viris armatis, qui si equites fuerunt, non parùm auxerit timorem illius equestris turmæ formidabilis aspectus. Itaque donec Patriarcha noster habuit, quod perderet, nunquàm timoris oculos oculis excipere ausum, nunquàm extrà metum fuisse legimus. Vnde accipimus, quòd ex affluentia formido nascitur, nec alium æquè trepidare, angi, pauere, ac eum, qui habet, quorum facere iacturam possit.

Quàm pulchrè hoc expressum à Sancto Ioanne Chrysostomo! qui Tom. 4. homil. 1. in illud: *Salutate*; sic ait: *Pauper nummis parùm valens, & curis his omnibus carens, leo est. Ignem spirat, generoso, & forti animo aduersus omnes insurgit, facilè omnia agit, quæ prodesse possunt Ecclesijs, siue opus sit, vt arguantur aliqui, siue vt increpentur, siue vt Christi nomine ferantur parricidia, & inimicitiæ. Quoniam qui semel vitam despexit præsentem, magnâ facilitate conficit omnia.* Et qui vitæ temporalis amorem à se abdicauit, & mortis metum perdidit, is omnia pericula intrepidus adit.

Turpem, & scandalosam iniqui regis Herodis cum fratris sui Philippi vxore consuetudinem omnes nouerunt. Crebra per annum fit incestæ illius amicitiolæ mentio. Non dubito, quin passim in compitis publicis, in conuenticulis clandestinis pauperes æquè ac diuites de nefario illo commertio pessimè & senserint, & locuti fuerint, vixq; aliud dixerint, quàm intolerabilem esse illum Herodis cum sua fratria tam pernitiosi exempli conuictum. Ad murmurandum nulli lingua deerat, ad arguendum infamem consuetudinem soli Ioanni animus supererat: *Dicebat enim illi Ioannes, Non licet tibi habere eam*; Matth. 14. 4.

De hac re sic habet Chrysostomus, vbi suprà: *Quot diuites erant tempore Herodis? Quot potentes? Et quis in medium prorupit? Quis tyrannum increpauit?*

*pauit? Quis contemptas Dei leges vltus est? Diuitum nullus.* Fuerint per id tempus, vt sunt hodie viri summates, Duces, Comites, Barones, Marchiones, Ierosolymis certè annis singulis erant summi Sacerdotes, Principes, Populi, Consules, Senatores, sicut hic causarum Auditores. Et cùm tantus esset Magnatum numerus, nullus erat, qui non clam admorderet turpem, & obscænam illam familiaritatem, nullus, qui regem adire, & de malefacto palàm obiurgare auderet. Cur verò quòd omnes secretò damnabant, publicè præter Ioannem nemo carpsit, nemo sugillauit?

Respondet iterùm Chrysostomus: *Qui neq; lectum, neq; tectum, neq; mensam habebat, ille solus ac primus, omni libertate tyrannum arguit, & præsentibus omnibus, ac audientibus nuntiatâ sententiâ eum damnauit.* Dixerint omnes: Pro clandestina sceleris regij execratione nihil rerum nostrarum nobis adimitur. Dixerit apud se quisque: Si regem adeo, & flagitij sui arguo, aut me vitâ exuet, aut de statu deijciet, aut dignitate nudabit, spes certè pontificatus tota mihi concidet, & bona mea fisco addicentur, aut me in iudicium pro neglecta obedientia trahent, aut censibus meis impedimenta adferent, aut iubebunt, vt meis sumptibus aliquàm multos milites conquiram, aut aliam mihi incommodandi occasionem quærent, & aula prohibebunt. Dixerit Consiliarius: Si regem obiurgo, mouebor officio, & manere domi iubebor. Si consiliarij munere decedendum fuerit, non potero vel collocare filias, liberosque alios in matrimonio, vel cæpta ad fastigium perducere ædificia, vel promouere famulos, vel ditare cognatos, vel opulentam fundare primogenituram, aut non æquè lautè, tamque paruo vitam, neq; solitam populi ergà me obseruantiam habebo. Omnes timebant, quià affluebant, itaque dicebant: Maneant nobis nostra, atque vt plura acquiramus, taceamus, viderit Herodes, & vxor fratris illius, quid faciant. Quis ergo magno animo arguit peccatum, quis Zelo diuini honoris accensus ob oculos tot mutorum susurronum fœditatem culpæ suæ regi aperire, & exprobrare est ausus? Quis? Homo quidam parabilissimo cibo, melle syluestri, & locustis tantùm vesci solitus, qui veste non vtebatur aliâ, quàm pilis, & exuuijs camelorum, & qui mortem alicuius pecoris opperiebatur, vt illi hæres indumenti fieret, cui lectus non alius, quàm dura humus erat, qui nihil ambiebat in aula, qui res suas augere domesticas ne cogitabat quidem, qui serui Dei titulum vnicum solùm cupiebat. Is primus, ac postremus regem de sua incesta libidine arguebat, qui pernitiabili suo exemplo graue inferioribus offendiculum præbebat, & regium fœdabat thronum, & irritabat cœlum: *Qui neq; lectum, neq; tectum, neq; mensam habebat, ille solus, & primus omni libertate tyrannum arguit.* Qui nihil habebat, ille neque timebat, cùmq; etiam nihil cuperet, vel expectaret, non erat cur formidaret. Magna res rebus, & spiritu pauperem esse, & alienum ab ambitione. Qui enim talis est, is potentissimo regi, & tyranno sese obijcere potest.

Rex inter prophetas Dauid confirmauit hanc veritatem similitudine desumptâ ab animalis bruti naturâ. Psalm. 77. v. 69. & 70. sic ait: *Ædificauit sicut Vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula. Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium.* Multi interpretum hæc de Verbo Dei carnem humanam induto, Christo accipiunt, qui priusquàm carnis nostræ integumento se obnuberet, elegit Dauidem, vt esset pastor hominum, cùm esset custos ouium. Hic nunc illud certum, quòd omnis Christi actio fuit nostra institutio, qui verbis nos docuit, factis erudijt, miraculis informauit, ipsoq; adeò silentio suo nos monuit. Quid ergo mysterij habet, quòd Propheta dicebat, habitationis locum Messiæ talem fore, qualis esset habitatio, quam sibi vnicornium construere soleat? Cur domus construendæ normam ab vnicornio potiùs, quàm alio animali mutaturus erat?

Hugo Cardinalis in expositione Psalmi 77. & versuum supèà scriptorũ de hoc animali sic ait: *Notandum est, quòd Vnicornis non habet tectum, nisi cælum, & reclinatus ad arborem dormit.* Sic Verbum diuinum humanâ carne vestitum Christus pauper vt vnicornis fuit, neq; domum habens, nec fortunæ bona aliqua, qui de se verissimè dicere potuit Matth. 8. 20. *Vulpes foueas habent, & Volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet,* tametsi caput sit hominum, & Angelorum.

Quid nos ista Christi, & vnicornis paupertas docuit? Respondet Hugo Cardinalis: Quòd *Prælatus non debet sibi ædificare palatia nec ad domos altas anhelare, quàm ad cælum.* Qui vult bonus esse Prælatus, debet curare esse similis Christo, & vnicorni, vt tabula vna sit illi pro lecto ista cœli fornix, quæ omnia tegit, neq; vel excitandis sumptuosis ædificijs, vel amplificandis opibus studere. Nam qui talia facere amat, is meticulosus erit, si opulentus, timebitq; audacter loqui, si aut potens quidam gratio-

sus Principis, siue Princeps etiam ipse monendus, si obiurganda res quædam publica, si magnatum quispiam increpandus, si diuiti sua errata aperienda, timebit, inquam, suam palàm, ac fidenter sententiam edicere, si habeat, quæ perdere possit. At qui ab omni honoris, opumque ambitu est alienus, ab omni diuitiarum copiâ nudus, ab omni bonorum temporalium amore vacuus, animosè quòdque sentit, quodq; res est, eloquetur, quoties occasio dicendi sese offeret, & liberè pro veritate pronuntiabit, vt qui nec gratia regis excidere curet, nec minas intimi gratiosi timeat, nec facultatum iacturã metuat, cùm nullas habeat, & gratiam cœlorum, ac solius Dei solam suspiret.

In hanc rem aptè locutus fuit Tertullianus, quando ait, nunquàm facilè martyres factas eas mulieres, quæ cultui corporis inuigilabant, & carnis delitias studiosè consectabantur. Verba illius ex lib. de cultu fœmin. c. 13. sic habent: *Ceterùm nescio an manus spathalio circumdari solita in duritia catenæ stupescere sustineat. Nescio an crus de periscelio in neruum se patiatur arctari. Timeo ceruicem, ne margaritarum, & smaragdorum laqueis occupata locum spathæ non det. Quare benedictæ meditemur duriora, & non sentiemus, relinquamus latiora, & non desiderabimus. Stemus expeditæ ad omnem vim, nihil habentes; quod relinquere timeamus*; quasi apertiùs dixisset: O quàm vereor; ne assuetæ armillis aureis manus non ferant manicas ferreas! Dubito an sint toleranda pedicas crura adscitijs ornamentis antehæc exculta: Dubitò an gladium excipiet monilibus radiare solitum collum. Quare consultè facietis, ô piæ fœminæ, si asperis assuescatis, vt familiaris vsus toleratu ea faciliora reddat; si renuntietis prosperis, vt ne vos aduersa frangant, nec sit aliqua cupiditas eorum, quæ spontè à vobis abdicastis. Omnem terrenorum affectum procul abijciamus, vt cùm nihil habere volumus, etiam nihil timere possimus. *Stemus expeditæ ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus.*

Vertamus hæc eò, vt vsui esse possint concionatori, qui è loco publico publicum rectè instituere velit ministrum, vt munere suo probè fungatur, quod faciet, si Tertulliani bona monita suscipiat. Si quis vult Christianâ libertate ad dicendum vti, non studeat suis incrementis, non ædificet domos, non se tradat delitijs, & vitæ mollitiei, non vertat officium ad suæ familiæ splendorem amplificandum, non habeat oculos fixos in gradum dignitatis sublimiorem. Quando enim hinc quidem sese offert occasio loquendi Principi, & apertè, audacterq; monendi, quæ ex vsu boni communis, vel facere, vel relinquere infecta debeat, illinc verò occurrit animoque domus, quam perdere possit, delitiæ, quibus excidet, incrementum opum, quod cessabit, exilium, quod timere queat, status celsior, quem consequi nequebit, quo modo is liberè, animoséque loquetur? Si ambit mitram, si locum dignitatis editiorem, si amplum officium, aut aliud tale quidpiam, quomodo ex nube pulpiti effulminabit radium veritatis? Mitra illi obstringet linguam, vt non rectè moneat, & soluet, vt assentetur, & quæ placitura putat, loquatur. Primogenitura, amplificandi generis cupiditas, ambitus honoris maioris, collocandus in matrimonio filius, procurandus fratri habitus ordinis militaris, impetrandus cognato census annuus, obtinendum amico fido, & familiari officium, quid aliud esse possunt, quàm frenum, quo coërceantur, vt ne syncerè, & sanctè pro veritate pronuntient, qui ex officio debent? Exoccupetur ergo ab omni terrenorum affectu animus, eijciatur è corde omnis honorum, & bonorum cupiditas abijciatur è pectore omnis respectus humanus, sic enim quòd res est, nudè, integrè, intrepidè dicetur. Non enim habet quod timeat, qui non habet quod perdat. Non curet minister, si è regno in regnum migrandum fuerit, ità non præteribit illum occasio, quâ cum libertate Christiana suam proferre audacter sententiam possit: *Stemus expediti ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus.* Sic veritas florebit, & consilia fructum producent, quem Dominus rectæ procurationi suæ Ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus optat.

Dubitatum à multis fuit, quid permouerit Ecclesiam, quod iniuges voluit manere sacerdotes. Latina certè nulli permittit connubium. Quid causæ habuerit, quod permittere vxores sacerdotibus noluit? Rationes multæ sunt, omnesque momentosæ, graues, iustæ, quare Sponsa Christi voluit, ac vult, etiamnum cælibes viuere suos sacerdotes. Apud Ioannem Raulinum Tomo 7. serm. 2. de Matrimon. vna è multis præsenti causæ opportuna sic habet? *Quià mundanus timor faceret eos venerari maiores, adulari medijs, & spernere minores. Et per hoc omnis correptio, & prædicatio esset dissimulata & corrupta. Et propter hoc, vt dicit Gerson, multùm expediret, vt prædicatores nihil acciperent, quià eorum prædicatio magis reputaretur, quià sæpè per hoc, quod prædicator capit ad omnes manus dissimulantur vitia, quæ debent impugnari.* Si quis sacerdos & vxoratus esset, &

concio-

concionator, putas nudam ingenuè, audacter eloqueretur veritatem? Putas admorderet vitia, obiurgaret scelera, & Regum maximè, aliorumque, qui opibus, & autoritate valent, animosè, ac liberè damnaret maleacta? Quomodo filium promouere, dare nuptui filiam, diuitem facere familiam poterit, nisi dissimulet vitia, tegat culpas, extenuet flagitia? Immò & hoc è re publica Ecclesiæ esset, si ecclesiastæ pro suo euangelico ministerio nihil remunerationis admitterent, Paulumque imitarentur. Nam ex eo, quòd concionatores ambabus, vt dicitur, manibus munera excipiunt, fit, vt astutè occultentur crimina, quæ damnari liberè deberent. Ex rerum enim copia nascitur timor perdendi, ex timore autem sequitur, vt fidenter loqui non audeat, qui suorum stipendiorum iacturam formidat.

Si non est ità, interrogemus Ioannem Cluniacensem, vnde perfidioso Iudæ illa sua immoderata, & insatiabilis auaritia nata fuerit, qui *fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat*; Ioan. 12. 6. & tenues pauperis Domini sui facultatulas depeculabatur. Respondebit enim, intemperante vxoris amore incitatum fuisse, vt reculis suæ fidei creditis furaces manus afferret. *Proditor Iudas argentum datum Christo furtim accipiens dabat vxori.* Vix aliqua offerebatur communi alimoniæ sancti Collegij eleemosyna, quando improbissimus œconomus Iudas surripiebat, quidquid illud poterat, ferebatque vxori, quæ illi occasio, sordidæ auaritiæ fomentumque fuit. Idem timere apud multos sacerdotes, si vxorati essent, possemus. Nam ex ardentiore coniugum amore, ex cupiditate prouehendi, & locupletandi liberos obiurgationem vitiorum prætermitterent, nouasque comminiscerentur corruptionis theologiæ opiniones, quas schola cœlorum nec amplectitur, nec probat. Hæc enim miseria hominis opulenti, qui cor suum addixit ædificijs, amplæ familiæ, diuitijs, quod *timet*, vt loquebatur Sanctus Ioannes Chrysostomus vbi suprà, *pro domo, pro famulis, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid ex his auferat. Et qui multorum est Dominus, idem multorum seruus esse cogitur.* Qui timet perdere quod habet, idem Principum, magnatum, copiosorum palpo est, & perpetuus assentator.

Si palatiorum spiritualem profectum, & vtilitatem sic omnes procurarent, vt quæsiuit Elias, alia profectò esset illorum disciplina, alia Principum institutio, & mores alij. Quot annos transmisit Elias in aula? Quamdiu triuit regiam? At videamus quid boni ibi effecerit. Illud primuùm, quòd de rudi, & vili habitu omnibus notus erat. *Vir pilosus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus* dicebatur 4. Reg. 1. 8. Itaq; qui audiebat nomen pauperis, pannosi, laceri, tenuiter vestiti, Eliam statim intelligebat, illum prophetarum ardentissimum, illum ad sanctam iram propensissimum, & iustas ob causas stomachosissimum. Elias fuit, qui prophetas falsos tam multos vna occidione deleuit. Elias, qui regi Achab intrepidè restitit. Elias, cuius precibus è cœlo aduocatus ignis quinquagenos milites semel, & iterùm deuorauit. Elias, qui regi Ochoziæ suam idolomaniam exprobrauit. Elias, qui cœlum pro suo arbitrio nunc clausit, nunc aperuit. Elias, qui terrori fuit hominibus summis, infimis, mundo toti. Elias, qui Deum iuramento constrictum triennio, & vltrà tenuit, vt nullam interim è loco superiore guttulam aquæ demitteret. Hæc, & multò plura fecit, quæ narrare vellem, si par voluntati facultas esset, & tempus permitteret. Vnde illa sacro Eliæ audacia, vnde animi tantum robur? Chrysostomus vbi suprà ait: *Nihil præter meloten possidebat. Nihil enim, nihil omninò sic liberè loqui, & in rerum discrimine fiduciam habere, & contrà captiuitatem satis munitum, & fortem facit, vt nihil possidere, & nullis sæcularibus obrui negotijs.* Nihil expetebat Elias præter solam vilem, rudem, ac tegendæ nuditati necessariam vestem; huc tota illius ornamentorum temporalium concupiscentia extendebatur, & præter honorem, ac gloriã Dei aliud nihil ambiebat. Opus illius erat omnem è mundo expulsare idololatriam. Summa opum, paupertas euangelica antè promulgatum euangelium. Cura illius tota, vt discipuli illius religiosi suos in cœlum transferrent thesauros. Quid mirum ergo quòd tam audacter increpauit reges, tam intredità obiurgauit Principes, qui præter vilem, pannosumque habitum nihil habere voluit? Quid magnum, quod tam animosè inuehebatur in idolorum cultores, qui nihil habebat præter vitam, quam perdere poterat, & optabat pro Dei gloria, & honore morti offerre?

Hinc iam non admiror, quòd noster Patriarcha tantùm se demiserit coram eo, quem Superi illi seruum designauerant, vt *progrediens adoraret pronus in terram septies*; Genes. 33. 3. & serui sui seruum se nominaret & illum suum dominum vocaret, faciemque eius vultui Angelico similem vidisse diceret, totamque familiam suam ad eundem adorandum suo & exemplo, & imperio adduceret, idque vt furorem illius euaderet. Multa nimirùm habebat, quæ perdere poterat, vxores, liberos, familiam, supellecti-

lem,

tem, greges. Et quanquàm de Iacobre dici potest, prudentiæ fuisse, quòd timuit, aliorum tamen damnabilis ferè est timor, qui dum metuunt ne vel iacturam patiantur, vel incrementa non faciant eorum, quæ habent, multorum sæpè scelerum, quæ superiùs indicauimus, fiunt vel autores, vel fotores.

## CAPVT II.

*Proprium est hominis humiliare se, cùm quid ambit, & obliuisci benefactorem, cùm exambijt, quod prensabat.*

NEmo accusat nostrum Patriarcham, quòd eâ occasione tantùm se demisit. Tametsi enim indubitatum habebat, certò sibi affuturam Dei opitulationem, non propterea debebat intermittere quidquam eorum, quæ ipse ad conciliandum fratrem facere poterat, & ad liberandum ab inuasione, quam timebat, vxores, liberos, familiam. Illud verò acrem meretur increpationem, quòd multi affectant imitari sancti Patriarchæ submissionem, adorationē, adgeniculationem, prostrationem, omnemque venerationem, & magnificas promissiones, donec impetrant, quod cupiunt, aut euadūt periculum, quod timent, postquàm verò obtinuerunt, quæ optabant, & enaserunt discrimen, quod metuebant, non recordantur promissorum, vt ea expleant, nisi quòd nonnunquàm etiam humilitas in superbiam vertitur, vt minari posthæc soleant, qui antè obsecrabant, & rusticè ingrati fiant, qui humiles supplices fuerant.

Nescio an in figura, & ex nomine talium dixerit regius Propheta, cùm ait: *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*; Psal. 62. 2. velut pluribus dixisset: Vix sol iste, ô Deus meus, summa montium cacumina suis perfudit radijs, quando vox mea cœlestes fores tuas pulsat, & inclamat. O quàm vehementer sitit anima mea tuæ auxiliaris gratiæ præsidium, & subsidium! Iam corpus meum varijs necessitatibus, neque leuibus, laborat, & proinde tuam opem ardenter suspirat. Hanc orationem, quod titulus psalmi loquitur, obtulit Dauid Deo, *cùm esset in deserto Idumeæ*, quando fugiens iram Saulis in eremum interiorem se recepit, atque in antro Odollam velut sepeliuit. Inter eiusmodi angustias adornauit illas tam ardentes preces.

Sed non præterijt aquilam Doctorum sanctum Augustinum modus, quo declarauit afflictus Propheta suam anxietatem, & remedij desiderium, inquiens: *Sitiuit in te anima mea.* Sitim vocat cupiditatem euadendi periculum, in quo versabatur, cùm illius vitæ necem rex infensus tam multis, & magnis modis intentabat. Dicit nunc Augustinus: *Modò oratio, quamdiu sitis, cùm sitis transierit, transit oratio.* Quàm benè ardens sitis vocatur multorum obsecratio! Cùm afflicti rogant, cùm lugentes, ac mœsti petunt, cùm in ærumnis positi clamant, sitire feruntur, quià euenit illis, quod multis ægris, quos cùm implacabilis tyrannis seuæ, & igneæ sitis adurit, non est fons ijs aliquando visus, cuius non habeant tam viuam memoriam, quam si ob oculos coràm præsentem haberent, nec fluuium recordantur, quem non exhaurire ad extremam vsque guttam vellent, nec montem, aut vallem aliquam transierunt, ad cuius fontem, si quem ibi conspexerunt, desiderio non recurrant, cùm ardentis mali feruore exarescunt. Quot proposita concipiunt inquirendi fontem, adeundi fluuium, petendi riuum, mox vt per vires è strato exurgere queant? cessat ægritudo, redeunt in concordiam humores, transit flagrantis sitis austeritas, iamque omnem riui, fluminis, fontis memoriam abijcit, qui fuerat infirmus, acsi nihil horum vnquàm vidisset, nisi quòd etiam tam inuisus est illi aquæ intuitus, quàm exosa omnis res alia, quæ noxia.

Ad hunc modum dicit Propheta ex nomine multorum: *Sitiuit in te anima mea*; qui eorum similes sunt, quos dira sitis afflictat: Velut enim hi, dum eo malo laborant, vario proposito ad petendos fontes se obfirmant, eorumque ne quidem recordantur, cùm extincta sitis fuerit; sic multis Dominus fons est, Nam cùm siti calamitatum, aduersitatum, periculorum vrgentur, tunc illum humiliter, & cōtentis vocibus inclamant: At cùm præterijt ærumna, conquieuit discrimen, & sitis necessitatis, vel angustiæ abijt, non reminiscuntur fontis, elabitur ex memoria, & contemnitur Dominus, sicut ægri, qui consanuerunt, aquam ex animo amittunt: *Modò oratio, quamdiu sitis, cùm sitis transierit, transit oratio.*

Hoc est, quod mellifluus Abbas sanctus Bernardus lib. 4. de Consolat. aiebat: *Importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperint, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores.* Mirum est videre eos, qui in aula Romana quidquam ambiunt. Quàm molesti, & infesti sunt, vt obtineant, quod suspirant! Quàm anheli, & turbulenti percursitant omnia loca, vbi spes aliqua potiundi affulget! Quos non mōtes aureos spondent, quæ non officia

officia pollicentur, quo non humillimæ obseruantiæ genere colunt, quàm non reuerenter adorant eos, quorum operâ efferri posse sciunt, & euehendos sperant! At postquàm votorum compotes facti, quàm sunt immemores & beneficiorum, & omnium promissorum! Vt canonicatum consequantur, vt piscentur mitram, vt purpuram vestire liceat Cardinalitiam, quàm magnifici sunt sponsores! At potiti rerum, quas tam inhianter expetebant, quàm sordidè negligentes sunt suarum pollicitationum! Ea est indoles hominum, & consuetudo familiaris, vt adepti, quæ prensârunt, non soluant, quæ promiserunt.

Barbarum, & rebellem Pharaonem castigauit Dominus, vt populo eius, qui durâ seruitute oppressus iacebat, liberum abitum permitteret. Duæ iam plagæ præcesserant. Primùm enim aqua fluminis in sanguinem versa fuerat, vt biberet sanguinem decurrentis fluminis, qui cruorem lugentis populi sitiebat. Deinde excitauit superus iudex fœdas in omni Ægypto ranas, quæ ad intima immanis tyranni penetralia, & secreta cubilia irruebant, sic vt nemo eas prohibere posset. Ad preces Moysis sublatum fuit hoc flagellum, sed monet sacrum oraculum, quod *Videns Pharao, quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus.* Exod. 8. 15. Et qui dixerat: *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificet Domino;* ibid. v. 8. cùm vidisset superiorem subsidisse tempestatem, conquieuisse plagam, extinctam cum mortuis ranis afflictione, non modò non expleuit promissa, verùm etiam adamantinum cor illius factum est, quod fuerat æreum.

Quot Pharaones habet mundus! inquit Nicolaus Lyranus. Sine numero sunt, qui eum imitantur. *Sic faciunt multi,* ait ille, *qui, cùm in afflictione positi sunt, multa Deo promittunt, sed extrà periculum positi retractant.* Retractationes, vt optimè Augustinus, sic quidam, pessimè, & impiè faciunt, suorum dictorum, quià non modò non præstant, quod Domino spoponderunt, verùm etiam, cùm euaserunt periculum, aut conualuerunt ab ægritudine, aut voti alicuius compotes sunt facti, oppugnant Dominum beneficijs, quæ ex liberalibus ipsius manibus acceperunt. Opum enim facultates, quas per litem in iudicio recuperârunt, ad ipsius offensas vertunt, cùm in vanitates, & turpem libidinem effundunt, bonâ autem valetudine ad irritandum tam magnificum benefactorem abutuntur, noua excogitantes peccata, quibus prouocent eum, cuius beneficio reddita est sanitas.

Hoc est, quod Cordubensis Philosophus Seneca lib. 3. de beneficijs c. 1. aiebat: *Audi voces petentium. Nemo non victuram semper in animo suo memoriam dixit, nemo non deditum se, & deuotum professus est, & si quod aliud humilius verbum, quo se oppignoraret, inuenit. Post exiguum tempus ijdem illa verba priora quasi sordida, & parùm libera euitant. Perueniunt deinde eò, quò, vt ego existimo, pessimus quisque, atque ingratissimus peruenit, vt obliuiscantur.* Quàm varij, & humiles gestus eius, qui commodatò pecuniam, siue aliud quidpiam petit! Quanta plaustra mutuorum officiorum pollicetur, si à præsenti calamitate, quod rogat, eripiatur, & in securitatem afferatur! Quàm exoleta vocabula comminiscitur, quæ monstra nominum non excogitat, quibus suam proptissimam gratificandi voluntatem more inaudito significet, vt quā suspirat gratiā, exobsecret! Seruū, mediastinū, mancipium, captiuum profiteri, nimis tritum est, insolentia submissionis verba confingunt, quæ in nullo Calepino, aut nomenclatore inuenire queas. Verùm expecta mihi istos tam humiles, & perofficiosos, donec assequantur, ad quod aspirabant, & videbis quid agant, quomodo intumescant, supercilia attollant, ceruicem erigant. Iam aspernantur eos, quorum manibus è periculo, quorum numis ex ære alieno sunt erepti, quorum studio arduum feliciter confecerunt negotium. Tale ferè est ingenium hominum, vt plurimam submissionem simulent, donec prensant beneficium, vel officium, statimque ac illud sunt consecuti, ex fluuio Lethe aquam obliuionis obbibant, nisi quod ex humillimis, & extremis mediastinis, quales se ipsi appellitare antè solebant, infensissimi, & mortales hostes nonnunquàm fiant.

Forteàn ego hoc primus affirmo? Ab ipso veritatis ore suam hæc sententia trahit originem, cuius hęc sunt Ecclesiastici c. 29. v. 5. *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam, & in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædij, & murmurationum, & tempus causabitur.* Fit vt veniat quidam petens mutuò pecuniam, quâ ad vim repellendam, aut redimendam vexationem vnicè indigeat. Vt verò exambiat, quod ambit, appetit manum patroni, quem implorat, eamque blandè dissuauiatur, & mancipium se pro beneficio sempiternum offert. Appetit soluendi hora, debitum humanus creditor exigit. Hîc iam querimonias, & contumelias suboriri audias, &

verba

verba pro iustis debitis rependi, & culpitari primùm temporis angustiam, deinde etiam illius, qui mutuauit, nimiam festinantiam, & austeritatem. Nonnè videtis, quàm perspicuè hanc doctrinam nobis tradat Spiritus Sanctus, cùm ait, *Donec accipiant, osculantur manus dantis?* Quæ alij sic transtulerunt: *Est qui dum accipiat, osculatur manum suam.* Quid est suam ipsius manum osculari? Adorare eum, à cuius manibus accipit, quod petit, & hoc illi præstare, quod fieri ergà ipsum Deum cœli fieri solet. Osculari sibi ipsi manus olim signum erat orationis, quæ ipsi Deo deferebatur. Omnibus exploratum est illud sancti Iobtis, quod semper ad probandum hunc ritum, ceremoniamque adferri solet: *Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo;* Iob 31. 26. 27. quod tale fuit, acsi dixisset: Ego nunquàm fui idololatra, non adoraui solem, & lunam, vti multi cæci, & decepti fecerunt. Hoc est, quod ait Spiritus S. fieri à multis, quando aliorum operâ, & gratiâ egent: *Est qui dum accipit, osculatur manum suam.* Quando homo quispiam opus habet alio, sæpe hoc facit cum illo, quod cum ipso Deo cœli, adgeniculatur coram illo, procumbit in terram, adorat illum, tanquàm esset Deus, gemit, suspirat, illachrymat, donec quod petit, consequatur, & obtineat. At postquàm desiderio illius factum est satis, postquàm impetrauit beneficium, & pecuniam, quam rogabat, cummodatò accepit, & iam reddendarum gratiarum, soluendiq; debiti tempus aduenit, aspera dat responsa, stomachatur, succenset, iniurias etiam reponit ijs, quibus anteà magnifica promissa fecit, & frequentem adorationis cultum exhibuit. Communis hominum mos id habet, vt dicant, Deum quendam esse, à quo auxilium opemq; expectant, prout illum venerantur, & adorant, posteà verò quàm potiti sunt rerum, quas requirebant, & suspirabant, affirment, dæmonem peiorem illo apud inferos non esse alium.

Istud genus hominum expressit Paulus Aresius lib. 3. delle emprese 24. tom 3. quodam symbolo cameli adgeniculati, iuxtà quem erant nonnullæ sarcinæ vestium, & inscriptio, *Donec accipiat*, subaudi onera. Nota est huius animalis proprietas inter omnia quæ nouimus (nouimus autem multa) peculiaris, estq; ea, quòd cum illi inijciendum onus, submittit se in terram, & postquàm excepit sarcinas, erigit sese, & pergit. Tales sunt multi, neque aberrabo, si dicam plerique, qui accepturi beneficium, gratiam, dignitatem, vtq; obtineant, quod ambiunt, camelos imitati in terram vsq; se deijciant, iam non manus tantùm, sed & pedes eorum, quos sperant patronos, ac terram etiam, quam illi calcant, osculantur, consecuti autem quod expectabant, erigunt sese, & efferuntur superbiâ, nec recordantur ampliùs eos, qui contulerunt beneficium, mutuarunt nummos, exemerunt è periculo, auxilio fuerunt in necessitate, & inter angustias subuenerunt. *Donec accipiant, osculantur manus dantis*, inquit Spiritus S. Gibbosi, ac deformes cameli sunt, quicunque tales, dum prensant quidpiam, humilitate magis humiles videntur, postquàm obtinuerunt, quod volebant, omni inurbanitate inurbaniores, & quouis agresti rustico magis sunt agrestes, & rustici.

Vt Aresius tales comparat camelis, sic ego eos possum conferre cum auibus fœmellis, idq; ex doctrina, & obseruatione illustrissimi martyris, & Archiep. Antiocheni S. Eustachij in Hexæm. vbi sic ait: *Aues fæminæ, quousq; conceperint, marē admittūt, postquā conceperint, auersantur.* Conseruandæ speciei, & propagandi generis sui desideriū à natura omnibus est insitum animalibus, fœmellisque videtur vehementior ingenita esse huius rei cupiditas. Verùm aues eo tempore, quod naturæ parens deputauit cōceptui, faciles se non solùm suo consorti submittunt, vt is illarum promoueat, & iuuet intentum, verùm etiam aduocant, incitant, & velut postpositâ suâ existimatione, indagant, & procantur: At vbi concepisse sentiunt, & masculorum auxilio non amplius indigere agnoscunt, non eos deuitant tantùm, & fugitant, sed etiam dedignantur, & horrent, rostroque, & vnguibus, vim, quamcunque mares inferre volunt, repellunt: *Quousq; conceperint, marem admittunt, postquàm conceperint, auersantur.* Sic pars hominum mundanorum maxima facit. Quo tempore premuntur necessitate, & aliorum ope opus habent, & versantur in angustijs, humiliant se, & submittunt, inuisunt eos, & comitantur, quos sperant auxiliares, officiosis etiam oblationibus, & grandibus promissis demerentur, ac deuinciunt: Verùm compotes facti votorum, post depulsum periculum, post confectum ex voluntate negotium, post curatam, & sublatam necessitatem, *postquàm conceperint, auersantur*, & non modò non visitant, adeunt, consalutant benefactorem, verùm etiam quauis occasione illi obtrectant, & maledicunt, & beneficia eius extenuant, & ne gratos ostendant, mille modos inueniunt, quibus obscurent, & offuscent.

Tanquàm rem singularem de se narrat Propheta regius, se non esse in numero eorum, quorum vix est

est numerus, inquiens: *Exurrexi, & adhuc sum tecum*; Psal. 138. 18.

Quidnam hoc peculiaris operis, quid facinoris eximij, quod ad æternam memoriam nobis sanctus Propheta scriptum reliquit?

Audite sanctum Ioannem Chrysostomum illud in eius Psalmi commentario exponentem: *Exurrexi, & adhuc sum tecum. Non est paruum signum virtutis, in rebus secundis virtutem perpetuò conseruare. Multi, inquit, cùm res eis euenissent, tui obliti sunt: At non ego, inquit, sed cùm etiam exurrexi, hoc est, cùm sum liberatus à malis, semper ero tecum.* Erexi me ex ærumnarum, persecutionum, calamitatum misero statu, & nihilominùs constanter apud te perseuero, te adoro, teque in memoria, & reuerentia habeo, etiam postquàm me in excelsum maiestatis solium elatum video. Hoccine verò illud factum tam singulare, rarum, eximium, nunquàm visum? Immò verò, ait Chrysostomus, quià consuetudo hominum vetus semper habuit, & mos hodiernus etiamnum habet, (quod videmus, & experimur quotdies) vt cùm se constringi necessitate cernunt, multa promissa faciant, sese humilient, demittant, subijciant, at postquàm impetrârũt postulata, effugerunt periculum, nec hominum ampliùs, neque Dei recordentur, qui afflictis opitulari dignatus fuit. Verùm ego non sum eo ingenio, quo plerique, inquit bonus Dauid, nam vt nuper, cùm me Saul insectabatur, & exagitabat, eram humilis, sic & nunc sum mei similis, cùm me homines adorant: *Exurrexi, & adhuc sum tecum. Multi, cùm res eis euenissent, tui obliti sunt, at non ego, sed etiam cùm exurrexi, cùm sum liberatus à malis, semper ero tecum.* Qui humilis, ac gratus post obtentum gratiæ, quam suspirabat, beneficium permanet, næ ille plusquàm Phœnix haberi potest, egreditur nimirùm vsus communis limites, contràque ac homines ferè solent, facit, de quibus Seneca Epist. 61. ait: *Nihil carius æstimamus, quàm beneficium, quamdiu petimus, nihil vilius, cùm accepimus.* Cùm quis ægrâ, eaque periculosâ laborat valetudine, quot preces, quot vota, quot proposita pia in suo strato concipit! Cùm quis in discrimine naufragij, latronum, cæterarumque talium aduersitatum dubius vitæ versatur, quid non promittit! Quid non dicit, vt Dominum ad ferendam opem aduocet, perque illum liber euadat! Postquàm conualuit, flumen transmisit, in portum appulit, vitâ saluâ manus prædonum effugit, quàm rusticus est, quàm ingratus suo benefactori, à cuius munificâ manu gratiam accepit. *Modò gratio, quamdiu sitis, cùm sitis transierit, transit oratio.* Vt post mitigatam sitim nulla est recordatio fontis, vel fluuij, vt nulla est memoria penulæ, cùm sudum est cœlum & præterijt pluuia, cuius gratiâ viatores laternâ vti solent: Sic multi sunt, qui cum nostro Patriarcha venerantur, adorant, seque deijciunt, & submittunt; at non imitantur eũ per omnia, neque perdurant in humilitate post consecutionem beneficij, quod optârant, vt ille perseuerauit. Sanctus Iacob enim postquàm in gratiam cum fratre redierat, postquàm veniam, quam rogabat, impetrârat, postquàm transitum liberum, & securum inuenerat, quod vehementer desiderabat, postquàm se incolumem, vxores autem suas, & sobolem, & familiam, & greges, & omnia salua viderat, adhuc fratri suo Dominus dicebat, dominumque suum illum appellabat, inquiens: *Hoc vno tantùm indigeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo, Domine mi*; Genes. 33. 15. velut dixisset: Non velim quenquam tuorum hinc delassari, quod me per viam reliquam comitatur, illud vnum mihi ad omnem felicitatem satis fuerit, si me in terris tuis, sed charis, & gratiosis, beneuolens Dominus numeraueris.

Hoc debet Politicus noster imitari, & facere, vt ne in vulgo infimæ plebis, inter agrestes, & incultis moribus homines recenseatur, ne vnus ex eis existimetur, qui cùm quid ambiunt, se humiliant, ac demittunt, cùm exambierunt, vt sunt rustico, inhumano, barbaro ingenio, sic vile tergum illi obuertunt, qui necessitatib⁹ illorũ tulit remediũ, & periclitãtes sospitauit, & in ãgustijs positos in locũ ãplũ asseruit, & ęrumnę pondera, quib⁹ pręgrauabantur, ademit.

*Pulchrè in hanc eandem rem scripsit Tomo II. Dominicâ XIII. post Pentecosten, Periochâ III. pag. 198. c. 2. o. Vide.*

## CAPVT III.

*Nullum tam efficax incantamentum ad placandum stomachosissimos, ad occupandum animos eorum, qui maximè barbaro, iracundo, fero sunt ingenio, quàm verba amica, & suauis sermo.*

QVantum, Deus immortalis, possunt, quantum valent dulcia verba, & blandi, melleique sermones ad expugnandos, ac subigendos hominum etiam efferatissimorum animos! Luculentum nobis huius rei experimentum præsens occasio præbuit. Quis magis ferus, & indomitus, quàm Esau? Quis magis barbaris, & agrestibus moribus? Ille nihilominùs heri tam inhumanus, durus, austerus, tetricus,

tus, barbarus, hodie tam est vrbanus, comis, facilis, vt videatur pro viuo ipsiusmet vrbanitatis, & humanitatis exemplari esse. At videamus, quomodo ille tam durus animus emollitus, quomodo illud gelidum pectus solutum fuit. Vrbanitati, comitati, submissioni, & blandiloquentiæ verborum ferreum illud, & adamantinum pectus cessit, talibus rebus Sanctus Iacob castellum fratris sui expugnauit, & validissimam feritatis illius arcem occupauit. Ad hunc modum subiguntur corda humana. Nullus magnes sic attrahit ferrum, vt verborum suauitas, & beneuolentia sermonis animos hominum. Hæc doctrina, vt Hugo Cardinalis, doctissimus Pererius, & Cornelius aiunt, in præsenti historia nobis traditur, nimirùm *demissione animi per verba, externosq; motus corporis declaratâ, affabilitate item, & comitate, atque dulcedine quadam sermonis* demulceri, mitigari, occupari animos etiam maximè alienos. Tanta enim est vis suauium verborum, vt nemo sit, qui ei obsistere posse videatur.

Miseratus Sponsus, ille de Canticis, iniurias, quas Sponsæ inferebant sorores illius inuidæ, aiebat: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; Cant. 2. 2. acsi dixisset: Quàm periculosè in medio aculeatarum, & agrestium spinarum tenerum, & candidum lilium versatur, tam ægrè est Sponsæ meæ inter suas comites, quas habet verborum, operumq; suorum omnium vt oculatas exploratrices, & obseruatrices, ità periniquas, inimites, inuidas iudices. Mulieres ergò nobiliores Ierosolymitanæ nihil aliud erant Sponsæ, quàm sentes, spinæ, tribuli, qui vitam illius punctim appetebant, moresque, & actiones eiusdem quasi inflictis vulneribus fœdare, vitiare, obscurare, & de sua existimatione deijcere volebant. At videamus vtrùm Sponsa mulieres illas, spinas, sentes, hoc est, suis nominibus vocet. *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem*, aiebat ad illas Cant. 1. 4. Hic videtur esse manifesta pugna contrariarum appellationum. Sponsus nempè illas nominat pungentes incultæ syluæ spinas, & Sponsa filias Ierusalem, domicellas aulicas, ad omnem vrbanitatem, comitatemq; educatas vocat. Quid conuenit rosis hortorum cum spinis syluarum? Quid agrestibus plantis cum floribus domesticis?

Sanctus Bernardus ab hac nos absoluet dubitatione, qui ait, non nescisse Sponsam, quanta esset istarum mulierum maleuolentia, quanta linguarum petulantia, quarum dentes experta fuerat, & sensegat aculeos; vocasse nihilominùs filias Ierusalem, tantâque ergà eas comitate, & verborum suauitate vsam, vt earum asperitatem leniret, emolliret pectoris duritiem, cùm sciret, indomitissima ingenia cicurari blandiloquentiâ, & suauitate sermonis. Mellifiui Doctoris gemmea verba ex Serm. 25. in Cant. sic habent: *Hæc igitur ratio, cur Sponsa filias Ierusalem dicat eas ipsas, quas maleuolas sustinet, atque maledicas, videlicet vt blando sermone deliniat murmurantes, commotionem sedet, sanet liuorem. Scriptum est enim, lingua pacifica compescit lites.*

Huc spectat illud Theophrasti lib. 2. de caus. plant. c. 19. *Agricolatio arbores, fructusq; mitigans mutare nimirùm potest.* Quantumuis agrestis sit planta, quantumuis montana arbor, si colatur, si rigetur, si stercoretur, si fodiatur, si suauiter habeatur, & blandè curetur, foueaturque, quidquid montanum, & agreste habebat, relinquit, neque corticem modò alium, verùm etiam aliam conditionem induit, fructusque edit tam suaues, & gratos, quàm vllæ aliæ domesticæ, & vrbanæ producunt. Totum hoc potest, & efficit industrij, & studiosi hortulani mollis, & blanda manus. Sic Sponsa cùm sciret, quantùm valerent mitia verba, & quàm efficaces essent ad mutandum animos vrbani sermones, socias suas, quanquàm spinas, & tribulos esse nosset, suauiter appellat, dulci responso demulcet, humanè, leniter, affabiliterque suscipit, vt eas mitiget, & ex spinis syluestribus in rosas domesticas vertat, inq; lilia horti mutet. Tantùm valet suauitas verborum, & *difficile dictu est quantoperè conciliet animos hominum, comitas, affabilitasq; sermonis*, inquit Cicero in lib. de Offic.

Vt affabilitatis amorem, & morum facilitatem, & vrbanæ consuetudinis vsum nobis Salomon persuaderet, quo auersissimas, & aduersissimas voluntates expugnare, & demereri possemus, aiebat: *Lingua mollis confringit duritiam*; Prou. 25. 15. Sanctus Ioannes Chrysostomus hæc ità transtulit: *Sermo mollis confringit ossa.* Exponit autem in homil. de Dauide, & Saule ad hunc modum: *Quid osse durius? Et tamen si quis æquè durus sit, & rigidus, atq; præfractus, nihilominùs facilè vicerit, qui illum mansuetè tractet.* Ossis ea est durities, vt ossis nomine donemus hominem, quem præfractum significare volumus. Iam quid tam molle, blandum, tenerum, quàm lingua? Nihilominùs illud tam durum os mollire in leues cineres blandiloquentula lingua potest.

Probatur hoc ex eo, quod humili Dauidi cum superbo Saule accidit. Quis lupus tam immaniter persecu-

persecutus est innocentem agnum, quàm ille ferus rex sanctum iustum iuuenem? Occurrerunt sibi quondam mutuò, quando Dauid pedibus Saulis se affundens, hæc magna cum submissione, & multis lachrymis dixit: *Quem persequeris rex Israël? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum;* 1. Reg. 24. 15. Itané canis exanimalis in sterquilinium eiecti putidum sanguinem rex tantus sitis? Quale illud, aut quâ memoriâ dignum facinus, quòd rex potentissimus imbecillem subditum insectaris? Quomodo fieri potest, vt pauxillula mei sanguinis portio sit iusta potio illi, qui pro debito patris, & Principis officio debet suum sanguinem huc vertere, vt minimum quemque eorum, quos subiectos habet, tueatur, & seruet incolumem? Quidnam hæc verba effecerunt in fero pectore vindictæ cupidi persecutoris? Id, quod in ignito silice virga taumaturga Moysis. *Nam eleuauit Saul vocem suam, & fleuit;* ibid. 17.

Sanctus Chrysostomus homil. 3. de Dauid. & Saule in hæc sic ferè ait: Nonné vides quanta sit lenium verborum efficacitas? *Ex homicida fecit patrem, è lupo ouem. Fornacem iracundiæ multo impleuit rore, tempestatem vertit in tranquillitatem, atq; tumorem omnem exæstuantis animi iræ perstrinxit.* Hæc sunt affabilitatis, & comium verborum facinora. In omnibus Ouidij transformationibus nullam inuenies metamorphosin huic similem. Apud illum inuenies hominum alios in duros truncos, alios in confragosos scopulos, alios in syluestre senticetum, alios in voraces lupos, alios in feros apros transmutatos: At in libro linguæ vrbanæ, & blandæ quotidie legimus, luporum sanguinolentissimos versos in agnos, & ex truculentissimis apris humiles oues, ex inaccessis rupibus peruios campos, ex crassissimis truncis fragrantes rosas factas. Hæc, & similia opera, talesque metamorphoses efficere sermonis suauitas, verborum affabilitas, linguæ comitas potest.

Huic doctrinæ inhærentes consiliarij Roboam maiores natu, & senes consulebant illi, vt populo obsecranti minui nonnihil tributorum pondera, quibus illos auara defuncti patris eius senectus suprà virium facultates prægrauârat, blandis, & paternis verbis suauiter responderet, inquientes: *Si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusq; fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus;* 3. Regum 12. v. 7.

Abulensis ait, hos consiliarios voluisse dicere regi, quòd facilè placaturus esset subditorum animos, eosque benè contentos, hilares, lætantesque à se dimissuros, dum verba modò blanda daret, affabiliterque eos appellaret, tametsi propositum haberet, factis dicta non persequi, & facere nollet, quod tumultuarij populi supplex libellus calamo linguæ omnium in aëre conscriptus expetebat: *Quanquàm non essent verba vera, dum tamen essent lenia, sufficiebat ad placandum tunc animum populi concitatum, quià responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem;* inquit ille. Tanta est in verbis comibus vis ad deuinciendum homines, vt malint sibi blandè aliquid negari, quàm concedi aspere, gratiusque habeant suaue *non*, quàm amarum *ita*. At si precum repulsa, quæ ex se alioquin odiosa est, & ingrata, dulcescit, suauibus verbis condita; & si munus, aut beneficium, quod aliàs optatum, & expetitum, minus est acceptum, quando cum supercilio, & stomacho, & duris verbis conceditur, quid erit, quando simul dantur & verba bona, & quæ nostris verbis rogauimus?

Congruit his, quod Demetrius Constantinopolitanus vult ab aucupibus ergà falconem recens acceptum obseruari, vt ille suum exercendæ rapinæ officium ruri strenuè obeat. *Cùm igitur intrà diem vnum, aut alterum receperis accipitrem, pectori tuo admotum verborum blanditijs demulceto, & tanquàm ad generosam auem, in pugnaq; primas obtinente, cum illa verba facito, tum illa, quòd mali cuiusdam dæmonis insidijs non sit adepta victoriam, laudem enim, & vituperationem intelligit.* Hæc Demetrius de cura Accipitrum cap. 7. In disciplinam susceptus falco, primulis diebus tractari debet, vt à blanda nutrice tenellus infans solet, hoc est, ad pectus admoueri, & leni manu suppalpari, cum compositis ad omnem beneuolentiæ gratiam verbis deprædicari, tanquàm qui princeps aëris sit futurus, & inimicas aues non casu, & fortunâ, sed volatus sui pernicitate, & animi magnitudine, & artis industriâ, & audaciâ singulari capturus, & abrepturus. Habet enim, nescio quid illud, ista bellicosa, & nobilis auis, vt commendationis, contemptionisque sensum habere videatur.

Quòd si impos rationis auis amat blandè, comiterque haberi, & demulceri, & laudari, & tractari liberaliter, simul vt erudienda suscipitur, vt excitetur elogijs, velut consternatur vituperijs, quid mirum, quòd homo similiter, ac falco affabilitate sermonis gaudeat, & humanitate, facilitate, comitate consuetudinis eorum, quibuscum versatur, oblectetur?

Itaque Politicum nostrum talem velim, qui inimicissimum quemque cordis sui hospitio excipiat,

*& pectori sub admotum verborum blanditijs demulceat.* Suauitate namque verborum, & affabilitate sermonis hoc efficiet, quod Iacob apud Esau, quod apud Saulem Dauid, scilicet ex lupo ouem, ex senticeto rosetum, ex rigido scopulo mollem ceram. Tantùm valent, talesque transformationes operantur amica, dulcia, & plena beneuolentiæ verba. Et non est exiguus quæstus, neque parùm lucrosa negotiatio, paruis, & vilibus sumptibus ingentia commoda parare, & solo verborum impendio fœnus bonorum operum acquirere. Et quoniam Politicum nostrum ad quæstuosas eiusmodi nundinationes instituimus, mortaliter ille sibi inimicus videbitur, si tanti compendij causâ non velit tantillum impendium facere.

*Vide Periocham III. Dominica III. post Pentecosten Tomo. 2. pag.* 109. *c.* 1. *o. & calcem illius.*

## CAPVT IV.

*Nobis res quæque bona est, intereà dùm vsibus nostris commoda.*

GRande prodigium, & inaudita res accidit. Formidolosus ad meticulosum accurrit, & timidum horribilis dulci complexu cum lachrymis amantissimè stringit. Esau Iacobtem passis vlnis interrimè, & beneuolentissimè excipit. Hinc arbitrari possumus diuinæ manus potestatem, & quàm felices successus sperare possit, qui Dei ope fretus, quidquid per se potest, simul facit. Quis tale aliquid cogitasset? Quis credidisset fore, quod in talibus oculis lachrymas Iacob videret, amoremque in pectore atrocis Esau cerneret, cuius vim, & rabiem vt euadere posset, tam ardentibus precibus Dei sospitatoris auxilium implorabat? Quàm furiosum illum imaginabatur! quàm ferox, & truculentus animo illius occurrebat! Nunc autem cùm illum vidit mansuetum, cicurem, lachrymabundum, vrbanum, comem, dicit, quædam pulchritudinis diuinæ lineamenta in facie eius conspexisse, inquiens: *Sic vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei*; Genes. 33. v. 10. Quàm hoc vsitatum mundo! Cùm quis nobis est commodus, quàm elegans nobis videtur! quàm pulchrâ est facie! nullus æquè oculis nostris angelus placet. At cùm non est ex vsu rerum nostrarum, quàm deformis, & horribilis nobis videtur! Stulta putamus etiam quæ sapientissimè ab illo dicta, nec quidquam tam consultè, & prudenter agit, quòd non malefactum interpretemur. Sic plerumque res malas, aut bonas æstimamus ab eo, quòd studijs, & intentis nostris vel congruunt, vel officiunt, nostroque gustui vel acceptæ sunt, vel ingratæ. Sic Esau nunc, quando condonabat, angelus videbatur, qui antè cùm timebatur, ferox leo æstimatus fuerit.

Ablegauit Eliseus quendam ex filijs Prophetarum cum lenticula olei, iussitque ire in Ramoth Galaad clandestinè, quàm fieri posset; inquireréque Iehu ducem militiæ. Iuit, inuenit, ad quem mittebatur, Iehu, adductumque ab alijs vnxit regem, & postquàm ex Deo, & Eliseo dixisset, quæ pro officij iamiam impositi debito facere deberet, quàm secretò aduenit, tam cautè, silenterque redijt, & factorum suorum rationem Eliseo retulit. Propiùs aderant ibi quidam exercitus principes alij, qui Iehu ab vnctione ad se reuerso aiebant: *Rectène sunt omnia? quid venit insanus iste ad te*; 4. Reg. 9. 11. Nouané aliqua attulit, aut mali cuiusquam impendentis nuntius venit? Quid verò loquax ille garrulus voluit? Respondit Iehu: *Nôstis hominem, & quid locutus sit*, non nescitis; ibid. Tunc illi ex more militari: *Falsum est, sed magis narra nobis*; ibid. v. 12. ac si dixissent: Risu dignæ fabulæ sunt, & vana nugamenta, quidquid ille apud te effutiuit, dic tamen quidquid hoc est, quod tibi significauit. Respondit denuò Iehu: Verba illius ad me talia fuerũt: *Hæc dicit Dominus, Vngi te regem super Israël.* Quid tùm illi? *Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in modum tribunalis, & cecinerunt tubâ, atque dixerunt, Regnabit Iehu*; ibid. v. 13. Quid est, quod nunc tantùm detulerunt verbis eius, qui vnxerat Iehu, vt tanquàm diuini Prophetæ oraculum acceptârint, quidquid ille de regia dignitate Iehu à Deo concessa nuntiauerat, & tam indubitatò veros esse omnes illius hac de re sermones crediderint, vt & ipsi Iehu regem extemplò proclamârint, & adorârint, cùm paulò antè impostorem, nugiuendum, locutuleium, præstigiatorem reputarent eum, quem non veri vatis loco habebant? Res est, quòd cùm antè nescirent ad quid venisset, arbitrati quòd inexpectata noua tulisset, aut inauspicatum quidpiam vaticinatus fuisset, & quæ aduersa illis essent futura, præsagijsset, insanum, mente captum, loquaculum appellabant. At postquàm dixit, quòd illi diu vehementer desiderabant, nimirùm quòd nouum regem essent habituri (quam rem vulgus hominum, vt est cupidissimum rerum nouarum, sic amat, vt nulli ei satis esse possint noui reges) statim crediderunt vero veriora esse, quæcunque Elisei legatus affirmasset, statim illum sanctum, iustum, verum Prophetam existimârunt. Sic nobis ferè quilibet eâ re bonus, aut malus,

malus, sanctus, aut peccator, venustus, aut deformis est, quā nobis vtilis, aut incommodus, salutaris, aut noxius.

Corrixabantur duo captiui Hebræi, & ne incrementa sumeret malum, atque inualesceret ignis, accurrit Moyses, vidensq; vnius causā iniquā, qui proximo suo per summam iniuriam manus inferret violentas, his eum verbis obiurgauit: *Quare percutis proximum tuum?* Exodi 2. 13. Audijt hæc, qui faciebat iniuriam, cùmq; irâ flagraret adhuc animus, monitorem suum his tam acribus verbis perstrinxit: *Quis te constituit principem, & iudicem super nos? Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* ibid. v. 14. Num hodiernum diem hesterni similem fore putas, vt velut heri Ægyptium impunè mactasti, sic me hodie tutò obtruncare posse existimes, & pœnas homicidij nemo à te requirat. Faxo vt secùs eueniat, conscium enim sceleris tui faciam illum, qui vindicare possit, & ex officio debeat, quando tu alienam tibi authoritatem arroganter vsurpas, vt in nos acribus verbis animaduertas, qui nullo iure id potes.

Quæri hic potest, quamobrem vnus solus tam iniquè acceperit Moysis increpationem, prorsùmq; noluerit illum tolerare monitorem, & iudicem, quin & præteritæ cædis exprobratione, & certæ renunciationis comminatione perstrinxerit, cùm duo essent, qui altercati fuerunt, horumque alter ad illam obiurgationem tacuerit, ac ne mu quidem dixerit, eoque silentio suo illam velut approbârit.

Respondet Abulensis: *Ille, qui iniuriam patiebatur, videns pro se benè sententiari, non reclamauit, alius autem, qui iniuriam inferebat, sentiens malæ voluntatis suæ intercludi propositum, superbiens eum vt iudicem recusauit.* Quemnam verbis asperioribus Moyses castigabat? Eum, *qui faciebat iniuriam*, iniustum proximi Hebræi oppressorem, improbum aggressorem acerbiùs appellabat. Quid mirum ergò, quod hic reclamârit, quòdque alteri omnia rectè facta videbantur, cui patrocinabatur? Non ijsdem oculis illum vterque spectabat. Alteri immanis leo visus fuerit Moyses, alteri quidam angelus è cœlo, alteri sæuus tyrannus, alteri principatu, & summo imperio dignissimus: *Ille, qui iniuriam patiebatur, videns pro se benè sententiari, non reclamauit.* Quisque enim pro rerum suarum conditione probat, vel improbat, quæ fiunt, deque ijs non ex æquo, & bono, sed ex suo vsu pronuntiat. Ex nostri palati gustu censemus cibos, angelumque dicimus, qui pro nobis loquitur, dæmonem vocamus, qui aduersam nobis profert sententiam.

Graues aduersùs Æneam dabat querimonias Dido, quòd se contemni ab illo, minùsque vrbanè, & humanè haberi cerneret, cui non palatij tantùm, & regni, verùm etiam cordis sui, & animæ, omniumque virium eius potestatem fecisset, furoreque inflammata dicebat.

*Nec tibi diua parens generis, nec Dardanus autor*
*Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens*
*Caucasus, Hircanæq; admôrunt vbere tigres.*
Virgil. Æneid. 4.

Quod hîc ait, tale est: Qui te Venere matre natum, Ænea, dicit, turpiter hallucinatur, turpius mentitur, quisquis te Dardani nobili, & regio sanguine ortum affirmat, nam duri scopuli te abortierunt, Hircanæ autem tigres lactârunt, quod cùm alia multa testentur, rustica tua ergà me inurbanitas, & difficilis indolis asperitas, & tetrica ergà me morositas etiam magnis vocibus clamant.

Donatus in lib. 4. Æneidos ait: *Ecce animorum quanta mutatio! Cùm amaret, dixit:*

*Credo equidem (neque vana fides) genus esse deorum;*

*hic quià magnâ vi agitabatur, priori sententiâ suâ dissolutâ, nec esse filium Veneris, & à cælestium sanguine ait esse discretum.* Quamdiu in amoribus Æneæ Dido erat, filium Veneris, & summorum deorum nepotem illum faciebat: Postquàm verò deamare, & odisse cœpit, iam non ex dijs parentibus, sed ex cautice natum volebat. Nemo Didoni magis venustus, comis, robustus, festiuus, scitus, lepidus Æneâ videbatur, quamdiu erat dilectus: At cùm se ab eo haberi contemptui vidit, quouis barbaro magis barbarus erat, nec vlla dura ampliùs cautes, quæ cum illo comparata. Vt verbo dicam, tigris illi videbatur, quæ præter rationalem animam nihil haberet humanitatis. *Ecce animorum quanta mutatio!* Quantum inter Didonem amantem, & exhorrentem, tantùm inter Æneam filium Veneris, & alumnum tigridis intererat. Sic nemo magis angelus est, vel dæmon, nemo magis prudens, aut stultus, nemo magis pulcher, aut turpis, quàm sit nostris vsibus commodus, aut aduersus.

Laborabat Pilatus, vt Christum è sanguinarijs Iudæorum manibus liberaret. Cùmq; nôsset, inuidiam esse, quæ cassam tam iniustam vrgeret, multis ludibrijs, & probris dehonestatum Dominum in conspectum tumultuarij vulgi produxit, inquiens: *Ecce rex vester;* Ioan. 19. 14. Regem ergo vestrum vultis, vt ignominioso stipiti tanquàm facinorosum hominem affigam? Hîc infremere populus, & ma-

gnis

gnis vocibus succlamare cœpit: *Tolle, tolle, crucifige eum;* ibid. v. 15. & in patibulum abripe, vt è probroso stipite pendulus animam exhalet. Quibus Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* Quis regem à subditis in crucem deposci vnquàm audiuit? Tunc illi magis efferari, & maiore contentione vociferari cœperunt: *Non habemus regem, nisi Cæsarem,* neq; alium vel patrem volumus, vel dominum agnoscimus.

Cardinalis Caietanus ait: *Quem tyrannum, & hostem reputabant, profitentur solum regem, vt Iesu crucifixionem obtineant.* Acerbam, & morte nihilo mitiorem vitam sub misera Cæsaris seruitute ducebant, crudelissimumque eius dominatum intolerantissimè ferebant, & tanquàm sæuum inimicum illum habebant, & timebant. Attamen vt Christo crucis supplicium adornarent, aiebant, neque agnoscere, neque velle alium regem, ac Dominum, quàm Cæsarem. Pater illis, non tyrannus, rex, non hostis videbatur Cæsar, spectabant enim illum vt causam, & occasionem Christi in crucem agendi, quem mortaliter horrebant. Nunc illis pater videbatur, nunc pro rege, & domino habebatur, quem damnatis consilijs suis promouendis aptum, opportunumq; cernebant. Ità crudelissimus tyrannus, dùm ad rem nostram modò faciat, nobis dulcissimus, & amantissimus pater videtur. Nam & illi, *quem tyrannum, & hostem reputabant, profitentur solum regem, vt Iesu crucifixionem obtineant.* Incomparabile, & optimum, & præstantissimum nobis est, quidquid nostris studijs accommodum. Donec Prælatus obseruit voluntati, & voluptati subditorum, loquitur blandè, & facit quodcunq; illi volunt, nec terra hominem eius similem, nec parem angelum cœli habent: Verùm si reprehendat, si malefacta castiger, si duriusculè agat, si frontem in rugam morosulus contrahat, mox dæmon videtur, & persecutor censetur, tametsi alioquin vir sit religiosus, & obseruantiæ regularis perstudiosus, tyrannus etiam audire debet, quanquàm pater sit. Cùm quis pro nobis loquitur, prudentissimum illum dicimus, si contrà nos pronuntiet, stultissimum criminamur. Ille nostro arbitrio est doctissimus autor, qui cum nostro ingenio, & sententia quàm maximè congruit, qui in eadem nobiscum versatur opinione, quidquid ille dicit, non incerta, aut dubia opinio, sed inuicta, & inexpugnabilis assertio est. Denique nihil ferè hominibus bonum, malumué videtur, nisi quod illorum gustui, & æstimationi vel consentaneum, vel repugnans, & contrarium.

## CAPVT V.

*Rerum arduarum, & operosarum facilè difficillima est condonatio iniuriarum, & obliuio contumeliarum.*

Plurimi Interpretum volunt, quod Iacob ad Esau aiebat, vidisse faciem eius quasi vultum Dei, id dixisse, vt quanta fuerit animi magnitudo fratris sui, quanta & generositas pectoris illius eâ occasione declaratum, testatumque daret. Illud ergo Iacob tis: *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultũ Dei;* tale fuit, acsi dixisset: Quòd in amplexus meos, mi frater, cucurristi, quòd collum meum tam amanter inuasisti, quòd me ambabus, vt aiunt, vlnis tam suauiter strinxisti, quòd præreptæ benedictionis iniuriam oblitus, tam liberaliter omnem noxam mihi condonasti, id tam heroicum opus, tam illustre facinus est, vt mihi de facie Deum magis ignoscentem sceleribus, quàm hominem remittentem iniurias referre visus fueris. Nec miror, quòd Iacob talia dixerit, dum cogito, quantam vim sibi inferre homo debeat, vt validissimam illam, & vehementissimam vindictæ cupiditatem, quæ suas in penitissimo corde nostro radices, easque profundas habet, coërceamus, & constringamus. Ità sentit Sanctus Ioannes Chrysostomus, qui To. 3. in homil. de decem millib. talent. sic habet: *In ira neruosiore industria opus est, violentus enim affectus est, & tyrannicus, & subinde abripit non satis vigilantes, & ad barathrum ipsum perditionis affert.* Videte ergò an sit vile opus, an non potiùs præclarissimum facinus, vincere seipsum, condonando iniurias, & de seipso tam gloriosum triumphum reportare, remittendo illata incommoda.

Necessarium est discutere hîc aliquid, quod de Propheta regio sacer Textus memorat. Cepit ille Syriam in valle Salinarum, cœsis decem & octo millibus, eoque triumpho *fecit sibi nomen,* vt dicitur 2. Reg. 8. 13. Hoc enim validæ dexteræ eius præstantissimum opus, hæc victoriarum illustrissima fuit.

Habent hæc nonnihil difficultatis. Nam si animo ad quædam alia illius egregia facinora recurramus, inueniemus in eodem capite & ampliores cædes fecisse, & strages hostibus grauiores intulisse. Adarezer enim regem Soba percussit, cepitque ex parte eius mille septingentos equites, & viginti millia peditum, & subneruauit omnes iugales curruum. Alibi quoque percussit de Syria viginti duo millia virorum, sic vt ex his omnibus viuus nemo euaderet. Quod cùm ità sit, quid est, quòd hîc non vel æquè

dicitur sibi fecisse *nomen grande*, ac in valle Salinarum, vbi non tam multos, quàm ibi, obtruncauit? Nam si ex numero deuictorum æstimatur magnitudo victoriæ, ampliorem gloriam sibi videtur Dauid parasse ex superioribus victorijs, vbi hostium copias maiores fudit, quàm ex posteriore pugna, vbi oppidò pauciores cæcidit. Cur ergò hoc vltimo conflictu famam sibi conflasse celebriorem, *& nomen grande* fecisse narratur.

Prætermitto hic aliorum sententias. Rabbi Salomonis opinio vero affinior videtur, proposito nostro certè commodior est, de qua apud Tostatum in c. 8. lib. 2. Reg. sic habes: *Dicit Rabbi Salomon, quòd Dauid occidit octodecim millia de Idumæis, & fecit illos sepeliri, & ex hoc acquisiuit famam magnã, & hoc propter opus misericordiæ, quod exercitabat, scilicet quià sepeliebat hostem.* Non scitur Propheta regius fecisse alijs, quod his octodecim millibus hostibus fecit, quos trucidauit, ac deinde sepulturæ illatos magnificis exequijs, & supremis officijs honorificentissimè ornauit. *Ex hoc acquisiuit famam magnam*, & nomen sibi immortale parauit. Gloriosiorem enim hic victoriam retulit, eò quòd tantam deuictis hostibus charitatem exhibuit, quantam intimis amicis deferre potuit, dum pari honore tradi sepulturæ eorum corpora curauit. Tantâ namque pietate prosequi hostes, id victorijs eius splendorem, id triumphis magnificentiam adiecit singularem, propterea quòd perdifficilè sit condonare iniurias, remittere offensas, ob naturæ nostræ appetitum ab hac re valde alienum.

Hinc illa tam grandis admiratio regis Saulis, quãdo inuictus noster Dauid præfecti ab extrema chlamyde frustilli offensione luculentè illi probatum dedit, non maiore negotio potuisse stamen vitæ eius abscindere, quàm vestis oram amputârat. Venit ergò ad Saulem fugitiuus, & extorris, vagabundusque ob hostilem persecutionem humilis, & luctuosus Dauid, acciduusque ad pedes regis, dixit, immeritò se ab illo vexari, & ad mortem perquiri, vt qui fidũ subditum, integerrimumq; seruum, quoties occasio tulisset, se exhibuerit. Audijt illum rex cum prodigiosâ attentione, & admiratus tam stupendum casum, ait: *Nunquid vox hac tua est, fili mi Dauid?* 1. Reg. 24. 17. Dictauitné tuus tibi intellectus verba, quæ loqueris? Moderaturné cor tuum linguam, quæ hæc protulit?

Abulensis q. 24. in dictum lib. & c. ait: *Dixit hoc admirans, viderat enim oram chlamydis suæ in manu Dauid, ex quo cognoscebatur, quòd ipse fuit in manu Dauid, in quo stupebat de tam graui periculo, & de clementia Dauid, quomodo non occidit eum, ideò admirans dixit, nunquid hac est vox tua? quasi dicat, miror, cùm hac sit vox tua, quòd mihi vitam relique-ris.* Considerabat Saul, quàm facilè sanctus gener illi vitam eripere potuisset, à veste namq; ad cutem, & mortem proximus erat transitus. Ex alia parte reputabat secum benignitatem Dauidis, stupensq; tam inauditam generositatem ait: Miror vehementer, quòd cùm tu sis, qui loqueris, me viuum reliqueris. Non possum mihi persuadere Dauidem esse, qui mihi loquitur: Nam cùm tu homo sis, & proximè ad manum habeas occasionem sumendæ vindictæ de illo, qui te persequitur, incredibile videtur non sumpsisse vltionem, & quanquàm vox sit Dauidis, magis tamen Dei, quàm hominis videntur manus, quæ abstinuerunt à cæde illius, quem obtruncare, aut confodere tam leuiter potuerunt. Et quanquàm & videam, quod video, & audiam, quod audio, dubito tamen vtrùm sit Dauid, qui mihi loquitur, ab hominis enim manu quæuis actio, & victoria expectari potest, at parcere inimico, quando incommodare, & referre vices, & inferre vindictam possis, videtur tale esse, quod fieri nequeat.

Huc non ineptè cadet rei cuiusdam admirabilis narratio, quæ est apud Sanctum Dorotheum doctr. 7. & sic ferè habet. Asceta quidam erat illius ætate in eodem monasterio, in quo ille tunc degebat, plurimùm addictus studio orationis, & aliorum spiritualium exercitiorum. Hunc audiuit quodam die grauibus verborum iniurijs onerari, & turpibus probris indignè dehonestari. Videns autem admirandam patientiam, quâ hæc omnia longanimiter tolerabat, interrogabat eum, quidnam ea opprobria, & vituperia in animo ipsius efficerent. Cui ille simpliciter, & candidè respondit: *Ego me sic habeo ad has iniurias, & sic eas perfero, vt ab hominibus blandi canes*, subaudi, perferri solent, si quando vel ignotum allatrant, vel domesticum mollicellâ linguâ ad assentationem lambunt, iniuriæ mihi sunt blanditiæ, dedecora solatia, opprobria adulationes, conuitia festiui lepores, aut honorifici plausus. *His auditis*, inquit Beatus Dorotheus, *demissi aures, meq; obsignans, & firmans abij*, dicens, hic nihil videre admirabilius, nihil audire maius, aut rarius possum. Quando quis rem insolentem, & inauditam videt, siue audit, nescitque quomodo illam satis admirari debeat, solet deijcere caput, cruceq; frontem, & pectus munire, talibusq; cæremonijs suam admirationem, eiusq; magnitudinem indicare, quando verbis

pro

pro dignitate explicare nequit. Cùm ergò Sanctus Dorotheus vidit hominem, qui tam inuincibili animo, tantâ vultus æquitate ferebat iniurias, vt eas blanditiarum loco haberet, & ignominias vt assentationes exciperet, *demisit aures, seq; obsignans, & firmans abijt*, attonitus tam stupendæ rei spectaculo. Vt enim naturæ nostræ peccato vitiatæ inclinatio procliuiter fertur ad vltionem iniuriarum, perque arduum est eas remittere, sic admirabilium mirissimum, & præclarè factorum illustrissimum, & memorabilissimum est, serenis oculis, & animo pacato eas excipere.

Non intempestiuum huc veniet id, quod Apostolorum Principi cum Magistro mundi accidit. Commendabat hic plurimùm fraternæ charitatis amorem mutuum, docebatque, quantum teneamur alterutrum iniurias, & offensas condonare, quando sanctus Apostolus accedens aiebat: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsq; septies?* Matth. 18. 21. Videtur enim mihi & magnus hic numerus, & sublimis futurus, quisquis hoc à se impetrauerit, vt septies ignoscat ei, à quo toties appetitꝰ contumelijs, aut alijs qualibuscunque iniurijs fuit. Respondit autem ei Dominus: *Non dico tibi Vsq; septies, sed Vsq; septuagies septies*; ibid v. 22. quod perinde fuit, ac si dixisset: Iniuria, & indulgentia, offensa, & venia semper certare debent, sed itâ, vt penes indulgentiam semper sit victoria, nunquàm enim tanta debet esse iniuriæ malitia, vt non eam superet discipuli mei patientia.

Sanctus Ioannes Chrysostomus in homil. de decem millib. talent. To. 3. ait: *His auditis Petrus ore hiante stupens constitit*, & velut in proximam pedibus eius terram fulmen incidisset, itâ attonito similis, ore patulo, & fixis in supremum legislatorem oculis hæsit. Cùm enim difficultatem talis operis cum deprauatæ naturæ propensione, & imbecillitate comparauit, ac toties iniurioso suas condonandas noxas audiuit, *ore hiante stupens constitit*, ac si Christus ex oris sui nube fulmen displosisset. Repugnat sanè plurimùm, ac vehementer res ea humano sumendæ vltionis appetitui, vt proinde Petrus, cùm non ad se tantùm, verùm etiam ad oues suas hanc spectare doctrinam cogitaret, exterritus fuerit, tanquàm si fulmen ad pedes eius decidisset, sic vt se mouere à loco non posset, in quo doctrinam carni, & sanguini tam arduam acceperat.

Secundùm hæc, quid mirum quòd Iacobti visus est Dei vultum præferre frater, qui sic condonabat, mitescebat, plorabat, mouebatur. Nam si ad carnis leges rem examines, indulgere offensas, remittere iniurias, facinus est, quod omnia præclara facinora superat.

*De hoc argumento habet integrum sermonem Tomus I. Feriâ VI. post Cineres, pag. 37. Vide.*

## CAPVT VI.

*Quò difficilior pugna, eò illustrior victoria.*

SI vera sunt, quæ superiori Capite dicta, videtur mihi Politicus meus iam adornare obiectionem, quam nullo responso confutari, nullâ ratione posse dilui putabit. Dicet enim: Si tam operosum est opus diligendi inimicos, condonandi iniurias, dimittendi & obliuiscendi offensas, nullâ illius explendi necessitate tenebimur, nullo debito obstringemur. Quid audio, mi homo! Fortean ego dixi, esse opus impossibile factu? Arduum tantùm, & difficile esse aio, si illud cum lege carnis, & sanguinis conferas, & cum repugnantis naturæ tum proteruia, tum imbecillitate componas. Si omnibus modis facilè esset, quantum laudis mererentur, qui illud efficerent? Quomodo tam celebres, & gloriosi facti essent Apostoli, qui generosissimo animo, adiuuante bonos illorum conatus auxilio Dei, de seipsis tam inclytas victorias reportârunt, cùm ergà inimicos suos indulgentes, & iniuriarum sibi illatarum obliuiosi fuerunt? Quis rei exiguæ magnam fecit ostentationem? Quis ex inualido culice deuicto excelsum in Famæ templo locum occupauit? Illustres victoriæ de cruentis conflictibus æstimantur, ille namque gloriosior est triumphator, cui cum robustissimo, & pugnacissimo hoste res fuit.

Simillimo argumento excitat nos Saluator mundi, vt diligamus inimicos nostros, & sanguinem venarum offeramus his, qui illum sitiunt, inquiens: *Si enim diligitis eos, qui Vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonnè & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres Vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonnè & ethnici hoc faciunt?* Matth. 5. 46. 47. Amare eum, qui oderit, vrbanè habere rusticum, liberaliter auarum, & ingratum, hoc gloriosum opus est, hoc præclarum facinus, & illustris victoria. *Diligite inimicos Vestros, benefacite his, qui oderunt Vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus Vos*; ibid. v. 44. Id quanquàm difficile sit, non est tamen impossibile, difficultas autem plus splendoris adferet virtuti, maioresque plausus excitabit actioni, quæ arduum illud tentare ausa fuerit. Et quis paruum magnopere commendare, & extollere opusculum encomiastes velit?

Ingrediebatur felicissima Peccatrix ad petendam suarum culparum indulgentiam. Cùmq; pius Dominus sacros pedes suos impuris illis labijs dissuauiandos, tangendumq; se manibus magnum in modum contaminatis permitteret, cœpit mox superbus Pharisæus lugubribus illis cæremonijs, & religiosis obsequijs offendi, & de Christo non solùm sinistrè, atque indignè sentire, sed etiam hæc intrà se dicere: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quià peccatrix est*; Lucæ 7. 39. Hæc omnia superbus ille hospes diuino suo conuiuæ obiectabat in secretissimo, & absconditissimo maleuoli cordis sui recessu, cuius fores tam validè sunt obseratæ, & opessulatæ, vt ne supremus quidem Seraphim eò penetrare possit, nisi clauem habeat Dei: *Ait intrà se.*

Sanctus Petrus Chrysologus serm. 94. acutè, vt solet, inquit: *Pharisæus Christum Prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret.* Absolutissimum Prophetam arbitratus fuisset, omniaq; illi explorata fuisse putasset, si hoc scisset, quod & pueris notum erat, & nemo de vulgo hominum ignorabat. Quid magis notorium, ac peruulgatum in ea ciuitate, quàm Magdalenæ amores impudici, & vita solutior, & morum licentia, & effusa leuitas. *Erat in ciuitate peccatrix*; ibid. v. 37. erat fabula populi, & omnium colloquiorum materia, tenuis videbatur, quamuis alioquin instructissima murmurationis mensa, vbi panis commemorationis gestorum Magdalenæ aberat. Dicit itaque Dominus: Iste Pharisæus me in magnis Prophetis numeraret, si hoc cognitum haberet, quod neque pueri nesciunt. Quantæ verò gloriæ esset id nosse? Quid existimationis ea scientia mereretur? Vt verò sordidus ille murmurator intelligat, in quonam magnitudo sapientiæ laude dignæ, & celebritas gloriosæ existimationis sit posita, altitudine scientiæ meæ penetrabo penitissimos, latentissimosque animæ illius recessus, & producam in medium forum abstrusissimos illius cogitatus, enudaboque, & reuelabo, quæ solus Deus scire potest, vt hinc videat, quòd sum Propheta, quòdq; in talibus posita est magnitudo sapientiæ. Quænam enim scientiæ laus est, illud nosse, quod neque pueri nesciunt, & aliorum nemo ignorat? Illud compertum habere, quod omnibus est obscurū, ea inclyta eximiæ scientiæ est nobilitas: *Pharisæus Christum Prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret.* Qui lynceis oculis ob id gloriaretur, quod à viginti passibus illud sumptuosum ædificium, illud mundi octauum miraculum, (*Escurial* vocant Hispani Catholicorum regum suorum mausoleum) à secundo Salomone excitatum assequi visu potuerit, quid hoc gloriationis, dicam, an vanæ, & inanis iactantiæ esset? Et quale illud, si quis mitem agnum, eumque pedibus omnibus adstrictum, occideret, atque ex eo facto ingentem laudem speraret? Dilaniasse vrsos, concerpsisse leones, procul inde subtiles oculis discreuisse atomos, hoc est lynceum esse, hoc fortem, ac robustum. Diligere amicum quid gloriæ habet? Benefactori munificum se exhibere, quale facinus? Amare calumniatorem, benè precari persecutori, bonis officijs prosequi hostem, hoc est inclytissimum, & laude immortali dignum factum.

Amissus fuerat puer Deus, vt perditos homines inueniret, & lucrifaceret, dumque illum sacratissima eius Parens, & nutritius pater cum ardenti anxietate diu quæsijssent, *post triduum inuenerunt illum in templo in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem eos*; Lucæ cap. 2. v. 46. Admirabile reuerà spectaculum, & pulchrum theatrum, videre formosum, teneràq; ætate puerum præsidere è cathedra disputationi in medio veteranorum Theologiæ lectorum, & moderatorum Gymnasij Ierosolymitani! Et si alij admirabantur frequentem concursum eorum, qui auscultabant illius disputationes, & interrogationes nunquàm auditas, non minùs attonitos reddebat sacræ facultatis primores Decanos prodigiosa pueri scientia: *Stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.*

Sed notandum est in Euangelistæ narratione, vnde ille natam magistrorum, cæterorumque circumstantium admirationem dicat, inquiens: *Stupebant super prudentia, & responsis eius?* Cur verò magis admirabantur responsa illius, quàm quæsita?

Respondet Origenes Tom. I. homil. in Domin. inf. Octau. Epiphaniæ: *Non super interrogationibus eius, licèt & ipsa admirabiles erant, sed super responsionibus eius mirabantur. Quanquàm enim mirabilis interrogatio sit, tamen multò mirabilior est responsio.* Varia agitabantur in illa disputatione. Christus tener puer interrogabat, & interrogabatur, ac tametsi quærendo sui admirationem excitabat, respondendo tamen stuporem adducebat auditoribus. Quod enim quæritur, discuti, & expendi antè potest, & dubitare facilè est etiam pueris: Sed responsio non ità parari, & adornari antè potest, quod nemo vel scire possit, quid sit interrogandus, vel tam in promptu habere scientiam, vt omnibus ex tempore satisfacere quæsitis, & cunctas enucleare difficultates

queat. Itaque puer Christus interrogans faciebat admirabundos, respondens attonitis similes: *Stupebant super prudentia, & responsis eius.* Si ex eo, quod multis concessum, voluisset sibi famam parare puer Deus, non valde honorificum facinus fuisset: Sed illâ re mouisse admirationem, quâ eminentissimi, & sapientissimi magistri non possunt, hoc est, promptis, expeditisq; ad omnem quæstionem responsionibus, idque in tantilla ætatula, hoc factum eximium fuit, quod laudem singularem, & plausum populi solennem, celebremque merebatur: *Mirabilis enim interrogatio, mirabilior tamen responsio.* Magna siquidem animi ignauia est, & otiosum studium, ac superuacaneus labor, velle ingentem gloriam factis paruis excitare. Illustris enim gloria, & magnificentia nominis semper acquiruntur victoriâ magnarum difficultatum, & grauium superatione incommodorum.

Spectabat, & admirabatur Sponsus proceritatem Sponsæ coniunctam cum elegantissima, & gratissima totius corporis structura, aiebatque, præter vnam palmam non inuenire aliud, quo magnitudinis eius mensuram adumbrare posset: *Statura tua*, inquiens, *assimilata est palmæ*, Cant. 7. 7. Varias huius comparationis rationes tradiderunt Interpretes. Quam ego inuenio, causæ nostræ commodam, ea nititur re aliquâ singulari, & mirâ, quam tradit diligentissimus qualitatum naturæ scrutator Plinius lib. 13. cap. 4. cùm de triumphalis huius arboris, palmæ, inquam, proprietatibus agit, inquiens: *Diximus salsum ab his solũ diligi, ergo vbi non est tale, salem aspergunt.* Rara profectò, & peculiaris conditio! Quis hoc sibi persuadere potuisset? quis crederet, nisi in libro experientiæ authentico, & approbato legeretur? Scimus namque nullam esse tam acutam securem, nullum tam inimicum fulmen, nullum tam mortiferum venenum, quod æquè ac sal mixtum sit terræ, & omnibus plantis. Nam ad consciscendam terræ alicui sterilitatem, satis est, si sale aspergas, sale namque sic omnis eius fœcunditatis virtus siccatur, & absumitur, vt inepta sit cuicunque seu plantæ generandæ, seu fructui proferendo. Sic Abimelech cùm diu oppugnatam Sichimorũ ciuitatem demùm cepisset, ipsam destruxit, *ita vt sal in ea dispergeret*; Iudic. 9. 45. vt eam perpetuâ sterilitate damnaret. Vbi Abulensis habet ista: *Cùm in terra spargitur sal, terra fit sterilis, & si multum de sale fundatur, terra omninò sterilis fiet. Ideò vt vrbs Sichem esset in æternum sterilis, Abimelech sparsit sal in ea.* Tantundem dicit Genebrardus, & docet experientia.

Quòd ergo Sponsus gratam habuit staturam Sponsæ, idq; eo nomine, quòd palmæ potiùs, quàm cedro, malo granato, siue oliuæ, aut alteri cuicunque, quantumuis virenti, & eleganti arbori assimilata fuit, perinde fuit, ac si dixisset, id sibi maximè in illa placere, quod rarum, singulare, ac peregrinum, & præ omnibus alijs peculiare habuit. Viuere, & crescere ex sale, quod palma facit, ex quo arbores aliæ exarescunt, & moriuntur, hoc palmam, hoc laurum meretur: Nam ex aqua, & irrigatione incrementa facere, id commune est omnibus arboribus, quæuis planta eiusmodi rebus fouetur, & fœcundatur. Propterea Sponsa ex eo commendatur, & magnificatur, quod speciale præ alijs habuit. Vana nimirùm spes est illius, qui re triuiali excitare admirationem, & in stuporem adducere posse factis vulgaribus putat. Ille in templo Famæ locum sublimiorem miles occupat, qui in prælio bellandi peritiam, animi fortitudinem, pugnandi audaciam præ alijs ostendit.

Cuilibet vel mediocriter sapienti difficultatem adferet, neque exiguam, quid causæ sit, quòd Pater credentium tot encomijs, & plausibus celebratur, propter opera pietatis, & misericordiæ, quibus viatoribus, & peregrinis egenis occurrere solitus fuit. Vnus ille, solusque ex omnibus veteris Testamenti Patriarchis palmam referre videtur. Nam cùm Apostolus commendandam suscepisset hanc virtutem tam gratam oculis Domini, mox ille suos oculos in Abraham, tanquàm exemplar charitatis, & largitatis, figere cœpit, inquiens: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci; per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis*; Hebr. 13. 1. 2. Abraham ille fuit, qui Angelos humanâ figurâ tectos tecto meruit excipere, vt locus habitationis eius magis aula cœlestis, quàm tabernaculum terrenum meruerit appellari. Illo hospitalitatis nomine voluit Dominus Abrahamum ibi etiam prædicari, vbi cum alijs antiquis Patribus Redemptorem mundi à morte opperiebatur, propter eam prolixitatem, quâ ergà pauperes in viuis vsus fuerat, quando mendicum Lazarum Angelorum humeris in illius sinum deferri curauit, de quo Lucas 16. v. 22. sic habet: *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* In eo loco etiam voluit Deus conseruare illustre nomen hospitatoris Patriarchæ.

Quid causæ est, quòd hæc Abrahæ in pauperes beneficentia suprà omnem Patriarcharum aliorum largitatem extollitur? Cur illius liberalitas inter munifi-

munificentias cæterorum veterum Patrum ità eminet?

Satisfacit huic quæsito S. Petrus Chrysologus serm. 121. inquiens: *Hospitem hospes semper ipse suscepit, exterris patriâ, domicilij nescius ipse, & domus omnium fuit, & patria.* Exul erat Abraham perpetua in peregrinatione positus, locumq; ex loco mutabat, eò quòd continuus viator esset, nec vllibi longulas nectere moras posset. Quòd ille, qui perpetuus exul, & peregrinus erat, exulum, & peregrinorum humanissimus receptator fuit, quòd qui extrà patriam versabatur, viatorum patria fuit, quòd qui non habebat domicilium, egenorum itinerantium vmbraculum fuit, quòd tabernaculo suo excessit, lectumque reliquit, vt lassi diuertere, & captare requiem possent, hæc non qualiscunque hospitalitas, sed generosissima prolixitas, & incomparabilis liberalitas fuit. Si Abraham habuisset amplam, & sumptuosam domum, si fixum in certo loco habitaculum, si commodam alicubi, & securam domum, vbi sine quietis suæ interpellatione excipere pauperem peregrinum potuisset, gratiam nihilominùs meruisset receptatio: At quòd alijs cum suo incommodo commodauit de hospitio, quòd domicilium præbuit, qui non habuit ipse, quòd peregrinus peregrinos sub tectum admisit, ac tam prolixa liberalitas, tam liberalis prolixitas fuit, vt mereatur inter Veteris Testamenti Patres esse Decanus facultatis pietatis, misericordiæ, & hospitalitatis: *Hospitem hospes semper ipse suscepit, exterris patriâ, domicilij nescius ipse, & domus omnium fuit, & patria.* Arduis operibus fama immortalis acquiritur, non his, quæ leui negotio ab omnibus de triuio fiunt.

Arbor in Arabia nascitur, cuius sudore vtuntur homines ad præseruandum corpora defunctorum à corruptione, quæ naturaliter eis minatur. Eadem inter Trogloditas, & in alijs nonnullis mundi partibus nascitur. Quanquàm hic sit tam pretiosus liquor, & Arabum summa ergà deastros suos religio, *non dant* tamen *ex myrrha portiones Deo*, vt inquit Plinius lib. 12. cap. 15.

Quamobrem verò Arabes tam obseruantes, & cæremoniosi, tam reuerentes æstimatores Deitatis, quam adorant, non offerunt suam myrrhæ portionem numini, quod colunt, cuius tam ingens est pretium, vt vel propterea solis dijs seruari posse, & offerri debere videatur. Cur ergo illi sacrorum tam religiosè obseruantes rituum non vel partem aliquam myrrhæ litant suis dijs. Respondet Plinius: *Quoniam & apud alios nascitur.* Arabes summæ laudi suam sibi ergà deos obseruantiam ducebant, ac propterea nolebant ijs offerre myrrham, quæ alibi quoque nasceretur, vt eo exemplo docerent, non magni æstimari ab illis cultoribus suum deum, qui illi dicarent vulgaria, quæque passim alibi reperire liceret, non rara, & singularia: Et quia Arabes summo loco habebant deum suum, *non dant ex myrrha portiones illi, quoniam & apud alios nascitur.*

Ad eundem modum cœlestis Magister, vt nos exhibeamus raros, & singulares, cùm & ipse per omnia tam rarus sit, & singularis, vult vt amemus eos, qui nos auersantur, oremus pro ijs, qui nos persequuntur, & calumniantur, offeramus vitam, si res postulauerit, ei, qui nobis minatur mortem, demereamur beneficijs eum, qui nos infestat odijs. Nam amare eum, qui amet, & salutare eum, qui salutet, oblatio est, & donum, atque sacrificium, quod non magni facit Dominus, *quoniam & apud alios nascitur, nam & Ethnici hoc faciunt*, & maximè agrestrium, barbarorumque hominum mos idem habet.

Faciamus ergo nos, quod nationes aliæ non faciunt, inueniatur apud nostrum Politicum, quod non reperitur apud omnes, videatur in illo, quod in paucissimis, notetur in illo, quod apud alios rarò, ac vix experiri liceat, hoc est, diligat inimicos suos, benedicat maledicentibus, oret pro suis persecutoribus, hæc enim est summa integritas amoris, hoc signum veri, & sinceri Christiani. Arduum opus est, sed facientis magnum meritum, difficile est eam repugnanti naturæ inferre vim, vt hoc faciat, sed ingens victoriæ gloria. Qui autem communia facit, & leuibus dat operam exercitijs, ille nec magnam laudem promeretur, nec dignus est, vt in viris strenuis recenseatur.

*Conuenit cum his Periocha II. Dominica X. post Pentecosten, Tomo 2. pag. 168. c. 1. o.*

## CAPVT VII.

*Neminem sua imbecillitas excusat ab eo faciendo, quod fecerunt multi, & facere potuerunt omnes.*

QVod potuit, & fecit quidam barbarus, agrestis, ferus, & malè iratus, offensusque Esau, cur facere non possit Christianus, Catholicus, discipulus Christi patientiæ doctoris, & exercitatoris supremi? Hæc nullo responso dilui possunt. *Si Esau currens obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringensque collum eius, & osculans fleuit*, Genes. 33. 4. si ante euangelium fuerunt homines tam eminentes,

tam heroici, & strenui ad exercitandam hanc virtutem condonandi inimicis, in quibus Ioseph, Dauid, Iob, Ieremias, Daniel, Moyses, & alij innumeri, quis post euangelium promulgatum, post tot præcedentia exempla excusare se de intermissione similis operis queat? Fuerunt angeli illi iniuriarum condonatores superiores? Fueruntne speciei alterius homines? Aut fortè habuerunt alium Deum auxiliatorem? Non profectò. Homines fuerunt nostræ naturæ consortes, non angeli, caduci fuerunt, & mortales, & miserijs varijs subiecti, quemadmodùm ego, & tu, & cæteri. Deus, qui tunc erat, etiamnùm est, æternùmque erit, & quàm olim, tam hodieque vehementer cupit omnes homines saluos fieri, & beatitudine sempiternâ frui. Nemo ergo excusare se potest, tanquàm non possit, quod possunt omnes, aut quò minùs faciat, quod fecerunt multi, cùm ipse habeat omnia, quæ & omnes, qui potuerunt remittere offensas, & pauci, qui remiserunt.

Quærit Abulensis, quamobrem sacrum Oraculum post promulgationem legum, rituum, & cæremoniarum, quæ continentur in Exodo, Leuitico, Numeris, & Deuteronomio, statim subiunxerit libros Iosue, & Iudicum, in quibus recensentur sacra exempla, & virtutes insignium illorum Iudicum, & illustrium virorum, quorum præclara facta radios suæ sactitatis, & perfectionis tam latè diffuderunt, & Gentium Doctor summa cum laude, tamque honorificè mémorat in illa, quam ad Hebræos dedit, epistola cap. 11. v. 32. 33. inquiens: *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam*, plurimaque fecerunt Dei oculis grata, quibus immortalis quietis semper virentem laurum commeruerunt. Cur ergo post recentem legis euulgationem statim sequuntur libri Iosue, & Iudicum, qui historiam vitæ, & gestorum continet illorũ sanctorũ, & perfectorũ virorũ?

Respondet insignis Doctor in præfatione in librum Iudicum, inquiens: *Cùm sacra scriptura instruxerit nos ad actus virtutum per libros legales, quales sunt libri Moysi, qui in sola præceptione, & prohibitione consistunt, instruxit nos etiam exemplis Sanctorum circà easdem virtutes. Posuit igitur sacra scriptura libros historiales, in quibus declarat virtutes sanctorum virorum, & quomodo illi perfectiùs in quibusdam legem obseruauerint, quàm ipsa lex iusserit.* Hanc ergo ob causam libris Moysis, qui legem tradunt, subiecti sunt libri, qui historias narrant eorum, per quos lex illa exactissimè obseruata fuit, vt ab eadem obseruanda nemo se excusare possit, cùm fuerint homines, qui studiosissimè, & accuratissimè custodierint leges, ritus, cæremonias, & quidquid sanctiones pragmaticæ cœlorum exigunt, & mandatorum diuinorum catalogus complectitur. Nam cùm illi homines fuerint per omnia similes nobis, passionibus, & contumaciæ carnis calcitrationibus æquè ac nos obnoxij, tam perfectè nihilominùs ad omnem Dei legem mores suos composuerunt, vt nonnulli etiam plura, quàm iussi, fecerint, & arctiores sibi limites constituerint, quàm lex ipsa præscripsit: Nullus posthac iustam attulerit causam, si negligentiùs agat, aut decalogi partem aliquam prætermittat, nullus violatæ legis æquam, ac validam excusationem. Quisque nimirùm facere potest, quod potuerunt omnes, & fecerunt multi.

Parabolam à Christo pro concione propositam S. Lucas refert, quæ opportuna huc veniet. Hominem fuisse aiebat Dominus, qui ficum intrà vineam plantauit, & in singulos autumnos venerit, vt optatum ex grata planta fructum legeret. Cùm semel, iterùmque venisset, & fructuum nihil inuenisset, triennij inducias arbori dedit, vt superiorem sterilitatem, & ingratitudinem emendatione malè expensi temporis, & copiâ fructuum vberiore dilueret. Postquàm annus tertius, vnaque agricolæ patientia abijssent, iratus ingratæ arbori dixit: *Ecce anni tres sunt, ex quo venient quæro fructum in ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Lucæ 13. 7.

Quis ille, qui hanc succisioni miseram plantam addixit? Vbinam ex ficulnea plantata erat? In vinea quadam. Sic enim Dominus ait: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua*; ibid. v. 6. Quid est, quòd omnis in vnam, solamque ficulneam versa ira fuit? Quid mouit vineæ herum, vt in solam istam plantam securi animaduertendum putàrit, vbi tot erant vites, quæ plecti poterant?

Respondet deuotus Abbas Gilbertus serm. 24. in Cant. inquiens: *Ficulneam illam sterilem, quam Dominus iussit succidi, fertiles de vicino vineæ condemnabant.* Inter medias vites suam sedem habebat ficulnea, ex quibus vinitor annis singulis fructus opimos, & abundantes referebat. Eisdem cœli influentijs ficulnea gaudebat, quibus vites, terram eandem occupabat, eisdem colebatur manibus. Hoc est, quod illam damnauit, hoc est, quod fecit, vt securi, & obtruncationi adiudicaretur, nihil enim habebat, cur non redderet fructus æquè ac aliæ plantæ, quæ eisdem adminiculis, & subsidijs fruebatur, qui-

bus

bus cæteræ, quas habebat proximas: *Ficulneam illam sterilem, quam Dominus iussit succidi, fertiles de vicino vineæ condemnabant.*

Hâc parabolâ tectè, ac dissimulanter traditur, quòd nos hoc capite apertè docemus, nempè quòd in extremo iudicio homines alij alios damnabunt. Nam Ecclesia habuit, habetque pigros, socordes, steriles, infœcundos. Et hi nihil poterunt prætexere, ob quod non fuerint perfecti in suo statu: Nam habuerunt eandem fidem Dei, legem, & naturam eandem, quam illi, qui tam accuratè suo satisfecerunt officio, & partes omnes suæ obligationis, aut professionis expleuerunt. Deinde fuerunt intrà eandem Ecclesiam, habuerunt eundem Deum, sacramenta communia, legem eandem, & vires illi obseruandæ sufficientes. Et cur hi non potuerunt præstare, quod fecerunt illi, cùm pro vtrisque par ratio militet, & causarum momenta sint apud omnes omninò eadem?

Ducti ab illustri, & noua stella Sancti Reges Magi ingressi sunt Vrbem Ierosolymorum, perque compita eius sciscitari cœperunt, vbinam esset, qui natus rex Iudæorum, ad instaurandas humanæ prolapsionis ruinas venisset. Quòd autem stellâ duce vsi fuerint, id ipsi his verbis affirmabant: *Vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum*; Matth. 2. 2. Communis omnium Parum opinio habet, quòd Chaldæi magnâ curâ obseruabant quoddã vaticinium Balaã Prophetæ alioquin falsi, hac in re veridici, quod Num. 24. v. 17. sic habet: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël.* Cùm ergo Reges magi, qui erant Chaldæi, nouam, insolentemque hanc stellam vidissent, & Prophetiæ Balaam permemores essent, statim abierunt inquisitum, quid ea sibi vellet, secuti splendidum viæ ducem, stellam, inquam, quæ in medio sole refulgens in illorum animas suos diffundebat radios, inueneruntque bonum, quod suspirabant, & suæ salutis Assertorem adorârunt.

Sanctus Maximus homil. 3. de Epiphan. ait: *Nemo miretur natiuitatem Dominicam agnouisse Chaldæos, quam vtique, si reuelante Deo Gentilis prænuntiare potuit, potuit Gentilis agnoscere.* Quòd Maximus ait, tale est, ac si dixisset: Cur alter homo non potuerit facere, quod quidam fecit? Cur tantam luminis copiam à Deo non habuerit, hic ad eum cognoscendum, & adorandum, quantam ille ad prænuntiandum? Itaque dùm homo se disponat modò, non habet cur deficiat animo, aut metuat. Deus enim, qui vni bonam mentem, & salutares cogitatus inspirat, etiam alterum gratiæ suæ cœlesti rore tingit, nam & Gentilium hic quidem vaticinatur, ille adorat, hic prædicit, ille agnoscit: *Si reuelante Deo Gentilis prænuntiare potuit, potuit Gentilis agnoscere;* vt nemo se excuset, nemo diffidat posse facere, quod alter facit. Auxilia sufficientia sunt omnibus communia, quorum opitulatione consequi vnus potest, quod alter, & æquè perfectus, consumatusque euadere.

Narrare sacra historia instituebat admirabilem tolerantiam illius, qui toti mundo patientiæ exemplar est præstitutus, bella, quæ sustinuit, pugnas, conflictus, & afflictationes, quas pertulit, dum effератissimo cum hoste dimicauit, à quo tantis telis appetitus fuit, vt sanctus Ioan. Chrysostomus in caten. Græc. Olympiad. in c. 2. Iob dicendum putârit, quòd *omnem inimici pharetram exhausit.* Notæ sunt illius plagæ, satisque exploratæ miseriæ, calamitates, ærumnæ. Regno, facultatibus, & fortunis omnibus repentè nudatus fuit, tum & liberis charissimis, ijsque tam luctuosâ morte extinctis. In tantas autem necessitatis angustias eum inimici ferocia coëgit, vt tanquam canis mortuus in sordidum, putidumque sterquilinium abiectus fuerit, vbi iacebat infestis expositus vermibus, aduersùs quorum commorsicationes, & arrosiones id solùm habebat præsidij, quòd asperâ testâ saniem radere, & purulenta vulnera, taboque fluentem teneram carnem emundare posset. Vt hanc nobis malorum inundationẽ, & dolorum tempestatem, & diluuium miseriarum sacer scriptor recenseret, his verbis prælusit suæ narrationi: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob*; Iob. 1. 1. siue vt Græcus transtulit: *Homo quidam erat in terra Ausitide.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus quærit, cur diuinus Historicus tali præfatione vtendum putârit, vt diceret, hominem fuisse illum, qui inauditas, quas narrare propositum habebat, calamitates inauditâ item patientiâ exceperat, qui dolores corporis, pecorum direptionem, dulcissimæ sobolis internecionem, vxoris, & cognatorum probra, & animi varias anxietates animo excelso æquissimè tolerârat? *Homo quidam erat.*

Respondet autem in caten. Græc. in cap. 1. Iob: *Ne quis certaminum, ac patientiæ spectata magnitudine incredibili, peregrina eum, & non humana natura præditum arbitretur, naturam à primo ponit in conspectu.* Quoniam homines sumus, & mille calamitatibus, miserijs, infelicitatibus, & aduersitatibus subiecti, idcircò ne quis consternetur animo, conster-

ærumnisque pressus succumbat oneri, & perdat patientiam, theatrum oculis nostris subijcitur hominis, qui & omnis generis miseriarum, ærumnarum, infirmitatum, penuriarum, dolorum personas repræsentauit, & de omnibus calamitatibus animo inuicto gloriosè triumphauit, vt nemo concidat animo, cui tale exemplum proponitur. Nam qui omnia illa tulit, non fuit Angelus, non ex ære simulachrum, non ferrea statua, non cautes, non adamas, sed homo imbecillis, miserijs, & passionibus, vt quisquè alius, obnoxius: *Homo erat.* Vt verò ille diuini auxilij ope, & suâ vigilantiâ magnificè triumphauit de omnibus inimicis suis visibilibus, & inuisibilibus: Sic homo quilibet alius (si modò rectè vti diuino subsidio sciat) poterit superare infestos dæmones, & homines, & vincere tum persecutiones, tum quasi alias miserias, & calamitates.

Sacer Rauennatum Archiepiscopus Petrus Chrysologus serm. 114. ait: *Mors cùm satis viuentibus sit amara, satis conturbat exemplo. Mortuum quoties quis viderit, toties se morti exulat destinatum. Sic de morte non potest non dolere mortalis.* Mortis per seipsam est subacida recordatio, sed viuum mortui spectaculum, & recens exanimati hominis cadauer dici non potest quantum exanimet eos, qui vident. Quilibet campanarum, quibus ad suprema officia mortuis exhibenda conuocantur superstites, validus ictus est, quo cor audientium pœnaliter concutitur. Causa huius ea est, quòd se quisque ex limo simili fictum sciens, suam calamitatem futuram in aliena miseria præsente cernit, videtque quòd eadem mortis falce, & facilitate demetetur, quâ succisus proximus fuit, & sic facere non potest, quin tristetur, triste funus qui oculis arbitratur, velut ibi *omnes, qui trãsibant per locum illum, in quo ceciderat Asaël, & mortuus erat, subsistebant,* 2. Reg. 2. 23. quos tametsi alia maioris momenti auocarent, vt cursim pergerent, attinebat nihilominùs timor, & dolor natus de aspectu hominis, qui animo leonem, celeritate currendi ceruum exæquauerat, & hastæ vno ictu confossus iacebat exanguis, in quo videbant, nullius esse tam ingens robur, qui mortem superare, nullius tam concitos pedes, qui effugere illam possit, & quod Asaëli euenerat, id cuique accidere posse. *Sic de morte non potest non dolere mortalis.* Suam mortem in mortuo viuus timet, sciens eadem se caducæ naturæ fragilitate vestitum.

Cùm tali argumento homo ad timorem excitetur, ego illum simili quopiam ad spem erigam, & extimulabo. Si times, quoniam hominem mortuum vides, & meritò times, eò quòd te æquè ruinosum nosti, ac ille est, qui vitâ perfunctus: Quare vt perfectioni studeas, & sanctitatem vitæ secteris, & iniurias facilè dones, & inimicos diligas, & probra patienter feras, non excitaris exemplo tot hominũ, qui cùm eisdem sint obnoxij miserijs, subiecti passionibus, quibus tu, amârunt, & amant hostes, benefaciunt persequentibus, & pro calumniantibus obsecrant Deum? Si mortis spectaculum adfert timorem, cur non ad spem, omnesque difficultates vel superandas excitet exemplum hominum innumerabilium, qui perfecti, & consummati in virtutibus fuerunt? Nemo suam imbecillitatis prætextu ignauiam inumbrare velit, cùm nemo non possit, quod fecerunt alij, habens nimirùm eundem Deum, eandem fidem, sacramenta eadem, eandem doctrinam, auxilia etiam parata eadem, quibus alij tam præstantes in omni genere sanctitatis euaserunt.

## CAPVT VIII.

*Nullum sublimius vindictæ genus, quàm exhibere bona ijs, à quibus acceperis mala, & pijs beneficiorum armis eum oppugnare, qui sanguinario iniuriarum bello lacessere cupit.*

QVod Apostolus Corinthijs dixit, hoc ego nunc transferre ad meum Politicum volo, vt nouum iter, & gloriosam semitam illi ostendam, per quam pergens omnem vindictæ sitim heroicè extinguere possit. *Excellentiorem viam vobis demonstro;* aiebat ille 1. Corinth. 12. 31. Sic & ego nobiliorem viam, & magnum itineris compendium ostendo, per quod peruenire ad genus vindictæ illustre queatis. Et quodnam illud? Vt studeamus inimicorum nostrorum iniurias compensare beneficijs, & omnibus humanitatis officijs eorum iram, & indignationem oppugnare, & omni occasione eos honorare, eorum dicta, & facta perpetui præcones laudare, de rebus illorum clam, palàmque benè sentire, si obuios habeamus, vrbanè, comiterque salutare, & venerari, omni benignitate prosequi, hilari vultu, & serenis oculis excipere quotquot illis quacunque necessitudine sunt coniuncti, sic vt ex vera charitate, corde Christiano nascantur istæ, & aliæ id genus actiones. Ad hunc modum egregia de iniurijs hostibus sumitur vindicta, eaque excellentissima ratio est satisfaciendi animo iracundo, & obturato pectori. Sic obstinatinati cordis peruicacia benè castigatur.

Fundebat ex cœlesti ore suo mundi Reparator dulcem

dulcem ambroſiam ſuperæ doctrinæ, perfideque hoſtes eius, cùm maximas pro tanto beneficio deberent gratias, irâ cæcati aiebant: *Nonnè benè dicimus nos, quià Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Ioan. 8. 48. Cùm hæc tam indigna verborum probra benigniſſimus Duminus audiret, cum magna tranquillitate reſpondit: *Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum*; ibid. v. 51. Ad hanc tam ignominioſam blaſphemiam plectendam videtur cœlum cum terra concurrere debuiſſe, ſic vt hæc ſuo hiatu ſacrilegos maledicos hauriret, illud verò fulmine illa nefaria ſcelerum capita feriret. Quid verò ſacer Magiſter egit? Effugium mortis æternæ ſpondet omnibus, qui verba illius decenter audirent. Hoc eſt fulmen, quod omnipotente manu ſuâ in eos iecit, pro terra os illi⁹ diuinum ſeſe aperuit, vt fructum ſalutis perpetuæ eis funderet.

In horum commentatione poſitus Theophylactus ſucclamabat: *O miſericordiam! Ad admonitionem, & doctrinam vertitur, benefaciens his, qui iniuriâ proſequuntur.* Arreptitium, & à malo dæmone occupatum per ſummam, & inauditam calumniam dicebant, & hos ille ad vitam inuitat æternam. Quid ab exemplo tam admirabili accipimus? Reſpondet Theophylactus: *Ità oportet etiam nos vlciſci iniurias.* Nunquàm nobiliorem ab hoſtibus vindictam capimus, quàm cùm eorum malefacta bonis officijs compenſamus. Offenſas enim offenſis vlciſci, & iniurias pro iniurijs rependere mutuas, eſt hominum ignauorum, vilium, ruſticorum.

In legibus, quas ex Deo Iſraëlitici populi ductor promulgauit, vna ſic habet: *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo*; Exodi cap. 23. v. 3. 4.

Dicit hîc Oleaſter in annot. Morali: *Expende, quàm bellè te Dominus docuit vindictam ab inimico accipere.* Doctrina, quam hoc in loco tradit Dominus, ferè talis eſt. Si habes inimicum, ſi hominem infenſum, qui obliquis oculis res tuas ſpectat, & vis irrogatarum tibi ab eo iniuriarum talium vindictam ſumere, vide eam, quam ex Domini conceſſione ſumere potes. Animum nobilem, generoſum pectus exhibe rebus illius omnibus, quæcunque tibi occurrunt, oui, boui fer opem, ſi quam requirunt, fortunas illius tam enixè, contentioſèque propugna, & tutare, ac ſi tuæ ipſius eſſent. Sic enim gratas expetes de iniurijs tuis pœnas, nobiliſſimum namq; illud eſt vlciſcendi inimicos genus, quo illi ampliùs confunduntur, & perſtringuntur.

In hac ſententia eſt Agapetus Diaconus in monitis illis aureis, quæ ſcripſit Imperatori Iuſtiniano n. 20. To. 2. Biblioth. veterum Patrum, inquiens: *Venerandum iure eſt veſtrum imperium, quià hoſtibus quidem ſua demonſtrat pietatis aculeos.* Quàm benè dixit Diaconus, *Hoſtibus ſua demonſtrat aculeos pietatis!* Non dixit, demonſtraſſe aculeos iræ, odij, vindictæ, ſimultatis, ſed liberalitatis, manſuetudinis, humanitatis. Nam vt inimicum configas, & lancines, id ſolertiâ commodiore, & aſtu nobiliore fieri non poteſt, quàm ſi beneficijs eum ornes, & cumules. Hæc eſt Chriſtiana, & honorificentiſſima vindicta, quâ vlciſci poſſumus eum, qui nos perſequitur, & horret.

Benè conſtabiliet hanc doctrinam quædam Salomonis ſententia, quam ab illo mutuatus eſt Paulus, & præterire ſine cauſæ, quam tractamus, iniuria non poſſumus. Vult Apoſtolus, vt mutuò amemus, tanquàm ſpiritualia tam diuini capitis, quàm eſt Chriſtus, membra, & ſcribens quidem Romanis, loquens autem omnibus ait: *Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus*; Rom. 12. 19. Si de hac lege carnem, & ſanguinem conſulas, terribile, durum, intolerabile iugum videtur. Nam iniuriam paſſum priuare iucunditate vindictæ, eſt adimere illi voluptatem omnium maximam, quam habere poteſt. Et hominem in eas anguſtias cogere, vt legem, quæ vlciſci hoſtes prohibet, non prætereat, videtur perinde eſſe, ac permoleſtam, ne dicam intolerabilem ei ſarcinam imponere. Reſpondet Paulus huic obiectioni: Placet quod dicis: Et quoniam ais, non poſſe facere, quin vindictam ſumas, annuo vt ſumas. Itaque *ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*; ibid. v. 20. Similia habet Salomon Prou. 25. 21.

S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 22. in cap. 12. ad Rom. ait: *Nihil adeò iucundum eſt, atque de inimico ſumptum videre ſupplicium. Quod igitur cupit, id ipſi primum largitur.* Nulla tam grata, nulla tam voluptuoſa buccea, quàm videre pœnam ab hoſte expetitam, multos enim videmus, quibus nullus ante ſapit cibus, quàm vlti ſint inimicos. Dicit ergo Apoſtolus: Quòd iniuriam paſſus tam vehementer deſiderat, hoc volo vt antè omnia conſequatur, & obtineat, nimirùm vt pœnas ei, à quo accepit offenſas, reddat. Sed quemadmodùm illud? Non aliter, quàm vt officijs illum proſequatur, & ornet beneficijs, & honorificè excipiat, & comiter ſalutet, &

lautè

lautè habeat, & obuio cibo, ac potu famelicum, siticulosumque refocillet. Nam vt exactissimus parœmiarum Salomonicarum Interpres Salazar monet, ex textu Hebræo verba superiora sic possunt transferri: *Si esurierit, esc.is et incide, si sitierit, potum illi propina*, hoc est, famelicum inimicum tu inuita, tu ei mensam instrue, tu ei manu tuâ cibum non appone solùm, sed & incide, sic vt lectiora, lautioraque ei apponas. Cùm bibendum fuerit, tu ei ad ipsius sanitatem præbibe, hæc enim specialis amoris manifesta sunt inditia, in conuiuijs namque qui enixiùs diligunt, ij solenni more, & ritu buccas delicatiores inuicem ministrant, & mutuâ propinatione diuturnam sanitatem comprecantur. Id ex Apuleio, Suetonio, & Lãpridio magnus interpres, quem dixi, probat. Quo autem euentu, quoué fructu ista vrbanitatis, & humanitatis officia inimico quis exhibuerit? *Hoc faciens carbones congeres super caput eius.*

Mirus humanitatis, & beneficentiæ ergà hostem effectus, vt quis carbones super caput eius congerat, qui congerit in eum beneficia! Quid hæc significare possint.

S. August. dicet, qui serm. 165. de Temp. To. 10. sic habet: *Carbones ignis congerens super caput eius. Cùm enim inimico tuo pro animo frequentiùs benefeceris, quàmlibet sit impius, & crudelis, barbarus, & truentus, tamen tandem aliquando erubescit, & dolet, & pænitere incipit, quod admisit.* Hæc est nobilissima vindicta, & generosissima vltio, quando hostem tam officiosè obseruamus, tam amanter colimus, tam munificè quibus possumus, beneficijs ornamus, & oneramus, vt quantumuis agrestis sit, & ferus, pudeat in nos iniuriosum fuisse, quos ergà se tam humanos, & prolixos reperitur. Apud nos cùm quis ex quacunque causa erubescit, solet vultus eius plerumque inflammari, ac tunc dici: *Tiene fulano la cara como vnas brasas de pura verguenza*; hoc est: Habet ille faciem ferè talem, ac si meri ardentes carbones essent, idque rubor de pudore natus facit. Sic ergo nunc dicit Paulus: Si inimicus tuus esurierit, & sitierit, præbe illi victum, eá namq; pietate, & liberalitate *congeres carbones*, hoc est, si illum confundes, vt rubore facies eius non aliter tingatur, ac si meri carbones essent. Ad hunc modum nobilissima de inimico vindicta sumitur.

Nam vt S. Ennodius de vita Epiphanij ait, *nescio quæ species fortior possit esse bellorum, quàm dimicare contrà iracundiam, & ferocissimi pudorem onerare beneficijs, grauiùs enim percellitur, si postulata impetret, quem puduit supplicare.* Notate illud, *Percellitur grauiùs.* Nullum grauius vulnus ferocissimo hosti, aut sanguinolentissimo inimico, quàm concedere illi, quod optat, & rogare non audet. Nam vt videt præuentam suam verecundiam à magnificentia eius, quem offendit, vt cuius vltroneâ beneficentiâ consequitur, quod petere à verecundia prohibitus intermisit, *grauiùs percellitur*, & velut lethaliter saucius manet, & secundùm animam tam rarâ, & generosâ prolixitate acriter pungitur. Hâc ratione tutò retunduntur iniuriæ, & vindicantur offensæ. Hoc tam sublimi vlciscendi modo debet offensus ergà offensorem vti, vt postquàm anxietate vlciscendi, quam superare non possit, laborat, ex more diuino, atque vt Deus vult, vlciscatur. Is nimirùm non aliam de suis hostibus sumebat vindictam, quando Samaritanus ab eis, & dæmoniosus vocabatur, quàm vt eos ad epulas vitæ perpetuæ inuitaret, & ad salutem illorum immortalem eis propinaret suauissimum nectar, quod in illa regia superna æternum propinatur, & bibitur.

Idem noster Politicus cum suo offensore, & inimico agere debet, vt eum dapsiliter habeat, & oblatione domus, ac mensæ, vitæ etiam, si expediat, & necessitas postulet, sibi arctè deuinciat. Hac ratione generosissimè vlciscetur suas iniurias, & offensas, & altissimum vindictæ Christianæ, & piæ genus inueniet.

## CAPVT IX.

*Quoniam ex nimia acceleratione solent longæ moræ resultare, plurimùm refert, ad regulam discretionis ità moderari, & distribuere iter, vt perdurabili passu & continuâ profectione persici queat.*

OFferebat Esau fratri suo Iacobti suam viæ societatem, opitulationemque, si occurrens aliqua necessitas fortè requireret. Huic tam officiosæ, & comi oblationi respondit sanctus Patriarcha noster demissè, ac humiliter, non posse tam insignitum admittere beneficium, eò quòd teneros, & paruulos haberet filios, oues item, & vaccas grauidas, quas vnâ die perire necessum esset, si passu paulùm celeriore carpere viam cogerentur. Itaque & rogauit, vt ipse præcederet, seque paulatim, ac pedetentim sequi permitteret, inquiens: *Nosti, Domine, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vnâ die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia*

*eius; ficut videro paruulos meos posse*; Genes. 33. 13. 14.

Hæc verba habent sensum, & doctrinam moralem perutilem, cui valde inhærere debeant quidam imprudentes, & indiscreti, qui prætermissâ virium suarum expensione, tam properanter, cursimque feruntur per viam spiritus, vt antè deficiant, quàm perficiant iter, & inepti reddantur ad reliquum curriculum absoluendum. Sunt qui tanto feruoris impetu pœnitentem vitam aggrediuntur, vt post non multos passus prorsùm corruant, idq; quòd onus ad momenta virium suarum non expenderunt, neque curârunt, vt parem humeris sarcinam exciperent. Faciant itaque quod Iacob, qui dicebat: *Sequar paulatim, ficut videro paruulos meos posse.* Vires eorum, quos in via comites habebat, dimensus est, & ad modulum earum voluit vt per viam pergerent, vt perdurabilis sit profectio, necessum est prudentiâ duce vti, & iustam virium rationem habere, ad earumque mensuram moderari iter.

Ita suadet Doctor mellifluus serm. 49. in Cant. inquiens: *Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit etiam, & perpetuitatem. Denique ait:* Ordinatione tuâ perseuerat dies; *diem virtutem appellans. Est ergò discretio non tam virtus, quàm quadam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix.* Vbi itinerandi nullus est ordo, nullus modus, discretio nulla, quomodo rectè sua cuiq; diei via designari, & continuari profectio potest? Nonnunquam sensim progredi, nonnunquàm accelerare passum, & grandire gradum, nonnunquàm moderari, prorsùmque figere tantisper pedem, & conquiescere est necessum. Qui semper vult properare, & impetu incitatiore per viam pergere, ille facit, vt intermittenda sit profectio, & postremò nihil fecerit, postquàm tam raptim, ac præproperè inire viam cœpit.

Sanctus Marcus Euangelista refert, venisse Discipulos ad Christum, & quid suâ prædicandi operâ, ad quam emissi fuerant, effecissent, Magistro exposuisse. Audijt ille eos humanè, iussitque *ire seorsum in desertum locum, & requiescere pusillùm*; Marci 6. 31.

Ioannes Hoffineisterus monet hìc notare, quod Christus non ait Discipulis suis: Redite ad prædicandum, concionandi laborem, & profectus aliorum curandi arduum studium repetite; sed *Requiescite pusillùm*, respirate, secedite ab hominibus tantisper, vbi nemo sit, qui vestram quietem interpellet. *Hoc simpliciter intelligere possumus, concionatores non debere adeò se semel laboribus conficere, vt ad docendum prorsùs inutiles reddantur, sed ità debere docere, vt ad docendum diu vtiles, & alacres esse queant. Homo enim plus iusto laboribus occupatus diu illis ferendis sufficere non potest.* Ista Hoffineisterus. Quòd Apostoli ex prædicandi labore defatigati iussi sunt relaxare animum, tacita quædam ad ecclesiastas directa monitio fuit, vt eam ad concionandi studium adhibeant moderationem, per quam diu id munus obire possint, & non intemperanti labore vires suas totas conficiant; sed functioni suæ tam moderatè vacent, vt diu dare operam institutioni aliorum queant. Qui enim fortitudinis suæ robur omne simul exhaurit, palàm est quòd ineptum se ad obeunda posthæc prædicationis munia reddat. Ergo bonum est, prudentiam, & moderationem adhibere ad exercitia vitæ spiritualis, vt qui viam inijt, ad finem illius peruenire feliciter possit: *Homo enim plus iusto laboribus occupatus, diu illis ferendis sufficere non potest.*

Huc commodum veniet, quod Hugo Cardinalis in c. 34. Genes. de quodam veterum illorum Patrum ex Vitis Patrũ his verbis refert: *In Vitis Patrum dixit quidam Patrum: Si videris iuuenem ascendentẽ in cœlum, tene pedes eius, & proijce in terram, quià non expedit ei sic:* Qui namque immoderato impetu sursum conituntur, suntq; aquilæ in principio, ij redduntur inepti, & sub finem fiunt testudines.

Huc respexit S. Petrus, ex obseruatione eiusdem Hugonis, cùm ait: *Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit*; 1. Pet. 4. 12. Sequitur ex his, non omnem feruorem esse laudabilem, nec semper consultum impetu ad studia pietatis rapi. At quis hoc ab Apostolo expectare potuisset, vt diceret, posse feruorem pro lapide esse, ad quem viator spiritualis impingat, sic vt eum à prosequendo itinere impediat? *In feruore, qui ad tentationem vobis fit.* Iuxtà hæc benè sanctus ille senecio aiebat; arripiendum pedibus, & terræ affligendum iuuenem, si quis inter vitæ spiritualis rudimenta, & in primulo vitæ virtutum ingressu plùs satis feruere, & nimis incitatè contentioseq; ad superiora aspirare videretur, quòd tali satiùs esset per humilem planitiem moderatè, prudenterque viam carpere, ac sic felici pede cœlum petere, quàm turpi prolapsione inde huc decidere, & iam nec pedetentim procedere posse per vires ex tentato volatu, & inde secuto lapsu debilitatas, & fractas, denique etiam per intemperantiam feruoris & alas & pedes, & viam ipsam perdere: *Tene pedes eius, & proijce in terram, quià sic expedit ei.*

Nàm

Nam vt venerabilis Pater Thomas de Kempis magnus magister, & expertus dux vitæ spiritualis serm. 20. §. 3. ait: *Discretus labor sit, ne corrumpat infirmum, aut ad diuina reddat ineptum. Nam quod moderatum est, meliùs perseuerat. Ipse enim IESVS post itineris fatigationem residebat super fontem, expectans cibum, & humiliter postulans aqua potum.* Indubitatum est esse laborandum in via virtutis. Sed hoc etiam animaduertendum, debere studium esse moderatum, & par facultati virium, ne æquo grauior sarcina nimiùm prægrauet, & opprimat infirmos humeros; viatoremque reliquo itineri perficiendo relinquat ineptum. Exemplum huius rei Dominus noster nobis præluxit, qui lassus è longiore via consedit ad fontem Sichem, submissè aquam petijt, quâ corporis nimium ardorem refrigerare, & defatigationem leuare posset.

De immensa diuinæ dextræ potestate sic pronuntiat Sapiens: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter;* Sap. 8. 1. hoc est, cùm opus qualecunque suscipit, hoc etiam perficit, nec vllis impedimentis retinetur, quin ad fastigium educat, viamque omnem feliciter vt ingreditur, sic & egreditur, & cùm semel introire cœpit semitam, certum possumus nobis promittere illius exitum. Et hoc est attingere à fine vsq; ad finem, *à fine inchoationis vsque ad finem consummationis*, inquit Richardus de S. Victore part. 2. in Psal. 44.

Quid causæ sit, cur etiam seruus Dei feliciter absoluit curriculum, quod semel prosperè inire cœpit? Subijcit mox rationem Sapiens: *Disponit omnia suauiter,* cordatè, discretè, atque eâ passus moderatione vtitur, vt persequi profectionem vsq; ad extremam lineam possit: *Attingit à fine vsq; ad finem, quia disponit omnia suauiter;* inquit Richardus. Itinerandi itaque perseuerantia ex proficiscendi moderatione sequitur. *Tu fortiter inchoas, tepidè consummas. Cur hoc, nisi quia non disponis omnia suauiter, nec scis operari sapienter? Incipis, curris, festinas, anhelus lassaris, deficis, non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis.* Itaque vt feliciter perficiatur curriculum, necessum est imitari Dominum, qui à fine vsque ad finem pertingit fortiter, eò quòd vadit suauiter. Vbi non est suauis, & moderata ordinatio mediorum, ibi felix assecutio finis esse non potest.

Suffragetur nobis sacer noster Patriarcha, qui cùm ex ædibus paternis domum auunculi sui Labani peteret, vno momento, quantum quidem sacri textus narratio indicare videtur, iter suum confecit, & viam absoluit. Sic enim habes Genes. 28. 5. *Cùm dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban.*

Cardinalis Caietanus (quod & alibi diximus) in hæc sic ait: *Extremos terminos, à quo, & ad quem, itineris Iacob narrat Moyses, priusquàm narret euentus medios in via.* Quod tale videtur, acsi dixisset: *Attingit à fine vsq; ad finem*, ex more Dei, tanquàm facilè fuisset diuinare felicem exitum, quem profectio Iacobtis habitura erat, ex moderatione, quâ iter illius ingredi cœpit. Quare autem facile erat hoc præuidere, & existimare? Videamus quem itinerandi modum tenuerit in ipso viæ principio, hinc enim arbitrari finem illius prosperum haud difficilè poterimus. Abulensis dicit: *Ambulabat per dietas suas*, & initiò pedetentim viam carpebat, nec itá accelerabat iter, vt statim delassatus immodicâ festinatione prosequi illud non posset, sed cuiq; diei horas suas deputatas, & certos viarum limites constitutos habebat, & quando res postulabat, quiescebat, somno etiam, & cibo sua tempora concedebat, profectionemque omnem ad prudentiæ, & discretionis perpendiculum exigebat, & sic feliciter assequebatur locum, quem petebat. Omnia nimirùm cordatè, & suauiter antè disposuit. Ac propterea textus sacer ex primordijs itineris finem illi præsagit, *extremosque terminos, à quo, & ad quem, itineris Iacob narrat Moyses.* Quisquis enim suauiter incipit, fortiter finiet. Secùs ac ille, qui nimis animosè exorsus remittit paulatim spiritus, & profectionem ante finem intermittit. Vt ergò feliciter obsoluatur curriculum, moderatè initiò est ineundum.

Multi dubitârunt, neque parùm, aut immeritò, quid causæ sit, quòd regina florum rosa tam citò marcescat, quòd tam perfunctoria sit eius & fragrantia, & elegantia, sic vt eodem penè die venustatis suæ splendorem abijciat, quo ostentare cœpit. Qui fit, quòd tam subitò defungitur, quæ pro suæ speciei, & fragrantiæ incomparabili dignitate longos menses viuere debere videtur?

Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. c. 8. causam tradit, inquiens: *Dicunt rosam Rhodom fuisse nominatam, quòd odoris plurimum fluxum emittat, & ideò citò marcescit.*

Similem quæstionem instituere in re morali possumus. Quid est, quòd quidam à studio, & stadio virtutis, vitæ sanctioris, aut pœnitentiæ tam celeriter recedunt? Quid est, quòd inter ipsa primordia tam citò languent, torpent, fatigantur? Respondere possumus tam subitæ defectionis causam similem esse illius,

illius, ob quam rosa tam breui tempore marcet. Nimis accelerant gradum in principio, plùs à seipsis exigunt, quàm præstare vires possint, idcircò defatigantur, & deficiunt animis, & abrumpunt profectionem. Sic videmus quosdam, qui ieiunijs, inediâ, vigilijs, orandi pertinaciâ, strati duritie, flagrorum sæuitiâ ità se emaciant, tanquàm à prima linea ad extremam vno passu peruenire velint, ideòq; infelicem habent exitum. Similes rosæ volunt esse suas virtutes, ac propterea tam est breuis vita eorum spiritualis. *Quòd rosa, quòd virtus plurimum odoris fluxum emittat, ideò citò marcessit.*

Vt ergò exercitationum spiritualium studium possit esse perdurabile, ac diuturnum, debet comparari cum viribus illius, qui ei daturus est operam, & vult perseueranter vacare. *Sicut videro paruulos meos posse,* sic pergam, inquiebat noster Iacob, & eorum imbecillitati passus meos accommodabo. Sic prudens quilibet, & cordatus, priùsquàm iter ingrediatur, rationem cum loculis, & marsupio init, & pro numorum quantitate sumptus moderatur. Nam si mox initiò pecuniam omnem effunderet, quomodo viam reliquam conficere posset? Ad eundem modum agere debet, qui se vitæ pœnitenti tradit, vt primùm cum suis viribus rationes subducat, tum iuxtà earum modulum profectionem & cursum viæ, ac vitæ spiritualis instituat. Quod si & Politicus noster fecerit, si paria viribus opera susceperit, si sarcinam humeris tolerabilem imposuerit asperitatum, & pœnitentiæ, iter suum feliciter absoluet: Nisi enim passus suos ad normam prudentiæ, & discretionis componat, quomodo prospero fine claudere suum iter, & patriam assequi æternam poterit?

# LIBER OCTAVVS.

## CAPVT I.

*Qui cùm inimico semper vigili pugnat, nunquàm dormire debet, sed in maxima tranquillitate, & securitate periculosissimum bellum timere.*



Qvemadmodùm qui patentem publicè in via periculosa thesaurum portat, ad illũ diripiendum velut inuitat, perque vim auferri desiderat, vt ferè habet sanctus Gregorius Magnus homil. 9. in Euan. Sic qui in isto miserabili seculo, & lachrymarum luctuosa valle curâ vacuus viuit, & dormit securus, quanquàm habeat tot hostes in ipsius perniciem fœderatos, ad ipsius exitium semper vigiles, videtur indicare, quòd vel bellum non timeat, vel superari non curet. Vtrumque valde damnosum est illi, qui seriò, & omni virium contentione, & quantâ maximâ potest solicitudine debet procurare salutem suam æternam, contemptâ omni inimicorum rabie, quorum huc omnis conatus vadit, vt omnia remedia impediant, quibus illam consequi potest. Crudeles sunt nostri hostes, contumaces nostri aduersarij, inuidia illorum immanis est, furor truculentus, vigilantia illorum insomnis est, pertinacia infatigabilis, & perpetua, nunquàm enim cessant tentare, & non lassantur vllo impugnandi labore. Et qui viuit ob oculos talium inimicorum, nunquàm securum se putare debet, tametsi maximâ pace fruatur, cùm hostes tunc atrociore bello nos oppugnare soleant, cùm magis incuriosos, metuque vacuos cernunt. *Vigilandum omninò, & somnus ab oculis auferendus* (inquit Eminentissimus Cardinalis Ostiensis, sanctus Petrus Damianus serm. 68.) *quià latrones multi obsident iter nostrum toxicatis missilibus formidandi, nullum prorsus intentatum transire sustinentes. Diabolus ità inexorabile odium aduersùs nos exercet, vt nunquàm ab eo inducias vel in ictu oculi poterimus extorquere.* Qui cum tali hoste confligit, qui cum aduersario tam furioso luctatur, cui cum æmulo tam crudeli, & pertinaci res est, vt nec momento arma deponat, vel de infestandi studio, & contentione remittat, quomodo non solicitè curet, & diligentissimè laboret, vt semper ab armis sit optimè instructus, & contrà omnes illius machinationes, præstigias, irruptiones, assultus validissimè munitus?

Cùm militem Christianum armaret Apostolus, vt probè tectus in palæstra huius mundi aduersùs mũdum, eiusque caliginosos duces dimicaret, loricâq; iustitiæ, & scuto fidei, & galeâ salutis, & gladio spiritus eum ceu legionarium Christi vestiret, aiebat: *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*; Ephes. 6. 13.

Antequàm hinc abeamus, notandum est, quàm cautè, propriéque locutus sit hic Apostolus, non enim ait, *vt securi, sed vt perfecti possitis stare*, hoc namque castrense vocabulum est, & significat, in

campo

campo armatum, in morem pugnaturi, solicitum, & paratum stare. Vt autem videamus, quantâ curâ nobis attendere, quantâ vigilantiâ prospicere debeamus, notanda est eorundem verborum translatio alia, quæ apud Theophylactum talis est: *Vt possitis omnibus confectis stare* benè instructi, muniti, soliciti. Itané verò voluit Paulus, vt Christi milites etiam post confectum feliciter bellum, post dissipatas acies aduersarias, post propulsatos, fugatosque hostes perstarent in loco certaminis, & perstarent vigiles, attenti, soliciti, recti, parati? Quis tale quidpiam cogitare potuisset? Videtur enim potiùs dicere debuisse, *Vt possitis omnibus confectis quiescere.* Post absolutum enim prælium, post superatos hostes, post obtentam victoriam, & reportatum triumphum quid aliud consequi potest, quàm vt otio se tradant, & quieti indulgeant, & confectæ pugnæ laboribus sese reficiant, qui contentiosè, operosè, ac periculosè diu dimicârunt? Quomodo ergo Apostolus iubebat *confectis, omnibus stare*, & in loco certaminis iam finiti fixo nihilominùs vestigio armatos, promptosque ad conflictum vlteriorem consistere?

Theophylactus in c. 6. Ephes. ait: *Est postquàm plerique partâ victoriâ ceciderunt,* STARE *addidit. Opus est enim post victoriam etiam consistentiâ, ne victus rursùs ad oppugnandum insurgat. Cùm fieri possit, vt vincamur, non debemus in posterùm esse desides. Si enim ad torporem lapsi fuerimus, reuiuiscet occisus hostis.* Cum fugato hoste non fugit nostrum periculum, sed illo etiam subacto discrimen nostrum constat. Quare tanta debet esse nostra à confecto certamine cura, solicitudo, vigilantia, quanta fuit, cum in arenam cum hoste sanguinario descendimus. Hostis enim noster tam est impudens, & fraudulentus; vt etiam superatus, & prostratus non desperet victoriam, vt propterea post maximum triumphũ quàm maximè vigilare, solicitique, & attenti esse debeamus. *Opus est enim post victoriam etiam consistentiâ.* At si post triumphum etiam necessaria est vigilantia, quantam curam, diligentiamque conflictus ipse postulabit?

Videamus annon valde opportuna huc veniat Onosiandri quædam doctrina, quam argumento posthæc alio vrgebimus. Ille in Strategic. c. 8. sic ait: *Imperator si in hostili solo castra ponat, statim vallo, fossâque cingat, licet ibi ad breue tempus considere voluerit. Hæc enim castrensis ratio nunquàm pænitenda, semperque tuta, aduersùs repentinas, & improuisas irruptiones. Collocet etiam custodes, ac speculatores, quasi propè adsint hostes, etsi longiùs abesse putet.* Quàtam, Deus, curam, ac solicitudinem requirit Onosiander in ductore exercitus mouente castra, & in terra hostili vel paucularum horarum moras trahere cogitante? Itâ se muniat, inquit, & obuallet, acsi eo die signa cum aduersarijs collaturus esset, licèt ibi ad breue tempus considere voluerit. Ac tametsi longè abesse hostem sciat, excubias tamen in locis opportunis constituat, quæ tam solicitè aduigilent, quàm si proximè illum adesse nosset: *Collocet etiam custodias, ac speculatores, quasi propè adsint hostes, etsi longiùs abesse putet.* Quid illa tanta diligentia, & præparatio tam solicita faciet? *Hæc castrensis ratio nunquàm pænitenda,* nec dolebit aliquando exercitus moderator supremus, tam studiosè aduigilasse, nemo enim vnquàm probauit incuriam eius, qui inter hostes absque metu viuit, & semper fuit perniciabilis nimia securitas.

Si contrà hostes ex luto fictos, ex carne & sanguine conflatos tantam exigit Onosiander vigilantiam, & curam, vt velit Imperatorem militiæ nec per duas horas incurium, tametsi procul abesse infestas acies sciat, sed semper paratum, vt semper habeat alios in excubijs, alios in stationibus, alios in insidijs, alios in locis ad speculandum opportunis: Quid is faciat, cui non est publica pugna, sed priuata colluctatio non aduersùs carnem, & sanguinem, sed contrà spiritualia nequitiæ, contrà aëreas potestates, & principem tenebrarum harum, vt Apostolus loquitur, qui nos semper velut constrictos tenet suâ infatigabili tentandi peruicaciâ, & cedere nesciâ contentione? Quomodò is vel momentum prætermittere audeat, quo non totâ lacertorum vi, & omni animi robore pugnacissimè repugnet inimico quàm astuto, tam furioso, & ab oppugnando desistere nescio?

In mystico illo Tabernaculo ad lucem Origenis inueniemus hanc doctrinam benè adumbratam. In religiosis illius supellectilibus vnum erat candelabrũ aureum, ab admirabili sua structura celebratissimũ, quod Dominus ex aduerso mensæ panũ propositionis constitui iussit, & à Moyse accuratissimè collocatum fuit, *qui posuit candelabrum in tabernaculo testimonij è regione mensæ in parte australi*, vt habes Exodi 40. 22. Auster ventus meridionalis est, Aquilonem opposito spectans.

Admirabilis cæremonia visa est Origeni, quòd candelabrum, in quo erant lucernæ, itâ locatum fuit, vt eam potiùs, quàm aliam qualemlibet mundi oram spectaret: *Istud candelabrum in Austro collocat, vt ad Aquilonem respiciat*, inquit magnus Adamantius. Cur verò candelabrum, quod suâ luce fugabat tene-

tenebras, detegebat secreta, & abscondita, estque symbolum vigilantiæ, ità positum fuit, vt septentrionem, siue Aquilonem magis, quàm Austrum, Orientem, Occidentem respiceret?

Respondet Origenes, si Prophetam Ieremiam consulamus, facilè nos reperturos illius quæstionis solutionem, per cuius os Dominus illud tritum pronuntiauit: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*; Ierem. 1. 14.

Quòd frigidus Aquilo sit communis inimici nostri typus, id tam frequens est in sacris literis, vt superuacaneum sit probare, cùm & passim à Magno Gregorio, à sanctis Hieronymo, Isidoro, Beda, à Lyrano, Petro, Berchorio, Laureto, Ricciardo, & alijs affirmetur.

Mysterium candelabri è regione Aquilonis collocati ex his nunc accipiemus. *Posuit candelabrum in parte Australi*, inquit Moyses, acsi dixisset: Cùm candelabrum suâ luce sit symbolum vigilantiæ, meritò semper è regione Aquilonis est positum, vt semper respiciat inimicum, vt quoniam ille semper cônititur vincere, nostra vigilantia repugnare nunquàm desinat: *Accenso lumine, id est, vigilanti corde respicere semper debet ad Aquilonem, & obseruare eum, qui ab Aquilone est, ab Aquilone enim accenduntur mala vniuersæ terræ. Vigilans ergo, & solicitus, & ardens intueatur semper astutias diaboli, & semper aspiciat, vnde sit ventura tentatio, vnde hostis irruat, vnde inimicus obrepat.* Hæc Origenes. Ergo qui hostem habet, cui nulla à nocendi studio otiosa hora, habet etiam quare in perpetuis vigilijs agere, & totâ ingenij cautione attendere debeat, quomodo ardentes illius ictus retundere, & ignea tela illæsus excipere queat.

Quàm benè hoc docuit Tertullianus, quando dixit, quomodo gerere se debeat Christianus tectus scuto patientiæ, quam tam viuis coloribus delineat, quàm ipse Romanæ eloquentiæ Parens posset, commendatque à silentij obseruantia, & vultus serenitate, inquiens lib. de Patient. c. 15. *Os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis, & innoxijs.* Sed quid ait prætereà de Christiano quàm patiente, tam taciturno, tam hilari vultu, quàm is esse possit, qui neque alicuius noxæ sibi est conscius, neque hostem, quem timeat, vllum habet? An quòd dormiat? An quòd in otio degat? An quòd torpeat, & solicitudine omni solutus negligenter viuat? Nequaquàm, sed ità describere pergit: *Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus.* Tametsi patientia tanquàm conscia securitatis suæ sit taciturna, & tanquàm benè confisa muteat, & tam sereno sit vultu, quàm tranquillo, & timoris experte animo, & integra conscientia: Nihilominùs caput identitem ad cacodæmonem obuertit, cui sic arridet, vt minas eisdem oculis intentet: *Motus frequens capitis in diabolum.* Non dicit Tertullianus, sat esse Patientiæ suam æquanimitatem, aut sufficere, quòd inter eundum semel obuertat caput, intentisque oculis oculos dæmonis obseruet, vt se ab illius tectis insidijs seruet, sed multò sæpiùs obuertere caput, quàm mouere gradum, cùm videat, nullam posse habere securitatem, nullam promittere sibi quietê, & pacem eum, qui tam crudelem, atrocem, & vigilantem habet inimicum, qui infestandorum hominum tam est intentus operi, vt nemo sit tam celeribus pedibus ad fugiendum, quàm ille expeditis manibus ad feriendum, nec quisquã æquè promptè cauere possit, ac ille nocere.

Et quis securi animi esse queat, qui sancti Antonij principis eremicolarum Epistolam tertiam legerit, cui tam frequens fuit cum malo dæmone colluctatio, tam crebrum imposturarum illius ferociæque experimentum, vt magna ei fides, hac præsertim in re, debeatur. In ea Epistola ille sic habet: *Acquisiuimus domum tenebrosam, ac prælijs plenam.* Sit homo quispiam inclusus loco tam diligenter vndique obturato, vt nulla in eum lux penetrare posset. Sint in eodem loco plurimi hostes in illius exitium coniurati, qui & videri nequeant, & videant optimè, quem mactare & facilè possint, & maximè velint. Quanto in periculo, quanto in timore, & tremore miser ille versaretur, cui talibus cum hostibus tali in loco decertandum esset? Quis non misereretur ærumnosum illum eiusmodi inimicorum manibus expositum? At quàm insanus esset, qui tanto in discrimine positus negligenter se haberet, & oscitanter ageret? Hoc est, quod hominibus accidit, inquit sanctus Antonius. *Acquisiuimus domum tenebrosam, ac prælijs plenam.* Duobus malis obnoxij sumus, nam & in mundo obscuritatum, & confusionum tenebris pleno viuimus, & hostes habemus, à quibus perpetuo bello vexamur, tam proximos, quàm infensos, qui cùm nos perspectos habeant, illi oculos nostros latent, robustique cum infirmis, & astuti cum rudibus, & periti cum inexpertis, & semper vigiles cum somnolentis, torpentibus dimicant. Quare ergo inter res tam ancipites dormiamus, & non magis insomnes viuamus, omnique solicitudine saluti nostræ studeamus? Si domus illa tenebricosa mundus est, periculum idem est. Quis ergo homo

homo alioquin cordatus, & prudens, potest esse oscitabundus, qui in medio præsentaneorum periculorum positus consertis brachijs cum tam versutis, & malignis hostibus certare debet?

Maximè cùm de illo magnus Africanus Tertullianus lib. de Pœnit. c. 7. dicat: *Obseruat, oppugnat, obsidet, si quâ possit aut oculos concupiscentiâ carnali ferire, aut animum illecebris singularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine euertere, non scandalis, non tentationibus deficit.* Animæ nostræ arcem rabiosus ille hostis ex omni parte explorabundus tentat, si qua irrumpere possit, iamque & oculos rerum obscœnarum obiectu, & illicijs, & aures murmurationibus, obtrectationibusq;, & os blasphemijs, & cor varijs cupiditatibus, & caput superbiâ infestans. Denique non angulum relinquit, quē non scrutatur, non pinnam, quam non obseruat: *Non scandalis, non tentationibus deficit.* Mira pertinacia hostis nostri, qui nunquàm cessat eiaculari globos suos igneos, nunquàm remittit de ardore arietandi arcem animæ, sed quouis momento vtitur nouis stratagematis, artificijs, dolis, vt damnatorum votorum suorum compos fiat. Si autem diabolus non fatigatur, cur dormiat homo, cui bellum ex bello nascitur, & prælio vno confecto mox aliud periculosius mouetur?

Nonné hoc videmus in Patriarcha nostro expressum? Habuit ille talis rei experimentum, & nobis reliquit exemplum. Discedebat à domo Laban, atque hic illum persequebatur, posthæc timor fratris illum inuasit, cum quo deinde reconciliatus in gratiam, & fraternam consuetudinem redijt. Hîc nūc visum fuerit S. Patriarchæ nihil ærumnarū esse reliquū, omnes nūc exantlatas vitę, ac viç difficultates. Et ecce alia calamitas multò maior præteritis illi à Dina filia vnica inopinatò conflatur. Hæc è parentum consortio domestico digressa iuit *Vt videret mulieres regionis illius*, in quam recens aduenerat. Ciuitatem ingressa incidit in oculos Sichem filij regis, qui amore eius captus flagitium inuitæ intulit. Consciuerunt stuprum sororis fratres, dissimulantesque scelus fraudem adornant, & cedem primùm Principi, eiusque parenti, dein toti ciuitati intulerunt, vnâque occidione omnes extinxerunt, nisi quod mulieribus parcitum, & pueris. Hac sanguinolentissimâ cæde, & immani strage fuit sancto Patriarchę nostro tale mortis periculum comparatum, quale nunquàm antè subierat, perijssetque, nisi Dominus illum speciali præsidio suo sospitasset. Gliscebant ergo illi in dies noua discrimina, calamitatumque alia aliam per manus velut ductabat. Itaque fieri non poterat, quin semper in metu anxius viueret sanctus noster viator, ex cuius actis discimus, insigniter, stultos esse eos, qui solutè, oscitanterque in præsenti viuunt, cùm habeant inimicos, quos diximus, & non solùm subiaceant periculis, quæ experiuntur, verùm etiam meritò formident futura, quæ eis minantur.

*Eundem hortum colit Periocha prima Dominica V. post Epiphaniam Tom. II. pag. 445. c. 2. o. Vbi habes pulchra.*

## CAPVT II.

*Non tam difficilis prouincia est abscondere ignem, quàm clausam tenere mulierem, cui mortem acerbiorem consciscere non possis, quàm si domi reconditam serues.*

QVis enim clauserit ignem? aiebat ibi quidam Poetarum. Tantâ enim contentione, tantâque pertinaciâ regionem superiorem, ex qua fiat conspicuus, ignis petit, vt ægrè, ac perdifficulter retineri infernè queat. At quis mulierem domi conclusam retineat? Vt primum illud non vulgare est miraculum, sic hoc posterius prodigium non exiguum. Hoc plerumque sexus ille, & pars eius maxima habet, vt oderit latebras.

Præcipiebat Dominus in lege vetere, vt masculus quisque certos assecutus ætatis annos ter minimùm quotannis sisteret se Tabernaculo, in quo erat arca Testamenti, vt eo ritu profiterentur, quòd Dominus, ad quem adorandum ibi conueniebant, esset ipsorum Deus, Pater, Creator, è cuius munificis manibus acciperent omnes gratias, vniuersaque beneficia, quibus fruebantur. Summa legis erat ista: *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei israël;* Exod. 34. 23.

Æquissima certè lex, quales omnes, quascunque sacer Legislator promulgauit. At videtur mulieres prætreijsse, & exclusisse tanquàm immunes ab illo debito sistendi se conspectui Domini, acsi illas non eadem, quæ viros, constringeret necessitudo agnoscendi colendique supremum luminum patrem, qui boni omnis fons est, & origo. At si lex illa eo consilio lata est, vt qui ad Tabernaculum confluebant, religioso suo conuentu Dominum suæ vitæ, omnisque felicitatis autorem testarentur, ac venerarentur, cur mulieribus peregrinationis labor non æquè fuit impositus, ac viris, vt his se viæ comites,

& sacri cultus, communisque obseruantiæ socias adiungerent, quibus paria beneficia necessitatem parem imposuisse videntur? *Apparebit omne masculinum. Nonnè & fœmina tibi curæ sunt*, Domine, *sicut & masculi?* aiebat Oleaster in Annot. morali. At cùm eodem loco Deus habeat mulieres, quo viros, cur illæ non pariter fuerunt iussæ peregrinari, ac viri?

Respondet magnus Lusitanus: *Amat hoc genus exire, amat hinc inde discurrere.* Cùm negotium sistendi se Domino in peregrinatione, profectione, excursione positum esset, superuacaneum videtur mulieres præcepto ad illud adstringere. Viri magis amant secum morari, faciliusque domi se continent, ac propterea iussione euocandos illos potiùs, quàm mulieres putauit Dominus. Otiosum esset illas præcepto ad peregrinationes sacras, deserendumque secretum domesticum excire, ipsæ ex se procliuiter euagantur, prodeundique omnes occasiones quàm auidè expectant, tam studiosè, & curiosè obseruant. Habet hoc ille sexus mulierum, vt plerumque omnia benè faciant, dum nemo faciat, vt domi reconditæ manere, & parietes custodire domesticos debeant.

Ioseph Patriarchæ nostri filius in Ægyptum abductus, à Putiphare emptus fuit. Vix oculis liberali formâ adolescentem lasciua domini sui vxor arbitrata fuit, quando illi per summam impudentiam dixit: *Dormi mecum*; Genes. 39. 7. velut pluribus dixisset: Vultus tui elegantia, ô formose captiue, & morum gratia, & decentissima totius corporis structura ita cor meum expectorauit, animumque deuinxit, vt nisi lachrymis meis, ac precibus concedas, certam mihi mortem secuturus ex difficilli morositate, ac dedignatione tua mœror, ac dolor allaturus videatur. Exterritus tam inexpectato rogatu castus adolescens, perturbatusque tam obscœnis lasciuæ heræ suæ verbis, quanquàm grauissimis, & inuictis rationibus fidem, quâ domino suo obstrictus esset, assereret, illa nihilominùs per dies singulos, quod sacer Scriptor monet, *molesta erat adolescenti*, pertinaciterque murum fidei illius, & castitatis arcem tentabat, demùm verò etiam, cùm absq; arbitris domus esset, & solum adolescentem illa nacta, opportunissimam eam occasionem arbitraretur, manus intaminato iuueni libidinosas intulit, pallioque apprehensum per vim in scelus, & turpis voluptatis commercium pertrahere voluit. Id Moyses his verbis narrare incipit: *Accidit quadam die*; ibid. v. 11. Quænam illa dies fuerit, difficilè est statuere, aut definire. Flauius Iosephus ait, fuisse solennis, ac publici festi diem, quo mulieres primariæ omnes domibus effusæ ad conuentus publicos confluxerint, & venustatis suæ tum natiuæ, tùm adscitiæ, monilium que, & omnium ornamentorum ostentationem fecerint. *Publico festo instante*, inquit ille lib. 2. Antiq. c. 3. *cuius festiuitatem fœminas quoq; frequentare mos erat, fingit morbum apud maritum, captans solitudinem, & ad Iosephum solicitandum opportunitatem.* Quanquàm obscœnè lasciua, non tamen iners, non rudi, tardoque, & obtuso ingenio erat hera illa, inquit Iosephus, quæ cùm suspicari cœpisset, Iosephum in ea esse sententia, quòd à domina sua ad scelus inuitabatur, id ab ea non fieri turpi inconcessæ libidinis cupiditate, sed hoc solùm consilio, vt experimento disceret, quanta esset captiui famuli ergà suum herum fidelitas, & semel certò exploraret, qualemnam domi seruum haberet, quid egit, vt eam Iosephi adimeret suspicionem, persuasumque faceret, non fraudulenter, non periclitandæ fidei gratiâ ad concubitum solicitasse, sed ab animo ipsius amantissimo, & ardentissimo profectum, quòd complexum illius petierat? Ad nouam artem se conuertit, ægritudinemque mentita fuit, idque die festo, quo præsciebat omnes ad communis lætitiæ consortia prodituros foras, cùmque solum domi Ioseph, nescio quid illud operis, retinuisset, illa optatam diu occosionem cupidissimè arripiens, denuò illum adoritur, rogatque, & obsecrat, vti æquiorem, & beneuolentiorem, faciliore mque exhibeat, & exobsecrari ab ea sinat, quæ illum non tunc primùm demori inceperit. Venire autem ex penitissimo corde, quod obtestabatur; id ex ea re iubebat æstimare, quam propter illum reliquisset. Quid verò propter Iosephum relinquebat, vt illi indubitatum faceret, quod petebat, id ab animo serio, & syncero nasci, non periculi faciendi causâ fieri? Nonné vides, quod ait Iosephus, finxisse *morbum apud maritum?* Ægritudinem simulauit, vt ne domo exiret: Ostentandi sui, omniumque oculis exponendi sese expetitissimam alioquin opportunitatem præterlabi volens, ac lubens permisit, eaque re de sua enixa voluntate Iosephum certiorem reddidit, integerrimoque amore illum prosequi, ac deperire, non obscurè significauit, sed grauissimo, & luculentissimo argumento euicit, testatumque, ac demonstratum dedit. Quæ enim prodire domo cùm possit, intermittit, quæ publicos conuentus, palàmque videri, & videre negligit, ea haud dubium plurimùm amat, & extremâ, quod aiunt, lineâ diligit,

& perditè charam habet eius gratiam, cuius gratiâ hoc facit. Nam vt infensissimè oderunt mulieres solitudinem, & recessus, & latebras, ità validiore ratione suum ergà alios amorem demonstrare nequeunt, quàm si eorum amore domi se contineant, & hanc illi, quem diligunt, in se victimam mactent.

Nympharum vestitum obscœni amoris profanus pater Ouidius lib. 1. Fastorum sic describit:

*Exserit hac humerum, vestes trahit illa per herbas.*

*Impediunt teneros vincula nulla pedes,*

Carolus Neapolitanus Anaptix. ad lib. I. Fast. num. 164. ait, *vincula pro calceis* posita ab Ouidio. Id verò ingeniosè factum, nã cùm iniquissimè clausuram domesticam ferant fœminæ, & domus illis pro cruciabili tormento sint, quidquid libere obambulationi earum impedimentum qualecunque adfert, hoc illis pro duris vinculis, & pœnalibus pedicis, & intolerabilibus compedibus, & immani carcere, & carnificina est. Apud illas nulla magis captiua, quàm quæ domi clausa, nulla magis libera, quàm cui vagari licitum, nulla magis mortua, quàm quæ latebricola, nulla æquè viua, ac illa, cui obambulandi, & prodeundi facultas laxa.

Ad Episcopum Thyatiræ legatus à Domino missus Ioannes, iussusque fuit, vt cùm de bonis operibus illum commendaret, tùm de quibusdam erratis obiurgaret. Ex malefactis illud vnum erat, quòd mulierem obscœnam Iezabelem, quæ se prophetidem dicebat, docere permiserat, & inducere alios ad fornicationem, & esum idolothytorum. Minabatur ergo supplicium, quo coërcere illius mulieris audaciam vellet, ne in aliorum pernitiem redundaret. At videamus quam pœnam in eam decernat, quæ cùm liberrimè, quocunque eam sua malitia vocabat, euagaretur, plurimos in deuia abducebat. *Ecce mittam eam in lectum*, inquit Apoc. 2. v. 22. faciamq; vt suum ipsius stratum habeat pro carcere. Glossa ibi ait: *Ego mittam eam in lectum doloris, & alia translatio ponit luctum pro lecto.* Ego sic eam plectam, inquit Dominus, vt à manu mea profectas esse pœnas supplicij omnes intelligant. Quale verò supplicium est mulieris, quæ suâ perniciabili doctrinâ, & prauo exemplo homines tam multos in præcipitium abduxit, quod strato affixa fuit, vbi ægritudinis, dolorumque compedibus onerata, & constricta, in lecto tanquàm in carcere perpetuo versaretur? Non erant pœnæ aliæ, quæ repeti à muliere tam insolente, vafra, & fraudulenta possent: Acerbiorem nullam fuisse illud subindicat, quòd ab ipso Deo ad eam damnata fuit. Quis verò cruciatus, cui addicta fuit? Ille, vt tanquàm cochlea, domi moraretur: *Ecce mittam eam in lectum*, hoc est, dolorum catenis vinciam, vinctamque in lecto retinebo, non permittam vt prodeat, publicoque conuentui, gaudioué vlli intersit. Hæciné verò tam grauis mulcta, tam cruciabilis animaduersio? Immò verò eapse: Nam adimere mulieri suam excurrendi libertatem, prodeundi licentiam coërcere, id, si rem de communi illius sexus conditione, & familiari consuetudine arbitreris, terribilius supplicium est, quàm si vitam ipsam eripias. Itaque conijcere mulierem in lectũ, & in mortem, vel sepulturam, videtur idem esse: *Ecce mittam eam in lectum, in luctum.*

Peruulgatum est votum illud, quod Israëlitici populi dux Iephte nuncupauit Deo, vt per illum euaderet angustias, in quas se à catholicæ religioni infensis hostibus compactum videbat: Votum suum Iudic. 11. 30. 31. his verbis concepit: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunq; primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Audiuit Dominus deuotum, & religiosum supplicem, tradiditq; Ammonitas in manus illius, à quibus cùm triumphator domum rediret, prima illi occurrit filia gaudibunda, vt patri de victoria antè omnes gratularetur. Contristatus fuit insperato euentu pater, & cor illius magno luctu perfusum, & festa triumphi lætitia in mortales anxietates versa. Communicauit autem de voto cum filia, eaque humiliter se obtulit omnibus, quæcunq; Pater Deo Pollicitus esset, *expletisq; duobus mensibus fecit ei, sicut vouerat*, ibid. v. 39.

Non obstantibus his sacri textus verbis dubitatum ab Expositoribus fuit, vtrùm filia Iephte reapse à patre primùm ferro obtruncata, dein pyræ imposita, & exusta fuerit, vt esset holocaustum, quale ille vouerat.

Nicolaus Lyranus ex sententia Hebræorum sic ait: *Sine præiudicio, & per modum collationis potest dici, quòd Iephte filia non fuit sacrificata Domino per mortem corporalem, sed potiùs per ciuilem, seu spiritualem. Itaq; fuit sacrificata Domino per obseruationem virginitatis, viuendo in orationibus, ac ieiunijs, ac pijs operibus.* Quòd ergo filiam suam vitæ solitariæ addixit, & ad hunc modum sacrificauit, perinde fuit, acsi victimam mactasset, idque ex sententia sapientiorum Hebræorum, quos consultauerit Iephte, vt sine quorum consilio, & approbatione nouate re nihil audebat. Vbi videntur illi de re ista in rem no-

nostram aptè sensisse, vt qui Iephte authores, suasoresque fuerunt, vt quam gladio non immolaret filiam, eam claustro includeret, & eâ ratione sacrificaret: Nam & reuerà vt sunt plerumque, & maximam partem impatientes latebrarum, infensæ recessui, inimicæ solitarijs parietibus mulieres, itâ excludere eas à communi consuetudine hominum, & prorsùm è viuis eximere, secretoque viuas addicere, & mortuas tumulo inferre, & humo obruere, videtur perinde esse.

Præclarè hæc explicata, & confirmata dabit quoddam epitaphium, seu funebre elogium Claudiæ insignis matronæ Romanæ, quod Ioannes Kirchmannus de Funerib. Roman. lib. 3. c. 20. his ipsis verbis describit:

*Hospes. quod. deico. paullum est. asta. ac pellege.*
*Heic est. sepulcrum. haut pulcrum. pulcrai. fæminæ.*
*Nomen. Parentes. nominarunt. Claudiam.*
*Soum. maritum. corde. dilexit souo.*
*Natos. duos. creauit. horunc. alterum.*
*In terra. linquit. alium. sub. terra. locat.*
*Sermone. lepido. tum. autem. incessit. commodo.*
*Domum. seruauit. lanam. fecit. Dixi. Abei.*

Hactenùs ille.

Nonné animaduertitis in his verbis ista, *Domum seruauit, Dixi?* Scitis, quòd oratores veteres olim postquàm dicendo absoluerant suas orationes, hoc verbo eas velut obsignabant, *Dixi.* Hodiernus mos idem habet, & verbi istius ille est sensus, ac si Orator pluribus diceret. Quidquid in hanc rem meditatus fueram, totum dixi, videturque mihi nihil esse reliquum, quod de tali re ampliùs dici possit. Sic epitaphium, cùm Claudiam post multa ab eo commendasset, quòd *domum seruauit*, solitudinem, & recessum amauit, nunquàm in compitis, aut plateis visa fuit, deniq; subiunxit, *Dixi*, acsi dixisset: Nunc abrumpendum orationis filum, nunc contrahenda vela, nunc Herculis columnæ hîc figendæ, non enim est, quò excurram longiùs, non virtus, à qua posthæc laudem fœminam, quam ab eo semel prædicaui, quòd domi custos, latebrarum assidua cultrix fuerit: Nam vt pleræq; ferè abhorrent à clausura, itâ inuenire vnam, cui solitudo chara, & familiaris fuerit, est auem raram, Phœnicen, inquam, reperisse? Vt enim eruditus quidam scriptor sermonum Didacus de la Vega, quem plurimùm amo, & veneror, ait, vnum in totis Hispanijs tantùm nouimus Ruisium Diaz, quem Mauri vocârunt Cid, Christiani Campum Martis, siue hominem, qui in campo pugnare amaret. Verùm in hac parte mulieres perplures numerant Cides, quæq; in campo ament non pugnare, sed liberè vagari, verè venti campi, quòd vt venti ruri, vbi nullo prohibentur obstaculo, liberiùs in omne latus feruntur, sic & illæ ea loca diligant, in quibus discurrendi maior sit facultas, & licentia.

Dicat hoc nobis, præter alias, vna sola filia, quam Iacob habebat, dicta Dina, cuius iam fecimus mentionem, quæ vix appropinquare ciuitati alicui cœpit, quando *egressa est, vt videret mulieres regionis illius*, Gen. 34. 1. Abulensis ait: *Quasi furtim de domo patris egressa fuit*; & quanquàm tot haberet vitæ, & clausuræ suæ custodes, parentes sanctos, fratres piè educatos, famulos benè institutos, nihilominùs oculos, studiumq; attentionis omnium fugit, solaque in locum se recepit, vbi & videre posset, & videri. Secundùm hæc quid mirum est, quod dixi, operosiùs esse clausam seruare mulierem, quàm abscondere ignem? Quis enim vel vnam aliquam teneat reconditam, nisi ipsa velit? Quis illius pedes coërceat, si detrectet? Quis domi cohibere possit, si fortè nolit?

*Quàm amantes debeant esse mulieres latebrarum, vide Tomo I. Periochâ IV. Feriæ IV. post Domin. IV. Quadragesimæ, pag. 353. o. Vide etiam Tomo I. in Indice rerum, verbo Mulier, quàm sit stultum seruare mulierem, quæ se ipsam seruare nolit.*

## CAPVT III.

*Nitimur in vetitum, eaq; auidiùs appetimus, quæ seueriùs negantur.*

QVòd furtim egressa de domo patris sui Dina fuit, vt paulò antè ex Tostato dicebamus, id ex immodica parentum ergà filiam cura, & custodiendæ illius nimia solicitudine factum multi arbitrantur, tanquàm ipsa reclusio cupidam exeundi, & pertæsam recessus illud fecerit, quòd se à multis tam studiosè, cautimque obseruitari cerneret. Quàm familiare, vsitatumque hoc est nostro humano appetitui! Fortè parentes (quod de illorum pietate facilè cogitari potest) filiam suam, quòd vnica esset, solicitè, ac diligenter custodiebant, neque egredi in ciuitatem sinebant, & hac ipsa tam studiosâ illius obseruatione, & reclusione excitabant eam, vt vehementiùs desideraret exire, euagandiq; cupiditatem acuebant, & inflammabant eò ampliùs, quò magis restringebant. Deniq; *egressa est, vt videret*, quantumuis diu anxiè custodita, ne hoc faceret, lusitque omnem diligentiam, & vigilantiam excubitorum

puellaris curiositatis diu impeditæ magnitudo, ac vehementia. Ex hoc ipso namque, quòd cuiquam rei alicuius, quam appetit, copia denegatur, magis accenditur illius ergà eam cupiditas, vt multò ardentiùs eam suspiret.

Dimisit à se Dominus adolescentem quendam, qui cum magno, vt videbatur, desiderio frequentandi scholam illius aduenerat. Accessit ad illum mox alius cum auiditate nihilo minore tradendi se in disciplinam eiusdem, ac faciendi eximios in studio virtutis progressus, vtque huius voti compos fieret, aiebat: *Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum*; Matth. 8. 21. tanquàm dicere voluisset: Cælum nouit, quanto flagret pectus meum desiderio perdiscendi diuinam Philosophiam, quâ tu animæ salutem æternam parare doces. Vnum tantùm me impedit piæ occupationis negotium, illud nempè vt sepeliam patrem meum, & boni filij officium exequar, & iusta funeri illius suprema exsoluam. Da ergo, vt cum tua bona venia, & permissione has, quas dixi, exequias curem, sic enim omnibus alijs impedimentis solutus liberè, promptèque, & expeditè te sequi potero. Respondit ei cœlestis magister: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire suos*; ibid. vers. 22. velut pluribus dixisset: Apagete cum istis tumultuarijs curis, & turbida solicitudine, sepeliendorum mortuorum operam mortuis relinque, nam quod tua nunc refert, illud est, vt me sequaris. Fecit ità iuuenis ille, oblitusq; defunctum patrem, officium illi parentandi fratribus suis, cæterisque cognatis reliquit.

Euthymius dignum admiratione putat, quod iste iuuenis non absque petita venia vltrò abierit, vt extremum illum parenti honorem penderet: *Tu verò si admiraris*, inquit, *quomodo non suâ sponte abierit, sed petiuit, vt sibi liceret*, aliud tibi hac in causa ostendam, quod multò etiam sit mirius. Et quidnam illud? Hoc, *quomodo prohibitus manserit*. Fuerit admirabile, quòd non vltrò abierit, quò pietatis officium vocare illum videbatur, illud magis stupendum, quòd iussus manere mansit, qui tantâ cupiditate abeundi tenebatur: Nam cùm eò plurimùm propendeant homines, vt hoc enixiùs velint, quod grauiùs est prohibitum, & languentissimum, veternosissimumque appetitum, quæ maximè interdicta sunt, vehementissimè excitent, mirissimum est, quòd hunc iuuenem suæ cupiditatis æstus non abripuit, cùm ire ad inferendum tumulo patrem prohibitus fuit. Itaque dignum est diligenti notatione, *quomodo prohibitus manserit*, nam non appetere, quod interdicitur, non qualecunque prodigium est.

Cùm Propheta regius pernôsset, quanta mala, & incommoda parere infrenis lingua, quantumq; præcipitare fera illa bestia homines alioquin moderatissimos, & modestissimos soleat, obsecrabat Dominum, vt is, qui solus eam coërcere posset, os, linguamq; ipsius optimus custos ità seruaret, ne quidquam loqueretur, quod rationi non maximè esset consentaneum, inquiens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*; Psalmo 140. 3.

Hanc Prophetæ orationem sic dilucidauit Hugo Victorinus in lib. de claustro animæ. *Ostium dixit, non murum, si enim murus poneretur, licentia loquendi negari omninò videretur, sed ostium ponitur, quod loco, & tempore suo clauditur, & aperitur.*

At cùm Dauid taciturnitatis amantissimus esset, & obseruandi silentij cupidissimus, vt qui sciret quanta damna plerumque ex locutione resultent, cur non petijt grandi saxo sibi os obturari, & obsignari sigillo adamantino labia, sed portâ solùm claudi rogauit, quæ aperiri, cùm res postulat, queat? *Ostium circumstantiæ.* Causam Hugo iam exposuit, dicens: *Si enim murus poneretur, licentia loquendi negari omninò videretur.* Nouerat ingenij nostri conditionem Propheta, nouerat quòd ardentiùs expetimus, quæ seueriùs prohibita. Et quanquàm consideraret, quàm vtile sibi esset habere clausa labia, non muro tamen clausa esse voluit, non si muro interclusa essent, omnis illi adempta loquendi facultas fecisset, vt linguæ vsum vehementiùs demoreretur, licèt inter hæc cogitaret, quantùm exitij ea illi adferre posset. Vt ergo feliciùs euenirent omnia, non muro, sed foribus labia sibi obturari rogauit, quæ reserari possent, tametsi essent clausæ, vt cùm eas ad loquendum aperiri nonnunquàm posse sciret, loquendi cupiditatem prompta facultas mitigaret, minùsque vehementer expeteret, cuius sibi imminutam quidem, sed non prorsùs ablatam copiam nôsset.

Huc faciet illud quæsitum Aristotelis sect. 11. Problem. 35. *cur homines linguâ hæsitantes loqui nequeant voce submissâ.* Respondet philosophorum Princeps appositè ad rem præsentem, causam eam esse, *quod offensaculo quodam vox sistitur, retineturque.* Balbutientes quoddam à natura habent in neruis impedimentum, à quo fit, vt non satis expeditè mouere linguam possint, vt propterea maiore laterum contentione ad loquendum vti debeant, & vi quâdam per obsessos, & angustos meatus voces edant

subtiliores, & altiores, præcipitentque verba, & titubent sermone. Itaque quòd se destitutos vident submissè loquendi facultate, quâ valent alij, id ipsum facit, vt eò sic incitatior, & turbulentior loquendi impetus, quò impeditior vsus. *Quod ergo offensaculo quodam vox sistitur, retineturque*, idem causa est, vt maior ad exprimendum verba conatus adhiberi debeat, adeòque vox altior, per arctiores maximè fauces erumpat. Ità semper vehementior est, ac præcipitantior interclusa cupiditas, cùm priuatio fit incentiuum appetitus.

Quàm multis Scripturæ locis comparantur mali cum fumo! Mihi commemorare omnia per tempus non licet. Dauidis, & Salomonis filij eius testimonia huc attulisse sat fuerit. *Sicut deficit fumus, deficiant, sic pereant peccatores à facie Dei*, inquit ille Psal. 67. 3. Quæ alij sic legunt: *sicut deficit fumus, deficient, sic peribunt peccatores à facie Dei.* Salomon verò ait Prouerb. 10. 26. *Sicut fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum.* Quamobrem peccatores cum fumo potiùs, quàm re alia comparantur?

Respondet Robertus Holcot in cap. 10. Prouerb. *Dicuntur fumus impij, quià contrà ventum erigunt sibi viam, quia in ea parte, vbi est præceptum obedientiæ, ibi directè se erigunt mali subditi per præuaricationem. Quià sicut dicit Augustinus* lib. 13. de ciuit. cap. 5. *ipsa prohibitio prælatorum auget desiderium operis illiciti.* Notoria est fumi conditio, quæ talis ea, vt contrà aduersum ventum validiùs nitatur, perque eam viam erumpere pertinaciùs velit, quàm flamina maximè obstruunt, & intercludunt. Fumum eâ in re homines, subditi inprimis imitantur, vt obsistentibus superioribus vehementiùs repugnent, & quod illi vetant fieri, hoc facere ardentiùs cupiant, tanquàm ipsa prohibitio illicium illiciti fit operis, & interdicto magis inardescat animus ad vetita. Propterea rectè conferuntur cum fumo, qui maiore contentione illos meatus pertentat, quos obstruere ventus contrarius enixiùs videtur.

Hinc intelligemus quædam Tertulliani nonnihil difficilia verba. In suo de pœnitentia lib. cap. 6. agit de illis, qui differunt pœnitentiam, & sic ait: *Interpellat illos ad desiderandum ex pristinis aliquid ipse finis desiderandi. Velut poma cùm iam in acorem, vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiæ suæ adulantur.* Quoniam is, qui pœnitentiæ exercitationem suscepturus, & pœnalium operum vsu noxas maleactæ vitæ superioris est expiaturus, scit quòd debeat rerum inconcessarum appetitionibus fores totas occludere, remanet illi præteritorum desiderium, idque cùm vel vnicè, vel maximè impedit, quòd renuntiare voluptatibus superioribus, & finem imponere malis studijs, quibus diu assueuit, ipse sibi debet, & seipsum addicere necessitati deserendi prauas occupationes pristinas, idque per pœnitentiam, cui accingitur, per quam illi omnis mala cupiditas rei illicitæ interdicitur.

Hoc est, quod Tertullianus verbis alijs dixit. Verùm similitudo, quâ illud declarare voluit, subobscura est, & difficilis. *Velut poma*, inquit, *cùm iam in acorem, vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiæ suæ adulantur.* Vbi eos, qui tardè ad suscipiendam pœnitentiam accedunt, componit cum pomis, quæ cùm acescere, & putrescere paulatim incipiunt, magis assentantur palato, & gustui. Varias interpretationes hæc similitudo passa est, sed quæ receptior, ea causæ nostræ magis congruit, & adminiculatur. Dixerat Tertullianus: *Interpellat illos ad desiderandum ipse finis desiderandi*, hoc est, quòd baptismi susceptionem procrastinant, id fit, quià vident per illum sibi intercludi aditum ad vitæ voluptates superioris. Cùm autem cernunt, & cogitant, à baptismo sibi inconcessum fore ire in antiquam syluam, modumq; imponi appetitui, & angustis limitibus illum circumscribi, inde nascitur, quòd flagrantiùs ea desiderant, quibus iamiam renuntiare oporteat, & magis acuit appetitum proximè secutura priuatio. Vt in illis cernere liceat, quòd in pomis, vuis, alijsq; talibus fructibus videmus, quorum cùm magna sit per id tempus, quò primùm maturuerunt, & decerpi solent, copia, exiguum est pretium, verùm posthæc maior æstimatio, cùm illud tempus præterijt, minùsque sunt obuij, iamque pati cariem, vitium agere, putrereque, & putere incipiunt, tunc enim magis illis esurimus, tunc suauiores illos nobis fingimus, tunc auidiùs expetimus, qui in horto penduli, & sani, & viuis coloribus ad omnem oculorum gratiam tincti cùm specie visum pascerent, nimiâ affluentiâ stomacho nauseam adferebant. Talia sunt omnia sæculi oblectamenta, tales carnis voluptates.

Fastidium generant, donec illis liberè frui licet, & vsus eorum est obuius: Quæ tamen ingens sui desiderium relinquunt, cùm ipsa relinquere per tempus est necessum; perinde ac fructus, qui per autumni, & vindemiæ dies habentur viles, per hyemem cari, & pretiosi. Sic omnis corperea voluptas voluptuosior videtur, cùm est abdicandi, & delectabiliorem, suauioremque se offert auferenda. Familiare hoc appetitus humani malum est, vt inhiantiùs

cupiat, quòd magis vetitum, & prohibita ardentiùs depereat: *Interpellat illos ad desiderandum ipse finis desiderij.* Accensæ candelæ similis est appetitus, quæ tunc luculentiùs lucet, cùm extinguitur.

Magna huius rei exaggeratio mihi videtur id, quod Dominus populo suo, vt post egressionem ex Ægypto faceret, præcepit, estque tale: *Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in diebus vestris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Isráel, à primo die vsque ad septimum;* Exodi 12. 24.

Admirabilis lex, inquit sanctus Gaudentius, cuius est illud serm. 3. in Exodum: *Si fermentatum fieri iussisset, diligentia illic necessaria esset, ne deesset. Quod iussit, desidia est, non laboris.* Nihil congruentius naturæ humanæ inclinationi, quàm pigritia, socordia, remissio, negligentia, torpor. Testatur id vis illa, ac solicitudo, quâ Dominus per Scripturam, perque ministros, & prædicatores suos non vrget, vt repellamus somnum, & abijciamus omnem oscitantiã nobis alioquin nimisquàm familiarem: Non habere autem fermentum, aut nõ subigere fermento farinam, est feriari, & nihil agere. Cur ergo Dominus, cùm illos vult otiosos, ac feriatos, id sub capitis certa pœna illis præcipiendum putauit? *Quicunq; comederit fermentatum, peribit de Isráel.* Itané verò comminatione mortis promouendi erant, vt otiarentur, & vacarent! Quorsùm tam graui supplicio ad id compellere voluit, ad quod vitiatæ naturæ ponderibus procliuiter ferebantur, & vltrò ibant?

Respondet Gaudentius: *Negligentiam iubet, vt obedientiam probet.* Summa in his paucis exaggeratio posita videtur. Appetitus humanus quietem, otium, vacationem, remissionem amat, nec quicquam est, quod magis fugiat, quàm laborem. Quando ergo Dominus vult, vt homo (quod ità conueniat) certæ causæ ergo supersedeat labore, vt illum ad vacandum obliget, necesse videtur pœnâ capitis eum ad otium cogere, apud quem scilicet plus valet prohibitio, & priuatio, quàm alia omnia. Et quamuis inertia, remissio, otium plurimam cum natura coniunctionem habeant, deprauatæ voluntati tamen magis naturale est, cupere vetita. Itaque cùm homini vacatio, ad quam natura vehementer propendet, imperatur, necessum est vitæ pœnam tali etiam præcepto adiungere, ne laborem, qui per indictum otium est prohibitus, ob hoc ipsum, quòd prohibitus, magis appetat, & feriari nolit, ne interdictum laborem intermittere debeat: Quamuis enim homo alioquin laborem penè vt mortem oderit, si tamen cessare à labore iubeatur, ne vita quidem illi æquè cara est, ac labor. Eapropropter Dominus *negligentiam iubet, vt obedientiam probet.* Tametsi enim facillimum homini sit feriari ab opere, ob hoc ipsum tamen, quòd id illi præcipitur, & appetendi laboris facultas appetitui adimitur, appetit opus vetitum, & prohibitum laborem, à quo alioquin plurimùm abhorret. Tam potens namque est priuatio appetitus, aut coarctatio libertatis illius, vt homo, quod vulgò dicitur, ob solam peccandi libidinem peccaret, si peccare illi interdiceretur, eò quòd passim ità fieri soleat, vt nitamur in vetitum semper, cupiamusque negata.

## CAPVT IV.

*Credere aliquid ei, qui aliquando infidus fuerit, sagax nonnunquàm industria est, per quam colere fidelitatem incipiat, qui violare solebat.*

QVanquàm hæc doctrina communiter ad omnes spectet, ad mulieres tamen spectaliùs dirigitur, quæ sunt infirmiora vascula, personæ imbecilliores, & cùm sint procliuiores ad querimonias, & suspiciones, prudentiâ, & rationis iudicio minùs valent. Quapropter necessum est, vt ad quem mulieris educatio, institutio, gubernatio ex officio pertinet, plurimâ, quantùm fieri potest, blanditiâ, mansuetudine, suauitate ergà eam vtatur, & neque arctiore disciplinâ constringat, neque austerioribus præceptis coërceat. Immodica enim, & immoderata mulierum arctatio solet maiorum malorum esse causa, & efficere, vt peiores euadant, & minimè obtineat, quòd maximè sperabat is, qui duriusculè cum eis agendum putauit, vt magis in officio contineret. Faciendum cum eis est, quod cum fure, aut infido agitur, cuius fidei nonnunquàm aliquid creditur, vt fidem seruare, colere, amare consuescat. Sic & mulieribus plusculum aliquid aliquando credendum, ità enim incitabuntur, vt magis seruent fidelitatem, & faciliùs permouebuntur ad omnia, quæ ad maiorem Dei cultum faciant.

Piæ illæ mulieres, quæ viuentem tenerrimè dixerant Dominum, non remiserunt post mortem de ardore charitatis, vt quæ cum multis, eisque pretiosis aromatibus venerunt ad sepulchrum, vt sacrum cadauer ex Hebræo more vngerent. Cùm cœleste mausoleum diligentiùs arbitratæ fuissent, inuenerunt angelum splendidè vestitum, qui aiebat: Scio, quòd diuinum omnipotentis Dei corpus exanime quæritis, qui tam ignominiosè crucifixus fuit, verùm non est hîc, suæ namq; inuictæ potentiæ virtute rediuiuus

diuinus factus surrexit, quod vt indubitatiùs credatis, vacuum sepulchrum irrefragabili vobis testimonio erit: *Citò* autem *euntes dicite Discipulis eius, quià surrexit*; Matth. 28. 7.

Quid hoc audio! Mulieresné mittuntur nuntiæ tam alti mysterij, quod est vnum ex totius fidei nostræ præcipuis; cùm Paulus dicat vanam eam esse, nisi Christus resurrexerit! Itané decuit tam grauem, ac momentosam legationem muliebris solicitudinis, ac diligentiæ inijcere humeris? Aut ità defatigatus ex submouendi lapidis, ac sigilli, quo sepulchrum clausum, signatumque erat, labore fuit Angelus, vt ipse perferre euangelia tam optata Discipulis nequiuerit, ideòque mulieribus id committere negotij debuerit? At cùm Angelus illud munus obire absque vllo negotio potuerit, cur mulieribus demandauit?

Respondet Cardinalis Caietanus: *Efficit Angelus mulieres nuntias resurrectionis ad discipulos Iesu, Vt magis trahat illas ad credendum sibi.* Si Angelus cunctatus fuisset mulieribus aperire veritatem resurrectionis Christi, si cùm illis austeriùs egisset, ægrè forsan fidem tanto mysterio accommodassent. Quid verò egit? Non solùm iubet eas credere, sed etiam alijs nuntiare, vt credant, tantùmque earum fidei tribuit, vt eas ad prædicandum alijs fidem resurrectionis ablegeт. Tanto eas honore ornat, vt summorum Prædicatorum magistras faciat, & quæ olim fuerant nuntiæ mendacij, eas constituit prædicatrices veritatis, *Vt magis trahat illas ad credendum*, & faciliùs fidem dent ei, à quo Euangelistæ mittebantur fidei. Quando ijs, qui fuerunt de infidelitate suspecti, creditur, & fiditur, neq; nimis austerè cum illis agitur, fit vt illa lætanter, promptè, exactèq; iniuncta officia curent. Videre id licuit in his mulieribus. Nam cum ijs diceretur: *Citò euntes dicite discipulis eius, quià surrexit*; idq; ab Angelo tantâ splendoris maiestate conuestito, vt eas suâ venustate, & incomparabili formæ elegantiâ non secùs ac ferrum magnes facilè retinere posset, nihilominùs *exierunt citò de monumento cum gaudio magno currentes nuntiare discipulis*, quam iussæ fuerant, resurrectionem. Hinc videas, quid efficiat fidere illi, cuius fidem suspectam habebas, & muneris alicuius commissione eum honorare, ac deuincire, vt promptè obedientem habeas. Honor, quem mulieribus Angelus detulit, cùm nuntias resurrectionis fecit, & fiducia, quâ hanc eis tutò posse credere legationem putauit, eò illas permouit, vt non solùm ipsæ crederent rem omnium maximè arduam, & raram (nempè à seipso in vitam redijsse eum qui mortuus fuerat) verùm etiam cursu properanter abirent, vt alijs eandem veritatem indicarent, & persuaderent, nec vllâ difficultate absterreri finerent, quòminus id facerent. Refert multum, furem (vt dicitur) tanquàm fidum habere, & non constringere mulieres arctiore disciplinâ, sic enim meliùs ab eis impetratur, faciliùsque permouentur ad omnia, quæcunque ad Dei cultum, gloriamq; eius maiorem pertinent.

Dùm Sponsam suam per singula penè corporis membra Sponsus ille de Canticis dilaudat, de ventre sic illam prædicat: *Venter tuus sicut aceruus tritici Vallatus lilijs*; Cant. 7. 2. Vbi Rabbi Salomon ait: *Vallatus lilijs, id est, septus sepe liliorum*, tanquàm Sponsæ venter albicantibus lilijs non solùm velut coronâ odoriferâ circundatus, verùm etiam ad eum modum septus fuit, quo cingi ab hoste ciuitas solet. Sensus ergo est, Sponsam (cuius pars quædam pro tota ipsa ponitur) in quodam liliorum muro, aut vallo fuisse inclusam.

Doctus quidam modernus miratur, quid munimenti præstare Sponsæ tam fragile liliorum sepimentum potuerit. *At qualis sepes liliorum? Lilia non sepiunt, sed suo odore ad rapiendum inuitant*, inquit Tufus in cap. 9. Eccles. Quâ gratiâ ergo lilijs ad defensionem, munitionem, securitatemque vallata fuit?

Respondeo. Aut bonam habebat Sponsus de Sponsæ suæ fidelitate opinionem, aut sinistram, vt propterea rigidiusculè cum illa agendum, austeriùsque includendam putaret.

Quamcunq; verò de illa haberet existimationem, nihil aliud, quàm liliorum septum erat, quo illam inclusam tenebat. Nam siquidem honorificè de illa, nec aliud quàm de integerrima muliere sentiret Sponsus, hæc tam præclara existimatio apud nobilem, & generosum Sponsæ animum efficere poterat, vt sepimentum liliorum apud eam valeret, quidquid vallum ex spinis posset, ac tam probè custodita lateret intrà liliorum claustrum, quàm quæuis alia intrà murum ferreum, siue adamantinum: Sin parùm fideret illi, suspectamq; haberet eius fidem, adeòque arctius eam cohiberet, inq; latebras abstrusam vix Soli conspiciendam relinqueret, iamq; non spinis tantùm obsepiret, verùm etiam muro æneo incingeret, collocatisq; ex omni parte excubitoribus vigilantissimè obseruaret, vanus videretur omnis labor, cassum studium, inanis diligentia, & solicitudo. Nam suspectam se intelligens, per densa spinarum, perque omnia etiam adamantina septa euade-

euaderet, non ſecùs ac alius per ruinoſum, hiantemq́ue murum, aut per ſepem ex ſolis lilijs, alijſq; teneris floribus contextam erumpere ſolet. Nam vt Ioannes Cluniacenſis ſerm. 6. de Concept. To. 1. ait, *ſi omnis mulieri cuſtodia adhibeatur, adhuc tranſibit per foramen acus.* Si publici perditè amans eſt, obſtinauitq́ue animum ad euagandum, continere eam intrà ſecretum parietum domeſticorum non poteris, vel ſi totos exercitus cuſtodes adhibeas, vel ſi exertos in pectus illius gladios intendas, vel ſi præpilatâ haſtâ ei commineris, per excubitorum cuneos, per militum cohortes, per enſium cuſpides, per ferreos muros penerrabit, erumpetq́ue in locum, quem pertinaci animo ſibi deſignauit, *perq; foramen acus tranſibit*, ſi hiatum non inueniat alium, idq; illi pro ampliſſima, & patentiſſima porta erit. Hinc ſequitur, non ſemper eſſe conſultum ſeueriore diſciplinâ nimiùm cohibere mulieres, & prohibere ab omnibus ijs, ad quæ ingenium illarum, & natiua indoles propendet.

Ioannes de Sancto Geminiano refert ex Ariſtotele de quodam animali (melem, ſiue taxum vocāt) quòd hyeme in ſpecum quandam à neceſſaria annona inſtructam cum fœmella ſua ſe recipiat, poſthæc autem timere penuriam, & vereri incipiat ne victus ante tempus abſumatur, adeòq; fœmellam, quantum ſatis eſt, comedere non ſinat. Hoc ille lib. 5. c. 4. Comparat. ſic reddit: *Timens ne deficiat, fœminam vſq; ad ſaturitatem comedere non permittit.* Videns autem fœmella immodicum illum crudelis maſculi rigorem, fert, diſſimulatq; iniuriam, *& per partem alteram latibulum intrat, maſculo ignorante, ciboſq́ue deuorat, & conſumit*, inquit ille, & Barthol. Anglicus de propriet. rerum lib. 18. c. 101. ferè totidem verbis. Vide hîc quid efficiat nimia arctitudo, & immoderata auſteritas virorum ergà vxores. Per ſeueriorem coërcitionem fœmellæ, & ſtrictiorem parſimoniam putat meliùs poſſe conſeruare alimoniam, vt toti hyemi non tantùm ſit ſatis, ſed etiam plus quàm ſufficiat, & ſuperfluat, & per hanc ipſam omnia illi pereunt, totaq; vno die abſumitur annona. Si beneuolentiorem ſe, facilioremq́ue, & largiorem fœmellæ exhiberet, neque tam durus, & parcus ergà illam eſſet, duo faceret, nempè vt illam addictam, fidamq; haberet, & penu abundaret: Quòd verò nimis moroſè, ac ſordidè cum illa agit, hoc illi totius victus iacturam parit, redditq; coniugem infenſam, & promptuario adfert inanitatem. Si autem etiam beſtia quædam vult blandè, beneuolenterq́ue haberi, & immoderatum ferre rigorem nequit: Cur mulier, quam Deus intellectu, & ratione ornauit, non ferat iniquè, ſi fortè inhumaniùs, duriùſq́ue tractetur, & plùs quàm par eſt, arctetur? Nonné videt, qui hoc agit, fieri poſſe, vt eueniat, quod ne accidat, timetur, veſtitumq́ue, & victum ſibi aliundè paret, quem difficilis, & tetricus maritus vel prorſùm negat, vel non pro dignitate, & honeſtatis neceſſitate miniſtrat?

Non enim otioſè, & abſq; certo myſterio factum, quòd Dominus ex coſta viri primam effinxit mulierem, de quo ſacer Textus ſic habet: *Tulit vnam de coſtis eius, & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem*; Geneſ. 2. 21. 22. Notandum in his, quòd cùm Deo conſtitutum eſſet ex parte aliqua corporis virilis excitare mulierem, os præ alijs huc aſſumpſit, & ex oſſibus coſtam delegit: *Tulit vnam de coſtis.* Quamobrem ex coſta illud conſtruere ædificium voluit?

Petrus Berchorius lib. I. Moralit. in Bibl. ait: *Coſta eſt ad modum arcus.* Differt hoc ab alijs oſſibus coſta, quòd hæc in formam arcus ſit curuata, cætera oſſa non item. Quid obeſt arcui, ne vſus illius ſit diuturnus: *Nimium tenſus frangitur.* Fecit ergò Dominus ex arcuata viri coſta mulierem, vt tacitè inſinuaret, non debere maritum ergà vxorem nimis auſterum, difficilem, durum ſemper eſſe, ne vt arcum immoderata contentio rumpit, ſic illam intemperans rigor, & immodica aſperitas frangat.

Tale quodpiam conſilium æterna Veritas per filium Siracidis conſcriptum reliquit, apud quem ità habes: *Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam*; Eccliſ. 9. 1.

Quid ſit doctrina nequam, quam timere iubet Spiritus Sanctus eum, qui zelet ſuam vxorem, nondum eſt communi Expoſitorum ſententiâ definitum. Oliuerus Bonarcius ſecutus Palatium, & Dionyſium Carthuſianum vult, quod Eccleſiaſticus ait, *Ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam*, eiuſmodi eſſe, acſi dixiſſet, *Ne improbitatem, quam edocta eſt à maleficis, ſagis, & huiuſmodi mulierculis, in te primùm experiatur; & veneno propinato interficiat.* Non eſt ſanum conſilium, ſuſpectam habere vxoris fidem, ac proinde omnes illius notare paſſus, obſeruare actiones, attendere verba, explorare diuerticula. Fieri enim poteſt, vt tot agitata moleſtijs, fracta rigoribus, ſubpudefacta, atque in confuſionem, deſperationemq; adducta obſeruationibus faciat, quod nunquàm illi vel cogitare in animum antè venit, veneficaſque adeat, atque ab illa conſceleratiſſimarum vetularum colluuie malè docta cu-

ret, vt maritus cum pauco cibo multam mortem sumat. Sæpè in tale præcipitium coniectæ sunt mulieres à viris, qui vel per imprudentiam nimis illas constrinxerunt, vel per animi impotentiam plùs satis austeri, ac morosi ergà eas fuerunt. Denique mulier est arcus, qui rumpitur, cùm per immoderatum rigorem nimiùm contenditur.

Pulchrè, & aptè ad rem, quam versamus, dixit Menander apud Tusum in c. 9. Eccles. *Hoc quidem maximum, nunquàm oportet virum sapientem nimis custodire vxorem in penetralibus domus. Quisquis autem repagulis, & per sigilla custodit vxorem, si videatur sapiens, vanus est, & nihil sapit. Si qua enim mulier animo foras spectat, velocius quidem sagittâ, & pennâ separatur, ità vt lateat Argi multoculas pupillas.* Non ergò maritus vxori domum in carcerem vertat, non illi oppessulet, non obsignet ostium cubilis, in quo moretur, nam qui hoc facit, intelliget non intellexisse quid egerit, nam si cui mulieri semel certum, deliberatumque est prodire, & liberum captare aërem, id velociùs perficiet, quàm vel iaculum ex contentissimo arcu emissum volet, vel vlla pernicibus alis aërem volucris secet, tametsi centoculus sit maritus, & omnia sua in vnam illam lumina conuertat: *Velociùs quidem sagittâ, & pennâ separatur, ità vt lateat Argi multoculas pupillas.* Quare necessium est, vt maritus non sit immodicè rigidus, non importunè strictus, & rerum quarumuis minutularum nimis acris censor, sed prudenter quædam nonnunquàm dissimulet, ad ineptias, quæ ad rem parùm faciunt, conniueat, fieri enim potest, vt rumpatur arcus, si nimiùm tendas.

Constabiliamus hanc doctrinam quadam ignorantiâ, de qua Vegetius vituperatione magnâ reprehendit imperitos quosdam belli duces, lib. 3. de re milit. c. 21. inquiens: *Pleriq; rei militaris ignari pleniorem victoriam credunt, si aduersarios aut locorum angustijs, aut armatorum multitudine circumdederint, vt aditum non inueniant abscedendi. Sed clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sunt arma formido.* Istané verò ignorantia est? istané rei imperitia militaris! Ego magis dixero, hanc insignem esse solertiam, & proximum, procliuemq; ad victoriam gradum, ità conclusum tenere hostem, vt quà fugiat, aut euadat, videre nequeat. Vegetius autem contradicit, & ait, erroneam esse eiusmodi cogitationem, & periclitari victoriam, cùm hoc agitur: *Nam clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sumit arma formido,* timorq; non audaces modò, verùm & temerarios facit, vt non secùs ac feroces leones, & sæuæ tigrides pugnacissimè pugnent, & plus vtilitatis desperatio nonnunquàm illis adferat, quàm spes profit. Hinc sequitur, inquit Vegetius, hostem non semper nimiùm vrgendum, antpremendum, experientia enim docet, hallucinari eos, qui in extremam desperationis necessitatem reducendum illum putant. At si ne inimicus quidem in supremas angustias est cogendus, si ferociùs neque cum hoste agendum, qui sanguinem nostrum sitiat, & honoris existimationē nobis adimere omnem velit, quare aduersùs vxorem duriùs agat maritus, quam illi sociam vitæ dedit Dominus?

Blandè ergò, & humanè, beneuolenterque, & amanter habeatur, sic enim meliùs ab ea obtinebitur, quod petitur, nempè vt sit per omnia fidelis, & rei domesticæ impigra, strenua, assidua curatrix. Illud magnoperè mariti omnes difficiles, & morosi timeant, ne hoc vxoribus accidat, quod Dinæ euenit, quià nimiùm constricta à matre sua Lia fuit, *quæ fortè eam in ciuitatem ire non permisisset, vt hoc timens Dina noluerit indicare, quò iret.* Sic ferè Abulensis. Licentiam ergò prodeundi, quàm à matre exorare posse desperabat, ipsa sibi sumpsit, ciuitatemq; illam, inscijs omnibus domesticis, petijt, in qua integritatis suæ dispendium passa, & à filio regis constuprata lamentabili tragœdiæ occasionem ex se præbuit. Non experiantur filiæ nimiam parentum ergà se austeritatem, ne timore eas vehementiore, vt Dinam sua mater, percellant. Non sint importuni, & crudeles mariti in vxores, non difficiles ad concedendam eis exeundi facultatem, alioquin eas inflammaturi, vt ardentiùs concupiscant, quod asperiùs sibi negari cernunt. Committant, & permittant earum fidei nonnulla, dissimulent alia, quæ non sint magni momenti. Non sint nimis curiosi, insidiosique dictorum, ac factorum omnium speculatores, & exploratores, non expendant ad trutinam cuncta, quæ eueniunt, ne hoc illis domi suæ contingat, quod alijs foris, qui hostes suos locorum angustijs, armatorumq; copijs circundatos habent.

Non est hîc mihi propositum, consulere cuipiam eorum, qui vxorem, filiasq; curandas, & obseruandas habent, vt remisè, aut languidè cum eis agat, quando asperiùs agere sit necessum. Nam & arcus, cum quo similitudinis affinitatem aliquam mulier trahit à costa, ex qua facta est, neque tendi, neque remitti nimiùm debet: sic & ergà vxorem maritus neque prorsùm incuriosus, neque plùs satis asper esse debet, sed prout rei necessitas exegerit, nunc hu-

manus,

manus, & blandus, nunc rigidus, & subausterus. Suauitas nihilominùs, & humanitas sale prudentiæ condita plus boni efficere videtur, faciliùsque impetrare quod ad Dei cultum, & coniugum vtilitatem, & rei familiaris vsum pertineat.

## CAPVT V.

*Spirituales ægritudines, & corporales illud commune habent, quòd ex prauis malis, si negligantur, mala immedicabilia nascantur.*

ORdiri hac occasione possum ab exclamatione, quâ insignis Pacatus Latinus vsus fuit in quodam penegyrico Theodosij maioris, inquiens: *O quàm prauis venīut summa mala principijs!* O quàm admirabile prodigium, idque quotidianum, quod à perdebilibus fundamentis vasta exsurgunt ædificia, & toti ex tuberculo terræ nascuntur montes! Portentum est, quod in singulos penè dies videmus, vt frequentia illi ferè detraxerit admirabilitatem. Sic etiam è minimis erratis luctuosissimæ nonnunquàm excitantur tragœdiæ, & parua sæpè scintilla magnum excitat incendium.

Quando Dominus pro solenni suâ pietate pluuiam triennio, & suprà magnis votis expetitam reddere terræ voluit, tam diu clausas immensæ liberalitatis suæ portas miro modo aperuit, quod Scriptura referens, ait: *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari;* 3. Reg. 18. 44. Totum cœlum omni ex parte sudum, ac serenum erat, vnica tantùm è mari exsurgebat nubecula non maior vestigio hominis, quàm vix oculis vsurpare potuisses. Simul hoc vidit Propheta Elias, iussitq; dici regi Achab, vt iungeret currum, & citissimis equis inde, vbi erat, se abriperet, nisi ab impendentibus occupari, & obrui aquis vellet. Vix ille talia dixerat, quando *cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis,* ibid. v. 45. vt diluuium minari terræ videretur.

Ioannes Cluniacensis serm. 43. Tom. 3. ait: *En mirum, quod ferè in mundo peccatoribus accidit.* Vnde ille tam horribilis, & violentus ventus? Quis atras illas, & tam latè diffusas nubes, quæ secundi reparatoris orbis, Noëmi, inquam, sęculum reducere velle videbantur, excitauit? *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis.* Vna nubecula, quæ penè oculos fugiebat, & magnitudine suâ vestigium hominis vix exæquabat, tam grandem, & grauidam nubem, tam validum, & horrisonum ventum, nimbum tam densum, repentinamque illam, & præcipitem pluuiam aduexit. His affinia quotidie experimur. Quoties enim videmus, ex paruis erratulis, & leuiculis peccatis, & exigui momenti defectibus, quibus tempestiuè non occurritur, grauissimas consequi ærumnas, & acerbissimas nasci calamitates, stragesque miserandas, & luctuosissimarum tragœdiarum squalidas nubes oriri?

Mirum tale quidpiam reperire licet in re alia stupenda, quam magnus rerum Naturæ admirabilium scriptor Plinius lib. 19. in Prooemio expendit. Dicit ille, ex omnibus mundi seminibus nullum se vnquàm magis miratum, quàm vnum lini semen, propterea, quæ ex illo oriuntur, & conficiuntur. *Quod miraculum maius, herbam esse, quæ admoueat Ægyptum Italiæ, tam paruo semine nasci, quòd orbem terrarum vltrò, citròq; portet, tam gracili auenâ tam non altè à terra tolli?* Quod aliud in toto terrarum orbe par vni lino prodigium? Quod aliud tam grande miraculum, ex humili & tenera herba, quæ vix tantillùm suprà terram assurgat, rem fieri, quæ faciat, vt mundus superior cum inferiore misceatur, absitissimi populi maximò temporis compendio coëant, sulcentur maria, cum hominibus homines, fines cum finibus coniugantur? Quomodo agitur hoc miraculum? Linteo. Ex eo namque fiunt nauium vela, quæ tumida ventis, eorumque aspiritu inflata rapiunt per æquora naues, sic vt intrà breues horas magnam mundi partem pererrent, circumeant maria, & nouas terras aperiant. *Quod maius miraculū!* quòd magis stupendum prodigium, *tam paruo semine nasci, quod orbem terrarum vltrò citròq; portet!*

Talia nos miracula (quæ nostra infelicitas, & miseria) quotidie infinita deploramus. Quoties enim ex verbulo vnico, ex risu, ex ioco talia seria nascuntur, quæ non solùm vicis, & pagis, neque ciuitatibus tantùm perturbationes, verùm etiam totis regnis vastitatem adferant, & supremum exitium? Vt enim paruo è fonte, nisi obstruatur, copiosum flumen nascitur: Sic exiguum erratum, si negligatur, magnarum & innumerabilium cladium occasio esse solet.

Veniebat Esau fatigatus à venatione. Habebat frater illius pulmentum coctum, cuius aspectu incitatus famelicus etiam, neque lassus tantùm Esau, petijt in partem cibi admitti. Respondit Iacob, velle cibi partem cedere, dum ille primogenita sua venalia econtrà exponeret, inquiens: *Vende mihi primogenita tua;* Genes. 25. 31.

Angelicus Doctor quærit, quomodo fieri potuerit, vt Iacob sub tali pacto suum fratri pulmentum

offerret. Nam primogenita, quæ emere cupiebat, habebant magnum pretium, plurimisque, & magnificis priuilegijs erant coniuncta. Cùm autem Esau non esset amens, vt prorsùm nihil desipiebat, quomodo pro re tam contemptibili, pro vilibus leguminibus, pro exili pulmento paucarum lentium rem tantam, tam diuitem, ac momentosam petere ausus fuit?

Respondet magister Angelicus in cap. 25. Genes. *Potest dici, quòd Iacob à principio non seriò, sed quasi ioco, vel modo tentatiuo dixerit*, Vende mihi primogenita, *sic tamen, quòd occulto instinctu Dei ad hoc dicendum fuerit impulsus*. Vel risus ergo fuit, quòd Iacob rem tantam pro tantillula exegit, vel certè periclitari voluit, quo vultu Esau oblatam pactionem exciperet. At videamus quid ex illo ioco, & ludo secutum fuerit. Illud, quòd Esau pro tenui pulticula omne primogenitorum ius Iacobti cesserit, & interpositâ religiosi iuramenti autoritate in fratrem suum transtulerit: *Iurauit enim ei Esau, & vendidit primogenita*; ibid. v. 33. Non videtis quid ex ludo illo fuerit natum? *Non seriò, sed quasi pro ioco, vel modo tentatiuo dixerit, Vende mihi primogenita*; & hinc tamen secuta fuit venditio, qualem mundus vix aliam viderit, quamque sanctus Paulus Apostolus acerrimè perstringit, omnesque cordati damnant, & abominantur. Dicamus nunc cum Plinio: *Quod miraculum maius, tam paruo semine nasci, quod orbem terrarum vltrò, citròq; portet!* Quod magis stupendum prodigium, ex ludo, & ioco tam seria consequi, vt homo quidam bonis tam amplis, & opulentis, quàm sunt primogenita cum maximis immunitatibus coniuncta, pro vnius, neque lautæ, escæ tecula renuntiet? Tale quidpiam hoc est, vt fidem inuenire non posset, nisi Spiritus sanctus ipse narraret. Hoc est, quod in singulos dies videmus, audimus, experimur. Ex rebus enim leuibus, quòd eas negligamus, & contemnamus, ex iocis, & ludis, quòd eos non curemus, grandia mala, & calamitates immedicabiles oriri solent.

Dicetis mihi scio, nimis accuratè, & anxiè rem hanc à me expendi, amplificari etiam, & exaggerari plus quàm pro dignitate grandia illa incommoda, quæ de paruis oriantur exiguorum malorum primordijs. Aietis item, risum vanum, mendaciolum iocosum, facetiolam, verbum inconsideratum, & alia huiusmodi meum aërem esse. Priusquàm respondeam, volo vos interrogare quidpiam, nimirùm quænam illa bestiarum sanguinolentissima, & crudelissima, & voracissima plures homines, vitas, opum facultates, ciuitates, prouincias, regiones, regnorumque coronas deglutiat, & absumat: Quenam illa liberrimè, & ferocissimè muros superet, & solo affligat adamantinos, sic vt nulla purpura ei obsistere possit, nulla occurrere maiestas ausit? Respondebitis, bellum belluam talem esse. Verùm erratis. Quòd si fortè fames vobis talis bestia videatur, etiam ità hallucinamini. Tametsi enim bellum, & fames sint duo perniciabilissimi hostes, alius tamen quidam tam est terribilis, vt cum eo comparati illi superiores magis videantur nobis assentari, quam incommodare, aut stragem adferre. Quis ergo ille tam funestus, & fatalis aduersarius? quis tam apertus, & mortalis nostri generis hostis?

Respondebit Galenus lib. de Theriac. ad Pison. pestem esse illum tam exitialem, & implacabilem, intolerabilemq; corporũ nostrorum, & vitæ hostẽ. *Pestis*, inquit ille, *tanquàm & ipsa existat quadã bellua, haud paucos interimit, verùm ciuitates quoq; totas depascens malè conficit*. Vndenam verò suam ducit originem bestia, quæ feros vngues suos sanguine imbuere, & cruentare gaudet humano, & tantam vbique exercet carnificinam, vt nec pastoribus parcat, nec regibus deferat, ciuitatesque, & pagos, gurgustia, & palatia loco eodem habeat? Vnde nascitur? *Praua quadam, & parua ad corruptionem prõpta mutatio efficitur, & homines, cùm respirationis periculum euitare nequeant, ipsum aërem veluti venenum quoddam ad se per eos attrahunt*. Hæc ille iterùm. Ex aëre venit, quidquid de pestis stragibus diximus. Quòd sanguinaria illa bestia tantum sanguinem fudit, tot ciuitates depascitur, tot regna depopulatur, aër corruptus facit, qui gladius est, quo tanta hominum strages editur: *Praua quadam aëris ad corruptionem prompta mutatio efficitur*, ex qua ingens totis regionibus vastitas nascitur. Videte ergo, an parui facienda ea, quæ vos aërem vultis esse, & nominatis. Quis crederet, nisi experientia magistra doceret, in aëre supremam corporum perniciem, quæ est pestis, generari? Sic instrumentum, occasio, causa vestri exitij, corporumque & animarum internecionis illud sæpè esse solet, quod vos aërem vocatis.

Quàm præclarè hoc dictum à sancto Dorotheo serm. 3. Tom. 2. Biblioth. Vet PP. vbi sic habet: *Vt pernoscatis, quòd ex minimis his, & naturâ vilibus ad magna, & prægrandia contemnenda perfacilè delabamur, cùm cœperit quispiam dicere, Quid refert, si verbum hoc dixero? quid refert, si in rem hanc inspexero? Ex hoc enim, Quid est hoc? Et, Quid est illud?*

lud?

lud? *Quid refert hoc, quid refert illud, mala ac peruersa, & amara consuetudo admittitur, & imbibitur, & datur initium, vt magna, & grauiora contemnamus.* Cùm homo quispiam incipit dicere, Quid incommodi parere mihi verbum otiosum potest? Quid est, quò minùs licentiùs rideam, & iocer? Quod subesse malum liberiori aspectui, aut facetiori sermoni queat? Qui talia dicit, malis magnis à paruo paulatim assuescit, portamque, quâ ingenuus pudor, & verecundia erumpant, aperit, vt deinceps in enormia scelera impudenter abeat.

Sic & sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 87. in Matth. ait: Dicet aliquis, *Quid est risus, aut quid vnquàm è risu mali sequitur?* Respondet ille talia interroganti: *Orta ex immoderato risu scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profectò est.* ein Schandwort fur ein Hoflichkeit. Videte num conducat tempestiuè occurrere malis etiam non magnis, aut grauibus, à quibus velut gradatim ad grandia, & perniciosa ascenditur. Videte num vtile sit, à verbis abstinere vanis, & otiosis, à quibus ad obscœnos actus sensim, procliuiterque dilabimur. *Sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit,* inquit Dorotheus. Ille ex muscis elephantes verè facit. Ille ex atomis, aut si quid minutius, vastos montes paulatim excitat.

Non prætereamus hîc infelicem nostri Patriarchæ filiam, cui sua curiositas ipsi miserandæ prolapsionis, toti autem regiæ ciuitati lachrymosissimæ tragœdiæ causa fuit. *Egressa est, vt videret mulieres regionis illius,* cùmque ornatum illarum inornata, & incompta videre nollet, in oculos simul, atque animum filij regis incurrens, dulcemque vim ab eo passa, marcidum temerati pudoris lilium domum retulit, quæ extulerat integrum, ac fulgidum. Hinc factum, vt duo illius ex vtroque parente germani fratres vindictam & animo conciperent, & cùm nec tum Principi stupratori, tum parenti eius, tum ciuitatis vnius viris omnibus, & masculis inferrent. Hinc in præsentaneum periculum, & extremas angustias coniectus sanctus Patriarcha euadere non potuisset, nisi Deus ipsum, vxoresque, ac liberos, & familiam totam sospitasset. *Quod maius miraculum!* Ex vna curiositatis nubecula, ex paruo semine, ex scintillula quadam, ex leui desideriolo videndi mulieres extraneas, lamentabiles tragœdiæ, infelicitates plurimæ, innumerabiles neces, strages incomparabiles sunt ortæ. *Quod maius miraculum velis!* Hinc videas, ex paruo errato, eoque neglecto posse immania nasci flagitia, & fatales ruinas, & immedicabilia mala. Hinc & noster Politicus accipere potest, cum quanta solicitudine & vigilantia exigere vitam debeat, vt cui à paruis malis damna irreparabilia oriri possint.

*Triumphat in hoc campo Periocha quarta Dominicæ V. post Pentecosten Tomo II. pag. 131. a.*

## CAPVT VI.

*Quod maximè demoritur homo, id illi celeriorem adferre mortem solet.*

OBsecrabat Sichimorum Princeps Iacobtem, vt sibi filiam vxorem concederet. Principis pater patrem filiæ idem resecrabat. Vtque optatum effectum consequeretur matrimonium, commoda exponebat, quæ ex illo coniugio nasci possent, idque his verbis: Date filio meo filiam vestram vxorem, *& iungamus vicissim connubia, filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite,* vnd last vns liebe Schwager vnter ein ander seyn. *Et habitate nobiscum, terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, & possidete eam;* Genes. cap. 34. v. 9. 10. Filij Iacob, qui sororis suæ iam nouerant infamiam, aiebant, consentire de matrimonio non posse, nisi circumcisionem subire, & recutiti esse vellent, qui Hebræorum affines. Inierunt illi extemplò pactum, *nec distulit adolescens, quin statim, quod petebatur, expleret,* ibid. v. 19. Vt verò accelerationi negotij mora omnis adimeretur, communicato repente cum primarijs ciuitatis consilio, expensisque commodis, quæ nasci ex illo connubio possent, communi sententiâ definitum est, vt masculi omnes circumcisioni se submitterent. Quis non videt, quàm soliciti fuerint rex pater, & filius princeps pro coniugio filiæ Iacob? Quâ incitato cursu ibant, & redibant, vt voti compotes fierent? Et non videbant miseri, quòd quantâ festinatione matrimonium accelerabant, tantâ maturatione mortem sibi accersebant. Tertio namque die, quo vehementissimè ingrauescere, plurimùmque impeditos tenere natus de circumcisione dolor solet, ingressi ciuitatem Simeon, & Leui gladio trucidârunt primùm Hemor, & Sichem, dein masculos omnes, & post hanc ab istis editam cædem secuti fratres, cæteri oues, asinos, armenta, quæque vel in domibus, vel in agris erant, vastauerunt, vxoresque, & liberos superstites abduxerunt captiuos, atque ità vim illatam sorori vindicârunt. Id plerumq; hominibus accidit, vt hoc eis mortem adferre soleat, quod maximè appetunt.

Narrat Propheta regius beneficia, quæ Domi-

nus contumaci illi populo, quando liber ab Ægyptia seruitute ibat per desertum, contulit, in quibus hoc non postremum fuit, quòd cœlestem cibum manibus Angelorum pistum illis ex aëre superiore pluit. Et huius tamen tam lauti cibi pertædere ingratos Isräëlitas sic cœpit, vt aliam escam peterent, & carnem pro victu dari rogarent. Audijt illorum voces Deus, volatilemque, & copiosissimum coturnicum exercitum eis misit, *& adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*; Psal. 77. v. 30.

Theodoretus in expositione illius Psalmi ait: *Consecuti sunt, quod desiderârunt, & ingluuiem impleuerunt, Veruntamen satietatis pœnas dependerunt.* Quos ira Dei viuos reliquerat, ij cùm stragem vidissent cœlorum, vocârunt locum, in quo illi mortem oppetierunt, *Sepulchra concupiscentiæ*; Num. 11. 34.

Quare verò non locum satietatis appellârunt, in quo *misit eis Dominus cibaria in abundantia, & pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata*, Psalm. 77. v. 25. 27. Sed potiùs *sepulchra concupiscentiæ* nominârunt? Causa ea fit, quia *consecuti sunt quod desiderârunt*, vt aiebat Theodoretus, quodq; tam impotenter suspirârunt: Vt ergo intelligeretur, quòd sæpè moritur homo ex eo, quod demoritur, voluit Dominus loco illi, in quo mortuus fuit populus, manere nomen sepulchrorum concupiscentiæ, vt quisque attendat, ne quid concupiscat, quod Dei voluntati repugnet, aut parùm gratum esse queat. Nam si quid homo anxiè ex appetitu proprio desiderat, hoc ipsum illum perdet, quod perditè concupiscit, concupiscentiæque sepulchrum ibi sibi fodit, cui inferatur mortuus ex rebus, quas demoritur, vt illius malo alij sapiant.

Iteratam Asaëlis mentionem facere necessitas cogit, superior enim illa perfunctoria fuit. Cursu ille persequebatur ducem exercitus Abner, qui obuerso ad tergum capite ait illi: *Tune es Asaël?* cùmque respondisset, esse, semelque, & iterùm recedere nequicquàm iussus esset, *percussit eum Abner auersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco*, 2. Reg. 2. 23. Notandum, quod de infelici illo iuuene historia regia ibid. v. 18. ait: *Asaël cursor velocissimus fuit, quasi vnus de capreis, quæ morantur in syluis.* Penè cum vento certare de celeritate poterat.

Bachiarius in epist. de recept. lapsorum Tomo 3. Biblioth. veterum Patrum, ait: *Scriptura non obliuiscitur, vt etiam velocitatis eius, quam antè mortem habebat, non faciat mentionem.* Quamobrem verò scriptura velocitatem eius ante mortem memorat, eamque cùm pernicitate caprearum montanarum comparat, quæ sunt quædam velut animatæ sagittæ, quando persequentis venatoris iram fugiunt? Causa mihi illa videtur, quam hoc capite tractamus. Sequebatur, & persequebatur Asaël magnum ducem Abner. Præfidebat multùm suæ velocitati, pedum pernicitas illi alas, & animum addebat, vt impune ludere posse Abnerum speraret, ex qua & factum est, vt semel, & secundò desistere ab illusione, & persecutione iussus non audiret benè monentem, adeò confossus lanceâ miserè occumberet. Volo ergo animaduertant homines, inquit sacer Scriptor, quòd hic malè consultus iuuenis suæ ipsius velocitatis manibus confectus occubuit, quòdque exanguem illum pedum præfidentia potiùs, quàm iratus Abner fecit. Vt hinc simul intelligant, hoc sæpè mortem consciscere homini, quod vitam illi allaturum videbatur, atque ex eo non rarò citiùs vitâ defungi, quòd ad vitam vel producendam, vel conseruandam ardentiùs ab illo desideratur. Asaël certè quò incitatiore cursu ferebatur, eò celeriùs fini suo propinquabat, & pedum pernicitate incurrit mortem, per quam effugere posse sperabatur: *Sic scriptura non obliuiscitur, vt etiam velocitatis eius, quam ante mortem habebat, non faciat mentionem.*

Non possum hîc dissimulare illam, quam nemo ignorat, Midæ regis auari fabulam (fabulam dico, non quòd commentitium sit, esse aliquem regem, & auarum, communiter enim reges hoc malo laborant, vt sint auidi, & auari) sed propter id, quod rogasse deos fertur, nempè vt quidquid tangeret, aurum fieret, tantâ ille auri siti flagrabat. Audierunt illum dij, factumque est, vt ex auro moreretur, qui sic demoriebatur aurum. Sanctus Ambrosius huius rei meminit lib. 6. in cap. 9. Lucæ, dùm exponit illud, *Et manducauerunt omnes, & saturati sunt*, inquiens: *Ferunt certè* Gentilium *fabulæ fuisse regem quendam, qui quidquid tangebat, aurum fiebat.* At quo fructu id fiebat? Illo, vt ipsa mantilia digitis apprehensa rigescerent, & cibus in ore crepitaret, ferretque non alimenta, sed inferret vulnera, & in gutture potus hæreret, nec penetrare facilis, nec redire. Hæc ferè Ambrosius ibidem, quæ sic obsignat: *Digna beneficia votis, digna tanto munera peccatore.* Fictum, sed benè, & ingeniosè excogitatum, quod de auido illo Mida commenti sunt, vt instruamur, quid nobis commodi desideria nostra immoderata adferant, nimirùm vt velut Midæ quidam experiamur perniciosum, & exitiabile nobis esse, quod

esse

esse aurum optabamus, & citam mortem adferat, ex quo vitam sperabamus longiorem.

O quàm illustre huius Veritatis exemplum reliquit nobis formosa Rachel, de qua diximus diu sterilem fuisse, atque ob id tam querulam, vt diceret marito suo: *Da mihi liberos, alioquin morior*; Gen. 30. 1. vel vt Caietanus ex Hebræo vertit: *En mortua ego*, quod hunc habet sensum: Tanto liberorum,& hæredum desiderio teneor, vt me in mortuis recensere, mi marite, possis, quamdiu improlem vides. *En* ergo *mortua ego*, quamdiu infœcunda. At videamus, an per liberos vixerit, sine quibus se non morituram, sed mortuam putauit. Peperit Iosephtem,& non contenta illo, petijt alterum filium. Secundum itaque parturiens, *egrediente animâ præ dolore, & imminente iam morte vocauit nomen filij sui Benoni, id est, Filius doloris mei*, inquit scriptor sacer Genes. 35. 18. Filium doloris sui vocat, patrem etiam suæ mortis vocare poterat. Nonné Rachel ea est, cui mortem parit filius, quem ipsa parit? Rachel est. Nonné illa est, quæ se in mortuis recenseri volebat, quamdiu illiberis erat, cùm marito suo hæc eiulans dicebat: *Da mihi liberos, en ego mortua?* Non illa est, quæ tantoperè demoriebatur hæredes? Ipsissima est. Quid ergo est, quòd filius illi mortem adfert, & ex nato hærede mater denascitur? Illud, vt videamus quàm verum sit, quod diximus,& quàm frequenter eueniat, vt ex illo moriantur homines, cuius desiderium, & expectatio vix illos viuere sinebat. In hunc sensum loquitur Honcala in cap. 35. Genes. inquiens: *Tanta est humana ignorantia, atq; temeritas, vt ea interdùm à Deo assiduâ improbitate flagitemus, quæ postulantibus concessa sint maximè nocitura.*

Et accidit sæpè, quod illis, quibus Sulla vir magnus Iulium Cæsarem liberum dimitti importunè rogantibus (quem ille in custodia magis retinendum arbitrabatur, quòd mala plurima perpetraturum timebat) dixisse fertur, vt Suetonius in Iulio cap. 1. ait, nimirùm *vincerent, ac sibi haberent, dummodò scirent, eum, quem incolumem tantoperè cuperent, quandoque optimatum partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurum, nam Cæsari multos Marios inesse.* Conducat vobis, aiebat Sulla, quòd me vestrâ precandi contentione superatum eò adduxistis, vt Iulium vobis liberum donem. Habete vobis illum, qui pro eo, quod nunc facitis, vos ex liberis seruos faciet, & patriæ tyrannus ingenuos vinculis addicet, nobiles vitâ exuet, nam iuuenem illum Iulium tota Mariorum, siue dæmonum, vt hic dicere-mus, legio occupatum habet. Tale quidpiam multis quotdies accidit, vt id, quod vehementer optant,& anxiè quærunt, maximum illis exitium generet, velut Cæsar grauissimorum damnorũ parens illis fuit, quorum precibus in libertatem assertus.

Hinc Picus Mirandulanus accipit doctrinam admodùm salutarem, fundatam in illis Domini verbis, quibus cœlestis Magister monet, ne hoc, aut illud speciatim, soliciteque,& anxiè à Deo petamus. Nam cùm Patrem in cœlo habeamus æquè sapientem, ac beneuolentem,& omniscientem, nunquàm aliud rogare debemus, quàm quod ille sciat nobis magis conueniens esse, & necessarium. *Scit Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis*, aiebat ille Matth. 6. 32. Dicit nunc ætatis suæ phœnix Picus in Orat. Domin. Tom. 1. *Sicut infirmus non debet dicere medico, Da mihi talem medicinam, vel talem, sed debet ab eo petere sanitatem, & deinde dimittere iudicio medici, vt det ei illa, per quæ ipse medicus cognoscit ipsum meliùs, seu faciliùs posse consequi sanitatem.* Nam si infirmo relinqueretur præscriptio medicamentorum, ipsiusque arbitrio permitteretur modus curandæ suæ ægritudinis, quænam in fontibus, fluminibus, mari aqua esse, & conuerti in dulcem liquorem posset, vt ipse eam biberet? Si instaurandæ valetudinis ratio ex propria illius sententia esset instituenda, venenum sæpè esset, quod theriacam putaret, & mortem incurreret, vbi vitam, se reperturum existimaret. Sic ergo agere cum medico nostro, & patre debemus, qui ex immoderatis desiderijs, & intemperantibus cupiditatibus malè habemus, vt nihil petamus, nisi quod illi sit gratum,&ad gloriam, cultumque tanti Domini faciat. Nam si appetitus, ignorantiæ, temeritatis, & arbitrij nostri consilium exquiramus, & sequamur, in certam pernitiem nostram cedet, quidquid rogamus, velut accidit ijs, qui absolutè aliquid petunt, & ab irato Deo in suum exitium, & supplicium impetrant. Est qui episcopalem ambiat mitram, & suam sibi procurat damnationem, cùm sit ex bono sacerdote improbus antistes. Est qui præturam, magistratum, aut aliud quoduis siue in senatu, siue in aula publicum appetit, & obtinet officium,& suam sibi pernitiem procurauit, nam ex bono Iurisconsulto, & legum studioso fit iuris violator, & temerator legum, & iniquus, ac præceps iudex, qui fuerat pius, ac iusti amans aduocatus, æquitatemq; tam multis modis offendit, vt faciliùs arenas maris, quàm illius errata numerare possis. Coniugati, qui liberos petunt, neque Dei voluntati suam hac in re submittunt, si voti compotes fiant, fit

etiam,

etiam, neque rarò, vt molestias, cruciatus, dolorem, mœrorem, probra, infamiam ab eis habeant, à quibus leuamen, consolationem, honorem, voluptatemque ingentem sibi promittebant.

Politicus ergo noster omnium desideriorum moderatorem Deum constituat, vt is tanquàm pater, & Dominus, quidquid ipsi magis gratum, supplici autem conducibilius fuerit, concedat, voluntatique eius in omnibus se accommodet, hoc enim nobis semper commodissimum. Nunquàm petat hoc fieri, quod appetit, ne moriatur ex eo, quod demoritur, quemadmodùm Sichem filio Hemoris accidit, cui hoc vitam ademit, ex quo longam, & quietam vitam expectauit.

## CAPVT VII.

*Dùm rectus iustitiæ ordo in plectendis sceleratis seruetur, tam grata est oculis Dei punitio flagitiorum, vt quodammodò æquè oblectetur spectaculo penduli è patibulo furis, atque sacrificantis ad aram sacerdotis.*

QVòd duo illi fratres struprum sorori à Sichem illatum vindicârunt, id moraliter monet Principes, & alios Superiores, vt acriter animaduertant in facinorosos omnes, qui Rempublicam suis flagitijs offendunt, contaminant, aut perturbant. *Zelus filiorum Iacob in vltionem sororis moraliter commonet Pastores fidelium, curam habere animarum sibi commissarum, ne violentur corporali delicto, aut fornicationi spirituali incumbant, parati vlcisci omnem inobedientiam.* Ità S. Augustinus, & Glossa Ordinaria. Quicunque ergo superior exemplo istorum fratrum sororis suæ turpem iniuriam vltorum dignas à malefactoribus subditis pœnas expetierit, pergratam Deo victimam mactabit. Nam vt ille sæpè prædicauit, nonnunquàm etiam ostendit gloriam, & remunerationem probis præparatam: Sic etiam vult constituta esse sua nefarijs supplicia. Hæ namque sunt duæ bases, quibus totum bonæ gubernationis ædificium incumbit.

Ingrediebatur diuinus Magister domum Patris sui æterni, inueniebatque eam infamibus vsuris fœdari, & contaminari turpi quæstu, boues quoque, & oues, & homines, qui re numariâ, & sordidâ nundinatione multam loco sacro infamiam affricabant. Zelo ergo honoris diuini, qui plurimùm offendebatur, inflammatus, è funibus, quibus boues, & cæteræ pecudes alligatæ erant, quoddam quasi flagellum fecit, eoque armatus homines, & brutas animantes è templo exegit, numulariorumq; & pecunias, & mensas disiecit. Hæc S. Ioan. 2. 15 ità: *Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Res mira, & rarum spectaculum fuit, videre Dominum, alioquin tam facilem, & indulgentem, nunc flagellum manu vibrantem, & in homines similiter atque bestias inuehentem. Quid sibi vult illa Domini aliàs mitissimi tanta austeritas? Itané decuit illum, qui sublimi regis titulo gaudebat, corripere flagra, eisque homines inuadere, & plectere? Sceptrum, non fustis, virga aurea, non squalidi funes in manus istas aptè cadunt. Quomodo ergò oblitus sceptrum, accepit flagellũ?

Respondet doctissimus Claudius Guillaud in c. 2. Ioan. *De funiculis contexuit sibi flagellum, quo ceu sceptro, seu armis regalibus vsus est.* Nemo putet Dominum, quià flagellum arripuit, quo malè agentes corriperet, insignia perdidisse, aut abiecisse regia. Immò verò ad eum modum ostentationem suæ regiæ dignitatis multò illustriorem fecit. Quando enim flagellum in manus accepit, vt cæderet eos, qui consecratum Dei cultui templum sacrilegè profanabant, tunc tantundem fecit, quantùm si virgam auream gestasset. Voluit autem eâ re significare, cùm supplicia ex æquo, & bono inferuntur reis, tam decenter à rege præferri manibus flagellum, quo mactet sceleratos, quàm virgam auream, quâ remuneret probos: *Contexuit sibi flagellum, quo ceu sceptro, ceu armis regalibus vsus est.*

Non possum, quin hìc ad rei præsentis confirmationem commemorem supplicium, quod Dominus ab ingratis illis, & plusquàm blasphemis, idololatris, & brutis bruti vituli cultoribus sumi imperauit. Dicebat populi illius sacer ductor audacter, & animosè: si quis Domini partes sectatur, is mihi iungatur, vt iniuriam honori eius illatam coniunctis viribus, paribusq; animis, & armis vlciscamur. Ad vocem religiosi imperatoris accurrerunt Leuiticæ tribus viri, stragemque tam ingentem fecerunt, vt propè viginti tria millia contrucidârint ex ijs, qui fictitio numini adgeniculati, falsæ deitati cultum, qui veræ debebatur, detulerant. Post fusum idololatrarum sanguinem dicebat Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisq; in filio, & in fratre suo, vt datur vobis benedictio*; Exod. 32. 29.

In his expendit Oleaster istud, *Consecrastis manus vestras Domino.* Itané verò consecratæ dici possunt manus vel parentum, qui obtruncârunt suos filios, vel aliorum, qui fratres suos ferro confossos interemerunt?

merunt? Hoccinè fuit consecrasse manus? Etiam fuit, inquit Oleaster in Annotat. moral. in c.32. Exod. *Si iudex, aut tortor, malorum es, non putes te irreligiosum, aut profanum. Quoniam non minùs Deum hoc opere colis, quàm si donaria, & sacrificia manibus sacratis offerres. Sacrificium Deo acceptißimum est peccatores punire, quemadmodum sanctos colere, nec minùs benedicitur, qui iniustum necat, quàm qui iustum extollit.* Nam suo quodam modo tantùm placet Deo prætor castigans, quantùm sacerdos consecrans, saluti enim Reip. tam conducunt supplicia malorum, quàm præmia bonorum. Et honor Dei non minùs conseruatur punitione nocentium, quàm veneratione proborum, & iustorum.

Propheta regius, cùm exterrere obstinatos, & cœcos peccatores, & ad vitæ emendationem, errorumq; suorum retractationem excitare vellet, Deum seuerum iudicem illis ob oculos statuebat, qui actæ vitæ rationes ab eis exacturus, & æterno igne culpas eorum, quas ipsi operibus pœnalibus non expiassent, vindicaturus esset, inquiens: *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*; Psal. 49. 3. Valde horribilem, & formidabilem nobis pingit sacer Cantor supremum Imperatorem tanquàm iudicem, quem flamma simul, ac tempestas circumdet. Benè habet istud. Verùm titulus Psalmi negotium facesset cuicunque vel mediocriter sapienti. Sic enim habet: *Psalmus Asaph*, hoc est, quem Asaph est cantaturus. Asaph primus cantorum erat, eiusq; hóc in templo officium, vt in choro diuinas laudes præcineret.

Dicit nunc Hugo Cardinalis: *Videtur quòd aquè benè deberet intitulari ex nomine alterius, qui non cantandi, sed potius flendi, vel terrendi alios haberet officium.* Agit hic Psalmus non de primo tantùm, verùm & de secundo Christi aduentu, inquit idem Hugo, quorum ille suauis, & amabilis fuit, alter erit terribilis, & formidabilis, ille blandum attulit curatorem animarum, alter austerum adducet censorem culparum. Quod cùm ità sit, cur illi, cuius proprium, ac peculiare munus erat cantare laudes Dei, fuit inscriptus Psalmus, qui supplicia irati Dei, terroresque, & minacias implacabilis Iudicis commemorat? Quòd tali homini dedicarentur hymni, aut alia eiusmodi, quæ Dei mansueti, & pueri recens nati, & clementis, atque indulgentis, & ad redimendum captiuos, condonandum peccata venturi vaticinia continerent, id benè factum videretur: At quòd cantorum princeps in choro inflexibilem Dei iustitiam, & expauendum iudicium cantu celebraret, nescio quomodo cum officio illius cohæserit. Aptiùs fieri potuisse videtur, si res ea illi commendata fuisset, cui alioquin vel deplorare, vel castigare, & vindicare aliorum scelera incumbebat. Cur ergò viro tali talis Psalmus nuncupatus fuit? *Psalmus Asaph!* Vt nobis indicaretur, quàm sit acceptum Deo sacrificium punitio facinorosorum, quod vt sanctus Dauid significaret, Psalmum, qui rigorem, terribilitatem, supplicia supremi Iudicis commemorat, homini diuinis laudibus cantandis consecrato inscribit, vt argumento esset, non minùs placere Deo hominem, qui è tribunali decernit suas flagitiosis pœnas, ac religiosum, qui in choro cantandi illius misericordiæ, & clementiæ operam nauat. Tam gratam enim illi hostiam offert, qui sceleratum mactat, ac is, qui benè meritum remunerat.

Ad hunc sensum sanctus Hildebertus epist. 59. To. 3. Biblioth. Vet. PP. scribens cuidam Principi, qui videtur vltor scelerum nimis remissus fuisse, aiebat: *Iniquitatis vltionem inter splendidiores triumphos annumeres*, & tunc gloriosissimam victoriam retulisse puta, quando per supplicia refrenas peccandi licentiam, quam còërcere per clementiam nō poteras. Benè enim triumphat, qui benè castigat.

Nam vt illustre totius eruditionis prodigium, & eminentissimus Iureconsultus D. Antonius Cabreros, & Auendanno in Tract. de trip. Prælud. 1. n. 2. ait, *magnum respicit Resp. bonum delictorum còërcitio*, conducitque plurimùm bono publico animaduertere in criminosos. Et Paulus item Iureconsultus in leg. licit. 9. §. *Quod illicitè*, D. de publ. & vectig. inquit, *disciplina publica vigorem exposcere, vt illicitè facta competenti supplicio vindicentur.* Pœna siquidem stultum ad mentem reuocat, flagellum infrænat duros, carcer flagitiosos còërcet, triremes audacibus timorem incutiunt, gladius, & patibulum effusissimis tremorem adferunt.

In oratione, quam Deo quotdies offerimus, ità precamur: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*; Matth. 6. 9.

Non parùm difficultatis attulit Interpretibus, quid sibi velit, quòd sanctificari nomen Dei petimus, & exanimitùs optamus. Quià cùm ipse sit fons, & origo omnis gloriæ, nos honori nominis illius infinito nihil addere possumus. Quid ergò rogamus nomen illius sanctificari, gloriamque eius augescere, quæ cùm immensa sit, facere incrementa non potest?

Huic quæstioni satisfacit insignis Mirandulæ Comes Ioannes Picus, dicens, non id à nobis peti, vt nomen Dei in seipso magis sanctificetur, tanquàm arbitraremur, posse accessionem ad ipsius honorem fieri aliquam (hæc enim vanissima opinatio esset) sed *vt manifestetur in creaturis*, sic enim ad nostrum intelligendi modum magnificatur, & extollitur nomen Dei. At videamus quâ ratione sanctificetur, & glorificetur, & magnificetur nomen Dei. *Per misericordiam*, inquit ille, *quando reddit præmia æterna, vel per iustitiam, quando ex sua malitia ipsi rebellantes per suam iustitiam punit. Pater autem quod vtrumq; cedit in gloriam eius, non enim minor Christi gloria est videre Iudæos in hac tam longa captiuitate plenos omni ignominiâ, & miseriâ, quàm videre Christianos, qui eum colunt, & crucifixum adorant.* Tam accepta enim victima, tamq; gratum Deo holocaustum est (seruatâ debitâ paritate) malefactor in patibulo, ac sacerdos in altari, tam enim placet illi, quòd mactantur improbi, quàm quòd remunerantur iusti.

Haud dubito, quin id ità esse intelliget, quisquis attentis auribus Prophetam regium ad psalterij sui harmonicas fides canentem exceperit. Ille inter commemorationem acceptorum à Deo beneficiorum sic aiebat: Tu es, Domine, *qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*; Psal. 9. 15.

Difficilis videtur locus, si portarum nomine, ex Scripturæ more solenni, & receptissima consuetudine, significata tribunalia dicamus, vnde sententiæ capitales contrà malefactores prodibant, quia Iudæi in portis suarum vrbium habebant sua putealia, siue iudiciaria subsellia, ex quibus contrà sontes pronuntiabant. Actum agam, si hoc probare velim, quod Scriptura tam multis in locis affirmat. Discutiamus itaque nunc, quomodo intelligi possit, ac debeat, quod sacer Propheta dicit, exaltatum se de portis mortis, vt annuntiaret omnes laudationes Domini in portis, siue tribunalibus filiæ Sion, id est, vrbis Ierosolymitanæ.

Doctissimus Genesios interpres Benedictus Fernandius in c. 34. Genes. sect. 5. n. 13. To. 3. exclamat: *En ô bone rex, qui cantus isti, quæ laudationes in portis Ierusalem? Ad portas sedebas pulsando citharam, diuinasq; laudes dulciter concinendo? Non planè, sed in portis iudicabas.* Cùm in portis essent tribunalia, certum est Dauidem in portis Ierosolymitanis non tractasse citharam, psalterium, organa, ad cantandas Dei laudes, sed patibulis, crucibus, equuleis, alijsque tormentis addixisse malefactores, & de plectendis constituisse improbis. Quid ergò ait, renuntiasse omnes laudationes dominicas in portis filiæ Sion, è tribunali vrbis Ierosolymæ?

Respondet dubitationi, qui eam excitauit, inquiens: *Quia non minùs Deum laudabat in iudicijs, quàm in templis, proferendo sententias, quàm struendo, cantandoq; psalmos. Nec minùs Deo seruit, Deumque colit, & laudat iudex iudicando, quàm Clericus in choro cantando, nec minùs Deo placet puniens iustitia, quàm deprecans religio.* Magnum ergò mysterium habet, quod Propheta regius ait, annuntiasse, & cantasse laudationes Domini tunc, quando pro tribunali iudicabat reos, morti addicebat sceleratos, & damnabat improbos, quià eodem loco habet Deus iudicem, qui è loco superiore contrà sontes pronuntiat, quo supplicem, qui offenso Numini contriti cordis hostiam in templo mactat. Quàm amat eos, qui psalmos in choro deuotè cantant, tam charos habet eos, qui scelera dignis supplicijs iustè castigant. Vtrumque Deo gratum, vtrumque Reip. commodum, ad illius laudes, & boni communis vtilitatem tam facit punitio flagitiosorum, quàm remuneratio innoxiorum.

Hæc diximus, vt Politicus noster, si fortè ex officio ad illum pertineat castigare malefacta, non ægrè adducatur ad inferenda supplicia, neque manu ad eam rem vtatur remissâ, quando necessitas expetere pœnas postulet. Iam enim intellexerit, tam gratum esse Deo sacrificium castigare sontes, quàm præmia dare benemeritis, & eisdem oculis videre pendentem furem è patibulo, quibus probum sedentem in throno, nec minùs delectari eum visu iudicis flagitia castigantis, (seruatâ tamen iustâ proportione) quàm sacerdotis incruentam hostiam in altari immolantis.

## CAPVT VIII.

*Optimè nouerunt homines & commemorare ea, quæ ad ipsorum commendationem faciant, & tacere, quæ labeculam qualemcunq; aspergant. Amant item consortium lucri, sed communem iacturæ aleam defugiunt.* Sie spielen gern mit/ohn auffsetzen.

VT vidit Patriarcha noster præcipitem, & cæcum filiorum suorum furorem, qui tanto impetu in cædem circumcisorum Sichimitarũ effusi sanguinem illorum effuderant, dixit ad Simeonem, & Leui: Turbastis pacem, quæ mihi cum huius terræ habitatoribus erat. Sunt ij permulti, nos pauculis

Fiet

Fiet ergò vt coniurati nos inuadant, & opprimant, sicut illis resistere prorsùm nequeamus. Huic obiurgationi responderunt filij: *Nunquid vt scorto abuti debuère sorore nostrâ!* Genes. 34. 31. An fortè soror nostra vilis lupa erat, & putidula meretricula, vt flagitium illi tam indignè inferrent? Quàm nos ignaui, & ignobiles, quàm negligentes omnis nostræ existimationis fuissemus, si tantum dedecus, tam turpe probrum inultum reliquissemus!

Cùm duo essent in illo casu (quod Expositores hîc notant) nempè stuprum sorori illatum, & vindicta iniuriæ illius, de modo, quo infamiam vlti fuerant, nihil dixerunt, quia cùm rationis, & iustitiæ limites ea in re prætergressi essent, quòd ad eum modum probrum sororis vindicassent, tacuerunt supplicium, quod ab iniuriosis sumpserant: quià commemorare sine offensione suæ famæ non poterant! At verò ignominiam sororis,& notam illi inustam multis verbis magnificè amplificârunt, hoc enim facinus illorum inumbrare, & extenuare videbatur. Itaque quod officere causæ illorum poterat, dissimulârunt, quod verò prodesse poterat, id auidè arripuerunt. Habet hoc mos hominum communis à Protoparente hæreditariò acceptus, vt studiosè tegant, quidquid derogare existimationi, aut negotio, quodcunque sub manibus habent, possit, enudent verò, & publico soli exponant, quidquid ad commendationem illorum vtcunque faciat. Denique amant facere lucrum, sed fugiunt commune subire dispendij periculum.

Euocabat immanis ille gigas ad singulare certamen phalanges Hebræas, barbarèq; arrogans,& insolenter superbus, ac viribus suis præfisus, diu, ac pertinaciter populum Dei irritabat. Israelitæ exterriti horrendo spectaculo viuæ illius, & portatilis turris,& vastorum membrorum eius enormi,ac formidabili magnitudine,timuerunt descendere in arenam, & pedem cum truculento prouocatore conferre. Solus quidam iuuenis pastor Dei gratiâ excitatus, & cœlesti audaciâ roboratus duello, & singulari conflictui intrepidè se obtulit. Consultatum de re ista apud Saulem regem,& post varia vltrò citròque agitata, & in partem vtramq; disputata decretum fuit, vt Dauid cum idololatra Philistæo certamen iniret. Ille ergò,vt expectatam victoriam consequeretur, *tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinq; limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philistæum*; 1. Reg. 17. 40.

Abulensis quæstio 32. in c. 17. 1. sic habet: *Quomodo Saul permisit, quòd pugnaret Dauid cōtrà Goliath, cùm nō ferret aliqua arma, sed solâ fundâ, & lapides?* Permirum sanè videtur, quòd Saul strenuus miles, & fortis pugil concessit, vt pigmæus cum gigante, cum armato viro adolescens inermis pugnam susciperet. De gigantis illius armis sic loquitur scriptura, quasi tam onerosa, magna, & multa fuerint, vt integro exercitui armando sufficere possent. In quod ergo iudicium cadere potuit, vt tenerâ ætate pastorem cum viro non solùm armis, sed etiam bellandi peritiâ instructissimo concurrere posse putarent?

Respondet Abulensis: *Si Dauid vinceretur, redeundum erat ad pugnandum in acie, sicut si non esset initum singulare certamen, & sic non deteriorabatur conditio Hebræorum ex morte Dauid, & prosperabatur ex eius victoria, ideò permittendum fuit ad omnē euentum, vt pugnaret.* Prudens fuit ille Saulis cogitatus, nam quomodocunque Dauidi sua pugna caderet,lucrum ex ea Saul capere poterat,damnum referre nullum. Si vinceretur Dauid, nihil hoc incommodabat bello, cùm alioquin, tametsi nullum gereretur duellum, signa cum hoste conferenda, & conserendæ manus essent. Et facilis erat iactura vnius adolescentis, qui aptior custodiendis ouibus, quàm conficiendis, & profligandis hostibus videbatur. At si iuuenis pastor superbum Goliath sterneret,id res Israëlitarum incredibiliter iuuabat,valentissimo enim Philistinorum cœso, Philisthæi totis animis consternati fuissent,quando vidissent ab inermi adolescentulo non alio, quàm vnius lapidis iactu deiectam,& solo afflictam esse illam tam vastam carnis molem, illam tam firmam columnam, quâ spes illorum tota nitebatur. Itaque *permittendum fuit ad omnem euentum, quòd pugnaret.* Saul certè ità existimabat, quod lucrum illi dimicatio Dauidis parere poterat, damnum nullum. Propria hominum indoles id habet, vt res suas ità instituant,vt certum sine dispendij periculo quæstum facere,& sine iacturæ metu indubitatum habere lucrum queant.

Ibat Dominus resuscitatum filiam Principis synagogæ Iairi, perque viam secretò ad illum accessit mulier,vt ægritudinis quàm diuturnæ,tam pudendæ remedium ab eo extorqueret. Frequens hominum caterua Christum comitabatur, cùmq; & locus publicus, & turba numerosa miseræ impedimentum afferret mulieri,dicebat intrà se: *Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero*; Matth. 9. 21. Pugnabat in animo bonæ mulieris spes cum timore, cum pudore, & verecundia necessitas, idque sæuiùs, quàm

concitati maris fluctus concertare in media tempestate soleant. Nam si ægritudinem suam aperiret, turpitudinem euulgabat, si rectam conseruaret infirmitatem, euadere crudeles manus cruciabilis mali non poterat. Corpus sanari, sed absque offensione famæ, optabat. Itaque *tetigit fimbriam vestimenti eius*, ibid. v. 20.

Quò ibat hoc afflictæ, & ægræ mulieris studium? Respondet S. Rauennatum Archiepiscopus Petrus Chrysologus serm. 34. *Quærebat quomodo faceret occultum de publico, de turba secretum. Agebat vt sibi & rediret sanitas, & verecundia non periret.* Ingeniosa solertis, & cordatæ mulieris industria fuit, quòd sanari ab ægritudine citrà dispendium verecundiæ voluit. Propterea retrò accessit, & extremam oram vestimenti, quod tergum tegebat, supplici manu libauit, vt salus inde rediret corpori, & nihil decederet pudori. Non fuerit hæc prima, quæ sic omnia simul procurauerit, vt lucrum sine periculo dispendij referret, & absque vllo existimationis facultatumque impendio compendium honoris, & vtilitatis faceret.

Cùm Scribæ, & Pharisæi inimicorum Christi Domini nostri inuidentissimorum infensissimi, & dictorum, factorumque illius exploratores deterrimi, ac nequissimi indies viderent, quantis incrementis fama eius augesceret, quomodo nomen illius vbique percrebresceret, quàm ingentem sui admirationem doctrina eius excitaret, quàm vehementer miracula illius omnes obstupescerent, decreuerunt illi inijcere manus, & vinctum tradere custodiæ, vt hâc ratione & famam eius obscurarent, existimationemq; diminuerent, & vulgi animos ab illo abstraherent. *Miserunt* ergo *ministros, vt apprehenderent eum*. Ità S. Ioannes cap. 7. v. 32.

Nemo, vt mihi quidem videtur, hoc Scribarum, & Pharisæorum decretum leget, qui sciat quantâ siti sanguinis Christi iam dudùm æstuârint, vt non arguendos putet, quòd capiendi illius negotium ministris, & satellitibus crediderint, quando ipsi ductores adesse, & lictores ad rem strenuè conficiendam tùm verbis, & promissis, tùm autoritate suâ adducere debuerunt, vt illorum consilijs, & optatis facta certiùs, feliciùsque suppeterent. At si ità res habet, cur *miserunt ministros*, perque alios fecerunt, quod per seipsos curare debebant?

Occurrit huic difficultati Theophylactus in c. 7. Ioan. inquiens: *Miserunt autem, sed non ipsi venerunt, metuentes turbam, ne tumultuaretur. Et propterea ministros mittunt, seipsos subducentes, ne quid periculi suborietur, illos autem furori populi exponentes. Ità vndequaque quod suum erat, sectabantur.*. Quantum Principes Scribarum, & Pharisæorum abominabantur Christum, doctrinamque illius execrabantur, tantùm æstimabant vulgus, & venerabantur communem plebeculam. Et quoniam seditionem populi, vulneraque, & cædes metuebant, idcircò alios delegârunt, qui vadum tentarent, & omnia explorarent, & euentus periculum facerent, qui si Christum prehendissent, obtinuisset eorum consilium, & votum, sin minùs, in ministros recideret malum, quodcunque capere volentibus occurreret. *Ità vndequaque quod suum erat, sectabatur*, curabantque vt quæstum facerent, & ab omni iacturæ periculo procul abessent. Habet hoc pars hominum maxima, vt compotes esse ament lucri, damni consortes esse nolint.

Quærit Abulensis, quamobrem veteres illi Patriarchæ, & principes credentium, cùm in terra Chanaan affluerent pecoribus, & plurimam haberent familiam, non sibi coëmerint stabiles possessiones, vbi figere sedem, & tùm domesticos suos, tùm greges tutò seruare, & sustentare possent. Satis hoc indicat sacra Genesios historia. Nam quòd Abraham locum sepulturæ sibi pecuniâ comparauit, & noster Patriarcha centum agnis exiguam hæreditatulam, id nihil obest, nam vtrumque parui momenti fuit, si cum ijs conferatur, de quibus Abulensis suam instituit quæstionem. Cur ergo factum dicemus, quòd fixa nulla sibi emere voluerunt bona?

Respondet ille in 1. Reg. c. 15. inquiens: *Quià videtur frustrà esse, quià nesciebât quando Deus daturus esset terram, & fortè statim daret, vnde perderent pretium, quod darent. Non ergo emebant talia immobilia.* Gratuitam certò expectabant ex Dei pollicitatione donationem terræ promissæ, quando autem ea explenda esset cùm nescirent, & explendam in horas sperarent, noluerunt emere, quæ quando dono accepturi essent, ignorabant, ne frustrà prodigendæ pecuniæ periculum subirent. Sic quisque lucrum, quanto potest studio consectatur, & fugit damnum, quæstus consortium amans, & iacturæ periculum deuitans.

Imperauit Deus Sauli, vt Amalecitas omnes vnà occidione occideret, resq; illorum omnes vastaret, & neque Regi, nec Pastori, nec purpuræ, nec sago, nec basilicæ, nec gurgustio parceret, inquiens: *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius, non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid*; 1. Reg. 15. 3. Amplior, & magis absoluta delegatio

nemini committi potuit, hæc n. complectebatur non solùm quæ rationali, sentiente, ac vegetante animâ prædita erant, verùm etiam quæ sensu destituta. Non accurauit Saul exactè iniunctum sibi munus. Pepercit n. regi Agag, & opimioribus gregibus, & pretiosioribus vestibus, & alijsnonnullis. Audiebat Samuel mugitum armentorum, balatumq; ouium; & aiebat: Quas ego hîc pecorum voces audio? Respondit Saul: *De Amalec adduxerunt ea, pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo, reliqua verò occidimus*; ibid. v. 15.

Expendamus responsum Saulis, quo se ille excusat, & rationem, quam adfert non expletæ integrè delegationis, siue commissionis. Quod ex iussione Dei confectum fuerat, resque ipsius iuuare poterat, id sibi tribuit, inquiens, *Reliqua occidimus*, velut diceret, nostrâ obedientiâ, & diligentiâ factum est, vt mactarentur, quæcunque Deus mactari voluit: Quòd autem quædam non erant vastata, hoc populo adscribit, *Populus* inquiens, *pepercit*, si quid ea res mali habet, si quid peccati, hoc à vulgo venit. Sed in hac excusatione mentitus fuit Saul. Dicit enim sacer Textus: *Pepercit Saul, & populus optimis gregibus ouium, & armentorum*; ibid. v. 9. primus greges, primus vestes, primus supellectilem opulentiorem, primus monilia pretiosiora expetijt. At si res ità habet, vt certè habet, quomodo se autorem cædis facit, & seruati gregis culpam in populum conijcit, cùm ipse pariter ac populus manus à brutorum quorundam internecione abstinuerit? Respondeo ex his, quæ hîc tractamus, nempè quòd homo amat lucrum appetere, fugere iacturam, dicere quæ ad sui commendationem faciant, tacere quæ dedecent! Et quoniam cæcidisse Amalecitas, resque illorum omnes perdidisse, honorificum erat Sauli, idcircò aiebat, *Occidimus*, exussimus, vastauimus, destruximus, quæcunq; iussi sumus, tanquàm ipse inter eos, qui talia fecerunt, primus ac præcipuus fuerit; Verùm quià seruasse ea, quæ mactanda, & vastanda fuerant, piaculum erat, omnem in populum culpam confert, inquiens: *Populus pepercit*; cùm ipse esset primus, qui excœcatus cupiditate pepercerat pecoribus opimioribus, & opulentioribus spolijs. Quo docemur, quàm probè sciat homo, & prædicare, ex quo laudem habeat, dissimulare, quod probro esse queat, & quàm amet facere lucrum, quàmque oderit minimum siue honoris, & existimationis, siue rerum, & facultatum detrimentum pati. Vix quenquam tam rudem habet mundus, qui huius rei non sit gnarus. Omnes sciunt vtilitati propriæ studere, omnes sciunt occasionem quæstus captare. Omnes sciunt muti esse ad ea, quæ honori, & existimationi officiunt. Omnes etiam de vulgo extremo rhetores sunt ad commemorandum, & amplificandum, & extollendum quæ sibi honorifica sint, & fructuosa, & tùm famæ, tùm rebus conducibilia.

Emundata fuerunt sua Prophetæ vrbano labia, lætabaturque ille tam vehementer de sublatis maculis, quàm grauiter doluerat, quòd tam patente corporis parte turpem næuum diu prætulerat. Dicebat illi Dominus: *Quem mittam? & quis ibit nobis*, vt populo isti prædicet? Et ille extemplò: *Ecce ego, mitte me*; Isaiæ 6. 8. velut dixisset: Vbi me ad manum habes, Domine, otiosum videtur quærere, quem mittas, ego enim volens, lubensque ibo, quò me cunque ablegandum duxeris. Factum est, vt aliâ occasione audiretur illi *vox dicentis, Clama*, Isa. 40. 6. At tunc ille respondit: *Quid clamabo?* ibid. scire volo, quid denuntiare populo, quid clamare debeam.

Origenes, vt refert Glossa, pulchrè hîc annotauit, quòd priore loco, cùm vix dictum esset à Domino, *Quem mittam, & quis ibit nobis?* statim accurrit Isaias, seque singulariter præ alijs obtulit, cùm aduocatus particulariter non esset, & ait: *Ecce ego, mitte me.* Nunc autem cùm speciatim vocatur, iubeturque clamare, & prædicationis officio singulariter deputatur, videtur recusare officium, cùm dicit, *Quid clamabo?* Quid quod est ibi tam promptus excepit, & penè inuasit munus prædicationis, hic autem tam tardè, cunctanterque illud admisit?

Respondet ex magno Adamantio Glossa Ordinaria: *Putabat se bonum nuntiaturum, & ideò dicit*, Mitte me, *& ideò vltrò se offert. Sed quià audiuit*, Dic populo huic, Auribus audietis, & non intelligetis, *cùm postea dicatur sibi* Clama, *non statim clamat, sed dicit*, *Quid clamabo?* Non sciuerat primâ vice, quid renuntiaturus populo esset, sperabat autem se mera euangelia perlaturum, idcircò sponte, lætanterque prosiliebat ad prædicandum; Cùm verò præter opinionem suam iuberetur intentare minas, prædicere ingrata, cautior factus scire voluit, quid clamaturus esset, quando ad idem officium deposcebatur, tanquàm non ausus illud ante suscipere, quàm prædicandi argumentum exploratum haberet. Etiam apud tales homines, tametsi posthæc, quod sui muneris est, faciant, videntur à vitiatæ na-

turæ ponderibus eò inclinari, vt damnum defugiant, semper enim res suas ità disponere vellent, vt illis quæstuosæ essent, & lucrosæ. Cùm se dicenda offerunt, quæ narrantis existimationem imminuere possunt, curant silentio opprimere: At cùm ea commemoranda occurrunt, quæ sint honorifica, & ad laudem vergant, nec tardi sunt ad eloquendum nec ad euulgandum muti.

*Hoc idem argumentum non semel tantùm, neque ineleganter tractat etiam alibi. Vide etiam Periocham III Dominica XXIII. post Pentecosten, To. 2. pag. 308. & locum ad calcem ex To. 1. annotatum.*

# LIBER NONVS.

## CAPVT I.

### *Malo culpæ mala alia omnia cedunt.*



Visnam de aliquo huius vitæ malo queritur? Quis se aduersitatum mole oppressum deplorat? Quis sub iniquioris fortunæ grauibus ictibus gemit? Quis suæ inter ærumnarum angustias calamitati illachrymat? Quis verò in summo felicitatis culmine se collocatum iactat? Quis de imperiali throno superbus gaudet? Quis sibi de mulieris, nescio cuius, amicitia singulari, ac beneuolentia enixiore gratulatur, & blanditur, quæ hoc vno solùm est constans, quòd semper inconstans? Nam si omnes tum felicitates, tum aduersitates ad rectæ rationis libellam expendas, & ad lucem veritatis examines, videbis, nullum aliud esse malum, quod timere debeamus, præter inimicitiam Dei, nullum bonum, quod expetere possimus, præter amicitiam eiusdem, cæteraque bona, & mala, si cum eis comparentur, hoc nomine indigna esse. Felicitates enim quæcunque excogitari possunt, nisi cum amicitia Dei sint coniunctæ, infelicitates sunt, & quidquid calamitatum occurrere homini mortali potest, id rebus secundis, & prosperis annumerari debet, si Deo gratiosus sit, qui ærumnis pressus.

In hanc rem ita loquebatur olim sanctus Ioannes Chrysostomus 2. Corint. 6. homil. 12. in morali: *Collachrymandum est, non cùm in paupertate sumus, sed cùm peccamus, hoc quippè est, quod lachrymas mereatur. Nam alia eiusmodi sunt vt risum etiam ciere debeant.* Flere itaque debemus, non cùm nos ærumnæ incursant, non cùm affl.ctant aduersa, non cùm angit inopia, non cùm infensa fortuna in imam miseriarum abyssum nos mersitat, sed cùm supremi Legislatoris præcepta violasse, cùm cœlestia Imperatoris absoluti edicta præterijsse recordamur. Hoc solum est, quod ad sinceram nudæ veritatis lucem examinatum tristes lachrymas, & flebilem, acerbumque luctum, & penitissimo corde exprompta suspiria mereatur. Cætera omnia ludibrio magis digna sunt, quàm vt calamitatum catalogo inserantur. Nam si absolutè de re pronuntiare velimus, dicere possumus, ac debemus, nullam esse miseriam, nisi culpam, nullam felicitatem, nisi Dei gratiam.

Inter illas integerrimi, & candidissimi magistri cum insidiosissimis auditoribus, & infensissimis hostibus disceptationes, & mutuas altercationes dicebat illis quandoque Dominus: *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos;* Ioan. 8. 31. 32. Pupugerunt hæc dicta improbos Scribas, ac Pharisæos ità vt dicerent: *Nos semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquàm, quomodo tu dicis, Liberi eritis?* ibid. v. 33. tanquàm verbis alijs dixissent: Egregius, scilicèt, modus, quo nos demereri possis! Nos ab inclyta illa prosopia descendimus, & nepotes sumus illius Patriarcharum omnium facilè illustrissimi, cuius virtutes mundus totus magnis plausibus celebrat, & tu nos à captiuitate liberos fore prædicas, qui nullius seruituti vnquàm addicti fuimus! Quis ergo nos aliquando habuit vel dedititios, vel seruos, vt nos libertate tantoperè inuites? Respondit Dominus, inquiens: *Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati;* ibid. vers. 34.

Heus Domine, occurrit hìc, quod cum tua bona venia dicere velim. Videris mihi veras rectè argumentandi leges, si dicere fas est, præterire, dum Iudæorum quoddam falsissimum pronuntiatum dissimulas, tacitumque prætermittis. Aiunt illi: *Nos nemini seruiuimus vnquàm,* ne in proauis quidem, & maioribus nostris. Quod aliud tam ingens mendacium? Quodnam effatum æquè aduersum veritati, ac illud? Nam quod aliud hominum genus sol vidit, quod crebriùs grauiùsque oppressum seruituti fuerit, hodieque sit oppressum, quàm vnus ille perfidiosus, & contumax Hebræorum populus? Dicat

hoc Ægyptus, dicat Babylonia, dicat hoc ætas ea ipsa, quâ hoc quàm audacter, tã imprudenter affirmabant, & Romani Cæsaris tyrannidi subiecti lugebant. Et hodie per mundum dispersi nonnè sunt contemptibilissimi, fabulaque vulgi, & ludibrium, & opprobrium omnium? Quid ergo dicam, Domine, quòd illos per summam inuerecundiam mentitos dicere audis, *Nos nemini seruiuimus vnquàm*, & hoc eorum tam falsum pronunciatum præteris, tanquàm in eas angustias consectus esses, vnde emergere non posses, & ais, *Qui facit peccatum, seruus est peccati?* Nonnè bonum fuerat dicere illis: Si nemini vnquàm seruijsse ex animo affirmatis, mentimini, quantùm qui maximè, quià seruijstis & sæpè, & diu, annosque plurimos?

Respondet huic obiectioni Euthymius: *Non conuicit eos, quòd sæpiùs seruijssent Ægyptijs, Babylonijs, alijsque diuersis Gentibus, sed hanc quidem prætermisit seruitutem, vt quæ nihil animi generositati officiat. De peccato verò ait, quod illi nocet seruituti, eam subijciens, cuius est miserrima seruitus.* Quando ergo Scribæ, & Pharisæi gloriabantur suâ illa inde à maioribus acceptâ, & nunquàm interruptâ libertate, tametsi pudendum esset mendacium, vt qui tota secula Ægyptijs, Assyrijs, alijsque duram, diuturnamque seruitutem seruierant, non sine mysterio illud silentio Dominus præterijt, atque hoc solùm euincere curauit quòd verus seruus est, quisquis peccato se obstringit, vt doceret, in quo vera seruitus consistit, velut dixisset: Possem equidem facilè conuincere seruitutem vestram, quæ vos varijs gentibus subditos habuit. Verùm quænam illa est miseria, & infelicitas? Quid obsunt pauperies, seruitus, captiuitas, & omnis calamitas huius mundi? Illa non incommodant, non officiunt animæ, dum culpæ seruitutem modò coniunctam non habeant, quæ sola misera, & deploranda est seruitus? *De peccato ait, quod illi nocet, seruituti eam subijciens, cuius est miserrima seruitus.* Immò quando anima est libera, & valet gratiâ apud Deum, tametsi corpore sustineat captiuitatem, ægritudines, infelicitates quæcunque excogitari possunt, omnia illa in rebus prosperis recenseri debeat, quià pretiosa monilia sunt, quibus anima ornatur, & venustatur, inæstimabilis pretij gemmæ sunt, ex quibus ditissima corona conficitur. Ergo nullum aliud malum, nisi peccatum, nullum aliud bonum, nisi gratia. Ergo & verum est, quod initiò diximus, omnes alias miserias, & calamitates cedere malo culpæ, nulla enim ærumna est, nulla penuria, nullum omninò malum, quod reuerà id nominis mereatur, si cum mortali culpa conferatur, quæ nobis Deum offensum reddit.

Quàm præclarè dictum à Sapiente: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit!* Prou. cap. 12. vers. 21.

Hugo Cardinalis pressit ingeniosè illud verbum, *Acciderit*, tanquàm dictum fuisset: Nullum accidens dolorem adferre iusto potest. *Quidquid ei acciderit, prosperum, vel aduersum*, non conturbabit illius animum, non interpellabit quietem, non deijciet de suo statu. Ex Hugonis itaque obseruatione *accidens* vocatur quidquid occurrere, & euenire potest animæ, quæ illum felicitatis vnicæ gradum obtinet, vt sit in bona apud Deum gratia. Quid est accidens? Logicorum pueri dicent, qui cum Hugone sic definiunt: *Accidens adest, & abest præter subiecti corruptionem.* Accidens aduenit homini, destituitque eum absque singulari ipsius impedimento, aut graui detrimento. Quòd homo nunc sit viuido colore, dein pallido, nunc albo, posthæc atro, parùi refert, nec enim facit, quin sit animal rationale, & omnia habeat, quæ ad naturæ suæ integritatem spectant. Sic & pannus, siue hoc, siue illo colore tinctus, idem semper est pannus. Dicit nunc Salomon: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Dum non excidat gratiâ, & amicitiâ Dei, alia omnia pro accidentibus habet. Paupertatem, diuitias, sceptrum regni, seruitutem, & quascunque alias seu felicitates, siue miserias in rebus minimis, & deridiculis numerat, adeò parùm illum angunt, parùm sollicitudinis illi adferunt, sic vt neque illa exhilarent, neque hæc contristent, cùm sciat, malum esse absque gratia Dei, quidquid bonum æstimatur, & bonum esse quod malum censetur, si modò sit cum amicitia Dei coniunctum. Apis argumentosa est iustus, qui omnia in mel meritorum vertit, & peccator venenatus araneus, toxicum damnationis ex omni re conficiens. *Præsens prosperitas, & tribulatio adest, & abest, iusto præter eius corruptionem & conturbationem*, inquit Hugo. Iusti tota substantia est gratia Dei, reliqua pro accidentibus habet, quæ abeunt, & adueniunt, nihilque illi vel mœroris, vel ineptæ lætitiæ adferunt.

Huc facit illud sancti Theodori Studitæ, qui catech. 117. ait: *Quid fugiamus, fratres, vt ignem? Atque vtinam igni potiùs, ferro, bestijs, quàm lethalibus vitijs occumbamus.* Hæc ille, At ego cum bona ipsius venia dixero, non solùm minùs formidandas flammas, ac bestias, quàm lethales noxas, verùm etiam neminem vel sæuos ignes, vel crudeles carnifices,

ces, vel horribiles serpentes, vel quoduis pœnalissimi tormenti genus metuere, aut curare debere, vt à peccato mortali perpetrando immunis esse possit. Et quilibet verus Christianus debet malle laniari à bestijs, absumi flammis, infici veneno à serpentibus, & quamuis carnificinam subire, quàm miserandam, & funestam iacturam amicitiæ Dei per noxam lethalem sibi conflare.

Videamus vtrùm inuenire possimus, qui hoc affirmet. Propheta regius documentum tam vtile, & momentosum nobis tradet, qui pientissimum Dominum, suum ac nostrum sic aliquando appellabat; *In te, Domine, speraui, tu exaudies me, Domine Deus meus, quià dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei*; Psalm. 37. vers. 16. 17. Horum verborum talis est sensus: In te, Deus, spes mea omnis inclinata recumbit, vt quo solo bonum meum, remediumque omne nititur. Hanc autem habeo de immensa pietate tua fiduciam, quod exorari à me sines, facilesque meis precibus aures præbebis, quæ hoc suspirant, ac rogant, vt ne hoc apud me hostes mei obtineant, quod anxiè cupiunt, quorum omne studium, viresq; totæ eò vertuntur, vt me pulcherrimâ veste, & decentissimâ stolâ tuæ gratiæ nudent. Quid verò mox ad ista consequitur? *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper*; ibidem vers. 18.

Percunctari nunc sanctum Prophetam possum, quomodo hæc sibi cohæreant. Dicit sperare in Domino, quòd per illum liberandus esset ab hostium suorum insolentia, & seruandus, ne per illos deturbari à felicissimo statu gratiæ posset, statimque subiungit, se vapulare, & verbera subire promptum esse. Quid hoc connexionis habet cum illo? Pulchra, & admirabilis est alterius cum altero coniunctio. Quidnam rogasti, Propheta sancte. *Dixi, Ne quando supergaudeant mihi inimici mei*, & quoniam hostibus meis iucundissimum accideret, si me superare, & de gradu gratiæ deiectum videre possent, petij ne hanc illis ex me lætitiam, aut ridendi mei occasionem permitteret, vtque id apud illum impetrarem, ad superiores preces adieci: Ecce me promptum, paratumque ad omnia flagra, & infortunia excipienda, ad quasuis ærumnas perferendas, ecce me, cui omnis calamitas, quantumuis dura, & sæua, pro singulari consolatione, & magna gloria fuerit, dùm hoc tantùm dones, ne amicitiâ tuâ excidam, aut gratiæ tuæ iacturam patiar.

Audiamus pulchram beatissimi Papæ Gregorij Magni hac de re commentationem, quæ in Psal. 2. Pœnit. sic habet: *Quoniam ego in flagella paratus sum, malo enim occidi, quàm vinci, flagella libenter patior, persecutiones amplexor, visitationes desidero, corruptiones concupisco.* Habeam te; Domine, beneuolentem, & sim tibi gratiosus, tumque & largissimi quarumuis ærumnarum imbres in me descendant, & omnia tormentorum genera mihi inferantur, & conscindar frustillatim, & laniëtur scorpionibus carnes meæ, & venenosi vermes corpus meum insatiabili importunitate perterebrent, & totus contrà me orbis terrarum coniuret, omnia namque ista summæ felicitatis loco mihi erunt, dummodò gratiæ tuæ monile liberum euadat, dummodò illud mihi nemo eripiat. *Malo enim occidi, quàm vinci*: Nam honorem, facultates, sceptrum, vitam, & omnia, saluâ tuâ gratiâ, perdere, est iactura, quâ lucrosior nulla esse possit. Benè itaque dicimus, non esse aliud malum, nec bonum aliud, nisi gratiam.

Nisi res ità haberet, quamobrem mundanarum vanitatum fugiendarum prædicator dixisset: *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorẽ vtroq; iudicaui, qui necdum natus est*, Eccles. 4. 2. 3. velut dixisset: Expendi in statera viuos, mortuos, nondùm natos, & in altera quidem lance posui viuos, cæteros in altera, & visa sunt mihi grauiora põdera horum, quàm illorum. Possemus hîc iam sciscitari, cur Salomon mortuos suprà viuos extulerit, & vtrisque feliciores arbitratus fuerit eos, qui nondum in hanc lucem editi essent. Videtur enim is, qui non est, in cõparationem eorum, qui sunt, vel certè fuerunt, venire non posse.

Sanctus Ambrosius hanc nobis adimit dubitationem, Octon. 18. in Psal. 118. inquiens: *Mortuus præfertur viuenti, quià peccare desiuit, mortuo præfertur qui natus non est, quià peccare nescivit.* Qui nescit quid sit peccare, nescit quid sit esse infelicem, propterea ille verè infelix est, qui viuit, eoque nomine beatior illo est, qui mortuus, iam enim cessauit peccare. Et absolutè loquendo maior est infelicitas illius, qui actualiter peccator est, quàm eius, qui æternis apud inferos cruciatibus addictus, quià hic iam non est in eo statu, in quo peccare queat (quanquàm viuenti etiamnum peccatori spes sit reliqua, quòd à malo statu suo cum opitulatricis gratiæ Dei auxilio euadere possit) & mortuum, cui vita, simulque potestas peccandi decessit, hac re superat ille, qui nunquàm vixit, quià nunquàm etiam, quid esse malè agere, sciuit. Itaque tametsi inter non natum, & denatum sit quædam conditionis inæqualitas, alterque alterum excedat, ambo tamen felicitate præ-

stant

ſtant viuo, quià hic poteſt delinquere, illi verò vel non poſſunt, vel prorsùm neſciunt quid ſit Deum offendere. Hinc arbitrari licet, quanta ſit miſeria peccare, & quòd hæc ſola ſit ſuprema infelicitas. Et videtur Salomon inuenire nō potuiſſe vnde cenſeret hominis beatitatem, niſi inde quòd vel peccare nequiret, vel quid ſit peccare ignoraret.

Validè conſtabiliet cauſam iſtam id, quod Magnus Baſilius monuit in ea verba Prophetæ regij ex Pſalmo 45. 2. *Deus noſter refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis*, ille aſylum noſtrum, ad quod recipere nos debemus, quoties ærumnis affligamur, & incurſamur aduerſis. Sancti Baſilij monitum in illius Pſalmi commentario tale eſt: *Nec fugias, quem non oportet, neque item confugias, ad quem non oportet, ſed vnum tibi tantùm vitabile ſit peccatum, & vnum in malis refugium Deus.* Nam quantiſuis exagiteris calamitatibus, quantiſuis excrucieris tormentis, nulla te exterrere pœna debet, quam ſub propitio, & beneuolente Deo pateris, ſi enim ille tuum ſit perfugium, auxilium, ſcutum, ærumnæ tibi vertentur in ſolatia, in coronas tormenta: At ſi illum offenſum, & infenſum habeas, tametſi in ſumma voluptatum omnium affluentia viuas, delitiæ tibi pro ſpinis erunt, mella pro felle, iucunditas pro inferno. Non enim eſt alia beatitas, quàm Dei gratia, & amicitia, nec infelicitas alia, quàm peccatum, quod iſtam dirimit, & interimit gratiam. Denique omnia ad vnum malum reuocantur, & ad vnum bonum: *Vnum tibi tantùm vitabile ſit peccatum, & vnum in malis refugium Deus.* Habere Deum per gratiam, eſt habere omnia, & nihil haberet, ſi quis ſub Deo irato, & alieno totius mundi imperium teneret, niſi quòd omnis boni inopiam habeat, qui non habet Deum, qui eſt omne, & ſummum bonum.

Tradat nobis hanc doctrinam noſter Patriarcha, qui domeſticorum ſuorum quibuſdam ſic aiebat: *Abijcite deos alienos, ſurgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo*; Geneſ. 35. 3. Illud *Surgite* eſt vox acuentis animos ad ſtrenuè agendū, quemadmodùm copiarum militarium ductor verbis exhortatorijs incitare, & inflammare ſuos milites ad fortiter dimicandum ſolet. Vbi notandum, quòd nunquàm ſic locutus fuit familiæ ſuæ Iacob, in quantocunque periculo verſaretur, ac ne tunc quidem, quando fratrem cum manu armata venturum timebat, & nil niſi certam ab illo necem, extremamque ſtragem expectabat. Tametſi enim domeſticos ſuos admodum aciei ordinatæ digeſſit tanquàm pugnaturos, non tamen eis præcepit arma ſumere, neque magno animo eſſe iuſſit: Verùm hic, cùm eos ad abijciendos deaſtros hortaretur, tanquàm ad rem ancipitem, & diſcrimine plenam excitaſſet, aiebat, *Surgite*, quod verbum curam, ſolicitudinem, diligentiam, ac vigilantiam ſignificat.

Cur verò ſanctus Patriarcha ſuos eâ occaſione tam vehementer erigere, tam acriter incitare ſtuduit? Eratné periculi aliquid præ foribus? Aut hoſtis à tergo fortè imminebat? Aut buccinarum clangor aures illi, pectuſque perſtringebat? Aut ſplendentium armorum hoſtilium apparatus, ſtrepitus, aſpectus cor illius exterrebant? Nihil horum. Quid ergò illum tam ſolicitum, & anxium habebat? Abdicatio falſorum deorum, quos vernaculorum quidam colebant: *Abijcite deos alienos*, aiebat, abſtinere à peccando, & vnum, ſolumque Deum venerari ſuadens. Hocciné verò tantum curæ, ſolicitudiniſque illi adferebat! Hocciné animum illius diſcruciabat! Hocciné peruigilem, & inſomnem faciebat? Prorsùm iſtud illum ſolicitabat vehementer, & premebat grauiter, & torquebat acriter. Nam peccatum eſt inter hoſtes maximus, pernitiabiliſſimus inter inimicos, inter aduerſarios omnes maximè formidandus. Nam iratus, & armatus ad necem frater, & furioſus Laban, & totæ ærumnarum cohortes contrà hominem aliquem fœderatæ parui momenti ſunt, dummodò à coniuratione illa vnum abſit peccatum. Ac propterea Iacob ad hoc abijciendum, fugandum, aut fugiendum tam ſtudioſè excitat ſuos, & totis animis rem iſtam agere hortatur. Ad hunc nempè inimicum ex anima eijciendum, & conficiendum, omne animæ robur verti debet, quià illud eſt ſola, & ſuprema infelicitas, cui mala omnia de via cedunt, & concedunt, & tributa pendunt.

Hoc itaque Politicum noſtrum vnicè monitum, ſtudioſèque ab illo animaduerti velim, quòd vnus ſolùm inimicus ſit, quem pertimeſcere debeamus, puta peccatum, & vnum tantùm bonum, quod ſperare, quæ eſt Dei gratia. Hæc eſt totius politices chriſtianæ ſumma, his enim duobus polis omne bonum, malumque noſtrum nititur.

*De peccati pernitiabilitate habes plurima in vtroque Tomo ſuperiore. Vide in ambobus Indicibus rerum verbo* Peccatum.

# CAPVT II.

*Quantumuis perpolitam se anima quæpiam putet, inueniet tamen semper & quod emundet, & quod emendet.*

QVis ille absq; multa admiratione sanctum Patriarcham nostrum talia monentem, dicentemque audiuisset, *Abijcite deos alienos?* Nam quis in domo tam sancta, tam religiosa, & præclarè instituta relictum fuisse idolum, simulachrumque aliquod vel suspicari potuisset? Itane verò, ô dolor, fuit idololatra, fuit qui deastros coleret etiam in talis viri contubernio, & ædibus! Fuit. Quo docemur, quòd cùm idola sint vmbræ, & imagines quædam nostrarum passionum, affectuum, appetentiarum, nulla est anima, quantumuis perfectam, consummatamque se putet, quæ non habeat, quod corrigat, emendet, emundet, expoliat, magisque ac magis indies excolat, & perpurget, quò enim studiosiùs se animo, & ratione homo perlustrauerit, eò luculentiùs perspiciet, quos habeat affectus reprimendos, quas coërcendas passiones, quas appetentias moderandas.

Laborem attulit mellifluo Bernardo quoddam Sponsæ dictum: *En dilectus meus loquitur mihi*; aiebat illa Cant. 2. 10. acsi dixisset: O quàm ego felix, & beata, quàm dulcis Sponsus meus tam blandè, ac beneuolenter appellat! At videamus quibus verbis: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*; inquiebat ille.

Sanctus Bernardus in his illud singulariter notauit, quod Sponsus dixit, *Veni formosa mea*, inquiens: *Cui autem dicitur*, Veni, *nondùm peruenerat.* Sed quomodo nondùm peruenerat, quæ Sponso tam formosa erat? Venire Scripturarum autori nihil aliud est, quàm augescere virtutibus, & quò plus quis progreditur in curriculo sanctitatis, eò maior fit ad animæ pulchritudinem accessio (vt enim vanæ mulierculæ fucis, pigmentis, monilibus venustatem sibi parant, sic anima suis passibus condecoratur, & quò ampliùs progreditur, eò fit elegantior) quomodo Sponsa iubetur venire, proficere, seseq; polire, & ornare, quam Sponsus ipse formosam vocat, inquiens: *Veni formosa mea?* Bernardus monet ex alijs Sponsæ verbis accipere huius quæstionis solutionē. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem*, inquiebat illa Cant. 1. 4. quasi dixisset: Ex omnibus habeo aliquid, & formosa sum, & fusca, & pulchra, & obscura. Dùm ergò illam Sponsus, quâ parte nonnihil nigredinis, & obscuritatis habebat, aspiceret, venire iubebat, acsi dixisset: Quantumcunque formosa sis, veni, quantumcunque venusta, propera, quantumcunque elegans, accelera: Quamdiu enim in hoc caduco mundo viuitur, quamdiu gemma spiritus in annulo carnis includitur, semper sunt inordinati affectus, quos moderemur, semper vitiosæ passiones, quas emendemus, semper luxuriantia sarmenta, quæ amputemus. Audiamus Doctorem sanctum: *Cui autem dicitur, Veni, nondum peruenerat, ne fortè quis putet hoc dictum non quidem huic nigræ, quæ adhuc laborabat veniendo in via, sed beatæ illi, quæ iam prorsùs absq; nigredine regnat in patria.* Hæc ille serm. 25. in Cant.

Causa, ob quam tam crebrò commemorantur leges, tamq; frequenter à parentibus ad liberos de illis habetur sermo, ea est, inquit Propheta regius, vt semper obseruentur, altiùsque animo impressæ maneant. *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera! Filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis*; ait Psal. 77. 6. acsi dixisset apertiùs: Voluit Dominus sua præcepta velut per manus tradi filijs à parentibus, nepotibus à filijs, vt eorum apud posteros per continuam successionem perennaret memoria, alijque alijs indicarent obligationem, quâ ad eorum obseruantiam adstringerentur. Non hîc substitit sanctus Propheta, verùm addidit, eo etiam consilio fieri tam crebram dominicorum mandatorum commemorationem, *vt non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant*; ibid. v. 7.

Aquila Doctorum sanctus Augustinus ait, vnam hîc superuacaneam videri repetitionem, cùm scilicet Propheta dicit, narrari iterùm, atque iterùm Dei mandata, vt requirantur. *Cùm ea iam didicerint, quomodo exquirant? Quanta*, inquit, *mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera! Quid cognoscat? Vtique mandata, quæ mandauit. Quomodo ergò adhuc exquirant?* Sic ille. Qui rem aliquam inuenit, eamque ampliùs quærit, stulto, & inani labore fatigari videtur. Quomodo ergò, qui legem Dei iam repererant, indagare eam prætereà iubentur? Si nouerunt eam, quomodo cognoscent, vt exquirant? *Vt cognoscat generatio altera, & mandata eius exquirant. Quomodo ergò adhuc exquirant?* Dictum ità, vt intelligamus, quantumuis quis cognoscat, & sciat, quotidie tamen plus cognoscere, & scire posse, quantumuis sublimis quis factus sit, adhuc altiùs ascendere posse, quantumuis correxisse, & emendasse mores suos putet, semper habere quod prætereà corrigat, & emen-

& emendet, quantumuis se ornárit, plùs tamen expolire semper posse.

De marinis aquis ait magnus Philosophus Seneca lib. 4. qq. natural. c. 26. eas perpetuo sese purgandi studio occupatas esse, non secùs ac corpora, quæ varijs crebrò vexantur ægritudinibus, curam requirunt continuam. Illius verba sic habent: *Mare cadauera, stramentaque, & naufragorum reliquijs similia ex intimo trahit, nec tantùm tempestate, fluctuque, sed tranquillum quoque, placidumq; curatur.* Tantundem faciet, quisquis in huius mundi mari se mare esse cogitabit. Inueniet enim quod purget, & emendet, non solùm cùm furiosus iræ impetus illum obripit, non solùm quando ardens flamma passionis alicuius adurit, non solùm quando mare affectuum procellosos fluctus excitat, neque solùm quando tumultuarium vulgus contumacium sensuum contrà rationem, ceu reginam, insurgit: Verùm etiam tranquillo mari, & sereno cœlo, cùm extinctus ignis, cùm coërcita passio, cùm sopitus pervicacium sensuum motus, cùm altâ pace omnia conquiescunt: *Tranquillum quoque, placidumq; curatur.* Quantumuis enim perfectam, excultamque se anima iudicet, semper inueniet imperfectiones, quas abstergat, semper errata, quæ corrigat.

Nam vt vitæ spiritualis magnus pater sanctus Bernardus serm. 58. in Cant. ait, *quis ità ad vnguem omnia à se superflua resecauit, vt nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi & putata repullulant, & fugata redeunt, & renascuntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parùm est ergò semel putasse, sæpè putandum est, immò si fieri possit, semper, quià semper quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa.*

Non præsumat ergò Politicus noster, se, quamdiu non fruitur Deo, absque omni lolio esse defectuum, & erratorum. Nam si in fornacem accurati, attentique examinis se conijciat, videbit quantam scoriam relinquat, & passiones sopitas esse, non extinctas.

*In huius rei consideratione sæpè fuit Nissenus. Vide Pertocham IV. Dominicæ V. post Pascha, To. 2. pag. 66.0. & alijs in locis, quæ ad finem adscripsi. Vide etiam suprà Libri Primi c. 5. & quæ ad calcem annotaui.*

## CAPVT III.

*Ibi celeriùs, & maiore studio succurrendum, vbi necessitas contentiore voce opem inclamat.*

ERigebat suorum animos sanctus Patriarcha, incitabatq; verbis grauibus vehementer, vt idola abijcerent, eò quòd vero Deo sacra facturi essent, inquiens: *Surgite*, confirmatisque animis, & omnibus viribus, totâque ingenij, & neruorum contentione concurrite ad erigendum aram magno, & vero Deo. Monui iam, quòd nunquàm maiore spiritu, & feruore, nunquàm enixiore studio rem aliquam curauit, quàm istam, neque enim res alia maiorem ardorem, diligentiamque postulauit ( quod etiam notauimus ) quàm istud negotium persuadendi suis, vt suos à se deastros abdicarent, nisi fortè aliud vel magis, vel æquè necessarium est homini, quàm animæ suæ prospicere, idola ex ea eijcere, exturbare passiones, quæ illam maculant, & obscurant. Proptereà noster Patriarcha maiore vi, conatuque ad eam rem vtebatur, verbisque efficacioribus domesticos suos exhortabatur, quàm alioquin solitus fuerit. Docemur eo exemplo, quâ prudentiâ succurrere concurrentibus necessitatibus debeamus, quòdque celeriori auxilio subueniendum illi, cuius magnitudo maioribus vocibus hoc expetere videatur.

S. Ioannes Christi inter Apostolos Beniamin refert, venisse cœlestem medicum ad celebrem illam piscinam, iuxtà quàm iacebat frequens multitudo miserorum languentium, qui diligenter, ac solicitè obseruabant motum aquæ, in quam ab Angelo concitatam qui se ante omnes vel præcipitasset ipse, vel coniectus ab alijs fuisset, vnus, solusque curabatur ex omnibus, quantasuis radices egisset, aut tametsi alioquin incurabilis fuisset infirmitas. Et notandum, quòd Euangelista narrat, fuisse apud illam piscinam inter plurimos ægros ærumnosum, & miserum quẽdam, ad quem velut præscriptione deuolutus visus fuerit istius mansionis locus, vbi illum triginta & octo annorum ægritudo affixum grabato, & tanquàm moribundum in loculo conditum attinuerat: *Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, dicit ei, Vis sanus fieri?* Ioan. 5. 6. Vis ab equuleo solui? Vis relaxari illas longiturnæ paralysis fidiculas, quæ tot annos te quàm pertinaciter, tam pœnaliter distentum habent?

Notandum, quòd in eodem loco, vt Euangelista monet, *iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.*

*tum*, ibid. v. 3. Quid causæ ergo sit, quòd vnus ex omnibus languentibus paralyticus Domini ad se oculos rapuit? *Hunc cùm vidisset Iesus.* Cùm tam ingens esset numerus eorum, qui medicâ Saluatoris manu plurimùm eger ... it, cur hic solus à diuino Magistro delectus fuit, in quo omnipotentis dexteræ suæ virtutem ostentaret?

Respondet venerabilis Pater Dionysius Carthusianus: *Specialiter hunc vnum affatur, & curat, quia miserabilior fuit.* Hanc rationem Euangelista ipse insinuat, quòd attentiùs illum legenti occurret. Sic enim habet: *Cùm cognouisset quia iam multum tempus haberet.* Paralyticus ille ergo forsan non solùm cruciabilioribus doloribus vexatus fuerat, verùm etiam plures annos in illo nosocomio exegerat, *triginta* scilicet *& octo annos habens in infirmitate sua.* Vt itaque nos doceret superus Magister, quemadmodùm ferre necessitatibus remedia debeamus, & quòd grauiori malo primùm sit occurrendum, *specialiter hunc vnum affatur, & curat, quia miserabilior fuit*, opemque præ alijs expetijt.

Fecit ea in re Dominus, quod solent, qui artis medicæ peritiâ gloriantur, de quibus S. Basilius Mag. homil. in illud, *Attende tibi*, sic ait: *Rei medicæ experientissimi imbecilliora corpora multò ante morbũ præmuniunt præseruatiuis, & salutaribus monitis.* Sic cœlestis Medicus ante omnes illum sanauit, qui triginta & octo annis laborârat morbo non corporis tantùm, verùm etiam animæ, grauiùsque animâ ægrotauerat, quàm corpore. Itaque *specialiter hunc vnum affatur, & curat, quia miserabilior fuit*, exemplo illo suo nos docens, quòd grauioribus vulneribus priùs mederi, & calamitati maiori, magisq; deploratis rebus celeriorem ferre opem debeamus.

Comparat Dominus apud Ieremiam populum suum ficui, quam Ierosolymis ablatam transplantauerit in Babylone, inquiens: *Sicut hæ ficus bonæ, sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, & ponam oculos meos super eos*; Ierem. 24. 5. 6. Sensus verborum Domini talis est, ac si dixisset: Ficus similem videre videor populum meum, quæ ex Iudæa in Babylonem translata, atque in illo alieno solo plantata fuerit, eamq; ob causam figam in illam oculos meos, & vigilantiore studio rebus illius attendam, qui tam ærumnosam vitam sub duris, & barbaris dominis agit. Cur verò ait Dominus, quòd singulari prouidentiâ saluti suorum prospicere, & oculos suos super eos ponere vellet, velut constitutum habuisset, obtutus suos ab omnibus auocare, & in illos solùm figere totos, & cæteris neglectis illorum vnicè curam habere?

S. Ambrosius, vt hanc soluat quæstionem, monet primùm animaduertere, quòd Dominus populum suum bonæ, & maturis fructibus oneratæ ficui comparauerit: Tùm ait, fecisse hoc cum illo populo (cùm ficus esse similem considerauit) quod eius prouidentia cum ficu, alijsque id genus arboribus agere solet, inquiens: *Quanta Domini prouidentia, vt vbi mollior fructus, ibi folij densitudo validius tegumentum tuendo deferat pomo! quod videmus in fructu ficulneæ. Delicatiora itaque validioribus munienda sunt, vt & ipse quoq; Dominus per Ieremiam docet, dicens: sicut ficus bona ista, sic recognoscam translatos Iudæ, & firmabo oculos meos super illos. Tanquàm delicatos enim velut quodam misericordiæ suæ validiori sepsit tegmine, ne teneri fructus maturiùs interirent.* Supremus naturæ Opifex attentâ suâ prouidentiâ fecit, vt quarum arborum sunt teneriores, & delicatiores fructus, earundem sint duriora, & ampliora folia, quæ tanquàm scuta illis obtendit contrà inimicos, à quibus infestari solent. Videre hoc est in viti, & ficulnea, quarum sunt mollicelli fructus, atque idcircò latioribus folijs obteguntur, & muniuntur, vt infirmitatis, & teneritudinis necessitate par sit cura, & studium fertuandi, & impenetrabiliore muro pars infirmior ciuitatis obsessæ valletur. Cùm ergo Dominus recogitaret populum suum quandam habere cum teneris, ac mollibus fructibus ficuum similitudinem, grauioribusque expositum esse periculis, validioribus illum suæ opitulationis, & protectionis folijs ornauit, curæque illius soliciiùs inuigilauit, cùm in Babylone ageret, quàm cùm Ierosolymis viueret. In Babylone Israëlitæ inter idololatras, homines barbaros, diuini nominis osores, & legibus illius infensos degebant, tantis periculis obnoxij, quot iniurijs expositi ficuum fructus, eaque propter ibi eos enixiore curâ custodiuit, & diligentiore operâ iuuit: *Tanquàm delicatos enim velut quodam misericordiæ suæ validiori sepsit tegmine, ne teneri fructus maturiùs interirent, fructus enim validus non multo indiget protectionis auxilio!* Populum ergo suum, cùm in Babylone oppressus graui seruitute suo intolerabili onere gemens opem suspiraret, vigilantiore prouidentiâ muniuit, quàm cùm Ierosolymis securus, ac tranquillus degeret, vt nobis insinuaret, ibi studiosiùs aduigilandum, vbi necessitas maioribus vocibus auxiliares manus implorat.

Melliflui Bernardi in exponendorum Canticorum opere venerabilis successor Gilbertus notauit diuersos modos, quibus Dominus atrium suum, ac thala-

thalamum Sponsæ custodisse ait. Atrium apud sanctum Lucam cap. 11. v. 21. *fortis armatus custodit:* At Sponsæ lectus vide quot habeat Cherubinos antistites, & conseruatores: *En lectulū Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum;* Cant. 3. 7. 8.

Dicit nunc Gilbertus: Quid sibi vult, quòd atrij custodiæ vnus tantùm armatus deputatur, apud lectum verò, in quo Sponsa somnum capere solita, tam frequens numerus virorum lectissimorum, & bellicis disciplinis excultissimorum excubat, vt omnem ab illo quietis loco temerarium inuasorem sui brachij robore, & animi magnitudine prohibeat, & & absterreat?

Respondet Gilbertus serm. 9. in Cantic. *Vberior hic commoratur custodia, quià vberior est gratia lectuli, quam atrij, & Sponsæ solicitudo maior, quàm possessionis.* Quod est atrij, & thalami, idem est custodum vtriusque discrimen. Per atrium significantur res terrenæ, temporales, caducæ, pedibus omnium transeuntium, non secùs ac domus atrium expositæ. Has custodire, quando necessitas postulat, bonum est, pari studio tamen, & curâ, ac æternæ,& cœlestes seruari non debent. Res enim perituræ vt exiguum habent pretium, sic non magnam requirunt custodiam. Verùm lectulus Salomonis,hoc est, anima hominis, in qua diuinus Salomon suauiter, & beneuolenter quiescit,sexaginta habet excubitores, eosque militari arte instructissimos,& plurimos Angelos custodes, qui illam sui præsidij munimine defendant. Ibi enim validiora debent esse propugnacula, vbi pretiosiora seruantur monilia. Nam cùm opulentiora bona crudelioribus soleant esse exposita persecutionibus, & copiosioribus diuitijs versutiores insidiari fures: Ità cùm lectus inter omnes res familiares maiorem haberet æstimationem, & venerationem, pluribus etiam custodibus muniendus fuit: *Vberior hic commoratur custodia, quià vberior est gratia.* Docemur eo exemplo, vt ijs maius, citiusque feramus subsidium,quorum acerbior casus hoc requirit.

Simile fuit quoddam magni disciplinæ militaris magistri Vegetij consilium, qui lib. 3. cap. 6. sic ait: *Illud præcipuè seruandum est, vt ea pars, ad quam hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitibus, & leui armaturâ, nec non etiam peditibus sagittarijs muniatur.* Contrà rectam enim pugnandi rationem esset, ibi firmissimum exercitus robur collocare, vbi hostilium copiarum irruptio minimè timetur, contràque prudentiæ leges ageret, qui suam aciem ità ordinârit. Prudentia namque docet, ibi maiore auxiliorum vi occurrendum, vbi grauior necessitas vocibus maioribus id postulat, & periculosioribus vulneribus velociùs adhibendam medicinam.

Admirabilis est curà, & solicitudo, quam S. Iob, teste Scripturâ,in suos liberos conferebat. *Nam consurgens diluculò offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus;* Iob cap. 1. 5. Quonam antelucana illa, & quotidiana holocaustorum oblatio ibat? Eò,vt Dominus ijs exoratus liberos eius ab omnibus peccatis, quæ cogitatu perpetrari possent, seruaret. Verùm cùm & verbo, & opere peccare etiam possent, cur non æquè obsecrauit,vt ab omnibus oris,& operum flagitijs simul custodirentur? Cur hoc vnum vnicè illum solicitum habuit, ne blasphemis cogitationibus Deum liberi offenderent, & animas suas fœdarent?

Respondet S. Basilius Magnus in caten. græc. orat. de pauperibus amandis,inquiens: *Meritò hic iustus de peccato, quòd est in latebris, in recessu, verebatur. Quæ enim corpore administrantur, tempore, atque opportunitate opus habent, mentis verò, cogitationisque motiones momento efficiuntur, sine labore absoluuntur, improuisò, & absque negotio conformantur, nullum est eis tempus importunum. Vbi autem subitus est casus, & obscurus, illic metum, & cautionem maiorem esse oportet. Id cùm Iobus intelligeret, ad hoc peccati genus expiandum sacrificijs vtebatur.* Non ignorabat S. Iob, in verbis etiam, & factis esse peccata. Sed neque hoc nesciebat, quòd illa non tam leuiter perpetrantur,vt à quibus sæpè temporis importunitas, vel aspectus hominum, pudorque prohibeant. At cogitationum peccata nullum habent vel impedimentum, vel tempus incommodum, momentoque committuntur, & solum Deum habent arbitrum. Malum verò, quod tam subitò fit, & ibi fit, vbi solus Deus videt, metum, cautionemque maiorem requirit. Et ideò sanctus Patiens primulo diluculo è strato suo exiliens Deum supplex cursu petebat, rogabatque, vt ne liberos nefarijs cogitationibus contaminari permitteret. Huc lachrymæ illius conuertebantur,huc iugis holocaustorum oblatio, huc pertinax precandi studium respiciebat, cùm sciret maius esse secretis cogitationibus peccandi periculum. Ità docuit nos,*quod vbi subitus est casus, & obscurus, illic metum, & cautionem maiorem esse oportet.*

Eandem doctrinam tradidit S. Gregorius Nyssenus in Orat. de pauperibus amand. inquiens: *Cùm omnes pauperes fouendi, adiuuandiq; sint, tùm illi, qui ægroti, præcipuè sunt complectendi.* Quando penuria opem inclamat,& multæ simul concurrunt necessitates,tunc rebus magis afflictis promptiore subsidio est succurrendum. Petit stipem pauper,cui valetudo integra, petit mendicus alius, quem egestas simul, & ægritudo miserum habent. Certum est, quòd egenti infirmo citiùs est opitulandum, quàm sano, & incolumi, hic enim varias adire domos potest, & inuenire remedium in aliqua posteriore, quam non reperit fortè in prioribus: At infirmus, quem lecto affixum sua ægritudo tenet, non potest eam adhibere diligentiam,quam alius,qui per vires obire compita,& vocibus leuamen suæ inopiæ deposcere valet. Ergo illi manus auxiliares antè porrigendæ, quàm huic, eò quòd rationi maximè consentaneum sit, primam curam habere eorum, quorum necessitas eam requirit.

Hæc eò dixi, vt Politicus noster, cùm variæ se illi offerunt subleuandæ necessitates,eò primùm accurrat, vbi maioribus vocibus misericordia illius,& beneficentia imploratur, certum enim est celeriore studio, & enixiore diligentiâ periculosioribus malis consulendum.

*Parte I. Politici lib. 3. c. 7. & alijs in locis ad finem Capitis annotatis eandem rem tractat.*

## CAPVT IV.

*Tam expeditè, inhianterq; prosequimur res nobis noxias, acsi in illis tota vitæ nostræ salus posita esset, ad salutaria verò tam tardè mouemur, tanquàm exitij nostri, interitusq; supremi causa essent.*

VT quidam domesticorum sancti Patriarchæ nostri sua idola, falsosque deos à se abdicarent,his eos verbis excitabat: *Abijcite deos alienos, & surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo;* Genes. 35. 2. 3. Surgere eos iubebat, tanquàm somno pressi decubuissent, & in Bethel ascendere, atque ibi rem saluti animatum conducibilissimam facere. Non miror, quòd beatissimus Patriarcha sic fuit locutus ad suos, semper enim homines mortali somno occupatos inueniamus, cùm fortè aliquid operis, quod ad Dei cultum, & animarum vtilitatem spectat, faciendum, vt necessum sit crebris vocibus eos excitare. Et ascendere iubentur, qui virtutis studio operam sunt nauaturi (*Ascendamus*) quià omnis pro Deo, & anima susceptus labor videtur mons præcelsus, in quem nonnisi per confragosam, & valde accliuem, arduamque viam tam ægrè perueniamus, acsi ingenti saxo prægrauati simus. Aliter sanè, atque cùm voluptates, & delitias consectamur, nam tametsi multæ sint difficultates, quæ se nobis opponant, multa incommoda, quæ per viam obijciant, omnia facilè superamus,omnia contemnimus, omnia leuiter transimus,vt voluptatem consequamur quam prosequimur. Hæc est nostra miseria, vt ad noxia plerumque aquilæ simus, testitudines ad salutaria.

Narrat sanctus Matthæus Euangelista diligentiam, & religiosum studium earum mulierum, quæ venerunt ad sepulchrum, vbi putabant iacere mortuum cœlestis Magistri corpus, quo tempore horribilis quidam terræ motus fuit. *Vespere autem sabbati,* inquit, *quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus;* Matth. 28. 1.

Sanctus Petrus Chrysologus diligenter expendit duo, quæ Euangelista refert, nimirum serò venisse illas ad sepulchrum, in quo vita posita erat, & horrendo motu concussam terram, cùm in eo itinere illæ positæ Dominum requirebant. Iurassem ego, inquit ille, quòd velut impeditis pedibus tardæ venturæ, & terræ motus, aliæque tales difficultates illis occursuræ essent per viam, quâ ad officium pietatis contendebant. *Serò mulier currit ad veniam, quæ maturè cucurrit ad culpam, vespere quærit Christum, quæ in matutinis se nouerat Adam perdidisse,* ait ille serm. 74. Quantum ex sacro textu colligi potest, primi hominis peccatum,ad quod illum mulier impulit, multò antè vesperum perpetratum fuit, à prandio enim venit Dominus exactum rationem prætermissæ obedientiæ, & violati præcepti, audierunt namque Protoparentes *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem,* vt dicitur Genes. 3. 8. Secundùm hæc etiam dici potest, quòd serpens multo mane fraudem struere mulieri cœpit. Notandum præterea quàm tranquilla, & quieta fuerint omnia in illo amœnissimo loco, vbi solus dominicorum pedum sublenis strepitus,& vocis sonus tam facilè auditus fuit, qui & fecit, vt inter arborum opaca,& densa frondium transgressores se absconderent.

Dicit nunc Chrysologus: Videte discrimen, quod est inter vitam, & mortem, inter gratiam, & culpam, inter theriacam, & venenum. Ad mortem,ad culpam, ad venenum cum prima luce mulier festinat, ad arborem,vbi erat sepulchrum, diluculò, & antè

solem

ſolem properat. Cùm Adam ad fructum vetitum liberam extenderet manum, nihil fuit, quod illum impediret, & neque terra contremuit, neque motus paradiſus fuit, omnia in promptu, & ad manum fuerunt, nulloque negotio actum eſt, vt dæmon per ſerpentem loqueretur, mulier viro malum ſuaderet, vir mulieri obtemperaret. At cùm velut in imagine repræſentatur damni per dæmonis fraudem illati reſtauratio, quæ tunc fieri cœpit, quando mulier quærere ſepulchrum venit, dicite mihi quo tempore veniſſe eam putatis? *Veſpere ſabbati* venit, ſerò, ac de nocte venit, & tunc vehemens terræ motus, & horrenda concuſſio fuit. Hac re ſignificabatur, quòd ad cultum Dei, ad curam ſalutis animarum plerumque tardè, cunctanterque, & plumbeis pedibus venimus, quòdque terræ motus impedimentorum, variarumque difficultatum excitari ſolent, cùm bonæ vitæ ineundæ conſilia concipimus, & perfectionis itineri accingimur. *Serò currit ad veniam, quæ manè cucurrit ad culpam. Veſpere quærit Chriſtum, quæ in matutinis Adam ſe nouerat perdidiſſe. Modò terræ motus magnus. Sed vitijs ſemper ſeruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò auſtera, & fortia ſunt amica.* Hæc iterùm Chryſologus. Illud miſerum, ac miſerandum, quòd ad peccatum, ex quo mors nobis naſcitur, ſemper impigri, expediti, vigilantes, hilares ſumus, ſic vt nihil nobis difficile occurrat, quo ab illo deterreamur: Verùm ad opera charitatis, vel cuiuſcunque alterius virtutis, ad remedia animæ conquirenda, & ſalutem illius curandam tardè accedimus, & ægrè adducimur, quià ignauiter, torpenterque progredimur, cùmque ad eiuſmodi opera mouere pedes incipimꝰ, mox tremores, motusque terræ excitantur, totique montes difficultatum per viam ſe nobis obijciunt, vt facillimè, quod cœptum relinquamus.

Philo Iudæus in lib. de Cherub. ait: *Quod fieri debet, fit ſæpè vt non debet, & quod non eſt officium, interdum fit officiosè.* Feruenter plerumque agitur, quod remiſsè, oſcitanterque agi ſatis erat. Sic & ſæpè perſtudiosè, ac ſolicitè fit, quod intermitti prorſùm debebat. Ad vitium ferè vento celeriores, & aquilis perniciores ſumus, ad quod tamen ferro duriores, grauiores plumbo, vel arenâ eſſe deberemus. Ad virtutem cùm expromptiſſimi, ac velociſſimi eſſe deberemus, impeditiſſimi, & tardiſſimi ſumus. O miſeræ, & deprauatæ naturæ noſtræ commune vitium, quo fit, vt ad pernitiem agiles, torpentes ad ſalutaria remedia ſimus!

Apud Oſeam explicabat Dominus fauores, quibus animam quandam proſequi, & modum, quo illam oblectare, ac recreare vellet, inquiens: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*; Oſe. 2. 14.

Benè recepta eſt, quorundam lectio, apud quos illud, *Ducam*, ſic habet, *Seducam eam* in ſolitudinē, ich wil ſie fuhren/ vnd ver fuhren/ ac, ſubeſtque myſterium illi translationi, & hic ſenſus: Circumueniam fraude animam, quam in ſolitudine indulgenter habere, & recreare volo. Itané verò illam falles, ac decipies? *Seducam eam*, inquit. At quonam charam illam ſponſam abduces, mi dulciſſime Domine, vt dolo ad hanc rem vti ſit neceſſum? Fortean idcircò in eremi receſſus abducis, vt ſanguinem eius fundas, & vitam illi adimas. Si excarnificare illam, ſi tormentis diſtrahere, donec artuum compages ſoluantur, propoſitum habes, non mirabor, quòd per fallacias eam abſtrahas in locum, vbi tam horrendos eſt ſubitura cruciatus. Reſpondet Dominus: Non eò vadunt mea conſilia, vt in ſolitudinem abductæ mali quidquam irrogem, ſed *loquar ad cor eius, lactabo eam*, delitiarum mearum vbera illi præbebo, & torrente voluptatis meæ potabo illam, & ſuggeram ei, quæcunque è re ipſius, & ſalute animæ æternâ ſunt, commoda illius ſpiritualia, & profectum vnicè curabo.

Ergoné fraus ad eam rem conficiendam adhibenda fuit? Audi Oleaſtrum in c. 12. Geneſ. in Annot. morali: *Expende verbum, ſeduco*, inquit ille, *& conſidera, quòd etiam ad ea, quæ nobis maximè vtilia ſunt, oportet Deum nos ſeducere.* Res mira! Quemadmodùm medici, & nutrices vario aſtu ſeducere, & adducere pueros, aliosque ægros debent, vt medicinas ſalutares, & inſtaurandæ ſaluti perneceſſarias hauriant, ſæpèq; magnis precibus vix obtinent, vt ſumant ægri, quod ipſi vehementer, & pertinaciter, donec exobſecrarent, petere deberent: Ita Deus ſeducere, circumſcribere dolo animam debet, vt ei ad cor loqui, & neceſſaria ſalutis æternæ monita dare poſſit. *Seducam eam.* Via, quæ ad tractandum animæ negotia ducit, tam aſpera, & ardua, & accliuis eſt homini, & omne de procurando ſpirituali remedio colloquium tam ingratum, & amarum, vt neceſſarium videatur agere cum illo ad eum modum, quo cum pueris nondum rationis vſu præditis, aut cum ægris deliris agi ſolet, vt hoc agant, quod vitæ conſeruandæ neceſſitas ab eis poſtulat: *Ad ea, quæ nobis maximè vtilia ſunt, oportet Deum nos ſeducere.*

Magna hæc eſt miſeræ naturæ noſtræ infelicitas, quod ad ea, quæ nobis conuenientiſſima, & ex vſu

noſtræ

noſtræ ſalutis æternæ ſunt, tam vario artificio, & dolo, & ſolertiâ perduci debemus, cùm in ea, quæ nobis damnoſa ſunt, & exitiabilia, nos ipſi haud difficile, ſe leuiter, ac præcipitanter nos ingurgitemus. In quam rem ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 28. ſic ait: *Facilius ſemper eſt labefacere, ac perdere, quàm conſeruare.. Et labore quidem homo gignitur, quemadmodùm ait Iob, & nauis extruitur, & domus ædificatur: Interficere autem, aut euertere, aut incendere quiuis facilè poteſt.* Edere ſtragem cuiuis etiam non admodùm forti promptum eſt, at ſoſpitare interituros vix ſtrenuus quiſquam poteſt. Quanto laborum ſumptu educatur homo! quanto lignorũ, numorum, ac temporis impendio excitatur domus, conſtruitur vaſta nauis! At quàm leuiter eripitur homini vita, vertitur in fauillas domus, & hauritur fluctibus nauis! Vnum vulnus, vna ſcintilla, vna procella occidit, exurit, ſorbet, idq́; momento vno, in quæ tantas curas, ſolicitudines, impenſas collocare neceſſum fuit. Ità ſe habent bonum, & malum, virtus, & vitium, inquit Nazianzenus. Ad faciendum aliquod bonum opus tantum aliquando laboris neceſſarium nobis miſeris homuncionibus videtur, quantum conſtructio ingentis domus, aut nauis requirit. Pietatis, aut miſericordiæ exercitatio tam grauis nobis aliquando accidit, quàm moleſta matribus educatio liberorum. Sceleris autem perpetratio, & qualiſcunque malæ cupiditatis expletio tam leuis nobis videtur, quàm facilis eſt occiſio hominis, exuſtio domus, fractio, & ſubmerſio nauis. Nullo negotio euertitur, quod permagno ægrè fuit excitatum. Sic homo leuiſſimè diſſipat ſubſtantiam animę ſuæ, & prodigit ornamenta gratiæ, cultum virtutum, theſaurum omnium meritorum, quæ ſine Deo, quem offendit, nec ægrè quidem recuperare poſſit, vel ſi omnes naturæ ſuæ vires, & totius vitæ ſtudia eò vertat.

Dignum notatu eſt, quod Redemptori noſtro cum Diſcipulis ſuis ſemel, & iterùm accidit. Frequens quædam hominum turba cœleſtis doctrinæ eius ſuauitate abrepta illum aliquando ſequebatur. Volebat illis miniſtrare alimoniam, & dapſilem inſtruere menſam. Communicabat autem cum Philippo de loco, vnde neceſſarius victui panis adferri poſſet. Adducebat humeros, & ſupercilium Apoſtolus, & hoc alienum à re, qua de interrogatus fuerat, reſponſum dabat, inquiens: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſq; modicum quid accipiat*; Iohãn. cap. 6. verſ. 7. Non pecuniam à Philippo, ſed conſilium expetebat Dominus, & ille reſpondet, ducentos denarios non ſat eſſe coëmendis panibus, ex quibus ſuum vnicuilibet fruſtillum obueniat. Andreas monebat, adeſſe puerum, qui duos piſces, & panes hordaceos quinque haberet, ſubiungebat tamen: *Sed hæc quid inter tantos?* ibid. v. 9. Res mira! Cùm de leuanda famelicorum eſurie agitur, plerique quidem Apoſtolorum velut attoniti, & inopes omnis conſilij mutent, duo autem, qui ex eis loquebantur, videbantur magis auocare animum Magiſtri à bono curandæ neceſſitatis propoſito, quàm ad ferendam miſeris opem excitare.

Hoc ità conſtituto notate aliud. Nocte cœnæ dicebat Diſcipulis, nunquàm eis defuiſſe aliquid, & illi ipſi fatebantur, ità rem habere. Addebat autem ſtatim: *Qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium*; Lucæ 22. v. 36. Vix audierunt talia Diſcipuli, quando promptè, ac ſubitò omnes ſuclamârunt: *Ecce duo gladij hic*; ibid. v. 38.

Ioannes Cluniacenſis dum hæc ab Apoſtolis vtrobique & geſta, & dicta expenderet, aiebat ſerm. 59. Tom. 3. *Mira profectò res! Cùm de cibo agitur, Diſcipuli vel tacent, vel difficultates objiciunt, cùm verò de gladio, omnes de improuiſo dicunt, Ecce duo gladij hic.* Quando miſericordiæ officio danda opera, quando famelicis miniſtranda erat annona, quando egenorum ſubueniendum neceſſitati, vel prorsùm tacent Diſcipuli, vel talia loquuntur, ac tot objiciunt impedimenta, vt magis remorari velle Domini liberalitatem, quàm incitare viderentur. Cùm verò ferri, gladij, armorum, quibus cædes eduntur, & damna infliguntur extrema, fieri mentionem audiuiſſent, tam prompti, alacresque effecti ſunt, vt ſimul & gladij vocabulum auribus hauſerint, & vociferari certatim cœperint: *Ecce duo gladij hic.* Quid verò dicemus, videntes homines tam impeditos ad miniſtrandum panem, tam promptos ad corripiendum gladium, tam tardos ad vitam, tam præcipites ad mortem, vt taceant leuandæ famis conſilium rogati, & animoſè ad arma proſiliant, cùm decertandum putarent, auari ad dandum egenis panem, prolixi ad inferendam gladio hoſtibus necem? Quid dicemus? Aliud ego dicere non poſſum, quàm ab hominibus ſuæ natiuæ conditioni, propenſioni, & cõſultationi relictis hoc ſolùm ſperari potuiſſe, quòd conciti eſſent ad inferenda damna, tardi ad conferenda beneficia, prompti ad mortem, impediti ad vitam. Si de vitæ, quam homines ducunt, communi conſuetudine cenſere eos velis, dicere queas, ad vitium

ventis esse leuiores, montibus grauiores ad virtutem.

Conceptionem, & natiuitatem vitiorum describit Propheta Regius verbis, quæ intellectu, & explicatu sint perdifficilia. *Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, inquit Psal. 7. 15.

Sanctus Basilius Magnus in illius Psalmi cõmentario de his verbis sic disserit: *Quoad huius sententia ordinem attinet, confusaneus videtur esse dictionum contextus. Quoniam grauida primùm quidem concipiunt, deinde parturiunt, postremò pariunt: Hic parturigo primum sortitur locum, dein conceptio, demùm partus.* Quomodo hîc peruertitur ordo, vt conceptione prior sit parturigo, quæ alioquin sequi illam solet?

Respondet sanctus Doctor: *Ordo hic significantissimè explicat cordis conceptionem.* Magno mysterio factum, quòd Propheta, dùm culpæ natiuitatem describit, esse modum illius contrarium ordini, quo nasci viuentia solent, ostendit, vt indicaret, multò aliter illam ac hominem generari. Dies plusculi abeunt, priusquàm homo animetur, & menses longuli, antequàm in lucem edatur, & priusquàm adolescat, & in virilem ætatem proficiat, non anni tantùm multi decurrunt, sed & labores plures exantlare est necessum. Culpæ verò generatio tam subitaria est, ac momentanea, tamq; facilè, & leuiter perficitur, vt priùs nata, quàm concepta, ante perfecta, quàm inchoata videatur. Hac autem re admirabiliter exprimitur, quanta sit hominum ad perpetrandũ scelus, ad committendum culpam promptitudo, & celeritas, vt qui sæpè iam edidisse flagitium videatur, quando illius perpetrandi consilium vix animo conceperit! *Ordo hic significantissimè explicat cordis conceptionem*, quæ talis sit, vt paritudinem, ipsumque adeò partum consequi conceptio sæpè videatur, cùm in alijs rebus semper præcedat. Hinc arbitrari licet nostram miseriam, qui ex vitiatæ nostræ praua inclinatione tam agiles sumus ad vitia, tam languidi, & torpidi ad virtutes.

De quadam planta, cuius fructus admodùm sint amari (cucumeres syluestres vulgò appellant) authar anonymus collectaneorum hieroglyphicorum lib. 6. tit. *Laudabilia* refert, hanc admirabilem habere proprietatem, vt iuxtà vas olei posita resiliat, & sese contrahat, velut illud fugiat, sic vt tandem prorsùm consummatur, sed è vicino vrceoli aquâ pleni locata se quasi ad reuerentiam submittat, tantumq; dilatet, & extendat, tanquàm omnem aquam haurire velit. Hoc autor, quem dixi, his verbis reddidit: *Vase aquâ pleno fructui applicato non solùm sese inclinare dicunt, sed etiam illam quasi absorbere, atque consumere; contrà verò, si oleum eodem modo admoueatur, illud, contrahendo se, respuere, ac incuruatum tandem tabescere.*

Naturæ miraculum dignum certè expensione, & consideratione. Fructus itaque est, qui aquam tam vehementer appetit, vt illam inclinatus quasi veneretur, & auidissimè appetat, oleum verò quibus potest modis vitet, ac defugiat. Simile quoddam miraculum apud homines videre licet, cui tamen admirationem frequentia ademerit. Quid in sacris literis aqua significat? Delitias mundanas, & fluxas carnis voluptates. Docent hoc ex autoribus sacris, & profanis Pierius, Ricciardus, Ioannes de Sancto Geminiano, & Lauretus. Ratio comparationis ea est, quòd velut aquæ celeriter defluunt, itâ & vitæ huius voluptates velociter prætereunt. De oleo notorium, quòd in libris humanis æquè, ac diuinis sit symbolum operum charitatis, ac misericordiæ.

Secundùm hæc nemo admirabitur illum fructum, quòd ad oleum quidem se contrahat, ad aquam verò sese explicet, & cupidè extendat, qui considerauerit, vsitatissimum hoc esse mundanis hominibus, vt ad oleum se contrahant, hoc est, angantur animis, & contabescant, quando alicui charitatis, aut misericordiæ officio danda opera: *Si oleum admoueatur, illud, quasi contrahendo se, respuere, ac incuruatum tabescere videas.* Quàm sunt res angustæ domi, vt quidem dicunt homines alioquin peropulenti, cùm rogantur, vt opitulentur pauperi, Xenodochio stipem conferant, Missam ad Dei honorem dici curent, nudum aliquem vestiant! Quàm varijs, & magnis modis ab erogatione eleemosynarum, & exercitatione in egentes misericordiæ se purgant, & excusant! Perijt mundus, aiunt queruli, patria omnis vastata est, census annuos onerare debitis necessitas propria cogit, grauiora vectigalia, & intolerabiliora tributa sæculum superius nullum soluit, caritas rerum omnium, quæ ad victum, vestitumque pertinet, summa vix sinit dignam genere vitam degere. Et quis dicendo recensere omnia possit, quæ Religiosis suarum necessitatum remedium petentibus oggrunire tales solent? Vt iam prætermittendorum misericordiæ operum causas comminiscuntur, sic & fingunt rationes, ob quas à ieiuniorum obseruantia, aliorumque pœnalium operum vsu se immunes volunt. Sic ergò oleum defugiunt. Et quomodo ergà aquam se habent? Mirum visu est, quàm latè se in illam

illam effundant, quàm floccipendant quidquid sumptuum in malas voluptates, in vanitates,& delitias, in ornamenta vilis amiculæ expendant. Ad lusum, ad sumendam vindictam nunquàm vel dolet caput, vel desunt numi, ad obtrectandum semper abundat tempus, à murmurando nec hyberna frigora, nec æstiui soles impediunt: Verùm vt ne ad Rosario-Marianas comprecationes, Missas, conciones sacras, aliaque exercitia spiritualia pergant, tam multis, & grauibus causis detinentur, vt in nullo Baldo, vel Acursio pares facilè reperire queas. Quot ægritudines prætexunt, quibus se ab operum bonorum studio excusent! Et tamen noctes integras per compita vagari, totumq; annum,& vitam omnem inter tenebrarum opera operosa plerumque, & periculosa exigere non curant, neque timent, verè martyres dæmonis, & misera suarum sordidarum cupiditatum mancipia. Exclamare cum Cassiodoro lib. 5. epist. 45. possumus, ac dicere: *Heu mundi error dolendus!* Heu vani sæculi miseranda stultitia! Tam impediti sunt ad suam salutem homines, tam citi ad pernitiem, vt velut celeribus equis ad suum præcipitium contendant, ad benè agendum autem vix pedetentim progrediantur. Ad procurandam sibi mortem aquilis velociùs abripitur homo, ad vitam comparandam ne testitudineis quidem fertur pedibus.

Non sit Politicus noster talis, vt vili numero cucumerum, siue cucurbitarum syluestrium mereatur adscribi. Caueat ne apud Hispanos *Calabaza*, hoc est, *Concurbita*, siue mentis inops audiat. Stultitiam autem suam nemo euidentiùs prodit, quàm qui ad suum exitium rapidus volat, & ad vitam immortalem lentus, & somnolentus languido passu pergit.

*Vide in I. P. Polit. lib. 5. c. 3. & lib. 2. cap. 4. & Tom. 2. Persocham III. Dominica II. post Pentecosten, pag. 98. c. 2. o. & quæ ibi ad calcem annotaui.*

## CAPVT V.

*Adorare, & confiteri Deum, qui vnus sit, non solùm magis est salutare, sed etiam minùs laboriosum.*

EDictum illud sancti Patriarchæ, *Abijcite deos alienos*, non tantùm ad ipsius æternam salutem, verùm etiam ad quietem temporalem faciebat. Palàm est, quòd absque confessione, & adoratione veri Dei nemo saluari potest. Itaque necessum est omnem à se abdicare falsorum deorum cultum, & religionem. Ex hac abdicatione, præter varias vtilitates, habemus id solatij, quod commodè, perfacilèq; vni Deo seruire possumus, cui ex hoc capite etiam leuiùs, minoreq; negotio famulamur, quòd ille omnes suas leges ad amussim rectæ rationis, & iustitiæ struat, quarum vt est cognitio obuia, sic & obseruatio parùm operosa. Videre est homines, qui aliquibus in domibus pro exigua mercede seruire mauelint, vbi vnus tantùm sit dominus, cuius voluntati obsequi, & obtemperare iussioni debeant, quàm in alijs, vbi salarium multò maius, sed plures domini, quibus gratificari oporteat. Inter innumera ergò bona, quæ ex bono Deo nostro habemus, vnum est, quòd ipse sit vnus, vnamque habeat & legem, secundùm quam viuere debeamus, & voluntatem vnam, quâ nos seruos suos æternùm beatos viuere cupiat.

Cùm legem Israëlitici populi ductor promulgaret, aiebat: *Audi Israël, & obserua, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus*; Deut. 6. 3. & immortali Deo immortales pro tanto traditæ legis beneficio gratias age. At videamus, in quo istius gratiæ magnitudo posita sit, aut vnde agnosci possit, vt quâ maximâ possumus gratitudine illam prosequi valeamus. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*; ibid. v. 4. Ergòné nihil aliud erat, quò validiùs obligare, aut permouere potentiùs Israëlitas ad obseruantiam dominicorum præceptorum Moyses poterat, quàm vt diceret, *Dominus noster Deus vnus est?* Non poterat illis Deum commendare ab immensitate, infinitate, æternitate, omnipotentia, alijsque eiusdem sacræ essentiæ splendidissimis attributis? Non poterat prædicare illius prolixitatem, & condonandorum scelerum facilitatem, & paternam in omnes pietatem? Quamobrem his omnibus prætermissis, illud vnum, solum commemorandum ad eorum consolationem putauit, quòd Domino seruirent, qui vnus, ac solus esset, vnamq; tantùm voluntatem haberet, cui parere, & gerere morem deberent? *Dominus Deus noster, Dominus vnus est.*

Ad hoc responderi potest ex dictis, illius esse leuissimum, tolerabilissimum, facillimum famulatum, qui vnum tantùm dominum inuenit, cui seruire debeat, & gratificari. Vt ergò Moyses populum suum excitaret ad seruiendum Deo, seruandumque eius mandata cum alacritate,& hilaritate, quanquàm alias causas adferre posset, huius tamen commemoratione vehementissimè extimulari, & artissimè obligari posse existimauit, quòd vnus tantùm Dominus esset, cui seruire deberent. Nam multis seruire, quan-

quanquàm pro diuite remuneratione, intolerabilis seruitus est, vni autem famulari, etiam pro exigua mercedula, lucrosissimum est. Propterea Moyses, vt illi non grauatè susciperent seruitutem Dei, charumque talem Dominum haberent, ait, vnum illum esse, quod perinde fuit, ac si dixisset, tametsi illa sacrosancta Deitas nihil aliud boni haberet, quàm quòd vna est, id satis esse, vt libentissimè illi, & studiosissimè seruiatur.

Huc iuisse Oleastri cogitatio videtur, quando in Annot. morali in c. 6. Deut. ait: *Considera à quot laboribus nos Deus eripuit. Difficilè est multis domini seruire, quantò magis dijs? Ne ergò labores, ô homo, in multorum deorum tam diuersa poscentium cultura, ostendit tibi Deus tuus suam vnitatem. Nemo, ait Christus, potest duobus dominis seruire, neq; fortiùs duobus, aut pluribus dijs, quos triginta millia in orbe fuisse, historiæ produnt. Vide ergò quomodo pauper homo, qui vni Deo vix sufficit, posset triginta millibus ministrare.* Ergò leuis, & nihil operosa est seruitus, quâ vni Deo addicti sumus, cuius vna est voluntas, maximè ea, quâ obnoxij vero Deo sumus, cuius tam blandæ sunt leges, & suauia mandata.

Voluit Abimelech tribulibus suis, & consanguineis significare, quàm vtile ac necessarium eis esset, vnum habere caput, à quo regerentur, vnum belli moderatorem, qui ipsis in pugna præiret. Vt verò sibi ducatum, præfecturamque militarem vrbis Sichem exambiret, aiebat: *Quid vobis est melius, vt dominentur vestri septuaginta viri, omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vnus vir? Simulq; considerate, quòd os vestrum, & caro vestra sum;* Iud. 9. 2.

Abulensis dicit, fuisse hanc præmodùm efficacem persuasionem, quæ fecit, vt copiarum suarum ductorem supremum statim illum Sichimitæ renuntiarent, paribusque vocibus dicerent: *Frater noster est, dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit;* ibid. v. 4. vt colligere militem posset, quando res exposceret. Territi fuerunt Sichimitæ, quando audierunt, quòd septuaginta dominos habituri essent, quibus seruirent. *Habere septuaginta viros* (inquit Tostatus in c. 9. Iud.) *in dominos, laboriosum est, & intolerabile, quià quilibet iubebit, etiam quià omnes extorquebunt aliquid à populo, & vt omnibus prouideatur, necesse erit fieri magnas extorsiones, & depauperationes.* Non potuit ratione validiore permouere Sichimitas Abimelech, vt ipsum imperatorem sui exercitus supremum facerent, quàm vt diceret, vni soli seruituros esse, eiq; fratri, & consanguineo intimo, aut certè nisi ipsi præfecturam militiæ summam concederent, septuaginta dominis obtemperaturos, quod illis durum, & suprà quàm graue futurum esset. Nam si quilibet dominorum multa vno tempore mandaret, eaque diuersa ab ijs, quæ alter præciperet, dicito mihi quomodo satisfieri voluntati singulorum posset? Quænam tanto labori pares vires essent? Humanæ certè faciendo non essent. Hinc ergò nostra Catholicorum ingens felicitas æstimari potest, & immensum bonum, quo gaudemus, qui vnum solum Deum habemus, cui famulari, vnum solum Dominum, cui gratificari debeamus. *Dominus Deus noster, Dominus vnus est,* cui maiore iure dicere possumus, quàm Sichimitæ Abimelecho, *Frater noster est.* Quando a. idem & Dominus noster est, & frater, omnis felicitas concurrit, & coëunt societatem ea, ob quæ suauior, beneuolentiorq; noster dominus esse debeat.

Hoc argumento Tertullianus arguit ingratitudinis eos Christianos, qui non promptissimè obsequuntur mandatis Dei, & exequuntur quæcunque ille facere præcepit. In lib. de Patient. c. 4. sic habet: *Meliora ergò nobis erunt in obsequij disciplina, quæ nobis Deus subdidit? Agnoscunt denique, quæ obediunt, nos, qui soli subditi sumus Domino, scilicet auscultare dubitabimus?* Res sanè deploranda est, quòd brutæ pecudes obedientiæ promptitudine homines superant. Ille solùm nouerunt obtemperare, nec aliud agunt, quam vt domino cuicunque obsequantur, & cùm fiat, quòd eodem tempore multos habeant, omnibus seruire debent, vsque dum rumpantur, & ampliùs non possint: Et nos Christiani, quibus hæc optatissima sors obuenit, vt præter vnum Dominum non habeamus alium, cur non illi magna cum voluptate, & hilaritate seruiamus?

In hanc rem sic scribit magni Africani insignis interpres Cerda: *Si bestiæ, quæ natæ sunt tantùm ad obediendum, non ad imperandum, tamen agnoscunt obsequia, quæ præstant infinitis dominis (nam tot habent, quot sunt homines) nos dubitamus vni soli parere, cui subditi tantùm sumus? Ah pudor!* Certè postquàm seruituti ex conditione nostra addicti sumus, commodior, faciliorq; nobis obtingere non potuit, quàm quòd illi famulamur, qui & vnus est, & amantissimus pater, & perliberalis, & tam discretus, vt hoc solùm præcipiat, quod leuiter facere possumus, & sæpè bonam oneris impositi partem leuet, & dissimulet, si quid fortè non satis æquè toleremus.

Videat ergò Politicus noster, quidnam sibi vtilius putet, famularine vni Domino, an seruire multis.

ris. Beatius illi fuerit, vnius Domini voluntati morem gerere, in quo reperire poteſt, quidquid expetiſſere. Qui ſuis appetitibus ſeruit, miſerrimum mancipium eſt, vt qui ſe tot tyrannicorum dominorum poteſtati ſubmittit. Qui ceruicem iugo dæmonis, mundi carnis accommodat, is mediaſtinorum extremorum infeliciſſimus eſt, tot impiorum dominorum voluntati ſe addicens, qui poſtquàm duris, ac diuturnis laboribus miſeros vernas ſuos obtriuerunt, nihil illis relinquunt, niſi perpetuos dolores, & remorſum conſcientiæ, qui tanquàm ſæuus carnifex continuo laniatu concerpit, & affligat. Summa miſeriarum eſt ſeruire multùm, & proficere parùm, quando & ipſa per ſe ſeruitus eſt grandis miſeria. At ſi vni domino ſeruire magna miſeria eſt, ſeruire pluribus, nec quidquam obtinere, ſed ipſa ſeruitute conſumi quanta erit calamitas, & ærumna? Sed quoniam neceſſum eſt ſeruire, quænam excogitari felicitas maior poteſt, quàm incidere in dominum, qui vnus ſit, & vnius voluntatis, & profectum optet eorum, quos habet ab officijs, immò & ſeruis ſuis, cùm neceſſitas poſtulat, ipſe ſeruiat. Et quæ beatitas maior, quàm illi famulari, qui breuem ſeruitutem prolixâ mercede cõpenſat, & horarium officium æterno præmio remunerat? Hæc omnia ſeruus Dei in magno ſuo Domino habet, qui vnus eſt, & tam humilis, vt cùm eſſet Creator, creaturæ ſuæ factus ſit miniſter. In illo reperitur quidquid excogitari, & exoptari poteſt. Ille nãque eſt ſalus, ſaluator, ſalutaris medicina, vita, cibus, alimonia. Ille tam generosè gratus eſt, vt præmia ſempiterna pro temporalibus, exiguiſq; officijs rependat. Quis ergo tam ſtolidus, & perditus eſſe poſſit, qui nolit ſeruire Domino, à cuius magnitudine alij Domini quos diximus infinitum diſtant, niſi quòd ſæui carnifices ſunt, & crudeles tyranni magis, quàm domini, ſi cum illo comparentur?

*Non parùm affinia ſunt his, quæ I. Parte Politici lib. 8. c. 2. & alijs in locis ad finem illius Capitis ſubſcriptis tractantur.*

## CAPVT VI.

*Cùm homo ſuarum opum facultates pro Deo relinquit, hoc à vero, & ſyncero amore fieri videtur, ſolet enim homini non alius talis deus eſſe, qualis diuitiarum.*

AD cognoſcendum efficacitatem exhortatoriæ vocis, quâ S. Patriarcha noſter ad ſuos vſus eſt, ſufficit intelligere effectum, qui ex ea ſecutus fuit. Fuit a. iſte, quòd omnes, quicunque ex domeſticis illius falsâ deaſtrorum religione ſecundùm animam laborabant, conualuerunt ſtatim ab illa ſua ægritudine, deorumq; ſuorum fictitiorum ſimulachra manibus, ac pedibus à ſe abdicârunt, ipſaſque adeò inaures proiecerunt. De quo ſacer Scriptor illa: *Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum*; Geneſ. 35. 4. Inſigne facinus, ſi probè expendas, quòd ſermonibus ſui heri ità permoti fuerunt illius domeſtici, vt non idola tantùm dederint, verùm & inaures, hoc eſt, aurium aurea ornamenta. Magnum fuit miraculum, dediſſe idola, ſed auro quoq; renuntiaſſe, meo quidem iudicio, maius fuit prodigium. Nam vt cor humanum addictiſſimum eſt huius vitæ rebus, & efflictiſſimè non ſolùm diligit, ſed etiam amat pecuniam præſertim, & ex rebus pretioſioribus cumulatos theſauros: Sic in miraculis nunquàm viſis numerari poteſt, ſi quem videas illorum contemptorem, numus enim, & quæcunque numo parantur, ſunt deus, quem homo maximè adorat, & falſum hunc deum relinquere pro vero, videtur opus tale, quo maius pro illius gloria vix fieri aliud poſſit.

Loquebatur Angelus Zachariæ, & dicebat, vt attolleret oculos, videretque rem, quæ totius mundi oculos poſt ſe abriperet, inquiens: *Hæc eſt amphora egrediens*; Zach. 5. 6. Vidit ergo quaſi volantem cantharum. Addidit autem Angelus: *Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra*; ibid. velut dixiſſet: Hic eſt ſcopus, in quem collineant oculi omnium mortalium.

S. Bruno de contempt. diuit. To. 3. ait: *Quid per amphoram, niſi auaritia ſignificatur? Hic oculus eorum. Quorum eorum? Eorum videlicet, qui eam diligunt in vniuerſa terra. Omnes n. ad eam ſpectant, omnes ad eam tendũt, quoniã ſicut ſcriptũ eſt, pecuniæ obediunt omnia.* Vix quiſquam hominum eſt, quem non ſordida opum lutearum cupiditas inuaſerit, *à minore quippè vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent*, Ierem. 6. 13. *Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſq; ad nouiſſimum*, Iſaiæ 16. 11. omnes imperatrici pecuniæ ſua tributa pendunt.

Audiamus quid S. Zenon de hac re dicat, cuius ſunt iſta ex ſer. 2. de auaritia. *Hanc mediocres fraudibus excolunt, diuites potentiâ, iudices gratiâ, deſerti mercenariâ, ac duplici linguâ, reges ſuperbiâ, negotiatores aſtutiâ, inani pauperes voto, cultores Dei odio ſimulato, tota autẽ gentes, vniuerſaq; nationes gladio.* Summi, infimi, medioxumi hanc falſam deam, tyran-

tyrannicam auaritiam, aio, colunt, venerantur, adorant, & alij quidem malis dolis, alij vi, alij fauore suæ beneuolentiæ, alij technis, alij arrogantiâ, alij imposturis, alij inanibus machinationibus, alij fictâ animi alienatione, demùm alij ferro, flammis bello colunt. Non ergo exiguum miraculum est, aut parua mortificatio, auocare oculos à re, in quam omnes reliqui suos attentissimè fixos habent. Et cùm homines tam oculitùs, & exanimitùs ament mundi huius diuitias, nescio an miraculorum, quotquot hîc videre licet, admirabilissimum, & stupendissimum vocari queat, si quis eas fortè contemnat.

Vt hoc dem probatum, necessum est recurrere ad id, quod Israëlitis, cùm è dura Ægypti seruitute exirent, accidit. De hac re Moyses Exod. 12. 35. 36. ità scriptū reliquit: *Fecerūt filij Israël, sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptijs vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam Dominus a. dedit gratiā populo coram Ægyptijs, vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.*

Cùm de his mutuatò acceptis auri, & argenti vasis Propheta regius (vt quidem volunt Hebræi) ageret, inquiebat: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*; Psal. 110. 4. 5. Notandum, quòd extrema huius sententiæ verba sic possunt ex Hebræo transferri: *Prædam dedit timentibus se.*

Saluâ igitur reuerentiâ Ecclesiæ orthodoxæ, quæ hæc verba passim augustissimo Altaris Sacramento iure merito accommodat, quòd hic sit illorum sensus præcipuus, dico etiam intelligi posse de historia paulò antè memorata. Affirmat hoc venerabilis P. Franciscus Titelmannus ex sententia quorundam Hebræorum in Psal. 110. in annot. hebraic. inquiens: *Quidam Hebræorum*, Prædam dedit timentibus se, *vertunt, exponentes de præda, quā ex iussione Domini abstulerunt filij Israël, quando acceperunt ab eis accommodatò, vasa aurea, atque argentea, & omnem supellectilem.* Quòd ergo Dominus permouit Ægyptiorum corda, vt absque omni repugnantia sinerent se spoliari, permitterentq; ab Hebræis aurum, & totam supellectilem suam pretiosiorem auferri, id sanctus Dauid, ex Hebræorum opinione, vocat memoriam mirabilium, siue miraculorum Domini: *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Hoccine verò merebatur vocari miraculum miraculorum, quod præcesserunt tam portentosæ plagæ, tam horrenda prodigia, tam terribilia flagra, secutaq; est illa maris rubri diuisio, & apertio semitæ, quam siccis vestigijs transierunt Israëlitæ, quos cùm persequerentur Ægyptij, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus? Cur verò non illa anteriora portenta, & posterius aperti ad transitum Israëlitarum maris rubri prodigium appellantur miracula miraculorum, quemadmodùm vnum illud, quòd Ægyptij tam libenter, ac liberaliter commodatò dederunt suum aurum, & argentum, nec quidquam restiterunt, cùm illud efferri viderent? Causa ea est, quam ex sanctis Brunone, & Zenone indicauimus. Nam cùm id mundi consuetudo communis obtinuerit, vt omnes flexo poplite idolum auri adorent, & adgeniculentur mammonæ, & reginæ Pecuniæ sunt dedititij serui, quod Dominus fecit, vt quidam ità contemnerent aurum, & argentum, vt ne auferentibus quidem illud, & spolio eripientibus repugnarent, id tam rarum prodigium fuit, vt in illo viderentur velut recapitulari, & summatim comprehendi omnia miracula Dei, tanquàm potentia illius ampliùs extolli non possit, quàm cùm dicitur facere potuisse, vt corda quorundam omnem rerum vitæ huius affectum exuerent, & deæ Pecuniæ idololatricum cultum, & amorem ab animo suo omnem exigerent: Cuius n. tam robustum brachium, vt cor bonis præsentibus altè infixum exprimere radicitùs ille omnia posse meritò existimatur. Nihil n. difficiliùs reperias, quàm hominem, qui vel non addixerit animum suum huius vitæ rebus, vel auocari ab eis sinat, postquàm semel perditè amare cœpit.

Interrogârunt Petrum quidam vectigalium collectores, annon solueret didrachma Magister illius, quod alij vulgò pendebant. Respondit Petrus, etiam non soluere. Deinde cùm de hac re communicato consilio Magister, & Discipulus deliberassent, & Dominus testatum dedisset, nullo modo se ad soluendū didrachma teneri, vt qui esset Creator supremus, cui omnes omnia sua deberent, nihilominùs vt omne de medio submoueret offendiculum, præcepit Petro his verbis: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te*; ib. v. 26. Piscis, cuius in ore stater, ex Originis hom. 4. in Matth. & allegorica eius expositione, auarum significat, *vt qui nil nisi de pecunijs loqui nôrit*, & ex mari, salsisque huius vitæ rebus, & fluctibus solicitudinum auaritiæ hamo prædicationis extrahitur, quando correptus ponit pecuniæ non solùm verba ex ore, sed etiam concupiscentiā ex mente dimittit, hiantique ore staterem, & plenis manibus offert de suo pauperibus necessariam alimoniam, qui auferre solebat. Et meritò sordidi id genus homines pisci-

bus comparantur, de quibus S. Ambrosius lib. 5. Hexæm. c. 5. ait, inuicem se deuorare, & suâ carne pasci, inquiens: *Minor apud illos esca maioris est, rursumque ipse maior à validiore inuaditur, & fit esca alterius. Et hac piscibus quidem sponte accreuit iniuria, in nobis autem non ex natura cæpit, sed ex auaritia*, ex qua fit, vt imbecilliorem potentior emungat, facultatesq; inferiorum in suos thesauros, tanquàm in quendam inexplebilem ventriculum superiores traijciunt. Quòd ergo Petrus à Christo iussus fuit eiusmodi piscem è mari extrahere, id quidem secundùm literam factum, vt inde acciperet, quo didrachma solueret, & vulgi scandalum præoccuparet, mysticâ tamen significatione tacitè, ac seorsim illi mandatum, vt auaros à mundi huius curis eximeret, ftateremque eis auferret, sic vt & loqui de diuitijs desuescerent, & concupiscere eas desinerent, & in pauperes liberaliter erogarent. Huic doctrinæ inhærent Octauianus Tufus in cap. 14. Eccles. v. 56. aiebat: *Petrus à Christo est iussus, vt tributum penderet, piscis interiora extrahere, vbi aurum inuenit, iam enim tunc miraculis Petrum assuefaciebat, pecuniam nimirùm ab auarorum visceribus extrahendo.*

In his notandum illud, quòd Christus Petrum miracululis assuefecisse dicitur. Christi virtute patraturus erat Petrus miracula maiora, quàm Christus per seipsum fecisse legitur. Futurum n. erat, vt vmbrâ suâ sanaret ægros, redanimaret defunctos, & hoc tam magnum prodigium maximus Discipulorum solus faceret, deinde vt solo vocis sono extingueret viuos, aliaque ageret, per quæ suis auditoribus, & toti mundo stuporem adduceret. Vt a. Petrus facilè crederet, posse sui Magistri vi, & opitulatione quoduis aliud edere miraculum, voluit vt ante piscem, cuius in ore stater esset, hamo, & miraculo educeret, atque in illo pisce hominem ad liberalitatem ex pecuniæ cupiditate adductum, & ex auaro prolixum factum cerneret, ac tunc illud sibi persuaderet, quodcunque aliud miraculum ab illo expectari posse, cuius tanta fuerit potentia, vt hominem tenacem ad contemptum diuitiarum, lubentemque earum dimissionem pertraxerit. Et hoc est, quod dicitur: *Miraculis assuefaciebat.* Qui n. ex auaro largum facit, tantùm fecisse videtur, quantùm & ab ipsa Dei omnipotentia sperari possit.

Et quoniam Petrum hic habemus præsentem, non dimittamus eum, donec ex alia quadam illius actione aliud causæ nostræ suffragium accersamus. Percunctabatur sacer Apostolus Ananiam, cur Ecclesiam fraudasset pretio agri, quem furtiuè, vt fraudem faceret, vendiderat. Tum his verbis illum obiurgauit: *Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo*, Act. 5. 4. Dæmon huius tibi consilij autor, & perfidæ imposturæ suggestor fuit, cuius propterea pœnas lues: *Audiens Ananias hac verba cecidit, & expirauit*, ibid. v. 5. Ingens verborum efficacitas, quæ sic illum perstrinxerunt, tanquàm iratum cœlum fulmine perculisset, aut amentatâ hastâ totis viribus, lacertisque alius transuerberasset, vt momento effusus in terram tetram effuderit animam.

Fortean illum idcircò Petrus tam acriter obiurgauit, vt pœnitentiâ suum malefactum damnaret, reuersusque ad Dominum noxæ suæ gratiam deprecaretur? S. Ambrosius serm. 13. de Sanctis negat, eo consilio tam duriter increpasse, inquiens: *Tantâ erat infectus auaritiæ pestilentiâ, vt sanctus eum Petrus non tam emendare voluerit, quàm damnare.* Itaque qui pestilentissimis hominum Scribis, & Pharisæis non denegabat beneficium suæ prædicationis, quem peccatores alij, quantumuis scelerati, & contaminati non exterrebant, quin eis verba exhortationis impenderet, qui nullum alium tam flagitiosum putabat, quem ad frugem meliorem posse adducere desperaret, qui tria, quinque etiam millia hominum varijs sceleribus inquinatorum die vnâ conuertebat, cùm vnum vidisset auaritiæ morbo laborantem, ità exhorruit, vt non alio, quàm morte, si non curari, auferri malum posse putauerit, *itaque non tam emendare voluerit, quàm damnare.* Hinc licèt arbitreris, quàm grande miraculum sit, abducere auarum à diuitiarum amore, & adducere, vt sua egenis dilargiatur, quamque magnum opus sit, diuitiarum deum, quem colueris, relinquere pro vero Deo, à quo sustentaris, & vtrum miraculum miraculorum sit, si quis ex auaro liberalem, largum ex stricto, ex parco munificum faciat.

*Vide suprà lib. 6. c. 5. & quæ ex Tomo 2. ad calcem illius capitis annotata.*

## CAPVT VII.

*Cura, vt quâ parte te releuare, recreare, demereri, non quâ offendere possint, quæq; aspicias.*

PErvenimus ad luctuosissimum casum, calamitatumque, & aduersitatum, quæcunque illustri Patriarchæ nostro per omnem vitæ cursum occurrerunt, ærumnosissimam, & deplorandissimam, fatalem obitum, dico, & infelicem mortem Rachelis, quæ quàm formosa, tam illi chara semper fuerat.

Satis

Satis expenſum, & expreſſum eſt infortunium, & doloris magnitudinem iactura ipſa, tametſi lingua oratoris taceat, ſatis prædicat, & exaggerat. Non eſt mei inſtituti, amplificare verbis eiuſmodi damna, quanquàm dolenter accipi, & deplorari poſſe agnoſco. Tantùm ad Politicum noſtrum erudiendum volo documentum aliquod eruamus ex eo, quod inclytus vir Iacob egit, quando coniugum dilectiſſima animam egit. Illa inter partus cruciatus ſupremos poſita, *egrediente anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij ſui Benoni, id eſt filius doloris mei, pater verò appellauit eum Beniamin, id eſt filius dextræ*, Gen. 35. 18. Cùm n. videret delitium ſuum, & dulciſſimam vxorem, quam oculis chariorem ſemper habuerat, naturæ concedere, ne ſemper coràm haberet, qui ſuo nomine illi tantæ iacturæ memoriam perpetuò refricaret, & exaſperaret tam grandis infelicitatis vulnera, aliud illi nomen indidit, ex quo reuelaretur triſtis illius animus, & hauriret conſolationem, vt iniqui caſus acerbitatem minùs iniquè, & acerbè toleraret. Itaque Beniamin illum vocauit, non reſpiciens dolorem, quem eius filij cauſa mater exantlarat, ſed robur, (dextræ vocabulo ſignatum) cogitans, quòd vel generare filios ex alijs vxoribus alios poſſet, vel tragicum illum ſucceſſum ipſe tuliſſet, vel recens natus filius à natura beneuolente, ac Deo ornandus eſſet. Sic quando res quædam habet, quo exhilarare poſſit, & quo contriſtare, quo releuare, & quo grauare, ſpectanda eſt quâ parte conſolationem adferre, non quâ mœrorem regenerare poteſt.

Deplorabat ſe Gentium Apoſtolus, quòd à carnis quodam ſtimulo noctu, atque interdiu miſerè affligeretur. Intolerabilem putabat illam ſuam vexationem, eò quòd non videret, quò inſultantis dæmonis ictus retundere poſſet. Cœlo ergo ſupplices manus protendens, multis perfuſus lachrymis Deum obſecrabat, vt per illum à tam crudeli, & pertinaci aduerſario liber euaderet. De hac re ſic ipſe ſcribebat 2. Corith. 12. 7. 8. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet, propter quod ter rogaui Dominum, vt diſcederet à me.* Reſponſum humilibus precibus illius hoc datum fuit: *Sufficit tibi gratia mea*; ibid. v. 9. velut dictum fuiſſet: Quid, Paule, quereris, & ploras? Sat tibi eſt, quòd me beneuolentem habeas, patrocinio, & auxilio meo contentus eſto.

S. Ioannes Chryſoſtomus To. 4. in illud. *Sufficit tibi gratia mea, ſic ea verba dilucidat: Ea, quidem, quæ tibi dura, atq; acerba eueniunt, cernis, quæ verò tu facis, non animaduertis, quæ inimici tui inferunt, cernis, & quæ ego in te confero, non conſideras.* Videtur Apoſtolus inter ſuas anguſtias poſitus eas tantùm cogitaſſe iniurias, quibus ſatanæ furor illum onerabat, Dominus a. iubebat in illis iniurijs expendere non quòd graues eſſent, ſed quòd meritoriæ. Reſpiciebat Paulus faciem formidabilem infeſti dæmonis, non gratiam opitulantis Domini, oculatuſq; erat ad ea, quæ patiebatur, cœcus a. videbatur ad ea, quæ agebat. Dominus verò aiebat: Non ſic, Paule, *ſufficit tibi gratia mea*, per quam dùm ſuperas pericula, mortem, dæmonia, non debes in perſecutionibus conſiderare id, quod te cruciat, ſed hoc, quod tibi coronam parat, non penſare ferociam hoſtium, qui te irritant, ſed potentiam brachij, quod propugnat, neque reputare calamitates, quas pateris, ſed miracula, quæ operaris. *Quæ tibi dura, atq; acerba eueniunt, cernis, quæ verò tu facis, non animaduertis.* Sanæ politices verò, & ſtatus, vt vocant, ratio poſtulat, vt qui tranquillam, pacatamque vult ducere vitam, eâ parte, quæ occurrunt, ſpectet, quâ releuare, conſolari, exhilarare poſſunt, non quâ turbare, concitare, offendere. Hoc artificio vtebatur Seneca, vt Polibium ex morte chari, & præclari, opulentiique fratris ſui triſtem conſolaretur, inquiens: *An hoc te mouet, quod videtur ingentibus, & quàm maximè circumfuſis bonis caruiſſe? Cùm cogitaueris multa, quæ perdidit, cogita multò plura eſſe, quæ non timet. Si benè computes, plus illi remiſſum, quàm ereptum eſt.* Quoties ergo talis in mentem incidit cogitatio, mi Polibi, quæ affligere poſſit, accerſe aliam ad animum conſiderationem validiorem, quæ te releuet, & oblectet. Etiam hoc, velim, animaduertas, fratrem nunc eo in loco verſari, vbi metu omni vacuus, non tam multa hîc reliquit, quàm ibi non timeat. Et attentè rem excalculanti occurret, plura ibi accepiſſe, quàm hîc illi fuere adempta. Abundabat hîc theſauris, ſed maior erat curarum copia, quàm opum, iam verò tranquillam, pacatamque vitam ducit, nec quidquam eſt, quod illius quietem perturbet, aut interpellet. Itaque felicior eſt ſors illius, quâ fruitur in ſepulchro, quàm fuit magnitudo, quâ gaudebat in ſæculo, ſicque vt animum tuum recrees, non quæ reliquit, ſed quæ in præſentia habet, cogitare debes, & quæ lucrefecit, non quæ perdidit, reputari. *Si benè computes.* Dictum benè. Cùm ſunt mala, & bona dolores, & ſolatia, ſubductiſque calculis inuenitur, maiora eſſe pondera eorum, quæ acquirimus, quam quæ perdimus, & honori, quem aſſequimur, imparem eſſe ignominiam,

gnominiam, quam patimur, semper oculos ad potiora conuertere, & auocare à vilioribus debemus, vt suauior, pacatiorque nobis vita decurrat.

Hoc argumento vtitur Tertullianus aduersùs eos, qui scripturæ sacræ corrodunt sententias, quibus effici videtur, quòd amica spiritus nostri socia, & præstantissimæ margaritæ concha, & fulgentissimi adamantis conditorium, & optimi gladij vagina, caro, inquam, nostra prorsùm negligi, contemnique debeat. In lib. de resurrect. c. 10. de hac re sic ait: *Tenes Scripturas, quibus caro infuscatur? Tenes etiam, quibus illustratur. Legis tum, quando deprimitur, adige oculos, & tum, quando releuatur.* Omnis caro fœnum *non solùm pronuntiat Isaias*, sed & omnis caro videbit salutare Dei. *Notatur in Genesi dicens Deus*, Non manebit spiritus meus in hominibus istis, quià caro sunt, *sed & auditur per Ioëlem*, Effundam de spiritu meo in omnem carnem. Hæc ille. Ad eundem modum facere debemus, quoties simul occurunt, quæ vel exasperare, vel demulcere animum, & excitare siue ad beneficentiam, siue ad vindictam possunt, vt accepti beneficij recordatio mitiget furorem, quando illata iniuria vltionem exposcere suadet, & quando ingratitudo contrahere manum à benefaciendo suggerit, generosa liberalitas eam extendere iubeat, quod leuiùs efficiet, apud eum, qui recordetur, quantus sit largitatis fructus, quantumque misera, sordida, & vilis auaritia incommodi parere soleat. Qui sic res, quâ parte conducibiliores sunt, considerat, ille animæ tranquillitate multâ, & altâ spiritus pace gaudet.

Cuidam Sponsæ interrogationi responsum Sponsus subacidum, & nonnihil morosum dedit, inquiens: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*; Cant. c. 7. quod tale videtur, acsi dictum illi fuisset, vt abiret, custodemque pecudum ageret, quæ iam eò ascenderat, vt regina esset. Vix ea dixerat Sponsus, quibus subpudefieri Sponsa poterat, quando mox subiecit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea*; ibid. v. 8. h. e. ego te aliquando tam robustam feci, & potentem, vt armis nuda currus armatos barbari Ægypti regis, qui te durâ oppressam seruitute diu tenuit, omnemque illius exercitum superares.

Quid est, quòd Dominus, postquàm synagogam (hæc enim etiam sponsæ nomine intelligitur) tam asperè habuit, vt ad pascendos hædos ablegaret, statim ad memoriã ei reuocauit celleberrimum illud beneficium, quo propter ipsam rubri maris fluctibus totam Pharaonis, exercitusque illius submersit, & extinxit superbiam? Cur eam illi victoriam memorauit, quam paulò antè tam austerè obiurgârat?

Respondet mellifluus Abbas sanctus Bernhardus serm. 39. in Cantica, quod Sponsus fecit, tale fuisse, acsi dixisset: *Non ægrè feras, amica mea, minimè te accipere modò, quod postulas, quæ tanta à me iam accepisti, & maiora horum accipies si in præceptis meis ambulaueris, & in amore meo perseueraueris.* Non conueniebat opere respondere interrogationi Spõsæ, quæ maiora petebat, quàm tunc excipere posset. Et cùm naturaliter doleamus non consequi, quod rogamus, Sponsusque cerneret ægrè accipere Sponsam, quòd non acciperet, quæ petierat, accepta olim beneficia illi ad memoriam reducit, spem simul faciens maiorum, si modò amare pergeret. Docuit eâ re modum, quo se consolari homines debeant, cùm vel ab hominibus, vel à Deo etiam non impetrant, quod expectant, & obsecrant. Cùm ergò aliquid petimus, nec obtinemus, vt ne ob cassas preces contristemur, reputemus nobiscum & quæ antehæc accepimus, & quæ deinceps consequemur, si studiosi cultores Dei, mandatorumque eius assidui, pertinacesque custodes fuerimus. Sic enim, si non quâ parte offendere, sed quâ recreare possunt, quæque aspectauerimus fiet, vt quieto simus animo, & tranquillâ spiritus pace fruamur. Sic & Sponsa, cùm oculos conuerteret ad beneficia superiora, quę iam acceperat, simulque ad ea, quæ à munificis illius manibus expectare poterat, dùm contristaretur ex negatis, erigebatur, & releuabatur ex acceptis, & obtinendis, recogitabatque, non quòd repulsam passa fuerat, sed aliud quiduis potiùs, quo ad amorem, obseruantiamque Sponsi potiùs accendi poterat.

Fortissimus Patiens omnibus opum facultatibus nudatus, & in gradum extremum à volubili fortuna deiectus, sublatis in cœlum oculis aiebat: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*; Iob. 1. 21. inuestem vt me mater edidit, sic tumulus recipiet, & talis esse definam, qualis cœpi.

Notauit in his beatissimus Papa Gregorius genus solatij, quod longanimus Patriarcha arripuit, vt tot cruciatuum tempestatem sedaret. Non recurrit animo ad illud tempus, in quo & gregibus penè innumeris, & pretiosissimâ supellectile affluebat, & gemmarum ingentes cumulos habebat, & familiam copiosam, & stipatores plurimos, verùm ad eam ætatem, quæ illum nudum, & omnium rerum inopem viderat. *Pro seruanda patientia illud tempus ad memoriam*

*moriam reduxit, quo necdum ista, quæ perdidit, habebat*, inquit ille lib. 1. Moral. cap. 12. Quamobrē verò, nè patientia illius, & constantia naufragaretur, quâ nihil pretiosius, nihil antiquius in omni supellectile sua habebat, eos dies, quibus nudus in lucem effusus fuit, recordari sanctus, & verus stoicus tunc voluit, quando fortunis omnibus nudatus, & vitæ huius bonis cunctis spoliatus, mitigare sæuitiam tempestatis, quâ iactabatur, cupiebat, cùm malum malo non rectè curetur, & posteriorem egestatem recogitatione prioris inopiæ solari nemo soleat?

Respondet sacer Pontifex: *Dum intuetur, quòd aliquando illa non habuit, dolorem temperat, quod amisit. Magna enim consolatio est in rerum amißione illa tempora ad memoriam reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse.* Magnę prudentiæ genus est, vt præsentium iacturam leuiùs quis ferat, si secum reputet, quòd ijs aliquando caruit. Sic ergo sanctus Patriarcha, cùm se gregibus, liberis, denique rebus omnibus orbatum cerneret, vt doloris tempestatem, quæ exurgere ex tam funesti casus aspectu poterat, anteuerteret, conuertit oculos ad illum diem, quo nihil eorum, quæ direpta, cæsa, oppressa, exusta fuerant, habuit, huius enim recordatio tolerabiliorem facit iacturam pręsentem. *Dum intuetur, quòd aliquando illa non habuit, dolorem temperat, quod amisit.* Itaque non illam sanctus Iob memoriâ repetijt ætatem, quâ gregibus, familiâ, & magnâ vi diuitiarum circumfluebat (hoc enim præsentis damni vulnus exasperare poterat) sed eam, quâ nudus ab eisdem bonis fuit, quod ad mitigandum dolorem, sedandamque tempestatem, & componendos fluctus non parùm faciebat. Sic prudenter semper fit, quando illud in re qualibet consideramus, quod afferre solatium, non quod mœrorem, aut luctum generare potest.

Eodem artificio vsus Tertullianus fuit, quando strenuis Christi athletis scribens adhortatur eos, vt magno animo tolerent persecutiones, & aduersitates, quas illis satanæ ministri inferebant, vt auferrent fidem. Cogitabat illos in squalidis ergastulis, in angustis, tenebrosisque carceribus ferro compeditos, & grauibus catenis vinctos, & aiebat: *Auferamus carceris nomen, secessum vocemus, etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, & non stadia opaca proponens tibi, sed illam viam, quæ ad Deum ducit, quoties eam spiritu deambulaueris, toties in carcere non eris.* Hæc ille in lib. ad Martyr. cap. 2. velut alijs verbis dixisset: Si vultis inter illas corporis angustias animo esse læto, & latè patente, detrahite arcto loco, in quo degitis, vocabulum custodiæ, & solitudinis, gratæque eremi nomine donate, tolerabilior enim vobis fuerit mansio, si talem esse cogitaueritis. In carcere non hoc, quod corpora vestra constricta impediat, considerate, sed illud potiùs, quod spiritum nulla vincula constringere, nulli nexus remorari possunt, quin expeditissimꝰ, quocunque libet, euolet. Cùm autem partem vestri superiorem, ac nobiliorem nihil retardare queat, quid refert quòd inferiorem, & obscuriorem locus arctior vinctam retineat? Accedit, quòd toties à vinculis exoluti estis, quoties animo amplissimam illam, beatissimamque cœlestis patriæ regionem pererrare vultis: Semper autem mente illas peragrare beatorum mansiones potestis; licet ergo vobis, vt liberi sitis, quandocunque libet. Prudens, & commoda mitigandæ persecutionum acerbitati consideratio, aptus alleuiando calamitatum oneri modus, imponere eis nomina, quibus illarum dissimulentur pondera, *auferre carceris nomen, secessum vocare.* Neque carceris solùm, verùm aliarum quoque rerum infames appellationes commutari cum honorificis possunt, vt si persecutionem voces meritum, hostem, illiusque iniurias coronam, qui æternæ sertum gloriæ nobis adornare potest, si quas nobis adfert molestias, non molestè feramus. Sic ingratum respicere debemus vt proximum, non vt immemorem beneficiorum. Ità si cognatus fortè lædit, sanguinis coniunctionem, non offensionem cogitare debemus. Si pater castigat, non verberum acerbitatem, sed illius intentionem synceram cogitemus. Si caro, cùm austeriore pœnitentiâ emaciatur, ploret, in memoriam illi horribilia, & perpetua vitæ futuræ tormenta reduc, sic fiet, vt vitæ præsentis cruciatus æquanimiter, lætanterque ferat. Deniq; si quauis in re id, quod consolationi esse possit, attendas, indoli nostræ ad impatientiam alioquin valde propendenti omnia tolerabiliora fient.

Sic faciebat inclytus Patriarcha noster inter omnes aduersitates, & ærumnas, quæcunque illi per longa vitæ ipsius spatia occurrerunt. Meritorum mel ex omnibus rebus tanquàm sedula, & studiosa apicula legebat: Nam vt erat prudens, sic in præsentibus calamitatibus, quidquid asperum, & amarulentum habebant, dissimulabat, & hoc solùm reputabat, quòd patienter toleratæ magna lucra parerent, & ingentia commoda adferrent. Si vitam illius meditando percurras, quem mihi scopulum inuenies tam crebris, sæuisque tempestatum fluctibus concussum,

concuſſum, quàm noſtri Patriarchæ pectus crebris, atrocibusque iniquioris fortunæ turbinibus exagitatum fuit? Quem mihi Herculem dabis, qui plures labores exantlârit, & cum efferatioribus monſtris depugnârit? Abijt è patria domo ſolus, & incomitatus, & qui delitijs ab indulgentiore matre innutritus fuerat, primo ſtatim die non inuenit aliud hoſpitium, quàm ſolitudinem, nec aliud ceruical, quàm dura ſaxa. Malè irati fratris ſæuam, ac ſanguinolentam iram fugiens, ad auunculi ſui ædes venit, apud quem cùm toto ſeptennio duros paſtoritij muneris labores pro formoſa Rachele obiuiſſet, artis veteratoriæ callentiſſimus ſocer pro Rachele inuenuſtam Liam illi primâ nuptiarum nocte introducit. Hæc fraudis iniuria non aliter illi reſarcita fuit, quàm quòd alterum ſeptennium ſeruire debuit, quod tamen vt hilariter, ac lætanter faceret, amor, quo Rachelem deperibat, facilè ei imperare potuit. A ſocero nimis quàm frequenter circumuentus, cùm offucias, præſtigias, fallaciasque eius diutiùs ferre non poſſet, clam ab eo fugâ dilabitur, quem ille perſecutus, & aſſecutus, tanquàm depeculatorem, & qui rerum alienarum furaci compilatione res ſuas auxerit, inuidioſiſſimè, & acerrimè criminatus fuit. Cùm in via, quâ lares patrios reuiſum ibat, poſitus eſſet, validè, pugnaciterque cum Angelo luctatus, ab eoque aduersùs fratrem confirmatus fuit, quem cùm ſtipatum plurimis famulis cerneret, tanquàm ad cædem armatum, paratumque venire arbitratus vehementer pertimuit. In Sichimorum ciuitate Siché quidam filius Hemor abreptus turpi libidine Dinã filiam eius vnicam conſtuprauit. Simeon, & Leui Dinę vitiatę fratres germani, vt illatum ſorori probrum vlciſcerentur, ſimulantes communis religionis amorem, omnes ciuitatis maſculos occidione vnâ occiderunt, idq; die à ſuſcepta circumciſione tertio, quo nouos recutitos acrior dolor affixos lecto tenebat. Hîc ſe in præſentaneo vitæ periculo diuinus Patriarcha vidit, à quo illũ ſola omnipotens Dei manus eximere potuit. In florentiſſima ætate chariſſimum oculorũ lumen illi extinctũ, Rachel, inquàm, fato ſublata fuit, quam ſeruitutis tam longiturnæ magno impendio ſibi comparârat. Poſthæc parentum ſuorum mortem luxit. Pro deuorato à fera beſtia, vt putabat, Ioſephte tota lachrymarum flumina pluſculis annis inter longum mœrorem fudit. Funeſta fames mutare patrium ſolium, & apud exteros quęrere ſuæ neceſſitati remedium coëgit. In Ægyptum cum ſuis profectus, maximam accepit à filio maiore Ruben iniuriam, qui inſcenſo cubili patris, ſtratum ejus conſpurcauit, & flagitiũ nouercæ inceſtum intulit. Itaq; nullum penè infortunij, aduerſitatisq; genus fuit, quod non æquo animo exceperit, & fortiter tolerârit. Et poſtquàm annos 147. vixiſſet, atq; hos partim apud S. auum Abrahamũ, partim apud auunculũ Iſmaëlem, partim apud charum patrem ſuum Iſaac tranſmiſiſſet (qua de re vide calculationem Iacobi Saliani Tom. I. Annal. Anno 2345.) in longa, & ſancta ſenectute vitam cum morte commutauit. Mundi tunc Annus 1708. fuit. Natus in Chanaan, creuit in Meſopotania, mortuus in Ægypto, ſepultus in Hebron fuit. Pro ſolatio autẽ eorum, qui in huius mundi procelloſo mari variarũ miſerè iactantur fluctibus ærumnarum, animaduertere vos velim, quemadmodùm prouidus, & beneuolus Deus etiam in hac vita remunerare ſoleat labores pro ipſius gloria æquanimiter toleratos. Nam in quo libro afflictiones, fatigationesq; heroici Patriarchę noſtri legimus, in eodem variam proſperitatem, quâ illum prolixa beneuolentis Domini manꝰ felicitauit, & cumulauit, inuenire licet. Inter multa Dei ergà illũ beneficia hæc ſunt, quòd nepos magis illius credentium patris Abrahæ, & filius illius fuit, qui cum ligna in humeris, & animum mactationi in ara deuotum in pectore ferret, actionem vnici Reparatoris noſtri ſtrenuiſſimã, & ſtupendiſſimã præfigurare meruit. Patrem, auumque ſuperauit multitudine filiorum, qui fuerunt duodecim. Ex illo namq; tanquàm è fonte vniuerſus populus Dei, gens Hebręorum, & Iſraëlitarum promanauit. O raram, & inauditam fœcunditatem! Quod ad reuelationum copiam, & vaticiniorum, eorum maximè quę mundi Saluatorem concernunt, frequentiam attinet, omnibus Patriarchis longè ſublimior fuit. Inſignis Prophetię dono, patientiâ magnus, clarus humilitate, peruigil in gubernatione, iniuriarum patiens, candidis moribus, intrepidus inter aduerſa, generoſo animo, ingenio leni, & facili, in familiari conſuetudine placidus, & comis, in iudicijs rectus, & ſyncerus, deniq; ad omnem bonorum operum vſum prudentiſſimus, & virtutum colendarum exemplar perfectiſſimum fuit, ad cuius ſimilitudinem ſi vitæ ſuæ mores Politicus noſter inſtituerit, æternæ vitæ laurum ſemper virentem felix conſequetur.

*In eadem ſylua ligna cadit Caput VIII. Libri VI. in parte I. Politici cœlorũ. Vide etiam Periochã III. Domin. III. poſt Pentecoſten Tomo II. pag. 109. o.*

*Benedicta ſit Sancta, & indiuidua Trinitas, quia fecit, & facit, & faciet nobiſcum miſericordiam ſuam.*

# INDEX
## ALPHABETICVS RERVM NOTABILIORVM,
## Quæ in hoc Tertio Tomo tractantur.

*Numerus paginam indicat, Abr. vitam Abrahæ, PPP. primam partem Politici, PP2. secundam Politici partem.*


### A.

*ABEL.*


IN sacris literis solùm de morte Abelis, non verò de morte Caini apertè fit mentio. Quare? Abr. 139. & 140.

*ABIMELECH.*

Abimelech Dauidi famelico cur panes propositionis dederit. Abr. 9.
Pactum Abimechi cum Isaaco. PPP. 295.
Abimelech simulator. PPP. 407. & seq.
Officiositas Abimelechi fucata. PPP. 407. & seq.
Abimelech homo sanguinarius cur rex à Sichimitis postulatus. PP2. 596.

*ABNEGARE.*

Abnegare seipsum quid. Abr. 199.
Abnegatores suorum corporum Martyres. ibid.

*ABRAHAM.*

Abrahæ præcipitur egressus de terra sua ad ipsius propriam vtilitatem. Abr. 7.
Abraham non solùm pauperes & peregrinos ad se venientes excepit, sed etiam in occursum eorum cucurrit. Abr. 109.
Abraham domum cui inhabitaret cur non ædificauerit. Abr. 111.
Abraham vixit in papilionibus ne fabricæ domus impenderet, quæ in pauperes eroganda forent. Abr. 111.
Abraham à perfecta obedientia velut à compendio omnium virtutum commendatur. Abr. 176.
Abrahæ multa opera vnum vocantur, quià vnum plurimum instar fuit. Abr. 174.
Abraham diem, quo ablactatus Isaac, epulo celebrauit. Cur? Abr. 164. & seq. item 166.
Abraham cur iuramentũ à famulo exegit. Abr. 200.
Abraham cum Dei auxilio quatuor regum fudit exercitum. Abr. 203. & seq.
Abraham terram suam, & domum patris sui pro Deo deserens quàm abundè remuneratus. Abr. 3.
Abraham vt Deo seruiret, è terra sua egredi iussus. Cur? Abr. 3.
Abraham decrepitus filium in matrimonio collocauit. Cur non antè? Abr. 196.
In Abrahæ stemmate non aui, proauique, sed virtutes tantùm recensentur. Cur? Abr. 169.
Abraham in media pace semper accinctus, velut iuxtà hostes vixit. Abr. 191. & seq.
Abraham non habuit iuramentum diuinarum promissionum, quousq; arietem immolârat. Abr. 189.
Abraham diuitem epulonem filium nuncupans, grauiùs cruciat. PPP. 297.
Abraham quantus apud Deum fuerit. PPP. 237.
Abrahæ solicitudo & charitas, recipientis Angelos. PPP. 339.
Abraham Ægyptum tempore famis ingredi permissus, Isaac prohibitus est. PPP. 362.
Abrahæ posteri & sublimibus stellis, & humili terræ pulueri comparati. Cur? PPP. 400.
Abraham terram & pedibus, & oculis obire iussus. Cur? PPP. 415.
Abraham ipsus bona sua inter filios distribuit, cùm adhuc viueret, pulcherrimo exemplo, quod omnes meritò imitari debeant, qui habent bona, quæ à morte relinquant. PP2. 532.
Abraham onustus debitis. PP2. 542.
Abrahamum eduxit Dominus foras, non extraxit. PP2. 595.
Abraham præ omnibus Patriarchis de hospitalitate prædicatur. Cur? PP2. 613.
Abraham hospites excepit, & domicilij nescius domus omnium fuit. 614.

*ABSALON.*

Cur præ reliquis corporis partibus Absalonis cor transfixum. Abr. 140.

*ABSTINENTIA.*

Abstinentia aut nulla est, si modica, aut inordinata, si ni-

si nimia. Abr. 193.

ABVNDANTIA.

Abstinentiam alijs, alijs vini potum Paulus suadebat. Abr. 193.
Abundantia rerum eas viles facit. PPP. 274.
Abundare, & timere literis, & syllabis differunt, reapse nihil. PP2. 597. o.

ACCIPITER.

Accipiter pectori admouendus, blanditijsque demulcendus. PP2. 606.
Laudem & vituperationem intelligit. ibid.

ACHAB.

Regi Achab vinea quam Naboth Iezrahelitæ per vim eripuit, quot damna intulerit. Abr. 113.

ACHILES.

Achillis arma Vlisses vi eloquentiæ suæ obtinuit. PPP. 402.

ACTIO.

Actiones quædam ab animo officioso nasci videntur, & ad offucias tendunt. PPP. 404. o.

ADAM.

Adam mox à peccato in exilium actus. Cur? PP2. 453.

ADVERSITAS, ÆRVMNA, AFFLICTIO.

Aduersitas est mare tranquillum, at vitæ prosperitas ventus contrarius & validus. Abr. 60.
Adferre alteri mœrorem, nisi iusta causa id postulet, stultorum est proprium. Abr. 102.
Absque causa nullus dicto vel facto alium affligere debet. Abr. 103.
Nec murmurandum inter ærumnarum angustias, nec superbiendum inter felicitatum illecebras. Abr. 147.
Inter ærumnas, & aduersitates multi multa, & magna promittere solent, deinde retractare promissa. PP2. 602.

ADVOCATVS.

Aduocati ne committant alieno labori studium, quod causæ, quarum sunt patroni, requirunt. PP2. 531.

ÆDIFICIVM.

Ædificare ciuitatem in sanguinibus quidnam sit. Abr. 112.
Sanguis pro pecunia sumitur & victu, quibus hominum vita sustentatur. Abr. 112.
In sanguinibus ædificant, qui nimijs tributis & alijs iniustitijs ædificiorum impendia comparant. Abr. 112.
Magnifica ædificia vix sine conscientiæ discrimine & pauperum iniuria eriguntur. Abr. 111.
Instar vermis continuò rodentis, superba ædificia eadem erigentium conscientias conmorsicabunt. Abr. 112.
Turris Dauid ædificata cum propugnaculis, seu, vt alij legunt, ad doctrinas, ædificia cum maxima cautela erigenda significat. Abr. 113.
Ex afflictorum subditorum sumptibus superflua palatia & vana recreationum loca erigere, maximæ est insaniæ, & perditissimæ conscientiæ. Abr. 113.
Acceptæ sunt Deo fabricæ, quæ sine rerumpublicarum damno, & subditorum oppressione eriguntur. Abr. 114.
Animas Romam ædificaturas cur Virgilius apibus comparauit. Abr. 114.
Qui apum instar ædificia non construunt, in iustitiæ leges impingunt. Abr. 114.
Hirundinum instar ædes construendæ. Abr. 114.

AER.

Aëram in suo loco quid tam constanter retineat. PP2. 547.

ÆTAS.

Ætas & vitæ probitas pari passu crescere debent. Abr. 15.

AFFABILITAS.

Affabilitas sermonis incantamentum efficax, quod placare stomachosissimum queat. PP2. 604.
Affabilitate verborum Dauid ex homicida patrem, ouem è lupo fecit. PP2. 606.
Blando sermone delinire murmurantes, turbulentos, liuidos Sponsa docuit. PP2. 605.
Blando sermone osse duriores facilè vincuntur. PP2. 605.

AGAR.

Agar fugit ob modicam reprehensionem. PPP. 336.
Agar suo exemplo docuit diuturna esse non posse, quæ per vim alicubi detinentur. PP2. 547.

AGESILAVS.

Agesilaus lætabatur periurijs suorum hostium. Cur? Abr. 203.

AGRICOLA.

Agricolarum sagacissimus Deus. PP2. 517.

AIAX.

Aiacis, & Vlyssis de armis Achillis concertatio. PPP. 402.

AMBITIO.

Ambitio in comitatu vitiorum totum sibi hominem vendicat. PPP. 312.
Ambitionis accurata delineatio. PPP. 312.
Ambitionem qualiter Deus exhorrescat. PPP. 313.

Ambi-

Ambitiosi similes auium fœminarum. PP2. 603.

AMOR, AMICITIA, AMANS.

Amoris febrem vt explores; arteriam memoriæ tenta. Abr. 15.
Qui amicitias conseruare desiderant, de iure suo & honore mutuo cedant necessum est. Abr. 28.
Amorem qui profundas egerit radices euellere difficillimum. Abr. 29.
Amans syncerè dici non potest, quem spes remunerationis ad operandum mouet. PPP. 397.0.
Amans verè, ac syncerè, qui & longè positos non relinquit. PPP. 399.
Amor fucatus est, & mutuæ beneuolentiæ nundinatio, soli præsenti se officiosum exhibere. PPP. 399.
Amor paternus quis. PPP. 399.
Amor dulcis tyrannus. PPP. 434.
Amoris debita amore soluuntur. PPP. 440.
Amoris nutrices timor, & spes. PP2. 463.
Amoris affectio, & ardor non semper æqualis. PP2. 460.
Amoris accommodatissimum nomen *Annuens*. PP2. 493.
Amor quid sit, nescit, qui laborem sentit. PP2. 491.
Amanti nullus labor durus, aut diuturnus. PP2. 491.
Amor nihil difficile spectat. PP2. 494.
Amoris pedissequa audacia. PP2. 494.
Amoris vis est machina cordis. PP2. 494.
Amor Dei igni comparatur. Quare? PP2. 500.
Amat Deum verè, qui suas opes pro illo relinquit. PP2. 660.

AMYGDALA.

Amygdalarum fructus fieri dulces possunt ex amaris. Quo artificio? PP2. 517.

ANGELVS.

Angelus ardet Dei præsentiâ, homo memoriâ. Abr. 17.
Cur Angelus Domini descendens in piscinam mouebat aquas. Abr. 122.
Angeli in die iudicij contremiscent. Abr. 128.
Angelorum suprema perfectio in obedientia consistit. Abr. 177.
Angeli refutârunt hospitium Loth, cum primo ab illo inuitati. Cur? PPP. 418.
Angeli per scalam Iacob vel ascendebant, vel descendebant, quiescebat nullus. Quo documento? PP2. 455.
Angeli quidnam Christo, aut quo officio ministrârint, incertum. PP2. 563.
Angeli Deum benedicunt, etiam cum aliud quiduis ipsius iussu faciunt. PP2. 589.

ANIMA.

Anima ab imperfectioribus paulatim ad perfectiora ascendens hominibus & Angelis est admirationi. Abr. 11.
Anima est hortus conclusus, & in horto fons signatus esse debet. Abr. 207.
Animæ, quæ Deo gratæ esse velint, neque nimis pueriles, neque nimis rugosæ, seniculæque esse debent. Abr. 194.
Animæ emolumenta quàm tardè homo curat. PPP. 234.
Anima quibus committenda. PP2. 534.
Animæ negotia ante mortem disponenda. ibid.
Animæ vestimenta opera profecta ex charitate. PP2. 588.
Animæ Deo gratæ inditium libertas loquendi. PPP. 401.
Anima sæpè puteus, nonnunquàm fons. PP2. 460.
Animæ suæ domui quisque prouideat. PP2. 522.
Ergà animas suas etiam sunt quidam fictè comes. PP2. 561.
Animam non deploras mortuam, qui defunctum amicum defles! PP2. 567.
Anima quãtumuis perpolita, inueniet semper quod emundet & emendet. PP2. 650.

ANIMAL.

Animal nullum quod non aliquam sui corporis partem habeat infirmam. Abr. 122.
Animalium maiorum cur diuturnior in vtero gestatio. PPP. 221.
A brutis multas institutiones homo accepit. PPP. 224.

ANNA.

Annæ prolem deposcentis qualis oratio. PPP. 315.

S. ANTONIVS.

Antonius mundum domum tenebrosam, ac prælijs plenam vocabat. PP2. 624.

APOSTOLVS.

Apostoli maximè securi erant, quando minimè securos se putabant. Abr. 192.
Apostolorum incredulitas candidâ confessione obliteratur. PPP. 306.
Apostoli nihil mali de proditore cogitare sunt ausi. Cur? PPP. 381.
Apostoli in horto dormientes cur de somno obiurgati. PPP. 387.
Apostoli etiam vincti terrori erãt Iudæis. PPP. 400.
Apostoli personati quinam. PPP. 407. & seq.

APPETITVS.

Appetitus humani familiare vitium, inhiantiùs cupere,

pere, quod magis vetitum. PP2. 630. & seq.
Appetitus vetitorum tam est vehemens, vt homo ne otium quidem seruaret, nisi pœnâ capitis ad id cogeretur. PP2. 631.
Quod appetitur vehementiùs, nocere vehementiùs solet. PP2. 557.

*AQVA.*

Aliud est aquarum scaturigo & effluxus, aliud earundem è fontibus haustus. Abr. 6.
Aquæ, quæ super cœlos sunt, quales sint. PPP. 217.
Aquæ ex paradiso profluentes in proprio solo dulces, in nostro autem acredinem contrahunt. PPP. 325.
Aqua in hoc flore rubescit, cærulea, purpurea, albida in alio. PPP. 422.

*ARABS.*

Arabes non dant ex myrrha potiones Deo. PP2. p. 614.

*ARBITRIVM LIBERVM.*

Ex libero nostro arbitrio plurima quandoq; damna oriuntur. Abr. 30.
Proprio arbitrio non pertinaciter inhærendum. Abr. 30.

*ARBOR.*

Arbores diuersimodo irrigantur. PPP. 370.

*ARMA.*

Armorum vita libri & litteræ PPP. 335.

*ASAEL.*

Asaël mortuus cogebat omnes subsistere. PPP. 253.

*AVARITIA.*

Auaritia quantum malum. PPP. 357.
Auaritia, dum plura possidentur, acerescit. PPP. 357.
Auari quàm difficilis saluatio. PPP. 358.
Auari quomodo curandi. PPP. 359.
Auaritia ignis, eleemosyna aqua est. PPP. 359.
Auaritia omnium hominum oculus. PP2. 660.
Ex auaro qui largum facit, ingens miraculum facit. PP2. 662.
Auarus Ananias tantâ peste infectus erat, vt Petrus eum non tam emendandum, quàm damnandum putauerit. PP2. 662.

*AVIS.*

Aues suam ex aquis trahunt originem. Abr. 148.
Aues fœminæ, quousque conceperint, admittunt mares, posthæc auersantur. PP2. p. 603.
Auium fœminarum similes ambitiosi. PP2. p. 603.

*AVRES.*

Aures alicui perfici, nil aliud quàm obedientem fieri. Abr. 176.
Aures humilis & perfectæ obedientiæ, corpus & eius membra reliquarum virtutum sunt symbolum. Abr. 176.

*AVRVM.*

Auro, & muneribus ne sunto venales honores. PP2. 491.

*AVXILIVM.*

Auxilium Dei facere potest, vt sanctitatem eius quadamtenùs imitemur. PP2. p. 571.
Auxilium Dei non excludit semper studium humanum. PP2. 572.

# B.

*BALBVTIENS.*

Balbutientes submissè loqui non possunt. Cur? PP2. p. 629.

*BARBA.*

Barba non facit Sophum. PPP. p. 394.

*S. BASILIVS MAGNVS.*

S. Basilij Magni iudicium incredibiliter pertimuit Libanius. PP2. p. 541.

*BEATITVDO.*

Beatitudo vi expugnatur. Meritò illud. Nam & corporis salus plerumque sine vi non obtinetur. PP2. p. 565.
Beatitudinis obtinendæ pactum sic tractatur, vt matrimonium solet. PP2. p. 573.
Beatus nemo erit, qui non fuerit ante accinctus. PP2. p. 592.
E spinoso dumo malum punicum exspectat, qui beatitudinem absq; afflictione & labore. PP2. p. 593.

*BELLVM.*

Bellum Hebræis Milhamah ab edendo, siue vorando dicitur. PP2. p. 472.
Belli duces, quo tempore ineunda pugna, sint maximè soliciti. PP2. p. 540.
Bello etiam confecto debet perstare vigil, & solicitus miles Christi. PP2. p. 623.

*BENEFICIVM.*

Qui beneficijs mutuas vices rependit, hic aliorum beneuolentiam acquirit. Abr. 91.
Beneficia gratuita Deus tribuit voluntate, at pœnas pro merito infert eorum qui peccauerunt. Abr. 124.
Beneficij dilatio acuit petentis desideria. PPP. 272.
Beneficia priora, subsequenti ingratitudine non obliterantur. PPP. 307.
Beneficia sua Deus pensionib9 onerat. PP2. p. 495.0.
Homines cùm beneficium prensant, humiles esse solent, ingrati, cùm sunt assecuti. PP2. p. 601.0.

Beneficia prensantium officiosæ voces. PP2. p. 602.
Beneficia qui ambiunt, importuni sunt, vt accipiant; ingrati vbi acceperint. PP2. p. 601. & seq.
Beneficium adeptus Dauid non obliuiscebatur benefactorem. PP2. p. 604.
Beneficio nihil carius, quamdiu petimus, nihil vilius, cùm accipimus. ibid.

S. BERNARDVS.

Bernardus inconstantiam suæ deuotionis deplorat. PP2. p. 460.
Bernardi ætas vidit Catholicos idololatras. PP2. p. 467.

BIBLII.

Biblij furtum arbitrantur, si quid in via inuentum auferant. PP2. p. 505.

BONVS, BONVM.

Nullum aliud bonum præter Dei gratiam, nec malum præter culpam. Abr. 35.
Boni quò magis honorantur, magis se deijciunt, mali laudibus extollũtur, & insolescunt. Abr. 100.
Christianis optanda pro Deo bonorum suorum iactura. Abr. 103.
Pro Deo aliquod bonum perdere lucrum est non damnum. Abr. 104.
Qui pro Deo exigua bona perdunt, plurima ab ipsius liberalitate recipiunt. Abr. 104.
Bona tua viuens diuide, ita duo mala cauebis. PP2. p. 533.
Bona æterna non vel eodem loco habentur, quo caduca. Factum indignè. PP2. p. 566. o.
Bonis omnibus destituitur, qui Deo. Abr. 202. o.

C.

CAIN.

Cain longiturno timore acerbius mulctatus est, quàm si citâ morte ablatus è vita fuisset. PP2. p. 576.

CALAMITAS.

Calamitatum nomen non merentur, quæ simul cum vita expirant. Abr. 74.
Non videntur esse calamitates, quarum non est perpetua duratio. Abr. 75.
Calamitates nostras beneficij donatione Deus mitigat, leuatque. PP2. p. 495. o.

CAMELVS.

Camelus adgeniculatus pulchrum hieroglyphicum ambitiosi. PP2. p. 603.

CANDELABRVM.

Candelabrum illud vetus cur in parte australi collocatum. PP2. p. 623.

CANIS.

Canis cœcus nascitur. PPP. 374.
Canes non gaudent odoribus leporum, sed comestione. PPP p. 437.

CANITIES.

Canities homini existimationem non facit, sed virtutes. PPP. 289.

CAPILLI.

Capilli mulierum titulus illarum seruitutis capiti impositus. PP2. p. 470.

CAPVT.

Capitis obtruncatio præ reliquis supplicijs æquissima in legum diuinarum contemptores pœna. Quare? Abr. 139.
Capite velut arce sapientiæ iure priuatur, qui sapientiæ non tenuit rationem. Abr. 139.

CARMENTA.

Carmentæ larario scortea inferre nefas. PPP. p. 409.

CAROLVS QVINTVS.

Caroli Quinti lemmata insignibus Burgundicis appensa, elucidata. PPP. 367.

CASTITAS.

Felix exercitus ductor, si sobrius sit & castus. Abr. 48.
Castra non casta citò sequitur interitus, & ruina. Abr. 46.
Nullum vitium plus vires extenuat, quàm obscœnum carnis flagitium. Abr. 46.
Milites vt fortiter dimicent, parum commertij cum mulieribus habere debent. Abr. 47.

CEDRVS.

Cedri Libani quinam. PP2. p. 504.

CERES.

Cererem permittere vxorem Marti Proserpina noluit. Cur? PP2. p. 473.

CHALEB.

Caleb filiam suam addixit vxorem ei, qui vastaret, hoc est, vastare primus inciperet vrbem Cariath. Quo mysterio? PP2. p. 442.

CHAMÆLEON.

Chamæleon bestia tardigrada. Vnde? PPP. p. 428. & seqq.

CHVSAI.

Chusai nunc Arachites, nunc filius Iemini dictus. Cur? Abr. 167.

CHRISTVS.

Christus in horto tribus discipulis dormiturientibus somnum capere non solùm permittebat, sed & suadebat. Cur? Abr. 7.

Christum Samaritanam à luxuriæ morbo curasse reliqua excedit miracula. Abr. 48.
Christus duo in peccatores spicula iecit, vnum miserationis, alterum indignationis, illo naturam, hoc culpam impetijt. Abr. 89.
Christus in cruce quasi violenter, in Sacramento altaris suauiter attrahit homines. Abr. 110.
In cruce nos Christum, in Sacramento altaris Christus nos inquirit. Cur? Abr. 111.
Christus cur tribus solùm diebus, & noctibus morti subiectus esse voluit. Abr. 148.
Christus abiturus in cœlum, cur benedixit Discipulos. Abr. 161.
Christi genealogia nullam habet sanctam mulierem. Cur? Abr. 168. & seqq.
Christo puero cur myrrha oblata. Abr. 171. & seq.
Christus à resurrectione nullum miraculum fecit. Cur? Abr. 175.
Christus cur induendos virtute ex alto dixit Discipulos. Abr. 191.
Christus cur in montem Olineti à cœna iuit. Abr. 192. & seq.
Christus cur interrogatus, vnde esset. Abr. 199.
Christus cur vnam mortis horam sciuisse specialiter dicitur, qui omnes sciuit. Abr. 201.
Christus cur medicum se vocat. Abr. 205.
Christus alios celeriter, tardiùs alios curabat. Cur? Abr. 208. & seq.
Christus cur dicitur in agonia *factus*? PP2. p. 450.
Christum à transfiguratione reuersum salutauit turba solito reuerentiùs. Cur? PP2. p. 479. & seq.
Christum cognati illius confessi sunt, postquàm ab illo episcopi facti. PP2. p. 481.
Christus adulteræ Euangelicæ & misericordiam pollicitus, & iudicium comminatus fuit. PP2. p. 497.
Christi carnem manducare, & sanguinem bibere, est communicare passionibus eius. PP2. p. 504.
Christus Apostolorum iudicium arbitrio totius mundi potiùs habuit. PP2. p. 518. & seqq.
Christus Discipulos suos diu apud vnum hospitem morari voluit. Cur? PP2. 546.
Christus de rebus ad salutem animarum spectantibus disserens, non ferabat vel matris mentionem audire. PP2. p. 566. & seqq.
Christus nobiscum cœnat, & nos cum illo, collatis vtrinque sumptibus. PP2. p. 573. & seqq.
Christus non absque mysterio magister noster dictus. Quo illo? PP2. p. 574.
Christus ab oratione ad somniculosos discipulos semel, iterùmque, & iterùm abijt. Quo documento? PP2. p. 590.
Christus quòd maxillam alteram alteri alapæ non obtulit, mysterium fuit, non imbecillitas. PP2. p. 594.
Christus Prophetam Pharisæo se probauit. Quomodo? PP2. p. 612.
Christus puer responsis suis stuporem adferebat auditoribus. ibid.
Christus modum vlciscendi docuit. PP2. p. 618.
Christus post fatigationem sedebat. Quo documento? PP2. p. 621.
Christus flagello, ceu sceptro, & funiculis tanquàm armis regalibus vsus. PP2. p. 640.
Christus apud piscinam illum ante alios curabat, cuius fuerat morbus diuturnior PP2. p. 651.
Christus iubendo vt afferrentur quinque pisces, & duo panes, quid nos doceat. PPP. 220.
Christus proximus passioni suorum commodis intendebat. PPP. 275.
Christus quare natus, dùm Iudæa à diuersis Principibus occupabatur. PPP. 278.
Christus in monte Thabor gloriosus, post mortem glorificatus, peregrinus apparet. PPP. 296.
Christus in ieiunio occumbit & triumphat. PPP. 356.
Christus increpat Principem, qui eum bonum appellat. PPP. 360.
Christus cur Petræ ab Apostolo comparatus. PPP. 366.
Christus cur in aurora resurrexerit. PPP. 372.
Christus dæmoniosum sibi oblatum statim liberauit, à cœcis fidem antè exegit, quàm eos illuminârit. PPP. p. 388.
Christus ad omnia cætera tormenta sua taciturnus, ad solum colaphum os in verba laxauit. Cur? PPP. p. 392.
Christus cur desiderio desiderasse pascha dixit. PPP. p. 417.
Christus cur se lucem mundi nominauit. PPP. 403.
Corpus Christi & panis vitæ est, & aqua sapientiæ. Quo mysterio? PPP. p. 422.

CHRISTIANVS.

Christiani à cœpto virtutum itinere resilientes quorundam odorum, qui mane sinceriores, die senescente minus, & meridie minimè sentiuntur, sunt similes. Abr. 12.
Christiani à feruore spiritus deficientes arcui prauo & paulatim remittenti æquiparantur. Abr. 12.
Christianus scenicus seu histrionicus esse non debet. Cur? Abr. 14.

Christia-

Christianus scenicæ repræsentationi dans operam, non alium quàm Deum ipsum repræsentabit. Abr. 14.

Christianus in studio virtutum semper vnus sit, sicut Deus vnus est. Abr. 14.

Christianus debet in operibus Christum imitari. PPP. 321.

Sunt Christiani plurimi similes Herculis mulierosi. PP2. 510.

Christianus nemo nascitur, sed fit quisque. PP2. 576.

Christianorum felicitas, quòd vni Domino seruiunt. PP2. 659.

CIBVS.

Panem tantùm pro cibo cur petamus. PPP. 345.

Bonum & malum non in cibo, sed in intemperante illius desiderio positum est. PPP. 348.

CIRCVMCISIO.

Circumcisio Hebræis data velut perpetuum frenandæ libidinis memoriale. Abr. 33.

CIVITAS.

Ciuitatum optimum propugnaculum custodia legum, studium orationis, & virtutum. Abr. 202. & seqq.

CLEMENTIA.

Inter maximam furoris diuini austeritatem semper aliquod pietatis & clementiæ signum relucet. Abr. 54.

Clementia Domini punientis. PPP. 364.

COELVM.

Motus cœlorum velocissimus. Abr. 157.

Eidem assimilatur ira diuina. ibid.

Cœlum quomodo Magnates obtinere queant. PPP. 267.

Cœlum quàm exiguo pretio emitur. PPP. 268.

Cœlum propriâ voluntate ascendentem tenere ac sistere oportet. PPP. 376.

Cœli similitudinem quis in sinapis granulo quæsijsset? PPP. 394.

COLLVM.

Collum Sponsæ primùm monilibus, dein turri, eiq; benè vallatæ, & ab armis instructæ comparatur. Quo mysterio? PP2. 556.

COMMODA.

Res quæq; nobis bona, dum vsibus nostris commoda. PP2. 607.

CONFESSARIVS.

Confessarij aliter cum peccatore recens lapso, aliter cum inueterato procedere debent. Abr. 69.

CONSIDERATIO.

Considerationem diligentem, & attentam meretur opus, quod semel factum malè, est inemendabile. PP2. 525. o.

CONSILIARVS.

A Regibus & Principibus consiliarij recti, integri, & passionibus vacui eligendi. Abr. 153.

A Consiliarijs bonis Principum felicitas, à malis eorundem infelicitas, dependet. Abr. 153.

Dolor laterum ex quo ægrè habere solent Principes, mali sunt Consiliarij. Abr. 154.

Consiliariorum bonorum & malorum diuersi effectus. Abr. 154.

Satis est regem esse improbum & Consiliarios bonos, quàm Consiliarios malos & regem probum. Abr. 155.

Consiliarij Principum non vertant munus suum ad suæ familiæ splendoré amplificandum. PP2. 599.

CONSILIVM.

Loth non Angeli sed proprio consilio montem conscendens, ibidem in peccatum incidit. Abr. 32.

Sicut ex Dei acta consilio in bonum, sic ex proprio, plerumque in malum cooperantur. Abr. 32.

CONSVETVDO.

Vitium malâ consuetudine inueteratum maxima cũ difficultate emendatur. Abr. 135.

Consuetudinis & inclinationis æqualis violentia. Abr. 148.

Inclinationem naturalem & inueteratam vincere consuetudinem difficillium. Abr. 148.

Consuetudinem inueteratam & propensionem naturalem vincere res ardua. Abr. 148.

Consuetudo molestiam ferendi laboris mitigat. PP. 2. pag. 452. o.

Consuetudo mollimentum calamitatum beneficio singulari naturæ nobis data. PP. 2. 454.

CONVERSIO.

Conuersionis remedio ætas nulla inepta, vel sera. PPP. p. 394.

S. CORNELIVS.

S. Cornelius Papa vim passus, vt Episcopatum acciperet. PP2. p. 564.

CORONA.

Corona non datur nisi legitimè certanti. PPP. 266.

CORRECTIO.

Correctio sic instituenda, vt peccata deijciantur & peccatores erigantur. Abr. 88.

COSTA.

Costa arcus figuram habet. PP2. 633.

Costa cur mulier facta. Ibid.

# D.


*DÆMON, DÆMONIOSVS.*

Maxima homini ignominia, à dæmone hoste adeò imbecilli superari. Abr. 70.
Muscarum similes sunt dæmones, non solùm tentandi importunitate, sed etiam imbecillitate. Abr. 70.
Dæmon technis valet, non viribus. Abr. 70.
Dæmonis infirmitas, & imbecillitas ostenditur. Abr. 71.
Dæmon non peccatoris emendationem, sed peccati vult perseuerantiam. Abr. 88.
Maximum diaboli tormentum quòd de futuris suis, tormentis sit dubius. Abr. 179.
Solus dæmon incorrigibilis. Abr. 138.
Dæmones nullum verbum in scripturis magis horrent, quam initium Psalmi sexagesimi septimi. PPP. 354.
Dæmonia quare à Christo petierunt facultatem intrandi porcos. PPP. 284.
Diabolus vnum ex illis duodecim, qui suscitabant mortuos, abripere potuit. Abr. 169.
Deus mane & vespere tantum vnum agnum quare offerri voluerit. PPP. 344.
Diabolus vnus totum cœlum motibus intestinis implere posset. Abr. 196.
Dæmoni homo suâ oscitantiâ otium permittit, & tempus vt zizania superseminet. PP2. p. 500. & seqq.
Dæmon stultissimus fuit, cùm Christo pro vnius adorationis officiolo dominium totius mundi obtulit. PP2. p. 509. & seqq.
Dæmonis peccatū incurabile. PP2. p. 515. & seqq.
Dæmon satis astutus non fuit, cùm per vnum Pilatum Christi mortem, & mundi salutem impedire voluit. PP2. p. 519.
Diaboli verbum apud Dauidem quod. PP2. p. 534.
Diaboli satellites sunt illi palpones, qui iuuenibus suadent licentiùs viuere, tanquam qui pœnitentiam agere possint, cùm senuerint. ibid. ad finē
Dæmoni præsumptio de bonitate Dei occasio liberiùs peccandi, & damnationis fuit. PP2. p. 536.
Dæmon magis efferatur in moribundos. PP2. p. 537. o.
Dæmon crudelis dominus. PPP. p. 391.
Dæmoniosus à diabolo mox eijciendo cruciabilissimè affligebatur. Quo documento? PP2. p. 539.
Dæmoni, vt pro Iobtis anima excubaret, non mandauit Dominus. PP2. p. 554.
Dæmon pios crudelius persequitur. PP2. p. 555. o.
Dæmon peccatores non quærit capere. PPP. p. 557.
Dæmon magno studio, & astu Christum in pinnam templi extulit. Quonam illo? PP2. p. 563.
Dæmon vaferrimè Sancto Iobti suas nuntiauit calamitates. PP2. p. 579.
Dæmon homines sequitur, quantum non vmbra corpus. PP2. p. 537.
Dæmonem vigilanter obseruare, cur ad horam Completorij maximè iubemur? PP2. p. 538.
Dæmones abituram è corpore animam circumpositâ obsidione custodiunt. PP2. p. 538.
Dæmon animæ nostræ arcem ex omni parte tentat PP2. p. 625.
Dæmon aurum præripit, & lutum reponit. PPP. p. 412.

*DAMNATIO.*

Damnatio æterna, quàm exiguâ delectatiunculâ incurritur. PPP. 267.

*DAMNVM INCOMMODVM.*

Damnum nullum felicius quod pro Deo toleratur. Abr. 1.
Vult damnum ipsum, qui illud prospicit & dissimulans non auertit. Abr. 87.
Damnum illud leuius, quod timore ante non cruciat. PP2. p. 578.

*DARDANENSES.*

Dardanenses ter in vita solùm lauabantur. Abr. 197.

*DARE.*

Dare debet qui vult recipere. Abr. 91.

*DAVID.*

Propheta Dauid hostibus circumdatus inuictam Domini dextram implorauit. Abr. 6.
Dauid non hostes suos puniri, sed solùm de manibus eorum se liberari petijt. Abr. 6.
Propheta Dauid petit, vt Deus ipse gladio se cingat. Quare? Abr. 8.
Dauid cur Deum volebat suum esse adiutorem. Abr. 205.
Dauid petebat liberari à peccato, quo se contaminatum non sciebat, sed tantùm suspicabatur. Ab. 191.
Dauid quare in chordis Deum laudare suadet. Abr. 193.
Dauid veritatem celans Abimelechum. Quare? PPP. 236.
Dauid cur occiso Goliath, caput attulerit Hebræis. PPP. 230.
Dauid in regem vnctus quanta passus sit, priusquàm honore, & commodis regijs gauderet. PPP. 264.
Dauidis planctus Absolone mortuo. PPP. 207.

Dauid natus Parentibus Dei cultoribus. PPP. 327.
Dauidi Deus etiam erat, qui Dominus. PP2. p. 468.
Dauid carnis suæ debita in carne eadem ipse luit. PP2. p. 531.
Dauid beneficium consecutus perstabat apud benefactorem. PP2. p. 604.
Dauid in maxima felicitate recensuit, quòd posteros habuit sanctos. Abr. 164.
Dauid blandis verbis Saulem ex homicida patrem, ouem ex lupo fecit. PP2. p. 606.
Dauid iurauit, & statuit custodire iudicia, & mandata quæcunque illa Dei. Quâ fiduciâ? PPP. 390.
Dauid Propheta maior à Nathane minore quædam didicit. PPP. p. 394.
Dauid cur ostio, non muro sibi claudi labia rogauit. PP2. 629.
Dauid Sauli quamuis reconciliato non credidit. Cur? PP2. p. 554.
Dauid non minùs laudabat Deum in iudicijs proferendo sententias, quàm in templo struendo, & cantando Psalmos. PP2. p. 642.
Dauid promptus fuit ad omnia mala subeunda, dum ne gratiâ Dei excideret. PP2. p. 648.

DECEPTIO, DOLVS, FRAVS.

Deceptio felicissima. PPP. p. 409.
Deceptio sensuum nostrorum in Sacramento altaris fructuosa. PPP. p. 411.
Dolus bonus quis. PPP. p. 411.

DEMOSTHENES.

Demosthenes quomodo oratorum Græcorum princeps effectus. PPP. 240.

DESPERATIO.

Desperationis fœda grauitas. PPP. 255.
Desperare peccator nullus debet. PPP. 392.

DESIDERIVM.

Tolerabilior euadet dilatio eorum, quæ petimus, si non desideria, sed merita nostra consulamus. Abr. 82.
Desiderium longum affert rebus pretium. Ab. 159.

DEVOTIO.

Solent plerique viam virtutis feruenter ingredi, at facilè à cœpto itinere deficere. Abr. 10.
Quò quis longæuior, eò & sit deuotior. Abr. 92.

DEVS.

Remunerare consueuit Deus permagnificè officia sibi exhibita licèt exigua. Abr. 2.
Pro costa ex latere Adami desumpta Deus carnem repleuit. Quare? Abr. 2.
Pro ære aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum donat Deus. Abr. 3.
Quid lucri sit perdere, aut periculo aliquid propter Deum exponere. Abr. 3.
Deus non illic vbi perditur, sed alibi inquirendus. Abr. 3.
Deus bonorum nostrorum non indiget. Abr. 6.
Deo ex nostris operibus nihil vtilitatis accedit. Abr. 7.
Deus in seipso perfectè beatus nullius alterius est indigus. Abr. 7.
Requieuit Deus ab omni opere, non in opere, quod patrârat. Abr. 7.
Deus requiescere, seu feriari ab opere qualiter dicatur. Abr. 7.
Deus inexhaustus est oceanus omnis boni, cæteri homines exigui riuuli, & minutæ guttulæ. Ab. 8.
Deum iustorum recordari, & eosdem amare idem sunt. Abr. 15.
Deo obligationes, plerumque eidem ingratiores. Abr. 34.
Deus non ità claudit fores misericordiæ claui iustitiæ, vt non aliquam rimam relinquat misericordiæ. Abr. 54.
Deus semper ad subueniendum paratus, dummodò illius opem admittere velimus. Abr. 81.
Ira Dei in peccatum sua torquet spicula, non in peccatorem. Abr. 88.
Cùm Deus nunquàm cesset benefacere, etiam nos ab illius cultu nunquàm debemus desistere. Abr. 92.
Si Deo placeas, non est quòd hominum dicta factaque cures. Abr. 97.
Deum habere propitium, & contentum, summa felicitas. Abr. 98.
Qui Deo viuit, etsi alijs rebus mortuus, verè viuit. Abr. 100.
Nullus locus ita absconditur, quin ibidem peccantes Deus clarissimè videat. Abr. 120.
Nihil quantumuis occultum, Dei oculis absconditum. Abr. 120.
Videri à Deo, & ab eodem amari, seu iuuari, idem sunt. Abr. 119.
Oculi diuini soles, qui peruident vniuersa. Abr. 120.
Tenebræ apud Deum nullæ, cùm tam clarè videat in densa caligine, quàm in medio sole. Abr. 120.
Castigare peccatores àdeo Deo inuisum, vt vnicum momentum, quo eos castigat, totius æternitatis duratio ei videatur. Abr. 128.
Beneficia præstare Dei proprium, punire ab eo alienum. Abr. 129.
Quantùm Deus ad benefaciendum propendet, tantùm ab infligendis pœnis abhorret. Abr. 129.

Adeò alienum à Deo punire, vt miraculo tribui possit cùm infert supplicia. Abr. 129.
Deus hominibus benefaciens ad amplius benefaciendum quasi incitatur. PPP. 226.
Deus omnia videt. PPP. 236.
Pati & ridere in domo Dei iunguntur. PPP. 263.
Deus quare subinde beneficia tardiùs det. PPP. 271.
Dei cognitio vera olim Hierosolymis. PPP. 285.
Deus benefacit manu propriâ, plectit alienâ. PPP. 366.
Dei ingenium ex se aliquando æstimant homines. PPP. 380.
Deus cuiq; id est, quod præcipuè colit. PP2. 467.
Deus cur ex toto corde vult diligi. ibid.
Deus neminem suprà vires grauat. PPP. 387. o.
Deus nos fallit, vt amorem suum prodat. PPP. 411.
Deus sextiduum creationi mundi dedit, qui momento condere eum potuit. Cur? PP2. 466.
Deus meus es tu dicere pauci possunt. PP2. 468.
Dei ordinationi submissè hilariterq; obtemperato. PP2. 497.
Deus prolixiùs eos remunerat, qui diligentiùs ei inseruiunt. Abr. 129.
De misericordia diuina nunquàm desperandum. Abr. 138.
Solet Deus similia peccatis supplicia irrogare. Abr. 138.
Qui Deo in sola prosperitate seruit, hic Deum sincero amore non diligit. Abr. 147.
Dei solùm in prosperis memor suam potiùs commoditatem quàm Dei quærit honorem. Abr. 148.
Deus dedit nobis posse fieri filios Dei, non statim fecit. Cur? Abr. 160.
Differt quæ petimus, vt ardentiùs petamus. Abr. 160.
Carnes Hebræis nō antè dedit, quàm rogassent. 161.
Quos miseratur Deus, citò castigat, vt non diutiùs affligantur futuri expectatione iudicij. Abr. 179.
Deus vult nos habere cooperatores. Abr. 204. o.
Deus qui dat maiora, minora non negat. Abr. 201.
Deo qui destituitur, bonis omnibus nudus est. Abr. 202.
Deus hominum adiutor. Abr. 205.
Deus fidus amicus vices cumulatè reddens. Abr. 207.
Deus nobis talis, quales nos Deo. Abr. 209.
Deum, quiscunque ille esset, dignum honore putauit gentilis Eglon. PP2. 498.
Vt Deo quisque seruit, ità & proficit. PP2. 500. o.
Deus in medio suorum est, quià omnibus communis. PP2. 506.
Dei gratia communis omnibus hominibus. ibid.
Deus curam totius orbis terrarum communem habet. PP2. 508.
Deus cùm imperat laborem, etiam perficiendi vires ministrat. PP2. 569. o.
Dei auxilium semper præstò his, qui pro eius nomine, & iussu aliquid vel faciunt, vel tolerant. PP2. 570.
Deus nostram cooperandi solicitudinem requirit. PP2. 572. o.
Deus nos sibi desponsat. Quo mysterio? PP2. 573.
Deus eorum pedes à lapsu eruit, qui ipsi cauent à lapsu. PP2. 575.
Deum pro Deo relinquere aliquando consultum, & consulendum. PP2. 588. o.
Deus negligentiam iubet, vt obedientiam probet. PP2. 631.
Deus penduli è patibulo furis spectaculo quodammodò æquè oblectatur, ac Sacerdotis ad aram sacrificantis, dum rectus iustitiæ ordo in plectendis sceleribus seruetur. PP2. 640. o.
Deus agricola est, qui palmitibus, non radici curam confert. PPP. 430.

*DIGITVS.*

Digiti virorum perfectorum symbolum. Abr. 101.

*DILIGENTIA.*

Diligentia abundans non nocet. Abr. 205. o.

*DINA.*

Dinam vnam custodes plurimi seruare non potuerunt. PP2. 628.
Dinæ curiositas quantorum malorum causa. PP2. 628.
Dinam nimia reclusio cupidam exeundi fecit. PP2. 634.

*DISCIPVLVS.*

Discipuli cùm magnam Christi potestatem sensérunt, augeri sibi fidem rogârunt. Quo documento? PP2. p. 479.

*DISCRETIO.*

Discretione moderare tuum iter, vt profectio tua possit esse diuturna. PP2. 619. o.
Discretio omni virtuti ordinem ponit. PP2. p. 620.
Discretio moderatrix actionum nostrarum esse debet, vt sint vtiles. Abr. 193.

*DISSIMVLATIO.*

Vbi occurrunt quæ & offendere, & recreare te possint, hæc cogita, illa dissimula. PP2. 662. o.

*DISTRACTIO.*

Multas & Missas audire, & fundere preculas, & audire exhortationes cum multa distractione parum

uam adfert vtilitatem. Abr. 175.

*DIVITIÆ.*

Subitam diuitiarum affluentiam examinare non erit vana curiositas. Abr. 21.

Opulentia & concordia simul stare nequeunt. Abr. 23.

Nulla calamitas maior diuitiarum cupiditate. Abr. 23.

Diuitiarum cupiditas bellorum omnium origo. Abr. 23.

Animalia terrestria diuitijs inhiantium, volatilia terrena despitientium sunt hieroglyphica. Abr. 24.

Diuitiæ non solùm habitæ, sed etiam nondùm occupatæ inquietem & dissidia generant. Abr. 24.

Diuitiarum desideria nunquàm satiantur. Abr. 93.

Diuitiæ quomodo excœcent hominem. PPP. 349.

Diuitiæ quando non sint noxiæ? PPP. 350.

*DOMINVS.*

Dominandi libido quanta. PPP. 310.

Dominus noster si non sit etiam noster Deus, non satis id nobis. PP. p. 466. o.

Domino supremo soli seruire & maximè debemus, & facillimè possumus. PP2. p. 505. o.

Dominis multis seruire difficile. PP2. 658.

*DVBITATIO, HÆSITATIO, & FLVCTVATIO ANIMI.*

Pœnalius tormentum est animi, dubium & perplexum hærere, quàm duro ligno affigi. Abr. 178. o.

Fluctus & dubitatio, procella & animi hæsitatio, tempestas & consilij inopia idem sunt. Abr. 178.

Malunt quidam citâ morte, quod malè fecerunt luere, quàm diu animo suspensi hærere. Abr. 178.

# E.

*ECCLESIA.*

Qui instar lapidis se cœdi & expoliri non sinit, aptè in Ecclesiæ ædificio collocari non potest. Abr. 27.

Ecclesia & fons est, & puteus. Abr. 204.

Ecclesiæ grauissimum detrimentum direptio librorum. PPP. 328.

Ecclesia Christiana in pluribus vna, in singulis tota. PP2. 528.

*ELEEMOSYNA.*

Eleemosynæ virtus oleum. Abr. 200.

*ELEPHAS.*

Elephas proboscide abscissâ moritur. PPP. 341.

*ELIAS.*

Elias filium viduæ resuscitaturus, è sinu matris sublatum in lecto suo reposuit, quare? Abr. 5.

Elias morti succumbere maluit, quàm timori. PP2. 577.

Eliæ alimonia vnde allata. PPP. 223.

Eliæ oratio tunc efficacior fuit, cùm Deum à benefaciendo prohibuit, quàm cùm ad dandam pluuiam permouit. PP2. 586.

Elias de rudi, & vili habitu omnibus notus. PP2. 600.

Elias paupertatis Euangelicæ ante Euangelium promulgatum cultor. ibid.

Eliam paupertas sua intrepidum fecit. ibid.

Elias sub vili habitu potestatem plusquàm regiam occultabat. PPP. 394.

Eliæ lingua frænum cœli. PPP. 395.

*ELISEVS.*

Eliseus à quibusdam militibus primùm insanus, posthæc verus vates habitus. Cur? PP2. 607.

*EPHRAIM.*

Ephraim columba seducta cur dictus. PP2. 552.

*EPISCOPVS.*

Episcopus quis deligendus? PPP. 290.

Episcopi propriæ functiones. PPP. 320.

*ESAV.*

Esau nascens totus pilosus. PPP. 315.

Esau quàm impatiens famis. PPP. 339.

Esau intemperatus ac inordinatus appetitus. PPP. 348.

Esau in delectione vxorum cur errauit. PPP. 374.

Esau seruus, sed fratris, neque perpetuus. Quo mysterio? PP2. 496.

*EVCHARISTIA.*

Diuinissimo Sacramento instituto cur Christus montem Oliueti ascenderit. Abr. 111.

Eucharistiâ refectus, hymnis, & precibus munitus, debet nihilominùs ad misericordiam Dei fugere. Abr. 192.

Eucharistiæ Sacramentum affectu antè præcipiendum, quàm affectu. PPP. 413. o.

Sitis ad Sacramentum Eucharistiæ adferenda. PPP. 416.

Eucharistia mors malis, vita bonis. PPP. 433.

Eucharistia est baculus, sed instar dolonis. PPP. 423.

Eucharistiæ damna non ab illa veniunt, sed à nostra indignitate nascuntur. PPP. 426. o.

Eucharistiam aliqui tanquàm stipula ignem ad[eunt]. PPP. 427.

Eucharistica mensa est amabilis excruciatio voluntatis. PPP. 434. o.

Eucharistia lac. Cur? PPP. 428.

Eucharisticus panis suauissima intellectus defatigatio est. PPP. 431. o.

Eucharisticum conuiuium potentissimè torquet memoriam. PPP. 437. o.

EXACTIO.

Rex Ioachim de immoderatis exactionibus & ergà subditos crudelitatibus à Propheta reprehenditur. Abr. 111.
Nimijs exactionibus, velut sectione venæ & sanguinis emissione subditi consumuntur & deficiunt. Abr. 112.

EXEMPLVM.

Exempli quanta efficacitas. PP2. 518. o.
Exempla Sanctorum damnant nostram ignauiam. PP2. 616.
Exempla Sanctorum spem nobis faciunt. PP2. 617.

EXISTIMATIO.

Præclaram apud homines habere existimationem & Deum offensum summa infelicitas. Abr. 98.

EXPECTATIO.

Expectationis molestia tanta, vt numerari in martyribus queat, qui diu expectat. Abr. 161. o.
Expectabundos Apostolos vi singulari confirmauit Christus. Abr. 162.
Expectare, & expirare videntur idem esse. ibid.
Expectatione rei desideratæ extenditur, & torquetur animus. ibid.

EZECHIEL.

Ezechiel in cincinno capitis apprehensus, eleuatus inter cœlum & terram, adducitur in Hierusalem, quid designet. PPP. 221.

# F.

FACERE.

Cura de factis aliorum non habenda sed de proprijs. Abr. 5.
Imperitorum proprium est ad facta aliorum attendere. Abr 5.
Inertium est factis aliorum sua inumbrare. Abr. 5.
Facere potest quilibet, quod potuerunt omnes, & fecerunt multi. PP2. 614. o.
Facere maiora, & intermittere minora, vel est inopia ingenij, vel infirmitas voluntatis. Abr. 200. o.

FAMES.

Fames sub Abrahamo, ab ea quæ sub Isaaco orta est, centum annis præcessit. PPP. 364.

FELICITAS.

Caduca mortalis vitæ pro gloria Domini contemnere, summa felicitas. Abr. 1.
Felicitate intumescere vel frangi calamitate insignis stultitia. Abr. 146.
Felicissima deceptio. PPP. 409.

FESTINATIO.

Festinatio nimia damnosa. PP2. 619 o.
Festinatio nimia facit, vt antè deficias animo, quàm absoluas opus. PP2. 621.

FIDES.

Fidere censum debitori, & credere deceptori nemo solet. PP2. 553.
Hominum fucatorum liberalitas auaritia est, fides perfidia. PPP. 405.
Per fidem in captiuitatem, & obsequium Christi redactus intellectus plùs quodammodo cognoscit, quàm beati videant in gloria. PPP. 433.
Fides cur animosa appellatur. PPP. 433.

FICTIO.

Ficta est quorundam etiam ergà suas animas comitas. PP2. 561.

FICVS.

Ficus hieroglyphicum est Ecclesiæ. Abr. 92.
Ficus molliores densiore, ac validiore tegumento foliorum natura muniuit. Quo mysterio? PP2. 652.

FILIVS PRODIGVS.

Prodigus filius cur stolâ primâ antè vestitus, quàm ad esum vituli saginati admissus. PPP. 421.

FOENVM.

Fœnum sponte nascitur. PP2. 586.

FONS.

Fontis & putei quod discrimen? PP2. 450.

FORTVNA.

Rex victorijs non debet extolli, sed fortunæ volubilitatem perpendere & extimescere. Abr. 55.
Fortunæ prosperitate sublimes maioribus egent auxiliorum copijs, quàm grauiori calamitate oppressi. Abr. 58.
Fortunæ sola constans inconstantia. Abr. 191.
Fortunæ mutabilitas. PPP. 294.

FRAGILITAS.

Fragilitatis propriæ memores compati debemus alienæ. Abr. 52.
Qui lapsibus aliorum non compatitur rationis inopiâ laborat. Abr. 53.
Culpæ ex ignorantia seu fragilitate commissæ de facili remittuntur. Abr. 151.
Peccantibus ex ignorantia seu fragilitate facilè, ex malitia peccantibus difficulter conceditur remissio. Abr. 152.
Seuerè castigatur peccatum quod præmeditatè committitur. Abr. 152.

FVMVS.

FVMVS.

Fumus contrà aduersum ventum fortiùs nititur. PP2. 630.

Fumus contabesceret mœrore, si rationis compos esset. Cur? PPP. 435.

Fumo nihil comburi potest. ibid.

G.

GENVS, PROSAPIA, STEMMA, &c.

Generis vilitas neminem contristare debet. Abr. 167. o.

Genus proprium quisque sibi facit. Abr. 168.

GIGAS.

Violentes gigantes, & cadentes scriptura pro eisdem habet. PP2. 548.

GLORIA COELESTIS.

Qui volens præsentem quietem & gloriam contempserit, inueniet futuram. Abr. 97.

Corona gloriæ non datur incipientibus, sed fortiter vsque in finem perseuerantibus. Abr. 12.

Cœlestis gloriæ magnitudo & dignitas. PPP. 270.

Nemo consors gloriæ, qui non socius pœnæ. PP2. 593.

GRATIA DEI.

De gratia non nimium fidendum. Abr. 60.

Gratia Dei eiusdemque beneficia sunt bona mobilia non fixa & perdurabilia. Abr. 60.

Nemo sibi securitatem de gratia diuina valet promittere. Abr. 60.

Gratia Dei communis omnibus hominibus. PP2. 567.

Gratiarum, & virtutum thesauros cum inanis gloriæ leui aura commutare, stultissimum. PP2. 509.

GRVES.

Grues vigilantiæ hieroglyphicum. Abr. 20.

Grues docent suo exemplo fugere præfecturas. PP2. 564.

GVLOSITAS.

Gulositas quantum malum. PPP. 346.

H.

HÆRES.

Hæredes defunctis suis hoc faciunt, quod Hebræi illis ab Angelo trucidatis Assyrijs militibus. PP2. 433.

Hæredibus ergò noli tua curanda relinquere. ibid.

HÆRESIS.

Hæresis primò languorem, posthæc interitum adfert. PP2. 464.

HEBRÆVS.

Hebræi in ipso portu, hoc est, terræ promissæ conspectu naufragati quos significent. PP2. 523.

HELI.

Heli à Domino castigatus, retinet ex posteris in altaris ministerio. PPP. 298.

HERCVLES.

Hercules effœminatus, & deridiculus habet sui similes multos Christianos. PP2. 510.

HERODES.

Herodis simulata deuotio. PPP. p. 406.

Herodis sepulchrum in modum mammæ exstructum, quid signet. PPP. 249.

HISPANVS.

Hispani ex suæ terræ victu astuti, & iudicio præstantes. PPP. p. 429.

HISTORIA.

Historiæ laus & vtilitas. PPP. 333.

HOMICIDIVM.

Homicidium Cain à quo didicerit. PPP. 244.

HOMO.

Si homo velit, nil adeò difficile quod non possit. Abr. 20.

Nihil infelicius homine in cunctis prospero. Abr. 58.

Hominum fortunatorum status periculosissimus, miserorum & infelicium tutissimus. Abr. 59.

Homo ipse suæ sibi perditionis est architectus. Abr. 80.

Sterilitas spiritualium profectuum ex propria animæ culpa oritur. Abr. 80.

Homines procul posita despiciunt etiam quæ proxima, nisi proximè eos attingant. Abr. 198. o.

Homines operantur cibum, quem Deus dat. Abr. 204.

Hominis pœnitentis pulchrum speculum filius prodigus. Abr. 205.

Homo luti liquor vocatus. Quare? PPP. 250.

Hominis vita quasi candela. PPP. 251.

Homo nascens morti initiatur. PPP. 251.

Hominis ad malum procliuitas. PPP. 316.

Hominis ad bonum segnities. PPP. 317.

Homo cur à Deo vltimò creatus. PPP. 369.

Homines ex sese plurimùm æstimant cùm alios sui similes, tum etiam aliquando Deum. PPP. 380.

Hominum mores tales sunt, vt maximè cibo pereant. PPP. p. 428.

Homo durus, & obstinatus ferrum. PPP. p. 427.

Homo sumpturus eucharistiam seipsum probare debet, non cibum, quem sumet. PPP. p. 430.


Homi-

Homines illud scire auidiùs concupiscunt, quod ingenio minùs assequi possunt. PPP. p. 431.
Homo qualem Deo hostiam pro sacrosancta corporis, & sanguinis hostia offerat. PPP. p. 440.
Hominem delicatum, & qui diu felix fuerit, quæuis molestiola deijcit. PP2. p. 454.
Homo cur microcosmus dictus. PP2. p. 465.
Hominis magnitudo, & præstantia non de primo aspectu æstimanda. PP2. 475. o.
Homines ergà virtutem auari, ergà vitia prodigi. PP2. p. 487.
Homo ad mala facilis, difficilis ad bona. PP2. 487.
Homines ad consonantiam salutis composuit Deus multis modis. ibid.
Homines pleriq; diuites ad luxum, pauperes ad misericordiam. PP2. p. 488.
Homines astuti, & sordidi tunc solent sua offerre, quando vident non posse esse vsui. PP2. p. 558. o.
Homo felix esset, si pari solicitudine curaret spiritualia, ac temporalia. PP2. p. 484.
Homines ingeniosi ad vitia, rudes ad virtutum exercitia. Indignum! PP2. p. 569.
Homo quilibet Christianus maximis debitis prægrauatus. PP2. p. 542.
Homo ne otium quidem obseruaret imperatum, nisi mortis pœna ad præceptum accederet. PP2. p. 631.
Homini mortem adferre celeriorem solet, quod ille maximè demoritur. PP2. p. 637. o.
Hominum ea est ignorantia, vt ea maximè à Deo flagitent, quæ si concedantur, sint maximè nocitura. PP2. p. 639.
Homines amant dicere, quæ sibi honorifica, & tacere, quæ parùm deceant. PP2. p. 642. o.
Homines commune lucrum, sed non dispendium amant. ibid.

*HONOR.*

Honori, detecto capite sacrificatum. Quare? PPP. 311.
Honores auro venales quot malorum causa. PP2. p. 491.
Homini cur Deus alimenta exteriora dederit. PPP. 372.
Iuri suo & honori quandoque cedendum, ne pax dissoluatur & concordia. Abr. 26.
Qui iuri suo & honori nouit cedere, facilè quæcunque libent obtinebit. Abr. 27.

*HORTVLANVS.*

Hortulani industrij blanda manus quid possit. PP2. p. 605.

*HORTVS.*

Hortus hieroglyphicum est animæ sanctæ. Abr. 107.
Hortum flos vnus non facit, nec virtus vna sanctum. PP2. p. 477.

*HOSPITALITAS.*

Hospitalitas & mortis recordatio Abrahamum euexit. PPP. 352.

*HOSTIS.*

Stultus est, qui sospitatem ab hostibus expetit. PP2. p. 553.
Hosti clauso ex desperatione crescit audacia. PP2. p. 634.
Hostem vigilem, & agrum incultum nemo dormiens vnquàm subegit. PP2. p. 592.
Hoste cum insomni qui pugnat, non dormiat. PP2. p. 622. o.
Cum hoste fugato non fugit nostrum periculum. PP2. p. 623.
Hostis vnde irruat, vigilanter attendendum. PP2. p. 624.

*HVMANVS.*

Amentiâ laborat, qui putat omnes ergà se fore largos & humanos, cùm ipse in neminem sit prolixus & humanus. Abr. 90.

*HVMILITAS.*

Autoritatis iacturam aut dignitatis imminutionem ex humilitate nemo fecit. Abr. 115.
Abiectorum officiorum administrationem nemo debet refugere. Abr. 115.
Humilitas simulata. PPP. p. 407.

*HYDRIA.*

Hydrias nuptiarum ab alijs impleri aquâ, aquam autem ipse Dominus vertere in vinum voluit. PPP. p. 388.

# I.

*IACOB.*

Iacob quarè non admissus est ad osculum Patris, nisi post tactum, post prandium. PPP. 265.
Iacob scientiã suam hausit ex frequentatione scholæ Melchisedech & Heber. PPP 327.
Iacob Dominus Esau quia dabat operam sapientiæ. PPP. 335.
Iacob temperantiore victu primogenita consecutus est. PPP. 351.
Iacob delicatè educatus duro solo lassa membra afflixit. Quo documento? PP2. p. 452.
Iacobtis illud votum, *Erit mihi Dominus in Deum*, quale. PP2. p. 467.

Iacob

Iacob licitè desiderauit pulchritudinem Rachelis. PP2. p. 482.
Iacob sibi tribuit, quòd non maiora Dei beneficia acceperit. PP2. p. 501.
Iacob Iordani proximus totam noctem duxit insomnem. Quo mysterio? PP2. p. 524.
Iacob denique credidit ampliùs labantia, quo tam crebram fraudem fuerat passus. PP2. p. 552.
Iacobti ad patriam tentendi multa per viam obstiterunt. PP2. p. 555.
Iacob prælatorum exemplar. PP2. p. 561.
Iacob cùm patriam repetijt, obuiam habuit castra Dei. Quo mysterio? PP2. p. 569.
Iacob quamuis certum haberet, Deum sibi adfuturum adiutorem, curæ tamen propriæ, quâ euadere fratrem iratum saluus posset, prætermisit. PP2. p. 572.
Iacob voluit spatium esse inter gregem, & gregem. Cur? PP2. p. 578.
Iacob fratrem muneribus placauit, & cœcauit. PP2. p. 581.
Iacob oratione, & lachrymis cum Deo colluctatus. PP2. p. 585.
Iacob intermittere orationem, cùm dilucesceret, iussus. PP2. p. 588.
Iacob fuit meticulosus, quando copiosus. PP2. 597.
Iacob dictus postea Isrâel. Quo mysterio? PP2. p. 591.
Iacob vt irato fratri suo supplex erat, ità eiusdem placati, & iam beneuolentis humiliter obseruans fuit. PP2. p. 605.
Iacob blandiloquentiâ verborum ferreum fratris pectus expugnauit. PP2. p. 605.
Iacob dixit, vidisse faciem fratris, quasi vultum Dei. Cur? PP2. p. 607.
Iacobti periculum aliud ex alio natum PP2. p. 625.
Iacob ioco primùm petijt primogenita sibi pro pulticula vendi. PP2. 635. & seqq.
Iacob quanto studio vernaculos suos à deastrorum cultu & peccato deterruit. PP2. p. 649.
Iacob cur Beniamin filium suum sic vocauit. PP2. p. 663.
Iacob cur fleuit, cùm Rachelem osculatus. PPP. 438. & seqq.

*IEHOVA.*

Nomen Iehoua solus sacerdos magnus proferebat, idque tantùm in nuptijs. Abr. 197.

*IEIVNIVM.*

Ieiunantes vngere caput, & lauare faciem iussi. Cur? PP2. p. 579.
Ieiunij laus & vtilitas. PPP. 340.
Ieiunij vires ac robur. PPP. 354.
Ieiunans Dominus quasi aciem ad quatuor mundi plagas adornauit. PPP. 355.

*IEPHTE.*

Iephte Galaaditis ducatum militiæ offerentibus non statim credidit. Cur? PP2. p. 553.
Iephte filia claustro inclusa spiritualiter sacrificata fuit. PP2. p. 627.

*IERICHO.*

Ierichuntis prædam cur milites contingere prohibiti, Hai verò diripere iussi sint. PPP. 265.

*IGNIS.*

Ignis contrà naturam propriam descendit in Sodomam. Cur? Abr. 139.
Ignis tribus pueris ieiunio ornatis nil nocet. PPP. 355.

*IGNORANTIA.*

Ignorantia quamuis peccatum non extinguat, extenuat tamen. Abr. 134.

*IMAGINATIO.*

Imaginatio nostra multùm conuenit cum hyperbole. Abr. 17.

*IMBECILLITAS.*

Imbecillitas virium humanarum absque diuino auxilio quanta. PPP. 258.
Stulti sunt, qui cùm sint imbecilles, non timent incurrere, vbi fortissimi ceciderunt. PP2. p. 534. o.

*INCONSTANTIA.*

Actus scenicus inconstantiam adumbrat. Abr. 14.

*INFANS.*

Infantes cum parentibus in Sodoma cremati, ne diu viuentes grauiùs peccarent, & duriùs punirentur. Abr. 142.
Infantium ab Herode interfectorum felicitas. Abr. 144.

*INFELICITAS.*

Infelicitas summa est, mortem inde haurire, vnde alij vitam accipiunt. PPP. p. 422. o.

*INFERNVS.*

Inferni ianuam pulsat, qui se libidini tradit. Abr. 49.
Inferorum cruciatus si quis momento degustaret, omnia vitæ huius mala libenter toleraret. Ab. 198.

*INFIDVS.*

Infido aliquid aliquando fidere, sagax nonnunquàm industria est. PP2. p. 631. o.

*INGRATITVDO.*

Nil æquè excruciat atque ingratitudo. Abr 84.

INIMICVS.

Diligens inimicos congerit carbones super caput eius. PP2. p. 618.

Inimicos diligens congerit carbones super caput eius. Quomodo? PP2. p. 619.

INIVRIA.

Iniuriarum condonatio, & obliuio operosissimum opus. PP2. p. 609. o.

Iniuriarum æquanimis tolerantia res est mirissima, & memorabilissima. PP2. p. 610. & seqq.

Iniuriarũ septuagies septies condonandarum commemoratio Petrum in stuporem adduxit. PP2. p. 611.

Iniurias vlciscendi modum Christus docuit. PP2. p. 617. & seqq.

INNOCENS.

Innocentis à Sancto discrimen. Abr. 130.

Innocentia per gradus discedit. PP2. p. 464.

INOBEDIENTIA.

Inobedientia est peccatum mundi, quod Ioannes Christum tollere dicit. Abr. 10.

Nullum in mundo vitium præter inobedientiam, nec virtus vlla præter obedientiam. Abr. 10.

Inobedientem omnibus vitijs contaminatum præsumendum. Abr. 10.

Inobedientia ommia peccata includit. Abr. 10.

INTELLECTVS.

Intellectus bonitas non in præceptorum diuinorum intelligentia, sed in eorundem obseruatione consistit. Abr. 7.

Præceptorum diuinorum intelligentia non exiguũ misericordiæ diuinæ beneficium. Abr. 7.

Intellectus voluntatis in operando diuersitas, & qui intellectui, qui voluntati assimilentur. Abr. 110.

Ingenij vena non æquè semper currit. PP2. p. 460.

Ingenij luxuria restringenda. PPP. 432. & seq.

INVIDIA.

Inuidiosus qui non fuerit, felix censeri non potest. PPP. 382. o.

Inuidere se omnes negant. Cur? PPP. p. 384. & seq.

Inuidiæ aptum symbolum ignis. Cur? PPP. p. 383.

Inuidere alicui est magnificare illum. PPP. p. 385.

Inuidus primitias quasdam pœnæ perpetuæ habet. PPP. p. 385.

Immò dæmonem in seipso nutrit. PPP. 386.

Inuidi vtinam oculos vbique haberent. PPP. p. 387.

IOANNES BAPTISTA.

Ioannes Christum Dei agnum bis demonstrauit. Cur? Abr. 206. & seqq.

Ioannes Baptista in carceres, non de suo periculo, sed aliena salute solicitus est. PPP. 275.

Ioãnes Baptista in flore ætatis obtrũcatus. PPP. 292

Ioannes Baptista prudens concionator. Cur? PP2. pag. 445.

Baptista pauper vnus, solusque Herodem arguere ausus. PP. 2. p. 597. & seqq.

S. IOANNES EVANGELISTA.

Ioannes Euangelista Historiæ suæ, initium & finem librum ponit. PPP. 330.

IOB.

Iob pro tribus amicis orare iubetur? PPP. 301.

Iob à sancto Hieronymo latinitate donatus recepit duplicia pro iis quæ amiserat. PPP. 334.

Iob à patria laudatus. PPP. 374.

Iob pater, non patronus, non adiutor tantùm pauperum fuit. PPP. p. 399.

Iob ex omnibus sanctis solus exemplum patientiæ datus. Cur? PP. 2. p. 454.

Iob quare cunctis diebus sacrificia offerebat? PP. 2. p. 457.

Iobtis vxor virum obiurgans, Deum non accusat. Cur? PP. 2. p. 498.

Iobti recordationem Dei adimere dæmon voluit. PP. 2. p. 498.

Iob docuit, quantùm formidare iudicem Deum debeamus. PP. 2. p. 541.

Iobtis amici serò illum inuiserunt. Cur? PP. 2. p. 550.

Iobtis animam non commisit Deus diabolo custodiendam. Cur? PP. 2. p. 554.

Iob vxorem primam, vt quidam volunt, repudiauit. Cur? PP. 2. p. 592. & seqq.

Iob cur in terra Hus habitasse fertur? PP. 2. p. 616.

Iob Deum semper quasi tumentes, sibique imminentes fluctus cur timuit? Abr. 192.

Iob quotidie diluculò sacrificia offerebat Deo, vt liberos à cogitationum peccatis seruaret. PP. 2. p. 653.

Iob cogitabat se nudum exiisse ab vtero matris, cùm rebus omnibus nudum videbat. Cur? PP. 2. 664.

IONAS.

Ionas Deum, quem in terra perdidit, in mari inuenit. Abr. 3. & 4.

Ionas in terra contumax, & refractarius, in mari humilis, & obsequens. Abr 4.

Ionæ ex ventre ceti oratio. PPP. 304.

Ionam in mare coniecturi nautæ cur tam diu cunctati. PP2. p. 525.

Ionam esse religiosum nautæ de veste sunt arbitrati. PP. 2. p. 551.

IONATHAS.

Ionathæ sagitta nunquàm redijt retrorsùm. Quo mysterio? PP. 2. p. 582.

IOSEPH ÆGYPTIVS.

Ioseph inquirens fratres errat in via. PPP. 374.
Ioseph cur mundi saluator dictus à Pharaone, qui solam saluauit Ægyptum? PP. 2. p. 529.
Ioseph fratribus autor fuit, vt dicerent vnam pastoritiam vitam à pueris egisse. Cur? PP. 2. p 545.

IOSEPH ARIMATHÆVS.

Ioseph ab Arimathia an aurum dederit pro Corpore Christi Pilato. PPP. 269.
De Ioseph Arimathæo nulla fit in Scriptura mẽtio, nisi cùm petiisse corpus IESV à Pilato fertur. Cur? Abr. 189. & seq.

IOSVE.

Iosue quàm diu filius Nun dictus. Abr. 166. & seq.
Iosue vnde animatus vt solem sisteret. PPP. 228.
Iosue cur monitus, quòd Hethæos subacturus esset. PP. 2. p. 595.
Iosue prudens militum ductor. PP. 2. pag. 446.

IRA.

Irasci quandoque necessarium, at peccato non peccatori. Abr. 89.
Iræ violentus, & tyrannicus affectus. PP. 2. p. 609.

ISAAC.

Isaac habitasse iuxtà puteum, quid designet. PPP. 218
Isaac cur tam ardenter orârit absente seruo Eleiezer PPP. 263.
Isaac quadraginta annorum ducit vxorem. PPP 263
Isaaci studium in imitando Patre. PPP. 373.
Isaac formidabilis Palæstinis. Cur? PPP. p. 399.
Isaac, & Rebeccæ iocus qualis. PPP, 380.
Isaac patris sui puteos refodit. Cur? PPP. p. 414.
Isaac ordinationi Dei humillimè, & promptissimè subiectus fuit. PP. 2. p. 499.
Isaac cur tam anxiè inquirebat in eum, cui benedicere volebat? PP. 2. p. 526.
Isaacum sic felicitauit Dominus, vt etiam inuidiosum illum faceret. PPP. p. 383.
Isaac hæredem suum longis ante obitum suum annis renuntiauit, meritò imitandus. PP. 2. p. 532.

ISAIAS.

Isaias clamârat, prædicârat, benè monuerat, & quanquàm nihil effecerat apud auditores, mercedem tamen à Deo expectabat. PPP. p. 389 & seq.
Isaias ex charitate periculosæ prædicationi se obtulit. PP. 2. p. 493.
Isaias semel prædicationi promptè sese obtulit, posthæc non iterũ. Cur? PP. 2. p. 645.

ISMAEL.

Ismaël quomodo mortuus. PPP. 252.
Ismaëlis cur præter liberorum numerum vix fiat vlterior mentio. PPP. 246.
Ismaëlem exercuisse latrocinia, nugamentum. Quare? PP. 2. p. 541.

ISRAELITÆ.

Israëlitæ non pugnarunt priusquàm panem de cœlo, & aquam è petra acceperunt. Quo mysterio? PP. 2. p. 556.
Israëlitæ persæpe abluti priusquàm panem Angelorum consecuti. Quo mysterio? PPP. p. 420.

IVDAS PRODITOR.

Iudas suâ sponte abiuit ad proditionem, & laqueũ. PP. 2. p. 502.
Iudæ intemperans in vxorem amor fecit, vt reculas suæ fidei creditas depecularetur. PP. 2. p. 600.

IVDÆVS.

Iudæi Cæsarem dixerunt suum regem, qui tyrannũ experiebantur. Cur hoc? PP. 2 p. 527.
Iudæi quomodo tam subitò illam longam passionis Christi tragœdiã adornare potuerunt. PPP. p. 416
Iudæorum primores cur ministros submiserunt, & non ipsi abierunt, vt Christum caperent. PP. 2. p. 644.

IVDEX.

Iudicibus non Regibus saluatorum nomen concessum, quare? Abr. 31.
Supplicia cunctanter maturoque consilio inferenda. Abr. 123.
A iudice sententia non nisi præuio maturo consilio contrà reum ferenda. Abr. 124.
Deus diabolum inauditum damnare noluit, iudicibus in hoc præbens exemplum. Abr. 131. & 132.
Condemnare inauditum, & reo defensionis negare locũ, tam iuri diuino, quàm naturali & humano contrarium. Abr. 131.
Non castigauit Deus primos parentes nisi præuiâ propriâ ipsorum confessione. Abr. 132.
Iudices imitari debẽt citharædos & quare? Abr. 132.
Iudex priùs bonis æternam beatitudinem, deinde reprobis æternũ supplicium decernit. PPP. 363.
Iudex cunctator esse debet, cùm de vita pronuntiaturus. PP. 2. p. 525.
Iudicem Deum qui non timet, næ ille rationis laborat iudicio. PP. 2. p. 540.

Iudex Deus quàm formidabilis, Iob docet. PP. 2. p. 542.
Iudicē deū Ezechiel vehementer timuit. PP 2. 542.
Iudex malorum, aut reorum tortor non putet irreligiosum, aut prophanum. PP. 2. p. 641.

*IVDICIVM.*

De secretis cordium iudicare, soli Deo reseruatum. Abr. 126.
In totam sanctissimam Trinitatem peccant, qui proximum temerè iudicant. Abr. 126.
Temerè iudicandi peccatum adeò graue, vt quasi solum requirat redemptorem. Abr. 126.
Iudicium temerarium adeò graue peccatum, vt ad alia sit qualis trabs ad festucam. Abr. 127.
Iudicium temerarium omnia alia peccata excedit. Abr. 127.
Iudicia hominum vnde tam diuersa. PPP. 380.

*IVRAMENTVM.*

Iuramentum per nomen Dei non leuiter sed magna cum reuerentia faciendum. Abr. 56
Tanta quodammodo requiritur dispositio ad iurandum, quanta ad communicandum. Abr. 58.
Horribile per sacrosanctum nomen Dei iurare. Abr. 57.
Iuramentum antiquitùs non nisi à ieiuno fiebat. Abr. 58.

*IVRISPRVDENTIA.*

Iurisprudentiæ tyronibus primo loco magis perspicua, & leuiora proponenda. PP. 2. pag. 447.

*IVSTVS.*

Iusti sunt robusti athlantes, quorum humeris nititur machina mundi. Abr. 156.
Sunt fulcra humani generis. ibid.
Iusti meritorum suorum opulentiâ reliquos homines locupletant. Abr. 156.
Quod columna domui, quod ratio animo, hoc vir iustus mundo. Abr. 157.
Pro longæua iustorum vita Deus exorandus. Abr. 157.
Iustus cur super aspides, basiliscos, leones, draconesq; ambulaturus dicitur. Abr. 173. & seq.
Iusti etiam à morte ab iniustis separari voluerunt. Abr. 194. & seq.
Iustorum Virtutes, & actiones tam variæ ac multiplices, cur ex SS. Scripturis nobis referantur? PPP. 220.
Iusto nullus formidabilior leo. PPP. 399. o.
Iustus etiam mortuus viuentibus est terrori. PPP. p. 400.
Iustitia, & veritas tandem obtinent. PPP. p. 402.
Iusto nihil mœroris adfert, quidquid accidat. PP. 2. p. 647.
Sola gratia Dei illi pro substantia est, cætera pro accidentibus. Ibid.

# L.

*LABAN.*

Laban nepotis sui mores explorauit antè, quàm illi curam gregum commendaret. Quo documento? PP 2. p. 478. & seq.
Laban iniustus in Iacobtem. PP 2. p. 488.
Laban nimis leuiter credulus. PP 2. pag. 549.
Laban Iacobten fugitiuum persecutus. PP 2. 555.
Labani ergà Iacob ficta, & simulata vrbanitas. PP. 2. p. 558.

*LABOR.*

Labori non assuetus, quicquid operatur, graue, & durum opinatur. PPP. 336.

*LAC.*

Lac ex se nunquam amarum efficitur. PPP. p. 428.

*LACEDÆMONES.*

Lacedæmones & Spartiatæ natos mox frigidâ, abluere & soli exponere soliti. PPP. 335.
Lacedæmones, non admittebant coquos nisi solius carnis. PPP. 346.
Coqui, mortis satellites. PPP. 347.

*LACHRYMÆ.*

In hac vita lachrymæ seminandæ, vt metamus lætitiam in futura. Abr. 96.
Præsenti frui gloriâ & futurâ impossibile. Abr 96

*LAIS.*

Lais etiam Axine dicta sæuo ingenio lupa. Qua in re? PP 2. p. 539.

*LAPSVS.*

Post lapsum stantes lapsibus aliorum compati debent. Abr. 54.

*LATRO.*

Latro in cruce quomodo obtinuerit regnum cœlorum. PPP. 271.
Latronis etiam beneficia suspecta. PP 2. p. 555.

*LAZARVS.*

Lazarus dormiens peccatoris recenter lapsi est symbolum, idem mortuus inueterati. Abr. 136.

*LECTVS.*

Sponsa in lectulo suo sponsum quærens non inuenit. Cur? Abr. 4.
Lectus in scripturis voluptatis & delitiarum est symbolum. Abr. 4.
Deus in voluptate perditus, in asperitate doloris inueniendus. Abr. 4.

LENITAS VERBORVM.

Lenibus verbis Roboam suum regnum seruasset, si vti voluisset. PP 2. p. 606.

LEPROSVS.

Leprosi naturaliter curati Deo grati esse iubentur. PPP. 371.

LEX.

Legum vtilitas in easdem obseruationes redundat. Abr. 7.
Lex Dei ignea. Cur? PP 2. p. 456. & seq.

LIA.

Lia diu fœcunda, posteà sterilis quid significet. PP. 2. 495.
Lia cur posteà sterilis, quæ diu fœcunda. PP2. p. 495.
Liæ reddidit suam fœcunditatem illius in famulam beneuolentia. PP 2. p. 511. & seqq.

LIBERALITAS.

Largitatis laus, & prædicatio. PPP. 219.
Liberalitas Dei & hominis quàm diuersa. PPP. 227.

LIBIDO MALA. LASCIVIA.

Facilè succumbit armis exercitus qui dat manus lasciuis mulieribus. Abr. 48.
Cætera vitia carceres, carnis lasciuia infernus. Abr. 47.
Cæteris vitiis faciliter, at lasciuiæ difficulter remedium adferri potest. Abr. 48. o.
Luxuriâ diffluere & mortem oppetere idem videntur. Abr. 49.

LIBRI.

Mortui optimi viuorum libri. PPP. 252.
Librorum & litterarum inuentum in Deum refert originem suam. PPP. 327.
Librorum Scriptores quàm gratum Deo sacrificium offerant. PPP. 331.
Librorum vtilitas ac necessitas. PPP. 328.

LILIVM.

Liliorum septo cur sponsa vallata, & inclusa. PP2. p. 632.

LINGVA.

Quomodo de proximo nostro loqui oporteat. PPP. 247.

LINVM.

Ex lino herba parua nascitur, quod orbem terrarum vltrò, citròque portet. PP2. p. 635.

LIS.

Leuius est iacturam omnium bonorum sustinere, quàm litigare. Abr. 25.
Maioris lucri est desertâ lite perdere, quàm diu contendendo quæstum facere. Abr. 25.
Lis & diabolus idem sunt. Abr. 25.
Calamitosius nihil esse potest quàm litigare. Abr 25.
Lis in sacra scriptura idem quod bellum, pugna & certamen. Abr. 25.
Maior felicitas est regno carere, quàm illud per lites obtinere. Abr. 26.

LITERÆ.

Literæ armis præstantiores. PPP. 332.

LOCVS.

Locus non facit virtuosum, aut sanctum, sed morum ac vitæ mutatio. PPP. 215.
Quid obseruandum in electione loci, vbi quis habitaturus est. PPP. 217.

LOTH.

Loth cur tam ægrè diuelli à Sodomis poterat. Abr. 196. & seq.
Quòd Loth inter Sodomitas viuens ab eorum vitijs se illæsum seruauerit, omnium ab eo gestorum praeclarissimum. Abr. 119.
Loth quàm solicitus pro aliena salute. PPP. 277.
Filia Loth maior minùs honesta. PPP. 395.
Filia eiusdem minor magis verecunda. ibid.

LVCIFER.

Luciferi casus reliquos Angelos cautos reddidit. PPP. 233.

LVCRVM.

Absque lucri spe omnes claudi, pedem nemo mouet. PP2. 478. o.
Lucrum accipere pro eo, quod iure debeas, malitia maxima. PP2. 488. o.

LVX.

Lucem mundi solem nemo exsufflando extinguere, nemo de cādelabro suo deijcere potest. PPP. 403.

LVDVS.

Ludi puerorum Iudaicorum quales olim. Abr. 199.

M.

MAGI REGES.

Magi ad præsepe Christi venientes quare virtus Damasci vocentur. PPP. 333.
Magi lumen requisierunt lumine. PPP. 414.

MAGISTER.

Magistri doctrina, non vita consideranda. PPP. 225.

MAGNIFICENTIA.

Quando magnificentia est suspecta, consultum est diligenter inquirere, qua ex re quisq; splendeat. Abr. 23.

MAGNVS.

Magnus est, quisquis officium suum qualecunq; rectè procurat. PP2. 469. o.

MALAGRANATA.

Malagranata flores suos citò amittunt, quià nexus eorum debilissimus est. Quid mysterij habet. Abr. 288.

MALVS. MALVM.

Malum non in rebus sed in personis positum est. Abr. 6.

Omnia mala suum habent remedium, sola fluctuabundi & incerti animi ægritudo incurabilis. Abr. 180.

Mali citiùs crescunt, quàm boni. Cur? PPP. 246.

Pessimus nemo repentè. PP2. 465.

Mali Pharisæi primùm, dein adulteri. ibid.

Malo culpæ mala alia omnia cedunt. PP2. 646. o.

MANNA.

Manna appetitum Filiorum Israël postmodùm graviùs afflixit, quàm antè recreârit. PPP. 299.

MANVS.

Manum suam ipsius osculari quid. PP2. 603.

MARE.

Mare & procellosum, & tranquillum purgare se nunquàm cessat. PP2. 651.

Mari etiam tranquillo nemo prudens credit. Abr. 192.

S. MARIA SANCTISSIMA DEI PARENS.

Vultus B. V. Iesum in vtero gestantis adeò relucebat, vt eam Ioseph nequiret aspicere. Abr. 22.

Beatissima Virgo Maria cur in sermone Angeli turbata. PPP. 223.

Deiparam desponsatam fuisse Ioseph, cùm ad eam salutandam Angelus venit, cur Lucas dicendum putauit. PPP. 418.

S. MARIA MAGDALENA.

Maria Magdalena cur pedes & non caput Christi lachrymis suis rigauit? PPP. 369.

Magdalenæ spes cur non cum illius fide, & charitate commemoratur? PP2. 481.

Magdalena cur à contactu pedum Christi prohibita? PP2. 513.

Magdalenæ ardens ergà sacrum Christi cadauer amor pulchrè expensus. PP2. 492.

Magdalena vt ad peccandum malè impudens, sic & ad salutem benè inuerecunda fuit. PP2. 568. & seqq. vbi multa de illa.

MARITVS.

Mariti nimis curiosè obseruantes suas vxores in desperationem, & venefícia eas impellunt. PP2. 634.

Mariti vxores ne duriùs habento. PP2. 634.

Mariti morosi timeant ne hoc vxoribus suis accidat, quod Dinæ. ibid.

Mariti ergà vxores subausteri similes sunt meli. PP2. 633.

MARS.

Marti vxorem permittere Cererem Proserpina noluit. Cur? PP2. 473.

Mars Venerem, non Venus Martem sequitur. PP2. 494.

MARTYR.

Martyres in suis corporibus velut alienis dimicârunt. Abr. 199.

MATER.

Mater lasciua vix castas habet filias. PP2. 421.

MATRIMONIVM.

Matrimonij status omnibus simul prægrauatur molestijs. Abr. 196. o.

In solis nuptorum benedictionibus proferebatur nomen Dei tetragrammaton. Cur? Abr. 197.

Matrimonij molestias si ante nuptias experiri possent homines, nemo coniugari vellet. Abr. 198.

Matrimonij molestiæ nullâ ferè coniecturâ perspici possunt. Abr. 198.

Coniugium à iugo dictum. PPP. 259.

Matrimonij molestiæ. PPP. 260.

Matrimonium seruus Dei nulli conciliet. PPP. 266.

Vita eorum qui matrimonio iuncti sunt tragœdia à quibusdam dicitur. PPP. 261.

Matrimonium nubes grauis est. PPP. 262.

S. MATTHÆVS.

Matthæus cur suum Euangelium librum generationis Christi vocat? PP2. 444.

Matthæo plus aliquid debet Ecclesia, quàm cæteris Euangelistis. Cur? PP2. 443.

MEDICVS.

Medicus ægrum nec præfidentem faciat, nec desperabundum. PP2. 463. & seqq.

Medicæ rei experti imbecilliora corpora ante morbum muniunt præseruatiuis. PP2. 652.

Meditatio frequentior valde necessaria. PPP. 232.

MELIS.

Melis maritorum nimis austerorum ergà vxores symbolum. PP2. 633.

MEMORIA.

Crebra dilecti recordatio ardentem indicat dilectionem. Abr. 15.

Memoriam verbi Dei ex ore prædicatorum accepti perdidisse, grauissimum supplicium. Abr. 16.


Vbi

Vbi memoria esse desinit, bona voluntas diu superesse non potest. Abr. 17.
Sponsæ languentis amorem ex tenaci Sponsi memoria filiæ Ierusalem colligebant. Abr. 15.
Innumera confert commoda iugis Dei memoria. Abr. 94.

MENDACIVM.

Mendacium veritatem licèt oppugnet, non oppugnat. PPP. 401. o.
Mendacium nouaculæ simile. PPP. 402.
Mendacij characteres sunt velut incurui, & non quadrati. Quo mysterio? PPP. 402.
Mendacio veritatem qui vult deijcere, idem durum silicem molli, & inermi manu vult confringere. PPP. 404.

MENSA.

Mensæ alienæ sectator vilis. Abr. 166.

MERITVM.

Meritorum in domo Dei, non antiquitatis annorum ratio habetur. PPP. 287.
In Ecclesia Dei plùs meretur qui plùs laborat. Abr. 130.

MILES.

Miles qualis legendus? PPP. 338.
Miles diu feriatus pro tyrone habendus. PP2. 456.
Milites vt nec desperent, nec præfidant, monendi. PP2. p. 461.
Milites Christi etiam post confectum bellum perstant vigiles, & expediti. PP2. p. 623.

MILVVS.

Milui esus Iudæis vetitus, eò quòd inconstantiæ, socordiæ, & inertiæ symbolum. Abr. 15.

MINERVA.

Minerua inuentrix nauium. PPP. 224.

MIRACVLVM.

Miraculum est, quòd homo pro modica corporali oblectatiuncula vult perdere lætitiam perpetuam. PP2. p. 511.
Nec qualecunque miraculum, sed quòd suum chorum seorsim habeat. PP2. p. 511.
Miraculum miraculorum fuit, quòd Ægyptij sua vasa aurea, atque argentea tam facilè concesserunt Israëlitis. PP2. p. 661.

MISERIA.

Miseriæ vitæ præsentis non timendæ, sed in futura vita æternùm duraturæ. Abr. 75.
Miserum est non posse frui bono, quod ob oculos habeas. PPP. p. 434.

MISERICORDIA.

Misericordia Dei nulli præclusa. PPP. 255.
Misericordia citiùs præstanda magis indigentibus. PPP. 278.
Misericordiæ & miserationis differentia. PPP. 320.

MODVS.

Rerum dignitas non tam in earum substantia, quàm in modo, quo fiunt, posita est. PP2. p. 578. o.

MONETA.

Moneta æqualem cum incantationibus vim obtinet. PP2. p. 582.

MORBVS, ÆGRITVDO.

Aquis piscinæ probaticæ non morbi quilibet, sed tantùm graues & diuturni curabantur. Abr. 18.
Ægritudines animæ dissimiles infirmitatibus corporis. Abr. 137.
Morbi corporis quidam incurabiles, animæ nullus. Abr. 137.
Animæ morbi maiore studio curandi, quàm corporis. PP2. p. 566.
Animæ morbi & corporis hoc commune habent, quòd neglecti mala immedicabilia generent. PP2. p. 635. o.

MORES.

Mores eorum, quibus cum consuescimus, facilè combibimus. Abr. 195.

MORS, MORTVVS.

Morti nullum ab Ethnicis templum erectum. Cur? Abr. 91.
Mors ipsâ vitâ dulcior quæ omnem adimit dubitationem, & perplexitatem. Abr. 179.
Mortis meditatio quantùm vtilitatis habeat. PPP. 252.
Causa mortis hominis est ipsa vita. PPP. 249.
Mortis memoria est fortissimum amuletum contrà omnia vitia. PPP. 353.
Mortis obliuio dæmonium meridianum PPP. 353.
Mors per Saulem adumbrata. PPP. 364.
Moyses cur petijt Domini faciem sibi ostendi, cum quo facie ad faciem loquebatur. PPP. 436.
Ex morte omnis vitæ felicitas pendet. PP2. p. 522. o.
Mortis bonæ prima semper habenda ratio. PP2. p. 522.
Mors, seu conclusio vitæ maximam postulat considerationem. ibid. 523.
Morti vicini maximè egemus auxilio Dei. PP2. p. 524.
Mortuos amici viui facilè obliuiscuntur, vixque recordantur, vt ferant defunctis. Fac ergo viuus ipse, quæ facta voles mortuus. PP2. p. 531. & 533.
Mortis horæ supremis magis ferocit dæmon PP2. p. 537. o.

Mortem bonā à mala vita sperare, est dulces fructus à radice amara expectare. PP2. p. 543. o.
Mori in pace, qui perpetuò in bello vixit, nemo nisi miraculo potest. PP2. p. 545.
Ad mortem bonam à bona vita consecutio bona. PP2. p. 545.
Mors medicina timoris. PP2. p. 576.
Morti, quàm timori succumbere Elias voluit. PP2. p. 577.
Mortis mysterium terribile, cuius timor sufficit ad cruciatum. PP2. p. 575.
Mortui viuum spectaculum facilè timorem, & dolorem excitat. PP2. p. 617.
Mortui quâ moderatione deplorandi. Abr. 193.
Mortui viuentibus fortunatiores, vtrisque autem feliciores, qui nondum nati. Cur? PP2. p. 648. & seqq.
Mors in olla fuit admirationi Israëlitis. Cur? PPP. p. 425.

MOYSES.

Moyses negauit se filium filiæ Pharaonis. Cur? Ab. 1.
Moyses pluris fecit improperium Christi, quàm thesauros Ægyptiorum. Abr. 2.
Moyses Deus effectus est, qui pro Deo rex esse renuit. Abr. 2.
Moyses diuinas leges populo promulgaturus duodecim lapideas statuas erexit. Quare? Abr. 13.
Moysi nihil amplius promittere potuisse videtur, quàm quòd eum sanctorum liberorum parentem facere voluit. Abr. 163.
Moyses typus animæ, deuotè concionatoris instructionem suscipientis. PPP. 226.
Moyses eadem virgâ, quâ fluuium in sanguinem vertit, è petra aquam excutit. PPP. 361.
Moyses cur fugit, cùm in colubrum versam virgam vidit. PPP. p. 424.
Moysen prodigij nunquàm visi magnitudo mouit, vt magis videre cuperet. PPP. p. 432.
Moysi sanctitas aliquando remittebat. PP2. p. 458.
Moysis mater pro pretio illum lactauit, quem nutricari frustrà tenebatur, peccasserque, nisi necessitas excusasset. PP2. p. 490.
Moyses iustè Ægyptium occidit PP2. p. 550. & seq.
Inexcusabilis videtur cædes, quam Moyses patrauit. Vnde? PP2. p. 570. & seq.
Moyses octogenarius præfecturam sui populi capessere iussus, vt Dei virtus splenderet in ipsius præceptis. PP2. p. 571.
Moyses aberat, cùm soror ipsius Maria perfusa leprâ fuit. Cur? PP2. p. 585.
Moyses cùm duos increpasset, alter eorum solùm iniquè accepit obiurgationem. PP2. p. 608.
Moysisne in populum, an Pauli maior ergà suos cognatos dilectio? Abr. 190.
Moyses quare secundas tabulas læuigare, & perpolire iussus, postquàm fregerat primas. PP2. p. 403.

MVLIER.

Mulieres studiosè virorum oculos debent fugitare, ob præsentaneum quod inde consequi solet periculum. Abr. 118.
Mulieres cur emerunt aromata, vt vngerent Iesum, ad cuius corpus vngendum centum libras myrrhæ, & aloës Nicodemus iam verterat. Abr. 164.
Matronæ pleræque illustriores veteris testamenti fuêre steriles. PPP. 257.
Mulierum capilli insigne seruitutis. PP2. p. 470.
Mulieribus gloriosum humiliter seruire. PP2. 470.
In mulieribus reperit Dominus similitudinem regni cœlorum, æquè ac in viris. PP2. p. 507.
Mulieres leuiter, immò vehementer eò feruntur, quò eas sua natiua propensio trahit. In Agare hoc videas. PP2. p. 547.
Mulieres carnis cultui, delitijs deditæ non facilè Martyres factæ. PP2. p. 599.
Mulierem custodire difficiliùs, quàm abscondere ignem. PP2. p. 625.
Mulieres amant publicum. PP2. p. 626.
Mulier quæ prodire negligit, cùm possit, ardentissimè amare illum, propter quem domi manet, ostendit. PP2. p. 627.
Mulieribus calcei pro vinculis, pro carceribus sunt domus. PP2. p. 627.
Mulieri grauissimum luctum lectus adfert, cui eam morbus affligit. ibid.
Mulier septis inclusa, & obtruncata, idem. PP2. p. 628.
Mulieris laus suprema amare recessum. PP2. p 628.
Mulieres cur missæ, vt nunciarent resurrectionem. PP2. p. 632.
Mulier, quæ fidem apud maritum habere scit, fragili liliorum septo non secùs ac muro adamantino custoditur. PP2. p. 632.
Mulieres non ferunt nimium arctari. PP2. p. 633.
Mulierem cur è costa Deus formauit. ibid.
Mulier, quæ oculis foras spectat, argi multoculas fugit pupillas. PP2. p. 634.
Mulieres, quæ nimis accuratè obseruantur à maritis, ad veneficia se recipere solent. PP2. p. 633. & seq.

Mulier, quæ suam fidem viro suo suspectam videt, muro æreo non magis custoditur, quàm liliorum sepimento, tametsi etiam excubitores ex omni parte adhibeas. PP2. 632.
Mulier per foramen acus erumpit, quantisuis custodibus eam obserues. ibid.

*MVNDVS.*

Mundus comœdiæ seu scænæ similis. Abr. 146.
Mundus vniuersus dudum funditùs euersus fuisset, ni iusti precibus suis obstitissent. Abr. 157.
Mundus theatrum scænicum est. PP2. p. 471. & seq.
Mundus domus tenebrosa, in qua cum hostibus inuisibilibus, sed oculatissimis periculosè viuimus. PP2. p. 624.
Mundus seruos suos decipit. PPP. p. 412.

*MVNERA, DONA.*

Qui libenter admittit munera, hilariter rependat. Abr 90.
Arma nulla muneribus validiora. Abr. 158.
Philippo Macedoni nullus locus inexpugnabilis, ad quem asinus onustus auro accedere posset. ib.
Munera excœcant, subuertunt, detorquent. ib.
Munera quod non superant, illud inexpugnabile. PP2. 581. o.
Munera conspiciliorum diuersorum similia. ibid.
Munera qui fert, quidquid optat, refert. PP2. 582.
Munera dans, tametsi fortè columba sit, & simplex, & indoctus, Cicerone sit eloquentior. ibid.
Munera cœcos, mutosque faciunt. PP2. 583.
Quod frænum bruto, quod capistrum equo, hoc iudicibus aurum, & dona. ibid.
Munera fluctus excitant, quibus ab æquitate iudices abripiunt. PP2. 584.
Munerum etiam odor corrumpit iudices. ibid.
Damnorum, quæ munera pariunt, prolixam enumerationem habes. ibid.

# N.

*NABVCHODONOSOR.*

Nabuchodonosor voluit suum sibi somnium ab ariolis suis indicari. Cur? PP2. 544.
Nabuchodonosor in pecudem conuersus. PPP. 367.

*NATIVITAS.*

Natales illustres, homini magnum ornamentum. PPP. 327.
Natiuitatis Christi festum festorum metropolis. Cur? PP2. 444.

*NATVRA HVMANA.*

Natura Hominis paucis contenta. PPP. 344.
Naturæ humanæ ad malum procliuitas. PPP. 243.

*NAVIS.*

Nauem vnam plures nautæ securiùs gubernant. Abr. 132.

*NECESSITAS.*

Necessitati maiori citiùs occurrendum. PP2. 651.

*NEGLIGENTIA.*

Negligentia ea grauis est, quæ grauium damnorum occasio esse potest. Abr. 172. o.

*NEGOTIVM.*

Feliciter negotiari desiderans omnibus omnia fieri debet. Abr. 27.
Negotia animæ suæ curet quisque ipse, non committat fidei, aut industriæ alienæ. PP2. p. 530. o.

*NOBILITAS.*

Nobilitas vera non tam à sanguine, quàm à virtutibus originem trahit. PPP. 241.

*NOE.*

Nòé cum tribus filiis quomodo tam vastum arcæ ædificium fabricare potuerit. Abr. 5.
Nòé mirabiliter benedicit Sem. PPP. 229.
Nòé inebriatus, non quòd bibax esset, sed quòd bibere vinum non solitus. PP2. p. 453.

*NVMERVS.*

Duodenarius numerus sacramentum vniuersitatis. Abr. 201.

# O.

*OBEDIENTIA.*

Vt quem perfectum & consummatum pronunties satis si obedientem dixeris. Abr. 8.
Vbi obedientia regnat nulla virtus abesse potest. Abr. 9.
Abraham ab obedientia præ reliquis virtutibus commendatur. Abr. 9.
Ab obediente omnes virtutes & gratiæ sperandæ. Abr. 9.
In hoc quòd Iesus subditus fuisse parentibus dicitur, omne virtutum genus comprehenditur. Abr. 9.
Dauid per obedientiam se dignum reddidit cui panes propositionis in cibum darentur. Abr. 9
In perfecta obedientia velut in cōpendio omnes aliæ virtutes includuntur. Abr 9.
Perfectè obediens tutò cum Iesu loqui potest. Abr. 10.
Perfectè obediens certiùs reliquis salutem sperare potest. Abr. 10.
Solis obedientibus æterna salus hæreditario iure debetur. Abr. 10.

Obediens supra petram firmitatis & perseuerantiæ fundatus in cælis coronabitur. Abr. 13.
Qui solam possidet obedientiam, omnibus virtutibus affluere, totumque perfectionis curriculum confecisse videtur. Abr. 176.
Perfecta obedientia eam colentem omnino sanctũ & perfectum reddit. Abr. 176.
Vniuersalis est in omnibus virtutibus, ergo obediens, obediens est, ergo vniuersalis in omnibus virtutibus, sunt propositiones conuertibiles. Abr. 177.
Obedientia lapis fundamentalis reliquarum virtutum. Abr. 177.
Maximæ dignitatis & incomparabilis pretii obedientia. Abr. 177.
Obedientiæ virtus vera quonam ostendatur. PPP. p. 207.
Obedientiam vt probet Deus, iubet negligentiam. PP2. 631.

OBLIVIO.

Obliuionem prædicatoribus vel subitus timor, vel aliud quid insperatò occurrens adferre solet. PP2. p. 536.
Obliuisci in morte, quod per omnem vitam feceris, difficile. PP2. p. 537.

OCCASIO.

Pugnare cum inimica occasione, & promittere sibi triumphum, id soli Deo est seruatum, & illi quem speciali auxilio confirmauit. Abr. 119.
Occasione nullus aduersarius horribilior. Abr. 119.
Occasione habitâ peccandi in peccatum non incidere, idem est, ac viuere iuxta ignem & non incalescere, proximum esse niui & frigus non contrahere. Abr. 119.
Vix pectus tam validum, quod occasionem malè faciendi citra offensionem excipiat. Abr. 118.

ODIVM.

Odium hominum in suas animas tale est, vt quò frequentiùs cernitur, & auditur, eò magis attonitũ reddat. PP2. p. 508.

OFFICIOSITAS.

Officiositas simulata Ephronis. PPP. p. 406.

OFFICIVM.

Officio suo satisfacere cupiens, non facta aliorum, sed quid ipsemet facere teneatur, consideret. Abr. 5.
Prudentes officium suum explere debent non attendendo ad facta aliorum. Abr. 6.
Commune vitium, vt sua officia curent negligentiùs, qui diligentiùs debent. Abr. 33.
Officia magna non faciunt magnos, sed procuratio eorum recta. PP2. p. 469. o.
Officium, opemque perficiendi Deus simul tradit. PP2. p. 569. o.

OPPORTVNITAS.

Plerumque tamdiu sumus probi quamdiu deest opportunitas mali. Abr. 118.
Fructuosa est omnis negotiatio quæ opportuno tempore instituitur. Abr. 73.
Non adfert salutem medicina nisi opportunè exhibita. Abr. 72.
Opportunè quæque facienda vt bonum sortiantur effectum. Abr. 72.
Opportunæ occasionis prætermissio plurimorum malorum origo. Abr. 73.

OPVS.

Operum discretio in hac vita, erit discretio præmiorum in altera. Abr. 130.
Operis principium velut tota illius summa. PP2. p. 442.
Opus magno animo susceptum faciliter perficitur. PP2. p. 441.
Operum suorum quisque est filius. Abr. 168.
Opera Scriptura crebrò vocat filios. Abr. 166.
Operarius remissus est, cuius opera plura plùs vno non valent. Abr. 174.
Operarius strenuus est, cuius vnum opus pluribus par est. Ibid.
Ignauus est, cuius multa opera vix vnum exæquant, ille vero strenuus & heroicus, qui vnũ facit quo multis par sit. Abr. 176.

ORATIO.

Oratio assidua quiduis obtinet. PPP. 280.
Oratio vt sit efficax, qualis esse debeat. PPP. 281.
Oratio humilis aurum est, quo Deus expugnatur. PP2. p. 585. o.
Oratio propria quantum præstet alienæ. PP2. p. 503
Dei vox cur Libani cedris magis infensa, quàm arboribus aliis. PP2. p. 504.
Orationis congressum pertimuisse Deus visus. PP2. p. 586.
Orationis vim Elias eò magis probatam dedi, quòd coelum clausit, quàm quòd pluuiam impetrauit. ibid. 586.
Orationis efficacitatem Christus quàm maximè extulit. PP2. p. 586.
Vt orationis vim effugeret Deus, fugit orantem Abrahamum. PP2. p. 587.
Orationis commoda plurima habes. ibid. 588.

Qui per orationem non se coniungit Deo, ab illo recedit. ibid.
Orationis loco sunt opera, cùm ab illa ad hæc transire necessitas postulat. PP2. p. 588. & seq.
Orationis loco est angelis quoduis aliud opus, cui Dei iussu vacant. PP2. p. 589.
Orationis loco potest esse religiosis etiam somnus, quem Superiorum imperio capessunt. PP2. p. 590
Oratio pro vtilitate proximorum intermitti vtiliter potest. PP2. p. 590.
Oratio multorum est similis siti. PP2. p. 601.

ORDO.

Ordo rebus dignitatem, efficacitatemque adfert. Diabolus hoc suo exemplo docet. PP2. p. 580.
Ordinatio neglecta numeratissimo exercitui supremam adferre pernitiem potest. ibid.
Ordo commodus & rebus, & actis appositus oblectat spectantes, & res ipsa seruat. PP2. p. 581.
Ordinis neglecti incommoda vide ibid. ad finem capitis.

OVIS.

Oues appetente hyeme pabulum copiosiùs, auidiusque ventri ingerunt. Quemobrem, & quo mysterio? PP2. p. 538.

P.

PALLIVM.

Pallium passionum & affectuum humanorum est symbolum. Abr. 106.

PALMA.

Palmæ arbor, masculus & fœmina reperitur. PPP. 371.
Palma arbor salsum solum diligit. Quo mysterio! PP2. 613.

PANIS.

Panes cur Christus bis tantùm multiplicauit. PPP. 361.

PATER. PARENS.

Parentes liberorum sanctorum quàm felices! Abr. 163. o.
Parentes multorum proborum filiorum vix alibi, quàm in fabulis reperias. Abr. 164.
Parentes nobiles habere non est honorificum, nisi nobiliter viuas. Abr. 166. o.
Patres nostri nosipsi quodammodò. Abr. 168.
Pater non minùs is vocari dignus, qui ad virtutem erudit quàm qui genuit. PPP. 239.
Patris impij similes plerumque filij. PP2. p. 521.
Parentes honorandi & consulendi. PPP. 374.
Parentes ergà filias ne nimis austeri sunto. PP2. 634.

PATIENTIA.

Patienter ferendum, si Deus, quæ petimus, concedere differat. Abr. 82.
Patientia identidem obuerso capite respicit dæmonem. PP2. p. 624.

PATRIARCHA.

Patriarchæ veteres cur non stabiles sibi emerūt possessiones. PP2. p. 644.

S. PAVLVS.

Pauli semicinctio & sudario cur tam prodigiosa perpetrata miracula. Abr. 116.
Paulus Apostolus ex omnibus suis reculis solam penulam & libros afferri curabat. PPP. 329.
Pauli maior fuit ergà suos cognatos charitas, quàm Moysis in populum. Cur? Abr. 190. & seq.
Paulus ignauorum societatis impatiens. Abr. 195.
Pauli solicitudo ergà confirmandas Ecclesias. Abr. 206.
Paulus per misericordiam Dei potiùs, quàm per virtutem, aut maiestatem obsecrauit Romanos. Cur? PPP. p. 381.
Paulus in monte, compitis, pratis piscabatur. PPP. p. 396.
Paulus cur se Apostolum Christi nominauit, cùm vocârat seruum Dei. PP2. p. 476.
Paulus domum hospitalem sibi parari voluit absitam à loco spectaculorum. Cur? PP2. p. 485.
Paulus duplici cum iuramento affirmandum putatauit, vt fidem inueniret, quod gratis prædicare aiebat. PP2. p. 488. & seq.
Paulus adulteris pares censebat eos, qui pecunias vendunt, quod facere gratuitè tenebantur. ibid. 489.
Paulus iussus considerare, quæ Deus illi conferebat, non quæ inferebat mundus. PP2. 663.

PAVPERTAS. PAVPER.

In paupertate tanquam in suo centro pax conquiescit. Abr. 24.
Pauperibus opem nostram implorantibus subuenire magna liberalitas, at maxima eisdem etiam obuiam occurrere. Abr. 109.
Non expectandum quousque pauperes nos requirant, sed vltrò eis occurendum. Abr. 111.
Indagare pauperem & inquirere anxiè cui benefacias, sublimissima charitas. Abr. 111.
Supplicia horrenda imminent his, qui opprimunt pauperes. Abr. 111.
Pauperē qui tegit, se magis tegit. PP2. p. 512. & seq.
Pauper calamitosus vt aurum amplectendus. PP2. p. 513.

Pauper numis parùm valens leo est. PP2. 597.
Pauper vnus, solusque Baptista Herodem increpare ausus. PP2. p. 598.
Paupertas religiosa Eliam intrepidum fecit. PP2. p. 600.
Pauperum pater quis, quisque aduocatus. PPP. p. 399.

*PAX.*

Pax & diuitiæ non se compatiuntur. Abr. 23.
Pax & concordia vbi terrenarum rerũ contemptus. Abr. 24.
Pacis statua ad mulieris Pluteum diuitiarum Deum manu ferentis speciem efficta Athenis. Quo mysterio? PP2. 473. & seq.
Pax omnia bona complectitur. PP2. p. 472 o.
Pacis nomine bona omnia intelligunt Hebræi. ibid.
Abraham ex pace omnem sibi abundantiam promisit. PP2. p. 473.
Pace etiam agri lætari videntur. ibid.
Pacem Christus Discipulis dono supremo concedens concessit omnia. PP2. p. 474.
Pax bonorum maximum, quo terra constat. ibid.
Pacem Hebræi optant his, quibus bona omnia precari volunt. PP2. p. 474. & seq.
Pax bonorum omnium vinculum. ibid. 475.
Pace nihil gratius, præstabiliusque quisquam optare potest, quia esse timore vacuum præstat. PP2. p. 578.

*PECCATOR. PECCATVM.*

Culpam peccantium numerus non minuit. Abr. 6.
Culpæ aliorum neminem inculpatũ reddũt. Abr. 6.
Peccator vt obiurgationem effugiat, defectus proprios factis aliorum excusat. Abr. 6.
Peccata in initio statim succidenda, ne consuetudo necessitatem pariat. Abr. 28.
Peccatum adeò tyrannicum animam Dominum exercet, vt magis coactè quàm sponte imposterum peccare videatur. Abr. 28.
Promptiùs exurgit peccator qui statim à lapsu erigitur. Abr. 30.
Peccatum recenter commissum euellere facillimũ, at inueteratum difficillimum. Abr. 29.
Deus peccatori pia monita submittit, ne ignorantiam prætendat. Abr. 32.
Nullus peccatorum ignorantiam prætendere, aut de pœnis sibi irrogatis iustè queri potest. Abr. 33.
Nullum est crimen quantumuis graue, cui venia denegetur. Abr. 33.
Nil præter peccatum ab amicitia Dei nos sperat. Abr. 36.
Nullum iter malum quàm quod ad peccandum ducit. Abr. 36.
Peccatum quodlibet suprema hominis infelicitas. Abr. 37.
Dolores à quibus abest peccatum dolorum nomen non merentur. Abr. 37.
Peccatum omnia bona sic peruertit, vt conuertat in mala. Abr 37.
Nec ob vnum virtutis actum quempiam sanctum, nec ob actum vitiosum perditum peccatorem reputes. Abr. 65.
Dissimulare vitia idem est quod eadem fouere. Abr. 87.
Peccator castigandus, homo fouendus. Abr. 88.
Nihil indecorum in domo Dei, nisi solum peccatũ. Abr. 116.
Ex nullo nisi peccato honoris iacturam facimus. Abr. 117.
Seruitus nulla probrosa nisi peccati. Abr. 118.
Sola peccata hominem vilem sordidumque faciunt. Abr. 117.
Peccatori ad tegenda iudici scelera nil doli profuturi. Abr. 121.
Duplicis generis peccatores, alij terræ, alij cœli. Abr. 133.
Peccatores terræ sunt qui Deum ignorantes, cœli qui eundem agnoscentes offendunt. Abr. 134.
Peccatores cœli grauiùs quàm terræ puniuntur. Abr. 134.
Nulli ita digni commiseratione ac peccatores. Abr. 134.
Deum agnitum deserere peccatorum grauissimum. Abr. 134.
Etsi omnis peccator deplorandus, ille tamen vel maximè qui Deum offendit quẽ nouit. Abr. 134.
Differunt peccare corã Deo & in cœlum. Abr. 134.
Peccatum diuturnâ consuetudine inueteratũ, quasi in necessitatem vertitur. Abr. 136.
Peccatum cùm in anima radices egerit, vix se eradicari finit. Abr 136.
Peccatorũ nullus adeò grauis quin resipiscere queat. Abr. 137.
Peccatum lethiferum animæ toxicum. Abr. 136.
Filius hominis dicitur habere potestatem in terra dimittendi peccata, ad significandum quamdiu in terra sumus, nullam esse culpam quæ condonari nequeat. Abr. 137.
Arbitrari ad mentem non posse redire, qui semel illam peccando amiserit summa insania. Abr. 137.
Seruat plerumq; Deus modum in irroganda pœna,

quem

quę peccator tenuit in perpetranda culpa. Abr. 138.
Per ea quisque castigatur per quæ offendit. Ab. 139.
Ex conditione peccati accipit Deus modum supplicij. Abr. 139.
Instrumentum sceleris à Deo vertitur in flagellum punitionis. Abr. 140.
Peccator vt culpæ sic & pœnæ suæ sibiipsi est autor. Abr. 140.
Peccatores sagittis iræ iustos spiculis charitatis configit Deus. Abr. 141.
Propriâ cuiusque culpâ accidit quòd pœnas luat. Abr. 141.
Peccator Deum ad castigandum etiam quasi nolentem incitat. Abr. 141.
Non Deus sed ipse peccator pœnæ autor. Abr. 142.
Peccatoribus conducibilior mors quàm vita, quò enim minus viuunt eò minùs delinquūt. Abr. 143.
Minores dabit pœnas peccator, qui dies paucior s vixit. Abr. 144.
Peccata etiam ludicra non sunt per ludum ferenda. Abr. 172.
Ex atrocitate pœnarum quibus iusti sua peccata etiam leuissima castigant, peccatores quid pro suis facere d beant, addiscant. Abr. 180.
Peccatum cur non magis horreat homo. PPP. 231.
Peccatum regnare, quid designet. PPP. 302.
Peccatum bombyci comparatur. PPP. 362.
Peccatum est chyrographum æternæ damnationis. PPP. 362.
Peccator nullus desperet. PPP. p. 392.
Peccator fœnum. Quæ ratio talis nominis? PP2. p. 485. & seq.
Peccator quouis bruto magis brutus. PP2. p. 511.
Peccator nunquàm desperet, quantumcunq; in flagitia se ingurgitârit. PP2. p. 514. o.
Peccatorum desperabundorum figura Rachel. PP2. p. 514.
Peccator nemo desperandus, quamdiu viuit. PP2. p. 515.
Peccatum dæmonis non habet remedium, hominum habet. ibid. 516.
Peccatores pœnitentia facit admirabiles Angelis. PP2. p. 517.
Peccator stultissimus est, qui pro momentaneæ voluptatulæ vsura regno cælorū renūtiat. PP2. 510.
Peccatoris spem alit Deus, non socordiā. PP2. p. 535.
Peccatores suâ malè agendi pertinaciâ, & contentione docent quo studio colendæ virtutes. PP2. 566. & seq.
Peccatore nullus meticulosior lepus. PPP. p. 399. o.
Peccator etiam mortuos timet. PPP. p. 400.
Ex paruis peccatis generantur magna. PP2. p. 633.
Peccatum solum, nulla alia miseria lachrymas meretur. PP2. p. 646.
Peccatum vitandum, ut fugitari coluber solet. Cur? PP2. p. 567.
Peccare qui nesciuit, mortuo, ac viuente felicior. PP2. p. 649.
Peccatum solum vitabile, aliud nihil. PP2. p. 649.
Peccata qui non magis mortua, quàm suppressa in hac vita putat, errat. PP2. 651.
Peccata cogitationū quantopere fugiebat Iob. PP2. 653.

PECVNIA.

Pecuniam quidam vt ignem fugiunt, vt copiosiorem corradant. PPP. p. 407.

PERFECTIO, PERFECTVS.

Nullus adeò mundus & perfectus quin semper plùs queat mundari & perfici. Abr. 105.
Quia multa pauperibus dare non possumus, manum ex toto retrahere non licet. Abr. 77.
Qui supremum perfectionis fastigium attingere nequit, saltem in mediū peruenire conetur. Abr. 77.
Qui totum facere non potest, propterea omne studium deponere non debet. Abr. 78.
Quilibet quantumuis perfectus semper inueniat aliquid quod corrigat & emendet. Abr. 105.
Perfectionis studiosus scripturarum contemplationi inhæreat. PPP. 229.
Perfectionis studiosus ità vultum Christi complectur, quemadmodum Abraham Saræ defunctæ. PPP. 210.
Perfectionis fastigium nemo derepente inuadit. PP2 p. 464.

PERICVLVM.

Pusilli animi est quæuis imaginata pericula timere. Abr. 17.
Pericula nobiliora nulla, quàm quæ pro salute suscipiuntur aliena. Abr. 189 o.
Pericula maiora qui euasit, potest minora intrepidè aggredi. PP2. p. 594. o.

PERSECVTIO.

Persecutiones hominem terrere non tamen opprimere possunt. PPP. 304.
Persecutiones iustis, beneficia & officia sunt. PPP. 305.

PERSEVERANTIA.

Perseuerantia discipulorum Christi in oratione linguarum dono remuneratur. Abr. 2.

fleer virtutum ingredientes excitandi, ne à cœpto itinere deficiant. Abr. 11.
Perseuerantia sola virtutum coronatur. Abr. 14.
Diebus virtutes, anno virtutum perseuerantia significatur. Abr. 14.
Ex perseueranti bonorum operum exercitio sanctitas coniecturanda. Abr. 65.
Ex primis actibus neque optimus neque pessimus quisquam æstimari debet. Abr. 66.

PESTIS.

Pestis ferarum efferatissima. PP2. 636.

PETRVS.

Petri negatio vnde acciderit. PPP. 377.
Petrus cur se iactauit in mare, in quo de vita paulò antè periclitatus fuerat. PP2. 492.
Petrum & Christi aspectus, & galli cantus ad pœnitentiam permouit. Quo documento? PP2. 463.
Petrus Christum à passione deterrere volens, miserationis laruâ suam ignauiam texit, & simulauit beneuolentiam esse, quod erat timor. PPP. 405. & seqq.
Petrus hianti ore obstupuit, cùm septuagies septies ignoscendum iniurioso audiuit. PP2. 611.
Petrus è piscis ore staterem extrahere iussus ad miracula assuefiebat. PP2. 662.

PHARAO.

Pharao cur non subitò iuuari precibus Moysis petijt? PP2. 548.
Pharao inter ærumnas largus promissor, parcus redditor, quando liberatus. PP2. 602.
Pharao plagis induratus, mortis contemplatione emollitus. PPP. 255.

PILATVS.

Pilatus cur interrogauit Christum, vnde esset? Abr. 199.
Pilatus mirabatur tam citò obijsse Christum. Cur? PP2. 550.

PISCINA.

Piscinam probaticam primus intrans sanatur. Quid mysterij? PPP. 289.

POENA.

Omnium tormentorum compendium, inde haurire dolores, vnde venire oblectamenta solebant. Abr. 86.
Ad irrogandas pœnas prouidum adhibendum consilium, ad beneficia dispensanda non ita. Abr. 123.
Diu & diligenter deliberandum, si quid austerius in alios statuendum. Abr. 124.
Ad pœnas inferendas lento ad beneficia eroganda agili pede pergendum. Abr. 124.
Deus homines castigaturus lentis incedit gradibus, at beneficia exhibiturus lætis saltibus aduolat. Abr. 124.

POENITENTIA.

Pœnitentiæ opera suscipientes non quouis malo aut periculo frangi debent. Abr. 19.
Pœnitentiæ opera verè non sunt aspera. PPP. 339.
Pœnitentiæ edictum. PP2. 449.
Pœnitentia moderata neminem occidit. PP2. 450.
Pœnitentia alijs fons, puteus alijs. PP2. 451.
Pœnitentiæ fructus facere debent, qui florem tulerunt voluptatis. PP2. 505.
Pœnitentia parùm iuuat aliena; nisi accedat propria. PP2. 505.
Pœnitentia liberare hominem potest, etiam qui in profundum vitij venerit. PP2. 516.
Pœnitentia reddit peccatores Angelis admirabiles. PP2. 516.
Pœnitentiæ procrastinationem qui suadent, dæmonis oratores sunt. PP2. 535.
Pœnitentiam ergò ne differto. ibid.
Pœnitentiam diaboli ne expectato. ibid.
Pœnitentiæ fructum fert omnis terra humana, quantumuis sterilis. PPP. 391. 0.
Pœnitentiæ studium abdicatio consuetarum voluptatum impedire solet. PP2. 630.

PRÆCEPTVM DEI.

Tota præcepti Diuini vtilitas ad eum cui mandatur redundat. Abr. 7.
Quæ Deus præcipit non in ipsius, sed in nostrum cedunt commodum. ibid.

PRÆDICATOR, PRÆDICATIO.

Prædicationis officium intermitti non debet ob infructuosam auditorum auscultationem. Abr. 6.
Concionis fructus frequenter nullus. Cur? PPP. 232.
Concionator cautus sit in perstringendis vitijs, ex quibus autores innotescant. PPP. 247.
Prædicator salutem aliorum, & suam eadem operâ procurat. PP2. 514.
Prædicatoribus vnde obliuio inter concionandum quandoque nascitur? PP2. 536.
Concionatores ad suum studium adhibeant moderationem, vt sit durabile. PP2. 620.

PRÆLATVS.

Superiores non semper blandos sed quandoque & asperos se subditis exhibeant. Abr. 67.
Nil efficacius ad fouenda flagitia quàm superioris conniuentis taciturnitas. Abr. 86.

Prælati

Prælati subditorum vitia non corrigentes quàm malè faciant. Abr. 87.

Prælati postquàm subditorum vitia corripuerint, eorundem animos humanitate demulceant. Abr. 89.

Superior primum mobile ad cuius exemplum subditi se componunt. Abr. 108.

Superiorum factis subditi conformantur. Abr. 108.

Superioris præsentia subditos ad studia & labores excitat. Abr. 108.

Vbi incurius abest superior, facilè languescunt & torpescunt subditi. Abr. 109.

Prælati vt dignitate sublimiores sic & perfectione debent esse superiores. Abr. 149.

Vti horologium semper est regularissimum, sic superiores æquissimam semper vitæ rationem habere debent. Abr. 150.

Lucerna Prælatorum tenebræ subditorum sunt symbolum. Abr. 151.

Vti lux tenebras, sic Prælati subditos vitæ sanctitate superare debent. Abr. 151.

Prælati ciuitates, subditi velut quidam pagi. Abr. 151.

Superiores magis quàm subditi ad vitæ sanctitatem obstringuntur. Abr. 151.

Prælati boni bonos faciunt subditos. PP2. 519.

Prælatorum onus oneribus alijs omnibus grauius. PP2. 561. o.

Prælatorum exemplar Iacob. PP2. 561.

Prælatum qui aliquem faciunt, bello lacessunt. PP2. 562.

Cui præfectura, eidem facultas datur, quâ posset esse miser, & omnis quietis expers. PP2. 562.

Vel si stipes, aut truncus sit Prælatus, virescet, & florebit, si à Deo constitutus, aut ex eius voluntate electus. PP2. 570.

Prælati non debent excitandis sumptuosis ædificijs studere. PP2. 598.

Prælatum subditi Angelum vocant, si voluntati eorum, voluptatique obsequatur, tyrannum, dæmonem etiam, si malefacta castiget. PP2. 609.

Præfecturas ab hominibus decrepitis ambitiosè quæri, turpe. PP2. 565.

Quicunq; eas expetunt, quanta sint animarum pondera, nesciunt. ibid.

Prælatum esse, & ex officio imperare pœna est omnium cruciatuum acerbissima. PP2. 563.

PRÆMIVM.

Quæ præmia promittat Deus his, qui prolixâ manu egestati miserorum succurrunt. Abr. 109.

PRÆSENTIA.

Nullo validius quàm Dei præsentiâ à peccatis auocamur. Abr. 94.

Insolens est inuerecundia præsente Deo perperam agere. Abr. 94.

Spes certa veniæ remanet quamdiu diuinæ præsentiæ viget recordatio. Abr. 95.

Qui præsentiæ diuinæ non reminiscitur, omni salutis remedio videtur destitui. Abr. 95.

Validissimum frænum Dei præsentia ad quoscunq; prauos appetitus cohibendos. Abr. 95.

PRÆSVMPTIO.

Præsumptio de misericordia Dei dæmoni occasio damnationis fuit. PP2. 536.

PRINCEPS.

Princeps & amari & timeri procuret. Abr. 67.

Principium rei dimidium illius. PP2. 443.

Principum viuendi licentiam procliuiter sequuntur subditi. PP2. 520.

Principum consiliarij quæ fugere debeant. PP2. 599.

Princeps iniquitatis vltionem inter splendidiores triumphos numeret. PP2. 641.

PRINCIPIVM.

Principium cuiusque rei pars illius potissima. PP2. pag. 441. & 442. & 444.

Principium operis velut tota illius summa. PP2. 441.

PROHIBITIO.

Prohibitus ille sepelire mortuos parentes quòd mansit, id mirissimum. PP2. 629.

Prohibita appetimus auidiùs. PP2. 628.

PROPENSIO.

Plerumque eò feruntur homines, quò eos sua propensio ductitat. Abr. 149.

PROSPERITAS.

Animi moderatio in prosperitatibus adhibenda. Abr. 53.

Nec prosperitatibus superbire, nec aduersitatibus deijci debemus. Abr. 144.

Nec prosperitatum nec calamitatum perpetua duratio. ibid.

Prosperitatum & miseriarum humanarum variabilitas & inconstantia. Abr. 145.

Æquè in prosperitatibus ac aduersitatibus Deo inseruiendum. Abr. 146.

Prospera & aduersa æquali animo toleranda. Abr. 147.

Oriens prosperitatis, occidens aduersitatis est symbolum. Abr. 146.

PROXIMVS.

Proximorum errata excusantes Deo ad instar filiorum

rum gratissimi. Abr. 122. & 123.
Proximorum peccata non reuelanda, cùm Deus ipse difficulter scelera detegat humana. Abr. 123.
Pro Angelis habendi qui proximorum tegunt vitia. Abr. 125.
Proximorum tegentes vitia niui similes quæ omnia immunda non solùm tegit, sed etiam pulchra apparere facit. Abr. 123.
Proximo inter angustias posito non succurrens, fera potiùs quàm homo iudicandus. Abr. 50.
Insigniti flagitij genus fratri in afflictione posito non succurrere. Abr. 51.
Virtutes proximorum publicandæ, noxæ verò etsi publicæ occultandæ. Abr. 122.
Proximus noster est speculum nostrum. PPP. 232.

PRVDENS. PRVDENTIA.

Prudentum est silentio inuoluere quæ alijs adferre queant molestiam. Abr. 101.

PSALMVS.

Psalmi 118. singuli octonarij inchoantur per singulas Hebræorum ex ordine litteras ab Alpha vsq; ad Tau. Cur? PPP. 221.

PVER.

Puerorum educatio bona quàm necessaria. Abr. 169. o.
A puero malum quod dæmon abripiat, nihil mirum. Abr. 170.
Quam quis puer tenuit viam, eam & senex terit. Abr. 170.
Puer ab adolescentia innouari cur iubetur. ibid.
Iugum Domini faciliùs portat, qui à puero assueuit. ibid.
Puero Christo cur myrrha oblata? ibid. & seq.
Puer assuescat doctrinâ, quam etiam non intelligit. Abr. 171.
Item missas audiat, rosarium legat, & ebalbutiat, ieiunet, vel aliquando. ibid.
Puerorum doctor numerator est turrium. ib & seq.
Pueris in foro ludentibus quinam similes. Abr. 199.
Pueri longæui quinam. PPP. 287.
Puer centum annorum morietur. PPP. 292.

PVGNA.

Corona illi, qui vsque in finem pugnauerit, seruatur. Abr. 15.
Pugna quomodo adornanda hoste appropinquante. PPP. 355.

PVLCHRITVDO.

Pulchritudinem Rachelis licitè desiderauit Iacob. PP2. p. 482.
Pulchritudo principatus naturæ, & potior omnibus epistolis commendatitijs. ibid. & seq.
Pulchritudo, & venustas fortia arma. PP2. p. 482. o.
Pulchritudo regnum sine custodibus. PP2. p. 483.
Pulchritudo ferit, vulnerat, triumphat. PP2. p. 483.
Pulchritudo hebetat enses. ibid. 484.
Pulchritudo animæ vrbana vestis. ibid.

PVTEVS.

Puteus in sacra Scriptura, cuius rei symbolum sit. PPP. 221.
Puteus viuentis & videntis ab Agar primo nominatus. PPP. 226.
Putei, & fontis quod discrimen? PP2. p. 450.
Putei, & fontis quæ differentia. Abr. 204.

PYTHAGORAS.

Pythagoræ ingens apud auditores autoritas. PP2. p. 500.

# R.

RACHEL.

Rachel cur in via sepulta, & erectus ei titulus. PPP. 253.
Rachel pascere gregem cur dicta? PP2. p. 470.
Rachel formosa, sed sterilis. Cur? PP2. p. 495.
Rachel suam qualemcunque voluptatulã ex liberis habuit, quos famula peperit. Quo mysterio? PP2. p. 502.
Rachel mariti sui honestæ consuetudini pro vili plantula renuntiauit. Quo mysterio? PP2. p. 508.
Rachel, quæ se mortuam putabat, quòd tam diu improlis esset, symbolum peccatorum desperabundorum. PP2. p. 514. & seqq.
Racheli mortem peperit filius, quem ipsa peperit. Quo mysterio? PP2. p. 639.

RANA.

Ranæ quædam species *mutus* vocatur, quæ canes mutos efficit. PP2. p. 583.
Ranæ officulum feruorem bullientis aquæ sedat. ibid.

RAPHAEL.

Archangeli Raphàëlis, responsum Tobiæ interroganti, elucidatur. PPP. 225.

RATIONALE.

Rationale summi Sacerdotis, exercitu ad bellum procedente, splendidiùs fulgebat. PPP. 332.

REBECCA

Rebecca, inauribus aureis ornata, mox amplioribus muneribus aucta, quid designet. PPP. 222.
Eliæ minister Coruus, symbolum Doctoris. PPP. 223.
Rebeccæ in vtero collisio paruulorum. PPP 284.

Rebecca, quæ desperauerat prolem, populos in vtero gestarit. Quo mysterio? PPP. p. 393.
Rebeccæ prudentia quà ex re eluxit. PP2. p. 448.
Rebeccæ in vtero cur fœtus collidebantur. PP2. p. 496.

*RECORDATIO.*

Crebra Dei recordatio signum est flagrantis ergà eum charitatis. Abr. 17.

*RECREATIO.*

Spiritus honestâ recreatione nonnunquàm est relaxandus. Abr. 78.
Honestæ recreationes non solùm licitæ, sed & quandoque necessariæ. Abr. 78.
Nulla exercitia sine quietis intercapedine perdurabilia esse possunt. Abr. 79.
Recreationes licitæ permittendæ. PPP. 377.

*RELIGIOSVS*

Religiosorum quorundam stultitia. Abr. 202.
Religiosus quis diuturnior in Ordine? PPP. 293.
Religiosus lubenter maneat in monasterio. PPP. 322.
Religiosis per plateas discursatio peregrinam speciem inducit. PPP. 323.
Religiosus intrà septa Monasterij sui rariùs cadit. PPP. 324.
Religiosis quare foris venientibus pedes lauentur. PPP. 326.
Paschatis & diebus solennioribus largiùs, copiosiore cibo Religiosi reficiendi. PPP. 348.
Colloquia Religiosis conceduntur. PPP. 378.
Religiosorum recreationes sint sicut hortus conclusus. PPP. 379.
Nouitij seu vitæ religiosæ, seu literarum tyrones non terrendi statim difficilioribus. PP2. p. 445.
Religiosus quidam candidus, & syncerus ex optimo suæ mentis statu optimè de omnibus iudicabat. PPP. p. 382.
Sacerdotibus, & religiosis nemo facilè detrahat. PP2. p. 551.

*RESPVBLICA.*

Vt felix sit Respublica timore & amore gubernanda. Abr. 67.
Facilius est errare naturam, quàm dissimilem sui Princeps possit formare rempublicam. PP2. 520. & seq.

*REX, REGNVM.*

Reges plurimùm attendere debent conseruationi suorum subditorum. Abr. 39.
Regum salus & vita in subditis est posita. Abr. 39.
Deus in suo regimine nullius, Rex subditorum subsidijs est indigus. Abr. 40.
Quod absque vnguibus aquila, hoc absque milite & subditis Princeps. Abr. 40.
Regiæ maiestatis conseruatio ex subditorum pendet selute. Abr. 40.
Deus sibi est consiliarius, at Principes agendi consilia à sapientioribus postulant. Abr. 41.
Regem prodesse etiam solùm oportet, nocere nonnisi cum pluribus. Abr. 125.
Naturæ corruptæ grauissima pestis libibo regnandi. PPP. 308.
Regum terrenorum imbecillitas ex ministrorum relucet multitudine. PPP. 370.
Regnum Christi non indiget ministris. PPP. 370.

*RHETORICA.*

Artificiosa Rhetorices industria silentio rem prætere, rire, vt hinc maior æstimetur. Abr. 63.

*RISVS.*

Risus quid mali pariat. PP2. 637.

*ROBOAM.*

Roboam si lenia verba dare sciuisset, seruasset suum regnum. PP. p. 606.
Roboam cur tridui inducias petijt, cùm tributorum minuere onera rogatus fuit? PP2. p. 527.

*ROBVR.*

Robur non in vociferatione, sed in operibus & executione consistit. Abr. 71.

*ROSA.*

Rosa cur facilè citòque marcescit? PP2. p. 621.

*RVBEN.*

Ruben fictè pius in fratrem. PP2. p. 560.

# S.

*SACERDOS.*

Sacerdos quare in memento repetit memoriam eorum, quos iam Deo commendârat. PPP. 280.
Sacerdotes cur vult Ecclesia iniuges? PP2. p. 599.

*SACRAMENTVM EVCHARISTIÆ.*

Sacramentalis corporis dominici susceptio sine spirituali parùm prodest. PPP. p. 417.
Sacramentum eucharistiæ sumpturus exæquare puritate recens baptizatum debet. ibid.
Deo à summo cœlo ad terram digresso qualisnam domus apparanda. PPP. 418.

*SALOMON.*

Salomon ex mille vxoribus filium vnicum habuit. Abr. 174.
Admirabilior fuisset, si ex vna liberos mille genuisset. ibid.

SALVATIO.

Saluationis causâ studio quęrere alieno, est refocillare vulnus, sed non quærere curationẽ. PP2. 502. o.

Hominum quisque sic quærere saluationem, sic fugere damnationem debet, tanquàm idem sit ipsum saluari, aut damnari, ac totum mundum saluari, aut damnari? PP2. p. 528. o.

Salus æterna non curatur solis verbis, vt quædam vulnera. PP2. p. 502. o.

SANCTVS, SANCTITAS.

Sanctitati propriæ non nimiùm tribuendũ. Abr. 59.

Virtus & sanctitas est homini vestimentum mutuatitium. Abr. 59.

In sanctitatis itinere semper progrediendum, & nunquàm retrocedendum. Abr. 93.

Sanctus esse quis potest quamuis non sit innocens. Abr. 130.

Tam sanctus nemo, quin aliquando intepescat. PP2. p. 458. o.

Sancti suas habent quandoque animi ægritudines. PP2. p. 458.

Sancti nunc alacriùs, nunc segniùs agunt. PP2 459.

Sanctitatem diu simulare difficile. PP2. p. 547.

Stellæ sunt, qui sanctitatem colunt. PPP. p. 401.

Sanctos crudeliùs diabolus insectatur. PP2. p. 555. o.

Sanctitatem Dei cum auxilio illius imitari vtcumq; possumus. PP2. p. 571.

SARA.

Sara senicula primùm peperit, vt partus serus ex tardatione maiorem haberet æstimationem. Abr. 161.

Sara longos annos vixit, vt filio, quem nonagenaria ediderat, gaudere aliquamdiu posset. Abr. 161.

Sara de famula apud maritum querula, cur ad diuinæ iustitiæ tribunal prouocârit. PPP. 276.

SARDIVS.

Sardius aptum hominis libidinosi hieroglyphicum Abr. 48.

SAVL.

Saul vix oculis suis credebat, vt crederet esse Dauidem illum, quocum loquebatur. Cur? PP2. 610.

Saul cur inermem Dauidem cum gigante pugnam ire permisit. PP2. p. 643.

Saul se autorem cædis Amalecitarum fecit, seruati gregis culpam in populum coniecit. Cur? PP2. p. 645.

SCANDALVM.

Scandala quandoque prębent maiora, qui sanctitate eminere deberent sublimiori. Abr. 35.

SCIENTIA.

Scientia vnius rei licèt perfectissimè illam calleas nulla est. PPP. 361.

SCINIPHES.

Sciniphes pusillulæ musculæ magnos suo stimulo adferunt dolores. Quo mysterio? Abr. 172.

SCRIPTVRA.

Scripturæ artificium opus digitorũ Dei. PPP. 328.

Scriptura sacra cur post Pentateuchum historiam Iudicum narrat. PP2. p. 615.

SECVRITAS.

Securitas hominis maxima nihil putare securum. Abr. 191.

Securitatem vita præsens nullam habet. Abr. 192.

SENEX.

Senes & virtuosi carent verecundiâ. Quare? Abr. 117.

SEPTENARIVS NVMERVS.

Septenarius numerus in sacris literis pro infinito ponitur. Abr. 120.

SEPVLCHRVM.

Sepulchreta Veterum Hebræorum, Romanorumq; ruri erant. Abr. 194.

Sepulchra concupiscentiæ quænam, & cur sic dicta? PP2. p. 638.

SERAPHIM.

Duo Seraphim laudes Dei decantantes sunt Angelus, & homo. Abr. 17.

SERVVS.

Seruorum non est, dominorum consilia discutere, sed tantùm iussa exequi. Abr. 5.

Seruus Euangelicus cur talentum Domini sui absconderit. Abr. 6.

Fidelis seruus, & prudens iudicatur, qui à Domino in fidelitate perseuerasse inuenitur. Abr. 12.

Seruus fidelis nec arrogare sibi, nec erogare prodigè aliena debet. Abr. 194.

Seruitus homini libero maximus cruciatus. PPP. 303.

Seruus cras, qui hodie Dominus in mundi scęna. PP2. p. 472.

Serui talentorum imparium dispensatores par habuerunt præmium. Quo mysterio? PP2. p. 471.

SERVVS DEI.

Studium Deo seruiendi nunquàm etiam in extrema senectute dimittendum. Abr. 92.

Seruo Dei in stadio virtutis nunquàm quiescendum, sed semper ad perfectiora tendendum. Abr. 93.

Seruus Dei generosi equi sit similis. Abr. 93.

Vti instrumenta musica in omnibus manum sequun-

tur artificis, sic veri serui Dei voluntati diuinæ in omnibus tam prosperis, quàm aduersis conformare debent. Abr. 147.

Seruitium Dei est quasi cantus. PPP. 377.

Non omnis qui seruus Dei, etiam statim Apostolus. PP2. p. 476.

Seruum Dei non vna, sed multa patientia facit. PP2. p. 477.

Seruos Dei habere de malo suspectos minimè debemus. PP2. p. 549. o.

SILENTIVM.

Silentium breue discipulorum linguarum omnium scientiâ remuneratum. Abr. 2.

Silentium perpetuum, si præcepto exigas, vix obtinebis. PP2. p. 629.

SIMVLATIO.

Simulata officiositas Abimelechi. PP2. 407. & seq.

Simulata humilitas. PPP. 407.

Simulata Ephraimitarum officiositas. PP2. p. 558. & seq.

Simulata Israëlitarum querimonia, expostulantium, quòd ex Ægypto educti essent vnde nata. PP2. p. 559.

Simulauit vrbanitatem Anna Didonis soror. ibid. & seq.

Finxit pietatem Ruben ergà fratrem Simeonem, cùm filios pro illo obtruncandos patri obtulit. PP2. 560.

Simulatitiarum rerum infensissimus hostis est vis ipsa, quâ finguntur. PP2. p. 548.

Simulatitiæ, siue adscititiæ pulchritudinis, & natiuæ quodnam discrimen. ibid.

Simulata officiositas Ephronis. PPP. p. 406.

Simulata deuotio Herodis. PPP. p. 407.

SITIS.

Sitis in abundantia aquarum intolerabilis. PPP. p. 412.

SOCIETAS.

Societas malorum contagiosa. Abr. 194. o.

Societatem ignauorum non ferebat S. Paulus. Abr. 195.

Societas malorum generorum penè fecit, vt Lot cum Sodomitis periret. Abr. 195.

Societate malâ quià vacuum cœlum, ideò tranquillum. ibid.

SODOMITÆ.

Sodomitæ ideò grauissimè puniti, quià Deum quem per Lot agnouerant malitiosi offenderunt. Abr. 139.

SOL.

Sol & Luna cùm oriuntur maiores videntur. PPP. p. 273.

Sol non patitur naturale deliquium in proprio domicilio, nec Religiosus in suo conclaustro. PPP. p. 224.

Solem nemo vel extinguere, vel ex orbe suo deijcere potest. PPP. p. 403.

SOMNVS.

Somnum fugiat, qui cum hoste semper insomni pugnat. PP2. p. 622. o.

SPES.

Spes vana, quæ studijs nititur alienis. Abr. 164. o.

Spes nostra sæpè fallitur, fitque, ibi multa, & magna reperiamus, vbi pauca, & parua expectabamus. PPP. p. 294. o.

Spes, & timor sunt duo molares lapides. PP2. 461.

Spe, ac timore fulciri debet, qui virtutis cacumen petit. PP2. 461. o.

Spes, & timor amoris flammam enutriunt. PP2. p. 463.

Spes eorum, qui solis verbis aliorum saluari posse putant, aërea est. PP2. p. 503.

Spem nobis faciunt exempla sanctorum. PP2. 617.

SPIRITVS.

Quandoque magis algent spiritu, qui ardentiùs flagrare deberent. Abr. 35.

STATVS.

Statu, & gradu suo quisque contentus viuito. PP2. p. 471.

STERILITAS.

Sterilitas remedium. PPP. 279.

SVBDITVS.

Omnium iurium & legum nexibus adstringuntur subditi ad subueniendum suis regibus in necessitatibus. Abr. 38.

Vita etiam subditorum pro Regum suorum sospitatione profundenda. Abr. 39.

Sicut vinea humo, sic rex subditis eget. Abr. 41.

Interitus regum non auri, sed amicorum, subditorumque inopiæ adscribendus. Abr. 42.

Superiorum exemplo facilè mouentur subditi. Abr. 109.

Superiorum errores pernitiabilissimi subditis. PP2. 519. & seq.

Subditi fumo esse similes solent. PP2. 630.

SVSPICIO.

Suspicari malos, cùm alios nullos, tùm seruos Dei minimè debemus. PP2. p. 549. o.

Suspectum semper debet nobis esse, quòd semel exitij

xitij causa fuit. PP2. 552.

SYMMACHVS.

Symmachus aliorum gratulationem sibi exposcebat, eò quòd inuidiosus esset. PPP. 384.

# T.

TABACVS SORDIDA HERBA.

Tabaci damnatio. PPP. 272.

TABERNACVLVM.

Tabernaculum veteris Testamenti mundi est typus. Abr. 120.

TENTATIO.

Tentatio Christi, vt è lapidibus panes efficeret. PPP. 368.

TESTAMENTARIVS.

Testamentarijs tua curanda ne commiseris, quæ curare ipse potes. PP2. 530.

Testamentarij sibiipsis aliquando vsurpant hæreditates pupillorum. PP2. 532.

Stultum est sperare à testamentarijs, quod tibi ipse non præstes. ibid.

THARE.

Thare qui petere terram Chanaan cœperat, per viam in Haran conquieuit. Quid mysticè significet? Abr. 10.

TIGRIS.

Tigridis natura circa prædam. PPP. 281.

Tigris flumen initiò pigrè fluit, nec cum suo nomine. Quo documento? PP2. 466.

TIMOR.

Id solum timendum quod prudentia formidandum consulit. Abr. 18.

Ignauia est mortem ex dubia valetudine nimis anxiè timere. Abr. 19.

Homines plerique magis timore quàm amore ducuntur. Abr. 69.

Plùs cruciat timor pœnæ futuræ iam præconceptæ, quàm præsens affligat. Abr. 180.

Timor Dei solus fugat crimina, innocentiam seruat. Abr. 188.

Timor est fundamentum salutis, præsumptio damnationis. PPP. 375.

Timore ac spe fulciri debet, qui virtutis fastigium petit. PP2. 461. o.

Timor & spes duæ molæ. ibid.

Timor & spes nutrices amoris. PP2. 463.

Timere & abundare, literis & syllabis differunt, reapse nihil. PP2. 597.

Timoris passio quàm crudelis. PP2. 575. o.

Timorem mortis sublatum Christus venit. PP2. 576.

Timor vbi abest, ibi nihil formidabile mors habet. PP2. 576.

Timoris medicina mors. PP2. 572.

Timor intolerabilior Eliæ, quàm mors fuit. PP2. 577.

Timore vacuum esse optat, qui pacem, quare nihil etiam præstabilius precari potest. PP2. 578.

TRIBVTVM.

Tributa moderata conceduntur, prægrandia plurimorum malorum sunt seminaria. Abr. 42.

Tributa moderata Deus miraculis comprobauit. Abr. 42.

Vt arbores quæ nimio studio ad maiorem fructuum copiam edendam coguntur citiùs exarescunt, sic Respublicæ à quibus nimia extorquentur tributa, faciliùs opprimuntur. Abr. 43.

Non possunt non perire reges, qui iniquis extorsionibus subditos exhauriunt. Abr. 44.

Sicut iumentum fræno & stimulo, sic populus tributo cogitur. Abr. 45.

Quæstio & tributum eodem dragmæ nomine significantur. Abr. 46.

TOBIAS.

Tobiam calida Hirundinum stercora excœcârunt. PPP. 349.

TYPOGRAPHIA LAVDATA.

Laus Typographorum. PPP. 330.

# V.

VENETI.

Venetorum dux mari desponsatur. Quo mysterio? PP2. 563. & seqq.

VENVS.

Venerem Mars sequitur, non Martem Venus. PP2. 594.

VERBVM DOMINI.

Cur verbum Domini super Ioannem magis, quàm ad illum factum dicitur? PP2. 506.

VERITAS.

Indagare rei nunquam auditæ veritatem non solùm à culpa alienum, sed & quandoque necessarium. Abr. 22.

Veritas

Veritas de mendacio tandem triumphat. PPP. 401. o.
Veritas improbitate depressa emergit. PPP. 402.
Veritatis characteres ad quadraturam tendunt. Quo mysterio? PPP. 402. & seqq.
Veritas laborat sæpè, nunquàm extinguitur. PPP. p. 403.
Veritatem mendacio qui expugnare vult, idem durissimum silicem inermis manu vult confringere. PPP. 404.
Veritas & iustitia tandem obtinent. PPP. 402.
Veritati nihil præscribere potest. PPP. 404.

*VIA.*

Ambulantes per viam planam, cur magis fatigantur, quàm incedentes per inæqualem. PPP. 377.

*VICTORIA.*

Victoria pugnæ difficilioris illustrior. PP2. 611. o.

*VINDICTA.*

Vindictæ genus nullum sublimius, quàm exhibere bona his, à quibus acceperis mala. PP2. p. 617.

*VINUM.*

Vinum corruptum quandoque mutatione loci curatur. Abr. 4.

*VIOLENTUM.*

Violentum nullum perpetuum. PP2. 546. o.

*VIR.*

Vir & mulier colloquia miscentes non oculis misceant, sed plurimam modestiæ habeant rationem. Abr. 109.

*VIRGA.*

Virgæ, quas Iacob venientibus ad potandum ouib⁹ proposuit, quid significant? PP2. p. 518.

*VIRGO.*

Virgines fatuæ cur sic dictæ. Abr. 200.
Virgines, quæ sponso exierunt obuiam, altiùs honoratæ, quàm serui, qui domi illum expectârunt. Abr. 209.
Virgo primo non facilè cedit, aut concedit inuasori. PP2. p. 526. & seq.
Virgines religiosæ sacrificium Dei. PP2. p. 627.

*VIRTUS.*

Virtutes plerumque reperies apud rusticos & pauperes, quàm apud nobiles & diuites. Abr. 35.
Virtus proponenda quâ parte amabilis spiritui, non quâ formidabilis carni. PP2. 445. o.
Virtuti amaritudinem, & asperitatem nostra ignauia affingit. PP2. 445. o.
Virtutes ex se cicures, & placidæ. ibid.
Virtutem qui immanem opinantur, somniatores sūt. PP2. p. 451.
Virtutum cessatio reditꝰ ad improbitatē. PP2. p. 457.
Virtutibus qui inferior, ille apud Deum vilior. PP2. p. 469.
Nec virtus vna sanctum, nec flos vnus hortum facit. PP2. p. 476.
Virtutis bonum opus vnum non facit sanctum, sic nec vnus crinis senem. PP2. p. 478.
Virtus imperat, & rogat, nec auditur, vitium annuit solum, & accurrimus. PP2. p. 487.
Virtutum thesauros cum vani ambitus aura commutare, insignis amentia est. PP2. p. 508. o.
Virtutes nostræ ex misericordia Dei & studio nostro crescunt. PP2. p. 573.
Virtus studium esto moderatum. PP2. p. 621.
Virtutis fundamenta nulla vnquam superflua. Abr. (206.

*VISIO.*

Visio nostra parua suam exiguitatem rebus visis communicat. PPP. p. 427.

*VITA.*

Vitę huius ærumnas absque omni alleuatione & intercapedine tolerare impossibile. Abr. 80.
Vitam illi eripi qui eâ ad Dei offensam vteretur, maximæ beneuolentiæ Diuinæ indicium. Abr. 142.
Vita hominis quanta sit. PPP. 291.
De acta vita clausulam illius arbitrari possumus. PP2. 543. & seq.

*VITIS.*

Vites insanæ quæ, & cur sic dictæ? Abr. 201.

*VITIUM.*

Deum nostra vitia faciunt parcum. PP2. p. 501.

*VOLUNTAS. VOLENS.*

Voluntas suauiter disponenda, vt suas operationes promptius exerceat. Abr. 19. o.
Volenti omnia facilia, nolenti cuncta difficilia. Abr. 20.
Vbi prompta voluntas ibi nulla difficultas. Abr. 20.
Se & alios saluare facilè potest, qui voluntatem suam iudicio submittit aliorum. Abr. 31.
Semper nobis suspecta esse debent, quæ fiunt propriæ voluntatis consilio. Abr. 32.
Qui non valet quod vellet, faciat quod potest. Abr. 76.

VOLVPTAS.

Voluptatis & deliciarum via Homines lassos facit. PPP. 341.

Voluptates sæculi vti arena pregrauant. PPP. 342.

Cupido vnâ manu florem, alterâ piscem gestat. PPP. 342.

Voluptates præsentes quantas in se complectantur spinas. PPP. 343.

VLYSSES.

Vlyssis, & Aiacis de armis Vlyssis concertatio. PPP. p. 402.

VRBS.

Vrbes constituit ætas, hora dissoluit. PP2. p. 487.

VTILITAS.

Vtilitas propria nullâ industriâ procuratur faciliùs, quàm si quis studeat alienæ. PP2. p. 511. o.

VXOR.

Vxorem ducere, & passionem adire, tantundem. Abr. 197.

Nuptias & mortem adire, perinde. ibid.

Nuptias inituri Dardanenses lauabantur. Cur? ibid.

Z.

ZACHARIAS.

Zacharias pro suæ incredulitatis merito non obmutuit tantùm, sed obsurduit. Abr. 139.

Zacharias in loco placationis Deum offendit, & vocem amisit, cùm percepit. PPP. p. 426.

ZELVS.

Zelus Iacobi & Ioannis pro Christo. PPP. 319.

ZELPHA.

Zelphæ filius prior dictus Gad, posterior Aser. Quo mysterio? PP2. p. 592.

FINIS.

